





# THESAURUS
# ROMANARUM
# ANTIQUITATUM
## VOL. V.

# THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

*CONGESTUS*

a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

*ACCESSERUNT*

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN QUINTUM.




VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.

M. DCC. XXXII.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.*

# JOANNIS GEORGII GRÆVII

# PROLEGOMENA.



Ector benevole, habes hic quintum tomum thesauri antiquitatum Romanarum, qui complectitur potissimum scriptores, qui sacra, cærimonias, & omnem religionis Romæ veteris cultum explicarunt. In quibus principem locum tenet Jacobus Gutherius, celebris olim, cum superesset, caussarum Patronus in Senatu Parisiensi, & propter eruditionis non vulgaris opinionem civitate Romana donatus. Variæ Vir erat & diffusæ lectionis, qui omne genus scriptorum excusserat, sed qui non nunquam non satis, quæ legerat, concoxerat, nec satis antequam quæ excerpserat & observarat chartis mandaret, expenderat, ne quid dicam de illius ingenio non celerrimo. Hinc sæpe cespitavit, ut obolis ejus libros confoderint homines docti non pauci, & seges satis ampla sit aliis reliqua, qui in hunc campum velint descendere. Verbi gratia, lib. I. cap. III. haruspices summis quatuor sacerdotum collegiis accenset, cum ipse notet tam viles fuisse haruspices Romæ, ut qui haruspicinam fecisset, non posset legi in senatum. Sane nullus procerum Romanorum fuisse haruspex legitur, quamvis ut Spurinna haruspicinæ periti nonnulli fuerint. Erant enim haruspices plerique Thusci & homines leves & contemti. licet autem collegium esset haruspicum, ut constat ex undecimi annalis Taciti, cap. XV. non tamen inde conficias, fuisse viros dignitate præstantes, nam & fabrum & aliorum opificum erant collegia; collegium posteris temporibus dictum etiam est ordo, ut ex antiquis lapidibus constat. Qui autem illi collegio præerat, dictus est magister haruspicum, uti ministri appellabantur adjutores haruspicum, quod videre licet ex titulis lapidum a Gutherio allatis. Quare non est ut a sententia Dionis recedamus, qui quatuor collegiis summis sacerdotum accenset VII Viros Epulones, qui ludos curabant, & epularia sacrificia. Nam & ludi & illæ epulæ, pars erat præcipua sacrorum Romanorum, quorum procuratio mandabatur civibus Romanis honestioribus, unde & in nummis commemorantur. Nec propterea ex quatuor summis sacerdotum collegiis expungendi sunt, quia, cum non recte curata erant sacra, id referebant ad pontifices, quorum, ut ita loquar, magister erat Pontifex Maximus, ad quos pertinebat jus constituendi, quando sacra instauranda essent. Quam ob caussam non posunt dici pontificum ministri, qui illis ancillarentur, non magis quam hoc tempore posunt Episcopi dici Cardinalium, ut vocantur, ministri, licet ad Cardinalium collegium de rebus nonnullis dubiis referant, ut ex Pontificis Maximi Romani & Cardinalium sententia illæ decidantur. In eodem capite male improbat emendationem Cujacii, qui legendum censet in lege de collegiis *collegia sodalicia*. Nam sodalitium collegium in illa lege Martiani dicitur, ut *sodalitium jus* apud Justinum, de Pythagoreis lib. XX. IV. *Sed triginta ex juvenibus, cum sodalitii juris sacramento quodam nexi, separatam a ceteris civibus vitam exercent*. Ut recte hunc locum emendavit Vir summus Joannes Fridericus Gronovius. Nam ut a *venalis venalitius*, sic est a *sodalis sodalitius*. sunt autem sodalitia collegia, qui sodalitio quodam jure se devinxerunt in leges & instituta illius

collegii servanda. In capite IV. istius libri male statuit duos Pontifices Maximos fuisse inter Pontifices. quod dudum redarguit certissimis argumentis Vir doctissimus, & mihi a primis annis, eramus enim fere æquales, conjunctissimus Andreas Bosius, qui multa præclaraque minabatur, & præstitisset, nisi acerbo fato nobis esset ereptus, in diatribes primæ de Pontifice Maximo veteris Romæ cap. II. qui in eodem loco conjecturam Gutherii, qui Pontificem Maximum Sabinorum in veteri inscriptione se reperisse putabat, erudite rejicit, ex sententia Thomæ Reinesii, qui putat legendum esse *Pontif. Maj.* Pontifici majori, aut *MAR.* Martis. Sed assentior ego Marquardo Gudio, qui olim censebat hanc inscriptionem esse confictam ab impostore, quia suspectam eam reddat primo locus ipse ubi reperta dicitur, Maronis nimirum vicus natalis; dein, nomen illud *P. Vergilii P. Filii*, quod idem est nomen Maronis: tum omissio cognominis contra receptam in veteribus monumentis consuetudinem: cognomen Maronis autem ideo addere non esse ausos, ne statim fraus pelluceret, id tamen voluisse subaudiri, qui tum commenti sunt. His accedit stupor impostoris, qui Sabinis Pontificem Maximum tribuit, qui tum temporis Romæ tantum erat. Sabinos autem recte Reinesius dixit intelligendos fuisse, si lapis esset genuinus, incolas oppidi Sabii, sive vallis di Sabio. Nam hos Sabinos dictos esse discimus ex lapide, qui extat in Vico Servallo, vallis di Sabio apud Octavium Rossium in antiquitatibus Brixiensibus:

FIRMVS. IN
GENVI. F. PRIN
CEPS. SABINORVM
SIBI. ET. CORNELIAE
RVSTICAE. CONIVGI
M. CORNELIO. PRISCO
F. ANNORVM. XII

Princeps Sabinorum, ut Princeps Nicopolitanorum in inscriptione quarta pag. CCCCLXXII.

TENACI VINDICI
LEG. LEG. XXXIII. PRINC
CIVITATIS NICOPOLITA
NOR.

In capite VI. in Græca inscriptione athletica pro ΑΡΚΙΕΡΕΑ scribendum ΑΡΧΙΕΡΕΑ, sed versio illius tituli, sive ea sit Gruteri, sive alius, est sane pessima. Quæ sic exponenda Latine: *Demetrium Hermopolitam Alexandrinum, Pancratiasten, Periodinicam Palæstritam, Paradoxum invictum, Pontificem totius Xysti, perpetuum Xystarchen, & Balneis Augusti præfectum, patrem.* Pessime legitur in eodem capite in Pollucis loco, tam in hac quam Parisiensi editione ’πιστάτεις pro ἐπιστάτας. Impingit Gutherius, cum βραβευτὰς putat viles esse ministros sacrorum certaminum, cum sint judices, qui iis præsunt, & præmia victoribus dant, ut hæc & multa alia ad hujus inscriptionis intelligentiam pertinentia olim Vir magnus Petrus Faber in Agonistico, & ante annos non ita multos natalibus, dignitate, ingenii elegantia nobilissimus, mihique peramicus Octavius Falconerius in expositione inscriptionum Athleticarum docuit. Nec verum est, quod ibidem tradit Guterius ipsam palæstram dictam esse thermas. Thermis erant adjunctæ palæstræ, ut post balnea corpus exercerent, unde Xystarchæ in inscriptionibus athleticis plerisque dicuntur etiam ἐπὶ βαλανείων, hoc est, præfecti balneis. *Munera* vero Mar-

tialis dicit thermas, eadem ratione, qua porticus, theatra, circi & amphitheatra vocantur *munera*. Frontinus in procemio de aquæ ductibus: *quot castella publica privataque sint, & ex his quantum publicis operibus, quantum muneribus, ita enim cultores appellant, quantum lacubus, quantum nomine Cæsaris, quantum privatorum usui beneficio Principis detur*. Ubi ineptissime ultimus editor ait *munus* notare hic administrationem, & curam imperii populo in comitiis delatam. Nihil poterat dici magis inscitum. Ovidius:

*Aut ubi muneribus nati sua munera mater*
*Addidit, externo marmore dives opus.*

Intelligit poeta Porticum Octaviam non longe a Marcelli porticu remotam, qui Octaviæ filius fuit. In capite v. in titulo hæ notæ: *Pontifices Vestæ VV. CC.* non notant *Virgines Vestales castissimæ*, *sed Viri Clarissimi*, quod jam alii viderunt. *De caplatoribus* pro quo malit *calatores* legi, dudum reprehensus est ab Andrea Bosio in laudato libro de Pontifice Maximo cap. 11. In capite septimo male se invenisse putat in antiquo monumento *filium sacrorum*. Sed verborum illius tituli hic ordo est, *cum Fonteio* Onesimo filio *posuit signum & basin sacrorum* subintellige *causa*. Patres sacrorum noti sunt ex Tertulliano & inscriptionibus, sed filios sacrorum ignorarunt tam Græci & Latini, quam aliæ, ut reor, gentes. In Græca vero:

ΑΝΕΚΚΑΗΤΟC ΞΥCΤΑΡΧΗΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ Ο ΥΟΣ

nullum video filium sacrorum, sed M. Aurelium Asclepiadem reperio filium Demetrii Hermapolitæ Alexandrini, uti etiam clarissime patet ex insigni illo marmore Farnesiano, quod in Grutero est primum p. CCCXIV. eidem Aurelio Asclepiadi dedicatum. Fuisse apud nonnullas gentes sacerdotia, in quibus filii successerint parentibus, nemo ignorat, sed ii non dicebantur sacrorum, sed sacerdotum aut prophetarum filii. In capite sequente VIII. Lælii Felicis verba, quæ nobis servavit Gellius *Noct. Att.* XV. 27. *Comitia oblata esse, quæ pro Pontificum collegio haberentur*, male interpretatur a collegio, vel apud collegium, quamvis in ea quoque sententia sit Nicolaus Gruchius, lib. I. cap. II. de Comitiis. A Collegio Pontificum, aut apud illud habita esse comitia unquam, mihi persuaderi non potest. *pro Collegio Pontificum* est caussa collegi Pontificum, petentibus pontificibus, habita sunt comitia, ut Rex sacrorum aut flamines crearentur a populo in illis comitiis calatis & inaugurarentur. Comitia illa habebantur ab iis magistratibus, quibus jus erat comitia edicere, quod jus nunquam habuere pontifices, quia magistratus non erant, sed tantum dignitate singulari præditi. Hoc jus habebant Consules, ut clare patet ex epistola v. Ciceronis ad Brutum: *Omnino Pansa vivo, celeriora omnia putabamus. Statim enim collegam sibi subrogasset. Deinde ante Prætoria sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt*. Si Pontifici Maximo fuisset hoc jus, non expectandum fuisset, dum novi Consules crearentur, qui haberent comitia sacerdotum. Quin etiam legimus sæpe apud Livium comitia a Consulibus habita Pontificis maximi creandi caussa. Duo tamen præcipue afferunt qui eunt in alia omnia suæ sententiæ stabiliendæ. Unum quod Livius tradat lib. III. c. LIV. Q. Furium Pontificem maximum comitia habuisse, quibus tribuni plebis creati sint, quia postquam decemviri se magistratu abdicassent, nulli tum erant magistratus. Atqui hoc plane erat extraordinarium, idque ex senatusconsulto: *Factum*, inquit Livius, *senatusconsultum, ut decemviri se primo quoque magistratu abdicarent, Q. Furius Pontifex maximus tribunos plebis crearet*. Quod Furius

ſenatui parens poſtea fecit, quia nullus in Urbe, cum ſe abdicaſſent magiſtratu Decemviri, ordinarius in Urbe magiſtratus erat, qui poterat comitia habere. Si ex his licet efficere, Pont. max. habuiſſe poteſtatem comitia habendi, ſequetur etiam illum habuiſſe jus comitia tribunitia indicendi. quod nemo ſanæ mentis dixerit. Alter locus eſt in Livio, lib. XXV. V. *Comitia inde Pontifici maximo creando ſunt habita. Ea comitia novus Pontifex M. Cornelius Cethegus habuit.* Horum verborum hanc ſententiam eſſe puto, Cethegum collegii Pontificum nomine petiiſſe ut comitia haberentur. quem locum ſic intelligendum eſſe inde patet, quod nuſquam aliter, quam hic legatur a Pontifice habita fuiſſe comitia Pontifici maximo creando, ſed in tot aliis locis commemoretur, comitia illa habuiſſe conſules, quod nemo, credo, inficiabitur. Nec me movet, quæ afferunt ex Dionyſio Halicarn. qui tradiderit de primis conſulibus, quod cum vellent nomen regium ſervare ſacrorum cauſſa juſſerint Pontif. & Augur. creare ex ſenioribus eum, qui maxime idoneus ad id ſacerdotium viſus illis fuiſſet. Cum hoc juſſu conſulum fecerunt Augures & Pontifices, num id feciſſe comitiis habitis uſquam legimus? Eadem ratione ex hoc loco efficias, augures quoque regi ſacrorum creando potuiſſe habere comitia. Sic lege Curiata adoptiones fiebant arbitris Pontificibus, hoc eſt, præſentibus Pontificibus, quorum erat cognitio de adoptionibus, ſed non habita ſunt illa comitia niſi a magiſtratibus, quibus habendi comitia jus erat. Cætera prætereo, quæ forte alias excutientur accuratius. Non magis Pontifices potuerunt habere comitia, quam imperare exercitum, hoc eſt, populum inlicium vocare, ſive convocare populum ad comitia, quod quid eſſet non intellexit Gutherius, ſed primus docuit elegantiſſime ὁ πάνυ Gronov. lib. I. obſerv. c. I. quem vide. In cap. XI. hæret cum Turnebo in loco Livii qui eſt in lib. XL. c. 42. & quidem his verbis: *P. Cloelium Siculum inaugurarunt, qui ſecundo loco inauguratus erat.* Malebat Gutherius, *inaugurandus erat.* Sed nihil in his erat difficultatis. Cloelius inaugurabatur tum Rex ſacrificus, qui ante Pontifex erat inauguratus, quæ Gronovii etiam eſt ſententia. In eodem capite, cum ex oratione Ciceronis *pro Haruſpicum reſponſionibus* colligit Pontificis Maximi fuiſſe præcentionem, hoc eſt, in omnibus ſacris publicis præciuiſſe, fallitur. Nam Lentulus ille, quem adloquitur Cicero, non fuit Pontifex Max. ſed Augur, ut videtur. Multa talia παοαρόματα paſſim in hoc libro obvia, quorum nonnulla reprehendit olim Cl. Boſius in diatribe de Pontificatu Max. & alii viri docti. Omnia excutere nec hujus loci eſt, nec noſtræ ferunt occupationes. Lib. IV. c. XIX. contendit Tauropolium Dianæ proprie factum eſſe, ex duabus inſcriptionibus, quarum una Narbonenſis eſt p. XXIX. 12. apud Gruterum:

IMPERIO D. M.
TAVROPOLIVM. PROVINCIAE. NARBONENSIS
FACTVM.

quod interpretatur Dianæ Matri, ſicut in 13. ejuſdem paginæ:

S. M. D.
IVNIA. DOMITIA. TAVROPOL
ACCEPIT.

Matri magnæ Dianæ, quæ tribus nominibus celebrata ſit, triplex Taurobolium illi uno eodemque ſacro fieri conſueſſe apud Æginam, ut alia inſcriptio doceat, quæ ſit CCCIX. 2. Addit, ideo poſt inſcriptionem Juniæ Domitiæ p. XXIX. ſequi duas alias iiſdem verbis conceptas, mutato ſolum nomine ejus, quæ Tauropolium acceperit. Primam Iſidi, ſecundam Floram Dia-

næ, tertiam Modeſtam Cereri hoc ſacrum feciſſe: nam tribus aris extructis ſacrum iſtud ſolitum peragi, & hoſtiis ſuis accepiſſe, quod amplius ſit quam facere. Etenim accipere eſſe paſcere, & ſollemni convivio celebrare. Quæ omnia falſa ſunt. Illud enim IMPERIO. M. D. & S. M. D. eſt *Imperio Matris Deum*, & *Sacro Matri Deum*, ut certum eſt ex aliis lapidibus, in quibus ſiglæ ſunt expreſſæ, qualis eſt 11. p.XXIX. *Matri Deum Pomp. Philumene Q. Prima Lector. taurobolium fecit*. Inſcriptio tertia decima ejuſdem paginæ, quam Gutherius impoſitam fuiſſe tribus aris putavit, primam Iſidis, ſecundam Dianæ, tertiam Cereris aræ, plane contrarium docet. Nam iſtæ notæ S. M. D. ter iterantur, eandem Deam notant *Matrem Deum*. Non diverſis Deabus illæ ſunt dedicatæ, ſed fuerunt diverſæ tres feminæ, quarum ſingulæ fuerunt tauroboliatæ, ſive ſacro Deum Matris acceperunt taurobolium, hoc eſt, unius ejuſdem Deæ ſacris fuerunt conſecratæ. Nec *taurobolium accipere*, eſt paſcere, ſed myſteriis taurobolii initiari, quod in inſcriptionibus dicitur *taurobolari*. p.MCII. 2.

VETTIO. AGORIO
PONTIFICI. VESTAE
PONTIFICI. SOLI
QVINDECIMVIRO
AVGVRI
TAVROBOLIATO
CVRIALI
NEOCORO
HIEROFANTAE
PATRI. SACRORVM

Nec aliter intelligenda quæ eſt 2. p.CCCIX. poſita hujus Vettii Agorii Uxori, ex qua hæc excerpſit Gutherius:

APUD. AEGINAM. DEABVS. TAVROBOLITAE. ISI
ACAE. HIEROPHANTRIAE. DEAE. HECATE
GRAECO. SACRANEAE. DEAE. CERERIS

Ubi aut *Tauroboliatæ* ſcribendum eſt, ut & in præcedente, aut pro *Taurobolitæ* eſt poſitum, quod rarius. Nam & ſic occurrit in eadem pag.XII. in 13. quæ eidem feminæ eſt dicata, & iiſdem fere verbis. Quid magno indicis inſcriptionum Gruteri auctori in mente fuerit, cum ex hoc titulo Taurobolitam & Iſiacam Taurobolitam Deas eſſe ſtatuit. ſic enim in illo habetur TAUROBOLITA Dea CCCIX.2. & *Iſiaca Taurobolita*. CCCIX. 2. cum revera Taurobolita, & Iſiaca dicatur Fabia Aconia Paulina. Iſiaca, quia erat Iſidis conſecranea, quæ ſingulari ritu præ ceteris Iſidem colebat, & in corpore erat Iſiacarum. Neſcio quid viderit Gutherius, cum in iſta inſcriptione doceri ait, ut modo monebamus, Matri Magnæ Dianæ ſacra hæc facta eſſe, quæ tribus nominibus celabrata, triplexque taurobolium illi uno eodemque ſacro fieri conſuetum apud Æginam. Hæc nemo intelligit, quid ſibi velint. Unum erat Taurobolium, quod ubi acceperit nec hæc, nec præcedens tertia ſignificat, ſed hæc docet, Aconiam ſacratam fuiſſe Deo Jaccho, Cereri & Coræ, hoc eſt, Proſerpinæ apud Eluſinem, dein eandem ſacratam apud Æginam *Deabus*, quæ nullæ aliæ ſunt quam mater cum filia, Ceres & Proſerpina: præterea Aconiam fuiſſe Taurobolitam, fuiſſe Iſiacam, fuiſſe Hierophantriam Deæ Hecatæ, ſic enim legendum ut in præcedente, non *Hecate*, ut perperam editur, fuiſſe ſacraneam Deæ Cereris. Illud *Græco* quod interponitur quid ſit non intelligo, hinc in tertia CRAECO punctis ſubſcriptis

notatum eſt, tanquam ſuppoſititium verbum. niſi forte dicas ſubaudiri, aut excidiſſe, nam in tertia videtur eſſe lacuna, *Græco ritu conſecraneæ Cereris*, non Aſiatico. Non miraberis eiſdem Deabus ſacratam eſſe Aconiam apud Æginam, quibus ſacrata fuit apud Eleuſinem, cum in tertia tertius locus commemoretur, ubi iiſdem Deabus fuit ſacrata, ut & Baccho. Hæc enim ibi leguntur:

SACRATAE. APUD. LAERNAM. DEO
LIBERO. ET. CERERI ET CORAE.

Ut diverſis in locis, diverſis ritibus initiatæ ſe devoverint cultui eorundem Numinum. quod & oſtendunt ultima verba utriuſque inſcriptionis, ubi repetitur *conſecraneæ Deæ Cereris*, aut ut legitur in tertia, *ſacratæ Deæ Cereris*. cum tamen jam antea bis in illa dictum ſit, eam Cereri fuiſſe ſacratam, & in Eleuſine, & apud Lærnam, ubi erant quoque initia Lernæa, quorum meminit Pauſanias in *Corinthiacis*, æque ut Eleuſina in Attica. In c. XXV. lib. I. Gutherius male confundit Mithriaca ſacra, cum Iſidis ſacris, & Phrygiis Attinis ac matris Deum nec non cum Eleuſinis Atticis myſteriis. quamvis Phrygia Attidis initia Deæ Matrum quoque ſacra eſſent, diverſiſſima tamen erant a Mithriacis, ad quæ ſola pertinebant *Leontica*, *Coracica*, *Patrica*, *Perſica*, *Eliaca*, *Oſtenſi Cryſii*, quorum meminerunt inſcriptiones. Vide Thomæ Reineſii viri ſummi epiſtolam LXIX. ad Chriſtophorum Rupertum. *Adjiciales cœnæ*, quas commemorat quaſi ſic dictas, quod ſemper aliquid novi cibi adjiceretur, cap. XXVI. nullæ ſunt. *Aditiales* erant, quas dabant, qui adibant ſacerdotia in illorum & aliarum dignitatum auſpiciis & honorum, quod nemo humaniorum hominum nunc ignorat. Cap. XXVIII. cum diſtinguit inter prætextam περιπόρφυρον & prætextam ὁλοπόρφυρον, oſtendit ſe neſciviſſe, quid eſſet prætexta. Nulla prætexta fuit περιπόρφυρος, ſed omnis prætexta erat ὁλοπόρφυρος, hoc eſt, cujus imæ oræ erat limbus purpureus prætextus, unde prætextæ nomen, quod facile multis oſtenderemus, niſi viri docti nos hac cura levaſſent. In libro II. cap. VI. quæcumque tradit de partitione, de teſtamento per æs & libram, de coemptione, quaſi fuerint modi interimendorum ſacrorum, ut de ſenibus coemptionalibus, de deductione, non ſunt hili. Partitio enim fuit legati genus, quo legatarius accipiebat tantum ex hæreditate, quantum aut hæres, ſi unus eſſet, aut quantum omnes hæredes, ſi plures eſſent: Is vero legatarius, non ſolvebatur ſacris, ſed iis adſtringebatur; centum autem nummi legatarii portione deducti illum moleſtia ſacrorum liberabant. Nec teſtamentum per æs & libram ſacris ſolvebat hæredem, nec id fiebat in Comitiis Curiatis, ſed privatim adhibitis ſignatoribus, & teſtibus civibus Romanis. Verum ita ſe res habebat de ſenibus, quibus utebantur ad coemptiones faciendas ſacrorum interimendorum cauſſa. Quærebat hæres, qui nolebat ſacris adſtringi, ſenem, cui mancipabat hæreditatem per æs & libram venditione imaginaria a Juriſconſultis reperta. Sed illam hæreditatem, quam mancipationis nomine conſecutus erat, non ut hæreditatem, ſed ut rem emtam, ſacrorum moleſtia jam liberatam, interventu ſtipulationis, ſtatim reddebat juſto hæredi. Quæ omnia ſubtilius exequitur J. Fr. Gronovius, lib. IV. de Pecunia vetere cap. VII. & XVIII. ubi hæc Gutherii & aliorum JCtorum de modis ſacrorum interimendorum ſententias ſolide refellit, & princeps docuit, qui eſſent ſenes coemptionales, qui videndus. Nec ſaniora ſunt, quæ de deteſtatione ſacrorum ex l. 40. *D. de verborum ſignificatione* Gutherius affert, quaſi & illa fuerit ratio ſacrorum perimendorum, quæ facta fuerit Comitiis Cu-

riatis. *Nam*, inquit, *deteſtari ſacra, eſt populo denunciare, quod quiſque conſecrari cupit*, injuſſu vero populi non licere vi legis Papyriæ & Carbonianæ quicquam conſecrare. Sed contrarium verum eſt. Etenim Paullus in *leg.* 39. *D. de verb. ſignificatione* dicit deteſtari eſſe abſenti denunciare; & deteſtari ſacra eſſe abſenti denunciare ſacra hæc eſse hæredi ſcilicet aut legato partionario facienda, ſi velit adire hæreditatem, vel capere legatum. Et ſic in l. 238. in eodem titulo §. 1. deteſtari accipitur etiam pro abſenti denunciare cum teſtatione. Servius Sulpitius libros quoque ſcripſit de ſacris deteſtandis, ex quibus ſecundum laudat Gellius VI. *Noct. Atticarum* cap. XII. Proximum quoque caput de præmiis Hiſpalæ, cui inter alia tributa fuit a ſenatu *datio*, *diminutio*, *gentis emtio*, quæcunque docet Gutherius, ut & de enuptione non ſunt præcedentibus meliora. Recte illum Livii locum intellexit Turnebus XXX. *Adverſ.* 25. Omnia Gutherii abſurditatum plena argumenta exploſit idem accuratiſſimus Gronovius in notis ad Livii lib. XXXIX. c. 19. quas conſules. In capite nono quam multa poſsent notari. quam mire exponit illud Taciti in XVI. annali 11. *Nero interceſſit* mortem *ſine arbitrio permittens*, quod ait eſse, ſine honorariis, ſine pompa funeris, ſine teſtamento. Quid ſit mors ſine honorariis, ipſe viderit. Arbitrium autem ſignificare pompam funeris, quis unquam audivit? Vexatiſſimus quidem eſt ille locus & varie tentatus & explicatus, ut videre licet apud interpretes. Sed ego cenſeo nihil aliud ſignificare Tacitum quam M. Neronem pro Tribunitia poteſtate interceſſiſse, ne ex Sc. more majorum punirentur, ſed ut mors hæc, quam eligerent, ſine arbitrio aliorum, ſed ſuo, illis permitteretur, & indulgeretur: ne poſt mortis illud voluntariæ genus, alia quaſi morte, ſeu pœna afficerentur. Eſt conciſum genus loquendi. Aliter ſenſit Gronovius in *Obſerv.* lib. II. ſi verba reſpicias, ſed in ſententia loci nobiſcum facit, quem vide. Sed *arbitria funeris* apud Ciceronem in *orat. pro domo ſua* non ſunt impenſæ, prætium, ordinatio funeris, ſed merces, quæ promiſſa erat ſatellitibus Clodii, ſi Cicero in exilium eſſet ejectus, ut in *orat. in Piſonem*: *Atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio & temporis arbitria non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti*. Eſt enim arbitrium nonnunquam pecunia, merces, quæ ſolvitur ob jus aliquod aut reipublicæ aut privatis. Locus Auſonii de Sedato Rhetore,

*Cumque vagantem operam diviſæ impenderis Urbi*
*Arbitrium de te ſumit origo ſuum*,

nihil aliud notat, quam, cum operam navaſſes & Burdigalenſibus & Toloſanis, de mortuo tamen arbitrium ſibi ſumſit ſeu vindicavit origo, hoc eſt, patria tua, voluitque ut aut apud ſe condaris, aut ut inter ſuos profeſſores referaris, quamvis alibi ſis mortuus & ſepultus. Locum Horatii l. IV. *Carm.* Ode 7.

*Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos*
*Fecerit arbitria*,

olim recte dilucidarunt viri docti, Pompam funebrem Minos inferorum judex non curat, imo quicquid eſt pompæ & fuci jubet deponere, ut multis in locis lepide jocatur Lucianus in *dialogis mortuorum*. Lib. III. cap. X. hanc inſcriptionem affert ex Grutero:

SOLI. INVICTO. MITRE
M. VLP. MAXIMVS. PRAE
POSITVS. TABELLARI
ORVM. ARAM. CVM

JOANNIS GEORGII GRÆVII
SVIS. ORNAMENTIS
ET. BELA. DOMINI
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII.
VT. VOVERAT. D. D.

Vbi pro *bela* cum Sirmondo legendum exiſtimat Gutherius, *& tabellas*. At *bela* ſunt vela, quæ appendebantur templis. Græci poſteriores etiam vocarunt βέλα & βῆλα, & βελόθυρα. vide Cangii Gloſſarium Græco-barbarum in βέλα. Latinos vero ſæpiſſime B pro V poſuiſſe nemo ignorat, qui aut Gruterianum volumen inſcriptionum evolvit, aut antiquos manu exaratos libros verſavit. *Habentes* vero *habentia* ſcriptum eſt. qui errores in lapidibus poſteriorum temporum cum in generibus tum in caſibus non raro deprehenduntur. vide indicem in Grutero de rebus ad Grammaticam pertinentibus.

Quæ in capite XIV. hujus libri diſputat de diebus diffuſis, ſecutus Budæi ſententiam, pridem ſunt a viris doctis rejecta & damnata. Nam *diffundere diem* quid ſit Latini ignorant. Decepti ſunt corruptis editionibus Livii, Gellii, & Pandectarum, in emendatis libris ante Gutherii ætatem legitur recte *diffiſſis*. *Diffindere diem* eſt differre & in alium diem rejicere. Hinc *Diffiſſiones & comperendinationes* tanquam συνώνυμα jungit Gellius XIV, 2.

Quæ in libro III. cap. 20. notavit ex Ancyrano monumento de defunctis Africanis quam ſint & a veſtigiis pulcherrimi illius lapidis, & a vero aliena docuit V. Cl. J. Fr. Gronovius in notis ad illud monumentum ex ſchedis Danielis Coſſonii auctum & emendatum, quod vide. Lib. IV. cap. 2. ubi diſputat de locutione *movere ſacra*, quod nihil aliud eſt, quam ſollemni ſacro, aut ſtato, aut indicto tempore operari, hunc quoque Ammiani locum ex lib. XXI. c. XIII. adfert, tanquam is quoque ad ſacra, quæ moventur, pertineret: *Conſiliorum ambiguum retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem rege, dum moveri permitterent ſacra*. Sed abſurde. Hoc enim vult Marcellinus, dum *moveri* ſcilicet caſtra, ſeu ſigna permitterent ſacra, in quorum extis mala erant ſigna, quæ vetabant *moveri*, ſeu ut moveretur exercitus, pro quo inferius: *Regem cum omni manu, quam duxerat, ad propria revertiſſe, auſpiciis dirimentibus*, hoc eſt ſacris non permittentibus longius moveri. Liv. lib. XLI. cap. 15. meminit bovis ſeſcenaris: *Expoſuit Patribus Conſcriptis bovis ſeſcenaris, quem immolaviſſet, jecur defluxiſſe*. Guther. IV. hoc libro cap. 18. putat bovem ſeſcenarem dictum eſſe, quod ſacena, quod genus ſit cultri pontificii, fuerit mactatus, cujus meminerit Feſtus ex Cincio. Sed quis in animum inducere poſſit victimam nomen traxiſſe a cultro, quo jugulabatur, aut excoriabatur, aut a dolabra, qua cædebatur? Nugæ. Mihi videtur locus Livii eſſe contaminatus a librariis, & ſcribendum duabus litteris immutatis, *bovis ſexcenarii*, hoc eſt, ſexcentarum librarum, qui grandior erat, præcipue in Italia, hinc portentum tanto habebatur triſtius, quod tanti ponderis bovis jecur defluxiſſet. Pro *ſexcenarius* ſcripſerunt vitioſe librarii, *ſeſcenari*, ut ſæpiſſime X in inſcriptionibus & codicibus antiquis ponitur pro S. Sic in illis habetur apud Gruterum *confliſſiſſet* pro *conflixiſſet*, *ſeſtius*, pro *ſextius*, *cojus* pro *cojux*, hoc eſt, *conjux*. *Sexcenarius* autem dicitur, ut *tricenarius*, *ducenarius*. *Ducenarii judices*, qui tantum ducenta poſſidebant apud Sueton. Aug. cap. 32. *ducenarii procuratores* apud eundem in Claud.

24.

24. quorum ſtipendium erat ducenta ſeſtertia. *Trecenariæ vites* apud Varronem I. de Re Ruſt. cap. II. *quod jugerum trecenas amphoras reddat*, ut ipſe Varro declarat, æque ut apud Livium *ſexcenarius bos*, cujus pondus erat ſexcentarum librarum, & apud Plinium VII. 20. *quinquagenarius thorax*, quinquagenum pondo. Hæc libuit ſpeciminis loco hic notare, quamvis longe plures nævi pulchrum illud corpus dehoneſtent, quos aut expunxerunt jam alii, aut expungent.

Auguſtinus Niphus in procemio de Auguriis ſcribit, *Heſiodum in narratione obſidionis Nini aquilam augurii præſidem bibentem facere*. Mirabar qui Heſiodus potuerit obſidionis Nini meminiſſe, quæ longiſſime poſt Heſiodi ætatem acciderit. Etſi enim de ætate hujus poetæ æque ac de Homeri ambigitur, id tamen inter eruditiores conſtat, illos non eſſe primis regibus Hebræorum, Saule, Davide, aut Salomone inferiores. Quot autem ſeculis poſt demum obſeſſa eſt Ninus? Ne dicam Ninum, ut & res Aſſyriorum, Græcis ignotas fuiſſe ante Herodoti & Cteſiæ Cnidii tempora. Hauſit autem hæc Niphus ex Ariſtotelis lib. VIII. Hiſt. anim. cap. 18. idque ſecutus quoque eſt Geſnerus in libro II. de animalibus, in capite de aquila. Sed decepti ſunt vitioſis editionibus & codicibus Philoſophi. Sic enim ediderat Gaza. Sed poſt hanc labem eluerunt conjecturam potius ſecuti, quam membranas, recentiores ſummi Philoſophi editores, & repoſuerunt pro Heſiodo Herodotum. Licet vero hæc in Herodoti libris, qui ſuperſunt, non inveniantur, ut non pauca alia, quæ ex antiquiſſimo illo ſcriptore priſci auctores laudant, ut jam docti viri obſervarunt, credibile tamen eſt ex Herodoti Aſſyriorum hiſtoria, quam ſe teſtatur ipſe memoriæ prodidiſſe, hoc ex aquilæ potu augurium petitum eſſe ab Ariſtotele, quod & ὁ πάνυ Bochartus annotavit in Hierozoico. In eod. procemio Tiburnus, ſic enim ſcribendum, non fuit Amphiarai filius, ſed nepos, cujus pater fuit Catillus, ut auctor eſt Plinius, Servius, antiquus Horatii interpres, Solinus in Polyhiſtore, alii. Multa hujus generis alia in iſto libro eſſent obolis jugulanda, vide ſtatim in capite I. lib. I. futilem diſtinctionem augurii, auſpicii, extiſpicii, præſagii, oſtenti, portenti, prodigii, ſi nobis liceret in hoc Augiæ ſtabulum irrumpere.

J. Baptiſta Hanſenius de jurejurando Veterum cap. XXIII. ait: *Qui Cenſori aderant cenſum agenti adjuratores e re dicebantur*, *ex Plaut. Trinummo & Poenoli procemio*. Nulli apud Plautum in melioribus libris & editionibus inveniuntur *adjuratores*, ſed juratores. In Prologo Pœnoli hæc leguntur:

*Vos juratores eſtis, quæſo operam date.*

In Trinummo IV. 2.

*Cenſus cum juratori recte rationem dedi.*

In utroque loco autem juratores non eſſe juratos teſtes, ut plerique interpretes explicant, ſed ipſos cenſores, qui jurejurando adigebant cives in cenſu, pulchre docuit magnus Gronovius lib. IV. Obſerv. 3. quem vide. Addit Hanſenius; *Sed adjurare eſt exorciton*, *& exorciſtas Latine adjurantes verti obſervavit doctiſſimus P. Pithœus in ſubſec. cap.* VIII. *lib.* I. Verum hoc eſt apud Chriſtianos & ſacros ſcriptores. At apud veteres Latinos *adjurare* idem eſt ſimplici jurare. Plaut. Ciſtellaria II. 4. *Seque eam peperiſſe ſancte adjurabat mihi*. Terent. Andria IV. 2.

*Per omnes* tibi *adjuro Deos*, *nunquam me eam deſerturum*.

Quantumvis multa poſſent ex Plauto colligi exempla, ſi res exigeret. De ſacramento militari quæ diſputat cap. 22. & 23. longe clarius & di-

ſtinctius explicat Generoſiſſimus Scheelius in diſſertationibus de re militari Romanorum, in capite de ſacramento, quas ſubjecit notis ad Hyginum & Polybium de caſtrametatione, quod conſule, & ex eo non unum Hanſenii errorem corrige.

M. Zuerius Boxhornius in Quæſtionibus Romanis cap. I. ut oſtendat inter milites provinciales fuiſſe ſacerdotes, hunc lapidem Budæ repertum affert:

DIIS
CONSERVATORIBVS
GEMINIVS. CAPEL
LIANVS
LEG. AVG. PR. PR. SOD
TITVS

At in hoc marmore nullum ego militem, qui ſacerdos provincialis fuerit, invenio. Iſte Geminius Capellianus, fuit Gordiani Aug. Senioris legatus, poſtea ab eo dimiſſus, Dux Maximini, de quo plura legas apud Capitolinum in Gordiano Seniore. Is ut fuit Auguſti legatus, ſic & fuit Romæ, non in provincia ſodalis Titius. In eodem capite laudat inſcriptionem ex Grutero:

MINERVAE
MEMORI
COELIA. IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P.

Quam immerito pro ſuppoſititia habet, cum Petrus Victorius in caſtigationibus poſterioribus ad Ciceronis epiſtolas ad Fam. lib. XII. ep. 25. illam teſtetur in agro Placentino inventam fuiſſe infra Cabardiacum non longe a Trebia, ubi plures lapides inveniantur Minervæ Memori dedicati, quæ culta fuerit a Gallis Ciſalpinis, Memorque appellata, quod vota preceſque mortalium audire ſolita ſit, nec oblviviſci. Male quoque Boxhornius inde conficit, Cœliam fortaſſe mente captam fuiſſe, & rationis infirmitate laboraſſe, quæ poſtea reſtituta velut ſapientiæ & rationis præſidi Deæ lapidem hunc poſuerit. Nihil horum deprehendas in hoc marmore. Nam infirmitas illa gravis potuit eſſe morbus corporis, non animi. Minervæ autem tribuiſſe veteres etiam poteſtatem morbis remedendi, infirmoſque reſtituendi conſtat ex aliis quoque lapidibus, in quibus Minerva Medicea dicitur. Extat unus in eodem loco, nimirum Placentiæ infra Cabardiacum erutus apud Gruterum p. MLXVII. 3.

MINERVAE. MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA. SAMMOSIA
VERCELLESIS. V. S. L. M.

Et qui ſtatim ibidem ſequitur n. 4.

MINERVAE
MEMORI. TVLLI
A. SVPERIANA. RES
TITVTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORVM

Herculem autem Saxanum, cujus ibi meminit Boxhornius, ex inſcriptione Tiburtina apud Gruterum, rectius Reineſius putat appellatum, quod ejus ſignum ex lapide Tiburtino factum fuerit, quemadmodum Venus in vetuſtis monumentis dicatur Gabinia, & Albana, quod ex lapide, qui ibi excidatur in latomiis, de quibus videndus Vitruvius lib. 2. cap. 7. & Plin. 36. 22. & Strabo lib. 5. fuerit formata. Verum Herculem Saxanum eundem eſſe, qui in alio lapide Mediolanenſi apud Grut. p. XLIX. 2. vocetur *Hercules in Petra* non eſt veroſimile. Eſt ſane alius Mediolanenſis lapis apud me ineditus, in quo legitur HERCVLI IN PETRAE. Unde conſtat ſic nominari Herculem ab æde agri Mediolanenſis ei ſacrata, quamvis ignoremus an locus quidem ibi olim fuerit, cui Petræ nomen, & in quo fuerit ejuſdem nominis templum, an vero aliam ob cauſſam illi templo hoc nomen fuerit impoſitum. Cum ibidem Boxhornius conjicit in lapide forte legendum HERCVLI MAGNO. SANCTO dudum exploſit Triſtanus, cum nummi etiam reperiantur, in quibus clare legatur HERCVLI MAGVSANO. In alia inſcriptione, quam primus edidit & illuſtravit Vir dignitate & eruditione præcellens Gisbertus Cuperus legitur: *Hercules Macuſanus*. Vide Cuperum ad iſtum lapidem, qui adjectus eſt cum aliis antiquis monumentis, apotheoſi Homeri.

Non nego tamen *Hercules in petra* eundem eſſe poſſe *Herculi Saxano*, dicique *Hercules in petra*, ut *tempus in novacula* apud Phædrum lib. v. pro novaculam manu gerens, *milites in haſtis* apud Ennium pro milites haſtati, & hujus generis locutiones aliæ, quæ apud optimos ſcriptores priſcos leguntur, ut *Hercules in petra* ſit Hercules Saxeus, ex petra excíſus, ut in inſcriptione Malaccenſi, quam Boxhornius paullo poſt produxit, *Mars argenteus: Q. Sertorius ---- Herculi Deo invicto ſignum aereum ex voto poſuit prope Martem argenteum in magna ara*. Hoc certum eſt Herculem fuiſſe Tiburis Deum tutelarem, & præcipue ibi cultum, templumque habuiſſe famoſiſſimum. unde Martiali dicitur lib. I. epig. 13. *Herculeum Tibur.*

*Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces.*

Apud Stat. IV. Sylv. I. de Hercule Surrentino, ipſe Hercules ait:

*Nec mihi plus Nemee, priſcumque habitabitur Argos,*
*Nec Tiburna domus, ſoliſque cubilia Gades.*

In his quatuor locis templa erant Herculi poſita nobiliſſima, in quibus religioſe colebatur. Vetus epigramma inter Priap.

*Tutela Rhodus eſt beata ſolis,*
*Gades Herculis, tumidumque Tibur.*

Itaque idem eſt Hercules in petra, qui eſt Hercules Saxanus, aut Tiburtinus, cujus ſit mentio in priſcis lapidibus. Vid. ap. Grut. Inſcript. 6. p. XLIX. Nec aliam ob cauſſam dictus eſt Hercules Saxanus, & Hercules in Petra, quam quod templum Tiburtini Herculis fuit alte poſitum in edito ſaxo, ſive petra, quam Juvenalis *ſummam Tiburis arcem* Sat. 4. vocat, hoc eſt, culmen montis Tiburtini,

*Ædificator erat Centronius, & modo curvo*
*Litore Cajetæ, ſumma nunc Tiburis arce*
*Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat*
*Culmina villarum Græcis longeque petitis*
*Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem.*

Ædificavit, inquit, villam in Tiburtino ſummo monte, quæ & ſplendo-

re & altitudine ſuperat Fortunæ & Herculis templum, hinc & colles Tiburtini dicti ſunt Herculei, quod Herculi ſint ſacri, & in uno illorum fuerit Hercules in petra, & propterea ipſum Tibur *altum* vocatur a Martiali VII. ep. 12.

*Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alti*
*Aura valet?*

In hujus Herculis templi porticibus ſæpe jus dixit Auguſtus, vid. Suet. Aug. c. 72. Boxhornius cap. 2. de Hercule Tricoſo agit, putatque eum ſic dici, quod poſtquam ex terris exceſſerit factus ſit placidus, quia in vetere gloſſario legatur, *tricoſus* ἀρχαῖος, ἔκλυτος, λαγγάνδης, (male in editione hac editur λαγγώδυς;) Sed Steph. Pighius videtur propius a vero abeſſe, qui putat a Græcorum poetarum variis tricis in fabulis de eo ſcriptis, appellari tricoſum. Verum hoc ſit in medio. In Quæſtione III. iratis Muſis, ex lapide Hiſpanico conficit *iratos Deos*. Quomodo iſtud marmor ſit legendum & intelligendum docuit Vir ſummus, Thomas Reineſius in epiſtola 27. ad Rupertum.

In Quæſtione V. ubi in Mediolanenſi inſcriptione IDEA JOVIS vult legi *Dea Jovis*, quæ ſit Juno, aliud agebat Boxhornius. Tandem quidem fatetur nihil immutandum eſſe in lapide, quia Idea ſit Mater Deum & ideo Jovis. *Idea* male ſcriptum eſt pro *Idaea*, ut & in nonnullis aliis titulis. Quis vero neſcit, quæ dicitur aliter Ops, a Phrygibus dici Cybelen, & Deam Idææm? vide Varronem apud Auguſtinum de civitate Dei VII. 14. Opem autem ajunt Mythologi, fuiſſe Saturni uxorem, & hinc matrem Magnam Deum dici, fuiſſeque ideo matrem Jovis, ut Saturnus fuit ejus pater. Hæc pluribus hac ætate velle docere, perinde ſe haberet, ac lucem velle meridie accendere, tam frequenter dicitur *Mater Idæa*, ac *Mater Deum*. Reſtituenda eſt hæc vox Symmacho in epiſtola 34. lib. II. *Adornare te reditum, quod ſacra Deæ matris appeterent arbitrabar. Tu indevotus iter promoves, noſque & patriam poſt tergum relinquis*. A nemine Cybele dicitur *Dea mater*, ſed *Mater Deum*, quod nonnulli recentiores editores pro *Dea Mater* ſuppoſuerunt, ſed invitis omnibus codicibus. Scripſit haud dubie Symmachus, *quod ſacra Idææ Matris appeterent*. hoc imperiti librarii cum non intelligerent interpolarunt ſubſtituendo pro *Idæa mater Dea mater*. Sed in iiſdem verbis, quæ ſuperius poſui, aliud præterea mendum hæret, quod hic quaſi prætereundo eluam. *Tu indevotus iter promoves* eſt correctorum inſcitorum, non Symmachi manus. Fuldenſis & Beſſarionis liber: *Tu inda unius iter*. Unde conjicit Scioppius forte legendum eſſe: *tu in diei unius iter promoves*. Sed ex veſtigiis membranarum clare patet legendum eſſe: *tu in Daunios iter promoves*. Cum Romam venire deberes ad ſacra Idææ Matris, tu longius progrederis ad Daunios. In Quæſtione VII. ænigma, quod inſcribitur Ælia Lælia Criſpis valde frigide explicat & jejune. Si eſt antiquus iſte luſus ingenii, de quo nonnulli viri docti non ſine cauſſa dubitant, longe felicius hoc ænigma Gaſpar Gevartius, qui mihi, cum adoleſcens eſſem, favebat ſingulariter, expoſuit in Electis, qui per eam Cupidinem intelligi docte oſtendit. In quæſtione XI. quæ de perpetuis ardentibus lucernis tradit, dudum redarguit, & certiſſimis argumentis refutavit Vir diſertiſſimus Octavius Ferrarius in erudita de iis lucernis, quæ in ſepulchris ardentes repertæ dicuntur, diſſertatione, quam lector conſules. In quæſtione XII. ex corrupto titulo mire Deam elicit, quæ IS dicta ſit, omnibus gentibus & ſeculis ignotam, cum legendum ſit ut in alia iiſdem diis dicata patet, I. H. D. D. hoc eſt, in honorem divinæ domus. In ſecundo verſu *D* omiſſus eſt DIS. DEA. Id eſt,

*Diis Deabus*, ut optime vidit ſagaciſſimus Reineſius in epiſtola 27. ad Rupertum, ubi ſuam emendationem firmat hoc titulo ex Grutero:

IN HON. D. D.
BIVIIS. TRIVIIS. QV
ADRIVIIS. SAL.

Nimirum hi ſunt illi, ut puto, lares viales, quorum mentio in illo epigrammate, quod in Qu. VI. attulit Boxhornius,& in Plauti Mercatore in epigrammate in Catalectis veterum poetarum Scaligeri vocantur *Dii ſemitales*, Græcis *θεοί ἐνόδιοι*, viarum præſides. Quæſt. 14. mire hallucinatur, cum diſtichorum moralium, quæ Catonis nomen præ ſe ferunt, auctorem contendit eſſe Joannem Clothomium. Hoc profectum eſt ex clauſtris monachorum, qui cum admirarentur pulcherrimas has ſententias volebant eas a Chriſtiano ſcriptas eſſe, æque uti Tullium & Senecam Chriſti ſectatoribus accenſebant, hinc & quidam Criſothomum iſtorum diſtichorum parentem eſſe ſtatuerunt, quo Chryſoſtomum innuebant, unde poſtea librariorum culpa natum eſt Clothomius, quod pluribus oſtendit Vir doctiſſimus Chriſtianus Daumius, mihi a teneris annis, quam diu in vivis fuit, amiciſſimus in teſtimoniis, quæ præfixit editioni ſuæ Catonis. Sententiam de loco Senecæ, *aut Regem aut fatuum naſci oportere*, quam proponit Quæſt. xv. nolo exagitare; quaſi ingenia regum mediocria magis nocerent reip. quam illorum qui fatui plane ſint, quod falſum eſſe magna mercede didicit Roma ſub imperio fatui Claudii. Nihil illa vanius & inanius. Nihil ſimplicius hoc adagio; quod integrum eſt, *Regem aut fatuum naſci oportere, cui omnia licent*. Quod alius paucioribus dixit, *Regi & fatuo omnia licent*. In Quæſtione XXVI. mirum qui in mentem ei venerit *ſenis crinibus ornari* eſſe hominis ſenis capillo ornari, boni ominis cauſſa. Recte hunc locum expoſuit Scaliger, quam expoſitionem pluribus adſtruit Lipſius ad III. annalem Taciti. quamvis ab his diſsentiat Iſaacus Voſſius ad Pomp. Melæ lib. 1. cap. 10. qui apud Feſtum ingenioſe legendum cenſet, *ſine crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetuſtiſſimus fuit. Quidam quod ita virgines Veſtales ornentur*, partim, quia Virgines Veſtales tonderi ſolitæ, & illarum crinis ad lotum capillatam ſit delata, & quia virgines pridie quam nuberent capillos ſuos conſecrarint. vide doctiſſimas ejus notas. Quæſt. 38. agit de Annibale Alpes aceto perrumpente. quam fabulam eſse, ideoque nullam illius mentionem facit Polybius, jam inter doctos conſtat. Poterat itaque compendifacere, quæ de aceto ibi diſserit prorſus *ἀπροσδιόνυσα*. Quæſtione 39. inquirit in cauſsas, cur Jani templum ſit pace clauſum, belli vero tempore pateat, ex Servio. Tu conſule Ovidium 1. Faſtorum. In notis ad Plutarchi Quæſt. Roman. ad c. 37. obſervat diis propriis indita cognomina ab iis, qui eos ſibi peculiari modo favere perſuadebant. Id probat ex inſcriptione hac:

MARTI. AVG.
CONSERVATORI
CORPORIS. SVI
MERCVRIALIS. AVG.
N. V. EX. IVSSV
NVMINIS. IPSIVS
SIGILLVM. MARMOREVM
POSVIT.

Nam Mars Auguſti, inquit, a Mercuriali Auguſto, Viro Nobiliſſimo, hic nominatur. In his nihil ſani. Monumentum hoc a Mercuriali, qui fuit Auguſti noſtri verna, ſic enim interpretanda ſunt hæc verba *AVG. N. V.* dedica-

tum eſt Marti Auguſto, ſic enim ſæpe vocatur in inſcriptionibus, vide pag. LVII. tertiam, quintam, ſextam, ſeptimam, octavam, & plures alias. Mercurialis fuit nomen hujus vernæ, quod etiam occurrit in marmore 5. p. CIↃ XLII:

T. FLAVIVS. VITALIS
FEC. SIBI
ET POSTERIS. EIVS
LIB. LIBERTABVSQVE
QVORVM. NOMINA. I. S. S.
POSTERISQVE. EORVM
MERCVRIALI
HILARI
CINNAMO
SATVRNINO
CRESCENTI

Et in inſcriptione inedita ex iis, quas collegit Vir excellens ingenio, doctrina, & dignitate, mihique, cum ſupereſſet, per omnem ætatem conjunctiſſimus, Marquardus Gudius.

D. M
C. STIMINIVS
HERACLA
SORTILEGVS
AB. VENERE
ERVCINA. ET
IVLIA
PARENTES
MERCVRIALI
F. PIENTISS
FECERVNT
VIX. ANN. XII.
M. II. D. II.

Sic etiam in inſcriptionibus a Deorum nominibus leguntur multa formata hominum nomina, ut Veſtalis, Cerealis, Neptunalis, Fortunalis, quæ collegit Thomas Reineſius in epiſtola LXIX. ad Rupertum, & inter quæ & hujus Mercurialis nomen merito retulit, & recte hunc lapidem expoſuit. Mars iſte Auguſtus vocatur a Mercuriale Conſervator ſui corporis, quia illi adſcribebat ſalutem corporis ſui, magno periculo liberatus; ſive per corpus intelligere malis collegium vernarum Auguſti, ut *corpus cuſtodiariorum* in inſcriptione prima pag. XLVIII. Addit Boxhornius, *ſic Junones Juliæ & Sextiliæ in marmore Romano vocantur*. Sed ἀκρισίαν Zuerii reprehendit olim idem Reineſius laudata in epiſtola. Lapis, quem innuit Boxhornius, eſt apud Grut. XXV. 11:

IVNONIBVS. IVLIAE
ET. SEXTILIAE

Non Junones hic ſunt Sextilia & Julia, ſed earum Junonibus hic lapis eſt conſecratus, hoc eſt illarum Geniis. Mulieribus enim Junones tribui, ut viris Genios, quis paullo humanior nunc ignorat? Sulpitia ad Junonem apud Tibullum IV. & 6.

*Natalis Juno ſanctos cape thuris acervos,*
*Quos tibi dat tenera docta puella manu.*

Plura facile poſſent notari, ſed hæc in tyronum gratiam ſufficiant, ne celebrium virorum auctoritate decipiantur. Vale Lector.

*Scriptores, qui in Quinto Tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.*

J A-

JACOBI GUTHERII

# DE VETERI JURE PONTIFICIO URBIS ROMÆ

LIBRI QUATUOR.




# JACOBI GUTHERII
## DE VETERI
# JURE PONTIFICIO
## URBIS ROMÆ
### LIBRI QUATUOR.




ROMÆ. ÆTERNÆ
VRBIVM. PRINCIPI. CAPITI. ORBIS
VIRTVTVM. DOMINÆ
JVRIS. ET. ÆQVITATIS. VINDICI
VETVSTATIS. MIRACVLO. VENERANDÆ
VICTRICI. POTENTI. AVGVSTÆ
PIÆ. FELICI. ÆTERNVM. RENASCENTI
ÆTERNVM. RESVRGENTI
AD. ANTON. SEGVERJ. IMMORTALE. DECVS
SPARSAS. VNDIQ. ANTIQVITATVM. SVARVM. RELIQVIAS
EX. VETVSTIS AVCTORIBVS. NVMMIS. LAPIDIBVS
JAC. GVTHERIVS. LEGEBAT. COLEBAT. ADORNABAT

# JACOBI GUTHERII DE VETERI JURE PONTIFICIO URBIS ROMÆ

## LIBER PRIMUS

### Qui de personis.

#### CAP. I.

*Ad amplissimum virum Antonium Seguerium, sacri consistorii Comitem, in suprema Parisiorum curia Præsidem, Regis Christianissimi Errici Magni, ad Remp. Venetam exlegatum.*



URBS illa, diis authoribus in æternum condita (Antoni Præses amplissime) perpetuo me ad magnam sui admirationem traduxit. Quam cum literis mandare, nomenque tuum illius laudibus adtexere cogitarem: infelicitas literarum & temporum diu me a scribendo deterruit, atque avocavit. Ea est enim hujus sæculi labes, & macula, ut non solum virtuti invidere, verum illam maledictis proscindere, temperantiæ, prudentiæque, speciem esse videatur. Nec recti porro ad ingenium bonum putantur ii, qui aliis injuste dicere compescunt. Vere monebat Petrus Pithœus olim: *Scribe, præsto injuria est*. Abhinc enim septennium, nundinis omnibus, referti libelli catalogi proponuntur, quorum paginæ completæ scurrilibus convitiis utramque invidiæ & imprudentiæ paginam faciunt. Quod improbum pene ac furiosum factum, paventium literarum nobis distractionem, dissidium, vastitiem, exitiumque prænuntiat. Nam immanis illa, & barbara scribendi ratio, summa nunc est eloquentia, sapientia summa, summa, quæ maxime læditur, commendatio pietatis. Quasi vero pii, sine scelere, scriptores illi esse non possint: aut possint turpi & nova facundia, ne dicam ignavia, doctrinam, eruditionemque omnem evertere atque delere. Nempe hæc odia, huc redeunt denique, ut literæ omnes, ludibrio tandem habeantur. Aliorum quorumdam iniquitas, non tam pertimescenda fuit mihi, quam fugienda: qui me ad forum revocabunt, & hoc genus scribendi negabunt esse hominis in illo occupati. Pauci Hercle vero in foro, & in literis ita versantur, ut in utrisque toti esse videantur. Quare plerisque omnibus fraudi fuit, qui se suaque omnia fortunæ commiserant, libros suos editionis honore vulgasse. Ita vivitur, ut qui literas meliores leviter attigerunt, omnibus qui attentiores sunt ad rem, quam sat est, sapere magis, & magis consulti, forensis ipsius disciplinæ existimentur. Olim enim nostro studio honor fuit apud sæculum prius: novum nunc jam est Aucupium. At vero ego qui virtutem summum pretium semper putavi, quæstus mihi illa uberrimus fuit, qua sola fretus, caduca posthabui cætera, quæ A quam minimi debent æstimari. Hoc egi tamen ut a foro ad literas, a literis ad forum redierim sine rei familiaris jactura. Quis ergo me jure reprehendet, si quantum alii attribunt pilæ, deambulationi, amicorum colloquiis, tantum egomet mihi ad literas recolendas sumpserim, & veteres illas, quasi toto orbe fugientes sequar? Fallunt pol illi, qui obstare Musis, turbam negotiorum videri volunt. Otii honestissima oblectatio, habet sua tempora, quæ interiora studia nobis scrutari permittunt. Cum ergo inter forensium rerum lucubrationes, nobis licuerit aliquando esse otiosis: offero tibi B (Præses integerrime) *de veteri jure Pontificio*, quos scripsi libros: qui ex urbis æternæ parietinis, numismatum signis, ædificiorum cadaveribus & templorum, legum, & librorum juris scientiam, veteremque Romanorum religionem continent. Tu qui ad literas & virtutem natus, susceptus, institutus es, & de illis, tuo quodam jure judicandi Pontificium tenes: quid in tanto opere præstiterim, æquissimo, ut soles, animo judicabis. Accipe itaque hoc grati animi monumentum, quod lubens meritoque dedico tibi, virtutis omnis & eruditionis, optimo parenti, quem unum rerum natura videtur edidisse, ut ostenderet quid summa virtus, C in summa fortuna possit. Illam quæ fortunæ invidiam superavit, usquedum ego vitam colam, posteritati tradam; cui labores meos admiratione tui commendatos volo, quam æternitate quadam immutabilem magna imperia possunt æmulari.

#### CAP. II.

*Pontificium jus juri civili conjunctum. Bonum Pontificem Jurisconsultum esse oportere. Operis divisio.*

D SED ut iis qui nihil aliud quam subsellia forumque desiderant, imprimis aliqua ex parte satisfaciam, a jure civili nostro auspicabor: quod publicum in sacris, sacerdotibus & magistratibus consistit [1]. Hinc summa rerum divisio, in duos articulos recte diducitur. Nam aliæ divini juris sunt, aliæ humani [2]. Divini quidem juris res sacræ, religiosæ, & sanctæ, quæ ritus, ceremonias, sacrificiaque complectuntur, & ea quæ ad summam erga Deos religionem pertinebant. Horum scientia, prudentia juris appellata est, id est divinarum humanarumque rerum notitia, Pontificibus solis cognita primum atque perspecta [3]. T. E Corruncanius Pontifex maximus, ex omnibus qui civilem scientiam nacti sunt, primus illam publice professus est. Hunc sequutus est P. Licinius Crassus, quem M. Tullius ipsi Corruncanio anteponit [4], cum tamen quartus ab illo Pontifex maximus

1 l. 1. §. hujusmodi. D. de Just. & jur. 2 l. 1. D. de rer. divis. 3 l. 2 §. & quidem D. de orig. jur. 4 lib. 3. de orator.

fuerit: in quo video Tullium non Pontificum ordinem, sed Crassi Licinii, quem maximi faciebat, introducebatque loquentem, dignitatem sequutum. Post hos P. Scævola, & P. Scipio Nasica, cæterique Pontifices, de jure responderunt: ex quibus Q. Mucius P. filius, idem Pontifex max. jus civile primum constituit, cujus auditores maximæ authoritatis Gallus Aquilius, & Sextus Papirius, aliique a Pomponio diligentius enumerati. Antistius Labeo & Capito Attejus principem in civitate locum, studiis civilibus assequuti, juris Pontificii peritissimi fuerunt [2]. Omitto cæteros, venioque ad Coccejum Nervam, qui Labeoni successit. Hic continuus Tiberii Principis divini humanique juris sciens, honestum vitæ finem quæsivit [3], quem mortales caducique tituli plerumque præpediunt. Pontificium ergo jus civili semper conjunctum, cui diligentiorem Pontifices operam navarunt, quod Pontifex nemo bonus esset, nisi qui jus civile cognosceret, ut P. Scævolæ filius, se ex patre audiisse referebat. Atque in veterum monumentis vix invenies Jurisconsultum bonum, qui idem Pontifex non fuerit. Cato vel virtute sua major Pontifices a Jurisconsultis vix dividebat. *Quid Jurisconsulti*, inquit [4], *quid Pontifices? quam multa meminerunt*. Laudantur ab eo Corruncanius, & Crassus, a quibus jura præscribebantur, & quorum ad extremum usque spiritum provecta prudentia est. Tanta enim eorum omnium scientia fuit, ut ad illos de omnibus divinis atque humanis referretur, essentque religionis, legum veterum, linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ Principes [5]. Numa Rex Pontificii juris author præcipuus, doctissimus fuit Crassi judicio, ut epularum sollemnium fides ac Tibiæ Saliorumque versus indicarunt [6]. Possumus & T. Corruncanium suspicari disertum, quod ex Pontificum commentariis, longe plurimum ingenio valuisse videatur. Ex illorum omnium fontibus, & eloquentiæ & Juris civilis principia hausimus: atque hoc Pontificio annexum, & in illius confinio positum, in utroque agro facile serpit. Quapropter ut nemo bonus Pontifex, qui jus civile non novit: sic neminem bonum Jurisconsultum dixerim, qui Pontifex idem cooptari non possit. Neque tamen necesse putarim Pontificem ita juri civili addictum, ut ab omnibus de illo, sicut olim, consuli possit. Ut ne Jurisconsultum quidem, ita Pontificum jura callere, ut de sacris & ceremoniis respondeat. In utroque plerumque perniciose erratur, quod non accideret, si uterque quod religioni & juri conjunctum est, ita prospiceret, ne fines antiqui exarentur aut dejiciantur. Nihil enim Pontifici de jure parietum [7], aut aquarum, aut luminum. Ut nihil Jurisconsulto de sacrificiis, diis superis aut inferis, variisque generibus hostiarum. Quæ tamen omnia cum ad antiquitatis cognitionem conferant plurimum, attingam ea breviter: nec dissimulabo me nescire absconditum jus illud, de quo veteres, Pontifices solos & consuli & scire voluerunt. Libros enim temporum eripuit injuria, quos literis ignorabilibus prænotatos [8] pauci intelligebant, ut ipsa etiam verba ab ultimis temporibus & obliteratis repetita [9]. Quare illa interiora & silentio involuta præteribo, *quid dici, quid præcipere, quid tangi, quid teneri fas fuerit* [10]. Sed si quid effluxerit e Pontificum disciplina, quod ad nos ex librorum veterum fragmentis, vel surrepto Cn. Flavii permanarit: si quid ex antiquis lapidibus aut numismatibus: sumam illud de medio, atque opus aggrediar a paucis tentatum, ab aliis neglectum, expectatum a multis, quod meo studio atque opera qua potero parte restituam, atque absolvam. Itaque Varronis doctissimi Romanorum ordinem sequar, quem ille sibi præscripserat, in suis antiquitatum libris [11]. Primum agam de personis, postea de locis, tertio de temporibus, quarto de Sacris, postremo de Manium jure.

Tom. V.

---

## CAP. III.

*Religionis divisio. Summa quatuor Sacerdotum Collegia Romæ. Ex bis tria amplissima. Obiter de Aruspicibus. Qui de Pontificio jure scripserunt. Sacrorum Libri.*

ROMANORUM veterum Religio omnis, in Sacra & Auspicia dispertita est [12]. Sacris Pontifices, auspiciis Augures præsunt. Tertium adjunctum est, si quid prædictionis causa, ex portentis & monstris, Sibyllæ interpretes, Aruspicesque monuerunt. Hinc summa quatuor Collegia Sacerdotum, atque ex iis tria tantum amplissima, quæ miror ego Levinum Torrentium literarum veterum non indiligentem, non intellexisse [13]. Erant vero Pontificum, Augurum, decem vel quindecimvirorum sacris faciundis, qui Sibyllini vocabantur, & Aruspicum. Vir doctissimus & mihi amicissimus, qui vix habet alium quam me, eruditionis suæ studiosiorem, aliter putat. Quatuor enim summa collegia constituit, quibus annumerat Septemviros Epulonum, Dionis fretus authoritate [14]. *Ludos*, inquit, *propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exbibuit Augustus*. Καὶ αὕτη (Πανήγυρις) μὲν διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν μέχρις οὗ ἐγίνετο, τῶν τεσσάρων ἱερωσύναις, ἐκ περιτροπῆς μέλουσα, λέγω δὲ τούς τε Ποντίφικας, καὶ τοὺς οἰωνιστάς, τούς τε ἑπτά, καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. *Deinceps ad nostram usque ætatem, ludi quarto quoque anno facti sunt, eorumque curatio quatuor Sacerdotum Collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus scilicet, Auguribus, septemviris, & quindecimviris*. Ex quibus Dionis verbis, quatuor quidem Collegia videre est, sed non summa. Nec enim summam Septemviri Epulones authoritatem in sacris habuerunt, quorum cura hæc una fuit præcipua, ut ludi diligenter fierent, & si quid prætermissum esset vel commissum, ad Pontifices adferrent, quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrarentur [15]. Summum itaque illud Collegium esse non potuit, quod pendebat ab alio, illique quasi ancillabatur. Quales fuere septemviri, quos Pontifices propter sacrificiorum multitudinem esse voluerunt, ut Ludorum Epulare sacrificium facerent, vere Pontificum ministri [16]. Quapropter in quatuor summis Collegiis, Aruspices postremo agnoscimus, non Epulones. Nam veteres Romani statas sollemnesque ceremonias Pontificatu [17]: rerum bene gerendarum authoritates, Augurio: Prædictiones Apollinis, vatum libris: Portentorum explanationes, Etruscorum disciplina contineri voluerunt. Fuit ergo summum Aruspicum Collegium, quorum responsis, magnis in rebus sæpe Senatus paruit [18]. Nec tamen illud amplissimum dixerim, quod adeo neglectum, ut ferendum non putarent eum qui Aruspicinam fecisset, in Senatum legi [19]. Vetus illud Catonis scitum erat, qui mirari se ajebat,



---

1 D. l. 2. 2 Macrob. lib. 6. cap. 17. 3 Tacit. lib. 6. Annal. 4 Cicer. lib. de senectut. 5 Cic. lib. 3. de orator. 6 Cic. lib. de claris orator. 7 Cic. 2. de leg 6. 8 Apulejus lib 1. metamorph. 9 Quintilian. lib. 1. cap. 47. 10 Cic. pro dom. su. 11 August. lib. 6. de civit. cap. 3. 12 Cic. 3. de natur. deor. 13 In Sueton. Augusto. cap. 100. 14 Dio lib. 83. 15 Cic. de Aruspic. resp. 16 Cic. 3 de orator. 17 Cicer. de Arusp. resp. Val. Max. lib. 1. cap. 1. Lactant. lib. 2. Inst. cap. 4. 18 Tacit. lib. 2. Annal. & 4. histor. 19 Cic. lib. 1. de divinat. & lib. 6. epist. 18.

quod non rideret Aruſpex Aruſpicem ſi vidiſſet [1]. Illi magiſtratuum miniſtri, inter ſcribas, medicos, accenſos numerantur [2]. Choragus Plauti, in Velabro piſtorem vel lanium vel Aruſpicem conveniebat [3]. Qui ut privatis, ita etiam Pontifici hoſtiam immolanti præſto erat. Vetus lapis: A

* ADIVTOR. ARVSPICVM. PONTIFICIS ALBANI

De privato locus Plauti [4]:

*—— vetui exta proſicarier.*
*Neque ea adſpicere volui, quoniam illa non bona Aruſpex dixit —*

Sic pro æde Apollinis ſacrificanti Galbæ Umbricius Aruſpex triſtia exta prædixit [5]. Quin & mortuis ipſis ille apparebat, ut inquinatiſſimus funeris arbiter [6], ideoque contemptus, ſpretus & ludibrio habitus fuit. Quamquam Aruſpices a Romulo primum inſtituti, dignitatem & amplitudinem ſervarint. Hic enim ex unaquaque tribu illos ſelegit ἱεροκόπυς vel θυοσκόπυς [7]. Et cum tres tantum eſſent tribus, vehementer errant, qui Octumviros Aruſpices, a Romulo creatos prodiderunt. Illi longo quaſi poſtliminio dignitati reſtituti, Claudii Imperatoris temporibus [8], qui ad Senatum retulit, ſuper collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima diſciplina Italiæ, per deſidiam exoleſceret, quam Primores Etruriæ ſponte, aut patrum Romanorum impulſu retinuiſſent, & in familias propagaſſent. Itaque Aruſpicum collegium eo crevit, ut in ordinem tranſiret. Inſcriptio vetus eſt Romæ effoſſa, anno M. IↃCV. quam mihi Jac. Sirmondus communicavit:

L. FONTEIVS. FLAVIANVS
HARVSPEX. AVGG. CC
PONTIFEX. DICTATOR
ALBAN. MAG. PVBLICVS
HARVSPICVM. ORDINI
HARVSPICVM. LX. D. D


In hac inſcriptione notandus eſt *magiſter publicus Aruſpicum*. Alia eſt Beneventi:

[a] L. CASSENI. SOSPITIANI
EX. ORDINE. HARVSPIC. LX

Differunt aliquatenus *Ordines* a *Collegiis*, *Corporibus*, & *Sodalitiis*. *Ordo* enim dignitatem vel artem plurium deſignat, ut *Equeſter ordo*, *Senatorius* qui ampliſſimus; *ordo publicanorum* & *mancipiorum* [9]. *Collegium* tres faciunt [10]: *Sacerdotium* eſt συναρχία, *Sodalitas* ἑταιρία. In quo lapſus eſt vir doctiſſimus cujus ingenium illuſtre altioribus juris omniumque literarum ſtudiis, mihi facilius eſt in aliis mirari, quam laudare [11]. Error ex Martiani male diſpuncta lectione, ex qua *Collegia ſodalitia* excogitavit. Legendum apud Martianum [12]: *Præſidibus præceptum ne patiantur eſſe collegia*, atque hic adhibenda diſtinctio eſt, *Collegia*, *Sodalitia*, *neve milites collegia in caſtris habeant*. Scio *ſodales* dici qui ejuſdem ſunt collegii, ſed improprie. Nam ἑταιρία *ſodalitium* eſt. Et male interpres Dionis [13], ἑνὶ τῷ ἑταιρικῷ vertit *uni ex collegio*, cum debuerit, *uni ex ſodalibus*. *Sodales* enim ſunt conſortes ejuſdem officii vel ſocietatis, dicti, quod una ſederent [14]. Ut ut ſit, *Collegia ſodalitia* vix Latine ullus dixerit, ſed *Collegia ſodalium*. Sed ne perturbatione ordinum & collegiorum aliquid peccetur; aliud plerumque pro alio accipitur, ut *collegium Senatorum*, imo *collegium ordinum* [15]. Tres tamen ordinem facere, ut collegium, nemo adfirmarit. Ad Aruſpices redeo, de quibus hoc ſolum: quod illi ad publica prodigia duntaxat adhibebantur, cum ex Etruria a patribus acciebantur [16]. At Pontificum, Augurum, quindecimvirorum arbitrio, omnis omnino religio continebatur. Quorum quidem omnium ampliſſimum ſacerdotium fuit [17], ut ſummum. Sed Pontifices Augureſque majorem in ſacris poteſtatem habuerunt, quorum dignitas & auctoritas antiquis numiſmatibus maxime deſignatur. Nam ut quiſque Augur erat vel Pontifex, ſacerdotii inſignibus illius imago in numiſmate notabatur. Quod etiam non obmiſerunt Triumviri R. C. qui cum divina jura humanaque funditus everterent, hæc religionis inſignia ut dignitatis præcipuæ retinuerunt. Nummi Auguſti & M. Antonii:



Sunt & in nummis veteribus Quindecimvirorum ſacerdotia denotata; nuſquam Aruſpicum:




Atque hæc de quatuor ſummis & ampliſſimis tribus collegiis dicta ſint, quæ ad religionis diviſionem pertinere videbantur. In hoc autem ſummorum ſacerdotum ordine Pontifices primum locum tenuerunt, apud quos primum omnia jura divina humanaque, omneſque actiones erant, & penes illos harum interpretandi ſcientia [18]. Nam ante XII. tabulas, ea quæ in ſacris libris habebantur, legum vicem obtinebant [19]. In illo tum ſtudio multum fuit admirationis ad Cn. Flavium uſque, qui Faſtos Pontificum protulit, & myſteria eorum enuntiavit, quæ Juris civilis peritiam continebant [20]. Cætera religionis arcana, nec prodita uſquam, nec intellecta, niſi a Pontificibus ipſis, qui ſuos habuerunt libros, in quibus ritus omnes & ceremoniæ explicarentur, quæ nobis maxima ex parte exciderunt. Libri enim Numæ ſeptem de jure Pontificum ex S. C. in comitio, igne a victimariis facto, cremati ſunt [21]. Quæ ſcripta ſunt poſtea a Pontificibus ſolis lecta & aſſervata, quod in vulgus religionis diſciplinam efferri, jus faſque non putarent. Quare perpauci de jure illo recondito tractare auſi ſunt, de quo M. Cato libro ſeptimo *originum* nonnihil delibavit [22], & in oratione quam de indigetibus habuit [23]. Plura certe M. Varro in ſuis *Pontificalibus* & *antiquitatum divinarum* libris: & L. Cæſar qui *Pontificalium libros* ſcripſit [24]. Legimus Trebatium *de religionibus* aliquos edidiſ-

1 Cic. lib. 2. de divinat. 2 Cic. 3. in Verrem. 3 In Curculion. * 304. 5. 4 In Pœnul. 5 Tacit. 1. hiſtor. 6 Tertul. in Apol. cap. 13. & lib. de ſpectacul. c 9. 7 Dionyſ. lib. 1. & 2 Varro lib 4. de ling. latin. 8 Tacit. lib. 2. Annal. a 304. 4. 9 Cic. 13 epiſt. 9. lib. 15. §. ſufficienter. D. de uſufr. 10 l. 85. D. de verb. ſig. 11 Cujacius lib. 7. obſervat. c. 30. 12 l. 1. D. de colleg. & corp. illicit. 13 lib. 48. 14 Feſtus in verb. ſodales. 15 l. 92. de decurionib. C. Theod. 16 Livius lib. 1. 17 Cic. 4. in Verrem. 18 l. 2. D. de orig. jur. 19 Dionyſ. lib. 10. 20 Cic. pro Muren. 21 Livius lib. 40. Val. Max. lib. 1. cap. 1. 22 Cic. de ſenectut. 23 Feſtus in verb. ſequeſter. 24 Aurel victor.

se[1], quem Labeo Antistius & Attejus Capito secuti sunt[2]. Fuere Fenestellæ *Pontificales libri*[3], & Rutilii Gemini, & Fabii Pictoris qui *de jure Pontificio* sedecim scripsit[4]. Bacides fatidicus *oracula* & *lustralium libros* vulgavit[5]. Narrantur Cloatii Veri *sacrorum libri*[6]: Veranii *Augurales*[7]: Appii Pulchri *de disciplina Augurali*[8]: *explanationes carminum Saliorum* Aelii Stilonis[9]: Masurii Sabini *de indigenis comentarii*[10], qui omnes temporum injuria perierunt. Summa autem quatuor collegia suos habuerunt proprios & peculiares libros. Pontifices, *Pontificales*, *annales maximos*, *commentarios sacrorum*, *fastos*, *ceremoniarum libros*[11]. Augures, *Augurales*[12]. Quindecimviri, *fatales*, *fatidicos* vel *Sibyllinos linteos*, *commentarios Vaticinos*[13]. Aruspices, *Aruspicinos*, *rituales*, *reconditos de fulminibus*, *fulgurales*, *Historias Tuscas*[14]. Sacerdotes alii *sacerdotales* habuerunt, queis solis illos pertractare & evolvere licebat. Quare si externæ religiones urbem incesserent, dabatur Prætori urbano negotium ab Senatu, qui edicebat, ut quicumque libros Vaticinos precationesque, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos omnes libros ad se ante diem certum deferret[15]. Durius actum cum M. Attilio duumviro, qui cum librum secreta civilium sacrorum continentem custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset: eum Tarquinius culeo insutum in mare abjici jussit[16].

## CAP. IV.

*Sacerdotii Dignitas. Quis Primus Pontifices instituerit. Creati Patricii omnes. Pontifex unde.*

SUMMA sacerdotii dignitas semper fuit, regiæque proxima Majestati. Mortuo Ascanio, Silvius Laviniæ filius regnum adeptus est, excluso Julo Ascanii filio majore: pro regno honor sacerdotii Julo datus est, regio imperio securior & quietior[17]. At reges ipsi tandem & sacerdotes fuerunt.

*Rex Anius rex idem hominum Phœbique sacerdos*[18].

Sacerdotibus autem eundem fere habuerunt honorem quem ipsis Diis[19]:

*Quis homo est tanta confidentia,*
*Qui Sacerdotem audeat violare*[20]?

Dæmones senex exclamabat. In urbe quidem Roma, expertum bellis animum reges compararunt, & exercitui præesse, quam sacris maluerunt[21]. Ne tamen desererentur, quædam publica reges ipsi factitarunt. Numa primus, quem Pythagoræ discipulum fuisse credunt[22], universam sacerdotiorum dignitatem, in octo partes distribuit, in quibus Pontifices postremum locum tenuere[23]. Pontificem maximum Marcium M. filium ex patribus primum legit, eique sacra omnia scripta exsignataque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur[24]. Huic tres adjecti Pontifices, & Patritii omnes, quibus solis magistratus & sacerdotia adipisci licebat, dicti *Pontifices* a *posse* & *facere*: ut Scævola Pontifex maximus & doctissimus docet. Unde *Pontificium* pro potestate, & Imperio, a posterioris ævi scriptoribus[25] usurpatum. Quare iis assentiri non possum, qui *Pontificem* a ponte sublicio denominationem accepisse tradunt, ut M. Varroni[26], cum quo scriptores fere omnes consentiunt; malo enim hac in re Scævolæ Pontificis authoritatem sequi: ut *maximus* dictus sit quod maximi esset imperii. Atque ut maximæ dignationis Flamen Dialis inter quindecim Flamines[27], ita *Pontifex max.* inter Pontifices. Ut *Prætor maximus*, qui urbanus inter Prætores[28], quem M. Tullius dixit *Prætorem primum*[29]. Sic *maximus Curio* inter Curiones: Virgo Vestalis *maxima*, inter Vestales. Et pari loquendi modo, *mulcta maxima* quæ suprema: ut *primum* & *maximum majestatis crimen* dicitur, (ita enim lego in C. Theod. l. 7. *de indulgent. crim.*) ubi *maxime* male scriptum est. Aliter de Vestali sentit vir doctissimus[30], quod illa a Tacito *vetustissima*, ab Ovidio *major natu* nuncupatur. At vero ætas non officit dignitati, præerat quidem cæteris, quæ prima capta, illaque semper ætate major. Nam cum minorem annis sex & majorem annis decem, capi fas non fuerit: notum est primo decennio, Virgines doceri: secundo sacris operam dare: tertio docere[31]. Quare non potuit ea cæteris præesse, quæ nondum docuisset. In veteribus inscriptionibus legitur *sacerdos maxima Cereris*. Romæ:

[a] CASPONIA. P. F.
MAXIMA
SACERDOS. CERERIS
PVBLICA
POPVLI. ROMANI
SICVLA

Sed *Maxima* proprium est nomen sacerdotis, ut monuit Jac. Sirmondus societatis Jesu Theologus, sincerus mihi, candore noto, maximaque doctrina admirabilis, & Publica quidem Cereris sacerdos fuit, sed non Maxima, quæ sola in municipiis perpetua sacerdos, prima sacerdos dicebatur, Cartamæ Hispan.

[b] JVNIA. D. F. RVSTICA. SACERD. PERP
ET. PRIMA. IN. MVNICIP. CARTIMIT

Fuit in Sicilia sacerdos maximus Jovis[32], amplissimo sacerdotio præditus. *Maximi* ergo nomen ad dignitatem referendum est. Atque ut Prætor max. olim dictus qui primus & honoratior: ita præses primus curiæ, Latine loquentibus, *Præses maximus* dici debet, & qui illum *principem Senatus* vocant, magnitudinem dignitatis ignorant. Nam *princeps Senatus*, ut sciunt omnes, senator erat, qui primus sententiam rogabatur: ut *princeps sententia* in quam Senatusconsultum fiebat[33]. *Maximi* tamen nomen est dignitatis & ordinis, ut in Pontificibus nostris videre est, inter quos duo Pontifices maximi inveniuntur. Est enim & Pontifex max. minorum Pontificum qui primus in illud collegium venit[34]. Sed hæc πάρεργα ut alia permulta quæ forte nec injucunda, nec porro inutilia: ut illud quoque quod veteres inscriptiones monent. Romæ in Arcu Boario:

[c] IMP. CÆSAR. L. SEPTIMIO. SEVERO
PERTINACI. ARAB. ADIABENIC
PARTH. MAX

*Parthico maximo* quod Parthos bello devicisset. Facete Antonino Caracallæ, cum Germanici & Par-



1 Macr. lib. 3. satur. c. 5. & 7. Servius 11. Æneid. 2 Agel. li. 4. c. 12. Festus in verb. sistere fana. 3 Sen. ep. 108. 4 Macr. lib. 3. satur. c. 2. 5 Fulgentius in verb. Arvales fratres. 6 Festus in verb. moluchrum. 7 Fest. in verb. paludati. 8 Fest. In verb. Sollistimum. 9 Fest. in verb. manuos. 10 Agel. lib. 4. c. 9. 11 Cic. 1. de orator. Agel. l. 13. c. 21. Sueton. in Jul. c. 40. Tacit. 3. Annal. 12 Cic. 1. de divin. Livius l. 4. & 22. 13 Vopiscus in Aurelian. Censor. de die natal. 14 Festus in verb. rituales. Servius in sched & 6. Æneid. Dionys. li. 1. 15 Livius li. 25. 16 Val. Max. li. 1. c. 1. 17 Dionys. l. 2. 18 Virg. l. 2. 19 Artemid. lib. 2. c. 74. 20 Plautus in Rudent. 21 Livius lib. 2. 22 Cicer. 2. de orator. & Tusculan. 4. 23 Dionys. lib. 2. 24 Livius lib. 2. 25 Arnob. in Ps. 6. & 8. l. 3. C. Theod. de Episc. audien. 26 lib. 4. de ling. lat. 27 Festus in verb. maximum Prætorem. 28 Livius lib. 25. 29 Orat. in Pison. 30 Lipsius de Vesta c. 7. 31 Agel. lib. 1. cap. 12. a 308. 4. b 174. 8. 32 Cicer. in Verrem orat. 7. 33 Cic. de Arusp. resp. 34 Festus in verb. minorum. Isidor. orig. li. 9. c. 3. c 11. 4.

thici aliaque hujusmodi nomina vendicaret, Pertinacis filius joco dixisse fertur, *adde si places, Geticus Maximus*, quod Getam occiderat fratrem, & Gotti *Getæ* dicerentur, quos ille tumultuariis præliis devicerat [1]. Apud philosophos *scientia maxima* dicitur quæ summa & præcipua, *ἡ μᾶλλον καὶ μεγίστη ἐπιστήμη* [2]. Pontifex igitur *maximus* ita nuncupatus a potestate & imperio, quod utrumque maximum legibus Romanis est assequutus. Illud vero mihi multo maximum erit, Præses doctissime, si quæ scribimus abs te comprobentur: cujus ea ingenii vis est, ut maximam cum summa probitate scientiam, sibi jure quodam suo possit vendicare.

## CAP. V.

*Pontificis nomen commune omnibus sacerdotibus. Pontifex Vestæ. Pontifices in municipiis, Pontifex maximus Sabinorum.*

PONTIFICIS nomen omnibus sacerdotibus commune fuit. Pontifex *ἀρχιερεὺς, ἱερεὺς, ἱερομνήμων* [3]. In antiquis inscriptionibus commendatur Pontifex sacrorum, Pontifex Cæsarum, Solis, Volcani, ædium sacrarum, Coloniæ, domus Augustæ, Fecialis, quinquennalis, sacrorum, Saliorum. Inter hos Pontifex Vestæ ut viro maximi in literis nominis, sic mihi caligine profundæ vetustatis impedito, negotium facessit. Vestæ alium Pontificem Lipsius non agnoscit præter Maximum [4] Romæ, Vetus lapis in templo S. Priscæ:

[a] HONORI
MEMMIO. VITRASIO. ORPHITO
PONTIFICI. SOLIS. PONTIFICI. VESTÆ
XV. VIRO. S. F. CONSVL

Quod igitur Lipsius putat tales titulos ad Provincias coloniasque referri, in eo lapsus. Memmius enim Orphitus vir nobilitate actibusque ad exemplum præcipuus, Præfectus urbi, sacrarum cognitionum judex, Comes in consistorio ordinis primi, Quindecimvir sacris faciundis, Consul, idem fuit Pontifex Vestæ, nec tamen Pontifex Max. idque Romæ. Etenim in municipiis coloniisve nulli hujusmodi honores, in quibus tamen Vesta suos Pontifices habere potuit. Alia est inscriptio Romæ:

[b] AGORII
VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. V. C
PONTIFICI. VESTÆ QVÆSTORI
PONTIFICI. SOLI CANDIDATO
QVINDECIMVIRO PRÆTORI. VRBANO
AVGVRI

Hic Prætextatus Pontifex Vestæ Romæ fuit, vixitque ad Theodosii & Arcadii tempora. De illo multa Macrobius [5], plura Symmachus [6], qui Pontifex major has ad illum literas scripsit: *Me impedit officii cura: te Baiani otii tenuit negligentia*. Et paulo post: *Nisi mavis authoritatem Pontificis experiri. Multa nobis in collegio deliberanda sunt: quis tibi has inducias publici muneris dedit? Senties jus sacerdotis, nisi impleveris jus amici*. Ex his satis constat Vestæ Pontificem Romæ munus suum obiisse & de Pontificum collegio fuisse, nec tamen Pontificem summum. Nam Pontifex Vestæ peculiaris erat illius sacerdos, ut Pontifex Solis & Volcani. De eodem idem Symmachus [7]: *Prætextato nostro monumentum statuæ destinant virgines sacri Vestalis Antistites. Consulti Pontifices priusquam reverentiam sublimis sacerdotii aut longæ ætatis usum vel conditionem temporis præsentis expenderent, absque paucis qui me secuti sunt, ut ejus auspicium statuerent, adnuerunt. Ego qui adverterem neque honestati virginum talia in viros obsequia convenire, neque more fieri quod Numa auctor, Metellus Conservator Religionum omnesque Pontifices max. nunquam ante meruerunt. Hæc quidem silui ne sacrorum æmulis enuntiata noxam crearent. Insusitatum censentibus exemplum, modo vitandum esse rescripsi, ne res justo orta principio brevi ad indignos, per ambitum deveniret*. Statua posita est Vettio Prætextato, ut patet ex veteri inscriptione reperta Romæ, quam Franciscus Juretus, vir & doctrinæ & amicitiæ nitore mihi commendabilis, suis *miscellaneis* adtexuit:

[c] COELIÆ. CONCORDIÆ. VIRGINI
VESTALI. MAXIMÆ. FABIA. PAV
LINA. C. F. STATVAM. FACIEN
DAM. CONLOCANDAMQVE
CVRAVIT. CVM. PROPTER
EGREGIAM. EIVS. PVDICI
TIAM. INSIGNEMQVE
CIRCA. CVLTVM. DIVINVM
SANCTITATEM. TVM. QVOD
HÆC. PRIOR. EIVS. VIRO
VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTA
TO. V. C. OMNIA. SINGVLARI
DIGNOQVE. EIVS. AB HVIVS
MODI. VIRGINIBVS. ET. SA
CERDOTIBVS. COLI. STATV
AM. COLLOCARAT

Vettius ergo Romæ Pontifex τῆς Ἑστίας ἱερομνήμων sacrorum rituum memoriæ præfectus, & Deæ obsequio perpetuo devotus.

Vestales virgines Pontifices etiam Vestæ dictæ sunt ἱερεῖς Ἑστίας, ut inscriptio alia etiamnum declarat Romæ supra forum Trajani:

[d] MANSIONES. SALIORVM. PALATINOR
A. VETERIBVS
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS
LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS. PECVN
SVA. REPARAVERVNT
PONTIFICES. VESTÆ. V. V. C. C. PRO
MAGISTERIO
PORTII. ACILII. LVCVLLI. VITRASI
PRÆTEXTATI
V. V. C. C

Notæ literarum nihil aliud signant, quam *Virgines Vestales castissimæ*, quæ Vestæ Pontifices notantur. Sed ut Pontificem Vestæ Lipsius extra urbem ad Provincias Coloniasque male retulit: idem Vestales nullas in iis fuisse, sed Pontificem aliquem vel Flaminem proprium ei Deæ nimis audacter asserit, contra veterum authorum & lapidum fidem. Quod non dico, ut virum alioqui post veteres in juvandis literis facile principem traducere videar, sed ut errorem tollam. Nam Albæ Vestales fuisse Rhea Silvia indicio est [8], atque etiam Tiburi inscriptiones testantur, quarum una Romæ in hortis Medicæis:

[e] SAVFEIÆ. ALEXANDRIÆ
V. V. TIBVRTIVM
CAPLATORES. TIBVRTES
MIRÆ. EIVS. INNOCENTIÆ
QVAM. VIBÆ. DECREVERANT
POST. OBITVM. POSVERVNT
L. D. S. C

Altera Tiburi:

[f] C. SEXTILIVS
V. V. TIBVRTIVM
LIB. EPHEBVS

1 Spartian. in Caracal. 2 Aristot. 1. posterior. c. 8. 3 Gloss. veter. 4 lib. de Vesta c. 1. a 438. 1. b 1102. 2. 5 lib. 1. saturn. c. 2. 6 lib. 1. ab epist. 38. ad epist. 49. & lib. 2. epist. 46. lib. 10. epist. 25. 7 lib. 2. epist. 36. c 301. 1. d 173. 5. 8 Dionys. lib. 2. Livius lib. 1. Plutarch. in Romul. e 1088. 3. f 215. 5.

HERCVLANIVS
AVGVSTALIS

In his videmus virgines Veſtales Tiburtes, quas Lipſius non agnoſcit. Quod vero in priori inſcriptione ſcriptum eſt CAPLATORES, legendum CALATORES qui virginum Veſtalium miniſtri. Quod ex iiſdem lapidibus comprobatur. Fundi in Latio:

[a] VINICIO. COCTÆO. CALAT
VII. VIR. EPVLO. LIBERTO
OPTIMO. PATRONVS

Sirmondus cujus conſilio & ſtudio in recenſendis libris meis maxime uſus ſum, Caplatorem ad funarios fortaſſe referendum putat. *Caplum* enim gloſſæ interpretantur *funem nauticum*. Magis mihi placent Calatores ſacrorum miniſtri: nec tamen incido funem quo maxime devinctus ſum ei viro, in quo omnia ſunt, quæ aut doctrina hominibus aut natura largitur.

Fuit & Calator fratrum Arvalium, Calator Sacerdotii Titialium cæterorumque Sacerdotum, qui ſacris deſervirent. Calatores δȣ̃λοι δημόσιοι, περίπολοι. Atque ut Virgines Veſtales in Provinciis & Coloniis, ſic Pontificum Collegium in illis invenimus. Fuere enim Pontifices Albani. Lapis Albæ in Latio:

[b] TI. CAISARI. DIV. AVG. F
DIVI. IVLI. N. AVGVSTO
PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN. POTEST. XVIII.
PONTIFICES. ALBANI

| | |
|---|---|
| Q. IVLIVS | Q. F. FAB. RVFVS |
| C. IVLIVS | C. F. SCA. BASSVS |
| TI. IVLIVS | TIB. F. FAB. MERVLA |
| M. IVLIVS | C. F. FAB. SENICIO |

Hi omnes ex eadem gente (quod Romæ ſacrorum legibus vetitum erat, ubi duo ex eadem gente eſſe non poterant) nullum habuerunt Pontificem maximum, præter Tiberium id eſt præter Romanum. Fuit tamen Pontifex maximus Sabinorum. Lapis prope Mantuam in villa Ande cunis Virgiliii nobiliſſima:

P. VERGILIO
P. FILIO
PONT. MAX
SABIN

Suſpicor Sabinos cum de Imperio cum Romanis certarent, Pontificum Collegium habuiſſe, atque in eo Pontificem maximum quem devicti ob honorem religionis retinuerunt, ſolo nomine Sacerdotii inſignem. In quo tantummodo conjectura ducor ad ſuſpicandum. Nam vere dicebat vir magnus: *Propter antiquitatis inſcitiam, cujus mores hodie non agnoſcimus, pleraque mirari magis quam intelligere poſſumus. Sed in rebus perditis & deſperatis, aut in ipſa vetuſtate ſepultis libere unicuique licet opinari, & quid ſentiat explicare.*

## CAP. VI.

*Pontifex univerſæ Palæſtræ ad vitam. Sacerdotes perpetui. Flamen Divorum omnium.*

INTER tot Pontifices, occurrit Pontifex univerſæ palæſtræ ad vitam, in cujus palæſtram huc uſque nemo deſcendit. Hic in antiquis inſcriptionibus latet. Romæ in foro Trajani:

[d] ΗΤΡΙΟΝ. ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗΝ. φ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. ΠΑΝΚΡΑΤΙΑΣΤΗΝ. ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ
ΠΑΛΑΙΣΤΗΝ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ. ΑΛΕΙΠΤΟΝ φ
ΤΟΝ. ΑΡΚΙΕΡΕΑ. ΤΟΥ. ΣΥΝΠΑΝΤΟϹ. ΞΥΣΤΟΥ
ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΞΥΒΤΑΡΚΗΝ. ΚΑΙ. ΕΠΙ. ΒΑΛΑΝΙ
ΩΝ. ΣΕΒ. ΤΟΝ. ΠΑΤΕΡΑ. φ

Quod ita reddit Johannes Gruterus, cujus opera & labore inſcriptionibus hiſce fruimur, cuique maximam reverentiam literæ debent, ut Servius de Albino dicebat: *Demetrium Hermopolitam Alexandrinum, omnis luctæ peritum, undique victorem, luctatorem admirabilem, indefeſſum, Pontificem univerſæ Palæſtræ ad vitam, Palæſtræ præfectum, & in balneis Aug. patrem.* De Palæſtritis Ulpianus Juriſconſultus[1]: *Neque Thymelici neque Xyſtici, nec agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, cæteraque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſerviunt ignominioſi habentur.* Deſignatores autem quos Greci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celſus putat, qui miniſterium non artem ludicram excercent. Erravit Alciatus[2] qui βραβευτὰς interpretatur *ludorum præſides*, ex Julio Polluce; longe enim alia mens fuit Pollucis[3]. τοῖς δὲ γυμνικοῖς ἐφεστᾶσι βραβευταὶ καὶ μαστιγονόμοι δὲ καὶ ῥαβδȣ̃χοι. Τȣ̀ς δὲ βραβευτὰς καὶ ἐπιστάτας ὠνόμαζον. ὅθεν καὶ βραβεύειν, ἐπιστατεῖν Σοφοκλῆ. Plautus noſter[4]:

—*neu lictor verbum aut virgæ mutiant,*
*Neu deſignator præter os obambulet.*

Deſignator ἀποδείκτης[5] ut Budæus animadverit, & βραβευταὶ viliores ſacrorum certaminum miniſtri, οἱ τὰς βασιλικὰς ῥάβδȣς ἔχοντες[6]. Qui in illis certaminibus rite & omnia ordinabant, ut turba retineretur, maxime curabant, & totam rem ludicram deſignabant. Præerant his ludis magiſtratus aut principes, ut Æneam videmus certaminum omnium arbitrum & moderatorem[7], Pontifex autem Palæſtræ Xyſti præfectus, ſcenicis, muſicis, Thymelicisque, Xyſticis & cæteris præfuit qui in Palæſtra deſudabant. Hic diſcernebat quomodo curſorem faceret aut pugilem aut luctatorem. Et ſecundum habitum illos ſacris certaminibus accommodaret. Ille idem γυμνασιάρχης ξυστάρχης dictus a loco in quo athletæ exercebantur, qui a veteribus Græcis *Gymnaſium* & *Palæſtra*, a Romanis Græco etiam vocabulo *Thermæ* nuncupantur. Martialis[8]:

*Hic ubi miramur velocia munera, Thermas.*

Vir doctiſſimus Pontifex Palæſtræ literariæ, vel poſt vitam, locum hunc interpretatur, quod extructæ ſint Thermæ celeriter ex Suetonio in *Tito*. Recte quidem, & poſſet tamen de curſoribus intelligi, qui nudi & uncti veloces decertabant, atque in Thermis exercebantur: quod ex ipſo Martiali augurari licet[9]:

*Gymnaſium Thermæ, ſtadium eſt ex parte, recede,*
*Exuimur: nudos parce videre viros.*

Sed in Xyſto ſatis ſuperque ſpatiati ſumus. quærendum nunc eſt quid ſit ἀρχιερεὺς διὰ βίȣ, Sacerdos ad vitam, quem *perpetuum Pontificem* dicere poſſemus, quaſi non ad tempus ſacerdotio illo fungeretur. Sic Pontifex perpetuus domus Auguſtæ dictus eſt, quem nos hodie (ni fallor) *Eleemoſynarium ordinarium* vocaremus. Sacerdotes vero perpetuos duorum generum fuiſſe arbitror. Alios quibus Sacerdotium viventibus adimi non poſſit, qui proprie perpetui ſacerdotes καὶ διὰ βίȣ. Alii ſunt quibus Sacerdotium quidem auferri poteſt; dicti tamen perpetui, quod aſſidui eſſent in ſacrorum cura. Ita M. Tullius *perpetuo Senatores* appellat[10], qui tamen Senatu moveri potuerunt.

Lapſus hercle eſt Carolus Sigonius[11], cum aſſe-

a 307. 6. b 235. 8. c 305. 7. d 313. 10. 1 l. Athletas D. de his qui not. infam. 2 li. 2. prætermiſſor. 3 lib. 3. 4 in prolog. Pœnul. 5 gloſſ. vet. 6 Author etymolog. 7 Virgil. 5. Æneid. 8 Martial. de ſpectac. epig. 2. 9 lib. 3. epig. 68 10 In orat. poſt redit. in ſenatu. 11 lib. 1. de antiq. jur. Rom. cap. 19.

rit sacerdotum omnium proprium fuisse ut essent perpetui. Nam Plutarchus hoc jus Auguribus competere tradit, ut ne damnati quidem sacerdotio spoliarentur. Reliquis in exilium actis diserte negat [1]: Τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν καταδικασθέντα καὶ φυγόντα παύοντες ἕτερον αἱροῦνται, τοῦ δὲ Αὔγουρος ἕως ζῇ, κἂν ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἀδικήμασι καταγνῶσιν, οὐκ ἀφαιροῦνται τὴν ἱερωσύνην. Plinius eadem de Auguratu loquitur [2]: *Sacerdotium*, inquit, *priscum & religiosum, hoc quoque sacrum plane & insigne est, quod non adimitur viventi*. Fuerunt & alia sacerdotia, quæ viventibus non eriperentur. M. Lepidus Pontifex max. in summa rerum perturbatione exemplo nobis est. Et Regi sacrorum hic honos fuit, ut esset perpetuus, ὁ τιμὴν ταύτην διὰ βίου ἔχων [3]. Cæteri sacerdotes alia ratione dicti perpetui, quod illorum ministerium publice semper usui esset. Quales sunt Flamines, quorum sacerdotium διὰ βίου non fuit. [4] Nam si uxorem Dialis amisisset, Flaminio decedebat, imo ob levem plerumque culpam sacerdotio movebatur. Ut P. Clœlius Siculus, M. Cornelius Cethegus, C. Claudius, qui propter exta parum curiose admota aris Deorum immortalium Flaminio abire jussit sunt, atque etiam coacti. Sulpitio apex inter sacrificandum e capite prolapsus, sacerdotium abstulit [5]. Dicebantur tamen *Flamines perpetui*, ut in inscriptionibus passim leguntur, *Flamen perpetuus pacis Juliæ, Victoriæ, Fœlicitatis: Flaminica Augusti perpetua*, ab eo quod juge illorum officium esset. Hi omnes sacerdotes erant proprii alicujus certi numinis, ut veteres illi Dialis, Quirinalis, Martialis. In Provinciis Flamines quinquennales & ad tempus. De his Constantinus Imp. ad Felicem præfectum prætorio [6]: *Afri Curiales conquesti sunt quosdam in corpore, post Flaminii honorem & Sacerdotii decursa insignia præpositos compelli fieri mansionum: Jubemus nullum prædictis honoribus splendentem ad memoratum cogi obsequium*. Et quoniam Flaminem uni Deo peculiariter addictum scripsimus: ne quem veteres inscriptiones morentur, in quibus [a] FLAMEN. DIVORVM. OMNIVM: sciat ille Flaminis nomen ut Pontificis commune sacerdotibus publicis municipiorum fuisse, & sacerdotem præcipuum hac appellatione designatum.

## CAP. VII.

*Pontificis denominationes variæ. Filii sacrorum.*

UT Pontificis nomen commune fuit omnibus fere sacerdotibus: sic Pontifici & iis qui sacris præerant variæ denominationes impositæ, a Græcis Latinisque. Hos ἱεροδιδασκάλους, ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, ἱεροφάντας Dionysius vocat [7]. Sunt in inscriptionibus Πατέρες τῆς ἱερᾶς τάξεως, inter quos invenio *Patrem Deorum omnium* [8], qui idem est ac Flamen. Vettius Prætextatus, Pontifex Vestæ idem *pater sacrorum Achajæ* nominatur. Fuit pater patrum Dei solis, qui clariore non indiget luce. Fuere Antistites Fortunæ perpetuæ [b]: Archibucoli Dei Liberi [c]: Archieri Synodi, quos præterire Pontifices jubent, ne ab illis longius discedere videamur. Non omittam tamen filium sacrorum, de quo elegans inscriptio Romæ:

[d] I. O. M. H. AVG
SACR
GENIO. FORINARVM
ET. CVLTORIBVS. HVIVS
LOCI. TERENTIA. NICE
CVM. FONTEIO. ONESIMO. FILIO
SACRORVM. SIGNVM. ET. BASIM
VOTO. SVSCEPTO. DE. SVO. POSVIT

Alia est quam supra notavimus Demetrii Hermopolitani:

[e] ΑΝΕΚΛΗΤΟΣ.ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ.ΔΙΑ.ΒΙΟΥ.Ο.ΥΟΣ
Palæstræ Princeps ad vitam filius. Massiliæ in ædicula salvatoris, Προφήτου υἱός [f]. Dicebantur filii sacrorum, quorum cum pater sacerdotium gessisset, ii in illius locum succedebant. Servius Virgilii verba interpretatur, (*olimque sacerdos* [9],) *aut cujus majores sacerdotes fuissent, quibus in sacris quoque succedebatur*. Quod in Isidis sacerdotibus Memphiticis observabatur. In sacris enim Isidis unus erat Pontifex primus, qui cum e vita discessisset, filium substituebant [10]: τοῦ εἷς ἐστὶ ἀρχιερεὺς, inquit Herodotus, ἐπεὰν δέ τις ἀποθάνῃ, τούτου ὁ παῖς ἀντικατίσταται. De Thiamide hoc idem Heliodorus [11], ἐγὼ γὰρ ὡς ἴστε, παῖς μὲν προφήτου τοῦ ἐν Μέμφει γεγονὼς, ἀποτυχὼν δὲ τῆς ἱερωσύνης μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὑπαναχώρησιν, ἀδελφοῦ νεωτέρου ταύτην παρανομήσαντος παρελέσθαι. Quod est, *Ego, ut scitis, cum essem filius Memphitici Antistitis privatus dignitate sacerdotii, quam frater natu minor, post patris obitum mihi contra leges eripuit*. Nec tamen ea Gentilitia sacerdotia dixerim, qualia fuere Romanorum, quæ hereditaria fuisse frustra putaremus. Illa enim non ad gentem aut familiam pertinebant, sed publica censebantur. Συγγενικαὶ (ait Dionysius) ἱερωσύναι, οἱ τὰ κοινὰ περὶ τῆς πόλεως ἱερὰ συντελοῦντες, κατὰ φυλάς τε καὶ φράτρας, *qui pro civitate sacra curiatim aut tributim faciebant*.

## CAP. VIII.

*Pontificis Maximi creatio. Aliorum cooptatio. Lex Domitia. Quomodo Curiata Comitia Auspiciorum causa remanserunt.*

AT vero Pontifices nostri fuerunt publici populi Romani sacerdotes, quos capi ut Vestales & Flamines Diales, docet Agellius [12], ex L. Sullæ *rerum gestarum* libro secundo, & M. Catonis oratione de Lusitanis. C. Flaccus Flamen captus a P. Licinio Pontifice maximo fuit [13]: quod de Pontificibus cæteris accipiendum est, non de maximo. Hunc enim capi non solere, Catonis ipsius verba declarant: *Ego*, inquit, *me nunc volo jus Pontificum optime scire: Jamne ea causa Pontifex capiat?* Ante legem Domitiam Pontifices a Collegio cooptabantur: Comitiis Pontifex maximus creabatur.

In libro Lælii Fœlicis ad Q. Mucium primo [14], scriptum est *Labeonem tradere, Calata Comitia esse quæ pro Pontificum Collegio haberentur*, id est a Collegio vel apud Collegium: *atque illa aut regis sacrorum aut Flaminum inaugurandorum causa. Eorum alia fuerunt Curiata, alia Cencuriata. Rex sacrorum Comitiis Centuriatis: Flamines Curiatis facti, Patricii omnes*. Ea de causa Centuriatorum & Curiatorum Comitiorum auctores M. Tullius Pontifices appellat, non etiam Tributorum [15]. Comitia enim Pontificia ab iis diversa, quæ pro Collegio Pontificum. Sunt enim illa, quibus Pontifices Tributis Comitiis creabantur [16]. Quæ non Pontifices ipsi, sed Consules habere consueti. Rullus Tribunus pleb. cum jussisset creari Decemviros per Tribus

1 In quæst. Rom. 99. 2 lib. 4. Epist. 3 Dionys. lib. 4. 4 Agel. lib. 10. c. 15. 5 Val. Max. li. 1. c. 1. Plutarch. in Marcello. 6 l. 2. C. Theod. de Decurioni. a 359. 3. 490. 2. & 3. 7 lib. 2. 8 21. 3. b 75. 8. 313. 8. c 132. 2. d 9. 5. e 313. 10. f 458. 1. 9 2. Æneid. 10 Herodot. lib. 2. 11 lib. 2. 12 lib. 1. c. 12. 13 Livius lib. 26. 14 Agel. lib. 15. cap. 37. 15 Cicer. pro dom. sua & 2. in Rullum. 16 Cicer. pro Cœlio.

bus septemdecim ut quem novem Tribus fecissent, ipse Decemvir esset: in secundo legis capite addidit [1], *ut Comitiis Pontificis maximi*. Non enim Tribus omnes, sed septemdecim solum sorte ductæ, de Pontifice maximo suffragium ferebant.

Alia quoque Sacerdotum Comitia Tributa erant, ut Curionis maximi, Augurum, Quindecimvirorum, & Pontificum majorum minorumque. Quod & ipse Tullius docet [2]: *Majores nostri*, inquit, *tam fuerunt populares, ut quod per populum creari fas non erat, propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii, voluerint populo supplicari. Et quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab eo qui esset factus, is a Collegio cooptaretur*. Quare Pontifex max. cum de Collegio Pontificum esset, ab illoque pridem cooptatus, ab eodem iterum in sacerdotium amplissimum cooptabatur, post legem Domitiam, qua jus Sacerdotum subrogandorum, a Collegiis ad populum translatum est. Hac itaque lege Pontifices omnes Tributis comitiis creati fuerunt. De maximo nemo ambigere potest ex verbis Ciceronis, quem Suetonius sequutus est [3]. Ille, *Cum Cæsar*, inquit, *Pontificatum maximum petiit, potentissimosque competitores haberet, plura in eorum Tribubus suffragia, quam uterque in omnibus tulisse fertur*. Tributa illa non proprie Comitia sed plebis consilium erant, quod ad ea plebs tantum vocaretur, patribus ex consilio summotis [4]. Quæ primum inita in Coriolani judicio, ad extrema Reip. tempora perdurarunt. Cum itaque Pontifices maximi curiatis primum Comitiis fierent, ut Patritii sacerdotes omnes: postquam sacerdotia sunt plebi communicata, Curiata illa comitia exoleverunt, & Tributis locus fuit. Illa quidem tributa Comitia ante legem Domitiam, ab uno ex Collegio haberi solebant, qui in illo plurimum posset. Sic M. Cornelius Cethegus novus Pontifex, post mortem L. Lentuli Pontificis maximi, P. Licinium Crassum Pontificem max. renuntiavit [5]. Quæ renuntiatio fieri non potuit, nisi ab eo qui Comitiis præesset.

Valde lapsus Carolus [6] Sigonius, omnis antiquitatis alioquin peritissimus, qui ab æternæ urbis illustratione, æternitatem immortalitatemque nominis sibi comparavit. Scripsit ille Lentulum Ponticem maximum duobus sacerdotiis præditum fuisse, Pontificatu scilicet, & Pontificatu max. Atque in ejus mortui locum M. Cornelium Cethegum Pontificem, P. vero Crassum Pontificem max. suffectos. Duo quidem Sacerdotia vel plura unus & idem gerere poterat, & Pontifex, Augur, Decemvir sacrorum esse [7], sed in eodem Collegio in quo vel duo ex eadem gente esse non poterant, [8] neque dictum neque fictum, ut unus duos Pontificatus obtineret. Errorem Sigonii detegit, quod Pontificatus maximi candidatus nemo esse potuit qui idem non esset Pontifex, atque ille ante legem Domitiam, si in Maximum cooptaretur, alter in illius locum Pontifex major legebatur [9]. Ut cum P. Licinius Pontifex Maximus mortuus est, in ejus locum M. Sempronius Tuditanus Pontifex cooptatus est. Numerus enim Pontificum certus & definitus, qui nec augeri nec minui potuit. Et cum Pontificis Maximi comitia habebantur, qui novissime cooptatus fuerat, Pontificatum ipse Maximum poterat adipisci. Quod a Nicolao Grucchio [10] didici viro præstantis doctrinæ, exquisitæ, reconditæ: cujus sententiam sequor de tributis Pontificum Comitiis, quæ consules habuerunt, ut Pontifices Curiata.

In his aliquantulum immorari Iubet, quæ multorum ingenia exercere possunt, meum vero admodum fatigarunt. *Centuriata lex*, ait Tullius [11], *Consulibus ferebatur, cum Curiata cæteris Patritiis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. Nunc quia illa prima Comitia tenetis, centuriata & tributa; Curiata tantum Auspiciorum causa remanserunt. Adumbrata hercle illa, ut dicis, causa*. Fulvius Ursinus summus vir in omni doctrina, Ciceronis verba ex Pantagatho sic exponit, ut putet Patritios Magistratus apud majores binis Comitiis creari: prioribus designari, alteris confirmari. Priora Centuriata esse in Patritiis: tributa in plebeiis. Apud minores mutatam esse rationem. Nam prioribus Comitiis cum designari, tum confirmari omnem magistratum: posterioribus Curiatis non confirmari sed ordinari: hoc est pro triginta Curiis lictores adhiberi, hocque Auspiciorum non confirmandi aut reprehendendi causa. Ursini sententia rationem habet, opinionem respuo Sigonii [12], qui Curiata hæc Comitia ad prærogativam Centuriam transferre voluit. In hoc enim laborandum illi fuit, ut doceret quomodo Curiata Comitia Auspiciorum causa remanserunt, quæ omen prærogativarum non requirebant. In re obscura a M. Tullio [13] duce & auspice lux petenda est. Ille: *Si Patritius nemo relinquitur, brevi tempore populus Rom. nec Regem Sacrorum nec Flaminem, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos Sacerdotes, neque authores Centuriatorum & Curiatorum Comitiorum, Auspiciaque populi Rom. si magistratus Patritii creati non sint, intereant necesse est*. Nemo nescit jus Auspiciorum majorum minorumque solos Patritios habuisse. Quare nulli magistratus Patritii inauspicato creati, ut nec Patritii Sacerdotes, qui hic a Cicerone magistratus appellati videntur. Si igitur Tributis Comitiis Patritius Pontifex designaretur, propter vim Auspiciorum, Curiatis confirmabatur; cum plebeii Sacerdotes Comitiis tantum tributis fierent, quod nulla Auspicia haberent. Atque sic intelligo Curiata Comitia tantum Auspiciorum causa remansisse.

Sed ut ad Pontificum creationem redeamus, movent me M. Tullii verba, ex quibus collegimus, populum non illos creasse, propter religionem sacrorum, sed suis suffragiis designasse, posteaque a collegio cooptatos. In quo non modo amicitias violari fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, eum qui cuiquam ex Collegio esset inimicus [14]. Nos hodie *jus nominationis*, quod vocant, populo Rom. daremus, canonicam vero institutionem Collegio. Quod quidem nominationis jus, novum non est. Dicta enim nominatio Sacerdotum ut magistratuum [15]. *In paternum*, inquit M. Tullius de Cn. Pompeii filio, *auguratus locum, ut quod a patre acceperam filio reddam, mea nominatione cooptabo*. Ab eo *dies nominationis* Plinio [16]. Atque hic mos Comitiorum Pontificiorum ad Julium Cæsarem usque servatus, qui Comitiis Tributis profusissima largitione Pontificatum maximum adeptus est [17]. In cujus postea locum M. Lepidus furto creatus [18], Comitiorum ordine ab Antonio neglecto, nullis Auspiciis, turbatis majorum institutis, ut gratiam Lepidi quem pertimescebat, novo beneficio demereretur. Quod fracta Repub. ausus Antonius Senatusconsulti authoritatem vel exemplum secutus, quo patres pessimo publico censuerunt, ut si filius Julio Cæsari nasceretur, is summus Pontifex constitueretur [19]. Maximum autem Pontificem Dio vocat Ἀρχιερέα, cæteros ἱερέας, quo magis miror hominem Græcum in rebus Romanis exercitatum, verum Pontificis max. nomen non observasse. Nam quilibet Pontifex ἀρχιερεύς, Pontifices enim omnes, Sacerdotes po-



1 Cic. 2. in Rullum. 2 Cic. epist. 14. ad Brutum, Livius lib 39. 3 Sueton. in Jul. c. 13. 4 Livius lib. 2. 5 Livius libro 25. 6 In Annotat. ad Livium lib. 25. 7 Liv. lib. 40. 8 Dio lib. 39. 9 Liv. lib. 39. & 40. 10 lib. 2. de Comitiis, c. 3. 11 2. In Rullum. 12 lib. 3. de antiquo jure provinciar. cap. 3. 13 pro dom. sua. 14 Cicer. lib. 3. epist. 10. 15 Cicer. Philippic. 13. 16 lib. 4. epist. 17 Sueton. in Jul. c. 13. 18 Vellejus Patercul. lib. 2. 19 Dio lib. 44.

puli Rom. Antiſtites Deorum immortalium, interpretes erant religionum [1]. Inter quos qui maximus, Ἀρχιερεὺς Μέγας dicebatur, ut Græcis Julii Cæſaris, Lepidi & Auguſti numiſmatis comprobamus.

In hac antiquitatis diſquiſitione, Antoni Præſes digniſſime, ego qui inter proletarios ſcriptores ſum, ſi juvandi ſtudio aliquid conor, etiamſi quod volo minus aſſequor, tamen vel ipſa voluntate vituperandus non ſum. Patet campus, in quo excurrere doctiores poſſunt, & verborum anguſtias, literarumque angulos, quibus ſæpe irretitus animus fatigatur, tuto devitare. Nullum erit populi in hoc certamine ſtudium, ſed eruditiorum judicium, quibus, ut tibi noſtra hæc lubens permitto.

---

## CAP. IX.

*De Lege Domitia iterum. In petitione abſentium ratio habita. De lege Ogulnia. Sacerdotium plebi communicatum.*

TERTIO C. Marii Conſulatu, ut Paterculus [2], vel ſecundo ut Aſconius prodit [3], Cn. Domitius Neronis Imperatoris atavus Tribunus pleb. legem tulit, ut Sacerdotes quos antea Collegæ ſufficiebant, populus crearet. Ille quod per ceremonias populi fieri non poterat, ratione aſſequutus eſt [4], ut quoad poſſet, quod fas eſſet, quoad liceret, populi ad partes daret. Legis tamen ferendæ cauſa hæc una fuit, quod Domitius in Tribunatu Pontificibus offenſior, qui alium quam ſe in patris ſui locum cooptarant [5]. Rogationem antea promulgaverat C. Licinius Craſſus Q. Maximo & L. Manlio Coſſ. quam diſſuaſit Lælius [6], vendibilemque Craſſi orationem facile vicit, tantus tunc religioni honos habebatur. Quæ utcumque neglecta vel immutata, cujuſvis Reip. interitum prænuntiat. Quod igitur Licinius Craſſus non potuit, Cn. Domitius favente nobilitate, nullo interceſſore comparato, populo Rom. dedit, & potentiſſimorum hominum Collegiis eripuit cooptandorum Sacerdotum poteſtatem [7].

Tributis facti Comitiis Pontifices, antequam Curiatis confirmarentur, vel a Collegio cooptarentur, Sacerdotiumque inirent, ut cæteri magiſtratus *Deſignati* dicebantur. Vetus Lapis:

[a] SACRATA. DOMVS. AVGVSTO
M. CLODIVS. PONT. DESIG

Sic Cæſar Julius dicitur *Flamen Dialis deſtinatus* [8]. Legis autem Domitiæ monumenta extant in veteribus nummis Cn. Domitii:

Simpulum quod ſupra Curulem eſt, aliaque inſtrumenta Pontificalia, quæ in altero numiſmate viſuntur, legem illam Domitii reſpiciunt, illiuſque Pontificatum. Cum enim Pontificum ille jura evertiſſet Tribunus pleb. Conſul poſtea, & Cenſor & Pontifex max. fuit [9]. Hujus lex victore Sulla antiquata eſt, ſpoliatuſque populus Rom. arbitrio creandorum Sacerdotum per annos decem [10]. At Labienus Cicerone Conſule de Pontificibus creandis, rogationem tulit, iterumque pupulus contra Sullæ, Domitii legem in Julii Cæſaris gratiam renovavit [11]. Qui Dictator factus, eam ipſam neglexit legem, qua fuerat adſtrictus [12]. Pontifices enim defunctis ſuffecit, nullis eorum legibus obſervatis. Exin mortuo Cæſare, Lepidus ab Antonio furto Pontifex max. factus eſt. Quod ut aliquam pietatis ſpeciem haberet, electionem a Populo ad Pontifices Antonium iterum tranſtuliſſe ſcribit Dio [13], Ὅπως γὰρ δὴ ῥᾳδίως αὐτὸ ποιήσῃ, ἔς τε τοὺς ἱερέας αὖθις ἀπὸ τοῦ δήμου, τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπανήγαγε. Viderint antiquitatis periti quomodo Pontificis maximi electionem ad Collegium iterum tranſtulerit Antonius, quam antea nunquam Pontifices habuerunt. Nam ante legem Domitiam, Pontificatus max. a populo Curiatis Comitiis dabatur. Quod Sulla non mutavit illo decennio [14]. Etenim cum a Marianis partibus Scævola Pontifex max. in veſtibulo ædis Veſtæ occiſus eſſet: Metellus Pius Sullanæ factionis ſtudioſus adoleſcens, in petitione Pontificatus Conſularibus viris prælatus eſt. Petitionem nemo non dixerit ambitum, quo favor populi captari ſolet. Dionis tamen error nullus eſt, ſed interpretis, qui αὖθις *in poſterum*, *non iterum* vertere debuit. Nam cum lex Domitia ab Antonio, antiquioreſque de Sacerdotiis leges omnes perfractæ: ne illud Lepido fraudi eſſet, non ſolum cooptationem Sacerdotum, ſed etiam Pontificis maximi creationem collegiis permiſit, quod novum nec factum prius, ut Lepidum vitio creatum confirmarent, ſimulatoque Augurio illum Pontifices cooptarent & comprobarent.

In Sacerdotiorum petitione abſentium ratio habebatur [15]. Nam cum C. Marius in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt Augur, nec quominus id poſtea liceret ulla lex ſanxit. Eſt etiam in lege Julia, quæ lex eſt de Sacerdotiis proxima, his verbis, *Qui petit cujuſve ratio habebitur*, aperte indicat rationem haberi non præſentis. Idem Julius Cæſar abſens ante legem ipſam Juliam Pontifex fuerat creatus [16]. Nec vero Pontificum jura, ante legem Domitiam integra inviolataque permanſerunt. Nam & Sacerdotia plebi communicata ſunt & numerus Sacerdotum ampliatus. Romana enim plebs, inquies & indomita in certamine libertatis, Tribunorum ope ſibi omnia tandem arrogavit. Connubia patrum & plebis lege Caninia vulgata [17]: Conſul alter e plebe, lege Licinia renunciatus eſt, eadem lege Decemviri ſacrorum partim ex plebe partim ex Patritiis creati [18]. Et cum plebeii ne ad faſtos quidem & com-

---

1 Cic. pro dom. ſua. 2 lib. 2. 3 In orat. pro Cornelio. 4 Cic. 2. in Rullum. 5 Suetonius in Neron. cap. 2. 6 Cic. lib. de Amici. 7 Aſconius pro Cornel. a 244. 1. 8 Sueton. in Jul. cap. 1. 9 Cicer. pro Dejotar. 10 Aſcon. in divinat. in Ver. 11 Dio lib. 37. 12 Dio lib. 41. 13 lib 44. 14 Author de Vir. illuſtr. 15 Cic. epiſt. 5. ad Brutum. 16 Paterculus lib. 2. 17 Livius lib. 4. & 6. 18 Livius lib. 4.




Apud I. P. Bellorium.




Apud I. P. Bellorium.




Apud I. P. Bellorium




Apud E. P. Burghesium.

A mentarios Pontificum admitterentur, Ogulnius Tribunus pleb. cum nihil plebeiis honoribus præter Sacerdotia deesset, quæ nondum promiscua erant, rogationem promulgavit [1], ut quinque Augures, quatuor Pontifices crearentur, augereturque numerus Sacerdotum. Non minor hac de re contentio inter Appium Clodium & P. Decium Murem, quam olim in dissuadenda lege Licinia. Molestius enim ferebant Patres, Sacerdotia amplissima vulgari, quam Consulatum cæterosque magistratus majores. Suasor legis Decius obtinuit, novi quatuor Pontifices Collegio adjecti, Ogulnia lex ingenti consensu accepta est. Pontificatus tamen max. apud Patricios
B mansit, usque ad T. Corruncanium, qui ingenii præstantia & claritate, illum primus e plebe adeptus est, Attilii Reguli Consulatu [2]. Pontificatus postea etiam exteris patuit. Nam Cornelius Balbus primus omnium externorum Quiritium Jure donatus, a Cn. Pompejo, Gadibus ortus & Consul major & Pontifex factus, primus idem in Triumphum & Sacerdotium amplissimum adsurrexit [3]. Post legem Ogulniam Dictator Sulla Pontificum Augurumque collegia iterum ampliavit [4]. Victor deinde Cæsar, ut gratiam pluribus referre posset, Pontificum, Augurum & Quindecimvirorum numerum tertium adauxit, uno addito in singula Collegia, cum ipse omnia Sacerdotia capere statuisset. Adjecti etiam sunt non-
C nunquam Sacerdotes ex Senatusconsulto supra numerum. Nummus est aureus Drusi Germanici principis juventutis, qui Sacerdos cooptatus in omnia collegia supra numerum, quem P. Rascasius veterum numismatum vindex assiduus mihi communicavit:

D




In prima parte, *Nero. Claud. Cæs. Drusus. Ger-*
E *man. Princ. juvent.* in altera, *Sacerd. coopt. in. omni. col. supra numer. S. C.* Impressa Sacerdotii insignia, Simpulum, Lituus, Tripus, Patera, tria Collegia amplissima designant. Sic Senatus censuit, ut ad numerum Sodalium Augustalium, sorte ductorum, Claudius extra ordinem adjiceretur [5]. Quæ cum ita fierent, nova adlectio in tabulis sacerdotum approbatur, ut vetus Inscriptio testatur:

LATERANO. ET. RVFINO. COS
SVPER. NVMERVM
COOPTATVS. EX. S. C
M. AVRELIVS. ANTONINVS
F CÆS. DESTINATVS

P. R. C. A. DCCCCXLVII. hoc est post Romam conditam anno, &c.

Hæc vetusta multis fastidium parient, quorum palato nil gratum, & qui quod sit optimum dum se pernovisse credunt, cœli palatum, ut ait Ennius, non suspiciunt. Annæus ille Seneca perfectus mea sententia Stoicus, nos ad Appios & Corruncanios forte rejecisset, nos tamen ex alieno sæculo res ipsas non verba obsoleta quærimus, moresque præteritos præsentibus verbis illustrare tentamus.

## CAP. X.

*Principes Sacerdotia contulerunt. Numerus ab illis ampliatus. Pontificatus codicillares. Pontificatus maximus Principi a Senatu delatus.*

POSTQUAM vero Imperatores Sacerdotia amplissima sibi arrogarunt, cæterorum Sacerdotum omnium electio penes illos fuit, legibus omnibus abrogatis vel neglectis. Accessit quandoque Senatusconsultum in adulationem: ut devicto & mortuo Antonio, Senatus Augusto decrevit, ut Sacerdotes quotquot vellet constitueret [6], quod quidem ab eo acceptum crevit in infinitum. Sacerdotia postea adepti multi, ut spolia, vel Libertorum principis favore aut consilio eadem consecuti, quorum nutu omnia regebantur [7]. Pontificatus honorem primus auxit Severus Alexander, post tot rerum perturbationes. Ille enim *Pontificatus & Auguratus & Quindecimviratus Codicillares fecit* [8], *ut in Senatum allegerentur*. Quod Vir in omni literarum genere optimus interpretatur, *beneficii sui fecit, ut Sacerdotia missis codicillis deferret*. Putarem ego Pontificatus codicillares ad novæ dignitatis cumulum referendos, qui ex Senatorio honore adcrescebat. Hoc est enim *Codicillares facere*, ut ex Lampridio patet, cum addit *ut in Senatum allegerentur*. Quod Gratianus Imperator vocat *Codicillorum insignia* [9]. *Judices*, inquit, *qui sceleribus fuerint maculati, ablatis codicillorum insignibus, inter plebejos, habeantur*. Sic dicuntur *Codicillares dignitates* [10]: *codicillorum adeptio*: *codicilli imaginarii* qui cassas habent imagines dignitatum. Quo sensu dixit Cassiodorus *Codicillariis illustratibus ornatos* [11]. Pontifices ergo omnes ut Augures & Quindecimviri in Senatorum ordinem, a Præfecto urbis relati sunt. Itaque Alexander Imperator Codicillares Pontifices fecit, ut in albo amplissimis Sacerdotiis nitescant. Atque hæc de Sacerdotiis & dignitatibus, quæ Imperatorum arbitrio donabantur, cum sibi maximum Pontificatum retinuissent. Qui tamen illis a Senatu nonnunquam delatus est in signum Imperii. Ut cum occiso Caracalla scripsit Opilius Macrinus Senatui, milites sibi imperium detulisse: Macrinum Senatus Pontificem maximum salutavit [12], quo nomine militum electio comprobata. Nam cum Senatus Pontificem max. dicebat, agnoscebat Principem.

## CAP. XI.

*Pontificis Maximi dignitas & prærogativa. Vestales capiebat. Regem Sacrorum & Flaminem inaugurabat. Illius sunt Tensæ, Præcentio, ludi. Ancilia sacra apud illum.*

PONTIFICATVM maximum principalis honoris fastigium merito existimarunt [13]. Præcedebat enim civiles magistratus omnes, & in honorum publicorum enumeratione, illius dignitas primo loco assumebatur. In Julii Cæsaris nummis notatur, *Cæsar Pontifex Maximus, Dictator Tertium*: ut in Augusti, *Cæsar Augustus, Pontifex Maximus, Consul Quintum*.



1 Liv. lib. 10. 2 Polyb. lib. 3. Florus epitom. 18. Paterculus lib. 2. 3 Cicer. pro Corn. Balb. Patercul. lib. 2. Plinius lib. 5. c. 5. & lib. 7. c. 43. 4 Florus epitom. 89. Dio lib. 42. 5 Sueton. in Claud. c. 6. a 300. 6 Dio lib. 51. 7 Tacit. 1. historiar. Plin. in panegyric. 8 Lampridius in Alexandr. 9 l. 12. C. de dignitatib. lib. 12. 1. de præfect. 10 l. prætor. l. 8. de honor. Codicil. l. 74. de decurionib. C. Theodos. 11 lib. 4. Variar. c 25. 12 Capitolin. in Macrin. 13 Patercul l. b 2.





Vetus lapis Romæ in Obelisco Campi Martii.
a IMPERAT. CÆSAR
DIVI. FILIVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XII. CONS. XI
TRIB. POT. XIV

Quod idem in omnibus omnium Imperatorum & magiſtratuum nummis & inſcriptionibus obſervatur. Servius Sulpitius Ciceroni [1]; *Reminiſcere quæ digna tua perſona ſunt: illum quandiu ei opus fuerat vixiſſe. Te patrem ſuum Prætorem, Conſulem, Augurem vidiſſe.* Augurum dignitas Pontificatum quodammodo adæquabat. Idem Cicero de ipſis Pontificibus [2]: *Me in ea ipſa domo qua tu me expuleras, Pontifices, Conſules, Prætores collocaverunt.*

Summa apud gentes omnes legatorum poteſtas, apud Rom. ſacra, apud quos non ſolum magiſtratus honoribus afficiebantur, verum ἀσυλίαν καὶ σεβασμὸν ἱερέως habuerunt, ut ne ſine ſcelere quidem poſſent violari, quaſi Deorum Immortalium Sacerdotes [3]. Quare Piſo Julii Cæſaris ſocer, ut conjuratorum ſocios conari vidit illum ſepulturæ honore privare, in Senatu exclamavit, *ſepeliri vetant ſummum Pontificem* [4]? Etenim Pontifices Sacerdotes Deorum perpetui, qui & religionibus & ſummæ Reip. præerant [5], tantis aucti fuere honoribus, ut Tribuno pleb. mulcta dicta ſit, quod cum maximo Pontifice injurioſe contendiſſet [6], cum illius alioquin ſuperbia, ne ab injuria quidem majorum magiſtratuum unquam temperaret. Rebus conclamatis Pontifices Augureſque, ut major & honoratior legatio, a populo miſſi fuerunt, cum fruſtra Conſulares decem legationem antea obiiſſent [7].

Sed ne longius a Pontifice maximo diſcedamus, pauci illud Sacerdotium adepti ſunt, qui Curuli Sella non ſediſſent [8]. Ille Veſtales capiebat, cujus olim arbitratu lege Papia viginti legebantur, quarum ſortitio in concione ex earum numero fieri ſolebat [9]. Illius etiam fuit inauguratio Regis ſacrorum & Flaminum, qui Centuriatis Comitiis & Curiatis primum creabantur. Flaminis Dialis meminit Livius [10], quem invitum Pontifex max. inaugurari coegit. Flaminum majorum inauguratio ex indice quarto [11] Metelli Pontificis maximi colligitur. Regis Sacrorum exemplum ab eodem Livio [12] repetemus, ut illius lectionem, quam viri doctiſſimi immutarunt, ſi fieri poteſt, opera noſtra tueamur. *Inter multos alios*, inquit, *quos peſtilentia ejus anni abſumpſit, Sacerdotes quoque aliquot mortui ſunt. L. Valerius Flaccus Pontifex mortuus eſt, in ejus locum ſuffectus Q. Fabius Labeo. P. Manlius qui nuper ex Hiſpania ulteriore redierat, Triumvir Epulo, Q. Fulvius M. Filius in ejus locum Triumvir cooptatus, tum prætextatus erat. De Rege Sacrifico ſufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Servilium Pontificem maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duumvirum Navalem, quem ut inauguraret Pontifex, magiſtratu ſeſe abdicare jubebat. Recuſanti id fa-* A *cere, mulcta ob eam rem dicta a Pontifice, deque ea cum provocaſſet, certatum ad populum. Cum plures jam tribus intro vocatæ dicto eſſe audientem Pontifici Duumvirum juberent, mulctamque remitti ſi magiſtratu ſe abdicaſſet. Ultimum de cœlo quod Comitia turbaret, intervenit. Religio inde Pontificibus inaugurandi Dolabellæ. P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui ſecundo loco inauguratus erat.* Vulgatam Livii lectionem, nec Glareanus, nec Sigonius ferre potuerunt [13], quibus hæc verba *ultimum de cœlo intervenit* mendoſa videntur. Glareanus pro *ultimum*, *portentum* reſtituit, quem portenta loqui merito Sigonius affirmat. Hic pro *ultimum* legit *vitium*. B *Unde*, inquit, *vitio creati & vitioſi magiſtratus dicuntur, qui contra Auſpicia creati ſunt*. Corriguntur hercle certe antiquæ editiones ab eruditiſſimis hominibus, qui interdum integras illas nobis corruptas reddunt. Vitioſa ſane eſt utriuſque hoc loco emendatio, & vulgata lectio retinenda. *Ultimum* enim loco adverbii poſitum, *poſtremum* ſignificat, quo ſenſu Livius uſus eſt [14]: *Nunc*, inquit, *errabundi domos ſuas, ultimum illas viſuri pervagantur*. Magna inter Pontificem max. & Duumvirum contentio. Jubet Pontifex, contradicit Duumvir, mulcta dicitur, provocatum ad populum. Inita comitia Tributa: *ultimum* id eſt tandem, poſtremum, certamen C illud cœlum diremit. Vitium Comitiorum ſolum fulmen eſt. Itaque Jove tonante, fulgurante, Comitia haberi nefas [15]. Et cum illa haberentur & tonuiſſet, obnuntiatione ipſa dicebantur vitiari. Quod fuſe Grucchius exequitur [16], ad quem lectorem rejicio. Ille quid ſit *de cœlo ſervare*, *de cœlo renunciare*, perdocte explicavit. Sed in cœlo nullum vitium vidit, quod poſſet Livii lectionem receptam impedire. Rectiſſima illa quidem eſt, *ultimum de cœlo quod Comitia turbaret, intervenit*. Hoc eſt fulgur apparuit, aut tonitru auditum eſt: Magiſtratui de cœlo renuntiatum, dirempta Comitia, nihil D de Dolabellæ contumacia tranſactum. Elegans locutio *ultimum intervenit*, nam *intervenire* eſt in medio negotio quaſi ex inſidiis ſupervenire [17]; nos Galli dicimus *venir a la traverſe*. Atque *de Cœlo intervenire*, ſic Latine dicitur, ut *de cœlo ſervare*, *de cœlo renuntiare*. Nec tamen doctiſſimi Sigonii emendationem improbarem quæ Latina certe eſt, ſed non ſatis huic loco accommodata, qui ſine vitio eſt, quod quidem vitium ſemper ex Augurali diſciplina ſubauditur, & ex ſuperioribus liquet. Juvat Sigonium Terentius in *Hecyræ* Prologo primo, ubi hæc ſunt verba:

*—— Hæc cum data eſt*
E *Nova novum intervenit vitium & calamitas.*

Ubi Donatus, *Bene*, inquit, *ſecundum Augures. Vitium enim eſt, ſi tonet tantum, vitium & calamitas, ſi tonet & grandinet ſimul atque fulminet*. Sed paria ſunt *vitium intervenire* & *de cœlo intervenire*, quare *ultimum* illud in Livio mihi primum eſt. Facit Sigonii authoritas, ut multum animadverſioni tribuam, ſed vulgata magis placet & elegantior videtur.

In ultimis Livii verbis hæreo, quibus viri illi non ſunt immorati. *Religio*, inquit, *Pontificibus fuit inaugurandi Dolabellæ: P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui ſecundo loco inauguratus erat*. Sudavit F Turnebus [18] literatorum omnium qui poſt illum fuere Dux & Princeps, in hujus loci explanatione. Fateor ingenue, non aſſequor illius mentem. Leve mendum in Livio puto ſic emendari poſſe, ut pro *inauguratus* legendum ſit *inaugurandus*. Fruſtra enim ſi Clœlius inauguratus erat, denuo inauguraretur. Cum ergo religio fuiſſet Pontificibus inaugu-

a 226. 4. 1 lib. 4. epiſt. 5. 2 In Piſon. 3 Dionyſ. lib. 11. 4 Appian. lib. 2. de bel. Civil. 5 Cicer. pro domo ſua. 6 Florus epit. 47. 7 Dionyſ. lib. 8. 8 Liv. lib. 25. 9 Agel. lib. 1. cap. 12. 10 lib. 27. 11 Macrob. lib. 2. ſatur. cap. 9. 12 lib. 40. 13 In ſcholiis ad Livium. 14 lib. 1. 15 Cic. 2. de divinat. 16 lib. 1. de Comitiis cap. 4. 17 Donat. in Adelph. act. 3. ſcen. 3. 18 lib 30. adverſar. cap. 24.

randi Dolabellæ, quod de cœlo ſervatum eſſet, controverſiaque nondum a Tribubus dijudicata, Dolabellam prætermiſerunt, & Clœlium qui ſecundus ab illo erat, inaugurarunt primum: cum tamen Sacrorum rex in Sacerdotum ordine primus eſſet & maximus, & in ipſis inaugurationis conviviis, ſolus ſupra omnes accumberet [1]. Pleraque in hoc genere doctrinæ quod tractamus hujuſmodi occurrunt, ut ſine Reip. detrimento unicuique ſecus ſentire liceat.

In Regis ſacrorum ut aliorum Sacerdotum inauguratione, Augures Pontificibus adfuiſſe ut Auſpiciorum præſides, Cicero docet [2]. *Eſt ergo*, inquit, *Flamen ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, D. Julio M. Antonius? cur igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem, vide qui te inauguret, collegæ ſumus, nemo negabit*. Quod a Dionyſio accipit lucem [3]. *Expulſis Regibus*, inquit, *Papyrium Regem Sacrorum Pontifices Augureſque inaugurarunt*, male interpres vertit *ἀποδεῖξαι deſignare*, quod ſonat *capere, inaugurare*. Nam populus Tributis Comitiis nominabat. *ἀποδείκνυμι* Sacrorum verbum ex Plutarcho [4] notatur: Ἀπέδειξαν ἱέρειαν τῆς Ἑστίας, licet *ἀποιωνισθεὶς inauguratus* dicatur, ſed alio ſenſu. Rex Sacrorum Centuriatis Comitiis fiebat, ab ipſo Pontifice maximo habitis, cujus Sacerdotium Pontifici maximo ſubjectum eſt, ne additus nomini honos aliquid officeret libertati [5].

Erant Præterea Pontificis maximi Tenſæ, Curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum [6]. De his nihil aut certe parum qui de Circo ſcripſerunt. Tamen ex M. Tullio videmus Pontificem maximum in Circenſi pompa, & in ſacris omnibus publicis præcinuiſſe, & hymnorum cantus inchoaſſe, qui in honorem Deorum a Sacerdotibus canebantur. Onuphrius [7], vir literarum veterum diligentiſſimus, præclaræ eruditionis eximiique judicii, unum ex ſingulo cœtu militares modulos præcentione exorſum tradit. Nec ego diſſentio. De Pontifice nulla illi vox: debuerat tamen ſaltantium choros ab hymnis ſacerdotum diviſiſſe.

Ancilia ſacra apud Pontificem max. aſſervabantur [8]. Fuerunt illa arma cœleſtia quæ fatale pignus Imperii putarentur. Septem enim erant paria, quæ illud tenuiſſe dicuntur [9]. Acus matris Deum, Quadriga fictilis, Vejentorum cineres, Oreſtis ſceptrum ſive Priami, Ilione, Palladium, Ancilia. Vehemens fuit Furii Camilli oratio adverſus Tribunos, qua ſuadet non deferendam eſſe Romam, ut Vejos migraretur [10]. *Hic*, inquit, *Ancilia cœlo dimiſſa, hic omnes propitii vobis manentibus Dii*. Eſt & Appii Claudii, quæ in Tribunos, qui legem adverſus Patritiorum opes promulgarunt, *Tradемus Ancilia, Penetralia, Deos Deorumque curam*. Horum forma Ancilium expreſſa eſt in antiquis numiſmatibus Licinii Triumviri Monetalis:




Ut illa conderentur & moverentur alii ante nos monuerunt. Quæ tractamus Pontificis maximi reſpiciunt dignitatem, quæ tanta fuit ut pignus illud Imperii hujus fidei committeretur. Ancilia ὅπλα τὰ Ἄρεια dixit Dio [11], quod Marti Gradivo dicata eſſent, & ſecundum inſtituta Majorum, apud ſummum Pontificem aſſervarentur, παρὰ Ἀρχιερεῖ κείμενα, & ab illo in Sacrario in Regia cuſtodirentur [12].

## CAP. XII.

*Pontifex maximus de Ceremoniis edicebat. Conſervator Ceremoniarum. Ritus, Caſtus.*

OMNIS bene ſapienterque conſtituta Reſpub. religione & ceremoniis continetur, quarum Pontifices *Antiſtites* dicebantur [13]. *Ceremonias* voco exteriorem Deorum cultum, qui pro ratione locorum & temporum poteſt immutari. Nonnunquam tamen *ceremoniæ* pro religionis ipſius fundamentis & radicibus ſunt uſurpatæ. Sic Tacitus [14] *pollutas ceremonias* exclamabat: & P. Clodius pollutarum ceremoniarum reus factus [15]. *Ceremonias* a *Carendo* dictas aſſerit Maſſurius Sabinus [16], unde *denariæ* & *tricenariæ ceremoniæ* [17], quibus ſacra adituris, decem continuis vel triginta diebus, certis quibuſdam rebus carendum erat: & *Puri menſtruo* eſſe dicuntur, qui Sacrorum cauſa, toto menſe in Ceremoniis ſunt, id eſt puri ſunt certis rebus carendo. Alii *Ceremoniarum* etymon trahunt a Cæretanis, longe repetita verbi origine. Docet Scaliger [18], *Cerum* ſanctum dici veteri lingua, a quo *Ceremonia*.



1 Feſtus in verb. ordo ſacerdotum. 2 Philippic. 2. 3 lib. 5. 4 in Romul. 5 Livius l. 2. 6 Cic. de Aruſpic. reſp. 7 l. 2. de ludis Circenſ. c. 2. 8 Livius lib. 1. 9 Servius 8. Æneid. Feſtus in verb. Mamurii. 10 Livius lib. 5. 11 lib. 44. 12 Servius 8. Æneid. 13 Cicer. pro dom. ſua. 14 lib. 1. hiſtor. 15 Sueton. in Jul. c. 74. 16 Agel. lib. 4. c. 9. 17 Feſtus verb. denariæ, & in verb. puri menſtruo. 18 In Feſtum in verb. Ceremoniarum.

*Cerus* mysticon nomen erat Jani, in Carmine Saliari. Alii putant a Cerere *Ceremonias* derivari, cujus sacra antiquissima summa religione ceremoniaque conficiebantur [1]. Ceremoniæ [2] *δημήτεια μέμψις*, quæ est Hesychio *κατάγνωσις*. Agnoscit enim vulgus exteriore cultu & Deorum Majestatem, qui quidem non solet, nec debet recondita doctrina erudiri: sed religioni parere, nec contumaciter patrios mores repudiare. Recte Dionysius [3] Ceremonias *θυηπολίας* vocat, *θύη* enim sive *θύματα, ἀρώματα* quibus plurimum Ceremoniæ constant, & *θυηπολία* est operatio in sacris *θρησκεία, σέβασμα* [4].

De Ceremoniis Pontifex max. edicebat, & funesti ominis loco acceptum, quod Vitellius Imperator Pontificatum max. adeptus, edixit de Ceremoniis, infausto Alliensi die [5]. Notum est in Magistratibus, cum Magistratum iniissent, primo quoque tempore illos in concionem ascendere atque edicere, quæ essent observaturi in jure dicundo [6]. Hoc Censores soliti, Prætores, Proconsules, Ædiles Curules, qui edicta præscribebant [7], quibus verius jus prædicebatur quam dicebatur. Quod in Pontifice maximo observamus, qui Sacerdotio amplissimo præditus, ex Collegii sententia in albo proponebat nonnulla translatitia, novave quæ ad Deorum cultum pertinerent: ut de Festis, Feriis, Supplicationibus, quibus diebus, ad quæ templa, cui Deo, & de cæteris omnibus quæ per annum servarentur. Quod summis & amplissimis aliis Sacerdotibus quandoque permissum, ut Decemviris Sacrorum, qui supplicationem in biduum valetudinis causa, in urbe & per omnia fora conciliabulaque edixerunt [9]. Hæc edicta erant *διατάγματα* quæ Pontifex max. concedebat, qui verbo solo a magistratu distinguebatur, cujus potestatem & imperium, re quidem ipsa retinebat. Atque ut ille de Ceremoniis edicebat: ita de illis remittebat, gratiamque faciebat [10], ut de Servio Maluginensi infra demonstrabimus.

Erant Ceremoniarum magistri in sæcularibus ludis, qui magistratus officio antiquitus potissimum exequebantur [11], quæ postea Imperatores ipsi confecerunt. Romæ in vinea Cardinalis Carpensis Inscriptionis visitur fragmentum:

PONTIFICI. MAXIM
TRIBVNI. POTESTAT
IMP. XVII. P.P
COS. VII. DESIGN. VIII CENSORI
CONSERVATORI. CEREMONIARVM
PVBLICARVM

Ludi Sæculares nonum ex Senatusconsulto facti a M. Julio Philippo in illius nummis Sæculum novum leguntur:




Quos decimum Honorius celebravit [12], Christianus Imperator. Ea vero fuit Ceremoniarum cura, ut ob illas vel neglectas vel prætermissas, sibi crederent iratos Deos. Quapropter sæpe levi de causa ludos instaurarunt, & adversis Reip. temporibus acciti Aruspices, quorum monitu redintegratæ Ceremoniæ, & in posterum rectius habitæ [13].

Proprie Ceremoniarum dicuntur leges: *Fas Sacrorum*: *Jus religionum*: *rituum cultus* [14]. *Ritum* definiunt morem vel consuetudinem in Sacrificiis administrandis [15]. Hinc quod fit *rite*, id ratum ac rectum in nostris libris [16]. Accius *ritum* vult accipi a recte perfectis sacris [17]. *Castus* veteribus idem quod *ritus*, in qua significatione a Virgilio usurpatur [18]:

*Hac casti maneant in relligione nepotes:*

Quod est, *hoc ritu religionem colant*. Idem Poeta:

*Præterea castis adolent altaria tædis* [19].

Unde *casti* vocantur qui bene ac publice docti atque educti. Nam amoribus turpibus impediti repellebantur a Sacerdotiis per antiquum ritum [20]. Nos vero, proh pudor! novos ritus contrariosque antiquis moribus indidimus, & pecudum ritu omnia referimus ad voluptatem, quam merito malorum omnium escam veteres appellarunt.

## CAP. XIII.

*Pontifex max. pro collegio respondebat. Cum populo agebat. An legis ferendæ habuerit potestatem. An Italia abesse potuerit.*

AMPLITUDO hujus Sacerdotii ea fuit, ut pro Collegio Pontificum Maximus responderet, si quid a Senatu ad illos rejectum relatumve esset: aut si quid a Collegio jussum, monitum vel observatum. Cicero [21], *Te Lentule appello, respondebis & tu, & pro Collegis, & pro Pontificum Collegio*. Idem [22]: *Eam rem ex Senatus authoritate Sext. Julius Prætor retulit: cum P. Scævola Pontifex max. pro Collegio respondit*. Sed in eo Pontificis maximi potestas elucescit, quod illi cum Populo agere liceret, hoc est rogare populum quid suffragiis suis aut vetaret, aut juberet [23]. Nam *cum populo agere*, est populum ad Concilium aut Comitia vocare [24].

Negat tamen Grucchius [25], Pontifici max. potestatem fuisse legis ferendæ; cujus viri ut mihi admiratio magna, ita censura difficilis, multis enim ille rationibus nititur & magnis, queis docet, ei qui magistratus non esset, legem ferre non licuisse. Atque Comitia Arbitris Pontificibus ex Agellio ita interpretatur, ut putet, Pontifices intervenisse tantum ut de jure cognoscerentur, quod illorum proprium esset, ut in adoptione. Hoc modo legum & judiciorum Castor & Pollux Arbitri ac testes appellantur [26]. Adderem ego quod me magis moveret, Pomponium in legum Romanarum enumeratione, Pontifices illarum authores nullos agnoscere, apud quos solum legis actiones fuisse commemorat, quæ ex duodecim Tabulis compositæ sunt [27]. Non commiscenda legum civilium ratio cum divinarum institutione. Sed cum Pomponius doceat ex Pontificibus fuisse aliquem constitutum, qui quoque anno præesset privatis: & Pontifex maximus jus habuerit agendi cum populo, non erit difficile probare, illum & leges promulgasse & magistratuum majorum, ut Sacerdotum omnium, si quando usus Reip. postularet, munus obiisse. Nam ante secessionem plebis in montem Sacrum, cum Decemviri sese magistratu abdicassent, Tribuni pleb. creati: præsto fuit Q. Furius Pontifex max. qui Comitia haberet [28]. Asconio [29] Pontifex max. fuit M. Papyrius:

1 Cicer. pro Corn. Balb. 2 Gloss. vet. 3 l. 9. 4 Hesychius. 5 Tacit. l. 2. histor. 6 Cicer. 2. de finib. 7 Agel l. 4. c. 2. & l. 24. c. 11. 8 Liv. l. 1. 9 Liv l. 40. 10 Tacit. 3. annal. Agel. l. 10. c. 15. 11 Tacit. l. 2. Annal. 12 Claudian. in Panegyric. 13 Tacit. 2. Annal. 14 Apulejus Apolog. 1. 15 Festus in verb. Ritus. 16 l. 3. C. de interdict. matri. l 4. de pact. convent. 17 Varro l. 6. de ling. lat. 18 3. Æneid. 19 7. Æneid. 20 Serv. 4. Æneid. 21 Philippic. 13. 22 De Aruspic. resp. 23 Agel. l. 13. c. 14. 24 Festus in verb. cum populo. 25 l. 3. de Comitiis. c. 3. 26 Cic. 7. in Verrem. 27 l. 2. D. de orig. jur. 28 Liv. l. 3. 29 In orat. pro Cornel.

quod monuisse satis erit. In re enim prisca & obliterata authores inter se dissidentes non concilio: sed hæc Pontificis authoritas ex Senatusconsulto, nec ex potestate ordinaria, sed delegata. Videamus ergo, quid proprium habuerit Pontifex max. quo Arbitro Curiata Comitia habebantur, in quibus exempli causa arrogationes fieri solebant. In illis Arbitrum Pontificem agnoscimus, hoc est authorem [1]. Vulgata autem legis formula in arrogationibus ut in omnibus legibus his verbis concepta: *Velitis, jubeatis, Quirites*. Atque in his post conceptum jusjurandum a Pontifice max. quod in arrogando juraretur. Addit Agellius [2] arrogationis verba sollemnia non alio quam ab ipso Pontifice prolata. Nec moveor quod in P. Clodii arrogatione Cæsar Consul dicitur legem Curiatam tulisse [3]. Nam cum esset idem Pontifex max. illum Curiatam de Arrogatione ut Pontificem tulisse, vix negari potest. Nec aliter fieri potuerunt arrogationes, Testamenta, Sacrorum detestationes Curiatis Comitiis, quæ Pontifex max. peragebat. De sacris legibus nulla dubitatio est, *Et cum lex*, ut ait Chrysippus, *omnium rerum humanarum ac divinarum sit regina* [4]: si Senatorii magistratus ut plurimum leges humanas rogarunt: Pontifex max. semper divinas tulit, & quæ ad religionem ceremoniarumque cultum pertinere viderentur. Jus enim Pontificium & Augurale juris publici pars est, quod in sacris, Sacerdotibus & magistratibus consistit, & rei Rom. spectat utilitatem [5]. Jus autem omne legibus constat & edictis, quæ non modicam obtinent juris authoritatem. Quare eo facile adducor, ut credam sacras leges Pontificum edictis comprehensas, aut communi gentium consensu receptas, quæ scriptæ non essent. Nec enim putandum est, cum Pontifices de ceremoniis edicere solebant, de his cum populo egisse, vel leges illas Trinundino promulgatas: cum arrogans esset, de religione Pontificum Collegium docere conari: curiosum ea scire velle, de quibus majores, illos solos consuli & scire voluerunt. Itaque sic intelligendus est Dionysius scriptor diligentissimus [6], cum scripsit Pontifices legis ferendæ potestatem habuisse, de sacris quæ nondum scriptis mandata, aut usu recepta essent, si digna viderentur quæ legibus sancirentur. Ita tamen ut populo potestas esset de Pontificibus ipsis decernendi, si ita Reip. conduceret. Hinc leges XII. Tabularum de sacris publicis privatisque, lex Domitia, Labiena, Antonia de Comitiis Sacerdotum, Ogulnia *de communicando plebi Sacerdotio*, Licinia, & Cornelia *de numero Sacerdotum*, Julia *de Sacerdotiis*, aliæque innumeræ, quæ statum Reip. religionemque servarunt.

An vero Pontifex max. cum religioni honos haberetur, Italia abesse posset, quærendum est. Quod negat Livius [7]. *P. Scipio*, inquit, *Consul dictus, ei P. Licinius Crassus additus est. Nominatæ Consulibus Provinciæ: Sicilia extra sortem Scipioni concedente Collega, quia cura Sacrorum Pontificem max. in Italia retinebat*. Sollemnia etiam sacra P. Licinium alterum Prætorem excusarunt, ne in Hispaniam iret, ut juravit pro Concione sollemni se sacrificio prohiberi [8]. At Licinius Crassus Pontifex max. in locum Scipionis Nasicæ factus, qui rerum bonarum quinque præcipua habuisse traditur [9], quod esset doctissimus, quod nobilissimus, quod elegantissimus, quod Jurisconsultissimus, quod Pontifex max. cum adeptus esset Consulatum, extra Italiam profectus, quod nunquam antea factum erat, prælio victus & interemptus est [10]. Posteriores alii Pontifices Maximi illius exemplo, veteri se instituto eripuerunt, & lege Vatinia extra sortem Provincias elegerunt, ut Julius Cæsar Gallias, quem merito hostibus dedendum Patres censuissent [11].

---

## CAP. IV.

### *An Pontifex maximus habuerit imperium. An jus exercitum imperandi.*

De Imperio, an illud fuerit proprium Pontificum magna est quæstio. Sigonius, cujus ingenium facundum, Romano Imperio dignum videtur, Sacerdotum omnium proprium fuisse arbitratur, ut nec imperium nec potestatem haberent [12]. Opinionem suam Livii authoritate tuetur, qui nihil tale usquam cogitavit: *Comitia Quæstoria primum sola plebi patribusque promiscua reliquerat Senatus. Plebs Quæsturam non honoris finem existimavit, sed illi patefactus ad Consulatum locus novis honoribus videbatur*. Sic emendo Livii lectionem [13], vulgata habet *novis hominibus*. *Patres*, inquit Livius, *non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere, negare si ita ea sint, liberos tollendos esse, qui pulsi majorum loco cernentesque alios in possessione dignitatis suæ, Salii Flaminesque, nusquam ad sacrificandum pro populo sine imperio ac potestate relinquantur*. Quod de Saliis & Flaminibus scripsit Livius, illud ad omnes omnino Sacerdotes Sigonius trahit, contra authoris mentem. Verba Livii longe aliter accipienda sunt. Etenim cum promiscua illis temporibus essent Comitia Quæstoria, hoc est, Quæstores partim ex patribus partim ex plebe crearentur: ut postea facti sunt ex parte dimidia Sacerdotes: Quæstores plebeii tum creati omnes, patresque cum Quæsturæ honorem communicassent, totum amiserunt: unde iræ. Viderunt enim patres, ope Tribunorum plebem honores omnes sibi vendicaturam, Sacerdotiaque omnia Flaminibus & Saliis omissis, qui Patritii erant, sine imperio & potestate. Id est ita sacris publicis addicti, ut magistratum raro capesserent. Nam inter Flaminis leges hæc una fuit, quæ in Fabii Pictoris libris legitur [14]: *Classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatum videre Flamini Diali religio est*. Ideo rarenter ille creatus est Consul, quia bella Consulibus mandabantur. *Potestatem* igitur & *imperium* apud Livium hoc loco intelligo authoritatem bellicam, quæ magistratui aut privato, lege Curiata vel plebiscito dabatur: non jus illud jure magistratus concessum, quod in jubendo, vetando, jure dicendo, edicendoque consistit [15], quale est majorum magistratuum, & Pontificum. Nam Imperium potestatemque hujusmodi Flamen & Salii obtinere potuerunt. Cum illis Consulatus & magistratus majores mandarentur, licet raro. Facit Tacitus [16] ad hanc rem, cujus lectionem mutilam viderunt multi, huc usque restituit nullus: *Servius*, inquit, *Maluginensis Flamen Dialis ut Asiam sorte haberet, postulavit, frustra dictitans vulgatum, non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud jus suum quam Martialium Quirinaliumque Flaminum. Porro si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? Sæpe Pontifices Dialia sacra fecisse, si Flamen valetudine aut munere publico impediretur*. Hæc ad militare tantum imperium referri posse manifestum est. Decretum autem Pontificum supra hac re fuit, *Quoties valetudo adversa Flaminem Dialem incessisset, ut Pontificis maximi arbitrio, dum ne plusquam binoctium abesset: dum ne diebus publicis sacrificii, neu sæpius quam bis in eundem annum*. Justus Lipsius bono Reip. litera-

---

1 Festus in verb. Arbitrio. 2 Agel. lib. 5. c. 19. 3 Cicer. de Aruspic. resp. Plutarch. in Cat. Uticensi. 4 lib. 2. D. de legib. 5 l. 1. §. hujus studii. D. de inst. & jur. 6 lib. 2. & 10. 7 lib. 28. 8 Liv. lib. 41. 9 Agel. lib. 1. c. 13. 10 Florus epitom. 59. 11 Sueton in Jul. c. 22. & 24. in Aug. c. 44. 12 lib. 1. de antiquo jur. civi. Rom. c. 19. 13 Liv. lib. 4. 14 Agel. lib. 10. c. 15. 15 l. 2. D. de in jur. voc. 16 lib. 3. Annal.

A riæ natus, damno publico citius ereptus, suspicatur locum mutilum, ex eo quod in omnibus editionibus notis compunctus sit. Si mihi jus censendi est, sic censeo restituendum, *Quoties valetudo adversa Flaminem Dialem incessisset, ut Pontificis maximi arbitrio sacra fierent, dum ne plusquam binoctium abesset*, &c. Sæpe enim Pontifices Dialia sacra fecerunt, si Flamen valetudine impediretur. Frustra viri eruditissimi de Pontifice maximo non de Diali expressum decretum putaverunt. Nam Pontificatum maximum gerebat Imperator, qui decretum Pontificum de Diali ipse recitavit, quo Flamini Ceremoniarum hæc gratia facta, ut potestatem & imperium bellicum habere posset, dum ne plusquam binoctium abesset. B Sed nihil hæc ad Pontificis maximi imperium, quod ratione Sacerdotii civile habuit, non militare. Illius tamen decretum de Flamine eo me deduxit, ut ea non prætermitterem, quæ cum ipsius jure conjuncta esse videntur. Pontifex ergo & Jurisdictionem habet quæ sine imperio non est [1]: imo merum imperium, ut fusius docebimus libro sequenti.

Videamus & an ille habuerit jus exercitum imperandi. Lælius Fœlix [2], cum de Comitiis loquitur quæ pro Pontificum collegio haberentur, aut Regis aut Flaminum inaugurandorum causa: *Centuriata Comitia*, inquit, *intra pomœrium fieri nefas est, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem jus non sit*. C *Propterea Centuriata in campo Martio, exercitumque imperari præsidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus*. Non negat Grucchius [3], Lælium de centuriatis Pontificum Comitiis loqui, quod & manifestum est. Sed existimat potuisse præsidii causa exercitum imperari a majore magistratu, atque interim a Pontificibus Comitia haberi. Nec enim scribit Lælius, ab eo qui Comitia haberet exercitum imperatum: sed hoc tantum, Comitiis Centuriatis quæ pro Collegio Pontificum haberentur, exercitum præsidii causa imperari solitum. D Quasi vero Pontifex solum Comitia haberet Sacerdotii causa, & Consul iisdem Comitiis exercitum præsidii causa imperaret. Quod mihi nullo modo verum probatur: nec enim adduci possum, ut credam, eadem Comitia quasi ex parte dimidia, hoc est partim a Consule, partim a Pontifice max. inita fuisse. Lælius Fœlix de Pontifice max. loquitur, qui Centuriatis Regis Sacrorum Comitiis præerat: quid hoc ad Consulem? Cur ille Sacrorum Regis turbaret Auspicia, aut retineret? Bellum nonnisi Comitiis Centuriatis indicebatur. Centuriata Comitia magistratuum, legum & judiciorum, in trinundinum promulgabantur. E At Centuriata Regis Sacrorum, nullo interjecto temporis spatio, per Cornicinem calabantur [4]. Tum si vis repentina hostium ingruisset, in rebus trepidis Pontifex exercitum imperabat, hoc est populum rogabat, ut vellet juberet arma præsidii causa capi. Rationem Lælius hanc reddit, *quia populus esset in suffragiis ferendis occupatus*. Quasi dicat, bellum omnium ordinum consensu potuisse apparari, cum de re alia populus rogaretur, non expectato trinundino ob præsentem hostium metum. F Belli enim necessitas moras & dilationes non expectat, & pugnandum interdum est, non quia velis, sed quia hostis cogat. Atque in tumultu omnia præpostere administrabantur, legesque inter arma imminentia conticescebant.

*Bellum indicere* & *exercitum imperare* idem sunt: utrumque fiebat populi jussu, Centuriatis Comitiis trinundino promulgatis, lege lata. Legati cum Fœcialibus mittebantur, qui illud indicerent. At arma in tumultu imperabantur, id est in maxima rerum perturbatione. Si nulla essent Comitia, Senatus tumultum decernebat, vel ex Senatus sententia Dictator, Interrex, Consul, quibus mandabatur, ut viderent ne quid Resp. detrimenti caperet, quæ forma Senatusconsulti ultimæ semper necessitatis erat [5]. Quare non dubitandum ex Lælii verbis Pontificem max. præsidii causa exercitum imperare potuisse, Comitiis Regis Centuriatis, ut periculi vicinitas propulsari posset, & tumultus jussu populi decretus sollemnior haberetur. Nam si Pontificis nullæ hac in re partes essent, non debuit Consul vel Prætor illius Comitiis rem expedire, cum aliter Reipub. saluti consuli posset & soleret, cum Comitia hujusmodi non haberentur. Tum enim ex veteri & ultimo Senatusconsulto res gerebatur [6]: quam Patres populi consensu firmare, si fieri posset & tempora paterentur, semper maluerunt. Quapropter cum Pontifex max. cum populo ageret, Senatus authoritas & Magistratuum hac in re conticuit. Quibus jus non fuit illis Comitiis cum populo agendi. Difficile ad fidem est in tam antiqua re, certo aliquid affirmare, sed audendum aliquid est, si minus fœliciter, Fœlicem usquedum authorem me habere puto. Si nesciens erro, at quæ ullo in genere venia est justior quam in Antiquitatis indagatione?

Sed ut in tumultu, subitaria aliqua scriptura, nonnihil dicamus: notandum hoc genus militiæ conjurationem & evocationem dici, & milites conjuratos & evocatos [7]. *Conjurati* quidem appellabantur, quod simul jurarent: *Evocati*, quod simul emeritis stipendiis rursus arma ferre cogerentur, & tumultu vacationes non valerent.

---

## CAP. XV.

*Pontifex maximus omnes magistratus adeptus. Imperator Pontifex. Idem Augur & Quindecimvir Sacrorum. Ex duobus Imperatoribus unus Pontificatum max. gerebat.*

PARS magna Pontificum ex primoribus Civitatis erat, qui postea imperatorum propinqui præcipuos in Republica magistratus gesserunt, ut fasti Consulares declarant [8]. M. Æmylius Pontifex max. Censor creatus [9], cum collega Senatum legens, princeps electus est Senatus, ipse Censor. P. Licinius Crassus Pontifex max. Censor factus est, qui nec Consul nec Prætor ante fuerat quam Censor [10]: sed ex Ædilitate gradum ad Censuram fecit: a Censura ad Consulatum evectus est. Hic tamen a Q. Fulvio Dictatore magister Equitum dictus est, qui inter ordinarios magistratus non numeratur. Nam extra ordinem magister Equitum a Dictatore dicebatur Reip. temporibus impeditis.

Fuerunt Pontifices, Tribuni pleb. ut P. Scævola Pontifex max. quod M. Tullio periculosum videbatur [11]. Nam *si Tribunus pleb.* inquit, *Clodium imitatus, aliquem per vim afflixerit, domumque illius judicarit: hoc ratum esse potuisset, propter Pontificatus authoritatem*. Quæ tanta fuit ut illam Imperatores sibi vendicarent. Augustus Romanorum primus imperator primus Pontificatum max. suscepit, quem vivo Lepido non ambivit [12]. Errat enim Florus [13] cum scibit Augustum in confusione rerum ac tumultu, Lepidum Pontificem max. interemisse, qui suo fato ereptus est. Augustus autem illius Pontificatum adeptus, quidquid fatidicorum librorum Græci

---

1 l. fin. D. de eo cui mand. est jurisd. 2 Agel. lib. 15. c. 27. 3 lib. 1. de Comit. c. 3. 4 Liv. lib 3. & 4. 5 Cic. Philippic. 8. Liv. lib. 1. & 7. 6 Servius 8. Æneid. 7 Serv. 8. Æneid. 8 Tacit. lib. 4. Annal. 9 Livius lib. 40. 10 Liv. lib. 27. 11 Cic. lib. 12. epist. ad Attic. 5. 12 Sueton. in Augusto c. 31. 13 Epitom. 117.

Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis authoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit, & solos retinuit Sibyllinos. Quod Pontificum demonstrat potestatem, quorum fuit, Sacrorum libros probare vel improbare. Imperatores cæteri Augusti exemplum secuti, omnes ad Pontificatum maximum irrepserunt. Horum tamen nullus ante Hadrianum, Pontificis max. officium peregit [1]. Nam priores honore contenti rem ipsam neglexerunt. Et Domitianus qui Corneliam Maximillam Vestalem damnavit, non Pontificis partes sustinuit, sed Tyranni personam, qui illustrari sæculum suum tali exemplo concupivit [2], quod deformatum ad illius vergit infamiam.

Non solum autem Pontificatu, sed Auguratu Imperatores ornati sunt. In omnibus fere illorum Numismatibus Pontificis max. notavi dignitatem, in quibusdam Auguratum. Est apud me nummus argenteus Vespasiani, est æreus Aurelii Veri, uterque cum insignibus Auguratus:




Est aureus Augusti cum hac inscriptione: *Cæsar. Divi. Filius. Augur. Pont. Imp. Quar. Cos. Ter.* Est enim argenteus D. Julii cum in numerum Deorum allectus est, in quo Veneris templum signatum, cum stella & Cæsaris Statua habitu Augurali:





Quæ Taciti corruptam lectionem indicant, quam nullus adhuc animadvertit: licet multi multa in eo audacter immutarint. Ille [3], *Otho Pontificatus Auguratusque honoratis jam senibus, cumulum dignitatis addidit & recens ab exilio reversos nobiles adolescentulos, avitis & paternis Sacerdotiis in solatium recoluit.* Corrigo ex nummis meis: *Sed Otho Pontificatus Auguratusque honoratus insignibus, &c.* Quod sequentia authoris verba confirmant. Addit enim Tacitus, *cumulum dignitatis addidit*, quod Imperator, Pontifex maximus & Augur esset, imperatoriamque majestatem amplissimorum Sacerdotiorum honore cumulasset. Vulgatam tuetur vir doctissimus amicus meus, qui suis ad me literis opinionis suæ adstipulatorem laudat Plutarchum, qui in *Othone* iisdem pene verbis usus est; Τοῖς δὲ ἀποδεδειγμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἢ Γάλβα, πᾶσιν ἐτήρησε τὰς ὑπατείας, ἱεροσύναις, δὲ τοὺς καθ' ἡλικίαν προσήκοντας ἢ δόξαν ἐκόσμησε. Vitæ Othonis scriptor, quisquis ille fuerit, a Tacito verba hæc mutuatus, librarii errorem secutus est, qui certe manifestus, ut altius repetita lectio aperiet. Nam *cum Otho*, inquit Tacitus, *ut in multa pace munera Imperii obiret: quædam ex dignitate Reip. pleraque contra decus ex præsenti usu properavit. Quæ ex dignitate, pauca illa quidem, paucis concluduntur. Plura contra decus notantur*. Subjungit enim: *Sed Otho Pontificatus Auguratusque honoratus insignibus, Cumulum dignitatis addidit: & recens ab exilio reversos nobiles adolescentulos avitis & paternis Sacerdotiis, in solatium recoluit. Redditus C. Ruffo, Pædio, Blæso locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio & Nerone ceciderant*. Ex quibus mens Taciti aperta est, & vera lectio elicitur. Nam dictio illa, *Sed*, adversativa est, & transitum significat ad mentionem alterius rei, & ad ea quæ contra Reip. decus Otho properavit, ut scilicet adolescentulis recens ab exilio reversis, Sacerdotia concederet, & repetundarum damnatos in integrum restitueret. Quod si Sacerdotiis amplissimis seniores viros Otho honorasset, frustra id a Tacito recenseretur inter ea, quæ contra Reip. decus properanter acta sunt. Omitto quod vulgatam leges Grammaticæ non ferunt, *Pontificatus Auguratusque honoratis jam Senibus*. Ut nec sequentia verba admittunt, *Cumulum dignitatis addidit*. Quæ Othonis respiciunt personam, ad cujus summam potestatem, cumulus post ea Sacerdotiorum accessit. Nam Imperatores non ipso imperii die Pontificatum accipiebant. Vitellius, cæde Galbæ nuntiata, Principatum statim invasit, posteaque infausto Alliensi die Pontificatum maximum cepit [4], Vetus decretum Romæ in Marmore:

ITEM. DEDICATIONE. STATVARVM. CÆSARVM. ET. AVGVSTARVM
MVLSVM. ET. CRVSTVLA. PECVNIA. NOSTRA. DEVOTIS. OMNIS
ET. POPVLO. DEDIMVS. PERPETVOQVE EIVS. DIE. DEDICATIONIS
DATVROS. NOS. TESTATI. SVMVS. QVEM DIEM. QVO. FREQVENTIOR
QVOTANNIS. SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS MARTIAS. QVIA. HAC. TI
CÆS. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS EST.

Obierat Augustus XIIII. Kal. Septemb. quo die Tiberius Imperium adeptus est, Pontificatum in Idus Martias distulit.

Nec vero Pontificatu & Auguratu solum solebant Imperatores insigniri, verum etiam Decemviratu, ut tribus illis summis & amplissimis Sacerdotiis sacra omnia in manu haberent. Est nummus Vitellii argenteus cum notis XV. VIR. SACR. FAC. in quo Tripus cum delphino & avicula, quæ ad Apollinem omnia referuntur, cujus proprii Quindecimviri erant Sacerdotes:






1 Spartian. in Hadrian. 2 Plin. lib. 4. epistol. 3 Tacit. lib. 1. historiar. 4 Sueton. in Vitellio. cap. 9. & 11. a 228.8.

Ex quo liquido constat Imperatorem Vitellium A Quindecim viratus Sacerdotio præditum, dignitatem illam nummis suis nobilitasse.

Quod si duo vel tres simul essent Imperatores, illorum unus Pontificatum maximum gerebat, cæteri Pontifices majores erant ut ex nummis probatur. Sunt Divorum fratrum in quibus M. Aurelius Antoninus Pontifex max. duabus his literis vulgatis inscribitur P. M. Aurelius Verus Pontifex tantum. Quod idem in Caracallæ & Getæ, Diocletiani Maximianique nummis, & cæteris passim licet observare. Principes tamen Pontificatum adepti, omnia sibi arrogarunt, & nullis in rebus Collegium adhibuerunt, nisi Dicis causa. Ut Domitianus in Maximil- B læ judicio reliquos Pontifices non in Regiam, id est Pontificis max. domum, sed in Albanam villam convocavit, ut illius effrenatæ libidini mentito pietatis nomine deservirent. Vespasianus pater religionem quidem sanctius coluit, ut vetus inscriptio facit fidem, quæ Romæ in Thermis Titianis inventa est:

[a] JOVI
IMP. VESPASIANVS
PER. COLLEG. PONTIFICVM
FECIT

In rebus enim quamplurimis Pontifex max. sine C Collegio nihil poterat, cujus permissum bonus Imperator & Pontifex maximus expectavit.

## CAP. XVI.

*Pontificis Maximi Conjux. Domus illi publica & Laureata.*

JAM vero Pontificis maximi nuptias adornemus, cui Conjux deligebatur [1], quæ matrimonii augeret dignitatem. Illud per Confarreationem fie- D bat [2], quod genus conjunctionis, Pontifici max. & Flamini Diali usitatum. *Confarreatus* [3], *συμβιώσεως χάριν ζευκτής*. Qui nuptiarum ritus tandem in desuetudinem abiit, ut coemptio omnisque conventio in manum. Quare ubi in *Pandectis* Tribonianus legit *convenire in manum*, ubique substituit ille, *in matrimonium convenire* [4]. Sunt qui Pontificem max. unius uxoris virum fuisse tradant. Tertullianus [5] nuptiarum hostis acerrimus, illud sibi multis locis persuasit, qui Regem sæculi Pontificem max. rursus nubere nefas putat. Africani scriptoris improprietatis in Latinis nominibus, prætermittenda est, nec enim virorum est nubere. Idem ille summum E Pontificem in unis nuptiis statuit: quem de Flamine Diali loqui vir doctus annotavit. Tamen inter Flamines nihil aliud de nuptiis statutum invenio, præterquam quod, si Dialis uxorem amiserit, illum Flaminio decedere [6]: & matrimonium Flaminis nonnisi morte dirimi. Antiquatas leges Julius Cæsar Flamen Dialis & Pontifex max. pluribus exemplis docet [7]. Nam dimissa ille Cossutia, quæ prætextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnæ duxit uxorem: defuncta Cornelia, Pompejam accepit, cum qua ob stupri suspicionem divortium fecit, & cum Calpurnia L. Pisonis filia nuptias contraxit firmiores. F

Hoc etiam inter Pontificis maximi prærogativas annumero, quod esset illi domus publica, quæ regia dicebatur [8], quod in ea Rex Sacrificulus habitare consuesset, ut Flamini Flaminia. Domus Pontificis Laureata fuit, ut Plinius monet [9]: *Laurus, inquit, gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat*. Sic Trallibus domum Regibus Attalicis factam ad habitandum, semper ei datur, qui civitatis Sacerdotium gerit [10]. In ea ipsa Pontificis maximi domo, Sacrum Bonæ Deæ fiebat non in Prætoris aut Consulis, ut Plutarchus scripsit [11]. Nam Clodius ex Pontificis maximi domo religionem eripuisse accusatus: & muliebri ornatu ex incesto stupro, atque ex Pontificis maximi domo emissus fertur [12]. Domus vero illa publica primum P. Scipioni Nasicæ Pontifici maximo, qui optimus a Senatu appellatus est, in Sacra via data est: quo facilius consuli posset de Jure, quod ipse profitebatur [13]. Domus tum Jurisconsulti qui Sacerdos est justitiæ, & oraculum civitatis, nullis erat clausa honoribus, atque hujus janua maxima frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrabatur [14]. Sed quotus & quis est hodie Jurisconsultus qui inter infimates infimus, ab iis non numeretur, quorum patrociniis defendi deberet? Facete quidem Sulpitium Jurisconsultum M. Tullius lusit, atque in hoc ridiculus Consul ex Catonis sententia [15], nec tamen eum sprevit, adeo si illi inferret contumeliam. At hoc sæculo insipienti & inficeto, pars non minima honoris est, eos qui literas sciunt, contemnere, si privatam, licet innocentem vitam agant. Tu vero, Antoni Præses prudentissime, qui benevolum te omnibus præbuisti, læsisti neminem: si vel ex inferiore ordine quis dignus esset, cui fieret injuria, indignum te semper putasti tamen, qui eam ultro, vel lacessitus inferres. Sed de tua in omnes humanitate, quam mihi ostendisti singularem, hic dicendi non est locus. E domo Pontificum emissus regredior, ut dicam cæteros Pontifices maximos domum Scipionis publicam, jure Sacerdotii retinuisse. In qua Cæsar Julius habitavit, post Pontificatum max. cum primo in Subura modicis ædibus contentus esset [16]. Augustus postea refectam domum suam totam publicam esse jussit, quod ad eam ædificandam populus Rom. pecuniam contulisset, vel quod maximus Pontifex esset, ut simul propriis ac publicis ædibus moraretur [17].

## CAP. XVII.

*De Pontificibus cæteris: illorum ordo duplex. Adolescens Pontifex. Duo Pontifices ex eadem gente esse non poterant.*

SYLLA Dictator cum optimatium partibus studeret, Tribunitiam minuit potestatem, qua authoritas nobilium ceciderat, jusque imperitæ multitudinis convalescebat [18]. Sacerdotum ille numerum auxit in gratiam nobilium: atque ex quindecim Pontificibus octo fuerunt Patritii, septem plebeii, quos M. Tullius vocat *ex parte dimidia Sacerdotes* [19]. Horum igitur ordo duplex constitutus, Majores, patritii: minores Pontifices plebeii sunt appellati [20], quales fuere majores Flamines & minores. De majore Pontifice vetus inscriptio Romæ:

[b] L. ARADIO
AVGVRI
PONTIFICI. MAIOR
QVINDECIMVIRO

a 13. 11. 1 Plin. in Panegyric. 2 Cicer. in Topic. Plin. lib. 18. cap. 3. 3 Gloss. vet. 4 l. uxorem. D. de rit. nupt. l. ex parte §. 1. D. de verb. obligat. 5 lib. de unis nupt. ad ux. cap. 17. De præscriptionib. cap. 40. De exhortatione castitatis cap. ultim. 6 Agell lib. 10. cap. 15. 7 Sueton in Jul. cap. 1. 7. & 21. 8 Dio lib. 54. Servius 8. Æneid 9 lib. 15. cap. 30. 10 Vitruvius lib. 1 cap. 8. 11. in Julio. 12 Cicer. pro dom. sua & de Aruspic. resp. 13. lib. 2. §. & quidem. D. de orig. jur. lib. 1 §. 1. D. de just. & jur. 14 Cicer. 1. de orator. 15 Orat. pro Murena. 16 Sueton. in Jul. cap. 46. 17 Dio lib. 55. 18 Florus epitom. 89. 19 Cicer. pro dom. sua. 20 Festus in verb majores Flamines. b 369. 4.

Neapoli:

M. MÆCIO. MEMMIO. C. V
PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI

De minore:

[b] T. FLAVIO. T. F. GERMANO
PONTIF. MINOR

Inter Pontifices minores, *Maximus* dicebatur, qui primus in id Collegium venerat, & *Minimus*, qui novissimus [1]. Ex quo videre est minores Pontifices a majoribus multum differre, quod vere Pontifices non haberentur, sed majorum Pontificum quodammodo ministri. Unde posterioris ævi temporibus eo deciderunt, ut scribæ Pontificum fuerint, qui primum Patritii erant, deinde libertini. [2]. Minorum tamen Pontificum initia honoratiora, qui Sacerdotes ex parte dimidia, cum Pontifice maximo cæterisque majoribus, atque aliis dignitatis præcipuæ Sacerdotibus, simul judicarunt, sed ultimi in ordine; ut videmus in eo judicio quo Ciceronis domus a P. Clodio Tribuno pleb. consecrata, religione liberata est [3]. Minores Pontifices, post omnes omnino Sacerdotes numerantur, qui adscripti Collegio Pontificum, quales erant Flamines & Rex Sacrorum, qui una cum Pontificibus Judices sedebant, Quo modo judicium ita constitutum, *frequens Collegium* dicebatur.

Cum itaque tanta Pontificum esset amplitudo, ut non solum illi præessent Sacris, verum nihil domi, nihil foris per magistratus gereretur, quod illorum authoritas non comprobaret: ecquis mirari desinet adolescentes impuberes, atque vix egressos ex ephebis, Pontificatum cæteraque Sacerdotia amplissima adeptos? Cn. Domitius Ænobarbus oppido adolescens Pontifex factus est [4], & Cæsar Octavius C. Cæsari filio in ipsis fere cunabulis Sacerdotium dedit [5]. Quod exemplum sequutus Neronem e liberis Germanici jam ingressum juventam patribus commendavit, ut quinquennio maturius, quam per leges liceret, Quæsturam peteret: cui additus Pontificatus eo ipso Tyrocinii die [6]. Augur antea creatus Tib. Sempronius Gracchus admodum adolescens, quod tunc perrarum in mandandis Sacerdotiis erat [7]. Vulgares sunt nummi Caii & Julii Cæsarum. In his unus Pontifex, Augur alter, cum hastis puris, Clypeis, & Sacerdotii insignibus:




Nummus probat, duos ex eadem domo Pontifices esse non potuisse, ut nec ex eadem gente. Nam si illud per leges licuisset, Cæsares illi principes juventutis, & Consules designati, solo Sacerdotio distincti non fuissent. Vetus quippe lex prohibebat, ne duo ex eadem gente, Sacerdotium in uno eodemque Collegio gererent. Quapropter cum Spinther Consul filium suum Cornelium Spintherem inter Augures referre cuperet [8], (interpres Dionis vertit *inter Pontifices*, quos author male nominasset οἰωνιστὰς) in illudque Collegium jam antea Faustus Sullæ filius cooptatus esset: qui ex gente Cornelia: Spinther filium suum in Manlii Torquati gentem adoptandum dedit. Τοῦ γὰρ νόμου διαῤῥήδην ἀπαγορεύοντος, μηδένα δύο ἅμα, ἐκ τῆς αὐτῆς συγγενείας, τὴν αὐτὴν ἱερατείαν ἔχειν. Hoc modo legis sacrorum verba servata sunt, quæ ipsa re dissoluta: hoc est salvis verbis legis, sententia ejus circumventa. Cæsarum inscriptio vetus est,

| | |
|---|---|
| [c] C. CÆSARI. AVGVSTI. F.<br>PONTIFICI. COS<br>DESIGNATO<br>PRINCIPI. IVVENTVTIS | L. CÆSARI. AVGVSTI F.<br>AVGVRI. CONS<br>DESIGNATO<br>PRINCIPI. IVVENTVTIS |

Quod quidem in duobus Imperatorum filiis observatum. At cum Imperator legibus solutus esset, ipse Pontifex max. unum ex filiis Pontificatu ornare potuit, & Vespasianus testatur, qui primus illud sibi arrogavit. Lapis Romæ,

[d] T. CÆSARI
VESPASIANO
PONTIF. TR
POT. II IMP. III.
COS. II

IMP. CÆSARI
VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT
IIII. IMP. VIII. COS. IIII

P. P
CÆSARI. AVG. F
DOMITIANO
COS. DESIG. II
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Vespasianus pater in medio filiorum positus, loco honoratiore.

---

## CAP. XVIII.

*Pontificum cura quæ, & quæ summa cognitio.*

QUÆ vero summa esset Pontificum cognitio & cura, Dionysius breviter perstrinxit [9]. Ποντίφικες εἰσὶ δὲ τῶν μεγίστων πραγμάτων κύριοι. Καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι καὶ λειτουργοῖς Θεῶν. Καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα, καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντες ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανείη νόμων τε καὶ ἐθισμῶν, τάς τε ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τε καὶ θεραπεία Θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας ἐξετάζουσιν, ὑπηρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργοὺς οἷς χρῶνται πρὸς τὰ ἱερὰ, οὗτοι φυλάττουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν παρὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους. τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἢ δαιμόνια σεβασμοὺς ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται. Καὶ εἴ τινας αἴσθωνται μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν ζημιοῦσι πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες. Εἰσὶ δὲ ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες, οὔτε δήμῳ. *Pontifices summa authoritate præditi, omnes lites sacras judicarunt inter privatos pariter & magistratus, sacrorumque ministros. Leges ferunt de Sacris quæ nondum scriptis mandata sunt, nec usu recepta, si digna videantur, quæ legibus aut more commendentur. In omnes magistratus quibus Sacrificia & deorum cultus commissus est, & in omnes Sacerdotes inquirunt. Ministros Sacrorum in officio continent, ne quid contra sacras leges*



a 433. 1. b 411. 1 Festus in verb. minorem Pontificem. 2 Livius lib. 4 Capitolin. in Opilio Macrin. l. 2. D. de orig. jur. 3 Cic. de Arusp. resp. 4 Livius lib. 42. 5 Paterculus lib. 2. Dio lib. 55. 6 Tacit. lib. 2. Annal. 7 Livius lib. 29. 8 Dio lib. 39. c 234. 4. d 244. 2. 9 lib. 2.

*delinquant. Rudi vulgo Deorum ac Geniorum cultum præmonstrant & interpretantur.* Hos Sacerdotes ἱερονόμους, ἱεροφύλακας, ἱεροφάντας Dionysius vocat, qui in Pontificum denominatione a recepto illorum nomine longe aberravit. Illos enim ἀρχιερέας apud omnes scriptores, ut in antiquis Epigrammatis & nummis legimus, nulloque ii alio nomine denotantur.

Fuit etiam Pontificum cura præcipua, ut circa religiones ceremoniasque versarentur. Atque ipsa cognitio in jus religionis & in jus Reip. distributa est [1]: ut de Repub. cognoscerent, cum Ceremoniarum jus, aut civitatis cogeret salus. Iidem de Sacris, de votis, de feriis decernebant, de ludis maximis, de Deorum Penatium Vestæque matris Ceremoniis [2]: de sacro illo ipso, quod fiebat pro Salute populi Rom. ea tenere quæ soli scire debebant. [3] Quæ voluntas esset Deorum immortalium, interpretabantur, & hoc unum maxime ut de diis immortalibus non errans aut vaga, sed stabilis certaque scientia teneretur. Tantum itaque illorum authoritati, fidei, prudentiæ veteres tribuerunt, ut ab illis dissentire, nefas semper judicarint. Optime hercle dicebat Cotta [4]: *Cum de religionibus agitur, T. Corruncanium, P. Scævolam Pontifices maximos, non Zenonem aut Cleantem aut Chrysippum philosophos sequor:* cujus ego orationem orationemque miror & amplector. *Ego etenim*, ut dicebat ille, *primum habeo authores & magistros religionem colendarum, magistros nostros, quorum mihi tanta sapientia fuisse videtur, ut satis superque prudentes sint, qui illam prudentiam, non dicam assequi, sed quantum fuerit, prospicere possint* [5].

## CAP. XIX.

*Pontifices sacris sollemnibus præerant. In domesticis religionibus adibantur. Ratum quod tres illorum statuissent. Religionis explanatio per unum Pontificem. Tria Theologiæ genera.*

ERANT ad placandos Deos Pontifices constituti, qui Sacris sollemnibus præessent, ne ea ipsa, quæ suscepta publice essent, quisquam extra Collegium nosset [6]. Nec in publicis solum sed & in religionibus domesticis Pontifices adibantur. Quod neglectum a P. Clodio, magnam M. Tullio illius inculandi occasionem dedit [7]. *Si quid deliberas*, inquit, *si quid tibi expiandum aut instituendum fuisset, religione domestica: tamen instituto cæterorum vetere, ad Pontificem detulisses:* nam sine Pontifice religioni privatæ satisfacere poterat nemo. Hinc illa lex, *quoquo & privatim & publice modo rituque fiat, ignari discunto a publicis Sacerdotibus* [8] In Pontificum vero decretis quod tres illorum statuissent, id semper populo, semper Senatui, satis augustum, satis religiosum esse visum est [9]. Recte ergo Neratius Priscus respondit [10], *tres facere Collegium*, qui numerus ad decreta & res majores expediendas satis erat.

In cæteris, qualis fuit religionis explanatio, illa ab uno Pontifice fieri poterat. Rideo hujus ævi criticum prurientem, qui nobis M. Tullii lectionem ita explanavit, ut legendum credat, *religionis expiatio* non *explanatio*. Quam bene judicent viri docti quos ille sequutum se profitetur. Ego certe receptam scripturam, quæ vera & germana est, loco non movendam puto. *Explanat* σαφηνίζει [11]. *Explanatio* ergo est σαφήνεια, vel ipso Cicerone teste, *Altera*, inquit, *in ratione quæ docet & explanat* [12], *quid faciendum fugiendumque*. Hoc igitur expiationis Criticæ portentum, majoribus hostiis vix posset procurari.

Tria porro veteris Theologiæ genera faciebat Varro, hoc est rationis, quæ de Diis explicabatur, cognitionem summam in tres partes distribuebat [13]. Primum genus Theologiæ Mysticon: alterum Physicon: tertium Civile. Mystico utuntur poetæ: Physico speculatores venatoresque naturæ: Populus civili. In primo multa sunt contra Immortalium naturam & dignitatem ficta. In secundo plura quæ facilius inter parietes, quam extra in foro, & publica luce tractari debent: in quo est, quod Deos publice colere, quæ sacra & Sacrificia facere, quemquam par sit. Hujus certam scientiam Pontifices soli habuerunt, a quibus ubi de religione decreverant, nusquam discessum est: ne pietas ipsa & status Reip. novis opinionibus, quas sapientes omnes improbarunt, maxime labefactaretur [14]. Omnium autem Pontificum proprium fuit, ut illis Sacerdotium adimi non posset [15]. Tiberius tamen in funebri Augusti laudatione, illius clementiæ annumeravit (ita ubique gliscit adulatio) quod Lepidum Pontificatu max. non spoliasset [16]. Sed perpetua Pontificum, u Sacerdotum fere omnium Sacerdotia fuerunt.

## CAP. XX.

*Pontifices soli & Vestales penum Vestæ adibant. In digetabant Deos. Pontificum jusjurandum.*

COMMUNE fuit Pontificibus omnibus, ut religioni & summæ Reip. præessent: ideoque publici Consilii principes, & juris publici Vindices merito sunt appellati [17]. Hi soli & Vestales penum Vestæ adibant, quod *Penetrale claudi & aperiri* dicebatur [18]. Locus erat intimus in æde Vestæ, septus tegetibus, qui certis quidem diebus circa Vestalia aperiebatur, qui dies religiosi habebantur. *Penetrale* μυχός, ubi Vestæ Vestales Virgines sacrificabant [19]. In illo erat Palladium e septem paribus unum, quod Rom. imperium tenere credebatur. Quod a Virginibus asservatum, illarumque & Pontificum fidei commendatum fuit. Heliogabalus, vel ut in nummis & lapidibus scribitur, Elagabalus, cum Romanas evertere cuperet religiones, *sacraque permulta, sublatis penetralibus violaret, ut Deus ipse coleretur: in penum Vestæ irrupit, & Penetrale Sacrum auferre conatus est. Cumque feriam & quasi veram imaginem rapuisset, quam ei virgo max. monstraverat falsam, applosam fregit* [20]. *Nec tamen quidquam dempsit religioni, quia plures similes factæ esse dicuntur. Signum tamen quod Palladium esse credebat abstulit ipse, & in sui dei templo locavit.* Hæc Lampridius. Addit Herodianus [21], eam Deam sui Dei conjugem cui nuberet Elagabalum adduxisse. Eo crevit propudii istius publici libido, ut insania simul & infamia sua laboraret, qua mali principes post fata apud posteros vexantur, si pietatem aliqua ex parte violarint.

Pontificum etiam fuit proprium Deos indigetare (statis sacrificiis, hoc nomen eorum proprium designare, eosque precari [22]. *Indigetare* enim est ὀνομάζειν, *precari, invocare*: Indigetesque erant Dii patrii ὑμίθεοι Κουρῆτες [23]. qui ex hominibus ἀποθέωσιν consequuti in Diis agebant. Qualis Tyberinus Capeti fi-

1 Cicer. 2. & 3. de natur. deorum & orat. pro dom. sua. 2 Cicer. 2. de legib. 3 Cic. de Aruspic. resp. 4 Cicer. 3. de natur. deor. 5 Cic. de Aruspic. resp. 6 Cicer. 2. de legib. 7 Cicer. pro dom. sua 8 Cic. 2. de ligib. 9 Cic. de Aruspic. resp. 10 l. 85. D. de verb. sig. 11 Gloss. vet. 12 lib. 1. offic. 13 D. Augustin. lib. 6. de civitat. cap. 5. 14 Cic. 3. de natur. deor. 15 Dio lib. 49. 16 Dio lib. 56. 17 Cicer. pro dom. sua. Livius lib. 25. 18 Servius 3. Æneid. 19 Varro lib. 5. de ling. lat. 20 Lamprid. in Heliogabal. 21 lib. 5. 22 Servius 12. Æneid. 23 Gloss. vet.

lius memoratur, qui cum in flumen Tyberim cecidisset, eique dedisset nomen, a Pontificibus indigetari solebat [1]. *Indigetes* tamen Deos putat Festus [2], quorum nomina vulgari non liceret: & recte putat, nec enim efferebantur eorum nomina in vulgus, in quorum tutela urbs Roma esse credebatur, ne ab hostibus possent evocari. Livius [3] juris Pontificii scientissimus: *Situs est Æneas*, inquit, *quemcumque eum dici jus fasque est, super Numicum flumen illum Jovem indigetem appellant*. Horum Deorum nomina scripta habebant in libris Pontifices, quæ *indigetamenta* dicebantur [4], ἱερατικὰ βιβλία [5]. Præterea Pontifices fana sacrabant [6]. His non licebat equo vehi in urbe, sed curru, ob honorem credo Sacerdotii: ut nec per liberos jurare sed tantum per Deos [7].

---

## CAP. XXI.

*Prodigia procurata decreto Pontificum. Sacra piacularia. Ver sacrum. Sacrorum instauratio ex illorum decreto.*

PRODIGIA ut plurimum a Pontificibus vel illorum decreta ab aliis sunt procurata [8]. Quod Senatus aliquando jubebat sicuti Pontifices censuissent. Hæc vero prodigiorum procuratio a piacularibus sacris multum differebat, quæ eadem per Pontifices fieri solebant [9]: ut prodigia & piacula diversa sunt. Nam illa Deorum iram minabantur: piacula commissa erant, propter quæ expiatio debebatur [10]. Prodigia putabant, quidquid contra vel præter naturam accidisset: ut si porcus ore humano genitus, si signa sanguine sudassent, si pueri nati sine oculis, si lapidibus pluisset, vel quid aliud accidisset hujusmodi, quod Deorum portenderet minas. At piacula sunt, si ludi non recte facti, si Vestalis incesta, sacrilegium factum, & cætera hujus generis commissa. In prodigiorum procuratione editi a Collegio Pontificum Dii, quibus sacrificaretur [11]. Ad aruspices tamen plerunque procuratio rejecta, aut ad Decemviros, qui ex Senatusconsulto libros adire jubebantur, ex quibus quid faciendum esset renuntiarent, aut impetrarent [12].

Ver Sacrum ex Pontificum decreto vel monitu fiebat, de Senatus sententia populique jussu [13]. Illud ex Sibyllinis libris votum per Prætorem ex Collegii sententia. Sacrorum autem omnium instauratio, si minus recte facta esset; penes Pontifices erat. Ut cum ver sacrum P. Licinius Pontifex maxim. Collegio primum non recte factum, deinde authoritate Collegii patribus renuntiasset: de integro faciendum arbitratu Pontificum, Patres censuerunt [14]. Et Clodius accusatus, quod Sacra Bonæ Deæ polluisset: Pontifices instaurationem Sacrificii decreverunt, quod ob nefas Clodii rite non esset peractum [15]. Sacrorum tamen instauratio, interdum fiebat secundum ritum, si prima ex prodigiis displicuisse judicarentur [16]. Ludi etiam ex Pontificum decreto multoties instaurati, ut si quid prætermissum esset vel commissum: vel si minus diligenter facti, aut aliquo scellere polluti. Tum metus Deorum Immortalium, ludorum instauratione credebatur placari [17].

## CAP. XXII.

*Intercalationes, Annales maximi, Fasti per Pontifices.*

DE intercalatione multa Censorinus [18]: illa in Pontificum potestatem translata est. Nam Romani diu ignari rerum cœlestium, Intercalationes ad Pontifices rejecerunt, qui libenter inservientes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora vel augebant [19]. Nam ut civilis annus ad naturalem exæquaretur, in mense Februario potissimum intercalabatur, idque diu factum, priusquam sentiretur annos civiles aliquanto naturalibus esse majores, quod delictum ut corrigeretur, Pontificibus negotium datum est, eorumque arbitrio intercalandi ratio omnis permissa est. Sed horum plerique ob odium aut gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemptor, ex anni magnitudine in lucro damnove esset: plus minusve ex libidine intercalando, rem sibi ad corrigendam mandatam ultro depravarunt. Qua de re M. Tullius [20], *Novis*, ait, *legibus ita distinemur, ut quotidie vota faciamus, ne intercaletur. Et Curio qui Cæsaris partibus favebat, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit* [21]. Itaque cum intercalandi ratio a Numa instituta posteriorum Pontificum negligentia esset dissoluta [22]: Cæsar Dictator annos ad Solis cursum singulares redegit, ita ut duodecim annis continuis non intercalaretur, quia cœperat annus Sydera morari, quæ prius antecedebant [23]. Prius enim Lunæ revolutionibus annum Pontifices æstimabant, atque adeo aberratum est, propter intercalandi licentiam, Fastique adeo turbati, ut neque messium feriæ æstate; neque vindemiarum autumno competerent [24]. Annum igitur ad eum modum constituit, ut intercalaret septem & sexaginta dies qui ad summam exactam requirebantur. Notavi ego Censorinum de dierum numero cum Dione [25] non convenire: sed nihil ad hanc rem, cum non de numeri ratione, sed de intercalatione agamus, quæ Pontificum authoritati relicta est, quamque Julius Cæsar ut Pontifex max. suscepit & emendavit, cum antea difficillimis Reipub. temporibus totam perturbasset. *Ab illo*, inquit Varro [26], *honoris & virtutum causa qui fastos porrexit* (lego *correxit*) *Julius mensis appellatus est*. Anno autem in menses imparis numeri redacto, Pontifex in Curia Calabra, si Nonæ Septimanæ futuræ erant, hoc populo significabat, septies dicto KALO. IANA. NOVELLA. Ianam enim Lunam vocabant [27].

Nec vero mensium tantum, sed dierum etiam Pontifices rationem tenebant & temporum. Concessa enim illis potestas erat rerum gestarum in tabulas referendi, atque hos *Annales maximos* appellabant. *Non magnitudine*, inquit Paulus apud Festum [28], *sed quod eos Pontifex maximus confecisset*. Nam ab initio rerum Romanarum, usque ad Mucium Pontificem max. res omnes singulorum annorum Pontifex maximus literis mandabat [29], efferebatque in album & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, quæ gesta essent. Hi Annales vocabantur etiam *Pontificalium libri*, & *commentarii Pontificum* [30]. Quare eo tempore perraras literas rerum gestarum fuisse, inquit Li-



---

1 Servius 8. Æneid. 2 In verb. indigetes. 3 lib. 1. 4 Non. Marcell in verb. Stamnum. 5 Gloss. vett. 6 Varro lib. 5. de ling lat. 7 Servius 8. & 9. Æneid. 8 Livius lib. 27. 34. & 41. 9 Dionys. 3. 10 Servius 6. Æneid. 11 Livius lib. 30. 12 Livius lib. 31. & 42. 13 Livius lib. 35. 14 Livius lib. 34. 15 Dio lib. 37. 16 Servius 3. Aeneid. 17 Cic de Aruspic. resp. 18 lib. de die natal. cap. 18. cum seq. Macrob. lib. 1. satur. cap. 13. & 14. 19 Ammian. Marcellin. lib. 26. 20 lib. 7. epist 7. lib. 5. ad Attic. epist. 9. & 13. 21 Cicer. epist. 8. Dio lib 40. 22 Cic 2. de legib. 23 Plinius lib. 18. cap. 25. 24 Sueton. in Jul. cap. 40. 25 Dio l 43. 26 apud Priscianum lib. 4. 27 Varro lib. 1. de re rustic. cap. 40. Scaliger lib. 2. de emendat tempor. 28 In verb. maximi Annales. 29 Cic. lib. 1. de orator. Macrob. 3. satur. cap. 2. 30 Aurelius Victor de origin. gen. Rom.

vius [1], & quod etiam si quid in Commentariis Pontificum, aliisque erant publicis privatisque monumentis. Recte Beatus Rhenanus acuti vir ingenii, *perraras literas* intelligit breves inscriptiones, quæ non satis rem explicarent. Annales etenim res in singulos annos gestas breviter complectuntur: quas Pontifices ab excessu Romuli descripserunt [2]. Ita autem Annales conficiebantur: Tabulam dealbatam quotannis Pontifex max. habuit, in qua præscriptis Consulum nominibus & aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat, domi, militiæque terra marique gesta, per singulos dies. Cujus diligentiæ annuos commentarios, in octoginta libros veteres retulerunt [3].

Ab Annalibus differunt Pontificum fasti ἱερῶν συγγραφαί, qui nihil aliud erant quam dierum congestio, quibus fari [4] aut non fari liceret. Gloss. vet. *Fastus* ἡμερολόγιον, & *fasti dies*, per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. *Profesti* sunt Comitiales, quibus cum populo agere licet, nefastis contrarii. Lusit in ambiguo Plautus noster [5]:

*Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.*
*Istorum nullus nefastus, Comitiales sunt meri.*
*Ibi habitant, ubi eos conspicias, quam Prætorem sæpius.*

Comitiales intelligit qui religionem Jusjurandi spernebant.

*Qui perjurum convenire vult hominem mitto in Comitium* [6].

Ceterum fasti libri qui Pontificales a ceremoniarum libris erant distincti, qui abstrusum & reconditum jus Pontificum, & occultum genus literarum continebant [7]. Tota enim juris Pontificalis dispositio magnam religionem Ceremoniamque declarabat, quarum secreta fastis non committebantur, quos Cn. Flavius surripuit. Illi enim legis continebant actiones, non Sacrorum disciplinam [8]. Ancus quidem Martius vocatis antea Pontificibus, sumptisque ab iis Commentariis, quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, illos transcripsit in tabulas, & in foro legendas proposuit. Hæ Tabulæ jus civile tantum comprehendebant. Nam post exactos reges in publicum usum sunt revocatæ per summum Pontificem Cajum Papyrium, quem puto eum fuisse, qui a Pompejo *Sextus* vocatur: cujus liber *jus civile Papyrianum* appellatus est [9]. In contraria tamen versatur sententia primi ordinis scriptor Cujacius, qui putat Cajum hunc Papyrium, Martii jussu Sacra publica in albo scripsisse, quæ vulgari nunquam fas fuit, sed tantum eorum ritus, quos ut leges ipsas Cajus Papyrius in publicum usum revocavit. Livius [10]: *Quæ ad Sacra pertinebant, a Pontificibus maxime, ut religione adstrictos haberent multitudinis animos, suppressa sunt.*

## CAP. XXIII.

*Majorum Pontificum diversa munera. Feriæ a Pontificibus conceptæ Lunæ & Solis defectiones ad illos. De diebus atris decernebant. Pontem Sublicium curabant.*

In nummis eadem maximi & majorum Pontificum insignia fuerunt. De Maximo & quæ illi propria sunt diximus supra. Majorum & minorum munera diversa sunt. Pontifices majores statis mensibus Sacra curabant [11], cæteraque habebant cum

A maximo Pontifice communia, quæ religionis ritum ceremoniasque spectarent. Pontifex minor Kalendis omnibus Junoni sacra faciebat in Curia Calabra [12], ab eoque *Juno Kalendaris* dicta est. Minorem Pontificem ideo *sacrarium Junonis* appellatum suspicor. Inscriptio in Civitate Castellana Faliscorum oppido:

[a] MAMMIÆ. C.F
IVSTÆ
Q. TVLLIVS. Q.F. HORAT
CINCIVS. PRISCVS
B PONTIFEX. SACRARIVS
IVNONIS
QVIRITIS. PATRONVS
MVNICIPII
TESTAMENTO. PONI. IVSSIT

Qui alius forte a *Magistro* Junonis Sacrorum, de quo alia est inscriptio:

[b] MAGILLIVS. L. L. PHILOM
AVG. ALLIFIS. MAGIST
IVNONIS. SACROR
SIBI. ET. SVIS

Idibus Jovi faciebant Pontifices majores; diem definiebant [13]; ferias in dies certos vel incertos concipiebant [14]; quæ a Prætore quandoque imperabantur edicto. Lunæ & Solis defectiones & motus in Pontificum scientia erant, quam vulgare nefas [15] semper existimarunt. Quare M. Cato ajebat [16], *Non licet scribere quod in tabula apud Pontificem max. est, quoties Lunæ aut Solis lumini caligo, aut quid obstiterit*. Hæc deliquia illorumque causas vulgus Romanorum ignoravit ad Tiberii tempora, quæ causa fuit, cur milites Drusi, defectu Lunæ consternarentur [17]. *Luna*, inquit Tacitus, *clariore pæne cœlo visa languescere. Crediderunt milites sibi æternum laborem portendi, sua facinora adversari Deos lamentabantur*. Corruptus Taciti locus ita a Beroaldo celebris ingenii viro restitutus est. Non placet Lipsio lectio Beroaldi, ille substituit, *Luna claro repente Cœlo*, e prisca Taciti scriptura quæ fuit *luna clamore pœna cœlo*, ingeniose quidem, nec tamen recte. Ex Codice Mirandulano Pomponius ita restituit, *luna clarior repente cœlo visa languescere*. Salva emendati Codicis fide, legendum puto, *luna clariore plena cœlo* pro *Clamore pœna* quæ in antiquis codicibus habetur. Plinium authorem habeo [18]. *Lunæ*, inquit, *defectus, nonnisi plena, semperque citra quam proxime fuerit*. Qui quidem defectus, nonnisi clariore cœlo nostris oculis subjici potest. Hæc plena Taciti lectio est. Aliorum conjecturæ, non minores defectus habent, quam deliquia illa Solis aut Lunæ.

Pontifices præterea fastis dies addebant ex Senatusconsulto & de diebus atris decernebant, qui a nefastis debent separari [19]. Nam atros dies Nigidius dicit religiosos, tristi omine infames, impeditosque, quibus & res divinas facere, & quempiam novum aliquod exordiri, nefas est. Hi dies atri vel religiosi sunt postridie Kalendas, Non. Idus ex decreto Pontificum. Ad quos cum Senatus rejecisset, ut ipsi quod videretur statuerent: decreverunt Pontifices, nullum iis diebus Sacrificium recte futurum [20]. Quod non animadvertit Suidæ interpres, qui ἀποφράδας vertit *dies atros*, cum sint proprie *dies nefasti*, quibus fari non licet. Gloss. vet. ἀποφράδες *nefasti dies*. Nam ἀποφρὰς ἡμέρα, quasi οἷα τὶ ἄσα φράζεσθαι. Lucianus [21] tamen ἐπιφράδας pro atris diebus vide-

1 lib.6. 2 Vopiscus in Tacito. 3 Servius in schedis. 4 Dionys. lib.3. 5 In Pœnulo. 6 Plautus in Curculione. 7 Varro lib.4. de ling. latin. 8 Dionys. lib.3. 9 lib. 2. D. de origin. jur. 10 lib.6. 11 Symmachus lib. 1. epist.45. 12 Macrob. lib.1. saturn. cap.15. a 308.1. b 307.9. 13 Plin. lib.2. cap.27. 14 Macrob. lib.1. satur. cap.10. 15 Agel. lib.2. cap.20. 16 lib.4. orig. 17 Dio lib.67 Tacit. lib.1. Annal. 18 lib.2. cap.13. 19 Varro lib.5. de ling. lat. Plin. lib.4. cap 9. Agel. lib.5. cap.17. 20 Livius lib.6. Macrob. lib.1. saturn. cap.16. 21 In pseudologiste.

diebus videtur usurpare. Item Hesychius, ἀποφράδας, κακὰς, παρατηρησίμους. Ἀποφράδες ἡμέραι ἑπτὰ, οὕτως ὀνομαζόμεναι ἐν αἷς ἐναγίζουσι τοῖς νεκροῖς, μεταφέρουσι δὲ τὴν λέξιν, ἐπὶ τὰς πονηρὰς ἢ ἀναγορευόμεναι πρὸς τὰς πράξεις. Dies atri μέλαιναι ἡμέραι verius nuncupati.

Pontifices etiam pontem Sublicium curabant, ea forte ratione quod cis uls Tyberim sacra fiebant, non mediocri ritu [1]: vel quod pontis sublicii ita dispositio contignationis esset, ut eximerentur trabes & reponerentur: postquam Horatius Cocles audaciæ miraculo obstupefecit hostes, ponte interrupto, religiosum postea fuit, quod ægre revulsus esset: atque ob eam religionem Pontificibus pontis cura commissa est. In hac tamen literarum vetustate nihil affirmo, in qua pleraque omnia conjectura sola assequi possum.

## CAP. XXIV.

*Decretum Pontificum, Interpretatio, Responsio, Monitus, Suggestio, Observatio, Permissus, Indulgentia, Præceptum, Arbitratus, Consilium.*

QUICQUID pro sua potestate Pontifices statuebant, illud *Decretum* dicebatur, quod in religionibus & ceremoniis vim legis obtinebat. *Decretum* proprie δόγμα non ψήφισμα dixerim. Nam quæ Pontifices decernebant, Senatus ut plurimum ἐψηφίζετο sua authoritate confirmabat. Paulo diversa est *Interpretatio*. Ita enim *Interpretatio Pontificum*, ut iidem potestatem habeant judicum [2], hoc est quasi laturi judicium sedeant, & apud illos de re ipsa disceptetur, quam a Senatu rejectam & ab iis præjudicatam, Consulibus postea referentibus Senatusconsultum sequeretur. Ut cum ad Pontifices rejectum de domo Ciceronis, frequens Collegium omni eam religione liberavit. Quod cum ad Senatu relatum esset, censuit, domum illam religione liberatam videri. Pontificum Interpretationem M. Tullius *responsionem* [3] vocat: *De domo nostra*, inquit, *nihil adhuc Pontifices responderunt*. *Monitus Pontificum* dicitur ut Deorum vel vatum passim apud poetas. In domesticis religionibus monere bonorum Pontificum erat [4]: in publicis quasi Deorum numine afflati id agebant. Sic vota Pontificum monitu suscipiebantur, aut sacra fiebant. De votis lapis Romæ;

[a] PONTIFICVM
MONITV
VOTO
SVSCEPTO

Pro *Monitu Suggestionem* posterioris ævi scriptores usurparunt. Cum tamen proprie fuerit oratio illa quæ ex loco superiore habebatur: ut cum in Curia Calabra Janam novellam Pontifex calabat. *Jussus* potestatis est & Consilii. Cum jussu Pontificis max. Vestalis cædebatur, jure imperii id fiebat. Ac cum Ver Sacrum ex Pontificum jussu factum dicitur, hoc ad loquendi consuetudinem referendum est, & pro hortatione accipiendum. Ver enim vovebatur de Senatus sententia populique jussu. *Observatio* in eo potissimum consistit, ut omnia in religionibus & Ceremoniis rite atque ordine fierent: Sacrificia recte peragerentur: nomina Sacrorum locorum sub congrua proprietate proferrentur [6]. *Permissus* Pontificum fuit, sine quo nihil in loco sacro fieret aut moveretur: qui & *decretum* dicebatur. De permissu vetus inscriptio:

[b] P. ÆLIVS. VENERIANVS
HOC. VAS. DISOMVM. SIBI. ET
FELICITATI. SVÆ. POSVIT. ET
TRIBVNAL. EX. PERMISSV. PONTIF
PERFECIT

*Disomum* vas est duorum corporum capax, quod pertinet ad jus sepulchrorum. Ad Pontificum permissum ædium sacrarum consensus quandoque accedebat. Alia inscriptio:

[c] PERMISSV. C. MASSENI. MARCELLI
PONTIFICIS. VOLCAN. ET. ÆDIVM
SACRARVM

Indulgentia Pontificum in antiquis illis lapidibus notatur:

[d] P.POPILIVS. AVITVS. L.F. INDVL
GENTIA. PONTIF. LOCVM
SEPVLT. ACCEPI. ANTE. ÆDEM. DEÆ
MAGNÆ. CYBELES. QVAM
IRATAM. MORTE. SENSI

*Præcepto* Pontificum sollemnes sacrorum ritus continentur. *Arbitratus* in mera voluntate positus fuit, ut Vestales capere, Sacerdotes certa die inaugurare. At cum ad arbitratum Pontificum aliquid a Senatu conferebatur, quasi viris bonis committebatur. Ut cum Ver Sacrum de integro faciendum arbitratu Pontificum patres censuerunt. *Consilium* in vulgatis quibusdam Livii reperio [7], cum Senatusconsultum de rebus Campanis factum est: *Quæ eorum sacra aut profana essent ad Consilium Pontificum patres rejecerunt*. Hæc lectio in aliis libris rejecta, in quibus habetur *ad Collegium Pontificum*: qui modus loquendi Livio frequentior. Utramque lectionem probo. Nam & patres Pontificum Collegium consuli jubebant [8], & *consilium* est συνέδριον φανερῶν ἀνδρῶν [9].

## CAP. XXV.

*De Pontificum & sacerdotum publicorum inauguratione.*

INAUGURATIO est certus quidam ritus, quo Sacerdotes publici ejus numinis majestati devoventur, ad cujus ministerium cooptati sunt. Summi Sacerdotis inaugurationem, quam Prudentius *consecrationem* vocat, eleganter suis versibus descripsit [10].

*Summus Sacerdos nempe sub terram scrobe*
*Acta in profundum, consecrandus mergitur:*
*Mire infulatus, festa vittis tempora*
*Nectens, corona tum repexus aurea,*
*Cinctu Gabino, sericam fultus togam.*

*Tabulis superne strata texunt pulpita,*
*Rimosa rari pegmatis compagibus,*
*Scindunt subinde vel terebrant aream,*
*Crebrove lignum perforant acumine,*
*Pateat minutis ut frequens hiatibus.*

1 Varro lib. 4. de ling. lat. 2 Cic. de Aruspic. resp. 3 lib. 4. epist. 1. 4 Cicer pro domo sua. a 66. 8. 5 Vopisc. in Aurelian. 6 Val Max. lib. 1. cap. 1. b 571. 11. c 318. 8. d 31. 8. 7 lib. 26. 8 Livius lib. 39. 9 Theophil. § eadem Inst. Qui & ex quib. caus manumitt. 10 In hymno Romani martyr.

*Huc Taurus ingens fronte torva & hispida,*
*Sertis revinctus, aut per armos floreis,*
*Aut impeditis cornibus deducitur,*
*Nec non & auro frons coruscat hostiæ,*
*Setasque fulgor bractealis inficit.*

*Hic ut statuta est immolanda bellua,*
*Pectus sacrata dividunt venabula,*
*Eructat amplum vulnus undam sanguinis*
*Ferventis, inque texta Pontis subditi*
*Fundit vaporum flumen & late æstuat.*

*Tum per frequentes mille rimarum vias,*
*Illapsus imber, tabidum rorem pluit,*
*Defossus intus quem Sacerdos excipit,*
*Guttas ad omnes turpe subjectans caput,*
*Et veste & omni putrefactus corpore.*

*Quin os supinat, obvias offert genas,*
*Supponit aures, labra, nares objicit.*
*Oculos & ipsos perluit liquoribus,*
*Nec jam palato parcit, & linguam rigat,*
*Donec cruorem totus atrum combibat.*

*Postquam cadaver sanguine egesto rigens*
*Compage ab illa Flamines retraxerint,*
*Procedit inde Pontifex, visu horridus*
*Ostendat udum verticem, barbam gravem,*
*Vittas madentes, atque amictus ebrios.*

*Hunc inquinatum talibus contagiis*
*Tabo recentis sordidum piaculi,*
*Omnes salutant, atque adorant eminus,*
*Vilis quod illum sanguis, & bos mortuus*
*Fœdis latentem sub cavernis laverint.*

Hic fuit ritus inaugurandi summi Sacerdotis, cujus sollemnitas in aliis publicis Sacerdotibus mihi quidem parum perspecta. Unum illud notavi, eos omnes qui inaugurarentur, jurejurando adstringi, se nihil e Sacris enuntiaturos [1]. Μηδενὶ φράσειν τὰ τῶν ἱερῶν. Conjicio tamen quod in Regibus & Magistratibus qui Regum vices obierunt, illud idem in Sacerdotibus aliquatenus observatum cum inaugurarentur. Sumebat diem cooptatus Sacerdos aut captus, qua præstituta prodibat e tentorio sub divum, stansque in loco puro rite mactatis victimis, Jovi Regi & cæteris Diis vota faciebat [2]. Augures intererant inaugurationi, ut signum de cœlo fœlix ostenderent, illudque signum fulguris, a sinistris datum pronuntiarent, etiamsi nullum esset datum. De diei præfinitione M. Tullius [3]: *Quid igitur cessas? cur non inaugurare? sume diem, Collegæ sumus, nemo negabit.*

In Rege Sacrorum notandum, quod non inaugurabatur, nisi se magistratu abdicasset. L. Cornelius Dolabella, cum in locum Cn. Cornelii Dolabellæ suffectus esset Rex Sacrorum, essetque Duumvir Navalis: contentio fuit inter illum & C. Servilium Pontificem max. [4] Nam ut Dolabellam inauguraret, illum Pontifex magistratu sese abdicare jubebat: recusantique id facere, ob eam rem mulcta a Pontifice dicta Duumviro. Deque ea cum provocasset, certatum ad populum. Plures jam Tribus intro vocatæ, dicto esse audientem Pontifici Duumvirum jusserunt, multamque remitti, si se magistratu abdicasset. Ratio abdicationis in Sacrorum Rege ea fuit, quod ille Sacerdotii legibus ab omni ministerio bellico abstineret [5], ἁπάσης λειτουργίας πολεμικῆς ἀφιέμενος. Quod in cæteris Sacerdotibus non fuit constitutum, qui civilibus & bellicis muneribus fungi potuerunt, omnesque magistratus majores

A minoresque capessere, & cum imperio & potestate esse.

*Consecratio* pro *inauguratione* nonnumquam accipitur, quæ tamen propria Sacerdotum Isidis fuit. Vetus lapis Romæ:

[a] DATIANO. ET. CEREALI. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C
PP.AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C. P
TRADIDERVNT. PERSICA. PRI. NON.
APRIL. FEL

CONS. S.S. TRADIDERVNT. ELIACA
B XVI. KAL. MAI. FELIC
OSTENDERVNT. CRYFIOS. VIII
KAL. MAI. FELIC

D. D. N. N. VALENTE. V̄. ET
VALENTINIANO. IVNIORE. PRIMVM
AVGG. CONS. VI. IDVS. APRIL
AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
PP. FILIO. SVO. ÆMILIANO. CORYFONI
OLYMPIO. C. P. ANNO TRICESIMO
C CONSECRATIONIS. SVÆ. TRADIDIT
CORACICA

FELIC. CONS. S.S. OSTENDERVNT
CRYFIOS. VIII. MAI. FELIC

In altera Columnæ ejusdem basi:

EVSEBIO. LIPPATIO. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. ET
AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
TRADIDERVNT. LEONTICA. V. IDVS
MARTIAS. FEL

D DATIANO. ET. CEREALE. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. PP
ET. AVR. VICTOR. AVGENTIVS V. C
P. TRADIDERVNT. LEONTICA
XVI. KAL. APRIL. FELIC

Minoribus literarum mysteriis initiati, inscriptionis hujus quæ perdifficilis est, a me accipere poterunt interpretationem.

Isidis sacra vetustissima Romanis olim non incognita, testantur Ennii versus,

*Non habeo denique nauci Marsum Augurem,*
*Non Isiacos conjectores* [6].

E Quando ab illis recepta fuerint aut rejecta [7], non est hujus operis, in quo leviter attingam quæ ad intellectum faciunt inscriptionis. Locus D. Hieronymi [8] his tenebris magnam adfert lucem: *Ante paucos annos*, inquit, *propinquus vester Gracchus cum præfecturam gereret urbanam, specum Mithræ & omnia portentosa simulachra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius pater initiantur, subvertit, fregit, exussit*. Mendum in Hieronymi lectione animadvertit Nic. Rigaltius, cujus consuetudo, ut mihi jucundissima, ita ad suaviores musas utilissima semper fuit. Pro *Niphus* legit *Griphus*, &, F ab hoc τοῦ δράκοντος τὰ μυστήρια [9]. Ut ab illis prodierunt Sacra Persica, Coracica, Leontica, Eliaca, Patrica, Hierocoracica, quæ passim in his & in aliis inscriptionibus leguntur. Emendarat Marianus Victorius Episcopus Amerinus, vir studiis altioribus imbutus, pro *Niphus*, *Nisus* accipitris nomen, qui etiam

1 Plutarch. in causis. 2 Dionys. lib. 2. Plutarch. in Numa. 3 Philippic. 2. 4 Livius lib. 40. 5 Dionys. lib. 5. a 1087 4.
7 Cic 1. divinat. 8 Vide Dionem lib. 40. 8 epistol. ad Lætum de inst. fil. 9 Clemens Alex. in protrept.

etiam ipſe colebatur, cujus emendatio rejicienda non eſt, ſed cætera Hieronymi verba ab illo multum depravata. Nos vero ad inſcriptionem noſtram redeamus, qua Iſidis & Oſiridis ſacra continentur. Horum *numen unum, multiformi ſpecie, ritu vario, multijugo nomine fuit*[1]: quorum Sacra primum Perſæ habuerunt: a Perſis, Phryges: a Phrygibus, Romani[2]. Oſiris Sol, Perſis Mithra: Ægyptiis Oſiris, Achmetiis Titan: aliis Liber pater[3]. Ut Iſis ipſa quæ luna, Dea multi nominis *μυριώνυμος*, Deum mater magna, Cybele, Proſerpina, Libera, Eleuſis, Ceres, aliiſque nominibus celebrata[4]. In hac tamen multiformi ſpecie unam Dei potentiam agnoſcebant: & Sacra illorum myſteria dicta ſunt, quorum authores feruntur Dardanus, Eelion, Midas, qui occulta myſteria ſymbolis inſeruerunt[5]. Hæc depicta ſunt in tabula Iliaca, in qua animalium formæ multiplices, inter quas primæ, & præcipuæ, Corax, Griphus, Leo. A Corace *Coracica Sacra* nominantur, quæ D. Ambroſius[6] vocat *Coracina*. De Milite, & Leone Tertullianus[7] multa: *Mithræ*, inquit, *Miles cum initiatur in Spelæo, in caſtris vere tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam monetur obvia manu capite depellere, &c. ſtatim creditur Mithræ Miles, ſi dejecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit*[8]. Quæ verba ad initiationem referri debent. Nam Miles cujus meminit Hieronymus ad pompæ ſollemnis anteludium pertinet, in qua incinctus balteo Militem gerebat[9], a quo ſanctæ militiæ hæc omnis religio nomen ſortita eſt. De Leone ipſe Tertullianus[10]. *Sicut arida*, inquit, *& ardentis naturæ Sacramenta, Leones, Mithræ, philoſophantur*. Sol enim Leonis vultu in Spelæo colebatur, Perſico habitu & utriſque manibus cornua comprimens bovis[11]. Nec ſunt confundenda hæc ſacra: nam ut ſub diverſis nominibus numen unum, ſic varie denominatus unus & idem Sacerdos illa peragebat. Erant Myſtæ, novitii Sacerdotes, erant Antiſtites Sacrorum proceres[12], qui *ἀνακτοτελέται, οἱ τὰς τελετὰς ἐπιτελοῦντες τῶν ἱερῶν*[13]. Summus Sacerdos Mithra, qui idem præcipuus & primarius & pater patrum Solis & Mithræ. Ille idem Hierophanta Hecatæ, Archibuculus Liberi, & Hieroceris D. S. I. M. Id eſt *Deæ Sanctæ Iſidis matris*[14].

Jam vero notas inſcriptionis ſic intelligo, ut V. C. ſit *vir caſtiſſimus*, tenax enim caſtimonia iis Sacerdotibus fuit[15], ideoque *ἁγνεύοντες* dicti. Sequentes notæ PP. *pater patrum*, vel *pater primarius, præcipuus*. *πρῶτος ἱεροτελεστὴς, ὁ τελετάρχης*. Augentius unica litera P. inſignitus, quæ *patrem* ſolum denotabat. Nam Sacerdos deſignabatur ab ipſa Dea, qui ſummo præſente & arbitro, Sacra Myſtis miniſtraret[16]. Uterque TRADIDERUNT. PERSICA. *Tradere* & *accipere* verba ſacrorum ſunt, a nobis Chriſtianis uſurpata *παραδιδόναι καὶ παραλαμβάνειν*[17]. Traditio non certo ſtatoque tempore ab initiatis accipiebatur. Nam & dies quo quiſque poſſet initiari, Deæ nutu demonſtrabatur, *Καὶ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντας, μύσται καλοῦνται*[18]. *Μύστης δὲ τελούμενος, σιωπηλὸς τὰ μυστήρια μαθὼν μεμνημένος*[19], quæ in vulgus non efferebantur, ſed taciturnitate parietibuſque claudebantur[20].

Non tamen omnes qui ſacris initiati erant, Sacrorum obſequio deſpondebantur. Nam omnis dignitatis & ordinis turbæ initiabantur. Sed e grege cætero ſacrati capiebantur, qui in Paſtophorum Collegium cooptarentur. *Παστοφόριον, οἰκονομία, συναγωγὴ*[21], vet. Gloſſ. *Atrium templi*. Hi per annos quinque myſteria minora docebantur, antequam ad majora tranſcenderent. Erant enim gradus in myſteriorum perceptione[22]. Primus fuit *κάθαρσις purificatio*, qua delictorum expiationem de lavacro militibus repromittebant[23]. Deinde ſequebantur myſteria minora *κατήχησις* & informatio majorum, qua candidati viva voce initiabantur: myſteria enim non ſcripto ullo, ſed ſola voce tradebantur[24]. Poſtremus myſteriorum actus erat acceptio. Clare Plutarchus[25], qui Demetrium arguit, quod uno eodemque tempore minora ſimul & majora accepiſſet, *Καὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τῶν μικρῶν, ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν*. Minora myſteria, *privata* vocat Apulejus hujus diſciplinæ apprime ſciens. *Deæ*, inquit, *myſteriis privatis appoſitus, contubernioque Sacerdotum individuus, & Numinis magni cultor inſeparabilis*. Majora quæ toto quinquennio diſcebantur, *ἐποπτικὰ, ἀρχαιότατα ἱερὰ* dixerunt[26] *magna ſilentia religionis*. Nec vero ſimul & ſemel ſacra illa tradebantur: nam & tertia plerumque Teleta ſuſcitabatur. Servabat Eleuſis, quod oſtenderet, reviſentibus[27]: initiati autem qui ſe credebant, in veſtibulo ejus hærebant, id eſt, in Paſtophorio. Quibus aliis temporibus, tradebant Perſica, aliis Eliaca, ut cætera, quæ hac inſcriptione enumerantur. Quamvis enim connexa hæc ſacra, & unica ratio numinis religioniſque eſſet: tamen Teletæ diſcrimen maximum intereraт: & qui Deæ Iſidis ſacris imbutus, nec dum Oſiris ſacris aut Serapis Orgiis illuſtratus erat. Germanæ quidem religiones, diverſi vero ritus, diverſa traditio, quæ tempore Deæ monitu deſignato fiebat. Perſica tradiderunt Prid. Non. April. Eliaca 6. Kal. April. Patrica 13. Kal. Mai[28]. Perſica ab Eliacis ſeparata, cætera a cæteris. Illa tradita CONS. S. S. lapis alius has notas habet CONS. SUPRA. S. Interpretabar ex Apulejo *Conſtituto ſupra ſolium*. Ille enim, *Sacerdos ducit ad ipſius Sacrarii penetralia &c.* Deinde, *Ante Deæ ſimulachrum conſtitutus, Tribunal ligneum juſſus ſuperſtitit*. Atque ita conſtituto Sacerdoti Eliaca tradita arbitrabar. Placet magis Syrmondi ſententia ut hæ notæ, CONS. SUP. S. ſignificent, *Conſulibus ſupra ſcriptis*. Tum enim ubique ponuntur, cum poſt anni notam & menſis aliquid aliud adjicitur, quod eodem anno, ſed alio menſe dicitur actum.

Traditiones ad inſtar voluntariæ mortis & precariæ ſalutis celebrabantur. Accedebant ſacrati, mortis confinium, lumenque Proſerpinæ calcabant, & ab iis ſomniorum viſis, quæ mente & ratione vacua objiciebantur *ἐποπτεία* dicta, & conſecrati *ἐπόπται* *inſpectores* eſt. *Ἐπόπται γὰρ θεαταὶ, ἐποπτήσαντες, θεωρήσαντες*[29]. Hanc vocem Scaliger Tertulliano[30] feliciter reſtituit. *Illa*, inquit, *Eleuſinia hæreſis & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacent pudor eſt, idcirco & aditum prius cruciant, diutius initiant quam conſignant, cum Epoptas ante quinquennium inſtituunt*, Male in vulgatis legitur, *cum & portas*. Non temerarium eſt quod Tertullianus profert, *diutius initiant, quam conſignant*. Conſignatio enim ad *ἐποπτείαν* pernecеſſaria. Qualis illa fuerit narrat Clemens[31], *Jejunavi, potum confectum bibi, ex ciſta accepi, poſtquam feci, depoſui in calathum, & ex calatho in ciſtam*. *Τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην*. Verba inſcriptionis ſequentia F E L I C. explicat vetus illa formula conſecrationis. *Quod fœlix itaque fauſtum, ſalutareque tibi ſit, animo Gaudiali, rurſum Sacris initiare, Diis magnis authoribus*. Con-



1 Apulejus lib. 2. metamorph. 2 Lactantius 1. Thebaid. 3 Herodot. lib. 2. Servius 3. Georgic. Macrob. lib. 1. ſatur. cap. 21. 4 Jamblicus de myſter. 5 Clemens in protreptic. 6 In epiſtolam ad Rom. cap. 1. 7 lib. de Coron. milit. cap. 15. 8 Terull. lib. de præſcript. cap. 40. 9 Apule. lib. 11. 10 Adverſ. Marcion. lib. 1. cap. 13. 11 Lactantius 1. Theb. 12 Apul. lib. 11. 13 Clemens in protrept. Heſychius. 14 Inſcriptiones 17. 4. & 28. 2. 15 Ruffinus. Eccleſ. hiſt. lib. 2. cap. 23. 16 Apul. lib. 11. 17 D. Paulus 1. Corinth. 11. 18 Suidas. 19 Heſych. 20 D. Auguſtinus de civit. l. 4. cap. 31. 21 Heſych. 22 Caſaubon. in Athenæ. l. 6. cap. 15. 23 Tertul. de præſcript. cap. 40. 24 Maldonat. in præfat. D. Lucæ. 25 In Demotrio. 26 Demoſt. contra Neæram. 27 Senec. lib. 7. natur. quæſt. cap. 31. 28 Inſcript. 303. 1. & 2. 29 Lexic. vet. græcolat. Heſych. 30 lib. adverſ. Valentinian. cap. 1. 31 In protreptic.

ſecratis OSTENDERUNT. CRYFIOS. Fabrile mendum adfirmat Rigaltius, qui legendum cenſet Griphos, illique adſtipulari Apulejus videtur [1]. *Ante Deæ*, inquit, *ſimulachrum Sacerdoti conſtituto, humerus dependebat pone tergum talorum tenus, pretioſa Clamyda, quaque viſeres colore vario circunnotatis inſignita animalibus. Hinc dracones Indici, inde Griphes Hyperborei, quos in ſpeciem privatæ alitis generat mundus alter*. In menſa Iſiaca Griphi multis variiſque formis cælati ſunt, qui Apollini ſacri. Cum tamen & in aliis inſcriptionibus legatur *oſtenderunt Criphios*, Scripturam retineo. Κρυφίυς intelligo occulta illa & abdita, quæ prodebantur inſinuabanturque ſacratis. Quæ fuerint, Tertullianus paucis [2], *Cæterum tota in Adytis divinitas, tot ſuſpiria Epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulachrum membri virilis revelatur*. Paulus Petavius Curiæ Pariſienſis Senator, amicus noſter, juris præter veterem, & bene fundatam peritiam anxie diligens, ſed antiquitatis omnis aſſertor digniſſimus, ſignum habet Deæ Iſidis perantiquum, cujus delineatio Tertulliani verba abunde explicare poſſet.

Imago eſt marmorea, quæ nuda ad umbilicum, ab eo in columnam deſinit, Caryatidum more. In hac depictum illud nervoſius quod zonam virgineam ſolvere poteſt. Pudore malui obtegere pudendum, quam lectorum oculis, operis nobilitatem ſubjicere. Quamvis verecundari neminem hac in re deceat, qua Livia Auguſti non moveretur. Sed cum verecundiæ partes ſint non offendere, & quædam honeſte dicantur, quæ turpiter depinguntur. Ne deformitas elegantis ſtatuæ offenſionem pariat, verborum etiam meorum veniam peto. In Tertulliani lectione non placent *ſuſpiria Epoptarum*. Peſſime emendavit Pamelius *ſiparia portarum*. Conjicio legendum *ſuſpicia Epoptarum*, voce Africano ſcriptori non inſolente: *Suſpicia* θεωρίαι.

Ciſta Secretorum capax penitus celans operta myſteria religionis, alia etiam multa continebat, quæ apertius Clemens [3]. Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίσται αἱ μυστικαί; Δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι καὶ τὰ ἅγια, καὶ τὰ ἄῤῥητα ἐξειπεῖν. οὐ σησάμαι ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροι τε ἁλῶν, καὶ Δράκων ὄργιον Διονύσου βασσάρου. οὐχὶ δὲ ῥοιαὶ, πρὸς τοῖς δὲ καὶ καρδίαι, νάρθηκές τε καὶ κιττοί. Πρὸς δὲ καὶ φθοῖς καὶ μήκωνες. ταῦτ᾽ ἐστὶν αὐτῶν τὰ ἅγια. *Quales ſunt Ciſtæ eorum myſticæ; Oportet enim Sacra eorum denudare & ſilentio ſuppreſſa enuntiare. Nonne ſunt Seſama* (id eſt frumentum Indicum [4]) *Pyramides, lanæ bene depexæ, Liba variis diſtincta umbilicis, Saliſque micæ & Draco, Orgium Dionyſi Baſſari? Nonne mala punica atque etiam Corda, ferulæ & hederæ, præterea placenta & papavera? Hæc ſunt eorum ſancta*.

Teletam ſæpe repetitam & acceptam inſcriptiones docent. Ex quo Herodotus [5] multos ſimul conſecrari tradit, & cuique Deorum gregatim non ſigillatim, ἱερᾶται δὲ οὐκ ἑκάστου τῶ Θεοῦ, ἀλλὰ πολλοὶ, de prima initiatione debet intelligi non de Teleta. Notæ literarum ſequentes, C. P. nihil aliud ſignant niſi *cum prioribus*. Tradiderunt Perſica & Eliaca, aliquo poſt tempore tradiderunt Coracica. Nec enim omnes ad omnia Sacra vocabantur. Auguſtus cum res Græciæ compoſuiſſet, τῶν τοῖν θεοῖν μυστηρίων μετέλαβεν, *duorum Deorum Sacris initiatus eſt*. Sed quomodo anno triceſimo conſecrationis tradita ſunt Coracica, cum quinquennium ſufficeret ad majorum myſteriorum acceptionem? Triceſimus ille annus, ut me Syrmondus docuit, ad Patrem Augentium referendus eſt, non ad filium Coryphonem.

De Leonticis inſignis locus eſt, quem e nimpharum antro abditum effodere conabor [7]. Ὅταν μὲν τοῖς τὰ Λεοντικὰ μυουμένοις, εἰς τὰς χεῖρας ἀνθ᾽ ὕδατος, μέλι νίψασθαι ἐγχέωσι, καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ καὶ βλαπτικοῦ καὶ μυσαροῦ. Καὶ ὡς μύστη καθαρτικοῦ ὄντος, τοῦ πυρὸς οἰκεῖα νίπτρα προσάγουσι, παραιτησάμενοι τὸ ὕδωρ ὡς πολεμοῦν τῷ πυρί. Καθαίρουσι δὲ καὶ τὴν γλῶσσαν τῷ μέλιτι ἀπὸ παντὸς ἁμαρτωλοῦ. ὅταν δὲ τῷ Πέρσῃ προσάγωσι μέλι ὡς φύλακι καρπῶν, τὸ φυλακτικὸν ἐν συμβόλῳ τίθενται. *Leontica enim accipientibus ſacratis, in manus vice aquæ mel infundunt, ut lavent, puraſque manus habere hortati ab omni turpitudine, impedimento & ſcelere. Atque ita cum ignis habeat vim purgandi Sacerdotem, ignem pollubra domeſtica admovent, adverſati aquam quaſi bellum igni inferentem. Purgant & melle linguam ab omni peccato, quando Perſæ Deo mel offerunt, velut fructus conſervatori: Ciſtamque inter religionis Symbola ponunt*. Locus eſt alter authoris ejuſdem [8]: Ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις, τὴν κοινότητα ὑμῶν, τὴν πρὸς τὰ ζῶα αἰνιττόμενοι διὰ τῶν ζώων ἡμᾶς μηνύειν εἰώθασι. Ὡς τοὺς μὲν κατέχοντας, τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας, λέοντας καλεῖν. Τὰς δὲ γυναῖκας, ὑαίνας. Τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας, κόρακας. Ἐπί τε τῶν πατέρων. Ἀετοὶ γὰρ καὶ ἱέρακες, οὗτοι προσαγορεύονται, ὅ τε τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνων περιτίθεται παντοδαπὰς ζώων μορφάς. *In Mithræ myſteriis communionem veſtram cum animalibus obſcure innuentes per animalia nos demonſtrare ſoliti ſunt. Ut ipſorum Orgiorum Sacerdotes Leones appellare: mulieres, Hyænas: miniſtros Sacrorum, Corvos. Ex patribus, nam & accipitres ſunt, corvi illi appellantur. Quique Leontica accipit, induit omnimodas animalium formas*. Hæc fuit Teletæ hoc eſt Sacerdotii conſummatio, quam ſæpe repetitam pro numinum diverſitate, variæ traditiones oſtendunt. Extat menſa Iſiaca, quæ in Ducis Mantuani bibliotheca adſervatur ex Petri Bembi reliquiis illuſtrata pridem perdoctis Pignorii commentariis, ex qua cognoſcere eſt literas ignorabiles, καὶ τὴν συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν θεολογίαν, quæ ſculptis rerum animaliumque figuris tradebantur. Nam ſculpturæ illæ effigieſque quas videmus in tabula, Ægyptiæ erant literæ, quibus ſenſus mentis primum effinxerunt [9]. Nummum Iſidis matris ſubjicio, quæ equino capite denotatur.



## CAP. XXVI.

*De teleta iterum. Cœna Pontificum: illorum epulum DICIS cauſa.*

TELETA etiam pro Sacerdotii ſumptibus quandoque uſurpatur. Τέλος enim dicitur *dignitas* & *tributum* & *ſumptus* [10], qui non modicus fuit in Sacrorum acceptione [11]. Præcipue in Patriciis quæ Bacchi propria vino & epulis ſemper

1 lib. 11. 2 Adverſ. Valentin. cap. 1. 3 In protrept. 4 Dioſcori. lib. 2. cap. 121. 5 lib. 2. 6 Dio lib. 51. 7 Porphyrius de antro nymphar 8 lib. 4. de abſtinentia. 9 Plin. lib. 36. cap. 8 Tacit. lib. 11. Annal. 10 Elias in Greg. Naz. adverſ. Julian. orat. 3. 11 Apule. lib. 11.

abundarunt. A *Patriciis*, *patrice* & *magnifice* Plautum dixisse crediderim [1]. Sed Pontificum nostrorum cœnæ non minus instructæ aut minores illarum sumptus parciorque jactura fuit. Saliis cœnaturis creditor erat necessarius [2], & sestertium octogies pro novi Sacerdotii introitu Claudius impendere coactus, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatus ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum [3].

Antiqui moris fuit vino vel aliis delitiis non indulgere, nisi Deorum causa. Hinc sunt *θοῖναι*, *θαλίαι*, *μέθαι*, quarum vocum origo conventicula religionis ergo, atque convivia declarat. Quod testatur Seleucus apud Athenæum [4], qui *θοίνας* quidem dictas ait, quod fas esset *διὰ τοὺς Θεοὺς οἰνοῦσθαι δεῖν*, *ob Deorum sacra vino indulgere*. *θαλίας* ob illorum reverentiam, a quo *δαῖτα θαλίαν* [5] Homerus abundans convivium, delicias vocat, & *θαλία* pro florenti vitæ statu, & affluentibus deliciis accipitur, *θαλία*, *εὐθηνία*, *εὐωχία*. *Μέθας* denique quod *μετὰ τὸ θύειν*, *αὐτοῖς χρῆσθαι*, *Peractis Sacris vino indulgerent*. Verecunde Seleucus. Nam *μέθη* est ebrietas *κραιπάλη*, *σκότωσις οἴνου*, cujus specimen in Pontificum cœnis exhibet Lyricus poeta [6]:

*Absumet heres cœcuba dignior*
*Servata centum clavibus, & mero*
*Tinget pavimentum superbo*
*Pontificum potiore cœnis.*

*Pontificum cœnas* voco & Augurales, & Saliares, & Collegiorum, quæ innumerabiles excandefaciebant annonam macelli [7]. Sacerdotales cœnæ adjicialibus nomen indiderunt, quæ tricies frugalissimis viris constiterunt [8]. *Adjiciales* vocatæ, quod novi aliquid cibi semper adjiceretur [9]. Celebris est illa Hortensii Auguris, qui Pavonem cibi gratia, Romæ primus occidit adjiciali cœna Sacerdotii [10]. Quod protinus factum tam luxuriosi, quam severi boni viri laudarunt. Vetustissimam cœnam, quæ scripta erat in Indice quarto Metelli Pontificis maximi, Macrobius refert [11]. Cujus ordinem, apparatum & epulas instituerunt illi, qui omnibus negotiis horisque interesse credebant Deos, quos ideo placatos vitiis suis æstimarent. Atque utinam nostri eorum mores hac in re non imitarentur. Sed o tempora!

*— homines parvulos*
*Potare, amare, atque ad cœnam conducere,*
*Licet hoc Athenis nobis.*

Quod quidem vitæ me faturat, mihi dividiæ & senio est, Christianos homines, epulas profusas adeo curare, ut eorum convivia regales mensas jamdudum superarint [12].

Sed prior Pontificum cœna nos detineat, quæ ita mihi opipara est, ita lauta, ut nihil magnificentius adstrui potuerit, nihil ad evertendas sumptuarias leges fortius, nihil dignius Censoria nota. Extant Censoriarum legum paginæ, queis interdicuntur cœnis abdomina (quibus P. Mimus nomen imposuit) glandia, testiculi, vulvæ, sincipitia verrina [13]. Lege Fannia, annis undecim ante tertium bellum Punicum, cautum erat, ne quid volucrum poneretur in cœna, præter unam gallinam quæ non esset altilis, quod translatum per omnes leges ambulavit. Licinia lex centenarias edixit cœnas [14]. Sed leges omnes cum Orchia, Didia, Cornelia, Æmylia, Antia, Julia conticuerunt, ubi Pontifices voluerunt exquisitis epulis saginari. Ex Metelli indice jampridem eversæ leges, & convivis sexdecim apposita cœna, quæ parasitis centum famelicis nauseam con-

A citasset. Sincipitia, sumina, gallinas altiles, & id genus epularum, quod legibus interdictum est, non attingam: sed degustabo aliquid ex hac cœna, quæ stomachum meum reficiant. Menda duo in Macrobii lectione notavi. Primum leve est, & pro *Glycomaridas* legendum *Glycymerides* [15], cancrorum genus. Alterum gravius est. Nam quid sibi hæc verba velint *lumbos capragines aprugnos*, vix Oedipus conjectari posset, quod & Apicius ignoraret. Legunt quidam *Capras Oryges*, alii *lumbos Capraginos*: Quod utrumque nullas delitias sapit. Ausim ego affirmare inter hujus ævi Criticos, censentes vario diversa palato, illud verbi *Capragines*, glossema esse

B textui accommodatum. Plinium habeo magistrum [16]: *Placuere*, inquit, *& feri sues. Jam Catonis Censoris orationes, aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diviso, media ponebatur, lumbus aprugnus appellata*. Lumbi aprugni media pars aprugni calli. An Lumbi illi sint *ὀσφύες*, *ἴσχια* pars illa spinæ inter dorsum media, viderit novus aliquis Apicius. Ergasilus Plauti [17] illud sentire videtur, *ut ergo Callos*, inquit, *prætruncabo tergorio*. Doctissimi viri emendarunt *tergoribus*, contra Plauti vetustatem & venustatem. Alii reposuerunt *pecoribus*, qui suam hac in re egerunt causam.

C Huc usque quid vere sit aprugnum callum, quod aqua macerabatur, non satis intellectum. Callum aprugnum proprie fuit abdomen legibus Censoriis interdictum. Hac in re a Plinio [18] non recedo qui *vulvam ejecto partu meliorem, quam edito scripsit. Ejectitia illa vocabatur; hæc porcaria, proxima ejectitiæ & occisæ uno die post partum. Hujus & sumen optimum, si modo fœtus non hauserit: ejectitiæ deterrimum. Antiqui abdomen vocabant: priusquam calleret id, scientes occidere non assueti*. Errorem notat in his verbis Plinii Hermolaus Barbarus, qui scribendum arbitratur: *Antiqui abdomen vocabant, prius callere id sinentes, occidere non assueti*. Atque hunc sensum putat. Id quod modo sumen dicitur,

D hoc est Suillas cum lacte suo mammas, veteres *abdomen* vocabant, ab lacte jam abdito & fugato, utpote, quæ antequam ubera callescerent, hoc est, siccato lacte durescerent, suem occidere non solerent. Hoc callum in delitiis fuit, & nescio an nobilius fuerit, quam media illa pars, quæ lumbus aprugnus fuit appellata. Sed hoc scio callum tandem pro duriore apri qualibet parte fuisse usurpatum. Ruricius [19] Tergus Aprugnum appellat, *Tergus aprugnum me pietati tuæ indico transmisisse, ut dum nos volatilia quæ transmisisti deliciamur, tu bipede de quadrupede facto satieris*. Male excusum est *apruhum*. Liberum est unicuique sententiam dicere,

E hujus lectionis cibum fastidire, & apparare sibi quæ palatum excitent.

Omitto cœnas publicas, viaticas, Geniales, Triumphales, dubias, dapales, quæ amplis dapibus plenæ fuerunt. Venio ad Deorum cœnas in quibus ponebatur catulina, quam adjicialibus quidem epulis celebrem fuisse Plauti fabulæ testantur, [20]. Ab his festæ dapes, quæ festis conviviis Deorum, & in sacrificiis impendebantur [21]. Harum apparatus instructissimus. Atque ut quisque sacrificabat, cœnam jubebat continuo coqui, & familiares suos ad exta adducebat [22]. Quod ciborum genus fugientes Christiani *profanam cœnam* [23] appellarunt, & *Cœ-*

F *nare in Idolio* [24].

Pontifices vero non solum in inaugurationibus, sed etiam in sacris quamplurimis cœnæ interfuerunt, vel dicis causa. Nam & ad vetustatis memoriam



1 In Casin. 2 Tertull. in Apolog. cap. 39. 3 Sueton. in Claud. cap. 9. 4 lib. 2. 5 Illiad. 1. *τρέφονται θαλίῃ ἐνὶ πολλῇ*. 6 Horat. lib. 2. od. 4. 7 Varro lib. 3. de re rustic. cap. 2. 8 Senec. epist. 95. 9 Celsus lib. 4. cap. 2. 10 Plin. l. 10. cap. 20. 11 2. satur. cap. 9. 12 Ammian. Marcell. lib. 27. 13 Plin. lib. 8. cap. 51. 14 Festus in verb. Centenariæ. 15 Plin. lib. 32. cap. 11. 16 Plin. lib. 6. c. 51. 17 Plau. in Pseudol. 18 lib. 11. cap. 37. 19 lib. 2. epist. 42. ad Constantium. 20 Plinius lib. 39. cap. 4. 21 Nonius in verb. Dapalis. Servius 3. & 8. Æneid. 22 Plautus in Amphitru. Milit. Pœnul. Rudent. 23 Martyrolog. 4. septemb. 24 Concil. Ancyran. cap. 4. & 6. Concil. Gangrens. cap. 2.

epulatio in sacris quibusdam retenta est. Quæ εὐωχία, illaque dicis causa, ut ex Plinio Turnebus annotavit[1]. *Cibus*, ait Plinius, *e manu prolapsus reddebatur utique per mensas, vetabantque munditiarum causa deflare*. Et *sunt condita Auguria, quod loquenti cogitantive id acciderit, inter execratissima. Si Pontifici accidat dicis causa epulanti, in mensa utique id reponi, adolerique ad larem, piatio est*. Error in vulgatis, ubi scriptum *Ditis causa*, quam lectionem retinet Sigismundus Gelenius, vir de literis bene meritus. Sed *dicis causa* est, νόμου χάριν, λόγου χάριν. Nec enim Ditis ut Jovis epulum fuit. Secundum veterem tamen ceremoniarum ritum, Flamini Diali Pontificibusque inanis cœna non apponebatur[2]. Sed epulum dicis causa multum a sollemni cœna differebat, quam viri pietate insignes in nostris detestati sunt, & impiam odiosamque consuetudinem vocaverunt[3].

## CAP. XXVII.

### *Curia Pontificum, Pontificale pomœrium.*

CURIÆ duorum sunt generum[4], & ubi curarent Sacerdotes res divinas: & Curiæ veteres, ubi Senatus humanas, ut Curia Hostilia. In Curia Calabra ratio Sacrorum habebatur[5], illaque Pontificum propria fuit, quæ male in Glossario vetere ἵππον βουλή. Errorem vidit doctissimus Scaliger, sed non abstulit. Certissima est Vulcanii viri literis elegantioribus imbuti emendatio, qui legit ἱερῶν βουλή. In Curia Calabra, quæ erat in Capitolio, primis mensium diebus calabantur ejus mensis nonæ a Pontificibus, Quintanæ an Septimanæ essent futuræ[6]. Verba sollemnia Pontificum hæc fuerunt[7], *Dies te quinque Kalo Juno novella: septem dies te Kalo Juno novella*. An vero hæc verba septies proferrentur, ut prodit Scaliger, ex Varrone non satis liquet. Erant & Curiæ triginta, ut in sua quisque Curia Sacra publica faceret, feriasque observaret. Hæ maximi Curionis authoritate regebantur[8]. Curiarum Flamines, vocabantur Curiarum Sacerdotes: & *Curiales*, ejusdem Curiæ, qui diversi sunt ab iis qui in Glossario βουλευταί. Scribit Scaliger Curiales postea *Curiones* dictos, quod antea Curionum esset habere Comitia: qua ratione motus hoc scripserit vir qui nihil sine ratione summa, mihi certe non satis compertum est. Nam Curiata Comitia habendi jus erat Patritiis magistratibus & Pontificibus. Illis quidem cum leges Curiatæ ferebantur: his vero Sacrorum causa ad creandos Sacerdotes ut Flamines majores, Maximum Curionem. Nam Curiones alii φρατρίαρχοι Curiarum suffragio creabantur[9], nec a Collegis eligebantur. Nihil ergo Curionibus cum Curiatis Comitiis, in quibus populus curiatim suffragium ferebat. De Curia Pontificum vetus est inscriptio Bexæ in Lusitania:

[a] CVRIAE. PONT
FLAM. PACIS IVLIAE
VE. FLAM

Fuit & Pontificale pomœrium[10] ager pone murum in quo Pontifices sua constituebant auspicia. Pomœrii autem ambitu, Auspicia urbana finiebantur, iisque muro proximis, ut liberior esset adspectus in cœli spatio designato, quod *templum* vocabatur[11]. Ab eo *Pontificale Pomœrium* dictus est locus, in quo Pontifices considere solebant, cum Auspicia captarent. *Prosmurium* dixit Attejus in commentario Juris Pontificalis.

## CAP. XXVIII.

### *Pontificum aliorumve Sacerdotum immunitas. Illorum honor.*

VARRO in *antiquitatibus* author est, Sacerdotibus immunitatem a militia concessam, illosque ab urbanis molestiis liberos esse[12]. *Cum Sacerdotes Deorum vacationes habeant*, inquit Tullius[13], *quanto est æquius habere ipsos deos?* Quæ immunitas ab ordinariis etiam muneribus liberare solebat, ex veteri inscriptione quæ est Neapoli:

[b] VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO
EQVITI. ROM. REIP. TEGIANENSIVM
ADLECTO. IN. ORDIN. DECVRION
CIVI. AMANTISSIMO. QVI. CVM
PRIVILEGIO. SACERDOTI. CÆNI
NENSIS. MVNITVS. POTVISSET. AB
HONORIBVS. ET. MVNERIB FACILE
EXCVSARI. PRÆPOSITO. AMORE
PATRIÆ. ET HONOREM. ÆDILITAT
LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT.

Sed vacatio illa tandem, quæ insigne Sacerdotii ducebatur[14], ab extraordinariis tantum, non etiam ab ordinariis muneribus & legitimis, Sacerdotes liberavit, a quibus pridem ut ab aliis civibus stipendium extortum est[15]. Quod magnum certamen concitavit Quæstoribus urbanis, Q. Fabio Labeoni & L. Aurelio[16]. Pecunia opus erat quod ultimam pensionem pecuniæ in bellum collatæ, persolvere placeret privatis: Quæstores ab Auguribus & Pontificibus, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant. Ab Sacerdotibus Tribuni nequicquam appellati, omniumque annorum per quos non dederant exactum est.

Immunitatis Sacerdotalis vestigia quædam in libris nostris habemus a viris doctissimis explicata. Ulpianus libro singulari *de officio Prætoris Tutelaris* scripsit[17]: *Athletæ habent a tutela excusationem, qui sacris certaminibus coronati sunt*. Ἔθνους ἱερωσύνη, οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία παρέχει λειτουργησίαν ἐπὶ ἐπιτρόπων· τοῦτ' ἔστιν ἕως ἂν ἄρχῃ. *Provinciæ Sacerdotium ut Asiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia præbet a tutela immunitatem, dum ei muneri quis præest*. Hæ Provinciarum præfecturæ videri possent, cum tamen sint Sacerdotia. Quo modo Constantinus Imperator Phœniciarchiam & Syriarchiam Sacerdotii ornamenta explicavit[18].

Arabarchiæ per Ægyptum vectigal submotum an ad Arabiæ sacerdotem pertineret, dubitavit Antonius Augustinus. Sustulit dubitationem Cujacius, qui *Alabarchiæ* nomen perdocte restituit[19].


In municipiis Sacerdotales & Flamines perpetui, atque etiam Duumvirales ab annonarum præpositurris inferioribusque muneribus quæ sordida dicebantur, immunes erant[20].

Sacerdotes nostros Regia nexus constitutione ex-

1 lib. 28. cap. 2. 2 Servius in sched. 3 Gennadius ad episcop. urb. Rom. 4 Varro lib. 4. de ling lat. 5 Festus in verb. Curia. 6 Varro lib. 5. de ling. lat. 7 Scalig. lib. 2. de emendat. temp. 8 Festus in verb. Curiales. 9 Dionys. lib. 2. a 498. 8. 10 Festus in Sched. 11 Varro lib. 4. & 5. de ling. lat. 12 Dionys. lib. 2. 13 Cicer. 4. Academic. b 484. 6. 14 Symmac. lib. 10. epist. 54. 15 l. 6. D de vacat. muner. l. unic. C. de vacat publ. mun. 16 Livius lib. 33. 17 l. 6. de excusat. in pandect. Florentin. 18 l. 1. C. de natur. liber. 19 lib. 8. observat. cap. 37. 20 l. 2 quemad. muner. civil. judic. C. Theod.

solutos, qua corpus aliorum liberum quarto mense post judicatum, ni solvatur, carcere potest mancipari, sollemni Placito, in sacra ante diem Paschæ purpura, toto audiente foro (Antoni Præses doctissime) hoc anno [1] pulchre, oratorie & cum imperio dixisti. Illo ipso die, cum hoc libri caput excuderetur, ingenium, memoriam, judicium, doctrinam, prudentiam singularem tuam cum cæteris omnibus, ita miratus sum, ut te summis ornamentis honorum, fortunæ, virtutis & humanitatis præditum, neque satis mirari usquam, neque satis laudare quisquam possit.

Pontificum Rom. alii præterea honores multi, inter quos jus vetustum fuit, Sella Curulis cum toga prætexta. De Curuli nummus est Cottæ Pontificis maximi:




De Prætexta multi multa [2], inter quos Baysius [3] breviter & docte. *Prætexta*, inquit, *cui purpura prætexitur*, quam Plutarchus [4] *περιπόρφυρον ἱμάτιον*, Athenæus [5], *περιπόρφυρον χιτῶνα*. Prætexta enim simpliciter prolata, a purpurea prætexta differebat, ut ex Livio [6] facile est conjicere. Ille, *Valerius*, inquit, *Tribunus pleb. cum dissereret contra legem Oppiam: Purpura*, ait, *viri utemur prætextati in magistratibus, in Sacerdotiis: Liberi nostri prætextis purpura togis utentur, magistratus in Coloniis municipiisque. Hic Romæ in infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ jus permittemus*. Prætexta igitur est *περιπόρφυρα*. At prætexta purpurea *ἐν πορφύρῳ* vel *ὁλοπορφύρῳ*. Prætexta vulgatior, quæ pueris, magistris vicorum & fœminis concessa est: purpura Sacerdotibus & magistratibus solum. Josephus Scaliger [7] vir ut honoribus, sic doctrina vere princeps, usum purpuræ sacrum recte putat, illumque magistratibus concessum, non tam Magistratus jure, quam ludorum & votorum causa. Sic Severus Alexander [8] recepit prætextam cum sacra faceret, sed ut Pontifex maximus, non ut imperator. Nam Imperatori picta potius toga debebatur.

Pictæ vestes jam apud Homerum fuerant, unde triumphales natæ [9]. Scaliger tamen pictam togam & purpuream eandem putavit. Quod ex Festi verbis colligi non potest, & nummis veteribus confutatur. Pictam togam in nummis Cæsaris Augusti expressam habemus:




Picta triumphantium erat, qua usus Nero in Circensibus ludis [10]. Prætextæ purpureæ magistratibus usus fuit in sacris, pompis, & festis Deorum [11], *ἀλουργεῖς ἀμπεχόνας* Dionysius vocat, pictas vero *χρυσίνους*. Ubi interpres vertit *λευκὴν ἐσθῆτα περιπόρφυρον prætextam candidam*. Male: debuit enim *prætextam* solum dicere vel *prætextam purpura togam*. Prætexta alba erat, sed limbo purpureo circumtexta [12]. Prætexta candida est vestis pura *καθαρὰ*, quæ *ἀπόρφυρος* [13].

---

## CAP. XXIX.

*De habitu & ornamentis Pontificum.*

HUIC capiti tanquam auctuarium quoddam supra mensuram vel pondus justum adjiciam. Ornamenta Pontificum, quos suis vestibus indutos antiquitas venerata est, posteri mirantur. *Tria sunt*, inquit Suetonius [13], *pileorum genera. Erat Apex, Tutulus, Galerus*. Apex pileus subtilis fuit circa medium virga eminente. Tutulus pileus lunatus, metæ figuræ. Galerus ex pelle hostiæ Jovi cæsæ, qui frequentius *albogalerus* dicitur. Hic Diali Flamini proprius fuit, nec ulli alii Sacerdoti. Apices reliquorum sunt Flaminum & Sacerdotum. Tutulus Pontificum [14]. Dialis sine galero & prætexta nunquam erat in publico. Martialis & Quirinalis neque semper prætextam neque Apicem gestare non solebant, nisi sacrificii tempore. Apicis formam qui ab *Apere* dictus [15], quod ritu Flaminum significat *alligare*, videmus in nummis Licinii Stolonis:




In hoc nummo designatus Apex, quæ virga est in summa pilei lunula circumdata, qui bicornis sursum erigitur: cujus ligaturæ nodi utrimque penduli, quibus Apex retineretur aut remitteretur, *Offendices* dicuntur [16]. Tutuli eadem ferme figura quæ in metæ cacumen desinebat, & lunulæ loco, quæ in Apice prominet, virgulam habet incurvam, quæ deorsum flectitur ex Julii Cæsaris nummis:




Gulielmus Cholius Delphinatus Provinciæ præfectus, vir inter primos antiquitatis assertores numerandus, in libro *de religione veterum Romanorum*



1 16. Kal. Maii. 1612. 2 Macrob. 1. saturn cap. 6. 3 De re Vestiaria. 4 In Sertorio. 5 lib. 6. 6 lib. 34. 7 ad Festum in verb. prætexta. 8 Lamprid. in Alex. 9 Plin. lib. 8. c. 48. 10 Tac. 12. Annal. 11 Dion. lib. 4. 12 Gloss. vet. Plut. in Anton. 13 In lib. de genere vestium. Servius 2. Æneid. 14 Festus in verb. Tutulum. 15 Servius 8. Æneid. 16 Festus in verb. offendices.

A Gallice ſcripto, ex antiqui zophori ſculptura depictos Albogalerum & Tutulum ita expreſſit:



B

Accedit ad hanc Tutuli figuram alia in Onyce impreſſa cum urceolo, & Gallo gallinaceo, quæ Pontificatum Auguratumque deſignant:



C

Nam ut Pontificatus Tutulo aut Urceolo: ſic Auguratus lituo vel gallo gallinaceo denotatur. Flamines cum Apice ſacrificabant ex nummis Licinii Veri:

D




E

Lituus in hoc numiſmate tributus Flamini me aliquantiſper detinuit, non quod ille Auguratus eſſet inſigne, (Nam & Pontificibus lituus fuit communicatus) ſed quia Flamines commentaculo in Sacrificiis utebantur. Nummus Auguſti pulcherrimus nodum omnem diſſolvit:




F

Ex quo lituum & commentaculum Flamini videmus fuiſſe commune. Pontifices vero laurea corona redimiti, velato capite ſacrificabant. Hunc morem tangit Virgilius [1]:

*Purpureo velare comas adopertus amictu.*

Caput M. Lepidi Pontificis maximi hoc modo velatum habemus in nummis:



Et Pontifices velato capite ut plurimum animadverti, Tutulum geſtantes non vidi præterquam in nummis Numæ;




Hunc Pontifices inſtituiſſe, nec tamen Pontificem fuiſſe ſciunt omnes. Quare nummi regiam magis quam Pontificiam denotare dignitatem viderentur. Regibus enim poſt Pontifices inſtitutos remanſit quorundam ſacrorum cura. Nos de his poſtea ubi de capite & lituo.

Pontificum integumentum velum fuit purpureum: ut Veſtalibus album, quod quidem *ſuffibulum* dicunt, album ſcilicet veſtimentum, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capita Veſtales cum ſacrificant ſemper habere ſolent, idque fibula comprehenditur. Ex P. Raſcaſii gemma, quas vir ſingulari induſtria parat multas, exemplum habeo Veſtalis cum ſuffibulo:



1 Vigil. 3. Æneid.

Quod velo adumbrassem nisi vir doctus scriptis suis illud obduxisset. De Suffibulo lex erat scripta in Sacrario Deæ Opeconsivæ [1]: HOC. PRÆTER. VIRGINES. VESTALES. ET SACERDOTEM. PVBLICOM. INTROIRE. NEFAS. ESTO. IS. CVM INTROIERIT. SVFFIBVLVM HABETO. Mirum quod Pontifex qui Sacerdos publicus, cum penum Vestæ adiret, virginum integumento, hoc est suffibulo uti debuerit. Sic Virgines Saliæ sacrificium facientes, cum Pontificibus in regia paludatæ cum Apicibus erant, in modum Saliorum [2]. Sed ad cætera Pontificum ornamenta transeamus, & vestes illorum cæteras paucis explicemus. De prætexta purpurea hactenus dictum est; pura vestis & impolluta Pontificum sumenda nobis est & sarcienda. *Pura vestimenta*, inquit Festus [3], *Sacerdotes populi Romani cum sacrificabant habere soliti erant, id est, non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculata*, Scaliger emendat *obstita*, id est, violata tactaque de cœlo, rectissime. Puram vestem Servius [4] aliter componit: *Impolluta vestis*, inquit, *& pura dicitur quæ neque funesta sit, neque fulgorata neque maculam habeat* Θ. K *homine mortuo. Est autem linea & purpurea*. In hac veste sinus est qui mihi rugam excitat in fronte. Quæ enim macula est illa Θ. K *homine mortuo*? Hanc tamen si fieri potest eluere conemur. Hæ literæ in veteribus monumentis frequentissimæ sunt. Exscripsi Arelate:

A

Θ. ANNOS. XIIII. MENS. II. DIES. V.
MARTIVS. VXORI. KARISSIMAE

Illud τὸ Θ. nihil aliud significat quam vixit, obiit. Narbonæ:

Θ

L. CORNELIVS. CERATUS

B

Utrumque autem Θ. K. Θεὺς καταχθονίυς designare solet in inscriptionibus Græcis passim. Unde vestis quæ Θ. K. habet *homine mortuo*, ea forte fuit, qua Sacerdos usus, dum subterraneis Diis sacra mortuorum celebraret [5]. An vestis hæc Sacerdotalis habuerit literas Θ. K. illisque fuerit distincta & præfixa: non memini me alibi legere. Quare non ex Tripode Oracula fundo, sed conjecturas & nugas meas in re obscura ita propono, ut non respuam alienas.

Pura vestis candida erat καθαρὰ, λδυκὴ mera, nullo colore delibuta. Lexicon vetus, *merum* interpretatur ἄκρατον, ψιλὸν *impermixtum, tenue*: ut nostrorum Sacerdotum vestes puræ, albæ sunt, atque ita vernacula lingua nominantur. Supra vestem puram toga duplici Pontifices amicti fuerunt: quæ *læna* dicebatur.

C

Vestis una in modum tunicæ brevior erat, altera oblonga in modum pallii tunicæ imponebatur, utraque purpurea [6]. Pontificem illo habitu ornatum, ex antiquis marmoribus ita depinxit Onuphrius, cui, quem anteponat, non habet ipsa antiquitas virum:



Atque hic fuit habitus pacis. Nam in bello Pontifices cinctu Gabino uti solebant. Vel cum sacris operarentur, vel cum pro exercitu aliquem devoverent.

Augur lituo solo a Pontifice differebat & colore trabeæ. Nam Pontificalis de purpura tota: Auguralis de purpura & cocco [7]. Augurem equo insidentem ex Augusti nummis adjicere visum est:

1 Scalig. ad festum in verb. suffibulum. 2 Festus in verb. Salias virgines. 3 In verb. pura. 4 lib. 12. Æneid. 5 Servius 10. Æneid. 6 Serviuc. 4. Æneid. 7 Sueton. lib. de gener. vest.




Sed Augur aliquis ſervavit de cœlo, cujus obnuntiationi mihi parendum eſt, & ad alia tranſeundum.

## CAP. XXX.

*Pontifices aliorum Sacerdotum munus obibant.*

UT Pontifices Sacris publicis præerant, ſic Sacerdotum omnium, ſi res poſtularet, munus obierunt. Cum tamen nullum alium Sacerdotem Pontificum officium impleviſſe videamus. Portentorum explanationes & prædictiones, Aruſpicum fuerunt & Decemvirorum: utrumque Pontifices ſibi vendicarunt, ut Epulonum miniſterium, & Flaminis Dialis, qui primus in Sacerdotum ordine recenſetur. Nam ſi ille valetudine aut munere publico impediretur, Pontifices Dialia Sacra faciebant, quæ etiam peragebant, ſi Dialis nullus eſſet inauguratus [1]. Sic duobus & Septuaginta annis poſt Cornelii Merulæ Dialis cædem, cum nemo ſuffectus eſſet, Pontifices ut Flamines religionem curaverunt. Decemviri fatales libros adire ſolebant ex Senatuſconſulto qui publice apud illos erant depoſiti. Sed cum vetuſtate libri exoleſcerent, ut ſua manu illos deſcriberent, Pontificibus negotium datum, atque ab illis hi libri quandoque aditi [2]. Eſt Aureliani Imperatoris epiſtola apta huic loco [3]. *Miror vos*, inquit, *patres ſancti tam diu de aperiendis libris dubitaſſe, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia non in Deorum omnium templo tractaretis. Agite igitur caſtimonia Pontificum, juvate principem neceſſitate publica laborantem. Has literas & Pontificum ſuggeſtionem, cum Prætor urbanus ad Senatum retuliſſet, Ulpius Syllanus primæ ſententiæ Senator, Agite, inquit, Pontifices, qua puri, qua mundi, qua ſancti, qua veſtitu animiſque Sacris commodi, templum aſcendite, veteranis manibus libros evolvite.* Hæc exſcripſi quod ex Pontificum ſint authoritate & dignitate. Nam licet Sacerdotes illo tempore fere omnes, Pontifices vocarentur: & Decemvirorum collegium ampliſſimum [4], Sacerdoteſque populi Romani haberentur, facit tamen ſuggeſtio Pontificum, ut credam de Pontificibus noſtris non de Quindecimviris locum accipiendum. Pontificum enim proprie ſuggeſtio, nec ſolebant Quindecimviri aliquid præmonere & ὑποβαλεῖν. Authoris nunc verba evolvamus, quæ Scaligero mendoſa videntur. Scribendum putat pro *veteranis manibus libros evolvite*, *veteris anus Cumanæ libros*. Retinet vir doctiſſimus alius vulgatam, & *veteranas manus* interpretatur majorum Pontificum, qui in Sacerdotio conſenuerunt, quique a minoribus, ut Veterani a novitiis diſtinguebantur. Uterque me moratur, qui veteranorum in literis privilegio gaudent. Ego vero Tyro ac rudis in hoc militiæ genere ultro decertabo, cum jure poſſim: & ſi quis mallet paululum literas immutare, & pro *veteranis* legere *veneratis manibus*, ambabus certe amplecterer hanc lectionem. Quo loquendi modo Poeta *veneratam Cererem* vocat [5] pro *venerabili*. Nam Sibyllinos libros adire & evolvere venerationem habebat & pietatem, quæ veteranis manibus minus videtur convenire. Hæc mea conjectura eſt, unuſquiſque adhibeat ſuam. Mihi quidem a vulgata recedere religio eſſet, ſi illa religioni congrueret, ſed qualiſcumque ea ſit, facile conjecturæ patiar eam anteferri. Nec enim authoris verba temere immutanda, dummodo lectio integra ſit. Licet forte melius legi vel dici poſſit.

## CAP. XXXI.

*Rex Sacrorum & Flamines majores duo adſcripti Collegio Pontificum. De illorum dignitate & cura.*

REX Sacrorum & Flamines licet Pontifices non eſſent, ita tamen erant adſcripti Collegio Pontificum, ut ſi quando res aliqua apud illos diſceptaretur, ut in Virginum judicio, ipſi una cum Pontificibus Judices ſederent. Sicque accipiendus eſt locus M. Tullii [6]: *Cum ex Collegio tanto*, inquit, *non Regem, non Flaminem, non Pontificem videret*. Attributi quidem erant illi Pontificum Collegio, nec tamen de illorum Collegio. Sic Equites & Tribuni ærarii, lege Aurelia cum Senatoribus judicarunt, cum tamen illi non eſſent Senatores [7]. An vero Augures cum Sacrorum Rege & Flaminibus Collegio adſcripti fuerint Pontificum, quæri poteſt: quod M. Tullius docere videtur [8]. *Dico*, ait ille, *Apud Pontifices, Augures adſunt, verſor in medio jure publico*. Cum tamen omnes Judices enumerat, qui de domo ſua cum Pontificibus judicarunt, Augures ſilentio præterivit [9]. *Domum meam*, inquit, *P. Lentulus Conſul & Pontifex, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſala, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, P. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Clodius Rex ſacrorum, M. Scaurus, C. Curio, Sext. Cæſar Flamen Quirinalis, Q. Cornelius, Q. Terentius Pontifices minores cauſa cognita duobus locis dicta omni religione liberarunt*. In hac judicum enumeratione nulli Augures, quos tamen Judicio dixit Cicero adfuiſſe. Quod ita accipiendum eſt, ut cum omnes illæ P. Clodii actiones in Tribunatu evellere radicitus conaretur, nonnihil de illius adoptione attigit, in qua Augures adhibebantur [10]. Cum ergo ex Pontificibus quidam etiam Augures eſſent, ille cum obiter de adoptione Clodii diſſereret, Augures dixit adeſſe, qui adoptionem illam non rite factam videre poſſent. Adſederunt ergo Pontificibus Flamines duo cum Sacrorum Rege, qui ſimul cum iis judicarunt. Quod ex alio Ciceronis loco colligitur [11]: *Diſcite*, inquit, *Pontifices, vos Flamines, etiam tu Rex diſce*.

Varia vero Sacerdotum horum munera fuerunt, & in illorum ordine maximus videtur Rex Sacrorum, deinde Dialis, tertio Martialis, quarto Quirinalis, quinto Pontifex maximus. Dialis *univerſi mundi Sacerdos appellatur a* Dio (error apud Feſtum [12], ubi legitur, *appellatur Dium*) *a quo vita dari hominibus putabatur*. De illo, ſequenti capite plura dicturi ſumus.

Regis ſacrorum curæ variæ, ex quibus multis unam perſequar, quæ curam aliquam & diligentiam

1 Tacit. lib. 3. Annal. 2 Dionyſ. lib. 4. 3 Vopiſcus in Aurelian. 4 Cicer. 9. in Verrem. 5 Virgil. 3. Æneid. 6 pro domo ſua. 7 lib. 2. D. de orig. jur. Plin. lib. 33. cap. 1. & 2. 8 pro domo ſua. 9 de Aruſpic. reſp. 10 lib. 8. ad Attic. epiſt. 3. 11 pro dom. ſua.

A tiam desiderat. *Dies intercisus*, inquit Varro [1], *Quando Rex comitiavit fas, ad quod tempus est nefas ab eo fas: dictus ab eo quod eo die Rex Sacrificulus dicat ad Comitium*. Pro *dicat* legit Scaliger, *Itat ad Comitium*, nec Latinum putat, *dicere ad Comitium*, & vere. Nam in Comitio ad populum dicebatur, nec Regi Sacrificulo licebat cum populo agere [2]. Varronis lectio cognatione literarum corrupta, in qua cum scriptum esset *ducit ad Comitium*, librarius scripsit *dicat*. Ducebat Rex ad Comitium ipso Regifugii die [3] quo sacrificium in Comitio peragebat. Sic etiam in Sacris Novalibus in arce ferias primas menstruas, quæ futuræ erant eo mense, prædicebat, & diebus Agonalibus in Regia arietem immolabat [4]: B *Qui dies dicti Agonales ab agone*, inquit Varro, *eo quod interrogatur a principe civitatis, & princeps gregis immolatur*. Corruptam Varronis lectionem suspicor: Quid enim Agonales dies ab agone deducamus? Nam cum omnibus Sacrificiis minister rogaret Sacerdotem *agon'*?

*Qui calido strictos tincturus sanguine cultros*
*Semper agatne, rogat, nec nisi jussus agit* [5].

Qua ratione *Agonales* dies ab hac voce *agon'* denominationem sortiuntur? Crederem Varronem scripsisse: *hi dies dicti ab Agonio quo die interrogatur a principe Civitatis, &c.* Supra Varro scripserat: C *A cœli naturali discrimine civilia vocabula diis accesserunt. Dicam prius qui Deorum causa sunt instituti*. Jam ex Festo Varronem interpretemur [6]. *Agonia* ab antiquis hostia dicebatur, & *Agonius* Deus qui præsidebat rebus agendis, cujus festa *Agonalia*, ut a Conso *Consualia*, Quirino *Quirinalia* dicta sunt. Quo die princeps civitatis interrogabatur, cum in cæteris Sacrificiis publicum Sacerdotem ministri rogarent. Hoc die civitatis princeps Sacerdotis partibus functus est, quod forte res per magistratus agerentur. Nam principem civitatis magistratum voco ut Consulem vel Prætorem [7]. Sed Rex iste abeat e comitio & Flaminibus loco cedat. D Hi majores & minores fuerunt, plebeii & patricii generis [8]. Tres primi a Numa instituti, Dialis, Martialis & Quirinalis, duo tantum Collegio Pontificum attributi.

---

## CAP. XXII.

*De Flamine Diali & illius legibus. Collegio Pontificum ille adscriptus non fuit. Jus habuit in Senatum introeundi. Municipales Flamines prodi dicebantur. Veflamen, Flaminales viri.*

E Ceremoniæ, inquit Agellius [9], *Flamini Diali multæ impositæ, item casus multiplices*. Qui sint illi casus, vix Criticorum consilium prævidere potuit, qui in literarum naufragio tabulis laceris undique jactantur. Emendant illi *castus multiplices*, quod primum placuerat Lipsio [10], qui postea reposuit *cautus multiplices*. Nam multa vetita Flamini Diali, quæ Sacrorum legibus cauta dici possunt, a quibus Dialis cavere deberet. Verissima est vulgata lectio ex veteri Glossario, *in quo casibus* θέμασι, κανόσι, unde apud nos Κανόνες & *jus canonicum*, Κανὼν regula & norma disciplinæ. F Quo sensu M. Tullius Tyroni scripsit [11]: *Sed heus tu qui Κανὼν esse scriptorum meorum soles*. *Casus* & *Ceremoniæ* ex Fabii Pictoris libro ab Agellio [12] recensentur, quibus nonnulla addi possunt ex Jure Pontificio ab antiquis authoribus repetita.

Veteri religione Pontificum, inaugurato Flamini, vestem quæ *læna* dicebatur, a Flaminica texi oportebat. Quam vestem cum cultro qui *Secespita* appellabatur, uti debere (ita apud Servium [13] legitur.) Cujus lectioni mederi non possum. A Flaminica fieri vestem oportebat, cujus lanam ipsa per se & nere debebat & texere. Infibulatus [14] sacrificabat propter usum æris antiquissimum. Mortuæ pecudis corio calceos fieri Flaminibus nefas habebatur, quoniam sua morte extincta omnia, funesta æstimantur [15]. Flamini sacro (qui Dialis est) equinum fel tangere non licebat Romæ [16], quod publicis sacris equus etiam immolaretur. Ille æreis cultris tondebatur [17]. Ignem ex illius domo efferre non licebat nisi rei divinæ causa [18]. Flamen Dialis Romæ auspicabatur vindemiam, & ut jusserat vinum legere, agna Jovi faciebat, inter cujus cæsa & porrecta Flamen prorsus vinum legebat. Quod vero tradit Fabius Pictor, *Diali jurare fas nunquam esse*, confirmat Livius celebri exemplo [19]: *Comitiis*, inquit, *creati Aediles forte sunt ambo, qui statim accipere magistratum non possent. Nam C. Cornelius Cetbegus absens creatus erat, cum Hispaniam obtineret Provinciam: C. Valerius Flaccus, quem præsentem creaverant, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat, petente Flacco ut legibus solveretur, Magistratum enim plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere: Senatus decrevit, ut si Aedilis qui pro se juraret arbitratu Consulum daret, Consules si eis videretur cum Tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus qui juraret pro fratre, L. Valerius Flaccus Prætor designatus. Tribuni ad plebem tulerunt, plebsque scivit, ut perinde esset, ac si ipse Aedilis jurasset*. Dialis Flamen Pontifex max. & Rex sæculi dictus [20], Jovi assiduus Sacerdos, quem Numa insigni veste & regia Sella adornavit. Hanc dignitatem C. Flaccus alter Flamen Dialis restituit per multos annos diminutam: ut scilicet in Senatum introiret cum Prætexta toga & Sella Curuli [21].

An vero Dialis attributus fuerit Collegio Pontificum ex Ciceronis verbis facile intelligi potest. Nam cum inter Sacerdotes, qui de illius domo judicarunt, sedisse non dicatur cum Martiali & Quirinali, Collegio Pontificum non fuisse illum adscriptum possumus adfirmare. Cujus rei rationem cum apud me diligentius exquirerem, illam a Fabio Pictore repetebam, quod scilicet Dialis quotidie feriatus esset [22]. Nam cum per religionem non liceret festis diebus vel apud Prætorem lege agere, vel apud Pontifices, ne feriæ polluerentur quæ festis inerant: Pontificum judicio Dialis nec interesse potuit, nec debuit. Cum Fabio Pictore tamen historiæ Romanæ scriptores pugnare videntur. Nam Flamen Dialis magistratum gerere potuit. Et C. Valerius cum Prætor creatus esset, Prætores ita sortiri jussit, uti Flamini Diali, utique altera juris dicendi Provincia esset [23]. Sed cum multa in illius legibus mutata essent, multa quoque in iis quæ ad religionem pertinebant, intacta remanserunt, & quæ in Repub. introducta sunt, vetera instituta non everterunt, quæ ex Flaminis legibus sunt requirenda. Lapsus est Ant. Augustinus [24], vir qui certo semper & confirmato animo consistit, in omni genere literarum: qui Dialem hunc cum duobus majoribus cæteris flaminibus majorem Pontificem putat. Nam Dialis ne quidem Pontificum collegio adscriptus



---

1 lib. 5. de ling. latin. 2 Agel. lib. 11. cap. 1. 3 Plutarch. in quæst. Rom. Festus in verb. Regifugium. 4 Varro eod. lib. 5 Ovid. 1. fastor. 6 Festus in verb. Agonium. 7 l. scire oportet. §. præfectorium D. de tutor. l. Spadon. §. civitatis. D. de excusat. tutor. 8 Festus in verb. majores Flamines. 9 lib. 10. c. 15. 10 lib. 1. Elector. c. 21. 11 lib. 16. epist. 17. 12 lib. 10. 13 Servius 4. Æneid. 14 Festus in verb. infibulati. 15 Festus in verb. mortuæ. 16 Plinius lib. 28. cap. 9. 17 Servius 1. Æneid. 18 Festus in verb. ignem. 19 Livius lib. 3. 20 Tertul. lib. 1. ad uxor. cap. 7. & lib. de præscrip cap. 40. 21 Livius lib. 27. 22 Agel. lib. 10. cap. 15. 23 Livius lib. 31. 24 Dialog. 10. de numismatib. antiq.

est; sed Martialis tantum & Quirinalis, qui tamen Pontifices, non erant majores.

Flamen a Pontifice capi dicebatur Romæ, [1], qui in municipiis a Magistratibus prodebatur [2]. Observamus Veslamines in antiquis inscriptionibus:

[a] C. MVCIVS. BRVTIANVS. FAVSTINVS
ANTONIANVS. VEFLAM. AVG.

Alia inscriptio Bexæ in Lusitania:

[b] CVRIÆ. PONT
FLAM. PACIS. IVLIÆ
VE. FLAMEN

Quod quidam interpretantur *vetus Flamen* qui Sacerdotio abierat. Forte *Veslamen* pro minore Flamine dicebatur, ut *vegrande* veteres dixerunt pro parvo & minuto [3]. Nam qui Flaminii honore functi erant, vel ut lex loquitur [4], *post Flaminii decursa insignia*, Flaminales viri vocabantur, ut Consulares qui Consulatum pridem consequti. Lapis Tarraconæ:

[c] C. VALER. ARABINO
FLAVIANI. F. BERGIDOF
OMNIB. HON. IN. R. P.
SVA. FVNC. SACERDOTI

ROMÆ. ET. AVG. P. H. C
OB. CVRAM. TABVLARI
CENSVALIS. FIDELITER
ADMINIST. STATVAM
INTER. FLAMINALES
VIROS. POSITAM. EX
ORNANDVM. VNIVER
CENSVER

In iisdem inscriptionibus leguntur *Flamines ad tempus*, *Flamen Quinquennalis*, *Flamen primus Provinciæ*, *Flamen Deorum omnium*, *Flamen Augustalis*, quæ Sacerdotii denotabant dignitatem.

---

## CAP. XXXIII.

*Quas Res Senatus ad Pontifices rejiciebat. Relatæ res ad virgines & Pontifices. Religionem abs se rejicere. Scrupea religio.*

QUÆ res ad sacra & ceremonias pertinebant, si de his quæstio forte moveretur, Senatus illas ad Pontifices rejiciebat, & Collegium Pontificum consuli jubebat, qui de religione solum decernerent [5]. Capua capta a Q. Fulvio & Appio Clodio Coss. Senatusconsultum de Capite & fortunis Campanorum factum est. Sed cum ad signa & statuas æneas, quæ capta de hostibus dicebantur, ventum esset, ad Collegium Pontificum illa sunt rejecta [6]: M. Fulvius Ambracia capta, cum signa atque ornamenta ex ædibus sacris abstulisset, Ambracienses legati de illo in Senatu questi sunt: Senatusconsultum factum est, placere de iis cum M. Fulvius Romam revertisset, ad Collegium Pontificum referri [7], & quod ii censuissent, fieri. Relatum etiam ad illos de expiandis, quæ in templo aliquo tacta elataque essent [8]. Male forte vulgata lectio in Livio habet *capta*.

Latinæ feriæ ad tertium Nonas Maii fuere, in his

A cum magistratus Lanuvinus in una hostia precatus non esset, populo Romano Quiritum religioni fuit. Id cum ad Senatum relatum esset, Senatus ad Pontifices remisit [9]. M. Tullius ab exilio reversus, cum de illius domo Comitiis Centuriatis actum esset: Centuriæ omnes eodem jure esse jusserunt, quo antea fuisset [10]. Sed Senatus priusquam legis author fieret, M. Bibuli sententiam sequutus est; ut de domus religione, quæ a P. Clodio consecrata erat, ad Pontifices referretur [11]. In quibus laudare licet prudentiam veterum singularem, ordinumque concordiam, ut in religionis controverso Judicio nihil tentarent aut moverent Pontifices sine Senatus authori-

B tate: nihil aut parum Senatus in religione censeret, sine Pontificum decreto. Claudius Imperator, cum ad Senatum super Collegio Aruspicum retulisset, Senatusconsultum factum: *Viderent Pontifices* [12] *quæ retinenda firmandave Aruspicum essent*. At cum P. Clodius sacra Bonæ Deæ violasse diceretur, res ad Pontifices & virgines Vestales relata est, idque ab iis nefas decretum [13]. Quod unum in illa vetustate exemplum memoratur, quo Senatus fœminis decernendi potestatem mandavit. Quod tamen incertum faciunt libri manuscripti: qui vocem *(virgines)* a Ciceronis lectione rejiciunt: alii admittunt ex quibus vulgata recipitur, quæ non temere improban-

C da. Licet enim fœminarum genus a negotiis publicis conditio exceperit humanæ fragilitatis, illæque ab omnibus civilibus & publicis officiis sint remotæ [14], honor tamen Vestalium, quibus magistratus fasces submittebant, tantus fuit, ut ipsæ legibus solverentur. Valerianus Censor delectus est Decio Imperante: ubi Senatusconsultum Decius accepit [15]. *Fœlicem te*, inquit, *Valeriane*, *tu de judicibus*, *tu de Præfectis eminentissimis judicabis. Excepto denique Præfecto urbis Romæ*, *exceptis Consulibus ordinariis*, *ac maxima Virgine Vestalium (si tamen incorrupta permanserit)* Glossema sunt ultima hæc Pollio-

D nis verba, quæ parenthesi inclusa, in textum irrepserunt. Etenim si Vestalis maxima incestum commisisset, nullæ erant Censoris partes, cum illa a frequenti Pontificum Collegio judicaretur. Sed quid causæ fuerit, cur Senatus pollutarum Ceremoniarum judicium Virginibus permitteret, si quæratur, hanc unam fuisse maxime puto, quod Virgines sacrum Bonæ Deæ curarent, quod cum instaurassent, ut non rite factum, pollutique Sacrificii causam agnovissent, illarum hac in re judicium necessarium Senatus judicavit, quo accommodarent illas veritatis assertores magis quam facti judices.

Postquam vero Imperatores Pontificatum maximum ceperunt, mos ille rejiciendi ad Pontifices

E immutatus, ut in Servio Maluginensi videmus [16], adversus quem Lentulus Augur cum in Senatu dixisset, eumque sequuti essent multi, eo decursum est, ut Tiberii Pontificis maximi sententiam operirentur; qui dilata notione de Jure Flaminis, postea decretum Pontificum recitavit, quorum judicium sine Senatus authoritate requisierat. Religionis rejectio ad Actii [17] versum me revocat, qui a doctissimis viris varie explicatus. Varro, *Scrupedam*, inquit, *Aurelius scribit Auscaripedam* (fœliciter Turnebus emendat *a Scauro pede*) *Valerius a pede & scrupea. Ex eo ab Actio positum. Incuriosa itaque es Menalippe? rejicis abs te religionem*, *scru-*

F *peam imponis*. Hæc sunt Varronis verba, quæ Turnebus immutavit & legit: *Ex eo ab Actio positum in curiosa. Itaque est in Menalippa*, *rejicis abs te religionem? Scrupeam pone. Actius*, inquit Turnebus [18], *scrupeum pro curioso usurpavit in Menalippa*, *cum*

---

1 Livius lib. 27. 2 Cicer. pro Milon a 364. 1. b 498. 8. 3 Festus in verb. vegrande. 4 l. 21. C. Theod. de decurionib. c 478. 2. 5 Agel. lib 5. cap. 17. Macr. lib. 1. c. 46. 6 Livius lib. 26. 7 Livius lib. 38. 8 Livius lib. 29. 9 Livius lib. 41. 10 Cic. de Arusp. resp. 11 Cicero pro dom. sua 12 Tacit. 2. Annal. 13 Cicer. 1. ad Attic. epist. 10. 14 Arnob. lib. 7. advers. gent. l. cum Præt. §. moribus D. de jud. 15 Trebel. Pollio in Valeriano. 16 Tacit. lib. 3. Annal. 17 Varro lib. 6. de ling. lat. 18 lib. 23. adver. cap. 18.

*religionem scrupeam dixit, quam post tergum ait rejiciendam*. Mihi quidem isthæc emendatio scrupulum injicit, magnamque dubitationem. Etenim quis Actii Curiosæ meminit huc usque? Homo non modo prudens, verum etiam quod juvat, curiosus, hæc scripsit curiose potius quam vere. Laudat hic Actium Varro ut alios authores omissis locis. Actii tragœdia fuit inscripta *Menalippa*, unde hic versus. Aliter Josephus Scaliger [1], vir tantum laudandus quantum virtus intelligi potest, locum Actii restituendum putat: *Ex eo ab Actio positum pro curiosa. Itaque est in Menalippo. Rejicias abs te religionem, scrupeæ imponas. Rejicit abs se religionem*, ait, *qui omen ad alium transfert*. Tantorum virorum authoritas mihi semper pro ratione fuit. Non possum tamen veterem scripturam rejicere, quæ mihi vera videtur. Actium poetam tragœdias scripsisse nemo nescit, in hisque *Menalippam*. In quo scribendi genere variæ personæ variique sermones, in quibus Deorum frequens mentio. Menalippa cum forte religionis domesticæ explanationem a Pontifice exquirendam esse dixisset, (quod sæpenumero fieri solebat) licet se incuriosam profiteretur: animi illius conscientiam ridens aliquis, superstitionem mulieris improbabat. *Incuriosa*, inquit, *itaque es Menalippa*, id est minus diligenter te istam rem curare asseris, *rejicis abs te religionem?* de religione privata vis Pontificem consulere, *scrupeas imponas. Religionem scrupeam imponere*, est ei religioni se addicere, quæ animum variis curis afficiat, atque distrahat. Est enim religio *scrupea*, aspera [2]: quo sensu *scrupeam speluncam* Virgilius [3] dixit, ut *scrupea saxa*, Bacchi templa vetus poeta [4]. *Imponere scrupeam* est δεισιδαιμονίαν, superstitiosum Deorum metum sibi injicere. Multi hanc interpretationem rejicient, quam veterum Pontificum gratia curiose excogitavi. Sciant illi me in eo maxime laborare, ut veterem lectionem bonorum authorum si fieri possit, semper retineam, quam in Varrone sine scrupulo aliter tueri possim. *Rejicis abs te religionem?* Deorum cultum omnem aspernaris, *Scrupeam imponis*, asperam & duram religionem tibi injicis. Nam qui totum de Diis immortalibus metum fictum arbitrantur, nec eos ratio ulla aut religio ad officium ducit: suo quoque scelere lacessitus Scrupeam induit religionem, tunica molesta acerbiorem. Senatus literatorum hæc ad ipsum Scaligerum rejicisset, ni vir ille literarum honori, sine æmulo genitus, magno illarum damno fatis concessisset, quæ benigna mihi bonisque omnibus precor & expeto.

## CAP. XXXIV.

*Senatus multa in religionibus decernebat. Portentorum procuratio rejecta ad Consules. Ludorum instauratio. Piacularia Sacra ex Senatusconsulto. Dies Circensibus additi. In externis religionibus Magistratibus majoribus, minoribusve negotium datum.*

SENATUS in religionibus, inconsulto Pontificum Collegio nonnulla decernere solebat: ut Portentorum procurationem quandoque ad Consules rejecit, cum nuntiatum esset, in regia hastas Martis movisse. Ejus nempe rei causa Senatusconsultum factum est Marco Antonio & Aulo Posthu-



A mio [5] Coss. *quod C. Julius Lucii filius Pontifex nuntiavit in sacrario in regia hastas Martias movisse. De ea re ita censuerunt: uti M. Antonius Consul hostiis majoribus, Jovi & Marti procuraret, & cæteris diis quibus videretur placandis, uti procurasset satis habendum censuerunt, Si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet*. Senatus Isidis & Serapidis fana, quæ privatim nonnulli extruxerant, demoliri jussit [6]. Et postquam sententia obtinuit, ut publice colerentur [7]: extra pomœrium eos Deos collocavit. Novendiale sacrum [8] Prætor urbanus ex Senatusconsulto edixit, & piacularia sacra ex Senatusconsulto facta, ut cum Fulvius Flaccus templum Junonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit, ut ædem Fortunæ equestris tegeret, quam dedicarat [9]: tegulæ ex Senatusconsulto reportatæ, Piaculariaque Junoni facta. Patribus authoribus jussu populi divini honores decernebantur. Dies Circensibus addebantur. Sed authoritate sola Senatus Imperatorum consecratio fiebat, illique in Deorum numerum referebantur [10]. Quod stante Repub. populi suffragiis transigebatur. M. Tullius in Antonium [11], *Nescis*, inquit, *quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse, te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur?* Festi item dies a Senatu imperati [12], qui in externis religionibus, majoribus magistratibus minoribusve negotium dedit, ut Aedilibus, ne qui nisi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur. Prætori M. Attilio a Senatu mandatum ut novis religionibus populum liberaret [13], hoc est religione solveret, & eo officio quo populus per religionem se teneri credebat. In quo nihil rejectum ad Pontifices, quia in externis sacris populus nulla religione potest obligari. Consulibus etiam quæstio de Bacchanalibus sacris mandata extra ordinem [14], quod est præter consuetum Judiciorum morem, utilitatis publicæ causa. Sed habita oratio a Posthumio Consule ad populum, Pontificum quodammodo tuetur authoritatem: *Hac vos*, inquit, *religione innumerabilia decreta Pontificum, Senatusconsulta, Aruspicum denique responsa liberant*, quo in genere nihil unquam Senatus decrevit, sed ea tantum in religione censuerunt Patres, quæ puram illam integramque servarent, secundum Pontificum decreta institutaque majorum. Quare quæstio magistratibus inconsultis Pontificibus sine populi jussu raro mandabatur, nisi in tam gravi & late patente scelere, ut res dilationem pati non videretur. Judicabant prudentissimi viri, *Omnia jura divina humanaque dissolvi, ubi non patrio & recepto, sed novo & externo ritu sacrificaretur*. Quod omnium maxime mirari soleo in ea urbe, in quam innumeræ nationes conveniebant, quibus cum necesse esset patrios Deos colere domestico ritu, nulla tam peregrina sacra publice suscepta fuisse. Permissa quidem fuere Bacchanalia iis qui tale sacrum sollemne ac necessarium ducerent, nec sine religionis piaculo, se id omittere posse apud Prætorem profiterentur [15]. Sed Prætor Senatum consulebat, & si cui permissum esset (cum in Senatu centum non minus essent) id sacrum fieret, dum ne plus quinque Sacrificio interessent, neu qua pecunia communis, neu quis magister Sacrorum aut Sacerdos esset. Sapienter dissimularunt Diis patriis factam injuriam, quam sine Reipub. detrimento, gravius ulcisci non potuerunt. Nam cum Aediles [16] Triumvirique Capitales removere multitudinem a foro, ac disjicere apparatus conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur. In cæteris sic censuerunt prudentiores, ut qui novas vel usu vel ratione



1 In conjectaneis. 2 Eugraph. in Terentii And. act. 1. scen. 5. 3 lib. 6. 4 Varro lib. 6. de ling. lat. 5 Agel. lib. 4. c. 6. 6 Livius lib. 32. 7 Dio lib 39. 8 Livius lib. 21. 9 Livius lib. 42. 10 Capitolin. in Pertinace. 11 Philip. 2. 12 Tacit. 2. & 3. Annal. 13 Livius lib. 4. & 25. 14 Livius lib. 39. 15 Livius lib 39. 16 Livius eod.

incognitas religiones inducerent, honestiores deportarentur: humiliores capite punirentur [1]. Mitius actum si quando ignara multitudo & corrupta novos ritus amplexa est: quandoque severius: ut cum de Sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis factum Senatusconsultum [2]: quatuor millia libertini generis superstitione infecta, queis idonea ætas, in Insulam Sardianam vecta: cæteri cesserunt Italia, qui certam ante diem profanos ritus non exuissent. Sic Senatus rerum summæ consulebat religionique, quam coleret, servaret, aut vindicaret. In privatis ubi nullæ conjurationes religionis prætextu lædebant Remp. Publicus sacerdos, qui Pontifex fuit, audaciam in admittendis religionibus fœdis damnabat, atque impiam judicabat [3].

## CAP. XXXV.

*Senatus supplicationes decernebat. Illarum causæ. Nunquam in civili bello decretæ. Togato raro. Sacrificium imperabat. Precationis formulam præscribebat.*

SUPPLICATIONES ex Pontificum decreto plerumque fiebant, quas aliquando edixerunt Quindecimviri. Sæpius illas Senatus ob bellum jure susceptum, res prospere in bello gestas, vel ad evertenda mala quæ ex portentis impendere videbantur [4]. Bellum cum Philippo cum populus jussisset, supplicatio a Consulibus in triduum ex Senatusconsulto indicta est [5]. M. Tullius supplicationes quindecim dierum Cæsari edictas sua sententia refert [6]. *Reip. satis erat*, inquit, *tot Dierum quot C. Mario, Diis immortalibus non erat exigua gratulatio, quæ ex maximis bellis*. Sed supplicationes quæ per unum diem primum decretæ, magno dierum cumulo adauctæ, laudi & gloriæ ejus concedebantur, ob cujus victoriam fiebant. Dierum ergo cumulus, non Deorum honori, sed hominis dignitati accedebat. Addit Dion [7] de Cæsare, illud nemini ante id tempus accidisse.

Hujusmodi supplicatio erat prærogativa triumphi [8], quam decerni sibi Imperatores postulabant, ad existimationem magis quam ad Deorum gratulationem [9]. Supplicationum dies erant otiosi. Cœlius Ciceroni [10]: *Acriter me tuæ supplicationes torserunt. Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus Comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes, ne prævaricator causæ publicæ existimaretur*. Festis enim & otiosis diebus, in concionem coire non licebat [11], & Comitiales dies erant Comitiis dicati, in quibus cum populo agebatur [12].

Nunquam autem civili bello supplicatio decreta est, nec Victoris quidem literis postulata. Etenim civiles dissensiones, quamvis sæpe lædant Rempub. non tamen in illius exitium contendunt, & qui in alterutras partes discedunt vice hostium non sunt eorum, inter quos jura captivitatis exerceantur [13]. Quare nec devictis illis, res feliciter gesta dici potest. Decrevit tamen Cicero sua sententia, eorum nomine qui Antonium ad Mutinam devicerant, dierum quinquaginta supplicationes ad omnia pulvinaria [14]. Novo & inaudito more. Quod antea factum in Ciceronis ipsius honorem nullis armis susceptis [15]. Huic soli togato Senatus singulari genere supplicationis, Deorum templa patefecit, quod antea nulli.

Ad avertenda mala supplicationes frequentiores sunt indictæ. sed [16] quod Deorum honori vel hominum dignitati tribuebatur: in illorum tandem ludibrium versum est, & hominum furori & insaniæ concessum. Ob cædem Agrippinæ miro certamine procerum Neroni decretæ fuerunt supplicationes ad omnia pulvinaria [17]. Deinde quoties cædes & fugas jussisset illa bellua, toties gratiæ Diis actæ: quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuerunt. Ex Senatusconsulto uterus Poppeæ primum diis commendatus [18], supplicationes additæ, templaque fœcunditati, & certamen ad exemplum Atticæ religionis. Hic non esset locus de Taciti lectione differendi quæ integerrima est, nisi Lipsio eruditissimo displicuisset, qui corrigit & legit *ad exemplum Actiacæ regionis*. Et refert ad ludos Actiacos quinquennales, qui Nicopoli ab Augusto instituti Romamque translati, ut ipse ex Dione & Suetonio agnoscit. *Apud quos fœda*, inquit, *vacillatio librorum*, quæ prorsus nulla. Nam ludi ad exemplum Atticæ religionis sunt Panathenæa, in quibus pueri puellæque forma conspicui manibus amplexi, per diversos flexus Pyrrhicam saltabant. *At vero*, inquit ille, *neque ulla religio ludis Atticis magis quam aliis, & celebratior Actiacorum memoria est*: nulla ratio ipsa est. Nam fœcunditati Poppeæ certamen illud institutum ad exemplum Atticæ religionis, convenientius fuit, & pueri puellæque forma conspicui, hac in re gratiores erant, quam Gymnicum, musicum, & equestre certamen Actiacorum. Nummi veteres:




Ad supplicationes redeo quæ celebratiores, quando ad omnia pulvinaria. *Supplicatio* λιτανεία, στεφανοφορία [19]. Ibant enim per urbem pueri coronas gestantes, hymnosque in honorem Deorum concinebant [20]. Vel majores duodecim annis omnes coronati, & laurum in manu tenentes supplicabant [21]. Ludis Apollinaribus Romæ primum factis matronæ supplicavere [22]. Quod sæpe factum Vitruvius docet [23]. *Aedium multarum genera*, inquit, *vitiosum habent usum. Matres enim familiarum, cum ad supplicationem gradibus ascendunt, non possunt per intercolumnia amplexæ adire, nisi ordine fecerint*.

De Supplicationum ritu alias videbimus. Sed dimittendus a nobis Senatus non est, illum paulisper morari lubet, & precationis formulam excipere, quam ille concepit, cum bellum cum Philippo Rege initum est. Nam Senatus decrevit, uti Consules majoribus hostiis rem divinam facerent, quibus Diis videretur cum isthac precatione [24]. *Quam rem Senatus populusque Romanus de Repub. deque ineundo novo bello in animo haberet: ea res uti populo Romano, sociisque, ac nomini Latino bene ac fœliciter eveniret*. Senatus itaque cum de religione ageretur, omnia ad Pontifices remittebat. Sed multa in illa decernebat, quo Deorum honos augeretur; quorum providentia Resp. omnis continetur, & summorum virorum prudentia recte gubernatur.

1 Paulus lib. 5. sent. c. de Vaticinatorib. 2 Tacit. 2. Annal. 3 Cicer. 2. de legib. 4 Livius lib. 27. 38. & 40. 5 Livius lib. 31. 6 Cicer. de prov. consularib. 7 lib. 39. 8 Cicer. ad Q. fratr. li 3. epist. 8. 9 Cicer. 15. epist. 5. 10. li. 8. epist. 11. 11 Dio lib. 38. 12 Macrob. 1. satur. c. 16. 13. l. 21. §. in Civilib. D. de captiv. 14 Cicer. Phil. 14. 15 Cicer. in Calphurn. Piso. 16 Dio lib. 37. Livius lib. 22. & 25. 17 Tacit. lib. 4. Annal. 18 Tacit. lib. 15. Annal. 19 gloss. vet. 20 Plin. lib. 21. cap. 2. 21 Livius lib. 40. 22 Livius lib. 25. 23 lib. 3. cap. 1. 24 Livius lib. 31.

# JACOBI GUTHERII DE VETERI JURE PONTIFICIO URBIS ROMÆ

## LIBER SECUNDUS

### QUI DE JURISDICTIONE PONTIFICUM

*Ad amplissimum virum*

## ANTONIUM SEGUERIUM.

### CAP. I.

*Pontifices jurisdictionem, merum & mixtum Imperium habuerunt. Lites sacras judicarunt. Vindices fuerunt contumaciæ privatorum Magistratuumque.*



TA est ingenium meum (Antoni Præses amplissime) ut illud non conspepto fori, sed variis doctrinæ finibus terminare, jucundissimum fuerit semper. In mediis litium causarumque medullis, menses decem continuos versatus, rebus prolatis, redeo cum veteribus amicis, id est cum libris nostris in gratiam: & in contemptum cadentibus studiis literarum, orbitatem illarum deploro, cum pro derelictis non solum habeantur, verum etiam spretæ ubique videantur. Secreta me tamen studia consolantur, ea præcipue quæ civilem imitantur prudentiam, & quæ ad eam Pontificum pertinent jurisdictionem, quæ illorum personis inhæret. Primum igitur anxie quæsivi, quam Pontifices jurisdictionem habuerint, quæ a notione separatur [1]. Episcopi nostri Jurisdictionem non habent, ex novella Valentiniani [2], quia nec forum legibus habent, nec apparitionem, nec executionem. Quare in Codice Justiniani, titulus est de Episcopali audientia, non de Jurisdictione. In Codice Theodosiano est de Episcopali Judicio, quod a Jurisdictione distinguitur. Est enim Jurisdictio potestas publica data magistratui de re civili vel criminali statuendi. Cum ergo Pontifex privatus esset, Jurisdictionem ullam ante Valentiniani tempora habuisse non videtur. Optime tamen L. Florus [3], cum Tremelio Tribuno pleb. a Pontifice mulcta dicta esset, Sacrorum magistratuum jus potentius fuisse scripsit. Quapropter qui *privatos Pontifices* dixerunt, de civili magistratu loquuti sunt, qui res humanas quæ ad Remp. pertinebant, publica authoritate curaret: hic enim proprie magistratus dicebatur, qui ita populo præesset, ut illi leges [4]. Ita vero est interpretatio Pontificum, ut iidem potestatem habeant & Judicum [5], id est, ut non sint magistratus, non imperium habeant, non Jurisdictionem: Magistratus enim jus ipsi dicebant, non judicabant, sed judices dabant, & jubebant judicare, quod proprie est jurisdictionem exercere. Jurisdictio siqui-

A dem est judicis dandi licentia [6]. Judices de facto quærebant: Magistratus de Jure cognoscebat. Quod quidem in Pontificibus verum est, in iis scilicet quæ Senatus ad illos rejiciebat, in quibus Pontifices Judicum delegatorum vice fungebantur. Atque in his potestatem habebant Judicum, hoc est, notionem habebant, Jurisdictionem non habebant, sed nudam cognitionem sine jurisdictione. Licet *notio* pro Jurisdictione accipiatur Censoria, de qua M. Tullius [7]. *Centum prope*, inquit, *annos legem Aeliam & Fusiam tenuimus. Quadringentos Judicium notionemque Censoriam*: ubi *notationem* legendum

B censet Lambinus, in quo valde lapsus est.

In his igitur quæ ad sacra & ceremonias pertinent Pontifices Jurisdictionem habuerunt: atque ita fuerunt religionis Judices, ut legis Senatus [8]. Jurisdictionis Pontificum nota præcipua fuit, mulctæ dictio. Etenim *mulcta* est pecunia quæ a magistratu indicitur ob peccatum [9]. Atque iis datur mulctæ dicendæ jus, quibus publice judicium est, & non aliis nisi hoc specialiter illis permissum esset [10]. Mulctæ ergo dictio Jurisdictionis est & mixti imperii, quod Pontificibus competit. De mero Imperio quæstio subdifficilior, quia illud a Jurisdictione separatur: hoc est, non competit jure magistratus,

C sed ei cui lex dedit criminum executionem. Quod ita definiri potest, ut sit jus graviter animadvertendi, coercendi, verberandi, nominatim lege datum. Sic de capite Vestalium & de iis qui Vestales polluerant, Pontifices judicarunt: & graviore atrocioreque animadversione usi sunt, quæ in mero imperio consistit [11]. Εἰσὶ δὲ [12] τῶν μεγίστων πραγμάτων κύριοι. Καὶ γὰρ δικάζουσιν οὗτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι, καὶ λειτουργοῖς Θεῶν. Καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντες ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φανείη, νόμων τε καὶ ἐθισμῶν, τάς τε ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τε καὶ θεραπεία Θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας ἐξετάζουσιν. ὑπηρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργοὺς οἷς χρῶνται πρὸς τὰ ἱερὰ, οὗτοι φυλάτ-

D τουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν παρὰ τοὺς ἱεροὺς νόμους. Τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴσασι τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἢ δαιμόνια σεβασμοὺς, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται. Καὶ εἴ τινας αἴσθωνται μὴ πειθομένους ταῖς ἐπιταγαῖς αὐτῶν, ζημιοῦσι πρὸς ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες. Εἰσὶ δὲ ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες, οὔτε δήμῳ. *In maximis rebus Pontificis authoritatem habentes omnes lites sacras judicant, inter privatos pariter & Magistratus ac Sacrorum ministros. Leges ferunt de Sacris, quæ nondum scriptis mandata, nec usu recepta sunt, si digna videantur, quæ legibus aut more*



1 l. 5. D. de 10. judic. 2 De episc. judic. 3 epitom. 47. 4 Cicer. 3. de legib 5 Cic. de Aruspic. resp. 6 l. 1. D. de jurisdict. omn. judic. 7 Orat. in Pison. 8 Cic. 4. de Attic. epist. 2. 9 Varro lib. 4. de ling lat. 10 lib. 2. §. fin. D. de judic. 11 l. 1. §. qui mandat. jurisdict. 12 Dionys. lib. 1.

*comprobentur. In omnes item Magiſtratus, quibus ſacrificia & Deorum cultus commiſſus eſt, & in omnes ſacerdotes inquirunt. Miniſtros quoque Sacrorum in officio continent, ne quid peccent contra leges ſacras. Rudi vulgo Deorum ac Geniorum cultum præmonſtrant & interpretantur. Quod ſi quem animadvertent, præcepta ſua contemnentem, mulctam ei dicunt pro delicti gravitate. Ipſi autem judiciis & mulcta ſunt immunes, nec tenentur vel Senatui, vel populo reddere rationem.* Paucis Dionyſius docet, quod ut rebus humanis ſumma poteſtas magiſtratuum; ſic in ſacris curandis maxima fuit Pontificum, qui omnibus majorum magiſtratuum inſignibus fuerunt decorati. Illis enim apparitores [1], ſcribæ, librarii, præcones, architecti, lictores, pullarii, cæterique miniſtri dati ſunt qui magiſtratibus. Quare minus recte ſentit Carolus Sigonius [2], cum ſcribit Sacerdotum omnium proprium fuiſſe, ut nec imperium nec poteſtatem haberent, in eo deceptus, quod Livii locum traxerit ad Pontifices, qui de Saliis tantum & Flaminibus intelligi debet, ut diximus ſupra. Lites enim omnes judicabant Pontifices, quæ ſacri aliquid continerent. Quocirca Alexander Severus [3] tantum Pontificibus detuliſſe fertur, ut quaſdam cauſas ſacrorum, a ſe finitas, iterari atque aliter diſtingui pateretur. Hæc lucem adferunt iis quæ ex Feſto Paulus compilavit [4], in quibus multorum ingenia diu hæſitarunt. Ille: *Maximus Pontifex dicitur, quod maximus rerum quæ ad ſacra & religiones pertinent, judex ſit, vindexque contumaciæ privatorum, Magiſtratuumque.* Pontificum autem Juriſdictio, quædam continet criminum perſecutionem, quædam ad civilia negotia trahitur. Quæ crimina perſequitur, mulctam habet & pœnam. Quæ civilis eſt, adoptiones, teſtamenta, cæteraque complectitur quæ ſigillatim nobis ſunt explicanda.

## CAP. II.

*De mulcta & pœna. De inceſtis Veſtalibus & iis qui Veſtales polluerunt.*

INTER mulctam & pœnam multum intereſt [5]. *Pœna* generale nomen eſt & omnium delictorum coercitio: *Mulcta* ſpecialis peccatis, cujus animadverſio pecuniaria eſt. *Certari mulcta* dicebatur olim [6] cum ejus remiſſio petebatur vel modus, quæ tum irrogabatur, ubi ſpecialis pœna non erat impoſita. Quomodo autem Magiſtratui privatoque potuerint Pontifices mulctam irrogare, & illorum contumaciæ vindices eſſe, ex iis quæ ſupra allata ſunt facile intelligi poteſt. In iis certe quæ ad civilem reipub. adminiſtrationem pertinebant, nihil Pontifici cum Magiſtratu. At ſi Magiſtratus vel privatus, Sacerdotio aliquo ornatus eſſet, ratione Sacerdotii, mulcta indicta, cogi potuit a Pontifice, ut iis ſacris incumberet, quibus erat obligatus. Sic C. Servilius Pontifex max. mulctam dixit Cornelio Dolabellæ IIV viro navali in cauſa publica occupato. Et Metellus Pontifex max. A. Poſthumium Conſulem eundemque Flaminem Martialem mulcta dicta in urbe retinuit, nec paſſus eſt illum a Sacris recedere [7]. Craſſus Conſul & Pontifex max. Flacco Collegæ mulctam dixit ſi a ſacris diſceſſiſſet [8]. Hujuſmodi exemplis veterum referti libri. Augures ſummo atque ampliſſimo Sacerdotio præditi, ad quos Auſpiciorum religio pertinebat, a Pontificibus mulcta affecti ſunt. Ut Clodius Augur, quem cum Metellus Pontifex max. juſſiſſet adeſſe Saturni Sacrificio, & eum tum adhiberet Servii Sulpitii inaugurationi: ille autem excuſaret ſe, & ſacra familiæ ſibi obſtare diceret, quibus ſupplicandum eſſet capite aperto, Pontifex illum mulctavit [9]. Provocavit Clodius, qui tandem reconciliatus Pontifici familiæ ſacris peractis, Saturni Sacra fecit, religione ſolutus. Atque hæc quidem mulcta, quæ tum irrogabatur, ubi pœna non erat impoſita lege aliqua vel ſpeciali jure. At pœna erat ſupplicium peccati, legibus conſtitutum. Peccatum vero eſt aut publicum aut privatum, cujus pœna in quatuor fere partes diſtincta [10], ad capitalem aut pecuniariam refertur, aut quæ lædunt exiſtimationem, vel corporis continent coercitionem. Capitis pœna Veſtalium inceſtum Pontifices vindicarunt, ex lege Priſci Tarquinii [11], quæ fixa diu in atrio libertatis, de qua veteres multi ſcriptores tractarunt: de Judicii ordine pauca retulerunt quæ ab aliis ſunt colligenda.

Primum ergo cum indicium ad Pontificem delatum eſſet, de crimine ſtatim quærebatur, & rea Veſtalis jubebatur ſacris abſtinere, familiamque in poteſtate habere, ne ſcilicet unum manumitteret ſervorum, qui in illius caput torqueri poſſet [12]. Quamvis enim civili Jure, nec ſervus in Domini, nec libertus in Patroni perniciem torqueri poſſet [13]: probrum virginis Veſtalis adulterio turpius atrociuſque ſervorum tormentis inveſtigabatur, illorumque indicia fidem faciebant. Opimia Veſtalis indicio ad Pontifices delata, quod amiſſa pudicitia, ſacra pollueret, quæſtionibus aliiſque tormentis rea peracta & damnata eſt [14], *ἐκ βασάνων τε καὶ τῶν ἄλλων ἀποδείξεων μαθόντες ὅτι τὸ μηνυόμενον ἦν ἀδίκημα ἀληθές*. Accuſatæ deinde Veſtales cauſam dicebant, id eſt a patrono defendebantur, ut cæteri capitis rei [15]. Cauſa perorabatur apud frequens Collegium Pontificum, in Regia, aut in foro: & oratores palam ex Judiciorum more illam agebant. Defendit Liciniam Virginem L. Craſſus [16] cum annos XXVII. natus eſſet, qui in ea cauſa eloquentiſſimus fuit. M. Piſo in virginum judicio magnam laudem adeptus eſt. Tucia falſo inſimulata, juſſa eſt pro ſe dicere, permiſſu illa Pontificum, Tyberim petiit unde hauriret aquam cribro vacuo, eamque in forum uſque perlatam ad Pontificum pedes effudit, *μέχρι τῆς ἀγορᾶς ἐνέγκασα παρὰ τοὺς πόδας τῶν ἱεροφαντῶν* [17]. Qui locus forum in Judiciis Veſtalium conſtituit, ubi Pontifices ſederent, diſceptaretur cauſa, illique judicarent.

Summo Veſtalium ſupplicio hoc unum adjicio, quod illæ ante legem Porciam cædedantur virgis, priuſquam in ſubterraneam foſſam dimitterentur [18]. Urbiniam virginem ſtupri compertam virgis ceciderunt, traductamque per urbem vivam defoderunt, *ῥάβδοις τε ἐμαστίγωσαν, καὶ πομπεύσαντες διὰ τῆς πόλεως ζῶσαν κατώρυξαν*.

Commentator vetus in Juvenalem editus ex Petri Pithœi V. C. bibliotheca, has virginibus Veſtæ pœnas fuiſſe narrat [19], ut vivæ in parietibus ſtruerentur, aut ſub terra obruerentur. Sed cum iſti parietes legi Priſci Tarquinii, quæ ſemper ſervata eſt, ruinam minentur, nec ullo alio authore fulti, tutum haud eſſet, ſi quid in controverſiam veniret, intra illos diſceptare. Corporis coercitione afficiebantur Virgines, quæ negligentius ignem perpetuum habuerant. Illæ enim juſſu Pontificis maximi flagro cæſæ [20]. Dura profecto lex, ſed ſcripta, gravior enim erat flagellatio fuſtigatione [21]. Nam ex quibus cauſis liber homo fuſtibus, ex his ſervus fla-

1 Cic. 2. contra Rullum. 2 lib 1. de antiq. jur. civ. Rom. c. 19. 3 Lamprid. in Alexand. 4 In verb. Maximus Pontifex. 5 l. 244. D. de verb. ſig. 6 Cic. Philipp. 11. 7 Florus ep. 19. 8 Cic. Philip. 11. 9 Feſtus in verb. Saturno. 10 lib. 6. §. fin. D. de pœn. 11 Dionyſ. lib. 2. Plutarch. In Numa. Feſtus in verb probrum. Plin. lib. 4. epiſt. 12 Livius lib. 8. 13 Cicer. pro Milon. l. inceſtu. D. de quæſtionib. 14 Dionyſ. lib. 8. 15 Livius lib. 4. 16 Cicer. in Bruto. 17 Dionyſ. l. 2. Plin. lib. 28. cap. 2. 18 Dionyſ. lib. 9. 19 ſatyr 4. 20 Livius lib. 28. 21 l. in ſervorum. D. de pœn.

gellis cædebatur. Hoc religionis ratio postulavit ut acerbius cum Virginibus ageretur si deliquissent. Quemadmodum amplioribus honoribus afficiebantur, si incorruptæ vitam transegissent. Illarum lædebat existimationem Pontificum indulgentia. Nam plerumque illa, quos liberat, notat. Sic Posthumia ob amœnioris cultus suspicionem, ingeniumque liberius, quam virginem decebat, accusata deinde absoluta. Hoc Pontificum Judicio notata est, cum illam Pontifex max. pro Collegii sententia abstinere jocis colique sancte potius quam scite jussisset [1]. Nullam prudentes illi satis pudicam putaverunt de qua quæreretur.

In Vestalium vero judiciis, ut in publicis omnibus, Pontifices in cistam tabulas conjiciebant, post legem Cassiam Tabellariam. Quæ tabulæ suas habebant literas C, vel A, aut N, L. Hæc omnia cum ab Imperatore Domitiano prætermissa essent [2], magnam sui invidiam commoverunt. Nam cum Maximillam Vestalem defodere vivam concupisset, ut qui illustrari sæculum suum ejusmodi exemplo arbitraretur, Pontificis maximi Jure, reliquos non in regiam sed in Albanam villam convocavit. Nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditamque damnavit incesti. In eos autem qui Vestales corruperant, Pontifices idem Imperium exercuerunt. In disquisitione criminis idem ordo servatus: & si forte probationes deessent, ad quæstiones & tormenta recurrebatur, quibus reus subjiceretur [3]. Damnatorum alii relegati, alii in exilium acti. Pœna tamen frequentior vetus illa fuit, ut sub furca velut mancipia cæderentur virgis & necarentur [4]. L. Cantilius Scriba Pontificum, quos minores postea Pontifices appellarunt, cum Feroniæ stuprum intulisset, a Pontifice max. eo usque virgis in Comitio cæsus, ut inter verbera expiraret [5]. Quare Suetonii [6] locus a me non satis intellectus est, qui Titum Vespasianum Pontificatum max. se ideo accipere professum scribit, ut puras servaret manus, nec posthac cujusquam necis conscius aut author esset. Nam licet Pontifices proprie jus gladii non habuerint, habuerunt tamen jus virgarum, & ad necem, damnatasque virgines carnifici tradebant, quæ ab illo subterraneo specu clauderentur.

---

## CAP. III.

### *An Pontifices perjurii, & Sacrorum nocturnorum Judices essent.*

DEORUM injurias Diis curæ dicebat contemptor illorum Tiberius princeps [7], cum Rubrio equiti Rom. crimini daretur, violatum perjurio nomen Augusti. Posteriores Imperatores severius crimen vindicarunt, si quis consulto per principem pejerasset [8]: ille enim in majestatis crimen incidebat. Calori solum Alexander Severus indulsit [9]: in cæteris crimen acerbius vindicatum. Nam si quis per genium principis pejerasset, in re pecuniaria, rescripsit Imperator fustibus eum castigatum dimitti, & ita ei superindici *προπετῶς μὴ ὄμνυε*. Qui ergo per Genium principis, numen, nomen, caput, fortunam, aut salutem temere juraverat, gravissime plectebatur. Qui sciens Jovem aut cæteros Deos jurejurando fefellisset, licet perjurium fuisset approbatum, stari religioni debuit, & sufficiebat perjurii pœna, id est, ultio

A divina [10]. Quod M. Tullius expressisse putatur [11]; *Perjurii*, inquit, *pœna divina, exitium: humana, dedecus. Et quod non judex sed vindex Deus constituitur præsentis pœnæ metu, religio confirmari videtur*. Proinde perjurii in Deos nullum crimen proditum, nulla accusatio, nulla pœna. Veteri tamen Pontificum jure, illud non multum locus Plauti aperte probat [12]. Nam cum Labrax leno ex Grippi piscatoris præscripto Veneris aram tetigisset, illamque tenens, conceptis verbis per Dei numen dejerasset, se talentum argenti daturum: Piscatorem lusit leno, quem cum ille talentum posceret ex jurejurando: *libet jurare*, ait, *tune meo Pontifex perjurio es?* Quod vir haud sane spernendus interpretatur: *Tune meo perjurio præesse aut judex sedere postulas, tanquam Pontifex qui de pietate adversus Deos violata dijudicare solet?* Hoc tamen non ad ultionem vel jurisdictionem Pontificum retulerim, sed ad criminis expiationem, quæ a Pontifice quæri solebat. Nam *commissum piaculum* dicebatur, cum id factum esset, cujus causa hostiæ aut libamenta deberentur: ut fraus, scelus, aut flagitium purgaretur. Quod ex Pontificum præcepto fiebat, si quid domestica religione piandum esset [13]. Hinc *piacula* sunt purgationes & delicta propter quæ expiatio fiebat [14]. De expiatione nobis est singularis locus. Nunc hæc tantum ex Poeta juris Pontificii scientissimo adfero quæ ad hanc rem:

*Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna,*
*Castigatque auditque dolos, subigitque fateri*
*Quæ quis apud superos furto lætatus inani*
*Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Nam publicus Sacerdos, hoc est, Pontifex imprudentiam consilio expiatam metu liberabat [15], & expiationis ab eo modus quærebatur qui culpæ remissionem daret: & jurisjurandi Religione liberaret [16]. Sic igitur Lenonis perjuri verba accipienda existimo, *tune meo Pontifex perjurio es?* Tune si Deos sciens fefellerim tanquam publicus Sacerdos mihi modum præscribes, quibus hostiis commissum piaculum resolvam, veniamque a Diis immortalibus possim impetrare? Lex enim Sacrorum erat: IMPIUS. NE. AUDETO. PLACARE. DONIS. IRAM. DEORUM. Quod intellige, nisi piaculari hostia impietatem eluisset.

De nocturnis sacris locus est Horatii sub persona Canidiæ veneficæ, quam cum Poeta suis versibus lacessisset, inducit illam injuriis respondentem,

*Et Exquilini Pontifex venefici*
*Impune ut urbem nomine impleres meo [17]?*

E Quod vetus interpres ita intelligit, ut de Pontifice, Censore, ac judice poeta loquatur, quia Pontifices de Sacris judicabant. Vir de litteris optime meritus, Exquilinum hunc Pontificem credit *μυστοπόλον, περὶ τὰ μυστικὰ ἀναστρεφόμενον*, maleficum & sacrorum eversorem: quod poetæ verbis & menti refragatur: qui cum Canidiam Veneficam insequeretur, respondet illa, non impune laturum, quod quasi Pontifex & Judex hujusmodi sceleris, tota se urbe diffamasset, impiorum veluti Sacrorum ream. Nam extra portam Exquilinam, ubi viliorum erant sepulchra, noctu sacra illa nefaria conficiebantur. Nihil autem populo Romano majori curæ fuit, quam ut sacra rite pureque fierent. Quare si quis illa violasset, urbs religioni dedita, solius sceleris fama implebatur & maxime turbabatur. Hac in re Pontifices in admittendis religio-

---

1 Livius lib. 4. 2 Plin. lib. 4. epist. 3 Sueton. in Domitian. cap. 8. 4 Dionys. lib. 9. 5 Livius lib. 22. 6 In Tito c. 9. 7 Tacit. lib. 1. Annal. 8 l. 2. C. de reb. cred. 9 l. si duo. §. fin. D. de jurejur. l. 4. C. de locat. 10 l. quod si cum seq. D. de dol. 11 lib. 2. de legib. 12 In Rudent. 13 Acro. in horat. lib. 1. Carmin. od. 28. 14 Servius 4. & 6. Æneid. 15 Cicer. 2. de legib. 16 Livius lib. 39. 17 lib. epod. od. 18.

nibus fœdis, audaciam damnabant, atque impiam judicabant. Quæ fœda religio de nocturnis & impiis sacris dicitur, Pontificum subjectis notioni. Plerumque tamen Magistratibus, Sacrorum quæstio a Senatu mandata est, cum Reip. statum labefactarent, ut nova illa fuerunt & externa sacra, quibus populi pars detinebatur: ut Senatus authoritas de Bacchanalibus & Consulum exercitu adhibito, quæstio animadversioque declarant. Damnabant ergo Pontifices & judicabant fœdam religionem, quod ita intelligo, ut judices de facto cognoscebant, cum pœnæ persecutio Magistratuum esset. Quod ex P. Clodii scelere conjicio. Nam cum ille in Sacrificium Bonæ Deæ cogitatam libidinem intulisset: Clodii factum nefas virgines Pontificesque decreverunt [1]: Consules deinde rogationem promulgarunt, rogatio accepta, Judices dati, qui Clodium excussum & exhaustum demiserunt [2]. Dum intermortuas antiquitatis reliquias in lucem revocamus, si quis fulgore ingenii aliter tenebras fugaverit, me in hac luce cæcutire non diffitebor.

---

## CAP. IV.

*Edicta Pontificum. Illorum cognitio in jus religionis, & jus Reip. distributa. Imperant, vetant, permittunt, puniunt.*

PONTIFICEM maximum de Ceremoniis edicere solitum superiore libro demonstravimus, quod Imperii partem nemo negabit, quæ in edicendo posita [3]. Civilis illorum cognitio in jus religionis & jus Reip. distributa est. Primum igitur religionis jure potuerunt Pontifices imperare, vetare, permittere, punire.

M. Marcellus quintum Consulatum gerens, Syracusis potitus, templum Honori & Virtuti nuncupatis votis debitum, voluit consecrare: quod vetuit Collegium Pontificum, qui negarunt unam cellam duobus diis recte decerni [4]; cessitque Marcellus victor juri religionum. C. Cassium Censorem, Concordiæ simulachrum in templo augurato dicare Pontifices prohibuerunt, quorum decretum Senatus confirmavit. Nam cum Cassius spreta Pontificum prohibitione, in loco augusto dedicasset, aram tollendam ex authoritate Pontificum Senatus censuit [5]: neque ullum passus est ex ea dedicatione literarum extare monumentum. Non solum autem Magistratus, sed Senatus ipse, si ita jus religionis postularet, Pontificum cessit authoritati. Bello illo Macedonico, ut in bellorum novorum principiis religiosus admodum fuit: ludos Jovi, donaque vovere Consulem jussit, cui Provincia Macedonia venisset. Moram voto publico Licinius Pontifex max. attulit, qui negavit ex incerta pecunia voveri debere, nec cum alia pecunia misceri: quod nisi factum esset, votum rite solvi non posse. Quamquam & res & author monebat, tamen ad Collegium Pontificum referre jussus Consul, si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi: quod posse, rectiusque esse Pontifices decreverunt. In quo duo licet observare. Primum quod Collegium Pontificum supra Pontificem maximum fuit, a quo libere potuit dissentire. Alterum quod Pontifex maximus Senatusconsulto intercedere valuit, si quid a Senatu contra jus religionis decretum esset. Optime ergo dicebat Optatus Afer, religionem in

A Repub. & Remp. in religione esse oportere.

Judicium autem Pontificum, in iis quæ ad Collegium Senatus rejecisset, Prætor exequi solebat vel Consul. *Me*, inquit M. Tullius [7], *in ea ipsa domo, qua tu expuleras, Pontifices, Consules, Prætores collocarunt*. Et Prætoribus datum a Senatu negotium est, ut sumptu publico Ciceronis domus reædificaretur.

De Jure Reip. lata quæstio est, quam hoc loco coarctare visum est. Mihi quidem perpetuum indixi de Republ. vel aliena silentium. Sed de veteri illa, quæ jam nulla est, liceat mihi dicere. Si aliquantum aberravero, meo jure faciam, qui jus re-

B lationis de re qualibet mihi in hoc opere vendicare possum. Inscriptiones veteres me interpellant ut ex iis aliquid adferam; quod publicam hanc cognitionem juvare possit. Una est Romæ in domo Gentilis Delphinii:

[a] IMP. CÆSAR
VESPASIANVS. AVG.
PONT. MAX. CENSOR
LOCVM. VINIÆ. PVBLICÆ
OCCVPATVM. A. PRIVATIS
PER. COLLEGIVM. PONTIFICVM
RESTITVIT.

C Hanc vineam lubet propagare in sulcos. *Restituere* verbum juris est, quod importat possessorem facere & fructus reddere, causamque omnem præstare [8]. Restitutio a Principe impetrari debuit & decerni. Sed quomodo Princeps per Collegium Pontificum locum vineæ publicæ restituerit, hoc est Pontificibus authoribus, jure nostro civili non satis notum. Latent illa omnia crassis occultata & circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit quæ omnia videre & assequi possit. Audendum tamen aliquid est, dum peritiores alio modo rem ipsam tentaverint enodare. Inter Sacerdotales leges, hæc una a M. Tullio recensetur [9]: SACERDO-

D TES. VINETA. VIRGETAQUE. ET. SALUTEM. POPULI. AUGURANTO. Forte SALICTA legendum suspicabatur vir doctissimus cujus conjecturam amplecterer, nisi me *Salutis augurium* retineret, quod sibi alium inveniet locum. Cætera præsagio mentis sunt investiganda.

Privati agros cum lustrarent, ita illos facere & precari solitos docet Cato [10]: Imperabant Solitaurilia circumagi cum Divis volentibus. *Quoque bene eveniat*, ajebant, *Mando tibi Mani ut illa Solitaurilia, fundum agrum terramque meam, quota ex parte, sive circumagi sive circumferenda censeas, uti cu-*

E *res lustrare*. Dein Janum Jovemque vino præfati sic dicebant: *Mars pater te precor quæsoque, uti sies volens propitius mihi domo familiæque nostræ, quojus rei ergo, agrum, terram, fundumque meum, Solitaurilia circumagi jussi: ut tu morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperantiasque, prohibessis, defendas, averruncesque, utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas* [11]: *Pastores pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi, domui, familiæque nostræ. Harumce rerum ergo,*

F *fundi, terræ, agrique mei lustrandi, lustrique faciendi ergo, sicut dixi, macte hisce Solitaurilibus lactentibus immolandis esto. Mars pater ejusdem rei ergo macte hisce Solitaurilibus lactentibus esto*. Quod in agris suis privati Solitaurilibus fecerunt: hoc in publicis Sacerdotes publici non omiserunt, qui ea loca augurarunt, hoc est mentis præsagio pacem Deo-

---

1 Cic. de Arusp. resp. 2 Cicer. 1. epist. ad Attic. 10. & 13. 3 l. 2. §. eodem tempore. D. de Orig. jur. 4 Val. Max. lib. 1. cap. 1. 5 Cicer. pro domo sua. 6 Livius lib. 31. 7 Cicer. in Pison. a 202. 2. 8 l. 22. D. de verb. sig. 9 Cic. 2. de legib. 10 lib. de re rustic. cap. 41. 11 cap. 141.

Deorum popoſcerunt. Præfati communes Deos, Martem agreſtemprecati ſunt [1], ut omnem a vineis publicis calamitatem averteret, vineta ſuccreſcerent, & ſuos fructus darent. Hoc genus Sacerdotum *Hierophantæ* Arcadii & Honorii temporibus dicebantur [2], quorum precationes in re obſcura reſcripſi, quæ lucem Pontificum authoritati adferre poſſent. Hi forte ex ſuis commentariis locum vineæ publicæ a privatis occupatum principi renuntiarunt. Nam cum rebellione trium principum & cæde, incertum diu & quaſi errans Imperium vagaretur [3], privati publica facile uſurparunt. Quare cum lapſam Remp. Veſpaſianus reſtituiſſet, authoribus Pontificibus illorum adminiculo & indicio vineam publicam Reipub. reddidit, quam privati occupabant. Qui vineam hanc aliter putaverit, ex veteri cantione *novum vetus vinum bibat, ſi modo veteri novo morbo medeatur*.

## CAP. V.

*Adoptiones lege Curiata fiebant apud Pontifices. Hereditas nominis, pecuniæ, Sacrorum. Sine Sacris hereditas.*

De adoptionibus & lege Curiata, Agellius & Grucchius [4] multa tradiderunt, quos conſulere quilibet poteſt. Illæ ad jus Republic. pertinent, quod privatorum plerumque ſpectat utilitatem. *Adoptionis* autem generale nomen eſt, quod adrogationem complectitur. Hanc tamen dictam putat Agellius, quod populus Romanus a Pontifice rogaretur. At Cajus Juriſconſultus aliunde trahit nominis notationem [5], ab eo ſcilicet quod in arrogatione, & is qui adoptat rogatur, & qui futurus eſt illius filius. Utrumque rationem habet, quæ in verborum origine & explicatione exquirenda, libera eſt ſi probabilis judicetur. Duobus vero modis adoptio fiebat, aut lege Curiata apud Pontifices, quæ ad principis authoritatem tranſlata eſt lege Regia: aut Magiſtratus imperio. Fuit & tertium adoptionis genus, quæ teſtamento fiebat, ſed illa lege Curiata confirmabatur [6]. Adoptionis formulam refert Agellius, ex qua Proculi Juriſconſulti lex corrigenda eſt [7]. Ille: *ſed ſi ſic adoptavit, ut etiam jure legis nepos ſuus eſſet*. Recte Duarenus [8], *Jure legeque* repoſuit. Sed mutanda porro dictio eſt, *ut etiam*, in cujus locum ſubſtituendum eſt *ut ei tam*.

Arrogationes non temere aut inexplorate committebantur, ſed in iis cauſæ cognitio vertebatur [9]. Quare Augures aderant & captatis Auguriis Deorum voluntas exquirebatur. Sic Pompejus in adoptando Clodio Augur fuit [10]. Deinde quæ cauſſa eſſet adoptionis, quæ ratio generum, quæ Sacrorum, quæri a Pontificibus ſolebat, Adoptionem enim hereditas nominis, pecuniæ, Sacrorum ſequebatur. Atque hæc ſacrorum ratio fecit, ut apud Pontifices potiſſimum, Comitiis curiatis adoptio fieret. De hereditate nominis & pecuniæ docent noſtri adoptionem jus agnationis adferre [11], & filium adoptatum, quartam ex bonis patris conſequi. Sic enim conſtitutum eſt, ut qui adoptatur adoptantis nomen accipiat [12], ita tamen, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum genere minuatur, hoc eſt, adoptio gentem mutat, genus aut Sacra familiæ non mutat [13]. Evenit enim ut is qui in adoptionem datus eſt, tam in familia naturalis patris, jura cognationis retineat, quam in familia adoptiva nanciſca-

A tur, quibus ſit agnatus. In naturali ſemper omnia retinebat. Hæc cauſa fuit cur Claudius Imperator cum Neronem ſibi adoptaret, optaretque generum, filiam ſuam alienæ familiæ tradidit, ne ſororem fratri jungere videretur [14]. Nam adoptatus filius, iis qui in familia ſunt agnaſcitur, & filiæ quæ in patris poteſtate eſt, frater eſt, nuptiis etiam eorum prohibitis.

Religionis Sacrorum par cauſa fuit, ſi qui arrogabatur ſui juris factus, naturali patri heres extitiſſet. De Sacris illis hæc una M. Tullii [15] ſententia fuit, ut ſemper illa conſervarentur, & deinceps familiis B proderentur, ne morte patrisfamilias occiderent: ſed iis eſſent ea ſacra adjuncta, ad quos ejuſdem morte pecunia veniret. Heredes igitur ſacris adſtricti erant; & ſacra eum ſequebantur, quem pecunia, ſive teſtamento ſive ab inteſtato ad eum pecunia perveniret. Sacra itaque pecuniam ſequuntur, & hereditas pecunia eſt, ſi a disjunctis illam accipiamus [16]. Quod quatuor præcipue modis accidebat in hereditate. Nam Sacra hereditaria nullum magis quam heredem ſequebantur. Primum ergo qui morte teſtamentove tantumdem capiebat quantum omnes heredes, hic ſacris familiæ adſtringebatur. Secundo ſi nemo heres eſſet, qui de bonis patrisfamilias plurimum, cum moritur uſu ceperit. Tertio ſi C nemo ſit qui unam rem ceperit, de Creditoribus ejus qui plurimum ſervet. Extrema perſona eſt, ut is qui ei, qui mortuus ſit pecuniam debuerit, neminique eam ſolverit, perinde habeatur, quaſi eam pecuniam ceperit, ſecundum Scævolæ Pontificis ſententiam. Atque hi modi intelligentur, ſi nullus heres ſit ex teſtamento, & agnatus cui hereditas ab inteſtato delata eſt. Nam ſi nemo eſſet heres, nemoque eorum eſſet, quos Prætor ad hereditatem vocat [17], qui ſucceſſionem quoquo modo amplecteretur, ad quatuor illos modos recurrebatur. Atque ex hac Sacrorum religione, qui in patris poteſtate erant in ſacris patris eſſe dicebantur: ut adoptati in ſacra adoptantis tranſire [18]. Horum ſacrorum ita meD minit Plinius: *Viceſima hereditatum*, ait, *tributum intolerabile. Quanto dolore ferebant illud, diſtringi aliquid & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent*. Unde ſine ſacris hereditas vulgo dici ſolebat, de ea quæ nullo ſacrorum onere gravaretur, cum paterfamilias nulla ſibi privata ſacra ſtatuiſſet.

At vero ut patria poteſtas & arrogatio propria civium Romanorum fuit [19], ſic ſacra heredem Romæ tantum ſequebantur. *Nam ſi quis eſt mortuus Apinatis* (dicebat Cato Cenſorius [20] *originum* ſecundo) *ejus heredem ſacra non ſequebantur*. Quæ omnia ſub PrinE cipibus duraſſe certum eſt: licet Alciatus [21] veterem Rogationum morem jamdiu abuſque Imperatoris Tiberii tempore exoleviſſe putarit: in quo falſus eſt. Nam & Neronis adoptionem cenſuerunt patres [22]; populus juſſit. Et Galbæ Imperatoris oratio [23] errorem viri magni detegit; ille enim cum Piſonem Licinianum adoptaret, *Si te*, inquit, *privatus lege Curiata apud Pontifices, ut moris eſt, adoptarem, &c.* Mos ergo fuit ſaltem ad Galbæ tempora, ut lege Curiata, privatorum adoptiones apud Pontifices fierent; Principum enim fiebant in Senatu vel in Caſtris, cum legibus omnibus ſe ſolutos crederent. Nam quandiu non ſolverunt, leges illæ ſervatæ, ut ab Auguſto, F qui Tiberium in foro lege Curiata adoptavit [24], & Tiberius Germanicum, Neronem poſtea Claudius adoptavit in Senatu [25], oratione habita, quam a Liberto Palante acceperat: & Galba Piſonem filium



1 Serv. 6. Æneid. 2 l. 4. C. Theod. de paga. ſacrif. & tempe. 3 Suet. in Veſpaſ. c 8. 4 Agel. lib. 5. c. 19. Gruch lib. 3. de Comit. c. 4. 5 lib. 2. D. de adopt. 6 Cujac. lib. 7. obſerv. c. 7. 7 l. ſi is qui. D. de adopt. 8 lib. 2. diſputat. c. 14. 9 l. paterfam. §. fin. D. de adopt. 10 Cicer. pro dom. ſua. 11 l. qui adoptionem. D. de adoptionib. 12 Dio lib. 46. 13 l. 1. §. cognationem. D. und. cogna. 14 Dio l. 60. 15 lib. 2. de legib. 16 Cicer. in Topic. 17 Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. 18 Plin in panegyric. 19 Ulpian. lib. Regul. c. 18. 20 Priſcian lib. 4. 21 lib. 9. παρέργων c. 5. 22 Tacit. 12. Annal. 23. Tacit. 1 hiſtor. 24 Sueton. in Auguſt. c. 65. Tacit. 1. Annal. 25 Tacit. 12. Annal.

appellans produxit in castra, ac pro concione arrogavit [1].

At in Privatorum adoptionibus leges incorruptæ diu permanserunt. De his Tacitus [2]: *Percrebuerat*, inquit, *Neronis temporibus ea tempestate pessimus mos, cum propinquis Comitiis, aut sorte provinciarum, plerique orbi, fictis adoptionibus adsciscerent filios, Præturasque & Provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant. Factum Senatusconsultum ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret, ac ne in usurpandis quidem hereditatibus prodesset*. Si mihi extra ordinem literarum imperium mandatum esset, libenter sortirer cum doctissimis viris hanc Taciti Provinciam, quam illi amplissime adornarunt, ut adderem solum quod ab illis prætermissum vel forte neglectum. Animadverto Curiatorum Comitiorum duas fuisse causas præcipuas. Una Sacerdotibus creandis, altera legibus ferendis. Legum causæ variæ, ut de adoptionibus, de testamentis, de privilegiis, de Magistratuum imperio, quibus in Provincias profecturis lege Curiata opus fuit [3], nisi ex Senatusconsulto Provinciam haberent, tunc enim lege Cornelia habebant Imperium. Sed quid ad Sortem Provinciarum adoptio conferebat? multum quidem illa, ob legem Pappiam Poppæam, quæ ab hac sortitione, atque etiam Reip. administratione cælibes, & qui sine liberis, aut removebantur, aut in secundis consistebant. Pene omiseram Principis adoptionem in templo quandoque factam, cui Pontifices adfuisse, locus ipse satis testatur [4]. Plinius de Trajano, *itaque tua non in cubiculo, sed in templo: non ante Genialem thorum, sed ante pulvinar Jovis Opt. max. adoptio peracta est*.

---

## CAP. VI.

*Quibus modis pecunia Sacris liberaretur, & ipsa Sacra interirent. Partitio. Deductio. Testamentum per æs & libram. Coemptio. Manumissio Sacrorum causa. Sacrorum detestatio.*

PONTIFICES non solum pecuniam sacris conjungi voluerunt, sed ferias Ceremoniasque ei adscribendas putaverunt. Quod cum grave esset & odiosum, inventa tandem ratio, ab ipso Scævola Pontifice maximo & Jurisconsulto peritissimo, qua pecunia Sacrorum molestia liberaretur, & sacra etiam ipsa interirent. Jure igitur M. Tullius [5] ait, *An quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, ut est: quibus ipsa sacra retineri, defendique possint non honestum est?* Cum itaque heres vel legatarius, vel qui plurimum cepisset, sacris adstringeretur; tres inventi sunt modi quibus liberatio quæreretur. Partitio scilicet, testamentum per æs & libram, & coemptio. Partitionem voco pecuniæ divisionem a testatore factam testamento inter heredes legatariumque, secundum tabulas testamenti. Ab hac Coheredes, *Particulones* dicti sunt, quod partes illis invicem factæ [6]. Ad partitionem tamen decursum est, ut legatariis consuleretur, ne tantumdem caperent, quantum omnes heredes, sacrisque hoc modo obligarentur [7]. Quod ut facilius fieret, testator deducebat aliquid in testamento, id est, detrahebat aliquid ex legato, atque hæc *Deductio* dicebatur, qua legatarium liberaret. Quod si nihil deduxisset ex partitionis capite centum nummi debebantur. Franciscus Balduinus vir summo ingenio summaque doctrina, in suis ad Scævolam Commentariis, quæ esset illa deductio ignorari credidit, cum tamen a M. Tullio explicetur. Nec intellexit quomodo legatarius partiarius sacris liberaretur, si minus caperet quam omnes heredes. Putat ille legatarium pro parte acquirere, pro parte repudiare legatum potuisse, quod juri civili contrarium omnimodo est [8], quod Scævola optime sciebat. Deductio quidem a testatore fiebat: Partitio ipso Jure, cum legatarius cum herede hereditatem partiebatur. Partitionis imago quædam est in libris nostris [9]. Inter legatarium & heredem interponebantur stipulationes, quæ vocabantur emptæ & venditæ hereditatis, heresque onera hereditaria sustinebat. Quod jus postea correctum Pegasiano Senatusconsulto variisque legibus quæ Juri antiquo derogarunt.

Alius modus fuit perimendorum sacrorum, ut per æs & libram heredes testamenti legatariis solverent. Quod genus testamentorum fiebat Comitiis Curiatis pro Collegio Pontificum [10]. In testamento per æs & libram duæ res agebantur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti. Nuncupabatur testamentum hoc modo: Tabulas testamenti testator tenens ita dicebat [11]: *Hæc uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, lego, ita testor, ita vos, Quirites, testimonium perhibitote*. Hæc *nuncupatio* & *testatio* vocabatur. Ad familiæ mancipationem adhibebantur quinque testes cum libripende, & familiæ emptore: Libripens *antestatus* dicebatur. Atque hæc mancipatio imaginaria quædam venditio erat, quæ ita perficiebatur, ut qui heres futurus esset testatoris, hereditatem emeret, verbis quibusdam sollemnibus & pretii nomine nummum unum domino daret, qui appellabatur *familiæ emptor*. Deinde disponebat testator, quid post mortem suam fieri vellet [12]. Dicebat enim familiæ emptori *huic volo dari fundum illum*.

Veteri tamen more adhibebantur Coemptionales senes qui bona testatoris emerent, heredique quem testator elegisset, restituerent hereditatem. *Majores nostri*, inquit M. Tullius [13], *sacra interire noluerunt: Senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt*. Plautus noster: [14] *Coemptionalem senem vendam ego, quem venalem habeo*. Illi homines erant de trivio otioli qui omnes auctiones sectabantur, quibus interessent, ut quæ venalia proscribebantur pretio modico conducti licitarentur, quo emptoribus calorem adderent, resque pluris veniret. Cum de finibus sociorum populi Rom. judicium esset, Scaptius senex vanissimus agrum de quo agebatur dixit jure belli publicum populi Rom. factum. Consules testantes ingens flagitium fieri [15], *Scaptione*, inquiunt, *seni coemptionali* (male in vulgatis plerisque *concionali*) *assignaturos putarent finitimos populos?* Hæc quidem attulimus ad faciliorem Ciceronis intellectum [16]. *Heredes*, inquit, *per æs & libram solvant*. Nam Coemptionales senes, ut familiæ emptores certis conditionibus emebant hereditatem, ut scilicet pecuniam heredi legatariisque solverent, quam testator illos habere volebat. Quo pacto pecunia ex stipulatu debebatur, nec legatarii solum, sed & filii qui emancipatione sui heredes esse desinebant, nec in familia testatoris erant, sacrorum onere sublevabantur. Hæc sunt quæ a M. Tullio enarrantur, quibus Pontificium jus eludebatur callida Juris Civilis interpretatione. Quod Adrianus Turnebus [17] vir memoria nostra doctissimus sibi parum compertum esse fassus est, aliisque quærendum reliquit. Si in-

---

1 Sueton. in Galb. c. 17. 2 lib. 15. Annal. 3 Cicer. lib. 1. epist. 9. in fin. 4 In panegyric. 5 l. de Orator. perfect. 6 Nonius Marcel. 7 Cic. 2. de legib. 8 l. legatarius 38. D. de leg. 1. l. 4. D. de leg 2. 9 §. sed quia Inst. de fideicommiss. hered. 10 Agel. lib. 15. c. 27. 11 Ulpian. lib. Regul. tit. de testament. 12 Theophil. de testam. ord. 13 Orat. pro Muren. 14 In Bacchidib. 15 Liv. lib. 3. 16 Cic. 2. de legib. 17 lib. 1. advers. c. 28.

veni quod ab illo quæritatum, partem non denegabo, sit κοινὸς Ερμῆς, imo si quid ex illius fundo, totum illi bona fide concedo.

Erat aliud genus coemptionis quo domestica sacra occiderent. Nam mulier materfamilias viro loco filiæ erat: atque ut omnia quæ mulieris fuerant, fiebant viri, dotis nomine, & mortua illa ad virum pertinebant [1]: sic bona viri illo mortuo, uxoris erant, sed illa sacris obligabatur. Quia cum filiæ loco esset viro, & in manum, id est, potestatem convenisset, sui heredis personam ferebat [2]. Quare cum heredum causa in sacris justissima esset, merito sacra viri mulierem sequebantur. Nec tamen vir sacris mulieris fuit obligatus, licet invicem sibi succederent. Quoniam coemptione sollemni vir sibi bona mulieris acquirebat. Certis enim sollemnitatibus nuptiæ fiebant [3], & sese invicem in coemendo interrogabant. Quæ quidem interrogatio stipulatio non erat: sed coemptio & pretii imaginaria solutio, quæ faciebat emptionem, ut vir bona mulieris, non pro herede, sed pro emptore possideret [4].

Hos invenio sacrorum perimendorum modos, inter quos non recipio Manumissionem sacrorum causa, ut nec sacrorum Detestationem. Pace id Manium viri post annos mille in his literis eruditissimi adfirmare ausim, qui quidem aliud sentit ex Festi Pompeii [5] verbis, a cujus mente multum mihi dissentire videtur. *Puri*, inquit Festus, *probi, profani, sui auri dicitur, in manumissione Sacrorum causa. Ex quibus* puri *significat, quod in usu spurco non fuerit*: Probi, *quod recte excoctum purgatumque sit*: Profani, *quod sacrum non sit, sed omni religione solutum*. Sui, *quod non sit alienum*. Quomodo hæc verba ad sacrorum peremptionem trahi possint, nulla ratione assequi possum. *Manumissio sacrorum causa*, ait vir ille maximus, *unus erat ex modis quibus liberabatur heres sacris familiæ*. At vero heres quidem emancipatione e Sacris paternis eximi bat & illis solvebatur: manumissione vix potest intelligi. Quamvis enim manumissio tam ad servos quam ad liberos referatur [6], proprie tamen manumissio servorum, quæ in liberis frequentius emancipatio. Nec facile percipio quod addit, *ut qui sacris liberaretur, auri, probi, puri, sui aliquid inferret arcæ Pontificum*. Nullum enim emancipationis pretium constitutum est. In servis vicesima danda manumissi, quod introductum est lege, novo exemplo ad Sutrium in Castris tributim lata a Cn. Manlio Consule [7]. Quod quidem huic loco nullo modo convenire potest. Quid est ergo Manumissio sacrorum causa? Quidquid sit non est sacrorum perpetuorum peremptio. Assentior equidem Balduino [8], cujus ingenii monumenta sæculis probantur, ut qui rem suam manumittebat sacrorum causa, illam de suo dominio ita dimitteret, ut religiose profiteretur rem esse suam, quæ sacra fieret. In hac antiquitatis indagatione, quæ pura & proba raro ad posteros manat, conjecturis opus est, quæ plerumque magis ingeniorum vim quam rei veritatem declarant. Quantum igitur conjectura auguror, *manumittere* sacrorum verbum est, quod significat aliquid e potestate sua dimittere: & *Manumissio* Pontificum jure idem sonat, quod *traditio*, aut *in jure cessio*. Nec enim dubium est, cum rem abs se alienare quispiam vellet, sacrorum causa, quin aliqua alienationis sollemnitas interveniret, cessionis vel traditionis loco, quæ jure civili in aliis introducta fuit [9]. Sacræ res sunt, quæ rite per Pontifices consecratæ, veluti ædes sacræ & donaria quæ ad Deorum ministerium dicata sunt [10]. Cum ergo rei mobilis dominus, coram Pontifice illius proprietatem a se abdicabat, sacramque faciebat, hæc *Manumissio erat sacrorum causa*. Quam servis frustra alii tribuunt, pro quibus auri puri decem dominos solvisse confingunt ex lege Manlia, de vicesima eorum, qui manumittebantur. Frustra enim sacrorum mentio fieret, cum servi sacra non haberent. Itaque quæ diis dicabantur, aut res soli erant, in quibus ædes, terra, ara consecrabantur: aut mobiles, quæ dona, & locus in quo reponerentur, *donarium* dicebatur [11]. Jam ut ad Festi verba hæc accommodemus: si quis Diis offerret auri aliquid, quod consecraretur & in donario reponeretur: illud esse debuit puri, probi, profani, sui. Quod quidem aurum factum ἄσημον intelligendum est, quo commode uti possimus, unde illud Satyrici:

*Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum* [12]?

Atque illud a Pecunia signata differt, quæ auro non continetur [13]. Nam auro argentove facto, vasa argentea veniunt, ut paropsides, tabulæ, trullæ, pelves, & his similia [14]. Quare autem a Festo pro signata pecunia, quæ arcæ Pontificum solveretur, nullo modo accipi potest. Qui enim aurum illud, si pro pecunia, in usu spurco non fuerit, sacrum non fuerit & omni religione solutum? Vellem hoc docuissent nos apertius illi, quorum scripta auro puro puto lucidiora, charioraque mihi semper fuerunt.

Quod vero in re mobili *Manumissio*, in rebus soli, sacrorum *Detestatio* dicebatur. *Detestatio* vetus Pontificum verbum est, quam perdocte Grucchius [15] definit *consecrationem omnem, quam publice Comitiis Curiatis fieri oportebat*. Nam *detestari sacra*, est populo denuntiare, quod quisque consecrari cupit. Ut *detestatio* in Jure est denuntiatio facta cum testatione [16]. Lex tribunitia Papyria & Carboniana, vetabat injussu plebis, ædes, terram, aram consecrare [17]. Quicumque ergo in Concione testatus non fuerat, se consecraturum, injussu plebis sacrum nihil facere poterat. Quare Licinia virgo Vestalis, cum aram, & ædiculam, & pulvinar sub saxo dedicasset, P. Scævola Pontifex max. respondit, *quod in loco publico Licinia Licinii filia, injussu populi dedicasset, sacrum non videri esse*. Nunc de nova perimendorum sacrorum causa videamus. Dii heredes institui possunt, quos Senatusconsulto & constitutione Principum instituere concessum est [18]. Quæro an illi Dii testatoris sacris sint adstricti? Et sacra quidem illa hujusmodi institutione occidisse certum est: ut si debitor creditorem institueret heredem, debiti petitio confusione extingueretur [19]. In his multa sunt de medio jure civili, quæ Pontificio duxi conjungenda, a quo civilis ipsa scientia originem trahit.

---

## CAP. VII.

### *De Enuptione. Quæ notio Pontificum in causis matrimonii.*

INTER perimendorum sacrorum modos, ut conventionem in manum, sic recipio enuptionem. Adrianus Turnebus [20] quo auspice utar, recte definit *enubere*, extra ordinem, genus, aut gentem nubere. Enubere enim e Patribus proprie dicebatur quæ plebejo nupsisset. Canulejus Tri-



---

1 Boetius in Topic. 2 Ulpian. lib. Reg. tit. qui hered. inst. possint. 3 Servius 1. Georgi. 4 Cujac. 9. observ. c. 37. 5 Festus in verb. puri probi. 6 l. 2. D. de offic proconsul. l. 5. D. ad S. C. Tertul. 7 Liv. lib. 7. 8 c. 28. ad leg. 12. tab. 9 Ulpian. lib. Regul. tit. de domin. Boet. in Topic. 10 § sacræ inst. de rer. divis. 11 Servius 3. Georgic. & 12. Æneid. 12 Pers. satyr. 2. 13 l. cum aurum & l. Q. Mucius D. de Aur. & arg. leg. 14 l & si § argento. D. eod. 15 lib. 3. de Comit. cap. 2. 16 l. 40. D. de verb. sig. 17 Cicer. pro dom. sua. & 3. de legib. 18 Ulpian. lib. reg. tit. Qui hered. inst. poss. 19 l. 5. C. de hered. act l. 1. §. si debitor. D. ad leg. Falcid. 20 lib. 30. advers. c. 25.

bunuſpleb. cum rogationem de connubio patrum & plebis promulgaret [1]: *Si hoc polluit*, inquit, *nobilitatem iſtam veſtram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere nec ſanguine, ſed per cooptationem patres habetis, aut ab Regibus lecti, aut poſt reges exactos, juſſu populi ſinceram ſervare privatis conſiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque veſtras filias ſororeſque enubere ſinendo e patribus*. Conſul contra cum Senatum adverſus Tribunumpleb. concitaret, hac una ratione maxime nitebatur: *Quas quantaſque res Canulejum aggreſſum? Colluvionem gentium perturbationemque auſpiciorum privatorum publicorumque adferre. Quam enim aliam vim promiſcua connubia habere, niſi ut ferarum prope ritu, vulgentur concubitus plebis patrumque? Ut qui natus ſit, ignoret cujus ſanguinis, quorum Sacrorum ſit, dimidius patrum ſit, dimidius plebis*. Quare Virginia Patritia nupta plebejo Lucio Volumnio Conſuli, quod e patribus enupſiſſet, ſacris quæ in Sacello pudicitiæ fiebant, prohibita eſt [2].

Hiſpala Fecenia libertina cum Bacchicæ conjurationis originem Conſuli aperuiſſet, quam ab Ebutio, cum quo conſueverat, illa acceperat, magna præmia indicii tulit, Senatuſconſultum namque factum eſt [3], *ut Conſul cum Tribunispleb. ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. Ebutio emerita ſtipendia eſſent, ne invitus militaret, neve Cenſor ei equum publicum aſſignaret. Utique Feceniæ Hiſpalæ datio, diminutio, gentis enuptio, Tutoris optio item eſſet, quaſi ei vir teſtamento dediſſet. Utique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxiſſet, ob id fraudi ignominiæve eſſet*: Ea omnia lata ad plebem. De cæterorum indicum impunitate præmiiſque Conſulibus permiſſum eſt. Ebutio præterea & Hiſpalæ centena millia æris, ut ſingulis Quæſtores urbani ex ærario darent, ſenatus decrevit. Cætera lege firmari oportuit, quia privilegia contra leges irrogantur. Clara ſunt quæ Ebutio conceſſa ſunt: ſed quæ Hiſpalæ, obſcura certe, & ex Apollinis tripode requirenda. Quid enim rogationem promulgavit Tribunuſpleb. ut Hiſpalæ datio, diminutio eſſet? *Dationis* & *diminutionis* verbum, ſine alterius partis orationis adminiculo, intelligi non poteſt. Sunt enim ex eorum natura quæ Græci dicunt τὰ πρός τι, & jungunt ſibi illa propter quæ intelliguntur. *Dationis* enim verbum generale eſt. Nam dicitur *dotis datio*, *legum datio*, *datio in adoptionem*, *in fidem*, *in ſolutum*. Ut *diminutio* eſt *capitis*, *dotis*, *corporis*, *legatorum*, *patrimonii*, quæ omnia ſpeciali lege non indigebant. Adrianus Turnebus [4] horum verborum ſenſum eſſe putat, ut Senatuſconſulto decretum ſit Hiſpalæ jus dandi & diminuendi, quod eſt de ſuo peculio largiendi & diminuendarum fortunarum, quod non videtur fuiſſe permiſſum libertinis, vivo patrono. Itaque quamquam ejus patronus fato conceſſerat: vel quia Senatus id ignorabat, vel quia mulierem omni jure conditioneque conditionis libertinæ liberatam volebat, dationem & diminutionem ei tribuit.

Vidi ego Livii Codicem magni Cujacii, qui hoc loco manu ſua adnotavit: *datio, diminutio, poteſtas alienandi*. Intelligo quam ſcrupuloſus & difficilis ſit hic locus, in quo labor ingenii arrogantiæ tribui poteſt, quæ moleſtiſſima eſt. Cum tamen in has anguſtias inciderim, ex illis tanquam e ſaxoſis cotibus enavigare conabor. Hiſpala primum munificentia P. Ebutium amatorem ſuſtinebat, quæ eo proceſſerat, Livio teſte, conſuetudine capta, ut poſt patroni mortem, quia in nul-
A lius manu erat, Tutore a Tribunis & prætore petito, cum teſtamentum faceret, unum Ebutium inſtituerit heredem. Veteri Jure fœminæ poſt duodecimum annum ætatis, teſtamenta facere poſſunt tutore authore, donec in tutela ſunt. [5] Quod ſi mulier teſtamentum feciſſet, quæ ſe capite nunquam minuiſſet: non videbatur ex edicto Prætoris ſecundum tabulas poſſeſſio dari [6]. Capite autem minui dicebatur, quæ viri conveniſſet in manum. Quæ igitur nunquam ſe capite minuiſſet, id eſt, quæ in manum viri minime conveniſſet, ſi non Tutoris authoritate teſtamentum fecerat, nihil agebat. Tutoris enim
B authoritas neceſſaria fuit ad teſtamenti factionem, aut ſi mulier lege aut judicio ageret, ſi ſe obligaret, ſi civile negotium gereret [7]. Quare cum doti Valeriam pecuniam ſuam omnem dixiſſe argueret mariti patronus, reſpondit M. Tullius [8] *nihil iſtorum explicari poſſe, niſi oſtenderet illam in Tutela Flacci non fuiſſe. Si fuit*, inquit, *quæcumque ſine hoc authore dicto dos eſt, nulla eſt*. Ex iis certum eſt quod cum Senatuſconſulto tutoris optio Hiſpalæ data eſt, fruſtra liberam illi bonorum ſuorum facultatem tributam viri doctiſſimi putaverunt. Si enim poteſtas alienandi permiſſa eſt, cur poſtea Tutoris optio data & authoritas imaginaria ad-
C jecta? Ut igitur Senatuſconſulti mentem aſſequi poſſimus, puto ego Livii lectionem diſtinguendam, ut eſt in Codice veteri Claudii Puteani Clariſſimi Senatoris in Pariſienſi Curia, omni genere laudis & doctrinæ commendandi. Codex ille primus Mediolani typis excuſus ad fidem manuſcripti anno 1480. quem mihi P. Puteanus filius virtutis & eruditionis paternæ heres digniſſimus nuper communicavit, ſic interpunctam lectionem habet, *utique Feceniæ Hiſpalæ datio, diminutio gentis, enuptio*. *Enuptionis* verbum per ſe plenum eſt: Patritia enim enubere dicebatur, quæ plebejo nupſiſſet.
D Recte igitur dictio illa *Gentis* ad dationem & diminutionem refertur.

Jam quid ſit *dare gentem*, aut *gentem diminuere* quærendum eſt. *Dare gentem* dicimus ut *dare civitatem*, *dare connubium*. Libertini patrem habuiſſe non putabantur, cum Servilis cognatio nulla eſſet, gens nulla, nulla ſacra. Nec vero ſervi ſolum ſed etiam libertini ab iis oriundi gentem non habuerunt: verum ii ſoli quorum parentes nemini ſervierunt. Hiſpalæ ergo data gens, id eſt, jus gentilitatis conceſſum, quaſi ab ingenuis eſſet oriunda, majoreſque nunquam ſervitutem ſerviviſſent, aut capite minuti eſſent, patremque & avum illa
E cire poſſet. Si Vindicio ſervo, indicii præmium libertas, & Civitas data [9]: Hiſpalæ Libertinæ ingenuitas concedi potuit jure ſingulari, ut deſineret eſſe libertina. Quod igitur ſub principibus aureorum annulorum jus & natalium reſtitutio dicebatur [10], ſtante Rep. gentis datio erat. Cujus diminutio fuit gentis mutatio, quæ diminutio capitis minima appellatur. Hæc fiebat aut adoptione, aut in manum conventione [11]. Gens adoptione amittebatur, ſi plebejus Patricium adoptaſſet: hic enim e Patritiis exibat. Ex quo *minuere gentem* eſt de gentis dignitate aliquid detrahere [12]. Ut cum gentem Patritiam populus Rom. Hiſpalæ dediſſet,
F permiſit illi ut plebejo ſe in adoptionem dare poſſet quod ſingulare jus aliud fuit. Docet magnus Cujacius [13], fœminas ſui juris legibus Rom. non arrogari, ea fretus ratione, quod nullam cum fœminis Comitiorum communionem fuiſſe credat. Hiſpalæ exemplum hanc opinionem evertit, cui repugnat textus Ulpiani, quem notis ſuis vir

1 Liv. lib. 4. 2 Liv. lib. 10. 3 Liv. lib. 39. 4 lib. 30. adverſ. c. 25. 5 Ulpian. lib. Regul. tit. de teſtam. 6 Cicer. in Topic. 7 Ulpian. lib. Regul. tit. de tutorib. 8 Cicer. in orat. pro Flacco. 9 Liv. lib. 2. 10 L. 2. D. de natalib. reſt. 11 Ulpian. lib. Regul. tit. de tutel. 12 Cicer. pro dom. ſua. 13 ad Reg. Ulpian. tit. de adopt.

doctissimus illustravit. Nam *fœminæ quidem non adrogant* (emendavit Cujacius non *arrogantur*) *quia liberos in potestate non habent*[1]. Ratio legis perspicua, quæ minus apta esset, si legeretur cum Cujacio, *non arrogantur*. Nec enim fœminæ non arrogarentur, quia liberos in potestate non habent, alioqui omnes qui arrogarentur, liberos deberent in potestate habere, quod dici non potest. Ut nulla lege vetitum, quin fœminæ possent arrogari. Etenim quod illæ sub principibus rescripto arrogabantur[1], non probat stante Repub. id Curiatis Comitiis fieri non potuisse. Sic Livia conjux Augusti de gente Claudia, in Liviam primum, mox in Juliam adoptionibus transivit[2]. Capitis diminutio quæ conventionem in manum contingebat, Sacra quidem mulieris perimebat, sed nihil derogabat genti, nisi enuptio secuta esset.

Divisio populi Romani ita a Romulo facta est, ut ingenui Patritii essent aut plebeii[3], quorum diversa gens esset. Qui ex duobus ingenuis ortus erat gentem habebat. Ingenui enim non dicebantur priscis temporibus libertinorum filii, qui libertini ipsi vocabantur[4]. Sed ex his procreati ingenuorum sibi nomen vendicabant. Libertini vero plebis jura simul cum Civitatis adeptione impetrabant. At patritia jura, nisi lege nominatim ad populum lata, nemo potuit adipisci. Libertini tamen Patritii, Patronorum gentiles dicebantur. Quorum nomen assumebant. Inscriptio Vetus hoc probat:

[a] LARIBVS
PRO. SALVTE. ET. INCOLV
MITATE. DOMVS
Q. SERTORII
COMPITALIB. LVDOS
ET. EPVLVM. VICINEIS
IVN. DONACE. DO
MESTICA. EIVS. ET
Q. SERTORIVS. HERMES
Q. SERTORIVS. CEPHALO
Q. SERTORIVS. ANTEROS
LIBERTEI

Hi ut inter Patritios numerarentur, lege Curiata opus fuit, quæ vere gentem daret. Gens illa minuebatur enuptione, quæ proprie patritiarum fuit. Nam si plebeja patritio, aut libertina ingenuo nuptiis juncta esset, gentem illæ non minuebant, sed augebant. Si vero patritia plebejo, enupsisse dicebatur, hoc est, genti derogasse. Hanc enuptionem Patritiarum solum fuisse, ideoque Hispalam lege curiata Patritiam factam & gentem habuisse, ex Livio facile est comprobare. Nam apud authores alios vix invenire est *enuptionis* verbum. An antiquitatis incuria, vel librariorum errore, incertum est: hoc certum tamen in multis locis reponendum esse, ut in oratione D. Marci[5], qua cavetur, *ut si Senatoris filia libertino nupsisset, nec nuptiæ essent*, lego audacter *enupsisset*. Tacitus[6] dicit *denubere*. *Tot luctibus*, inquit, *mœsta civitate, pars mœroris fuit, quod Julia Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cujus avum Tiburtem, equitem Rom. plerique meminerant*. Sic Pythagoræ Neronem denupsisse idem author scripsit[7], turpitudinem rei antiquo verbo denotante. Gentis igitur datio enuptione probatur, nec enim Hispala enupsisset, si libertina & plebeja remansisset.

Quæri tamen potest, quid Curiata lex Hispalæ necessaria fuit ad enuptionem, cum Canuleja olim promulgata esset, de connubio patrum & plebis? *Nihil tam naturale*, dicebat Ulpianus, *quam eo genere quidque dissolvere quo colligatum est*. Patritia facta fuit Hispala lege Curiata: eadem lege e Patritiis exire illi permitti debuit. Privilegia enim stricte accipienda sunt: & nisi nominatim enuptio concessa esset, in manum plebeii convenire Hispala non potuisset.

Tutoris optio restat lege duodecim Tabularum & jure Civili non recepta, quibus Tutor incertus testamento dari non potest[8]. Hispalæ tutor legitimus ex lege Attilia a Tribunorum plebis majore parte ex Prætore datus erat, qui, ut dicebat Verres, pupillæ certissima præda[9]. Illa jam quasi testamentarium & a seipsa electum habet beneficio plebis. Hac optione data, mulier in tutela sua erat, vel tutor ille potestate mulieris continebatur. Quod in Servio Sulpitio M. Tullius merito ridebat[10]: *Nam cum multa*, inquit, *præclare legibus essent constituta, a Jurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta & depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii, in tutorum potestate esse voluerunt. Hi invenerunt genera Tutorum, qui potestate mulierum continerentur*. Quæ procul dubio de optione testamento relicta intelligi debent. Verba Livii sequentia *utique ingenuo ei nubere liceret, neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset*, superflua videri possent, cum datio gentis & enuptio illud complectatur. Sed in legibus ferendis expressa aut repetita nihil nocere observant juris authores: quæ omissa vel non scripta difficultatem movere possent. Quamquam hæc ultima verba ad caput aliquod legis possint referri: in omnibus enim legibus proœmium fuit, caput & sanctio, quæ multam repetitionem continebant.

Ad nuptias transeamus quæ divini & humani juris communicationem habent, si secundum sacras leges fuissent contractæ[11]. Nam sacræ nuptiæ ἱεροὶ γάμοι[12] sacris ceremoniis confirmatæ, confarreatione fiebant aut coemptione & in manum conventione, qua mulier transibat in mariti sacra. Quæ enim usu dicebatur uxor, in ea nihil maritus præter corporis habuit usuram, parumque illa a concubina differebat, cum nullam haberet cum viro sacrorum aut bonorum societatem[13]. Confarreatio autem & coemptio, quæ per æs & libram fiebat, alius fuit perimendorum sacrorum modus.

Jam vero quæ notio Pontificum in causis matrimonii fuerit, paucis evolvamus. Titulus est Digestorum *de Ritu nuptiarum*, qui sanctimoniam illarum, ceremoniamque declarat. *Ritus* enim sacrorum verbum est, qui Pontificum hac in re firmat notionem. Illi, licet per ludibrium, in nuptiis Augusti & Liviæ consulti[14], an concepto nec dum edito partu Livia Neronis uxor rite nuberet, responderunt siquidem dubitaretur, ex quo concepisset, opus esse nuptias differre: si constaret, nihil impedimento esse, quin statim fierent. Quasi nulla turbatio sanguinis esset, ut nec in ea muliere, quæ intra legitimum tempus partum ediderat, quæ statim poterat novis se nuptiis collocare[15]. A Principe tandem impetrari solebat, ut intra legitimum tempus nubere liceret[16]: quod credo, si ex quo concepisset mulier, compertum esset. Quæ proprie Pontificum notio fuit, ut de partu legitimo, in quibusdam matrimonii causis. Quare D. Pius rescripsit[17] Pontificibus, eum qui centesimo & octogesimo secundo die natus esset, justo tempore videri natum. Rescribere princeps dicitur



1 l. nam & fœminæ. D. de adopt. 2 Tacit. lib. 6. Annal. 3 Dionys. lib. 2. 4 Sueton. in Claud. c. 24. a 106. 13. 5 l. oratione D. de ritu nupt. 6 lib. 6. Annal. 7 lib. 15. Annal. 8 tot. tit. D. de testament. tut. 9 Cic. 6. in Verrem. 10 Cicer. pro Muren. 11 l. 1. D. de rit. nupt. 12 Dionys. lib. 2. 13 lib. 144. D. de verb. sig. 14 Tacit. lib. 1. Annal. Dio lib. 48. 15 l. liberorum §. & si cum seq. D. de his qui not. infam. 16 l. solet. D. eod. 17 l. 3. §. fin. D. de su. & legit.

ad epistolas, per quas Prætores aut ii qui Jurisdictioni præerant, illum de re aliqua dubia consulebant [1]. Quod Pontifices fecerunt, qui sine principe maximo Pontifice, non poterant de re ulla dubia judicare. Principis ergo rescriptum Pontificum arguit hac in re notionem, ut scilicet judicarent ii, an qui hoc tempore natus esset, id est, initio septimi mensis, perfectus & legitimus partus haberetur, ut sacrorum esset capax. Cum enim mater ab eo tempore esset manumissa, dubitarunt Pontifices an partus in servitute conceptus esset, quæ nulla habebat sacra. Quod Justinianus postea definivit [2]: *Sufficit*, inquit, *liberam fuisse matrem, eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit*. Nam in patre tempus unum conceptionis considerabatur: in matre vetus prudentia editionis tempus spectabat [3]. Cætera hereditatis quæstio ad Prætoris jurisdictionem pertinebat. Sic L. Papyrius Prætor, secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedit, cum mater partum se tredecim mensium tulisse affirmasset [4].

Cæterum licet nuptiarum vota, sanctitas, ritus, sacra, religionem demonstrent, culpaque inter viros & fœminas gravi nomine læsarum religionum ab Augusto sit appellata [5]: cognitio Pontificum in nuptiarum controversiis, non ultra progressa est, quam ad ea quæ religione cæremoniisque terminantur, ita quæ sunt nefariæ nuptiæ ex Pontificio jure dignoscitur, quarum crimen legibus civilibus vindicatur [6]. Et quoniam adfinitatis ratione a quarundam nuptiis abstinendum est, ut si quæ per adoptionem filia esse cœperit, patris adoptivi connubio jungi non potest [7], ut nec iis, qui in familia ejus sunt, propterea non cognationis solum, sed adfinitatis etiam Pontifices jura tenuerunt. Quod Modestinus Jurisconsultus innuit [8]: *Non facile*, inquit, *quod ad nostrum jus attinet cum de cognatione quæritur, septimum gradum quia excedit*. *Nostrum jus* dixit; & recte, aliud jus esse demonstrans, quod est Pontificium. Quod Paulus apertius explicare videtur [9]: *Jurisconsultus* inquit, *cognationum gradus & adfinium nosse debet, quia legibus hereditates & tutelæ, ad proximum quemque agnatum redire consueverunt. Quomodo ergo gradus adfinitatis vel cognationis numerentur, hoc nostra interest scire, propter bonorum scilicet possessionem, vel tutelæ dationem*. Omnis ergo Jurisconsultorum cognitio de gradibus adfinitatis & cognationis, in eo consistit, ut ad hereditates & tutelas referatur.

Quas autem fas fuerit duci, quas nefas matrimonio copulare, Pontificum notio fuit. Licet Senatus aliquando hanc sibi cognitionem arrogarit [10], cum nuptias inter patruos fratrumque filias permisit, post Claudii cum Agripina connubium, de quo nihil ad Pontifices rejecit. Quod fœdæ adulationi & temporum infelicitati tribuendum magis est, quam Senatus authoritati, quæ tum nulla. Præterea ut incesti persecutio ad judices, ita illius procuratio ad Pontifices pertinebat [11]. Silani exemplum hoc nos monet, qui incesti accusatus, ipso Claudii cum Agripina nuptiarum die, cum mortem sibi conscivisset, Calvina soror Italia pulsa est. Addidit Princeps sacra ex lege Tulli regis apud lucum Dianæ per Pontifices danda: irridentibus cunctis, quod pœnæ procurationesque incesti id temporis exquirerentur a Claudio, qui suam ipse culpam tali piaculo luere debuisset.

## CAP. VIII.

*De Jurisdictione Pontificum in testamentorum executione.*

DIXIMUS de testamento per æs & libram & quid illud conferret ad Sacrorum peremptionem. Alia præterea de testamentis notio Pontificum fuit, qui sua authoritate compellebant heredem, ad obsequium supremæ voluntatis. Hoc Papinianus [12] aperte docet. *Cum defuncto*, inquit, *monumentum conditionis implendæ gratia, bonæ fidei possessor fecisset, cui postea hereditas auferretur, impensas ille aut doli exceptione retinebat, aut negotiorum gestorum actione repetebat. Quamvis enim stricto jure nulla tenerentur actione hæredes ad monumentum faciendum, tamen principali vel Pontificali authoritate cogebantur, defuncti adimplere voluntatem.* Quod ad cætera omnia quæ monumentorum religionem tangunt, aut pias causas, ex mente legis traduci potest. Ut si testator scripsisset testamento:

[a] HI. HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ
SVNT
CINERIBVS. SERVIANT. MEIS
NAM. CVRATORES. SVBSTITVAM
QVI. VESCANTVR
EX. HORVM HORTORVM. REDITV
NATALI. MEO
ET. PRÆBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM
HOS. NEQVE. DIVIDI
NEQVE. ALIENARI. VOLO

Pontifices ad legati præstationem compellent heredem, ut in aliis ad pias causas legatis præcipua illorum authoritas fuit. Ut si Deus aliquis ex parte institutus heres esset: vel si cui Deo legatum esset relictum; si Sacræ ædi; si Sacerdotibus, veluti sodalibus Augustalibus, aliisve Deorum ministris: Pontificum judicio omnia ad effectum producebantur. His de rebus innumeræ sunt Inscriptiones veterum, ex quibus duas tantum selegi, cum aliæ ab ipso fonte hauriri possint. Una est Salerni prope Neapolim [b]:

T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS
SCRIBA. LIBRAR. ÆDIL. CVRVL.
VIATOR. ÆDIL. PLEBIS. ACCENSVS
CONSVLI. H-S-L. M.N. LEGAVIT
AD EXORNANDAM. ÆDEM. POMONIS
EX. QVA. SVMMA. FACTVM. EST. FASTIGIVM
INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA
MARM. OPVS TECTORIVM

Altera est Strongyli [c]:

KAPVT EX. TESTAMENTO. M. MEGONII
M. F. COR. LEONIS

HOC. AMPLIVS. R. P. PETILINORVM. DARI. VOLO. H-S. X. N. ITEM VINEAM. CHALCIDIANAM CVM

1 l. Divus D. de Restit. in integ. 2 § sed & si Inst. de ingenu. 3 l. fin. D. de sent. pass. 4 Plin. lib. 7. cap. 5. 5 Tacit. 3. Annal. 6 Ascon. 3. in Verrem. 7 l. qui in adoptionem. D. de adopt. 8 l. 4. D. de grad. affini. 9 l. Jurisconf. D. eod. 10 Tacit. 12. Annal. 11 Tacit. eod lib. 12 l. hereditas. § 1. D. de petit. hered. a 636. 12. b 94. 11. c 215. 2.

PARTEM. FVNDI. POMPEIANI
EA. VTI OPTIMA. MAXIMAQVE
SVNT. FINIBVS. SVIS. QVA. MEA
FVERVNT. VOLO. AVTEM. EX
VSVRIS. SEMISSIBVS. H-S. X. N
COMPARARI. AVGVSTALIVM. LOCI.
N. AD. INSTRVMENTVM. TRI
CLINIORVM. DVVM. QVOD. EIS
ME. VIBO. TRADIDI. CANDE
LABRA. ET. LVCERNAS. BILY
CHNEIS. ARBITRIO. AVGVSTA
LIVM. QVO. FACILIVS STRATI
IVS. PVB. OBIRE. POSSINT. QVOD
IPSVM. AD. VTILITATEM. REIP
N. PERTINERE. EXISTIMAVI
FACILIVS. SVBITVRIS. ONVS
AVGVSTALITATIS. DVM. HOC
COMMODVM. ANTE. OCVLOS
HABENT. CÆTERVM AVTEM
TEMPORVM. VSVRAS. SEMISSES
H-S. X. N. AD. INSTRVMENTVM
AVGVSTALIVM. ARBITRIO. IPSORVM
ESSE. VOLO. QVO FACILIVS. MV
NVS. MEVM. PERPETVVM. CON
SERVARE. POSSINT. NEQVE. IN
ALIOS. VSVS. VSVRAS. QVAS. ITA
A. REP. ACCEPERINT. TRANS
FERRI. VOLO. QVAM. SI. NECES
SE. FVERIT. IN. PASTINATIONEM
VINEAMQVE. QVÆ Q. CVM PARTE
FVNDI. POMPEIANI. SIC. VT
SVPRA. DIXI. HOC. AMPLIVS
AVGVSTALIBVS. LOCI. ICCIRCO
DARI. VOLO. QVÆ. EST. AMINEA
VT. SI. COGITATIONI. MEÆ. QVA
PROSPEXISSENT VTILITATI
BVS. NOSTRIS CREDO. CONSEN
SERITIS. VINVM. VSIBVS VE
STRIS. DVMTAXAT. DVM. PV
BLICE. EPVLAS. EXERCEBITIS
HABERE. POSSITIS. HOC. AVTEM
NOMINE. RELEVATI. IMPENSIS
FACILIVS. PROSPECTVRI. HI
QVI. AD MVNVS AVGVSTALITA
TIS. COMPELLENTVR. LOCATIO
VINEÆ. PARTIS. FVNDI. POM
PEIANI. EAM COLERE. POTERINT
HÆC. ITA. VT. CAVI. FIERI. PRÆ
STARIQVE. VOLO. HOC. AMPLIVS
AB. HEREDIBVS. MEIS. VOLO
PRÆSTARI. REIP. PETILINORVM
ET. A. REP. PETILINORVM
CORPORI. AVGVSTALIVM. EX
PRÆDIS. CÆTERIS. MEIS. PA
LVM. DICARE. OMNIBVS. AN
NIS. SVFFICIENS. PEDATVRAE
VINEÆ. QVAM AVGVSTALIBVS
LEGAVI. A. VOBIS. AVTEM AV
GVSTALES. PETO. HANC. VO
LVNTATEM MEAM. RATAM
HABEATIS. ET. PERPETVAM
FIRMAM. OBSERVETIS. CVRIAE
VESTRAE. MANDETIS. QVO. FA
CILIVS. NOTA. SIT. CORPORI
VESTRO. HÆC. ERGA. VOS. VO
LVNTAS. TVL. L. KAPVT. QVOD
AD. VESTRVM. HONOREM. PER
TINET

Non mei est operis inscriptiones interpretari, quæ opus integrum desiderant. Si quid tamen est in iis, quod ad nostrum institutum faciat, non prætermittam. Ut si quod mendum, lubens tollam, quale est quod in hac inscriptione notatur, in qua *Palum dicare omnibus annis, sufficiens*, nullum sensum habet. Legendum censeo *Palum ridicamve*. Robustum enim vineæ pedamentum, ridica. Sed palus e pertica diuturnior, utrumque pedandæ vineæ idoneum [1]. Ridenda quidem hæc sunt: sed ridendo dicere verum, quid vetat?

---

## CAP. IX.

*Translatio reliquiarum sine Pontificum permissu fieri non potuit. Quod ex juxta causa Præsides in Provinciis concesserunt. Arbitria funeris. Reficere monumentum sine authoritate Pontificum non licebat.*

QUÆ ad monumenta pertinent, & Pontificum in iis Jurisdictionem, locus monet, ut ea huic capiti inseramus. Eruam illa primum ex prudentum responsis. *Ossa*, inquit Ulpianus [2], *quæ ab illo illata sunt, an liceat domino loci effodere vel eruere, sine decreto Pontificum seu jussu Principis, quæstionis est. Et ait Labeo expectandum esse permissum Pontificalem, seu jussionem Principis, alioqui injuriarum fore actionem, adversus eum qui ejecerit. Sed non perpetuæ sepulturæ tradita corpora posse transferri, edicto D. Severi continentur* [3], *quo mandatur ne corpora detinerentur aut vexarentur, aut prohiberentur per territoria Oppidorum transferri*. D. tamen Marcus rescripsit, nullam pœnam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti per vicos aut oppida transvexerunt: quamvis talia fieri sine permissu eorum, quibus permittendi jus est, non debeant. Prima legis virtus est permittere, quæ hanc potestatem Magistratui concedit & Principi. Sic dicimus *permissum Imperatoris, permissum Prætoris* [4]. Atque hic permittit bonorum possessionem, quæ est mixti imperii, illud enim in danda bonorum possessione consistit, & jurisdictio est [5]; Permissus igitur Pontificum jurisdictionis est, quam tamen evertere videtur Prætoris edictum de sepulchro violato: interdictum prohibitorium de mortuo inferendo, de sepulchro ædificando vel reficiendo. Arbitratur vir eleganti juris civilis doctrina perpolitus, non ordinem certum his rebus adhibitum, sed promiscuam facultatem Pontificibus & Prætoribus concessam, quod rationem aliquam habet. Nam ex Papiniano superiore capite didicimus, Pontificali authoritate compelli heredem, ad obsequium supremæ voluntatis, cum de monumenti sumptibus ageretur, qui tamen Prætoris hac de re judicium videtur comprobare. Hunc Ulpianus sequitur, qui familiæ

---

1 Varro lib. 1. de re rust. cap. 8. 2 l. ossa D. de religios. 3 l. 3. § non perpetuæ. D. de sepulchr. violat. 4 l. 4. §. 1. D. de in jus. voc. l. cum legati D. quib. ex caus. possess. eatur. 5 l. 1. D. de Jurisdict.

ercifcundæ dat actionem, ut monumentum fiat, quod teftator fieri juffit [1]. Si quid veniæ conjecturæ dandum eft, hanc a vero non alienam putarem, & fi vere aberramus, bonum factum, fi quis mihi erranti comiter monftrat viam. In fepulchri violati actione fi pœna peteretur, ceffabat Pontificum jurifdictio. Nam pœnæ erogatio Jurifdictionis non eft, fed legis. At Pontifices religionis funt judices: legis Senatus. Sed quid pœna a teftatore impofita, quæ in veteribus monumentis plerumque fcripta eft? Romæ:

[a] HOC. MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE NOSTRO. EXIAT. TVI. EXTERVM. IN DVCERE. VOLVERIT. POENÆ NOMINE INFERET. ARCÆ. PONTIFICVM. H-S. L. M. N

Ex hoc teftamento pœnæ petitio nafcitur, pro qua apud Prætorem experiri Pontifices debent, nec enim poffunt fibi ipfis judicium dicere. Jam vero reliquiarum translationem profequamur, quæ permiffu Pontificum fieri debuit. *Transferre reliquias* dixit Varro funus commovere [2]. In infcriptionibus *trajectæ* leguntur, quæ trans mare adveherentur. Romæ:

[b] RELIQVIAE. TRAIECTAE. III. NON. FEBR
EX. PERMISSV. COLLEGII. PONTIFICVM
PIACVLO. FACTO

De juffu vel indulgentia principis:

D. M.
[c] M. VLPIO. AVG. LIB
HERMIAE
PROC. AVRARIARVM
CVIVS. RELIQVIAE. EX
INDVLGENTIA. AVG. N
ROMAN. LATAE. SVNT

Solebat enim reliquiarum translatio, fi a principe peteretur, libello dato impetrari: cujus exemplum ex veteri lapide habeo, quod hoc loco omittere nec debeo, nec poffum.

EXEMPLVM. LIBELLI. DATI

[d] CVM. ANTE. HOS. DIES. CONIVGEM. ET FILIVM. AMISERIM. ET PRESSVS. NECESSITATE. CORPORA. EORVM. FICTILI. SARCOPHAGO. COMMENDAVERIM DONIQVIES. LOCVS. QVEM. EMERAM AEDIFICARETVR. VIA. FLAMINIA. INTER. MILIAR. II. ET. III. EVNTIBVS. AB VRBE. PARTE. LÆVA. CVSTODIA. MONVMENTI. FLA. THVMELES. A. MESOLO. M. SELI. ORCILI. ROGO. DOMINE PERMITTAS. MIHI. IN. EODEM LOCO IN. MARMOREO. SARCOPHAGO. QVEM MIHI. MODO. COMPARAVI. EA. CORPORA. COLLIGERE. VT. QVANDONE EGO. ESSE. DESIER. PARITER. CVM EIS. PONAR

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBENTIVS CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSI. III NON. NOVEMB. ANTIO. POLLIONE. ET OPIMIANO. COS. ORDINARIS. SEVERO ET. SABINIANO. COS

Lolliæ Paullinæ cineres reportari, fepulchrumque

A inftrui permifit Nero: Quod ut Pontifex max. fecit [3], ut cæteri ab illo principes, ut Plinii epiftolæ teftantur. PLINIVS TRAIANO [4]. *Petentibus quibufdam ut reliquias fuorum, aut propter injuriam vetuftatis, aut propter fluminum incurfum, aliaque his fimilia quæcumque fecundum exemplum Proconfulum transferre permitterem: quia fciebam in urbe noftra ex ejufmodi caufis Collegium Pontificum adiri folere: te domine, max. Pontificem confulendum putavi, quid obfervare me velis.* TRAIANVS PLINIO. *Durum eft injungere neceffitatem Provincialibus Pontificum adeundorum, fi reliquias fuorum, propter aliquas juftas caufas, transferre ex loco in* B *alium locum velint. Sequenda igitur tibi exempla funt eorum, qui ifti provinciæ præfuerunt, & ex caufa cuique permittendum aut negandum.* Quæ faciunt ad verborum interpretationem quæ in lege habentur, *fine permiffu eorum quibus permittendi jus eft.* Quæ quidem de Proconfulibus aut Præfidibus Provinciarum in fuis Provinciis accipi debent. Quod a Paulo Jurifconfulto [5] animadverfum, *ob incurfum*, inquit, *fluminis vel metum, non perpetuæ fepulturæ tradita corpora follemnibus facrificiis redditis, per noctem in alium locum transferri poffunt.* Quod intellige, cum permiffu eorum, quibus permittendi jus C eft. Et quod Paulus dicit *follemnibus facrificiis*, in infcriptionibus eft *Piaculo facto*.

De Sedati Rhetoris corporis translatione Burdigalam, elegans Aufonii [6] epigramma:

*Quamvis externa tamen a regione reducit*
*Te patria & civem morte obita repetit.*
*Cumque vagantem operam divifæ impenderis urbi,*
*Arbitrium de te fumit origo fuum.*

Poftrema poetæ verba, fic in fuis lectionibus doctiffimus Scaliger intelligit, quafi in reliquiarum D translatione arbitri capiendi fuerint, ut ex permiffu Pontificum offa exportarentur. Sed hujufmodi arbitros antiquitas ignoravit, & loquitur Aufonius de arbitriis funeris quæ funt honoraria, impenfæ, pretium, ordinatio funeris. M. Tullium authorem fequor [7]: *Videte*, inquit, *prætextatos inimicos, nondum morte complorata arbitria petentes funeris.* Quod igitur fcribit Aufonius *arbitrium fumit origo fuum*, oftendit Sedatum rhetorem impenfa publica elatum & fepultum: ut infcriptionibus paffim videre eft multos, quibus impenfa funeris & locus fepulturæ, publice decretus eft. Tacitus vocat *mortis arbitrium* [8], quod tamen variam habet fignificationem. Nam *arbitrium* quandoque pro electo genere mortis accipitur. Aliquando pro eo quod ad funeris pom- E pam pertinet, vel eo quod quis poft mortem fuam fieri velit. Ex conftitutione Divorum fratrum [9], Præfides liberam mortis facultatem concedendi jus habuerunt, qui antea fi datum illis effet jus gladii, non poterant viam aliter adimere quam gladio, non fuftibus, non fecuri. Hoc principi primum competebat, ut arbitria mortis multis permifit Nero, quorum vitam quomodocumque finiri juffit. At idem monftrum iftud hominis, inter tot impuriffimæ vitæ portenta Plautio Laterano Confuli defignato [10], non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium conceffit: fed raptus ille in locum pœnis fervi- F libus fepofitum, manu Tribuni trucidatur. Aliam viam habet hoc verbum *arbitrium* apud ipfum Tacitum [11]. *L. Vetus*, inquit, *focrufque ejus Sextia & Pollucia necem fubiere: ferro, eodem in cubiculo, abfcindentes venas. Accufati poft fepulturam, decretumque ut more majorum punirentur, & Nero interceffit mortem fine arbitrio permittens.* Qui accufati fuerunt poft L. Veteris fepulturam, ex fequentibus

Taciti

1 l. qui aliena §. libertos. D. de neg. geft. a 765. 5. 2 Apud Nonium in verb. patritum. b 578. 1. c 594. 1. d 407. 1.
3 Tacit. 14. Annal. 4 lib. 10 5 lib. 1. fent. tit. de fepulchr. 6 De profefforib 20. 7 Cicer. pro domo. fua. 8 Tacit. 15. Annal. 9 l. aut damnum §. 1. D de pœn. 10 Tacit lib. 15. Annal. 11 Tacit. lib. 16 Annal.

Taciti verbis constat eos esse qui illis veteri aliqua necessitate juncti essent. Frustra etenim mortuis Nero mortem permisisset, & post sepulturam, arbitrium. Quid vero sit *mortem sine arbitrio permittere*, a multis dubitatum, qui receptam Taciti lectionem rejecerunt. P. Faber vir ille prestantissimus quo in omnibus rebus literariis quæ in controversiam veniunt, arbitro alioquin uterer, emendabat: *mortem suo arbitrio*. Hunc æmulatus Lipsius legit, *mortem sino arbitrio*, & adfirmat eam Taciti scripturam esse. Ego vero constanter pernego tueorque vulgatam, *mortem* enim *sine arbitrio permisit Nero:* id est, sine honorariis, sine ordinatione, sine pompa funeris, sine testamento. Tacitum advoco lectionis suæ adsertorem. Ille idem [1]: *Damnati, publicatis bonis sepultura prohibebantur. Eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi*. Manebant ergo testamenta, id est, arbitria. Nam *arbitrium* pro testamento in jure usurpari nemo aliquantum eruditus ignorat [2]. Quod pro funeris pompa Horatius usurpavit [3]:

*Cum semel occideris, & de te splendida Minos*
*Fecerit arbitria.*

Quod male interpres intellexit: *Cum de te Minos splendide judicaverit*. Nam *splendide dicere* legimus: *judicare splendide*, nec Latinum est, nec usitatum.

Sed capitis hujus reliquias colligamus: quas sine decreto Pontificum Romæ, privati transferre non solebant. Facessit tamen hac in re negotium Tacitus [4]: *Obiit*, inquit, *L. Antonius. Hunc admodum adolescentulum sororis nepotem seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur. Habitus tamen supremus honor, ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum Senatus*. Quod quidem ut credi debet, non evertit Pontificum permissum, sed meminit solum Tacitus Senatusconsulti, quod in honorem L. Antonii factum esset. Permissus autem Pontificum honori non datur, sed funeri aut necessitati: Senatusque ita semper Pontificum consuluit dignitati, ut reliquias mortui sine illorum permissu aut monitu non consueverit transferendas vel eruendas. Ut cum M. Oppium populus Rom. in campo Martio sepelisset, plebisque studium indigne Senatus ferret: ossa Oppii, Pontificum monitu, tanquam in loco sacro non rite posita, inde remota sunt [5].

De jure etiam Pontificum fuit, ut monumentum reficere non liceret, sine illorum decreto. Vetus lapis Romæ: [a]


T. ÆLIVS. SENTINIANVS. PETIT. A. PONTIFICES. VT. SIBI. PERMITTERENT REFICERE. N. MONVMENTVM JVRIS. SVI

Corruptum tamen & lapsum reficere licebat, corporibus non contactis [6]. Qua ratione motus Germanicus cum tumulum Varianis nuper legionibus constructum, & veterem aram Druso sitam, disjectam invenisset: restituit aram, tumulum iterare haud visum [7]. Tumulum enim sine decreto Pontificum vel jussu Tiberii principis & Pontificis max. non licebat reficere, cui minus grata extructio prima tumuli fuerat [8]. Monumentum ergo facere, unicuique liberum fuit: reficere sine Pontificum permissu, fas non fuit. Nec potuit salva majestate Tiberii Germanicus suo arbitratu tumulum disjectum instaurare, ne contempta principis authoritas videretur. Quare Ulpianus [9] recte: *Si in eo monumento quod imperfectum esse dicitur, Reliquiæ hominis conditæ sunt: nihil impedit quo minus id perficiatur. Sed si Religiosus locus jam factus sit; Pontifices explorare debent, quatenus salva religione desiderio reficiendi operis, medendum sit.*

## CAP. X.

*Provocatio a Pontifice max. ad populum. Pontifices a Tribunis plebis criminati, quod male judicassent. De Vestalibus denuo judicatum a selecto judice L. Cassio.*

MULTA sunt præterea quæ de Pontificum notione tractari possent. Ut quo ritu funesta desinat esse familia: qua religione monumenta: quo ritu res sacræ fiant. Quæ omnia amplius explicabimus in libris sequentibus *de sacris & jure Manium*. De provocatione breviter hic quædam sunt attingenda. Nam quoties a Pontifice max. mulcta alicui dicta est, toties provocatum ad populum reperio, illumque suffragia Tributis Comitiis dedisse. De capitis judiciis dubitatum. Lex Valeria de provocatione in omnibus capitis judiciis locum habuit [10]. Lex Porcia, a P. Læca lata, provocationem firmavit, ut ex veteris nummi imagine notatur.




An leges illæ in Vestalium judiciis servatæ sint, ut a Pontificum collegio damnatæ, provocatione certare possent, & virgas a corpore amovere: ex iis quæ supra diximus colligi potest, quod de jure virgarum Pontificum fuerit judicium. Nam & Vestales a Pontifice max. virgis ob negligentiam cæsas, & illarum stupratores virgis in Comitio necatos, certi & exploratis juris est. De provocatione ut aperte aliquid tradere possemus altius repetenda esset judiciorum ratio, quam paucis explicare conabor.

Duæ igitur libertatis vindices leges illæ Valeria & Porcia, aliis legibus Sempronia & Aurelia sunt antiquatæ. Primis Reip. temporibus cum de capite civis ageretur, apud populum causa tractabatur qui suffragiis suis reum damnabat vel absolvebat. At post constitutas quæstiones perpetuas, quæ nihil aliud sunt quam forma quædam lege præscripta judicii perpetuo de re aliqua exercendi, nova semper lege opus non fuit. Quare quæstiones perpetuæ primum quatuor introductæ, repetundarum, ambitus, majestatis, peculatus [11]. Si nova alia crimina emergerent, nova lege opus erat, ut de illis quæreretur. Quod minus frequentari cœpit post Sullæ tempora, a quo numerus Prætorum & quæ-



1 lib. 6. Annal 2 l. 3. & 5. C. Theod. de testam. 3 lib. 4. Carmin. od. 7. 4 lib. 4. Annal. 5 Dio lib. 48 a 518. 4. 6 l. sepulchri D. de sepulch. violat. 7 Tacit. lib. 2. Annal. 8 Tacit. 1. Annal. 9 l. fin. D. de mort. infer. 10 Livius lib. 2. & l. 2. §. exactis. D. de orig. jur. 10 l. 2. de Orig. jur. Cicer. in Brut.

ftionum publicarum auctus eft. Judicium primum populi lege lata conftituebatur, quæ fi acciperetur a populo, condemnatus erat reus; fin rejiceretur, abfolutus [1]. Ut in caufa Milonis Pompejus legem promulgavit *de vi* quæ nominatim cædem in via Appia factam comprehendit [2]. Suffragio populi creatus Domitius Aenobarbus quæfitor, fortitio judicum acta, qui Milonem condemnarunt. Quoties igitur lege aliqua judicium conftitutum, id eft, pœna conftituta, & quæftio perpetua facta, quod eft, ut in re fimili nova lege opus non effet; quem judices dati damnaffent, ille ad provocationis auxilium non recurrebat, quod pœna lege a populo lata effet impofita. B Sic igitur cum lege Regia virginum Veftalium, quæ inceftum commififfent, pœna effet conftituta, & judices dati Pontifices, quorum apud frequens Collegium, Veftalium caufa perageretur, jus provocationis ceffavit, cum regia lex a populo effet approbata. Quare in Capitalibus caufis lege agere dicebantur lictores, qui in damnatos animadvertebant. Atque hæc fuit ratio judiciorum poft leges Semproniam & Aureliam. Breviter de pœna provocatio non erat [3]. Simul atque enim victus erat qui ejus maleficii, cujus pœna erat ftatuta, accufabatur, ftatim ea debebatur. At mulctæ provocatio erat, nec ante debebatur, quam provocator victus effet: nec aliter, quam fi is dixiffet, cui dicere liceret.

Nonnunquam nulla decreta nova & ad tempus quæftione, ad populum a Magiftratu in facrorum quæftione dies alicui dicta: ut Cn. Domitius Tribunus pleb. diem dixit M. Scauro ad populum, quod diceret ab eo facra multa populi Romani diminuta effe. Nam fi facra populi Romani violata effe dicerentur, tum extra ordinem primo quoque tempore puniendum crimen erat, & Tributis Comitiis res peragenda. Singulare eft illud M. Scauri exemplum [4], cui Domitius iratus, quod eum in Augurum Collegium non cooptaverat, diem dixit apud populum & mulctam irrogavit, quod ejus opera facra multa populi Romani diminuta effe diceret. Crimini enim dabat facra publica populi Roman. Deum Penatium quæ Lavinii fierent, opera ejus minus recte cafteque fieri, quo crimine abfolutus eft Scaurus quidem, fed ita ut a tribus Tribubus damnaretur, & a cæteris abfolveretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & abfolutionem intereffent. Hic Scaurus fuit pater M. Scauri, qui repetundarum accufatus eft L. Domitio Aenobarbo & Appio Claudio Pulchro Coss. anno ab urbe condita DCC. Quod autem populus de facris illis minus rite factis judicarit nec ad Pontifices rejecta caufa fit religionis judices, maxime cum Scaurus Augur effet, Pontificum videtur officere authoritati. Sed M. Scaurum & principem Senatus fuiffe & Confulem cum Metello anno DCXXXIX. Fafti Confulares probant. Quare cum ratione Magiftratus accufaretur, dies ad populum dici potuit. Nam Confules & Prætores cum magiftratu abirent, Lavinii Sacra Penatibus fimul & Veftæ faciebant [5]. Quæ fi minus rite facta, populi judicium fuit, vel ut verius eft, Tribuni invidia hoc populo tribuit, quod ad Pontifices pertinebat.

Tribunorum enim poteftas tanta fuit ut a Veftalium abfolutione provocare ad populum poffent, cum illæ non poffent. Sextus Peduceus Tribunus pleb. criminatus eft L. Metellum Pontificem max. totumque collegium Pontificum, male judicaffe de inceftu Veftalium, quod unam modo Aemiliam A damnaverant, & abfolverant duas, Marciam & Liciniam [6], Populus L. Caffium creavit, qui de eifdem virginibus quæreret. Atque ille & utrafque eas & complures alias nimia etiam (ut exiftimatio eft) afperitate ufus, damnavit. Nummus Gentis Caffiæ hoc judicium nobilitat.




In hoc nummo ædes Veftæ impreffa cum fella curuli fignatæque literæ A. & C. cum Cifta in qua conjiciebantur. Licet ante legem Caffiam Tabellariam Virgines fuerint damnatæ, a L. Caffio. Nam Tabellaria lex lata eft a L. Caffio Longino, C. Cario fextum & L. Valerio Flacco Coss. anno ab urbe condita DCLIIII. De Virginibus Caffius judicavit anno DCXXXIX. Accufatæ porro Veftales fi nocentes abfolverentur, C illud prodigii loco femper habitum fuit. Sic Lentulum dixiffe refert M. Tullius [7], *fatalem effe annum ad interitum urbis atque imperii, qui effet decimus annus poft Virginum abfolutionem, poft Capitolii autem incenfionem vicefimus*. Quorum verborum interpretatio ab ipfo Cicerone petenda eft, qui alibi exprobrat Catilinæ [8], *Cum ita vixifti, ut non effet locus tam fanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla fubeffet, crimen adferret*. Notat Afconius Fabiam Veftalem caufam incefti dixiffe, cum ei Catilina objiceretur, & abfolutam, quia foror erat Terentiæ Ciceronis. Prudenter itaque Tullius, *etiamfi*, D inquit, *nulla culpa fubeffet*. Nam & fuis pepercit & nihilo fecius inimico fummi opprobrii turpitudinem objecit. Nam quod Fabia abfoluta eft, jure illud inter prodigia numeravit.

---

## CAP. XI.

*Pontifices cogi poterant a Tribunis plebis. Illi Magiftratui fubjecti & Cenforiæ notæ obnoxii. Veftalis maxima cum rege Sacrorum legibus foluta.*

E PONTIFICES a Tribunis pleb. cogi poterant, ut facris intereffent, vel peragerent illa quibus erant præfecti, fi denuntiatio præceffiffet. Quod M. Tullius [9] objecit primum P. Clodio: *Pontifex, inquit, non adfuit. Non te pudet*, ait ille, *cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non Collegium Pontificum adfuiffe? præfertim cum Tribunus pleb. vel denuntiare potueris, vel cogere?* Pontifices tamen ex Dionyfii hiftoria [10] a judiciis, & mulcta funt immunes, nec tenentur Se- F natui populo reddere rationem. *Εἰσί τε ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες, οὔτε δήμῳ*. Magiftratus qui finito imperio rationem repofcuntur adminiftrati & gefti honoris, *εὐθύνεσθαι* dicebantur: cujus contrarium *ἀνεύθυνος καὶ ἀνυπεύθυνος*, quales Pontifices Dionyfius afferit, qui Tribuno-

---

1 Grucch. lib. 1. de Comit. cap. 4. Afcon. in orat. pro Milon. 3 l. 244. D. de verb. fig. 4 Afcon. in Orat. pro Scaur. 5 Servius in fched. 6 Afcon. in orat. pro Milon. 7 3. Catilin. 8 In orat. de tog. candid. & ib. Afcon. 9 pro dom. fua. 10 lib. 2.

rum illos populique subtrahit potestati. In quo certe lapsum illum, hic Ciceronis de Clodio locus aperte demonstrat. Sed cum raro id accideret, illud Græcus scriptor, nunquam accidisse putavit. Tantum ergo a Dionysio dissentio, quantum M. Tullio tribuere æquum est, aliisque quorum authoritate adducor, ut credam Pontifices ipsos ut magistratus civesque cæteros Censoriæ notioni obnoxios fuisse. Censorum in eos potestatem Decii Imperatoris oratio ad Valerianum seniorem satis probat. Hic enim cum Senatusconsulto Censor creatus esset, *Fœlicem te*, inquit Imperator [1], *Valeriane, Senatus sententia, totius orbis Rom. suscipe Censuram, tu de judicibus, de præfectis eminentissimis judicabis. Excepto præfecto Urbis Romæ, exceptis Consulibus ordinariis & Sacrorum Rege ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permaneat, de omnibus sententiam feres*. Animadversionem tamen Censoriam neque judicium, neque rem judicatam majores unquam vocaverunt [2]. Et cum gravissimum judicium sanctissimi magistratus M. Tullius [3] appellat, intelligit notionem, quæ postea cum ipsa Republica occidit. Illam Augustus aliqua ex parte restituit: Domitianus perpetuam sibi adscripsit [4]. Hujus nummus est:




Decius Senatui reddidit, a quo Censor Valerianus factus est, cujus amplior potestas fuit, quam cæterorum post Domitianum. Nam Censores ab eo in habendo solum populi censu fuerunt occupati ad hunc usque Valerianum, cui veteris Censuræ authoritas novo more delata est. Quæ cum nulla esset in Vestalem max. & Sacrorum Regem, qui soluti legibus erant: Pontifices & reliqui Sacerdotes illi fuerunt subjecti, qui exceptione non continentur. Illorum igitur mores ut magistratuum potuerunt a Censoribus notari, penes quos disciplinæ Romanæ regimen fuit. Quare cum Claudius Flamen Dialis, quod perperam exta dederat, Flaminio abire jussus est [5]: & Sulpitio inter Sacrificandum apex prolapsus Sacerdotium abstulit; dubitari potest, utrum illud populi judicio, vel Censoria severitate factum Pontificumve decreto. Quod tamen Pontificibus tribuo, qui Ceremoniarum & Sacrorum judices erant & vindices.

---

## CAP. XII.

*Fiscus Pontificum, Arca, Aerarium. Curator ærarii.* IIII. VIR *ab ærario. Arcarius Pontificalis.*

COLLEGIA omnia pecunias communes habuisse Cajus Jurisconsultus tradit [6], quas dividere & partiri inter se, dum dissolverentur quæ illicita essent, principum constitutionibus permissum. At Pontifices non pecunias solum sed Arcas habuerunt, Aerarium, Fiscum, horumque Quatuorviros & curatores. *Fiscum* ab *ærario* veteres ita separarunt, ut *fiscus* esset ratio privati patrimonii principis [7]: *Aerarium* publicum populi Roman. Putant alii *fiscum* pro pecunia publica usurpari, ut pro censu privato *ærarium* [8]: atque a *fisco confiscare, in fiscum cogere,* δημεύειν. *Arcam* a *fisco* separare mihi religio est. *Fiscum* enim Pontificum eam proprie pecuniam fuisse comperio, quæ pœnæ nomine arcæ Pontificum inferebatur. Vetus Lapis:

[a] AVIDIA. MAXIMA
DOMVM. ÆTERN. V. S. P
SI. QVIS. ALIVD. CORPVS
SVPERPOS. DET. FISCO. P
CCC. M. N

Quare cum D. Hadrianus [9] rescripto statuit pœnam quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepulchrum faciunt, quam fisco inferri jussit: illius lex non de principis, sed de Pontificum fisco intelligenda est. De arca inscriptiones permultæ. Romæ:

[b] HOC. MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE NOSTRO. EXIAT. QVI. EXTERNVM. INDVCERE. VOLVERIT. POENÆ. NOMINE INFERAT. ARCÆ. PONTIFICVM. H-S. L M. N

Item Romæ:

SI. QVIS. HOC
[c] ARMARIVM. VENDERE. VOLVERIT. INFERET. ARCÆ. PONTIFICVM. L. S. L. M. N

Qua pœna non solum venditor sed & emptor tenebatur ex lege dicta fundo. Romæ:

[d] SI. QVIS. HOC. SEPVLCHRVM. VEL. MONVMENTVM
CVM. ÆDIFICIO. VNIVERSO. POST. OBITVM
MEVM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLVERIT
VEL. CORPVS. ALIENVM. INVEHERE VELIT
DABIT. POENÆ. NOMINE. ARC. PONTIF L-S. C. N
ET. EI. CVI. DONATVM. VEL. VENDITVM FVERIT
EADEM. POENA. TENEBITVR

Pro *fisco* Pontificum illorum *Collegium* in veteribus monumentis quandoque inscribitur:

[e] QVI. EIVS. MONVMENTI
PARTEM. ALIENARE. TENTAVERIT DARE. DAMNAS. ESTO. ÆRARIO. POPVLI. ROMANI. S-L. XV. M. N. ET. COLLEGIO. PONTIFICVM. L. S-L. XV. M. N
ET. EMPTOR. ET. VENDITOR

Hic emptor & venditor eadem pœna obligantur. Aerarium autem Pontificum certas possessionum sacrarum pecunias proprie continebat, quæ ex illorum prædiis & reditibus cogebantur. Qui curam habebant hujus pecuniæ, *curatores Aerarii Pontificum* dicebantur. Qui adservabant, *Quatuor viri ad Aerarium Pontificum*. Nam Curatores erant reru



1 Trebel. Pol. in Valerian. patre. 2 Cic. pro A. Cluentio. 3 Cic. pro Sextio. 4 Sueton. in Augusto. c. 37. Dio & 54. 5 Livius lib. 26. Valer. Max. 1. cap. 1. 6 l. 3. D. de colleg. & corp. illic. 7 Plin. in panegyric. 8 Ascon. Verrem. a 903. 6. 9 l. 3. D. de sepulch. viol. b 765. 5. c 183. 4. d 672. 1 e 946. 6.

ad Pontifices pertinentium procuratores, qui sacra prædia locarent, pecuniam tractarent, conquirerent, rationemque conficerent accepti & expensi. Mediolani:

[a] Q. INGENVS. MAXIMIANVS
SCRIB. PVBLICVS. PONTIF
ET. CVRATOR. AERARI

At Quatuorviri ad Ærarium vel ab Ærario pecunias illas adservabant, quas Pontificibus maxime erogarent. Nemausi:

[b] Q. SOLONIO. Q. F. VOL
SEVERINO
EX. V̄. DECVRIIS. EQVO
PVBLICO. Φ. LVPERCO
IIII. VIR. AB. AERAR
PONTIFIC

At vero qui arcæ Pontificum, hoc est, pecuniæ privatæ & fortuitæ præfecti erant, *Arcarii* vocabantur. Nam pro Censu privato *arcam* & *Sacellos* dicebant [1]. Hanc vocem Symmacho [2] fœliciter restituit Juretus meus. *Rursus*, inquit ille, *Pontificalis arcarius prosequitur apud te mandata Collegii, cui præ cæteris retinendi Vaganensis saltus cura legata est*. Male in vulgatis legebatur *archorius*. Titulus est Theodosiani Codicis *de susceptoribus, præpositis & arcariis*, quem Justinianus in decimum suum transtulit. Illic *Arcarii* dicuntur, qui his, quæ in arcam præfectorum Prætorio inferuntur, suscipiendis præpositi sunt [3]. *Arcarius Pontificum* ἀποδεκτὴς χρυσȣ̃ [4]. Male in Glossario vetere *Arcarius* βηχάνημα, quod Volcanius emendat μηχανοποιός. Ego vero ὁ ἐπὶ τῶν κτημάτων, *ab ærario*, sic enim loquuntur Græci ὁ ἐπὶ τῆς μνήμης, ὁ ἐπὶ τῶν ἀπορρήτων, *a memoria, a secretis*. Ex dictione κτῆμα fecit imperitus librarius χάνημα, scripsitque βη pro ἐπὶ, cumque extrema syllaba κτημάτων deleta esset, finxit ille suum μηχάνημα. Proprius ad veram scripturam conjectura mea accedit, quam Volcanii μηχανοποιός. *Arcarius* enim in hac significatione nunquam a Latinis authoribus usurpatur. In Glossario mille errores hujusmodi serpunt, quibus vir unus perpolitus & anxie diligens vix mederi potest. In illo legitur *acceptuaria* λιβανωτρὶς pro *acerra Thuraria*, ut Scaliger restituit, *Atanulus* pro *Atanuvius*, *adfinis* ὄμβρος πρὸς γένος, pro γαμβρὸς πρὸς γένος. *Alberius* θροφεὺς pro θρεπτὸς, infinitaque alia quæ conjecturam meam in literarum adjectione, aut mutatione multum juvant.

## CAP. XIII.

*De Ministris Pontificum & Sacrorum. Triumviri Epulones. Saliæ Virgines. Camilli. Scribæ. Publicus Pontificum. A libris Pontificalibus. Lictor Apparitor. Calator.*

MINISTRI Pontificum nobiliores fuerunt Triumviri Epulonum, Virgines Saliæ, & Camilli. De Triumviris M. Tullius [5]: *Pontifices veteres propter Sacrificiorum multitudinem Tresviros Epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum Epulare sacrificium facerent, instituti*. Horum Sacerdotium amplissimum non fuisse superiore libro docuimus: maximæ tamen dignationis vetus inscriptio testatur:

[c] L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. ACENS. IMP. ITER
VII. VIR
EPVL. TRIVMP. EX. RÆTIS. ÆDEM
SATVRNI
FECIT. DE. MANVBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

Is est L. Munacius Plancus ad quem Ciceronis epistolæ lib. 11. scriptæ sunt, in quibus Imperator & Consul designatus appellatur, quod Fulvius Ursinus observavit. Sacerdotii autem Septemviratus insigne est in nummo vetere:




Virgines Saliæ [6] in Regia Sacrificium faciebant cum Pontifice paludatæ. Camilli pueri erant ingenui patrimi & matrimi, qui Sacerdotibus publicis ad sacrificia præministrabant. Ab antiquis enim omnes pueri *Camilli* appellati, qui in sacris nomen retinuerunt [7]. Sic Mercurius Deorum minister *Camillus* dictus est, ut Statius Tullianus ait libro secundo *de vocabulis rerum*: & *Camillam* Metabus filiam vocavit, quæ Dianæ ministrabat. Pacuvius in *Medea*: *Cælitum Camilla expectata advenis*. ἱερία [8]. *Camilli investes*, hoc est, impuberes, ἄφθοροι. apud Etruscos in Curetum magnorum Deorum ministeriis vocabantur Κάδωλοι [9]. Unius imaginem, qui Flamini Diali præministrat, habemus in nummo vetere:




Vulgares alii Pontificum ministri & sacrorum & judiciorum obsequio præsto fuerunt: ordinis ut plurimum libertini [10]. Inter hos præcipui videntur Scribæ, quorum ingens numerus Romæ per decurias divisus est [11]. Hi nomen sortiti sunt a Magistratibus & Sacerdotibus, queis ministerium exhibebant. Ut Scriba Prætorius, Aedilitius, Quæstorius, Navalis, qui in nave apparebat (inter aliud genus scribarum minimæ dignitatis, quod periculis quoque ejus ministerium esset objectum [12].) Scriba Pontificalis. Quorum omnium ordinem non

a 306. 7. b 470. 6. 1 Ascon. 2. in Verrem. 2 lib. 1. epist. 62. 3 Cujacius. 4 Gloss. vet. 5 lib. 3. de orator.
c 433. 8 6 Festus in verb. Salias Virg. 7 Serv. 11. Æneid. 8 Gloss. vet. 9 Dionys. lib. 2. 10 Tac. 13. Annal.
11 Sueton. in Claud. cap. 1. 12 Festus in verb. Navalis scriba.

honestum scripsit Carolus Sigonius [1]. Et certe cum A libertini essent ii (quibus honores non patuerunt) in doctissimi viri sententiam pedibus descenderem, ni me M. Tullius retineret. Ille enim [2], *Scribarum ordo est honestus, quis negat? Est vero honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque Magistratuum committantur*. Idem ille [3]: *Scribæ qui nobiscum in rationibus monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in Remp. beneficiis, judicium decretumque esse voluerunt*. Obscuri & non honesti ordinis, turpe fuisset Consulari viro judicium, quo cum M. Tullius in causa sua utitur, non minimam probat Scribarum dignitatem fuisse. Quæ quidem magna primum in scribis Pontificum fuit. B Nullus enim ad fastos & commentarios illorum admittebatur, nisi Patricius: & Scriba tandem ex minoribus Pontificibus seligebatur [4].

De scriba publico Pontificum superiori capite inscriptionem retulimus, in qua ille idem est Curator ærarii, qui & *publicus Pontificum*, ut plurimum dicebatur, *scribæ* nomen non adjecto. Romæ:

[a] HERMETÆ. CAESENNIANO
PVBLICO. PONTIFICVM

Scribas proprio nomine antiqui & librarios & poetas vocabant [5]. At nunc dicuntur quidem Scribæ C Librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis. Quos tamen separo ab iis, qui a libris Pontificalibus nominantur. Hi enim libros tantum transcribebant, ubi opus esset, vel compingebant. Hanc differentiam a M. Tullio accipio, qui *librarios* a *Scribis* distinguit [6]: *Deinde*, inquit, *ornat Apparitoribus, Scribis, Librariis*. Vetus Lapis:

[b] TI. CLAVDIVS
NATALIS
A. LIBRIS
PONTIFICAL

D

*Scriba Pontificum* ἱερογραμματεύς. *A libris Pontificalibus* βιβλιογράφος, lapis alius:

LIVIVS. THEONA. AB
EPISTOLIS. GRÆC. SCRIBA
A. LIB. PONTIFICALIBVS

De Lictoribus Seneca pater [7]: *Non sine causa*, inquit, *Sacerdoti lictor apparet*. His tamen publici tantum Sacerdotes utebantur cum Vestalibus, ut Pontifices, Augures, Quindecimviri, Flamines. E Nam quod Liviæ, cum Augusti Sacerdos Senatusconsulto constituta est, decretum ut lictore in sacrificio uti posset [8], ῥαβδούχῳ χρῆσθαι ἐν ταῖς ἱερουργίαις; nihil ad veterem sacrorum rationem facit, quæ ut cætera, adulatione mutata est & depravata. Lictor Pontificum in antiquis inscriptionibus est apparitor. Fragmentum marmoris in via Appia:

[c] APPARITORI
PONTIFICVM
PARMVLARIO

Iidem *Pontificum Calatores* dicti [9], ἐκβιβασταὶ ἱερέων, qui & Comitia calabant, & a Pontificibus sacra F facturis præmittebantur, ut sicubi viderent artifices assidentes, opus suum prohiberent, ne Deorum Ceremonias attaminarent [10].

CAP. XIV.

*Decuria Curiatia, quæ sacris apparebat. Præcones. Tibicines. Ludii. Petreia. Popæ. Victimarii. Incinarius. Jecorus. Aruspex Pontificis. Fictores Pontificum. Discipuli Fictorum. Nomenclator Tensarum Jugaris.*

SUNT & alii Pontificum ministri & Sacrorum ἱερόδουλοι, ut Decuria Curiatia quæ sacris publicis apparebat, in qua lictores, apparitores, Calatores, decuriabantur & describebantur. *Decuria* δεκανία, φρατρία, ut denum hominum classes, antiqui *Decurias* appellarunt. Curiatia autem Decuria a Curialibus dicta, qui Curiarum servi, quo nomine posteriores Romani omnes servos *Curiones* appellarunt, quos antiquitas *Calatores* [11]. Martialis, *epigrammata* ait *Curione non egent & contenta sunt sua, id est, mala lingua*. Ubi *Curionem* pro *præcone* aut *Calatore* usurpavit [12]. De hac Decuria fortean loquitur Tacitus [13], cum de fraudibus libertorum ageretur. Nam qui pro libertis differebant, hinc plerumque tribus Decurias, ministeria magistratibus & Sacerdotibus memorabant. Lipsii in hunc locum Commentarii Curione non egent: Ille: *Judicumne Decurias an Scribarum? Puto Scribarum*, inquit, *qui ordo late fusus Romæ, non inhonestus. Libertini enim ordinem eum pretio certo emebant*. Illi quidem emebant Scribarum Decuriam, non Judicum. De his enim Tacitus hic non loquitur, sed de Magistratuum ministris, quales Scribæ & lictores, de quibus lectio Taciti intelligi debet. Vetus lapis:

[d] L. ANTONIO
EPITYNCHANO
LICTORI. DEC. CVRIA
TIÆ. QVAE. SACRIS
PVBLICIS. APPARET

Item Romæ in Capitolio:

[e] PAMPHILVS. LICTOR. CVRIA
ACRIS. PVBLICIS. PR. QVIRITIVM
VIATOR. QVI. COS. ET. PR. APPARET
DECVRIO. CONLEGI. FABRVM. FER
RARIVM

Iidem ii Præcones, ἱεροκήρυκες [14], qui favere linguis dum sacra fierent imperabant. κατακηρύττουσι δ' ἡσυχίαν. Decurionem Pontificum in antiquis inscriptionibus invenio. Mediolani:

D. M.
[f] C. VALERI
PETRONIANI
DECVR. PONTIF. SACERD
IVVEN. MED. CAVSIDIC

Ille Decuriæ Curiatiæ præerat. Nam Decuriones & Centuriones a numero cui præerant, dicebantur [15].

Tibicines & publicis & privatis sacris omnibus adhibebantur pulsantes eburneas septem fidium lyras & quæ vocantur Barbita, quod Domitiani nummis demonstratur.



1 li. 2. de antiq. jur. Civ. Ro. c. 14. 2 or. 8. in Verr. 3 pro dom. sua. 4 Capitol. in Opil. Macrin. a 306. 4. 5 Festus in verb. scribas. 6 In Rullum. b 306 6. 7 lib. 2. controv. 8 Dio lib. 56. c 1087. 8. 9 Gloss. vet. 10 Serv. in sced. 11 Columel. lib. 1. c. 9. Scalig. in Fest. in verb. Curiones. 12 Martial. 2. epig. in epist. 13 li. 13. Annal. d 356. 5. e 632. 2. 14 Jul. Pollux. f 479. 8. 15 Non. Marcel.




Figura est ex Columna Trajani exquisitissima, in qua Camilli Tibicinesque & Sacrificantes designantur.



Tibicines ad sacra privata advocavit Epidicus Plauti:

*me jussit senex*
*Conducere aliquem fidicinem sibi huc domum*
*Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.*

De his qui sacris publicis inserviebant, vetus lapis:

IMP. CÆS
M. AVRELIO. Φ. ANTONINO.
PIO. Φ. FELICI. Φ. AVG
TIBICINES. Φ. ROMANI
QVI. SACRIS
PVBLICIS. Φ. PRÆSTO. Φ. SVNT

Tibicinum enim opera ita visa est ad religionem pertinere, ut cum Tybur omnes illi abiissent, ejus disceptatio tenuerit Senatum [1], & Senatusconsulto his restitutum in æde jus vescendi, a quo prohibiti erant a Censoribus. Hinc proverbium *ἀυλητῦ βίον ζῆν*, de his qui alieno vivunt & immunes degunt [2].

His proximi sunt ludii, qui in sacris certamini- A bus, ludis, & sollemni pompa ad Tibicinis modos saltabant [3], utrique ita necessarii sacris, ut si ludius constitisset, ludi minus rite facti putarentur, errata expiarentur, & mentes Deorum immortalium ludorum instauratione placarentur [4].

Ludionum loco in Municipiis & Coloniis Petreia [5] fuit, quæ pompam præcederet imitareturque anum ebriam. Tales hodie in multis Galliæ pagis visuntur, cum memoria tutelaris Divi celebratur, quæ his ineptiis maxime contaminatur.

Popæ & Victimarii sacrorum ministri præcipui fuerunt. Popæ hostias mactabant, victimarius illas apparabat, & cultrum, aquam, ignem & molam.
B Popas Plautus Lanios vocat [6]. *Accersi*, inquit, *hostias, victimas, lanios, ut ego huic sacruficem summo Jovi.* Hujus nomen in Glossario vetere diverse accipitur. Nam *Popa* & *Popax* *θύτης, πλακῦς, καὶ πόπανον*. Πόπανα Suidæ sunt *πλακόντια· πλατέα καὶ λεπτὰ καὶ περιφερῆ*. *Placentæ latæ, tenues & orbiculares*. *Victimarius μοσχοθύτης, μοσχοτόμος*. *Cultrarius* Suetonio [7], quem Caligula succinctus Poparum habitu elato alte malleo misere mactavit. Utriusque figura expressa nobis a Gulielmo Cholio, quæ Suetonii illustrat locum.

a 269. 2. 1 Liv. lib. 9. 2 Suidas. 3 Livius lib. 27. 4 Cic. de Aruspic. resp. 5 Festus in verb. Petreia. 6 In Pseudol. 7 In Caligula cap. 32.



A

In hac Popa malleum tenet, victimarius victimam submissus apparat. Festo ille *Jecunanus*, alii legunt *Incumanus* vel *jecinorus*. Forte legendum *Incinarius*. Charisio [1] *incinarium* est muliebre ministerium, quo mulieres capillum inungitarent. & qui ea ministrabat queis capillus ornaretur, a *Cinere Cinerarius* appellatus [2]. In sacris *incinarius*, qui cineres aræ admovebat, Pontifice sacra facturo, quod victimarii officium fuit. Illud ex veteri Senatusconsulto probatur, quo libri Numæ cremati sunt, igne a victimariis facto. Unicuique liberum est Festi lectionem tueri, vel aliter restituere. *Jecunanus* enim vel *Incumanus* aut *jecinorus* verba sunt ab imperitis excogitata. In lexico vetere Latin. Græco, *Jecorus* legitur qui *ἀςυνόμος*. Emendabat amicus meus pro *Jecorus Ephorus*: sed in lexico sub literam I non cadit E. Lectionem Latinam retineo, Græcam restituo paucis literis immutatis vel conversis, *θυσιονόμος*. *Jecorus* ab *jecore* inspiciendo Aruspex dictus est, qui vere legem sacrificiis dabat, & Pontifici adhibebatur sacra facienti, vocabaturque *Aruspex Pontificis*. Inscriptio Romæ:

B

[a] CN. IVLI. CN. FILI
DOMATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

C

*Ut cum Aruspex*, ait Varro, *præcipit, ut suo quisque ritu sacrificium faciat* [3], is præconis munere fungi quodammodo videtur. De Fictoribus Pontificum illorumque discipulis, inscriptio una reperitur quæ illos enumerat inter sacrorum ministros [b]:

T. STATILIVS. CALOBÆRVS. NOMENCL
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. XVI.
FLAVIAE.
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE
SCANAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPV
LO. FICTORVM. PONTIFICVM

Hi sacrorum ministri ingenio nobis fingendi sunt, utemurque artifice Servio [4], qui docet in sacris aliquando simulata pro veris accipi. Unde cum de Animalibus quæ difficile inveniuntur, sacrificandum est, de pane vel cera fiebant, & pro veris accipiebantur. Sic dixit Poeta sacrorum peritissimus:

*latices simulatos fontis averni* [5].

Quæ simulatio tenuioris fortunæ hominibus concessa est. Illi enim cum nullum animal sacrificare possent, Taurum e farina fingebant [6]. Et *Tauri verbenæque* in Commentario Sacrorum, significant ficta farrinacea, a quo fictores Pontificum dicti [7], qui de pane vel cera simulatas hostias faciebant.

De Nomenclatore Tensarum Jugari Inscriptio Romæ:

[c] SOLI. INVICTO
SACRVM
T. POMPONIVS
REPENTINVS
NOMENCLATOR
TENSAR. IVGARIS

Hic in ludis & pompa Pontifici maximo adfuit, cujus erant ludi & Tensæ. Hujus enim opera Pontifex utebatur, dum Tensarum ordinem disponeret, quæ variæ erant, Jugariosque, id est, aurigas juberet prodire in pompam & singulorum Deorum Tensas suo nomine citaret. In Glossario vetere *ζδγηλάτης*. De aliis ludorum ministeriis fusius Onuphrius, ad quem dum curarum remissionumque tempora divido, lectorem lubens remitto.

1 lib. 1. 2 Varro lib. 4. de ling. lat. a 304. 5. 3 li. 6. de ling. lat. b 270. 6. 4 2. Æneid. 5 4. Æneid. 6 Suid. in verb. *βοῦς ἕβδομος*. 7 Festus in verb. Tauri. c 35. 12.

# JACOBI GUTHERII DE VETERI JURE PONTIFICIO URBIS ROMÆ

## LIBER TERTIUS

## QUI DE LOCIS ET TEMPORIBUS

*Ad amplissimum virum*

## ANTONIUM SEGUERIUM.

### CAP. I.

*Loci consecrati aut profani. Profanum, sacrum, sanctum, religiosum.*



OCUS & tempus me ad opus Pontificium revocabant. Nam forensis militiæ vacatio, ante statas sollemnesque inducias concessa erat nobis, ob aeris intemperiem graviorem, quæ Solis obscuratione pluviisque frequentibus, sub ortum Caniculæ contracta est: & benigne excepti hospitio ab amicis, secessimus ab urbe in quietiorem & salubriorem locum, cujus solitudo mihi Provincia fuit. Villula sylvis undique circumdata, planitie in occasum excurrente, fonticulis leniter strepentibus irrigatur. Hortorum indiligentia artem omnem divite natura superabat: quorum ambulationes arboribus fructuosis opacæ atque amœnæ, oculorum aciem viæ longitudine hebetarent. Rupes altissimæ in circuitu, in quibus multa ex parte leviter acclivis aditus ad umbrosiores locos deducebat, ubi avium garruli cantus *καταβίωσιν*, mœstitiamque minuebant. His oblectamentis (Antoni Præses amplissime) temporum tristitiam condiebam: & multa mihi *εἰς ὑποθέωσιν* cogitanti, locus opportunus, prisca religione sacer, Pontifices meos subjiciebat oculis, quorum studio tantum tribuo, quantum vacat a publico officio & munere. Quare ne otio abuterer, quo semper maxime indigeo, contuli me ad sacra meorum Pontificum loca, in quibus figere pedem aut referre arduum est. Locus enim lubricus & via est laboribus periculisque obnoxia, de qua decedere nullo modo possum. Pergam igitur, quo cœpi hoc iter, cum recte collocata & res suo loco posita esse videatur.

*In locis*, inquit Tullius[1], *& illa fortuita, consecrati sint an profani*. Profanum *ἀνίερον* & quidquid usibus hominum dominioque subjicitur. Alia a nobis adfertur locorum divisio, ut illa sint sacra, aut sancta aut religiosa. Quod inter decreta Pontificum maxime quærebatur. *Sacrum*, ait Trebatius, libro primo de religionibus[2], *quidquid est quod Deorum habetur: Sanctum* interdum idem quod sacrum, idemque quod religiosum: interdum aliud, hoc est

A nec sacrum nec religiosum est, ut *sanctæ leges*, quæ non debeant pœnæ sanctione corrumpi. Sanctiones tamen sacrabantur[3], aut genere ipso aut obtestatione, aut consecratione legis, aut pœnæ, cum caput ejus, qui contra fecit, consecratur, quæ propterea *Sacrosanctæ* dictæ sunt. Apertius Martianus & Ulpianus[4] hæc interpretati sunt veterum authoritatem sequuti. *Sacrum* autem, dicebat Ælius Gallus[5], illud est quod quoquo modo atque instituto Civitatis consecratum dicatumque Diis. Sed & *sacrum* generale nomen est, quod & sanctum & religiosum quandoque complectitur[6]. Nam *sancire* proprie est
B sanctum aliquid, id est, sacrum facere, fuso sanguine consecratum[7]. Quo in genere sunt muri & portæ civitatum quæ quodammodo divini juris sunt[8]. At leges sanctæ dicuntur quidem non sacræ, quæ sanctione solum confirmatæ sunt. Sacratæ autem quibus sancitum erat, ut si quis adversus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset, cum familia pecuniaque[9]. Sacrum itaque omne religiosum est: nec tamen omne religiosum sacrum[10], ut ædes & templa religiosa & sacra. Sepulchra vero quæ religiosa habentur, sacra non sunt. Recte Servius Sulpitius[11] *religionem* esse dictam tradidit, quæ propter sanctitatem aliquam remota & sepolita a nobis sit. *Religio-*
C *sum* igitur, quod sacrum & sanctum est, ex locis & rebus ipsis dignoscitur: ut sunt templa quædam, ædes, ædiculæ, aræ, fana, delubra, Sacella, Tesca, Luci, pulvinar, imagines, simulachra, signa, statuæ, Sacraria, Dietæ, Dianium, Minervium, Cellæ, lapides sacri, auspicati, Rami coronati, Donaria, Clypei, cæteraque omnia quæ diis per Pontifices rite sunt consecrata.

### CAP. II.

D *Templa tribus modis dicta. Illa quadrata: quædam templa sancta non erant, ut nec omnes ædes sacræ erant Templa. Aedes rotundæ quibus Diis: Aediculæ.*

TEMPLA tribus modis dicebantur: ab natura, ab Auspicio, ab similitudine[12]. Natura, in cœlo: Auspicium, in terra: similitudo sub terra est. Quod ita accurate Varro persequitur, ut nihil nostra arte opus sit, ad eorum explicationem. Hac ratione dixit Festus[13] *veteres Diis superis*

1 In partitionib. 2 Macr. sat. c. 3. 3 Cic. pro Corn. Balb. 4 l. 6. cum seq D. de rer. divis. 5 Festus in verb. sacer mons. 6 Serv. 3. Æneid. 7 Serv. 2. Æneid. 8 l. 1. D. de rer. divis. 9 Festus in verb. sacratæ leges. 10 l. 9. §. proprie. D. de rer. divis. 11 Macrob. 3. saturn. c 3. 12. Varro lib. 6. de ling. lat. 13 In verb. Altaria.

*peris in ædificiis terra exaltatis, ſacra feciſſe: Diis terreſtribus, in terra: Diis inferis, in effoſſa terra.* Tria ergo ſunt in ſacris loca, per quæ piationem faciebant [1]: Scrobicula facta inferis: Terreſtribus ſupra terram ſacrificabant: Cœleſtibus extructis focis: unde etiam nominata ſunt *altaria*, quod ſacrificantes manus in altum porrigebant. Ab eo æquitas tripartita eſſe dicitur, una, quæ ad ſuperos Deos: Altera ad Manes: Tertia ad homines pertinet [2]. Prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia religio vocabatur.

Redeo ad Varronem, qui Templi partes quatuor conſtituit, ſiniſtram ab Oriente, dextram ab Occaſu, anticam ad meridiem, poſticam ad Septentrionem. Antiqua templa ut plurimum quadrata erant, quod nummi veteres teſtantur, & aperte Vitruvius demonſtrat [3], a quo Varroni magna lux affulget: *Ædes*, inquit ille, *Deorum immortalium ad regiones quas ſpectare debent, ſic erant conſtituendæ, uti Signum quod erit in Cella collocatum, ſpectet ad Veſpertinam cœli regionem, ut qui adierint ad Aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad partem cœli Orientis, & Simulachrum quod erit in æde, quia aras Deorum neceſſe eſt ad Orientem ſpectare.* Quadratura templorum πλινθία dicitur. *Templum* autem omne circumſeptum eſſe debebat, ne pluſquam unum introitum haberet. Unde etiam obſervatum ut amplius uno exitu in hoc eſſe non oporteret cum ibi auſpicans eſſet cubiturus [4]. Atque ut templa ſacra erant, non tamen omnia erant ſancta. Nam Curia Hoſtilia temlum fuit & ſancta non fuit [5]. Quod ita interpretor, Curiam quidem Hoſtiliam, ut Pompejam, Juliam, & Roſtra templa fuiſſe per Augures conſtituta. Nam cum illæ Curiæ loca profana eſſent, templa facta ſunt, ut in his Senatuſconſulta more majorum facta, juſta fieri poſſent. Nec tamen ea loca ſancta fuerunt: quoniam templa poſtquam per Augures effata erant, & a Pontificibus conſecrata, ut ſancta fierent, in his ſacra edicebantur [6]. Quare ſi nulla ſacra edicerentur, ſed effata eſſent loca: Templa quidem ſacra dicebantur, ſed non ſancta, ut in iis auſpicato & publice res adminiſtrarentur, & Senatus haberi poſſet. In urbe Roma pleræque ædes ſacræ ſunt templa, eademque ſancta: nec tamen omnes ædes ſacræ templa ſunt. Ac ne ædes quidem Veſtæ templum eſt [7]. Nam ut templa fierent, Pontificum atque Augurum miniſterium requirebatur. Augures locum conſtituebant: Pontifices conſecrabant [8]. Ædes Veſtæ a Pontificibus conſecrata eſt, illamque a Numa non inauguratam tradunt, ne Senatus ibi haberi poſſet, & ipſa neceſſitate vir introiret locum. Cæterum ædes ut templa quadratæ erant, paucis exceptis. Nam rotundæ tribus Diis fiebant, Veſtæ, Dianæ, Herculi vel Mercurio [9]. Sed & Pantheon Jovi ultori ab Agrippa forma convexa faſtigiatum [10] θολοειδὴς. Et Marti Ultori ædes facta ab Auguſto [11], poſt Philippenſe bellum, rotunda fuit ex ipſius Auguſti nummis. Quidam autem templum dicunt non ſolum quod poteſt claudi, verum etiam quod palis, haſtis, aut aliqua tali re, & lineis aut lauris ſeptum eſt [12]. Quæ forte extemporalia templa fuere, & quæ minora templa dicuntur [13].

Prudentes Etruſcæ diſciplinæ, apud conditores Etruſcarum urbium, non putabant urbes juſtas fuiſſe, in quibus tria templa non eſſent [14], Jovis, Junonis, & Minervæ. Romæ vero ea templorum multitudo fuit, ædiumque ſacrarum, ut ſummam populi in Deos pietatem teſtarentur, quæ hodie vero Deo a veris Pontificibus etiamnum exhibetur.

Porro templa ab Auguribus effari ſolita ſupra dixi- A mus, & hoc loco repetimus, ut M. Tullii locum corruptiſſimum conjectura ſaltem aliqua juvemus. Ille Attico [15]: *Scripſeram jam*, inquit, *ecce tibi orat Lepidus, ut veniam (opinor Augures nihil habere) ad templum afflandum: eatur* MIACKOROY. *Videbimus te igitur*. Vulgata lectio ſic concepta. Emendant viri docti, *orat Lepidus ut veniam (opinor Augures nihil habere) ad templum effandum, Saturni ἀσπόνδυ*. Vix ullus Ciceronis mentem hac emendatione aſſequi poſſit. Ego certe non capio. Nam cum M. Tullius Juris Augurum peritiſſimus eſſet, ſciebat, templum nullum conſtitui, quod non ab B Auguribus effaretur. Cum ergo a M. Lepido Pontifice max. Augur advocabatur: nihil ad templi conſtitutionem hoc pertinuiſſe certum eſt. Nec enim in re hujuſmodi dixiſſet Tullius ſe opinari Augures nihil habere; nec video Lepidi Pontificatu Saturno ἀσπόνδῳ Romæ ædem excitatam. Perdifficilis informatio & cogitatio veri ſenſus, qui latet in Antiquitatis latebra aliqua, conſuetudine, vel imagine. Cum cæteris nos forte hallucinabimur & aberrabimus a vero, ſed minimum quidem, ut opinor, a Ciceronis lectione. Lego igitur, *Orat Lepidus ut veniam, opinor Augures nihil habere ad templum afflatum. Si effatur, μιαρὸν, videbimus te igi-* C *tur*. Noſtræ lectionis hanc rationem affero, quod apud Romanos prodigii loco habitum ſemper eſt, ſi templa de cœlo tacta eſſent. Quod ex Decreto Pontificum, Sibyllinis libris, Aruſpicum reſponſo, vel Senatuſconſulto procurari ſolebat [16]. Nam ut fulmen Comitiorum vitium erat, ita pollutum credebatur quidquid tetigiſſet. *Afflare* autem fulminis verbum eſt [17], & tria fuere fulminum genera, quod afflat, quod incendit, quod findit [18]. Templum ergo *afflatum* vocat Tullius fulmine tactum: quod procurari debuit, piaculari ſacro. Piacula vero varia pro fulminis procuratione, a Pontificibus aut Aruſpicibus decreta vel tradita. Hi ut credibile eſt reſponderunt effandum templum, poſtquam purum factum eſſet. Nos hodie polluta templa reconciliari D dicimus [19]. *Effari* Augurale verbum eſt [20], ab Auguribus enim loca ſacra inaugurabantur. Hinc *effata*, ſunt Augurum preces. Scripſit, ut ſuſpicor, M. Tullius, *Augures nihil habere ad templum afflatum*. Nam illud ad Pontifices vel Aruſpices pertinebat. Sed ſi ex reſponſo Aruſpicum effatur, *μιαρὸν*, hoc eſt, pollutum vel *μιαχρὸν* [21] purum factum καθαρὸν, igitur ſe viſurum Atticum, cum a Lepido Pontifice maximo advocaretur, quo inaugurationi intereſſet. Pro *effatur* librarius edidit *eatur*, & pro voce *μιαρὸν* vel *μιαχρὸν* ſubſtituit *μιασνόρυ*. Sic lectionis hujus a multis tactæ, prodigium cenſeo procurandum. Viderint literati, an ut boni Aruſpicis mea reſponſa firmari debeant, vel reji- E ci, cum antiquis Sacrorum verbis, quæ ab ultimis & obliteratis temporibus repetita ſunt, & vix ſacerdotibus ſuis intellecta. Conſecratis lubens utor, quibus Pontificum amplitudo magis illuceſcit.

Rurſum nos ad ſacras ædes tranſeamus. *Aedes* aut *aras inchoare* ex ſacrorum diſciplina dicebatur. *Inchoare* Servius [22] interpretatur *perficere*, & agnoſcit Sacrorum verbum. *Cohum* tamen apud veteres mundum ſignificat [23], a quo *inchoare*. Sic Tranquillus F libello ſuo pleniſſimo, *ædem inchoatam* diſſeruit. Ædium ſacrarum valvæ ac limina ut templorum ex ære factitata [24], atque in illis lychnuchi penſiles, aut arborum modo mala ferentium lucentes. Sacræ autem ædes triplici differentia conſiderantur, Dorico genere, Ionico, & Corinthio. De his & illarum



1 Lactant. 4. Thebaid. 2 Cicer. in Topic. 3 lib. 4. cap. 5. 4 Serv. 4. Æneid. 5 Varro lib. 6. de ling. lat. Livius lib. 8. 6 Serv. in ſched. 7 Var. lib. 4. Plau. quæſt. Agel. lib. 14. cap. 7. 8 Serv. 9. Æneid. 9 Servius 9. Æneid. Livius lib. 10. 10 Plin. lib. 36. cap. 15. 11 Dio lib. 53. 12 Servius 4. Æneid. 13 Feſtus in verb. minora templa. 14 Servius in ſched. 15 lib. 3. epiſt. 40. 16 Livius lib. 27. & 32. Agel. lib. 4. cap 5. 17 Lactant. 2. Thebaid. 18 Serv. 2. Æneid 19 cap. propoſuiſti extr. de conſecrand. Eccl. 20 Serv 3. & 6. Æneid. 21 Heſychius. 22 6. Æneid. 23 Diomedes grammat lib. 1. 24 Plin. lib. 34. cap. 2.

quinque speciebus copiose Vitruvius [1], qui omnem lapidem feliciter movit.

*Ædiculæ* sunt ædes minusculæ incustoditæ [2], quas qui tentaverint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi merentur. Ædiculæ Romæ plurimæ, inter quas unam in Castris Prætoriis invenio. Lapis vetus ex antiquis Figlivis, ubi olim Castra Prætoria:

[a] EX. ÆDICVLA. AVGVSTORVM
OPVS. DOL. EX. FIG. C. PANISEI
HERMETIANI. ET. VRBICI

Ocriculi in Umbria, ædicula alia:

[b] PRO. SALVTE. ITVS. AC
REDITVS. D. N. SANCTIS
SIMI . . . . .
TI. AVG. ÆDICVLAM
CONCILII. DEORVM
PROT. DIVINITATE. RIS
AVG. N. EX. VISV. DEAI
VALENTIÆ
S. P. F. C

Prioris inscriptionis notæ significant: *Opus doliatum ex Figulina Panisei*. Fictilibus doliis ædicula in Prætoriis castris facta, non æternitatis destinatione, sed temporaria mora [3], ut ipsa Castra. Posterior vero sic emendari debet PROT. DIVINI. LATERIS. Id est *Protector Augusti*. Ut Gruterus animadvertit, ὑπερασπιστής. S. P. F. C. vulgares notæ, *sua pecunia faciendum curavit*. Hæc ædicula, ut aliæ omnes privatæ, nec sanctæ erant sed religiosæ. Quod enim privati suæ religionis causa dedicant Diis, id Pontifices Romani non existimaverunt sacrum [4]. Aut si qua sacra privata suscepta sunt, quæ ex instituto Pontificum, stato die aut certo loco sunt facienda, ea quidem sacra appellantur tanquam sacrificium. Sed locus ille ubi sacra illa privata fiunt, vix videtur sacer esse, ut Gallus Ælius tradit.

## CAP. III.

*Templorum species, Delubra, Fana, Sacella, Cella, Tesca.*

TEMPLUM Deorum Sessimonium est [5], cujus species multæ. *Delubrum* dixerunt, quod uno tecto plura numina complecteretur [6], ut Capitolium in quo est Minerva, Jupiter, Juno. Alii, ut Cincius, *Delubrum* vocant locum ante templum, ubi aqua currit, a *diluendo* nuncupatum. Quidam *Delubrum* appellant simulachrum, a libro, hoc est, raso ligno factum, quod Græci ξόανον. Sed *Delubrum* frequentius pro templo. Cujus variæ quoque species fuere: in quibus una est juxta Varronem [7], eo modo constituta, ut præter ædem, area sit adsumpta Deum causa, id est spatia relinquantur, juxta aras ministerii causa, ad sacrificia peragenda. Talia Romæ fuere plurima, ut Delubrum Apollinis, Jovis Statoris, Junonis Sospitæ, Minervæ. Licet *Delubrum* pro ipso simulachro quandoque accipiatur. Est enim Delubrum καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα, ἄγαλμα, εἴδωλον [8]. Ut cum Smyrnæi Delubrum Homeri in oppido dedicaverunt, nihil aliud quam statuam posuerunt [9]. Quod autem ἀνάθημα Deorum donum dixerunt *Delubrum*: ex eo manavit, quod cum homines pericula sua diluerent, ponebant vel scutum, vel pilum, vel quid aliud, voto suscepto [10].

*Fanum* proprie dictum quod fando consecraretur [11]: aut ab eo quod Pontifices in sacrando fati sunt finem. Ut profanum, quod ante Fanum est, id est, junctum [12]. Turnebo [13] *Fanum* est templi area, quæ multum a templo differt, ut postea ostendemus. *Fanum* locus est templo effatus, jam consecratus [14]. Aperte hoc Livius, *In ea pugna*, inquit, *Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat. Fanum tantum, id est, locus templo effatus, jam sacratus fuerat*. Primis temporibus Fanum Romæ nullum. Cum adolesceret urbs religionibus dedita, & paupertatis onera levaret votis, Fana fuere plurima [15], quæ omnia devictis Gallis, quod ea hostes possedissent, restituta, terminata, expiataque. Proprie tamen *Fanum* est locus sacer sine ædificio, ἱερὸν, ut ex M. Tullio [16] colligimus: *Fanum*, inquit, *fieri volo, neque hoc mihi erui potest, sepulchri similitudinem effugere non tam propter pœnam legis studeo, quam propter ἀποθέωσιν, quod poteram, si in villa facerem. In agro ubicumque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem*. *Sistere Fana* est locum futurorum Fanorum constituere [17]. Sic etiam *ædem adsignare* Veteres dicebant. Antiquus lapis;

[c] L. VESTORIVS. ZELOTVS
POST. ADSIGNATIONEM. ÆDIS
FORTVNÆ
SIGNVM. PANTHEVM
SVA. PECVNIA. D. D

*Exaugurare Fana* [18] est evocatis Diis & cæteris religionibus locum liberare, peculiarique Deo templum constituere. Ut cum in monte Tarpejo Iovis templum ædificatum est. Fanum Dominarum albæ Juliæ legitur;

[d] MESTRIVS. MARIINVS
PICTOR. CONSTITVIT
PRO. SALVTE. SVA. ET
SVORVM
FANVM. DOMINAR

*Dominas* hic pro *Deabus* dictas nemo ambiget. Sic *vota solvere Jovi Domino* poeta dixit. Dominæ autem sunt Parcæ quæ vitæ dominari credebantur, quibus pro salute sua & suorum Pictor Fanum constituit. A Fano *Hanula* [19] quasi *Fanula*, parva Delubra dicit Festus. Cui vero Fani cura commissa erat, is *magister Fani* vocabatur. Capuæ:

[e] Q. PETICIO. M. F. FAL
MAG. FANI. DIANÆ

*Sacellum* est locus parvus Deo sacratus cum ara, ex Trebatii libro *de religionibus* secundo [20]. Addit Festus [21], *sine tecto*, & hac ratione nihil a Fano differret.

*Cella* pars est templi in qua Deus vel Dea concludebatur. Gloss. vetus, *Cellis* ἀποθήσεις. Reposuit Vulcanius ἀποθέσεσιν perdocte. Ἀπόθεσις enim repositorium est quod σκηνὴ vocatur a Dione [22]: ἥ τε γὰρ σκηνὴ τοῦ Ρωμύλου, ἐξ ἱερουργίας τινὸς, ἣν οἱ Ποντίφικες ἐν αὐτῇ ἐπεποιήκεσαν, ἐκαύθη. *Cella Romuli cum in ea*

1 lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 2. 2 l sacrilegi. 9. D ad leg. Jul. pecul. a 183. 12. b 2. 12. 3 Vitruv. lib. 5. cap. 5. 4 Festus in verb. sacer mons. 5 Vitruvius lib. 7. in procem. 6 Serv. 2. Æneid. 7 Servius 4. Æneid. 8 Gloss. vet. Jul. Pollux. Festus in verb. delubrum. 9 Cicer. pro Arch. poet. 10 Cornel. Front. de different. voc. 11 Festus in verb. Fanum. 12 Var. lib. 5. de ling. lat. 13 lib. 3. advers. cap. 9. 14 Livius lib. 10. 15 Livius lib. 5. 16 Ad Attic. lib. 12. ep. 35. 17 Festus in verb. sistere fana. c 1. 8. 18 Livius lib. 1. d 50. 4. 19 Festus in verb. delub. e 315. 1. 20 Agel. lib. 6. cap. 12. 21 In verb. sacellum. 22 lib. 48.

*Pontifices ſacra feciſſent, incendio abſumpta eſt*. Illa a Vitruvio [1] *Caſa Romuli* nominatur, quæ in arce ſacrorum, hoc eſt, in Capitolio, ſtramentis tecta fuit. In eadem Arce Cella fuit Jovis, in qua Africanus imaginem poſitam habuit [2], unique illi inſtar Atrii Capitolium fuit. *Cellam* vulgo nos *capellam* diceremus, quæ quidem duobus Diis una dicari non potuit. Quare cum Marcellus bello Gallico cum ad Claſtidium, ædem Honori & Virtuti voviſſet: dedicatio ejus a Pontificibus impedita [3] eſt, qui negabant unam cellam amplius quam uni Deo rite dedicari: quia ſi de cœlo tacta, aut ſi prodigii aliquid in ea factum eſſet, difficilis procuratio foret, quod utri Deo divina res fieret, ſciri non poſſet. Neque enim duobus, niſi certis Diis rite una hoſtia fieri. Cellæ autem in templis multæ, unde Vitruvio [4], *interiores Cellarum*, *Angulares Cellarum*, a quo *Peripteron* ædes eſt, cujus Cella uno tantum columnarum ordine cingitur [5]. *Dipteron*, quæ duplicibus, *Pſeudodipteron*, in quo ſublato Dipteri generis interiore columnarum ordine, relinquitur ambulationis circa Cellam laxamentum. Et *Monopteron* ædes eſt rotunda, quæ Cella caret, pro muro columnis obſepta.

*Teſca* erant loca ſancta, agreſtia alicujus Dei [6]: quales ſunt Heremi, in locis ut plurimum præruptis & aſperis conſtructæ. *Teſca* Verrius dixit loca Augurio deſignata [7]. Sed ſancta loca undique capta docent Pontificii libri, in quibus ſcriptum eſt, *Templumque, ſedemque, Teſcumque*. Varro verba refert, quibus templa illa conciperentur, aſperitatis ſane & obſcuritatis pleniſſima [8]. Tentarunt doctiſſimi viri illa explicare, atque ex ipſis Feſto mederi, quod vix aſſequutus eſt Scaliger peritus artifex, cui ingenii vis hoc uni maximum contulit munus, ut Muſarum deſerta templa ubique aut reſtituerit aut adornarit. Poſt hunc virum quid mortalis ego, ut ait Accius, in deſerta & Teſca me adportem loca. Septus tamen Varronis locus undique & veſtitus vepribus ſentes habet, quæ a tangentibus quamprimum ſentiuntur. Ex antiquitatis obſervatione notarunt periti [9], non modo in urbe verum etiam in agris Augures templa finire potuiſſe ad auſpicandum. Erant enim templa Auguribus, regiones aut agri certo carmine ab illis lituo finiti notati conſecratique, unde in omnes cœli partes ad Augurium captandum, liber erat adſpectus [10]. Partes enim definitæ Auguribus tradebantur, & in templo faciendo arbores finem continebant, intra eas regiones, qua oculi conſpicerent. Templum vero Augurum non verbis iiſdem uſquequaque concipitur, id eſt, aliter in urbe, in agris aliter conſtituebatur. Utrumque Varro docere voluit, ſed mutilam lectionem & corruptam Librarius dedit, qui formulam qua in urbe templa definiuntur, obmiſit, ſolamque ſcripſit qua Augures in agris utebantur. Verborum itaque affinitate deceptus repetitam lectionem putavit & amputavit. Quod ex Varronis verbis perſpicuum eſt. Hic enim: *Concipitur verbis non iiſdem uſquequaque*. Hoc eſt, in urbe aliter, aliter in agris templa ab Auguribus concipiuntur. In urbe enim Auguria captabantur: in agris Auſpicia. Ideoque Varro, *Templum*, inquit, *eſt locus Augurii vel Auſpicii*. In arce hoc eſt in urbe, Auguria: in agris, id eſt, in Teſcis, Auſpicia captabantur. Cum igitur ſcripſit Varro, *in arce item*, *teſtaque meta ſunto*, ingens lacuna perſpicitur. Nam dictio *item* disjunctiva eſt. Tradiderat Formulam captandi in arce Augurii, id eſt, in urbe; Arx enim eſt Auguratulum [11], ubi Augures publice auſpicabantur, illudque in urbe, & patriis ſedibus, in quibus ſolum Augurium agere licebat [12], & Pomœrii ambitu Auguria, (Quæ Varro [13] *urbana auſpicia* vocat) finiebantur. Hæc formula captandi in arce Augurii excidit nobis, librarii imperitia. Una reſtat qua in agris templum, id eſt, locus Auſpicii definiebatur. Illa his verbis concepta eſt, in vulgatis Varronis exemplaribus: *Item teſtaque meta ſunto, quoad ego eas relinquam, nuncupavero*. Emendat Scaliger: *In arce autem ſic. Teſca dumecta ſunto, quoad ego caſte lingua nuncupavero, olla veter arbor quiſquis es quam me ſentio dixiſſe, templum tectumque eſto in ſiniſtrum, &c.* Turnebus aliter. Antonius Auguſtinus vir magnus, ſupraque mortalium naturam, quem ita veneror, ut illius nomini ſemper aſſurgam, monuit tantum mendoſum locum, nec reſtituit. Illud tentare arduum eſt, audere periculoſum, deſperare invidioſum. Nos ergo non verbis iiſdem Varronis in loci hujus reſtitutione, uſquequaque utemur, Augurum more: ſed quibuſdam paululum immutatis aut additis: cætera omnia integra reddere conabimur. Sic igitur lectionem reſtituo: *In agris item: Teſcaque meta ſunto; quoad ego eas regiones linquam, quas nuncupavero. Olla vero arbor quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe templum teſcumque: ferto in ſiniſtrum. Olla vero arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum teſcumque: ferto in dextrum, &c.*

Lectionis hujus rationem reddo, ne operam luſiſſe videar. De Augurio & Auſpicio, Arce & Agro jam planum eſt. *Teſcaque meta ſunto:* Pura lectio. *Meta* enim Augurale verbum. Sic *mediam cœli metam* dixit Virgilius [14]. Nam medium cœlum meta eſt ἀναβιβάζοντος circuli, qui medius eſt inter ortum & occaſum. A medio autem cœlo finitur ortus, & Occaſus incipit ſyderum. Itaque cum Augures lituo cœli ſpatia deſignabant, eis ſua dabant nomina [15], ut prima pars Antica ad meridiem, poſterior ad Septentrionem poſtica: ſiniſtra ab Oriente, dextra ab occaſu diceretur. Ab eo *anteſiniſtra Cornix* Virgilio dicta indiviſo verbo, quæ ab Antica, hoc eſt, a meridie, ad ſiniſtrum, id eſt orientem volarat. Cœlum autem, ait M. Tullius [16] in ſexdecim partes diviſerunt Etruſci, facile id quidem fuit, quatuor quas nos habemus duplicare. Teſca ergo in mediis quatuor partibus templi, meta fuerunt, & effata loca. Ut ex quatuor partibus, inquit Vitruvius [17], ad altitudinem educunt medio metas. Atque hoc modo Teſca ſunt meta conſtituta, in agro ubi Auguria captabantur, qui effatus locus dicebatur. Cætera perſequamur: *quoad ego eas regiones linquam*, *quas nuncupavero*. Ex conjectura ſic reſtituo; ne locus ad auſpicandum effatus perpetua religione teneretur, ſed ſanctus tantum eſſet, quoad auſpicandi cauſa in eo Augures morarentur. Regiones autem lituo dirigere, primum Auguris miniſterium fuit, poſt effatum locum [18]. Quare addit Varro: *Olla vero arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe*. Nam regiones mente deſcribebant Augures, arboribuſque terminabant [19], ſignumque contra quod longiſſime conſpectum oculi ferebant, animo finiebant. Qui falli facile poterant, ideoque dicebant, *quidquid eſt quod me ſentio dixiſſe*, id eſt ſive arbor ſit, ſive Dumetum vel aliud quid arbori non abſimile; ne aliud pro alio nominando, auſpicia vitiarent. *Templum teſcumque ferto in ſiniſtrum*. *Ferre* & *efferre* ſacrorum verba ſunt, & ex antiquis inſcriptionibus liquet. Sic *ferre ſacra* dictum [20], *ferre preces*, hinc *ferre in ſiniſtrum*, & *ferre in dextrum Orientem Occidentemque* ex Augurali diſciplina deſignat. Augures enim ſpectare Orientem ſolebant, dum auſpicabantur [21], quod eſt, ferebant in



1 lib. 2. cap. 1. 2 Val. Max. lib. 8. cap. 16. 3 Livius lib. 27. 4 lib. 7. in præfat. 5 Philander in Vitru. lib. 3. cap. 1. 6 Varro lib. 6. de ling. lat. 7 Feſtus in verb. Teſca. 8 Turneb. lib. 22. adverſ. c. 25. 9 Grucchius lib. 1. de Comit. c. 4. 10 Cic. 3. de leg. 11 Feſtus in verb. Auguratulum. 12 Servius 3. Æneid. 13 lib. 4. de ling. lat. 14 lib. 5. Æneid. & ib. Serv. 15 Serv. Eclog. 9. 16 lib. 2. de divinat. 17 lib. 2. cap. 1. 18 Cic. 1. de divinat. 19 Varro hic. 20 Serv. 8. Æneid. 21 Dionyſ. lib. 2.

finiſtrum, unde finiſtra Romanis meliora. M. Tullius [1]: *Quæ autem eſt inter Augures conveniens & conjuncta conſtantia? Ad noſtri Augurii conſuetudinem dixit Ennius,*

*Cum tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.*

Virgilius dixit [2], *intonuit lævum*. In his multa latent obſcuritate temporum involuta, in quibus alii deſudare poſſunt. Ego vero ita hunc locum ornare concupivi, ut nihil aſperitatis haberet, nihil offenſionis. Quod ſi qui aliter ſenſerint, nihil pugno: & qui laborem meum reprehenderint, laudo, ſi doceant certiora.

## CAP. IV.

### *Luci, Dianium, Minervium, Dietæ.*

AD LUCOS nunc jam accedamus, qui alia luce non indigent. Illi duo & triginta in urbe fuerunt. Inter quas Manlii Capitolini everſa domus duobus lucis conveſtita eſt [3]. Luci vero nunquam ſine religione fuerunt, in quibus plerîſque Fana affabre facta, proceris & vaſtis arboribus conſita, religionem illam teſtabantur. Lucorum in inſcriptionibus agnoſcimus Sacerdotes. Peruſiæ:

[a] C. BETVO. C. F
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR
VMBRIAE

*Dianium* eſt lucus Dianæ conſecratus. Cato Cenſor in ſecundo *originum* [4]: *Lucum Dianium in Nemore Aricino, Egerius Lebeus Tuſculanus dedicavit Dictator Latinus*. Apud Feſtum legitur *Dianus*, emendavit doctiſſimus Scaliger *Diarium*. Inſcriptio Romæ:

[b] C. JVLIANVS
CÆLIVS. ANT
F

. . . . . . . .
DIANIVM. D. D

*Æſculapium*, *Minervium* pari loquendi conſuetudine dictum eſt [5]. De Dieta Apollinis ambigebam, num inter loca religioſa illam reponerem. In libris noſtris plurima eſt de Dietis mentio, quæ inter privata ædificia numerantur [6]. Eſt enim *Dieta* ædificium vel membrum domus cœnationem & cubiculum continens, quæ in hortis, amœnitatis & voluptatis cauſa ut plurimum inſtructa fuit. Talis erat Romæ Dieta Mammeæ in regione palatii [7]. Hypocauſtæ Dietæ meminit Ulpianus [8], quæ habet fornaculam Caminatamve ſtructuram & concamerationes in quibus ignis accenditur, unde calefiat: *Vaporarium* Tullius vocat [9], ex quo ignis erumpit. Huic rei ſervi præpoſiti *fornacarii* [10] dicebantur. Dietariorum vicarii, qui & zetarii [11]. *Dietarios* eoſdem putat vir doctiſſimus, ac *Directarios*, de quibus Ulpianus [12]. Sed repugnat nominis etymon, & *Directarii* vocabantur ii qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo, θυρεπανοῖκτ). Nos longius a Dieta Apollinis aberramus, a qua Juriſconſulti noſtri aliquantulum diverterunt. De hac elegans inſcriptio Romæ:

[c] GESTATIO
CIRCINI. EXTERIOR
A. DIETA. APOLLINIS
AD. DIETAM. EANDEM
IN. CIRCVITV. P. ∞. CC
LXXVII. EFF. VIII. M. P. II. ET. P. CC
XLVII. P. M. XII. ET. P. XVIIII
GESTATIO. INTERIOR. A DIETA
EAD. IN CIRCVITV. P. ∞. EFF. V
P. E. LX. M. P. XIII

In hoc viridario geſtari placet, & forte geſtatio noſtra ſolida erit, ſuccolantibus libris, qui ultro ambulationem & geſtationem præbent [13]. Prætereo quæ Juriſconſulti noſtri de his ſcripta reliquerunt, qui geſtandi jus inter perſonales ſervitutes conſtituerunt, de quo late Seneca [14]. Hoc unum dicam, geſtationem fuiſſe locum ipſum & geſtationis ſpatium; geſtabantur enim vel mero pede ambulabant per Circinum ſive circuitum geſtationis, ac dimenſo primum per pedes exteriore vel interiore geſtationis ſpatio, quoties circumeundum illud ſibi eſſet, vel exercitationi ſuæ præfinitos paſſus exigerent, facile computabant. Quod amiciſſimus Rigaltius monuit, mihi magnus Apollo, qui hanc inſcriptionem planam & facilem ſic faciebat, & interpretabatur. *Geſtatio Circini exterior, a Dieta Apollinis, ad Dietam eandem in circuitu pedum mille ducentorum ſeptuaginta ſeptem efficit octies millia paſſuum duo & pedes decem & ducentos. Efficit quadragies ſepties paſſuum millia duodecim & pedes novemdecim. Geſtatio interior a Dieta eadem, in circuitu pedum mille efficit quinquies paſſus, mille & ſexagies millia paſſuum tredecim.* Nempe ut Grammatici tradunt, pedum quinque menſura, paſſus eſt; ex eoque fit ut ſpatium pedum mille ducentorum, ſeptuaginta ſeptem octies exactum, efficiat præterpropter millia paſſuum duo & pedes ducentos decem. Geſtatio exterior eſt circuitus vel ambitus geſtationis exterior, & contra. Mihi certe profuit jactatio animi, dum Dietam Apollinis conſiderabam, quæ hic accipi poteſt pro cubiculo vel cœnaculo, cui nomen inditum fuerat Apollini. Quomodo legimus Lucullum a Cicerone, nec opinantem circumventum, ſervis edixiſſe ut in Apolline cœnam pararent. Malim tamen Apollinis Dietam religionem aliquam habere, & pro Larario illam accipere, cui locum ſuum hoc ipſo libro deſtinamus.

## CAP. V.

### *Fines Templares. Termini Sacrificales. Lapides ſacri. Coronati Rami. Lapis auſpicatus. Lapis divus, ſacer, pertuſus, ſcriptus. Taurobolata Petra.*

LOCA Sacra quammaxime apud antiquos in confinio conſtituebantur [15]. Ab eo *fines templares* & *terminos ſacrificales*, authores limitum nuncuparunt, qui in quadrifinio poſiti, poſſeſſionibus finem faciebant [16]. Hic autem fuit defigendorum terminorum ritus [17], ut cum illos diſponerent, ipſos quidem lapides, in ſolidam terram convocarent, proxime ea loca, quibus foſſa facta defixuri erant, quos unguento velaminibuſque & coronis decorabant. In foſſis illis quibus poſituri terminos erant, ſacrificio facto, hoſtiaque

1 lib. 2. de divinat. 2 2. Æneid. 3 Cic pro dom ſua. a 375. 4. 4 Priſcian. lib. 4. b 40. 4. 5 Varro. lib. 4. de ling. lat. Vitru. lib. 7. in præfat. 6 l. æquiſſimum § ſed ſi Ædium D. de uſufruct. l. Senatus. §. Marcellus. D. de leg. 1. 7 P. Victor de regionib. urb. 8 l. lignis §. lignis. D. de leg. 3. 9 lib. 3. ad Q. fratr. ep. 1. 10 l. continetur D. de Inſt. & inſtru. leg. 11 Paulus lib. 3. ſent. tit. 7. 12 l. ſaccularii. D. de extraord. criminib. c 201. 8. 13 l. plenum. §. 1. D. de uſu. & habit. l. æquiſſimum. D. de uſufruct. 14 epiſt. 15. & 55. 15 Aggen. urbic. 16 Dolabella. 17 Siculus Flaccus.

immaculata cæsa, facibus ardentibus in fossa cooperti sanguinem instillabant, eoque fruges & Thura jactabant, favosque & vinum, atque alia quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adjiciebant. Consumptisque omnibus dapibus igne super calentes reliquias, lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant. Plurimis tamen in locis, Termini Sacrificales, non in confinio positi [1], sed ubi illos potius sacrificii opportunitas poni suaderet. Hos terminos non statim ut finitimos observabant, etiamsi non longe a finibus positi essent. Frequenter enim viæ finiunt, juxta quas arbores solent esse latiores, sub quas defigere terminos sacrificii causa possessores consueverunt. Ex his facile jam videre est, quid sint lapides sacri aut velati, quid arbores coronatæ, quid rami, quibus authorum veterum loci innumeri possent illustrari. *Negant*, inquit Apulejus [2], *se vidisse qui fuerint, ullum saltem in finibus ejus, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum. Quod utrumque viatoribus moram objicere solebat, ut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel Cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus* [3]. Hæc omnia fuere Numinum templa: priscoque ritu, simplicia rura alicui Deo præcellentem arborem dicabant [4], quæ pro Deorum immortalium templo haberetur. Quod ridens Arnobius [5] exclamabat, *Venerabar nuper veteranis in arboribus tænias, si quando conspexeram lubricatum lapidem ex Olivi unguine ordinatum. Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente detrunco.* Recte Arnobius *ordinatum lapidem* scripsit: in cujus lectione nihil immutandum fuit ab eruditis viris, qui malunt *sordidatum lapidem*, quam *ordinatum*. Acute quidem: sed ex Flacco videmus super calentes reliquias lapides conlocatos, credo ordinatos illos & ordinarios: ut ordinaria structura dicitur, quæ media est inter eam, quæ fit ex quadrato lapide, & quæ ex informi cæmento [6].

*Tænias* interpretatur vir & Græcis & Latinis literis pereruditus, in quibus spolia suspensa & Diis consecrata: cum sint illæ Coronæ arborum consecratarum, quæ Apulejo *coronati rami*. Hoc docuit Ennius in *Alexandro: Volans de cœlo cum Corona & tæniis* [7]. Illæ quidem erant ornamentum laneum capitis honorati, ut *tæniosus* κεκιδάτης [8]. Quod ab eodem Arnobio latius exponitur [9]. Ille enim, *Quid lanarum vellera* (quæ sunt teniæ) *quibus arbores colligatis & circumvolvitis stipem? Quid compti violaceis coronis & redimiti arboris ramuli? Quid Coronæ? quid violæ? quid volucra mollium velamenta lanarum?* Inde Lucretio [10] *velatus lapis*, de quo Tibullus [11] poeta:

*Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,*
*Seu vetus in trivio florea serta lapis.*

Hic vero lapis inscriptus erat quadratis uncialibus, qui Γ notatum habebant, a quo *Gammatus* dicebatur. Quod de iis lapidibus accipiendum est, qui prominentiores agrorum limites terminabant, in quibus & aliæ literæ inscriptæ, ut K ex auctoribus limitum didicimus. Authores enim divisionum sanxerunt [12], ut quæcumque loca sacra, sepulchra, delubra, quæque publice essent, ejusdem conditionis essent, cujus ante fuissent: adjectumque iis ut limites iidem Decumani & K aperti populo essent, statueruntque Decumanos & K maximos patentiores esse. Inde *scriptus lapis* dictus Antistio Labeoni [13], quem ita vocari ait in agro Menullino ubi rem divinam faciebant.

Lapides ii qui in fundamentis templorum jaciebantur, sacri & auspicati, non una tantum litera, sed inscriptione fuerunt designati. Fragmentum Romæ:

[a] LAPIS. AVSP. S. Q. CÆCILIO. METELLO
PONT. MAX. SOLLEMNI. CVM
PRECATIONE. PAL. POP. ROM. CON
IECTVS
IN. FVNDAMENTA. PORTICVS. MINER .
AVENTINENS. AB. LATER. COLL . . .
VIC. ARMILVSTR. D . . . .
IN. NVNC. D. AVGVR. AVSPI . . .
TEMPL. CONSECRA . . . . .
M. CASCELL. ÆD. CVR . . . .


De coronatis arboribus & lapidibus unctis, extat Concilii Africani decretum [14], quo iterum placuit ab Imperatoribus peti, ut reliquiæ Idololatriæ, non solum in simulachris, sed in quibusdam locis, vel lucis vel arboribus omnino delerentur. Hoc Arcadio & Honorio Imperat. habitum fuit. Quod ad Karoli Magni tempora duravit, qui superstitionem suis legibus sustulit, quam Galliarum Reges semper oppresserunt. Ille [15]: *Item de arboribus, vel petris, vel fontibus ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicumque invenitur, tollatur & destruatur* [16]. Deinde: *Si in alicujus presbyteri parochia, infideles aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat.*


Qui vero sint *Divi lapides* apud Lampridium [17] non ita vulgatum. Scribit ille: *Lapides qui Divi dicuntur ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto suo in quo id Orestes posuerat, auferre voluit.* Turnebus [18] putat Lapides Divos esse, simulachra Deorum, veteresque inde per Jovem lapidem jurasse. Quod longe a vero est. Optime Casaubonus noster de famoso simulachro ab Oreste & Iphigenia e Taurica ablato, ex Pausania interpretatur. Suspicor ex verbis authoris *ex proprio templo & ex adyto suo*, mutilam lectionem, quam ex ipso Pausania lubens expleo [19]: *Lapides qui divi dicuntur ex proprio templo Dianæ Lyceæ: illam Laodiceæ, ex adyto suo in quod Orestes posuerat, auferre voluit.* Pausanias enim lapidem narrat, qui ante ædem Dianæ Lyceæ jacebat & sacer vocabatur: illumque dicebant esse, super quo Trœzeniorum novemviri Orestem a matris cæde purgaverunt. Τὸν δὲ ἔμπροσθεν τοῦ ναοῦ λίθον, καλούμενον δὲ ἱερὸν, εἶναι, λέγουσιν, ἐφ' οὗ ποτὲ ἄνδρες Τροιζηνίων ἐννέα Ορέστην ἐκάθηραν ἐπὶ τῷ φόνῳ τῆς μητρός. Docet idem author [20] Laodicenses Dianæ simulachrum Braurone avectum impetrasse a Seleuco, & signum Deæ illud esse, quod olim e Taurica Orestes & Iphigenia sustulerunt. Simulachrum prisci operis, Praxitelis fuit illius, qui marmore felix & clarus celebratur [21]. Hoc signum a Divo lapide diversum est: licet lapides olim rudes pro simulachris colerentur, illique quadrati Deorum nominibus & cultu insignes essent. Qualis fuit qui Romam deportatus Pessinunte, quem matrem Deum incolæ esse dicebant. Cui non absimilis fuit lapis Dianæ Paphiæ*. Hic enim non effigie humana, sed continuus orbis latiore initio, tenuem in ambitum metæ modo exsurgebat [22],



1 Frontin. 2. 2 Apolog. 1. 3 Apul. 1. Florid. 4 Plin. lib. 12. cap. 1. 5 lib. 1. 6 Vitru. lib. 2. cap. 8. 7 Festus in verb. Tæniæ. 8 Gloss. vet. 9 lib. 5. 10 lib. 5. 11 lib. 1. eleg 1. 12 Hyginus. 13 Festus in verb. scriptum lapidem. a 39. 5. 14 Concil. Afric. cap. 51. 15 Capitul. lib. 1. §. 64. 16 cap. lib. 7. §. 236. 17 In Elagabal. 18 lib. 30. advers. cap. 16. 19 In Corinthiacis. 20 In Laconicis. 21 Pausan. in Atticis. 22 Tacit. 2. histor.

albæ Pyramidi omnino ſimilis. *Τὸ δὲ ἄγαλμα ὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῷ ἢ πυραμίδι λευκῇ* [1]. Cujus formam ex antiquis duobus numiſmatibus Græcis & gemma retulit Anton. Auguſtinus [2], ingenii artibus Praxitelis opere nobilior præſtantiorque.





E quibus Dianæ Laodiceæ ſignum affabre factum pro informi ſaxo, quale fuit Paphiæ, fruſtra acciperetur: ut nec ſignum illud nobiliſſimum lapis ſacer vocari ullo modo poſſet. Facit Livius [3] ad hanc rem: *Prodigia*, inquit, *nunciata quod in Cruſtumino Sangualis avis ſacrum lapidem quem vocant, roſtro cæcidiſſet*. Quis fuerit ſacer iſte lapis, ex iis quæ paulo ante eodem libro ſcripſit, ſciri poteſt. *Lapidem*, ait, *in agro Cruſtumino in lacum Martis de cœlo cecidiſſe prodigium nuntiatur*. Non dubium eſt, quin lapis iſte lacu extractus, ut ſacer ab incolis aſſervatus, venerationem habuerit & religionem. Unde duplicatum prodigium ab eo quod Sangualem avem Augures Romani magnæ quæſtioni habuerunt [4].

*Sacrum ſaxum* a ſacro lapide diverſum eſt. Illud enim erat ædes in ſaxo excavata [5], quam Apulejus vocavit *Speluncam frondibus inumbratam*. [6]

Lapis pertuſus a P. Victore in ſeptima Rom. urbis regione ponitur. Apud Sext. Rufum male ſcriptum *lacus pertuſus*, mallem *locus pertuſus*. Pertuſum illum lapidem ita perpolio, ut credam eum eſſe qui in loco attacto, cum fulgur conderetur, poſitus fuit. Nefas enim erat locum illum totum integi [7]; ſed ſemper foramine aperto cœlum patebat.

Petra Taurobolata in veteri lapide Romæ nuper reperta eſt, cujus Jac. Sirmondus, mihi pro ſua humanitate copiam fecit: ea hæc eſt.

ÆMILIA
SERAPIAS
TAVROBOLIVM. FECIT
PETRAM. TAVROBOLATAM
POSVIT
PER. SACERDOTE
VALERIO. PANCARPO
IDIB. MAIS. ANVLLINO. II
ET. FRONTONE. COS

*Petra* pro excavata rupe, vel loco manufacto accipitur, ut docet Aelius Gallus [8], quod petræ poſitæ convenire non poteſt, quæ ad rei geſtæ memoriam conſtituta videtur. Taurobolio enim facto petra hæc poſita eſt, quæ nec Ara fuit, cum illa ante Taurobolium factum fuiſſet erigenda. Petra igitur Taurobolata lapis eſt qui ſacrificii monumentum ad memoriam poſteritatis contineret. Et *petram ponere* dictum eſt, ut *Templum ponere* [9], pro *exædificare*, *dedicare*.

Lapides quidem loquor qui cerebrum multis excutient: illos ego ex antiquitatis ruderibus disjectis magno cum labore & quaſi ad Lapidicinas damnatus coacervatos effodi. Scio enim ſcriptorum hujus ævi operibus idem ferme contingere quod ædificiis publicis: ut laudes modicæ, æternæ culpæ ſoleant permanere: atque ſi vel in unum impegerimus lapidem, malevolorum obtrectationibus quaſi de lapide empti dilaceramur. Præcones undique prædicant nos, inepte, imperite, ridicule, perperam authorum ſenſum capere. Ego vero (Antoni præſes clariſſime)

*Nihil moror Lacones imi ſubſellii viros*
*Quibus verba ſunt ſine penu* [10].

Lapides, fateor, non quæſivi, quibus tempeſtas ignisque non noceat, vel qui contra invidiam aut malevolentiam incorrupti permaneant. Leviore materia circumſeptum eſt multorum dierum opus. Quod tamen dirui non patiar, niſi arcæ Pontificum aliquid inferatur, quo jus illorum magis innoteſcat. Alioqui Muſarum interdicto tuisque auſpiciis, quoquo modo potero, poſſeſſionem meam defendam.

---

## CAP. VI.

*Templorum ædificandorum ratio diverſa. Adtributa, areæ, piſcina, fores, aræ, tripodes, menſæ.*

TEMPLORUM ædificandorum non una eademque ratio fuit, ſed ex triplici natura Deorum petebatur, qui aut fortes ſunt, aut delicati, aut medii [11]. Fortibus, ut Marti, Herculi, Minervæ, ædes Doricæ ſeverioris ſtructuræ conſtitutæ ſunt. Delicatis, ut Veneri, Proſerpinæ, Floræ, Corinthio genere, propter teneritatem operis factæ ſunt. Mediis, ut Junoni, Dianæ, Baccho, conſtructæ Jonicæ, nec florida ſtructura nec ſevera. Horum omnium adtributa ſunt areæ quæ ſacris domibus aut publicis locis deſtinatæ. Hæ uſui publico, foro, reliquiſque locis communibus conſtitutæ ſunt, ut area Callidii, area radicaria [12] & ſimiles. Quæ ſunt loca in urbe ſine ædificio, ait Florus Juriſconſultus [13].

1 Maximus Tyrius ſermon 38. 2 Dialog. 5. numiſ. vet. 3 lib. 29. & 41. 4 Plin. lib. 10. cap. 7. 5 Cicer. pro dom. ſua. 6 Apule. 1. Florid. 7 Feſtus in verb. Scribonianum. 8 Apud Feſt. in verb. petra. 9 Virgil. 6. Æneid. 10 Plautus in captiv. 11 Vitruvius lib. 1. cap. 2. Philander lib. 4. cap. 3. 12 P. Victor in 6. & 12. urb. reg. 13 l. 2. 1. D. de. ver. ſig.

Quo magis miror Alciatum illius commentatorem, qui aream in urbe nisi per translationem appellari arbitratus est. Ab areis *ara* Deum dicta [1]. Tarquinius Priscus aream ad ædem in Capitolio Jovis, primus vovit bello Sabino [2]. Discretæ autem fuerunt areæ ab ædibus sacris. De quarum opportuno loco Vitruvius [3]: *Jovi*, inquit, *Junoni & Minervæ, in excelsissimo loco, unde mœnium maxima pars conspiciatur, areæ distribuantur: Mercurio in foro, aut etiam uti Isidi & Serapidi in emporio: Apollini Patrique Libero secundum Theatrum; Marti extra urbem sed ad campum; cæterisque Diis ad Sacrificiorum rationes sunt distribuendæ*. Areæ ergo templorum partes non fuerunt, sed appendices & adtributa, quæ proprie dotes templorum dici possunt. In his venales hostiæ proponebantur, cæteraque quæ ad sacrificia pertinebant. M. Tullius clare [4]: *An cum in Æquimelium*, inquit, *misimus, qui afferret agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non casu, sed duce Deo servus educitur*; Æquimelium domum Sp. Melii in aream complanatam esse vulgatius est, quam moneri quemquam oporteat: cujus substructionem T. Quintius Flaminius, & M. Claudius Censores locaverunt [5]. *Substructionem* voco structuram & fabricam, quæ ea fuit super Æquimelium ut tecto solum tegeretur ad arcendas emptoribus venditoribusque cœli injurias, quibus antea exponebantur [6]. De area illiusque legibus, Lapis Romæ vetus, qui multam vetustate ipsa suavitatem habet;

[a] HÆC. AREA. INTRA. HANC. DEFINI
TIONEM. CIPPORVM. CLAVSA. VERV
BVS. ET. ARA. QVÆ. EST. INFERIVS
DEDICATA. EST. EX. VOTO. SVSCE
PTO. QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM
NEC. REDDITVM. INCENDIORVM. AR
CENDORVM. CAVSA. QVANDO. VRBS
PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIA
NIS. TEMPORIBVS. ET. HAC. LEGE
DEDICATA. EST. NE. CVI. LICEAT. IN
TRA. HOS. TERMINOS. AEDIFICIVM
EXTRVERE. MANERE. NEGOTIARI
ARBOREM. PONERE. ALIVDVE. QVID
SERERE. ET. VT. PRAETOR. CVI
HAEC. REGIO. SORTI. OBVENERIT. LI
TATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS
MAGISTRATVS. VOLCANALIBVS. X.
KAL. SEPT. OMNIBVS. ANNIS. VITVLO
ROBIO. ET. VERRE

Alius est Narbonæ:

[b] Q. VIBIVS. Q. F. MAXIMVS
N. VARVS. L. CAPITO
PR. II. VIR. ARAM. VOLCANO
MACERIAQ. AREAM
SAEPIENDAM. PISCINAM
QVE. EX. D. D
DE. PECVNIA. PVBLICA
FACIENDA. COER
Q. VIRBIVS. Q. F. MAXIMVS
PROBAVIT

Secundam hanc inscriptionem priori adtexui, quod in ea, piscina areæ conjuncta est. *Piscinam* pro ἰχυετροφείῳ vivario in quo pisces adservantur, frustra hic acciperemus. Est enim δεξαμενή, ὑδάτων δοχεῖον [7] aquarum receptaculum, ad sacrificiorum usum, quibus aqua viva maxime necessaria [8]. Piscinam vero hanc vivam aquam habuisse & perpetuam causam, exploratum est, quod Narbonæ cum area constructa sit. Quæ Civitas interno mari alluitur aquarumque penuria in urbe aquæductibus sublevatur.

Ab areis ad Atria transeamus, quæ sunt genus ædificii ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendebat [9]. Atria sacra tria Romæ nobilissima. Vetustissimum fuit Atrium libertatis, fuit Minervæ & Vestæ celeberrimum [10].

Templorum autem interiora, picturis, aris, simulachris commendantur. De picturis M. Tullius [11]: *Pugna*, inquit, *erat Equestris Agathoclis regis in tabulis picta præclare. His autem tabulis interiores templi partes vestiebantur, nihil illa pictura nobilius*. Sic L. Scipio [12] tabulas victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuit: & T. Sempronius Gracchus, cum prospere adversus Pœnos ad Beneventum pugnasset, servorum maxime opera, quos liberos esse jussit: digna res visa est, ut simulachrum hujus diei pingi juberet in æde libertatis [13], quam pater ejus in Aventino ex mulctatitia pecunia, faciendam curaverat & dedicarat. Nec vero interiores templi partes solum, sed fores ipsæ & aditus picturis & versibus exornati [14].

His reseratis foribus occurrunt aræ & statuæ. Illæ quidem ad orientem spectabant, & semper inferiores simulachris fuere [15]. Harum altitudines sic sunt explicatæ, ut Jovi omnibusque cœlestibus excelsissimæ: Vestæ, Terræ, Marique humiles in mediis ædibus constituerentur. Uni autem Deo in templo aræ variæ, & ad minimum tres extructæ: semperque impari numero Superis, Inferis pari. Prima quidem ara in medio templi, simulachro inferior: secunda pro foribus ubi victimæ immolarentur: tertia, quæ forte Anclabris [16], mensa quæ in sacrificando Diis anclatur, quod est, hauritur, ministraturque. A qua *Anclator* ὑπηρέτης [17] minister. Quidam monebat tertiam hanc aram infimam dici, Ciceronis [18] fretus loco, qui ait: *Cum Sulla in agro Nolano immolaret ante Prætorium, ab infima ara subito Anguis emersit*. Sed infima ara pro ima parte aræ accipi debet [19]. Prima ara Deum superorum fuit *Altare* ab altitudine dicta. Nam inferis Diis altaria nunquam: Aræ vero Diis superis, inferis & terrestribus consacratæ [20]. Quare recte D. Augustinus [21]: *Cur fides*, inquit, *Dea credita est, & accepit ipsa templum & altare?* In altaribus ignis adoletur [22], atque, ut ait Arnobius [23], *Thura injiciuntur altaribus ante ipsa numinum signa*: in aris nihil adoletur, sed crematur & consumitur. *Adolere* enim est proprie igne puro, thure & precibus Deos ad altaria placare. Ut in Paphiæ Veneris templo tradunt sanguinem aræ effundere veritum, sed igne puro altaria adolere [25]. Quod proprium Sacerdotum fuit, sacrificio ad aram peracto. Tum enim adolere focos dicebantur, hoc est votis & supplicationibus incenso thure numen auctius facere [26]. Altaris infra simulachrum formam habemus in nummis Domitiani;


1 Varro lib. 4. de ling. lat. 2 Livius lib. 1. 3 lib. 1. cap. 7. 4 lib. 2. de divinat. 5 Livius lib. 4. & lib. 38. 6 Vitruvius lib. 5. cap. 3. a 61. 3. b 61. 5. 7 Hesychius. gloss. vet. 8 Virgil. 2. Æneid. 9 Festus in verb. Atrium. 10 P. Victor in 8. Reg. 11 Act. 4. in Verrem. 12 Plin. lib. 25. cap. 4. 13 Livius lib. 24. 14 Cicer. pro. Arch. poet. Virg. 1. & 6. Æneid. 15 Vitruv. lib. 4. cap. 8. 16 Festus in verb. Anclabris & in verb. Escariæ. 17 Gloss. vet. 18 lib 1. de divinat. 19 Val. Max. lib. 1. cap. 6. 20 Servius eclog. 5. & 3. Æneid. 21 lib. 4. de civit cap. 20. 22 Festus in verb. altaria. 23 lib. 7. 24 Serv. 1. Æneid. 25 Tac 2. hist. 26 Lactant. 1. Thebaid.




*Altaria* tamen pro *aris* etiam usurpantur. Sic Aristeas [1] altare cum fumario narrat, quo incensæ hostiæ fumus evanesceret. Funarium illud qua ratione constructum fuerit minus mihi notum. Nam Aræ sub Dio aut pro templi vestibulo ædificatæ. Extra templum in nummis Augusti ara signata est:




Et circa Aras immolabantur hostiæ, quarum sanguine illæ tingerentur extaque cremarentur aræ ipsius focis. Atque ut hostiarum cruor dilui posset, ad aræ basim frequentes fistulæ erant, quarum fluxu atque impetu continuo pavimentum lavaretur atque purgaretur. Aræ autem sine sacris ædibus extant plurimæ, quæ a P. Victore referuntur. Ara & statua in iisdem Augusti nummis visitur:




Ad has & sacrificia fieri Plautus docet [2]:

*Siquidem mihi statuam & aram statuis,*

*Atque ut Deo mihi immolas bovem.*

Quin aræ hujusmodi suos habuerunt sacerdotes. Vetus lapis:

. . . . . .

M. ANTONIVS
EQ. R. DEC. M. APVL
SACERDOS, ARÆ
AVG. N

Signum Phetrium cum ara ex iisdem inscriptionibus occurrit Romæ.

SIGN. GENIO
VESBINVS. AVG. L
PHETRIVM
AVGVSTALIBVS
CVM. AR. GENI
MVNIC. CÆRIT
DONVM. DEDIT
DEDIC. II I. ID. IVN
Q. MINNIO. HASTA
P. MANILIO. VOPISCO, COS

En Phetrium Augustalibus, cum ara Genio Municipii. Et *Phetrium* pro *Phatrium*, *φάτρειον* locus in quem conveniunt Curiales, *τόπος ἐν ᾧ οἱ τῆς αὐτῆς φατρίας συνήγοντο*, ex Eustathio [3]: cui verbo ῥ literam postea additam tradit. Julius Pollux; *φράτρειον ἐκαλεῖτο, ἱερὸν εἰς ὃ συνῄεσαν*, & *φρατρία*.

Fuerunt aræ privatæ, quas quisque in suo statuebat, quales in antiquis inscriptionibus produntur multæ, quæ aut funebres aut honorariæ. Quarum nullæ religionem ipsi loco adferebant, nisi essent consecratæ. Consecratio autem ex lege Papiria Comitiis Curiatis permittebatur [4]. Quod quidem posterioribus temporibus exoluit, quibus aræ adstante sacerdote dedicabantur. Lapis Romæ:

[c] ARA. POSITA. ASTANTE. SACERDOTE SEX
CREVSINA. SECVNDO. VT. VOLVERANT. MA
XIMVS. ET. MAXIMINVS. FILI. IMP COMM
ODO. AVG. PIO. FELICE. IIII. ET. VICTORINO. II. COS

Sed de Aris ea habeo dicere, non quæ templa veterum, quæ dudum vitium fecerunt, aliqua ex parte restituam; sed ut ex rutis cæsis recipiam aliquid, quod ornandi causa apte & loco positum videatur. Ara fuit Romæ in Capitolio [5], ab Augusto posita, cum ipse Pythium Apollinem consuluisset, quis post se esset regnaturus. Cui ille: *Puer hebræus Diis beatior imperans jubet me hanc ædem relinquere*, Augustus ab Oraculo reversus, in Capitolio erexit aram Romanis literis inscriptam:

HÆC. EST. ARA. PRIMOGENITI. DEI

Alia est inscriptio quam ponendam curaverunt Septimius & Antonius, Aurelio Septimio Romano militi:

DEO. QVI. EST. MAXIMVS

Nota est quæ Athenis in Areopago ΑΓΝΩΣΤΩ. ΘΕΩ. [6]. Huic Deo vero & maximo qui mihi cognitus ex fide est, Pontifici facto in æternum, cujus templum sumus, quod sanctum est, meritos honores reddere ecquid possum? Ita mihi sit volens propitiusque ut ex falsæ religionis spoliis illius gloriæ trophæum statuere, atque ex falsis vera cernere concupisco. Nam primus sapientiæ gradus est falsa intelligere [7]: secundus vera cognoscere, quæ antiquitatis ignoratione novis opinionum præstigiis nimis heu! nimisque læduntur. Nos vero hoc agamus, & de aris reliqua absolvamus, quarum vicem retinuerunt tripodes Apollini sacri, ut crudele Diocletiani factum demonstrat,

1 ad Philocratem. 2 In Asinar. a 89. 13. b 215. 1. 3 Iliad β. 4 Cic. pro dom. sua. d 129. 6. 5 Suidas in verb. Αὔγουστος. d 17. 9. 6 Act. 17. 7 Lactant. lib. 1. Instit. cap. 23.

monſtrat [1], qui Nicomediæ cum Chriſtiani in natali domini conveniſſent, Januas eccleſiæ claudi juſſit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure pro foribus poni, ac præconem magna voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent & Jovi thus adolerent. Sed ſpretis ignibus, eo die omnes naſci meruerunt in cœlis quo Chriſtus in terris, pro generis humani ſalute. Salus quidem certe illa falſo in nummis Auguſti Triumviris attributa, cum Tripode, humi adſidente concordia, quæ ab iis Rem. evertentibus proſtrata penitus langueſcebat.




Menſæ quoque in templis ſi dicatæ erant ararum vicem præſtabant. Et menſe arulæque, ut in Papyriano jure relatum eſt, eodem die, quo ædes ipſa, dedicari ſolebant [2]. Unde menſa hoc ritu dicata in templo, aræ uſum & religionem obtinebat pulvinaris, de quo mox dicturi ſumus, cum de cæteris templorum ornamentis. Super menſam hanc vinum libabatur, ut ſuper aras victimæ libatio fiebat. De Aris Arnobius [3]: *Altaria*, inquit, *ſuper ipſa libamus, & venerabile viſcus Carbonibus excitamus extinctis*. Ita lego non ut vulgus *miſcus*, cujus loco Gelenius repoſuit *Cniſſas*, alii quærendum aliquid putaverunt, quod in ipſo authore eadem pagina invenitur. Ille enim: *ne male transvoratum ſubſtiterit viſcus, ſuccurrite*. Et paulo poſt, *ſi aliquod viſcus, aris fuerit traditum, diſſolutum in cinerem labitur*. Suetonius de Vitellio [4]: *Homo ſordidæ gulæ ne in ſacrificio quidem unquam aut itinere ullo temperavit, quin inter alaria ibidem ſtatim viſcus & farra pene rapta foco manderet*. Viſcus ergo ἰξὸς ea pars eſt hoſtiæ, quo omento & adipe operiebatur, ſupraque aram cremabatur.

Menſas Sacras Dionyſii tyranni impietate pudet onerare, hic argenteas de omnibus delubris juſſit auferri, in quibus more veteris Græciæ ſcriptum erat BONORUM. DEORUM. Uti ſe eorum bonitate velle dicebat, ait Tullus [5], quos tandem vindices eſt expertus. Obrutam vetuſtatem ( Antoni Præſes ampliſſime ) ut poſſum eruere conor. Neque enim eo quo pervenire cupio ſemitæ tritæ, multaque properantem me retinent & abducunt, quæ forte currentes alios poterunt retinere aut incitare.

## CAP. VII.

*De ornamentis & parietibus templorum, imaginibus & ſtatuis.*

ORNAMENTA templorum fuere plurima & eximia, inter quæ ſtatuæ & imagines primum ſibi locum poſſunt jure vendicare. Harum enim cauſa templa fere omnia ſtatuta ſunt,

A quorum conſecrationem in librum ſequentem rejecimus. De illa tamen hoc loco tractandum aliquid eſt. Atque ut arbores in confinio poſitæ in utroque agro facile ſerpunt: ſic res omnes quæ Pontificum jura continent, faciles in quovis loco radices agunt, & ſæpius effoſſæ, uberiores quandoque fructus ferunt. Imagines conſecratæ fuerunt aut honorariæ aut privatæ. Recte Martianus Juriſconſultus [6] docet: *Non contrahere crimen majeſtatis eum qui imagines Cæſaris vendidit, nondum conſecratas*. In quo diutius non immorarer, ni vir cujus mihi recordatio & memoria amore literarum ſemper jucunda erit, paulo imprudentius prudentiores noB ſtros eſſet inſectatus. Scripſit Tacitus [7]: *Falanio objectum, quod venditis hortis Auguſti ſtatuam ſimul mancipaſſet. Quæ ubi Tiberio notuere, ſcripſit Conſulibus non ideo decretum patri ſuo cœlum, ut in perniciem civium is honos verteretur. Nec contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia numinum ſimulacra, venditionibus hortorum & domuum accedant. Rideamus & eo magis rideamus* (inquit vir ille alioquin non intemperans) *quod Juriſconſulti repertum etiam aliquod diſcrimen hac in re tradunt. Jure exagitat purpuratos illos ſtipites Tertullianus*. Itane, inquam? Ecquis hoc expectaſſet ab homine politioris literaturæ? rideamus! Ego vero hominis imperitiam C in aliis peritiſſimi in ſtomacho riderem, dum pueriliter lapſus eſt. Nam Imperatorum imagines ut Deorum, aut ſacræ erant aut honorariæ aut privatæ. Privatæ domi affixæ, domus portio ſunt [8], licet plerumque ornatus ædium cauſa paratæ ſint: atque tanquam pars ædium vendi poterant. Privati enim juris erant. Sacræ aut honorariæ, ſine crimine majeſtatis non poterant. Nam imagines & ſtatuæ in honorem principum publice poſitæ, publici Juris erant [9], extra privatorum commercium. Sacræ enim divinitatis creditæ ſunt participes, & a nullo ſine ſcelere tractari potuerunt. Nam cum D proximum eſſet ſacrilegio majeſtatis crimen [10], qui ſtatuas principis conſecratas vendiderat, & lege Julia majeſtatis tenebatur, & ſacrilegii & peculatus. Divi enim Imperatores ad fidem numinis conſecrabantur, Diique ipſa ἀποθεώσει credebantur [11]. Hæc mentem Tertulliani explicant, qui teſtis in Juriſconſultos advocatur, cum eſſet ipſe Juriſconſultiſſimus. Jam ergo quomodo illos agitarit, videamus. *Publicos*, ait Tertullianus [12], *æque publico juro fœdatis. Si Capitolium, ſi olitorum forum petitur, ſub eadem voce Præconis, ſub eadem annotatione quæſtoris divinitas addicta conducitur. Dii vero qui magis tributarii magis ſancti. Imo qui magis ſancti magis* E *Tributarii. Majeſtas quæſtoria efficitur; circuit Cauponas Religio mendicans; exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri; non licet Deos noſſe gratis, venales ſunt*. Omitto quæ Franc. Zephyrus pluribus verbis ad hujus loci explicationem attulit, qui inter manubias Deos captivos veniiſſe ſuboluit. Sed de conductione Tertullianus agit, non de venditione. Utramque nos breviter attingemus. Inter vectigales Deos & tributarios Tertullianus diſcrimen conſtituit. Nam ut Tributum a Cive Romano conferebatur, Tributumque Imperatori [13]. F Ita dii Tributarii dicti ſunt quibus populus ultro ſtipem inferret, & Venales, quod illorum favor pretio aliquo pararetur. At vectigales dii populi RO. non fuerunt, quos ab authore ſic vocatos certum eſt, quod illorum Agri publicanis locarentur, ni lege cenſoria eſſent excepti [14]. Vectigalia locare nuſquam licebat niſi Romæ [15]. Quæ a Civibus Rom. non exigebantur, niſi Portorii nomine,



1 Martyrolog. 25.dec. 2 Macrob. 3. ſat. cap. 11. Serv. 8. Æneid. 3 lib. 7. 4 In Vitel. cap. 13. 5 Cicer. 3. de nat. deor. 6 l. 5. & 6. D. ad l. Jul. majeſt. 7 lib. 1. Annal. 8 l. 12. §. Papinianus D. de inſtr. & inſtrum. leg. l. 45. D. de Verb. ſig. 9 l. 41. de acq. rer. dom. 10 l. 1. D. ad leg. Jul. majeſt. l. 5. D. ad leg. Jul. pecul. 11 Herodian. lib. 4. 12 In Apolog. cap. 13. 13 Varro lib. 4. de ling. lat. 14 Cicer. 3. de nat. deor. 15 Cic. 2. in Rul.

vel Decimarum, vel Scripturæ, vel Salis, vel Viceſimæ. Quare *vectigales dii* dicti ut *vectigales agri*, qui & ipſi plerique ex hoſtibus capti vectigalibus ſubjiciebantur [1], ut illorum ſtatuæ & imagines ex hoſtibus captæ, nullam amplius religionem, nullam venerationem habebant, venaleſque jure haberi poterant ut profanæ. Nam cum loca eſſent capta ex hoſtibus, omnia deſinebant religioſa vel ſacra eſſe, meritoque in fiſcum cogebantur [2].

Ambracia capta M. Fulvius in Senatu accuſatus, quod templa tota urbe ſpoliaſſet ornamentis, ſimulachra Deum, Deus demum ipſos convulſos ex ſedibus ſuis abſtuliſſet, parietes poſteſque nudatos, & quos adorarent, ad quos precarentur, & ſupplicarent, Ambracienſibus non ſupereſſe [3]. Cum hæc agerentur, C.Flaminius Conſul Fulvii abſentis cauſam excepit. *Ambraciam*, inquit, *oppugnatam, & captam & ſigna inde ornamentaque ablata & cætera capta, quæ captis urbibus ſoleant, negaturum aut me pro M.Fulvio, aut ipſum M.Fulvium cenſetis? P.C. Qui ob has res geſtas triumphum a vobis poſtulaturus ſit. Ambraciam captam ſignaque quæ ablata criminantur & cætera ſpolia hujus urbis ante currum laturus & fixurus in poſtibus ſuis.* Q. Fabius qui Tarentum recepit, cum a quæſtore rogaretur, quid de Diis Tarentinorum fieri placeret: *Linquamus*, ait, *Tarentinis Deos ſuos iratos* [4]. Herculis tamen ſtatuam Romam tranſportavit, qui omnia ſigna eodem jure potuiſſet. M.Marcellus humanior, qui Syracuſis captis, ſigna picta, quibus interiores templi partes veſtiebantur, cum victoria ſua profana feciſſet, tamen religione impeditus non attigit [5]. In poteſtate igitur Imperatorum fuit urbibus captis victarum gentium Deos aut illis relinquere aut amovere & uſibus ſuis applicare. Hoc querebatur M. Cato [6] in oratione quam ſcripſit, *uti præda in publicum referatur. Miror*, inquit, *audere & religionem non tenere, ſtatuas Deorum, exempla earum facierum, ſigna domi pro ſupellectile ſtatuere.* Hoc Virgilius [7], Juris Pontificii peritiſſimus in Turni precatione obſervavit;

*- - - - Colui veſtros ſi ſemper honores*
*Quos contra Æneadæ bello fecere profanos.*

*Profanum* enim proprie dicitur, quod ex religioſa re, in hominum uſum convertitur & *profanum* eſt quod ſacrum fuit & eſſe deſiit.

Mihi iſthæc ſcribenti occurrit, quod in Chronicis Belgarum, de Adolpho Imperatore aliquando notavi. Qui cum inconſultius Philippo Galliarum Regi ſcriberet, ab Arebatenſi Comite Regio nomine hoc reſponſum ſolum accepit; *Germane nimius es*. Et nimius forſan ego, ex nimio otio, non odio: pax enim mihi cum mortuis, & cum viro præſertim illo, qui non ſine magno rei literariæ funere, vita fruitur certiore. Sed quicunque alius juris authores verbo violarit, videns vivuſque ille pereat.

Sacras imagines vel ſtatuas quas εἴδωλα nuncupamus, divino afflatas numine, veteres Romani crediderunt, illaſque ut Deos ipſos ſunt venerati. Quod tamen prudentiores illius ſæculi reſpuiſſe, vel unus Tullius teſtis eſſe poteſt [8]: *Quis*, ait ille, *tam cæcus in contemplandis rebus unquam fuit, ut non videret ſpecies iſtas hominum collatas in Deos, quo facilius animi imperitorum, ad Deorum cultum a vitæ pravitate converterent, aut ſuperſtitione, ut eſſent ſimulachra quæ venerantes Deos ipſos adire crederent?* Quod idem Agrippina Tiberio ſacrificanti objiciebat [9]: *Non enim ejuſdem*, ait, *eſſe mactare D. Auguſto victimas, & poſteros ejus inſectari. Non in effigies mutas divinum ſpiritum transfuſum.*

## CAP. VIII.

*Simulachra, Signa, Sigilla, Clypei.*

SIMULACHRA lignea aut fictilia potius in Delubris Diis dicata uſque ad Aſiam devictam Plinius narrat [10]. Agnoſcit tamen Romæ ſimulachrum ex ære factum Cereri primum ex peculio Spurii Caſſii trecentis annis ante Aſiam devictam. Damnatus etiam Spurius Caſſius Tit. Sicinio & C. Aquilio Coſs. anno urbis CCLXVII. Bellum Aſiaticum indictum & confectum L. Cornelio Scipione & C.Lælio Coſs. Anno DLXIX. Recte ergo ſcripſit Plinius *potius* quod non ita frequens erat ad illam ætatem. M. Varro [11], *Quid inter hos Joves*, ait, *interſit, & eos qui ex marmore, ebore, & auro fiunt poſſumus advertere, & horum temporum divitias & illorum paupertates.* Tale fuit celeberrimum illud Dianæ Epheſiæ ſimulachrum, quod alii ex ebore fuiſſe tradiderunt. Alii, ut Martianus ter Conſul ex iis qui proxime viſo eo ſcripſerunt, vitigineum & nunquam mutatum, ſepties templo reſtituto [12]. Quod ideo dico ne quis marmoreum illud ſimulachrum ſibi fingat, ut hodie prædicatur: quod alii ex cedro prodiderunt [13], omneſque in eo conſenſere, ut ligneum illud adfirmarint.

Simulachra pro ſtatuis conſecratis: ſtatuæ pro honorariis poni ſolent: quæ ab authoribus confunduntur. Illarum vir politiſſimi [14] ingenii hanc attulit differentiam, non vulgarem, *Ut quæ Diis fiebant ſint* εἴδωλα; *quæ Heroibus* ξόανα; *quæ regibus* ἀνδριάντες; *quæ ſapientibus* εἴκελα: *quæ bene meritis viris* βρέτεα.

Honorariæ ſtatuæ decreto ſenatus poſitæ ſunt Romæ: in municipiis decreto Decurionum. Cum imaginem quandam Auguſto Livio dedicare ſtatuiſſet, Tiberius non permiſit, niſi ex Senatuſconſulto [15]. Poſtea vetuit Caligula viventium cuiquam uſquam ſtatuam aut imaginem niſi conſulto ſe, & authore poni [16]. Hunc poſteriores Principes ſequuti. Nam ad poſtulationem civitatum, illorum reſcripto ſtatuæ ponebantur benemeritis: Principi vero non niſi beneficio ab illo impetrato [17]. Honos maximus ſtante Rep. fuit ſtatua in Roſtris aut in foro poſita [18]. Hic primum mos fuit apud Græcos, qui paulatim apud omnes gentes invaluit, ut honorem hominibus habitum in hujuſmodi monumentis nonnulla religione Deorum conſecrari arbitrarentur [19]. Romæ tamen ſtatuæ honorariæ nihil religionis habuerunt [20]. Ideoque illas ut fana quæ a populo, aut privatis Auguſto facta ſunt, Tiberius dedicavit, partimque ſacranda Pontificibus dedit [21]. Statuæ in antiquis inſcriptionibus frequentiſſimæ, in quibus honoris loco fuit, vel loco illius adſignatur. Atque in illarum dedicatione panis & vinum epulantibus datum. Signa ejuſdem generis fuerunt, quæ aut ſacra aut honoraria aut privata. De privatis hoc unum moneo, antiquitatis amatores ea tanti precii feciſſe, ut in auctione ſignum æneum non magnum LLS. CXX. millibus vænierit [22]. Nam qui modus eſt in his rebus cupiditatis, idem eſt æſtimationis. Eorum tamen tanta erat copia, ut tria millia in ſcena M. Scauri Ædi-

1 Hygin. lib. 2. 2 l. 35. D. de relig. & ſumpt. fun. l. 4. D. de ſepulchr. viol. l. 31. D. de jur. fiſc. 3 Livius lib. 38. 4 Cicer. de Senect. 5 Cicer. act. 4. in Ver. 6 Priſcian. lib. 6. 7 12. Æneid. & ibi Serv. 8 Act. 4. in Verrem. 9 Tacit. lib. 4. Annal. 10 lib. 34. cap. 7. 11 lib. 11. de vet. pop. Rom. apud Nonium. 12 Plin. lib. 16. cap. 40. 13 Vitruv. lib. 2. cap. 9. 14 Philand. ad Vitruv. lib. 2. cap. 8. 15 Dio lib. 57. 16 Sueton. in Calig. cap. 34. 17 l. 26. C. de Epiſcop. apud l. 1. C. de Stat. & Imag. 18 Cicer. Philip. 5. 19 Cic. act. 7. in Verr. 20 l. ſtatuas. D. de acq. rer. dom. 21 Dio lib. 57. 22 Cic. act. 9. in Ver.

litate visa sint [1]. In nostra Gallia Paulus Petavius Senator, cujus benevolentiæ signa multa habeo, plurima habet exquisita, quæ multo pretio æstimari possunt. Et vix scio an quis alius, ubi sit, antiquitatis supellectilem habeat ampliorem. Simulachra Corolitica in antiquis lapidibus dedicata sunt. Præneste:

[a] FORTVNÆ  
PRIMIGENIÆ  
TI. CLAVDIVS  
THERMODON. ET  
METIA. M. F  
LOCHIAS. EIVS  
SIMVLACHRA. DVO  
SPEI  
COROLITICA. D. D

*Lochias* verbum tractum a Græco λοχεία, ἡ τῶ τεκεῖν ἐπιμέλεια [2], *Obstetrix quæ partum accelerat*. Sic multa Græcorum vocabula corrupta in has inscriptiones irrepserunt, ut supra de Phetrio notabamus. *Corolitica* vero simulachra dicuntur forte a Corollis & ornamentis florum frondiumque, quibus Columnæ queis simulachra innitebantur, coronario luxu decorantur, foliis flores & fructus intercursantibus. Ni quis malit ex Jac. Sirmondi conjectura legere CORALITICA. quod genus est lapidis in Asia ebori simile [3]. Quod ut probabile est, sic utrumque venustum. Quare ut Sirmondi conjecturam amplector, sic a mea interpretatione non discedo. Honorariæ imagines habuerunt tamen nonnullam aliquando religionem, quemadmodum quæ in templis ponebantur: ut Scipioni in Capitolio, atque in ipsa Jovis cella [4]: Catoni superiori in Curia: nonnullis in cubiculo principis [5], quæ cubiculares & ab ipso principe coli solitæ, quæque etiam suos habuerunt cultores, quos inscriptiones loquuntur. Romæ:

[b] IMAGINVM. DOMVS  
AVG. CVLTORIB. SIGNVM  
LIBERTATIS. RESTITVTÆ  
SER. GALBÆ. IMPERATORIS. AVG  
CVRATORES. ANN. SECVNDI  
S. P. D. D

Hoc quidem de imaginibus, statuis, simulachris, signis adumbrasse sat est. Nam qui illa omnino pingere aut effingere vellet, ea est colorum varietas & formarum, ut Heracleoten, Zeusim, Phidiam possit æmulari aut adæquare, vel etiam superare. Unum pene obmiseram, signa illa non in templis solum & lucis dicata, sed in ipsis urbium portis [6] collocata.

*-- tum portas propter ahæna*  
*Signa manus dextras ostendunt attenuari*  
*Sæpe salutantum tactu* [7].

Illa quidem vestibus induta fuisse docet Varro [8]. *A quibusdam*, ait, *dicitur ess virginis fortunæ simulachrum, ab eo quod duabus undulatis togis est opertum*. Vestes illas ex ipso lapide expressas credit vir doctissimus: cujus opinio a Tertulliano refellitur; *Nam ipsis Idolis prætextæ & Trabeæ, & laticlavi, fascesque & virgæ præferebantur* [9].

*Sigilla* sunt parva signa in suis ædiculis posita, nos *Nichias* dicimus quasi parietum honestamenta [10].



A Quæ & *Sigillaria* & *sigilliola* [11], quos etiam Deos censebant, si essent consecrata.


Clypei imaginum prominentia commendantur. *Clupeum* armorum, *Clypeum* imaginis dicunt Grammatici [12]. Alii *Clupeum* ἀσπίδα, *Clypeum* ornamentum. Nos verbis non inhæremus diutius: satiusque est hoc unum scire Clypeos in sacro vel publico loco dicare, primum Appium Claudium instituisse. Posuit hic in æde Bellonæ majores suos, placuitque in excelso spectari & honores eorum legi. *Decora res*, inquit Plinius [13], *utique si liberorum turba parvulis imaginibus, seu in nidum aliquem sobolis ostendat*. Apud omnes nomen magnum Martii ducis:
B Monumentum Victoriæ ejus de pœnis usque ad incensum Capitolium fuit in templo, cum imagine Asdrubalis, Clypeum Martium appellatum [14]. De Clypei dedicatione vetus lapis:

[c] NESTORI  
AVG. NEPETE  
HIC. LVDOS. FECIT  
ET. DEDICATIONE  
STATVÆ. PATRONI  
QVAM. IPSE. POSVIT  
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM  
MVNICIPIBVS. NEPESTINIS  
C EPVLVM. DEDIT

Ab hac alia inscriptio castigari potest. Nemausi:

[d] D. M  
CAIVS. DEDICA  
TIONEM. ET  
CLYPEI. SIMPI  
DEDIT

Pro SIMPI reponendum SUI EP. quod est *Clypei sui epulum dedit*. Illud cum notis scriptum esset, facile cohærere literæ male potuerunt. Hæc tamen
D excitatio magis sit quam castigatio. Clypeorum forma, qui frequentius in Basilicis ponebantur, ex nummis Augusti & M. Lepidi hæc nobis datur;




E

## CAP. IX.

*Sacrarium, Donarium, Tholus, Lectisternium, Pulvinar, Fastigium, Sacri postes, Aulæ.*

F TEMPLORUM partes & ornamenta reliqua absolvamus, quæ cæmentitias a nobis structuras, non quadratos lapides quærunt. *Sacrarium* locus erat in templo in quo sacra repone-

I ij

1 Plin. lib. 34. cap. 7. a 79. 6. 2 Jul. Pollux. 3 Plin. lib. 36. c. 8. 4 Val. Max. lib. 8. cap. 16. 5 Sueton. in August. cap. 7. Tertul. lib. de orat. cap. 12. & lib. advers. Valentin. cap. 12. b 238. 12. 6 Cicer. de provinc. consularib. 7 Lucret. lib. 1. 8 Apud Non. in verb. undulatum. 9 lib. de idololatr. cap. 18. 10 l. fundi §. si ruta. D. de act. empt. 11 Arnob. lib. 6. 12 Cornel. Fronto de differ. voc. Caper de Ortograph. 13 lib. 35 cap. 3. 14 Livius lib. 25. c 441. 7. d 496. 4.

rentur : *Donarium* ubi collocarentur oblata : *Tholus* in quo suspenderentur [1]. *Sacrarium* igitur ἱεροθήκη, Ναϊσκάειον [2], præcipua pars templi, τόπος χυειώτατος, locus in quo sacra instrumenta, effigiesque sacræ adversabantur, ut Palladium, Penates, aliaque hujusmodi quod & adytum, & in æde Vestæ Penum dicere possumus. Æneæ imago cum Penatibus nummo expressa est:




Ab iis *Penetralia* proprie sunt Deorum Penatium Sacraria [3]. Μυχοὶ, ἐνδότατα [4], quæ pro interiore domus parte accipiuntur. Ut *Sacrarium principis*; quod tamen pro interiore ejus consilio usurpatur. De hoc Arcadii Jurisconsulti verba sunt de Legatis qui ad Sacrarium principis mittuntur. De quibus Imperatores rescripserunt [5]: *ut quæcunque civitas ad Sacrarium nostrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas*. Illud Imperatorum Sacrarium secretum δικαςήειον, intima conclavia, in quo judicum Secretaria fuere [6]. Atque ut privata fuerunt: sic Sacraria illis publica vel privata. De publico Tacitus [7]: *Sacraria*, inquit, *gentis Juliæ effigiesque Divo Augusto apud Bovillas dicata*. Quod cæteri imperatores consequuti sunt, cum ludis in Sacrarii dedicatione. Elegans inscriptio Romæ reperta est nuper (quam cum multis a Sirmondo accepi) qua Sacrariorum cura ab ipsis imperatoribus recepta:

IMP. CÆSAR. DIVI. NERVÆ. F
NERVA. TRAIANVS. OPTIMVS. AVG
GERMANICVS. DACICVS. PONTIF. MAX
TRIBVNIC. POTEST. XVIII. IMP. VII.
COS. VI.
SACRARIA. NVMINVM. VETVSTATE
DILAPSA. A. SOLO. RESTITVIT


Privata Sacraria unusquisque domi sibi habebat, quibus suum adsignamus locum. De donariis nihil addo ad ea quæ paucis complexus sum. Hæc abusive pro templo usurpantur. Tholus est veluti scutum breve quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt, ad quem dona suspendi consueverunt. Quæ tamdiu dona dici potuerunt, quamdiu non fuerunt profanata, sicut in libris sacrorum refertur [8]. Virgilius:

*Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris*
*Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi*
*Suspendive Tholo, aut sacra ad fastigia fixi.*

His versibus donorum differentia declaratur, quæ aut in Donario servabantur, aut Tholo suspendebantur. Tradunt tamen alii Tholum esse locum in media templi Camera, in quo voventium primitiæ aut exuviæ figebantur. Alii erectiores Cameras templorum Hemisphæriis, id est, Cuppolis addi solitas, quas *Tribunas* & *Laternas* Itali vocant [9]. Quidam templi Cameram, quæ altius crescens rotunda forma in fastigiatum cacumen desinebat. Servii verior mihi opinio videtur, liberum est unicuique quam velit ex aliis amplecti.

Lectisternia duorum generum fuerunt, unum ubi homines in templo sedere consueverant, alterum ad Deorum epulum [10]. Introducit Plautus [11] lectisterniatorem domum, qui lectos epulantibus sterneret. *Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito*. Quod Senatores aliquando fecerunt in templis, pro Decemviris Sacrorum, qui ratione amplissimi Sacerdotii illud frequentius curaverunt [12]. De Lectisternio hoc ab Arnobio didicimus [13]: *Lectisternium*, inquit, *Cereris erit Idibus primis. Habent enim Dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio*. Ab eo *pulvinar* pro *lectisternio* quandoque sumitur. Et lectuli qui sternuntur in templo, supervenientibus, *pulvinaria* dicuntur [14], quæ pro lectis Deorum dapibus onustis Lyricus canit [15]. Illa tamen a lectis plurimum distant. Nam curato Lectisternio, & pulvinaria in conspectu Deorum fuere [16].

*Pulvinar* igitur καθίδρυμα, ϛρωμνὴ Θεῶν, tabulata, in quibus stabant. Numina quæ ad templorum ornamenta cum templis ipsis consecrabantur: licet mensa dedicata religionem quandoque obtineret pulvinaris ex Papyriano jure [17]. Ad omnia templa supplicationes plerumque decretæ sunt, atque templa illa intelliguntur in quibus pulvinaria essent [18]: unde etiam pro templis ipsis accipiuntur [19]: Templa enim nobiliora pulvinar semper habuerunt. Quare ut Drusillæ templum constituit Caligula, sic pulvinaria [20]. Et Licinia Vestalis aram, ædiculam, & pulvinar sub saxo sacro dedicavit. Potuit vero pulvinar ab æde sacra transferri, ut in regiam domum Pontificis publicam, in qua cum sacra Bonæ Deæ fierent, Clodium Tullius accusat quod stuprum intulerit pulvinaribus Bonæ Deæ [21]. Fuit pulvinar Solis qui colebatur juxta ædem Quirini [22]. Sed *Pulvinar* proprie locus est apparatus in templo, in quo ea disponerentur, quæ in Sacrario vel Donario inclusa erant. Quod diebus sollemnibus apud nos fieri consuetum, in mensa quæ ab æditiuis vulgo OPUS nuncupatur. In breviario Augusti notamus Octaviani pulvinar ad Circum maximum. Cujus forma est in nummis Ænobarbi:




De fastigio M. Tullius [23]: *Nec majorem*, inquit, *honorem Cæsar consequutus est ab Antonio, quam ut haberet pulvinar, simulachrum, fastigium*. Hoc ad fastigiatum templum referendum est, magnificum illud auroque sanctius, arte firmitateque ævi [24].

1 Serv. 3. & Æneid. 2 Glos. vet. 3 Festus in verb penetralia Serv. 6. Æneid. 4 Gloss. vet. 5 l. fin. de munerib. & honorib. l. 8. de leg. & decret. l. 16. de hæretic. l. 11. de pœn. C. Theod. 6 l. fin. C. de offic. diverſ. jud. l. fin. C. ub. Senat. vel clarissim. 7 lib. 2. Annal. 8 Virgil. 9. Æneid. & ibi Serv. 9 Philander ad Vitruv. lib. 7. cap. 5. 10 Serv. 3. Georgic & 12. Æneid 11 In Pseudol. 12 Livius lib. 22. 13 lib. 7. 14 Serv. 3. Georgic. 15 Horat. lib. 1. od. 37. 16 Livius lib. 22. 17 Macrob. 3. sat. cap. 11. 18 Livius lib. 5. & 7. 19 Serv. 3. Georgic. 20 Tacit. lib. 14. Annal. Senec. consolat. ad Polyb. cap. 36. 21 Cic. de Aruspic. resp. 22 Quintilia. lib. 1. instit. cap. 7. 23 Philip. 2. 24 Vitruv. lib. 7. cap. 5.

Postes templorum sacri sunt, in quibus spolia vel arma post multas palmas consecrantur. Quod Gladiator Vejanius ad postem Herculis [1] fecit:

*sacris in postibus arma*
*Captivi pendent currus, curvæque secures* [2]:

Fuere Aulæ in templis, ut in Tribunalibus septa quæ turbas prohiberent [3]. Festra fuit ostium minusculum in Sacrario [4]. Templorum partes alias ut Jovis Olympii porticus, graphice Vitruvius delineavit [5].

## CAP. X.

*Ornamenta Aræ, Arcus Deorum, Muri & Portæ Civitatum, Lararia.*

EX JURE Papyriano [6] in templis aliæ quædam vasorum sunt, & sacræ supellectiles, alia ornamentorum. Quæ vasorum sunt, instrumenti instar habent, quo sacrificia conficiuntur. Quarum rerum locum principem obtinet mensa, in qua Epulæ libationesque & stipes reponuntur. Ornamenta vero sunt Clypei, Coronæ, Donaria, & his similia. Ex quibus vetus inscriptio ornari potest & reparari. Romæ:

[a] SOLI. INVICTO. MITRE
M. VLP. MAXIMVS. PRÆ
POSITVS. TABELLARI
ORVM. ARAM. CVM
SVIS. ORNAMENTIS
ET. BELA. DOMINI
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII
VT. VOVERAT. D. D

Ornamenta aræ sunt coronæ laneæ, quibus aræ cingi solebant, cæteraque quæ ad illius decorem & sacrificii rationem, in ara ipsa erant necessaria. Quæ etiam hic ita accipio ut ornamenta columnarum in templis. Nam in lapideis ædium sacrarum ædificationibus, artifices sculpturis dispositiones Columnarum sunt imitati [7]. Quod & in aris observarunt, in quibus sculpta occurrunt plurima, ut Corollæ, Genii, Gryphi, Pegasi, Corvi, Catelli, quæ passim in inscriptionibus notantur.

Qui fit ut credam ornamenta aræ Mithræ, fuisse Gryphos, Coracas, Leones & formas hujusmodi quæ in Isiaca mensa pinguntur. Sed hujus aræ ornamenta posterioribus inscriptionis verbis quadrare non videntur, ni conjecturis juventur ipsa, ad quas demum recurrendum est, cum rerum verborumque obscuritas ea caligine mentes involvit, ut difficilis sit indagatio veri sensus. Sic igitur reliquam inscriptionem concipio, ut cum Sirmondo animadvertam fabrile mendum, legamque

ET. TABELLAS. INSIGNIA. DOMINI
HABENTES. N. IIII.

In Antiquis inscriptionibus, crebra tabellarum hujusmodi fit mentio [8], quæ nobis objiciunt tabulas pictas duodecim positas in Apollinis templo [9]. Ex quibus possumus interpretari notas, N. IIII. Numero quatuor. Nec tamen respuerem si quis legeret, *Tabellas insignia domini habentes nomina quatuor*. Nam quatuor nominibus hic Mithra decoratur, cum Sol, Invictus, Mithra, Dominus nuncupatur. Domini nomen illi proprium. Alia Inscriptio docet:

[b] SOLI. DOMINO.

Nisi si insignia in tabellis depicta, sint Dracones, Gryphi, Corvi, Leones. Hæc in medium consulentis & disceptandi more profero.

Arcus in antiquis Inscriptionibus invenio Diis dicatos.

[c] IMP. T. VESPASIANVS
CÆSAR. AVG. VII. COS
MARTI. APOLLINI
MINERVÆ
ARCVM. VICAN
VINDONISSENSIS. CVRIÆ

Nunc a sacris ad sancta transeamus. Muri & portæ civitatum quodammodo divini juris sunt [10]. Pontifices quidem urbis muros sanctos esse dixerunt, & diligentius urbem religione, quam ipsis mœnibus cinxerunt [11]: quæ *Augusta mœnia* vocat Virgilius, id est, ut Servius interpretatur, Augurio consecrata [12].

In ritualibus Etruscorum libris, quibus perscriptum est qua sanctitate sint muri, quo jure portæ: muri quidem a portis separantur. Ut in libris Pontificum soli muri dicuntur sancti, quos cum Remus transcendisset, omisit Romulus pietatem & humanitatem, ut id quod utile videbatur, assequi posset. Muri enim causam opposuit, speciem honestatis, nec probabilem nec satis idoneam [13]. Male in plerisque juris exemplaribus scripta est lex Hermogeniani [14]: *In muris itemque portis & aliis sacris locis aliquid facere quo damnum irrogetur, non permittitur*. Pandectæ Florentini legunt *& aliis sanctis locis*, Portæ enim Civitatum sanctæ sunt, sed non sacræ. Prudentes autem Etruscæ disciplinæ ajunt [15], apud conditores Etruscarum urbium non putare urbes justas fuisse, in quibus tres portæ non essent dedicatæ & votivæ. Illas ideo quodammodo divini juris esse dicit Cajus, tum propter dedicationem, tum propter simulachrorum sanctitatem, quæ in portis urbium collocabantur, quæque transeuntes ritu quodam religionis salutabant: erantque portæ ipsæ quasi sedes & templa Deorum. Quapropter ab ipsis diis portæ nomen ut plurimum sortiebantur, vel imperatorum jussu prisco nomine commutato. Gratianopoli:

[d] D. D. N. N. IMPP. CÆS. GAIVS. AVREL
VALERIVS. DIOCLETIANVS. PP. INVI
CTVS. AVGVSTVS.ET.IMP.CÆSAR.MAR
CVS. AVRELIVS. VALERIVS. MAXIMIA
NVS. PIVS. FELIX. INVICTVS. AVG. MV
RIS CVLARONENSIBVS. CVM. INTERIO
RIBVS. AEDIFICIIS. PROVIDENTIA. SVA.
INSTITVTIS. ADQVE. PERFECTIS. POR
TAM. ROMANAM. IOVIAM. VOCARI. IVS
SERVNT

Iidem Imperatores

PORTAM. VIENNENSEM. HERCVLEAM
VOCARI. IVSSERVNT

Lararia religionem quidem habuerunt & sanctitatem. Privata enim erant sacraria, quæ unusquisque sibi



1 Horat. lib. 1. epist. 1. 2 Virg. 7. Æneid. & ib. Serv. 3 Serv. 7. Æneid. 4 Macrob. 3. sat. c. 12. 5 lib. 3. c. 1. 6 Macrob. lib. 3 c. 11. a 35. 1. 7 Vitruv. lib. 4. c. 2. 8 Inscript. 110. 3. 9 174. 7. b 33. 4. c 1068. 3. 10 l. 1. de rer. divis. 11 Cic. 5 3. de nat. deor. 12 7. Æneid. 13 Cicer 3. offi. 14 l 2. D. ne quid in loc. sacro. 15 Serv. in sched. d 167. 1. & 2.

domi habebat in quibus cubiculares imagines reponerentur. In Lalario suo Alexander Severus Divos principes, sed electos & animas habuit sanctiores [1]. Inter has Christum & Abraham quibus rem divinam faciebat. Recte in veteribus Glossis *Sacrarium* θυσιαστήριον. Rem enim divinam domesticis diis in suo Sacrario prope quotidie faciebant, quod *Penetrale beneficium* dicebatur [2].

Principibus duo fuere Lararia: primum quod majus, alterum quod minus esset. Idem Alexander Imp. Virgilii & Ciceronis imagines in Larario secundo posuit, qui Alexandrum magnum in majore tenebat [3]. Qui Larario præfectus erat is *magister Larum* vocabatur. Lapis vetus;

[a] MARTI. AVGVSTO
L. IVNIVS. MAVRVS. LARVM. AVG
MAGISTER. DEDIT
IVLIA. MAVRINA. F. DEDICAVIT

*Magister Larum* dictus ut *magister Sacrorum*, *magister Fani*, *magister Genii Cæsaris*, qui in inscriptionibus frequentissimi. Ille tamen alius fuit ab eo cui cura Lararii commissa erat, de quo Suetonius [4]; *Puer qui curæ Larium cubiculi ex consuetudine adsistens, interfuit cædi*. Pueri illius munus fuit, ut eam curam diligentiamque adhiberet, qua in Larario recte disposita omnia essent. *Decurio* vero *Cubiculariorum* [5] idem forte est qui *Decurio Larum*. Nam Cubicularii dii sunt Lares. Uterque cubiculares imagines curabant. Juvat opinionem meam quod *Decurio Cubiculariorum*, non longe est a puero illo, cui cura Larium. Quamvis *Decurio* pro eo qui denis cubiculariis præerat accipi potest, qui Cubiculo sacro addebant: ut fuit Præpositus sacri Cubiculi. Fuere Decuriones sacri Palatii [6], de quibus in libris [7], quos *de officiis domus Augustæ publicæ & privatæ* meditamur, nos σὺν Θεῷ quandoque plura.

Inscriptio vetus est:

[b] HYMNVS. CÆSARIS. AVG
VOLVSIANVS
DECVRIO. LARVM. VOLVSIANORVM

Sic *Decurio ædis*, *Decurio Pontificum*, *Decurio Augurum* in iisdem inscriptionibus leguntur. Nec principes solum sed privati omnes domesticos & familiares Lares habuerunt, ubi Deos suos privatim colerent. De his Celsus Jurisconsultus [8]. *Finge pauperem qui si reddere id cogatur, Laribus sepulchrisque avitis carendum sit*. Lares enim aviti a majoribus tradebantur. M. Tullius [9]: *Erat apud Heium Sacrarium magna cum dignitate, in ædibus a majoribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima*. In privatorum Larario Deorum imagines & virorum illustrium habebantur. Objectum L. Vitellio viro miri in adulando ingenii, quod Narcissi & Pallantis libertorum Claudii, imagines aureas inter Lares coleret [10].

Tenuioribus loco Sacrarii aut Lararii fuerunt foci in quibus Lares suos colerent. Quod Lar Plautinus satis docet. His Laribus Κατοικιδίοις Θεοῖς aut Thure aut vino aut aliquo semper supplicabant, & coronas dabant [11]: omnibus sollemnibus regum, incipiente Anno, incipiente mense [12]. Privata illa Sacraria sancta fuerunt & religiosa, sed non sacra. Quare interdictum, *Ne quid in loco sacro fieret*, de sacrariis illis non competebat [13]. Quæ tamen ita sancta erant, ut ab iis ædium privatarum sanctitas manaret [14]: quod illic aræ, foci, dii Penates, sacræ religionis Ceremoniæ continerentur. Unde *aræ* pro *Penatibus* dicuntur [15], & tractum proverbium, *pro aris & focis*.

## CAP. XI.

### *De Dedicatione*.

NIHIL Sacrum fieri potuit nisi vel princeps illud dedicasset vel dedicandi dedisset potestatem [16]. Principem cum Ulpiano dico, in quem lege regia potestas populi translata est. Stante enim Repub. a populo lege Curiata, tributis Comitiis lata, præfici debebat, qui dedicaret. Vetus est decretum Pontificum de domo Ciceronis [17]: *Si neque Populi jussu, neque scitu qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset: neque populi jussu aut plebis scitu, id facere jussus esset: videri posse sine religione eam partem areæ domino restitui*. Quo decreto Pontifices a Ciceronis domo religionem sustulerunt, quod eam sine populi jussu aut plebis scitu P. Clodius consecrasset [18]. Habent illorum Commentaria L. Cassium Censorem, cum de signo concordiæ dedicando ad Collegium retulisset, ei M. Æmilium Pontificem maximum pro Collegio respondisse: *Nisi eum nominatim populus præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri posse recte dedicare* [19]. Quare Senatus in loco augusto consecratam aram, tollendam ex authoritate Pontificum censuit, neque ullum passus est ex ea dedicatione extare monumentum. Cum autem dedicationi aliquis a populo præfectus erat, satis fuit Collegio denuntiare Pontificum ut adessent ipsi, qui a Tribuno pleb. pro imperio cogi potuerunt. Formula dedicationis nota est ex ipso Cicerone. ADES. ADES. LVCVLLE. SERVILI. DVM. DEDICO. TEMPLVM. IOVI. ET MIHI. PRÆEATIS. POSTEMQVE. TENEATIS. Nam Pontifices & præibant verba & postem tenebant. Lex dedicationis aræ in antiquis inscriptionibus sic scripta est:

[c] L. ÆLIO. CÆSARE. IMP. P. CÆLIO. P. F
BALBINO. VI. BVLLIO. PIO. COSS. VII
IDVS. OCTOBRES CN. DOMITIVS
VALENS. DVVMVIR. I. D. PRÆEVNTE.
C. IVLIO. SEVERO. PONTIF. LEGEM
DIXIT. IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA
SCRIPTA. SVNT. IVPPITER. OPTIM. MA
XIME. QVANDOQVE. TIBI. HODIE
HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQVE
OLLIS. LEGIS. OLLISQVE. REGIONIBVS
DEDICABOQVE. QVAS. HIC. HODIE. PA
LAM. DIXERO. VT. INFIMVM. SOLVM
HVIVS. ARÆ. EST. SI. QVIS. HIC. HO
STIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAG
MENTVM. NEC. PROTOLLAT. ITCIRCO
TAMEN. PROBE. FACTVM. CAETERAE
LEGES. HVIC. ARÆ. EÆDEM. SVNTO
QVAE. ARAE. DIANAE SVNT. IN. AVEN
TINO. MONTE. DICTÆ. HIS. LEGIBVS
HISCE. REGIONIB. SICVTI. DIXI. HANC.
TIBI. ARAM IVPPITER. OPT. MAX. DI
CO. DEDICOQVE. VTI. SIS. VOLENS
PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQVE. MEIS
DECVRIONIB. COLONIS. INCOLIS. CO
LONIAE. MARTIAE. IVLIAE. SALONAE
CONIVGIBVS. LIBERISQVE. NOSTRIS

1 Lamprid. in Alexand. Severo. 2 Cicer. act 9. In ver. Festus in verb. penetrale. 3 Lamprid. ibid. a 1068. 8. 4 In Domitian. c.17. 5 Sueton. ibid. 6 C.25. de præpos. sacr. Cubic. 7 l. 1. C.25. de decurionib. & silent. b 319. 9. 8 l. in fundo D. de rei vendicat. 9 Act. 9. in Ver. 10 Sueton. in Vitel. c.2. 11 Plaut. in Aulul. prolog. 12 Tertul. lib. 2. ad uxor. c.6. 13 l. 1. §. 1. D. ne quid in loc. public. 14 Cic. pro dom. sua. 15 Charis. lib. 1. 16 l. 9. D. de rer. divis. 17 Cicer. lib. 4. ad Attic. ep. 2. 18 Cic. 4. ad Attic. ep. 1. 19 Cicer. pro dom. sua. c 23. 12

Regionibus certis præfinita Deorum templa & circumſcripta, quibus ſecundum inſtrumentum, ſi opus eſſet, fines reſtituerentur [1]: ut in luci conſecratione ſuis illum finibus compeſcere dicebant.

Lex aræ ſive inſtrumentum aræ vel templi, a tabula differebat, quæ in dedicatione cum titulo ſupra valvas templi figebatur. Tabulam dedicationis profert Livius, cum Æmylius Regillus ædem confecto prælio adverſus præfectos Regis Antiochi voviſſet, eam poſt annos quadraginta M. Æmylius Cenſor ex Senatuſconſulto Laribus permarinis dedicavit, & hanc tabulam poſuit [2]:

. . . . . . . *Duello magno regibus dirimendo caput ſubigendis patrandæ pacis hac pugna exeunti L. Æmylio M. Æmylii filio, auſpicio, imperio fœlicitate ductuque ejus inter Epheſum Camuchumque, inſpectante Cos. ipſo Antiocho, exercitu omni, equitatu, elephantiſque claſſis regis Antiochi antea ſic victa, fuſa, contuſa, fugataque eſt. Ibique eo die naves longæ cum omnibus ſociis captæ quadraginta duæ, ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque ejus. Ejus rei ergo ædem Laribus permarinis vovit.*

Pontifex qui in dedicatione verba præibat, maxime dabat operam, ut illa nec præpedita nec balbutiente lingua pronuntiaret. Ne dedicatio, ſi verbo aberraſſet, quaſi minus rite facta, inſtauraretur. Quæ res tenuit Metellum Pontificem adeo inexplanatæ linguæ hominem, ut multis menſibus tortus credatur, dum meditaretur, in dedicanda æde Opiferæ dicere [3]. Non prætermittam dedicationem a C. Mario factam, qui veſte Triumphali & calceis puniceis Honoris & Virtutis ædem dedicavit. Inſcriptio:

[a] C. MARIVS. C. F. COS. VII.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER ARMA. CIVILIA. PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. COS. VII. FACTVS. EST. DE MANVBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEVTONICEIS. AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PVNICEIS

Hunc habitum auguſtum induit vir immodicus gloriæ, inſatiabilis, impotens [4], qui eadem veſte auſus eſt in Senatum venire, quod ante eum fecerat nemo.

Pontifex cum verba ſollemnia præiret poſtemque teneret, dicebat, DARE. SE. DEDICAREQVE NVMINI. Quod ab alio neceſſe fuerat jam teneri & ab humano jure diſcedere [5]. Hoc dicebamus, ubi de manumiſſione Sacrorum cauſa. Hujus ceremoniæ formulam tangit M. Tullius [6], cum de Antiochi regis candelabro facto e gemmis loquitur, & erepto a C. Verre, cum illud rex in Capitolio jam mente & cogitatione conſecraſſet. Quod eſt DARE DONARE. DICARE. CONSECRARE. IOVI. OPT. MAX. Poſtem autem oportebat templi eſſe, qui ibi eſſent ubi templi aditus ſunt & valvæ. Nam ambulationis poſtes nemo unquam tenuit in dedicando [7]. Atque in dedicatione templorum quinque præcipue requirebantur, mens ſcilicet, vox, lex, manus, ſimulachrum [8]. Mens enim pura integraque dedicantis deſiderabatur, quæ præcipue Diis immortalibus grata eſt, qui omnia ex mente metiuntur. Vox ad ſollemnia verba referenda eſt. Nam in dedicatione, & quis dicit, & quid, & quomodo quæritur. Quare ſi poſtem tenuerit Pontifex, & verba ad religionem compoſita, ac perniciem tranſtulerit, non valebit ab injuriam nomen ſanctiſſimum religionis [9]. Lex & ad Tribunitiam veterem, quæ Papyria, & ad Curiatam, qua dedicationi populus aliquem præficiebat, referenda eſt. De Simulachro ea ſcripſimus quæ repetere otioſum eſſet & odioſum. Semper enim cum templum dedicabatur, ſimulachrum numinis cujus erat adhibebatur, atque a Pontificibus locatum in medio templi, templum tenere dicebatur [10]. Præterea in templi aut aræ definitione, legumina elixa pro Primitiis offerebant, ob memoriam grati animi, ut ex Ariſtophane Suidas tradit [11]. Ille in *Danais*; μαρτύρομαι δὲ ζηνὸς Ερκείυ χύτρας, μεθ᾽ ὧν ὁ βωμὸς ἆτος ἱδρύσθη ποτέ. *Teſtor Jovis Hercæi ollas cum quibus ara dedicata eſt olim.* Qui Mercuriales ſtatuas aut alia ſigna dedicabant, ollas pollentæ adhibebant, quo expeditior eſſet erectio [12]. Frequentius tamen Romæ & major victima mactabatur, & ludi dabantur ſumptu publico. Ut cum M. Æmylius petiit a Senatu templorum dedicationem [13], viginti millia æris decreta ſunt, quæ in ludos ſcenicos erogarentur. Et cum Cæſar templum Veneris, quam ſui generis authorem faciebat, a ſe conditum conſecravit, multa variaque edidit ſpectacula [14]. Auguſtus in Sacrarii Julii dedicatione, ludos omnis generis fecit, in quibus Patritii Troiam luſerunt [15]. Quod quidem primum factum cum M. Junius Brutus ædem Matris Magnæ dedicavit, tunc enim ludi ſcenici inſtituti [16], qui Megaleſia. Quod ad eam proceſſit inſaniam, ut Pompeii altero Conſulatu dedicatione templi Veneris Victricis, pugnaverint in Circo Elephanti viginti [17]. Et Q. Catulus cum Capitolium dedicavit, primus poſuit vela in theatris quæ umbram facerent.

Dedicationis ritum paucis complexus eſt ut ſolet Virgilius, qui jus Pontificum tanquam hoc profeſſus, in multa & varia operis ſui parte ſervavit [18]:

*Et viridi in campo templum de marmore ponam,*
*In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.*
*Illi victor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro*
*Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.*

Circenſes enim in litore olim fluminum agitabantur. De ludis & profuſionibus in aræ dedicatione, vetus decretum eſt:

[b] ARAM. NVMINI. AVG. PEC. NOSTRA PONENDAM. ET. LVDOS. EX. IDIB. AVG. DIEB. SEX. FACIVNDOS. CVRAVIMVS ITEM. DEDICATIONE. STATVARVM ET. AVGVSTARVM. MVLSVM. ET. CRVSTVLA. PECVNIA. NOSTRA. DEVOTIS OMNIB. ET. POPVLO. DEDIMVS. PER PETVOQVE. EIVS. DIE. DEDICATIONIS. DATVROS. NOS. TESTATI. SVMVS. QVEM DIEM. QVO. FREQVENTIOR. QVOTANNIS. SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC. TI. CAESAR. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS. EST

1 Jul. Frontin. 2 Livius lib. 40. 3 Plin. lib. 11. c. 37. a 436. 3. 4 Patercul. lib. 2. Florus epitom. 67. 5 Serv. 3. Georgic. 6 Act. 9. in Verrem. 7 Cicer. pro dom. ſua. 8 Cic. de Aruſpic. reſp. 9 Cicer. pro dom. ſua. 10 Serv. 3. Georgic. 11 in verb. χύτραις ἱδρυτέον. 12 Macrob. lib. 3. ſat. c. 1. 13 Liv. lib. 40. 14 Dio lib. 43. 15 Dio lib. 51. 16 Liv. lib. 36. 17 Plin. lib. 8. c. 7. & lib. 28. c. 1. 18 Virgil. 3. Georgic. & ib. Serv. b 228. 8.

Nummus est M. Aurelii de dedicatione ædis:




Quæ in honorem Faustinæ Pii dedicata est. Ut M. Antonino statuæ in multis domibus inter Deos Penates erant [1], templumque ei constructum, dati Sacerdotes Antoniniani & Sodales & Flamines, & omnia quæ antiquitas divis decernere solebat. Rem autem, de qua controversia est, prohibemur in sacrum dedicare: alioquin dupli pœnam patimur nec immerito, (ait Cajus libro 6. ad leg.12. tab. [2]) ne liceat quoquomodo duriorem adversarii conditionem facere. Sed duplum, utrum fisco an adversario præstandum sit, nihil exprimitur, fortassis autem, inquit, magis adversario præstandum sit: ut id veluti solatium habeat, pro eo quod potentiori adversario traditus est.

## CAP. XII.

*De Duumviris ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ.*

TEMPLORUM constructiones jussu populi vel magistratuum aut Imperatorum voto cum bella susciperentur, aut in ipso discrimine pugnæ Diis promitti solebant, quæ plerumque quadraginta post annos aut amplius dedicabantur. Duumviri ædis locandæ faciundæ jussu populi creabantur. Dedicatio a magistratu fiebat aut sacerdote publico ex Senatusconsulto. Sic ædes Martis dedicata est, decreto Senatus, a T. Quintio [3] Duumviro sacris faciundis. Magistratus hoc jus sibi ratione potestati arrogabat & Consules inter se sortiri solebant, uter eorum dedicaret, quod magna contentione & ambitione fiebat. Cn. Julius Consul absente collega sine sorte ædem Apollinis dedicavit. Ægre id passus Quintius nequicquam in Senatu conquestus est [4]. Certamen antea Consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem: Senatus a se rem ad populum rejecit, utri eorum, jussu populi data esset, eum præesse Annonæ, mercatorum collegium instituere, sollemnia pro Pontifice jussit suscipere [5]. At populus dedicationem ædis dedit M. Lectorio primipili centurioni, non tam ad honorem ejus cui curatio altior fastigio data esset, quam ad Consulum ignominiam.

A magistratibus tandem res rediit ad privatos, & Duumviri his in rebus constituti. Quorum origo difficilis prorsus & obscura est, sed antiquissima. Nam Duumvirum ad id creatum comperio Posthumium filium, qui Castoris ædem bello Latino a Dictatore votam dedicavit [6], L. Æmylio & Fabio Cæsone Coss. anno CCLXX. Postea Cn. Flavius Ædilis Curulis ædem concordiæ dedicavit consensu populi, Q. Fabio maximo, & P. Decio Mure Coss.

A anno CCCCLVII [7]. Quod cum ægre ferrent patres, Cornelius Barbatus Pontifex max. negavit nisi Consulem aut Imperatorem posse templum dedicare. Itaque ex authoritate Senatus, latum ad populum est, ne quis templum aramve injussu Senatus dedicaret, aut Tribunorumpleb. partis majoris. Quod ex Cicerone facile intelligi potest [8]: *Si neque populi jussu, neque plebis scitu qui se dicasse diceret, ei rei nominatim præfectus esset.* Jussus populi ad Senatum; plebis scitum ad Tribunorum plebis majorem partem referri debet. Nam sine lege Curiata aut plebiscito, nihil potuit diis consecrari, de rebus soli. Sed debuit aut lege, aut plebiscito nominatim præfici, qui illud negotium perageret.

B Populi jussum ne Consules offenderentur, patres desiderarunt, si privatus dedicationem postularet. Hoc in Q. Fabio Max. rei Rom. restitutore factum est, qui Duumvir creatus, lege primum ad populum lata [9], ut ædem Veneris Erycinæ, quam dictator voverat, dedicare liceret. Decrevit Senatus ut T. Sempronius Consul designatus, cum primum Magistratum iniisset ad populum ferret, ut Q. Fabium Duumvirum esse juberet. Authoritatem tamen suam hac in re Senatus retinuit ad Claudii Imperatoris tempus sine populi jussu, ut lapis vetus probat:

[a] PIETATI. AVGVSTAE
C EX. S. C QVOD. FACTVM. EST. D. HATERIO
AGRIPPA. C. SVLPITIO. GALBA. COS
TIB. CL. CÆS. AVG. GERM. PONT MAX. TRIBVN
POT. III. COS. IIII. IMP. III. P. P
DEDICAVIT

Duumviri autem ut plurimum a populo creati sunt vel filii vel agnati eorum qui ædes vovissent. Ut M. Acilius Glabrio ædem pietatis dedicavit, quam pater voverat [10], cum ad Thermopylas cum rege Antiocho depugnavit. L. Porcius L. F. Licinius Vene- D ris Erycinæ ad portam Collinam, quæ vota erat a L. Porcio. M. Æmylius ædem Deum permarinum quam L. Æmylius voverat. Ex his qui novam ædem vel restitutam dedicassent, nomen suum in illius fronte, eminentiore loco inscribebant. De hac inscriptione Arnobius [11]: *Templa*, inquit, *quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, authorum inscriptionibus comprobantur.* Romæ in Pantheo:

[b] M. AGRIPPA. L. FILIVS. COS. TER
TIVM. FECIT

E Hoc cum Septimius Severus & M. Aurelius Impp. restituissent, scripserunt ad nominis sui immortalitatem,

[c] IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS. SEVER. PIVS
PERTINAX. ET. IMP. CÆS. M. AVRE
LIVS. ANTONINVS. PANTHEVM. VETVS
TATE. COLLAPSVM. CVM. OMNI. CVL
TV. RESTITVERVNT


Cum Victore Sulla Capitolium conflagrasset, curamque ille suscepisset deorum sedem amplissimam F reparandi; hoc solum felicitati suæ negatum questus est, quod non dedicarit [12]. Huic operi Q. Catuli nomen inscriptum est [13], quod ita Julium Cæsarem perturbavit, cujus virtus omnis ob ambitionem miseram incubuerat, ut hoc maxime Prætor ege-

1 Capitolin. In M. Aurelio. 2 l. fin. de religios. 3 Liv. lib 6. 4 Liv. lib. 4. 5 Liv. lib 2. 6 Liv. lib. 2. 7 Livius lib. 9. 8 lib. 4. Ad Attic. epist. 2. 9 Livius lib. 23. a 101. 1. 10 Livius lib. 40. 11 lib. 6. b 1. 1. c eod. 12 Plutarch. in Sulla 13 Plin. lib. 19. c. 1.

egerit, ut Q. Catuli nomen a Jovis Capitolini templo tolleretur [1]. Quod tamen inter tanta Cæsarum opera usque ad Vitellium mansisse author est Tacitus [2]: cui repugnat Dio [3]. Hic enim Cæsarem effecisse narrat, ut victo in Africa Scipione, inter tot honores amplissimos, quos illi Senatus detulisset, hunc etiam additum, ut deleto Catuli nomine, Cæsaris in Capitolio inscriberetur. Quasi vero Cæsar id templum perfecisset, de cujus perfectione Catulum ad disquisitionem vocare contenderat. In hac tamen authorum varietate nihil habeo certi quod adferam: hoc unum scio Catuli nominis memoriam, Cæsare quantumvis reluctante, pulcherrimo monumento, simul cum templo illo consecratam [4].

Hæc inscribendi nominis consuetudo, non in templis solum, sed in signis monumentisque publicis ambitiose quæsita est. Ut cum Segestanis Diana redderetur, illa in excelsa basi posita est, in qua grandibus litteris P. Africani nomen incisum erat, *eum Carthagine capta restituisse* [5]. Quinetiam omnium municipiorum foris statuæ & honores legendi ævo, basibus inscripti [6]. Itaque in una statua tres A aliquando tituli, qualis in Herculis tunicati, Eleo habitu Romæ. In hac enim nomen legitur L. Luculli Imp. de manubiis: deinde Pupillum Luculli filium dedicasse ex Senatusconsulto: tertium T. Septimium Sabinum Ædilem curulem ex privato in publicum restituisse. Tot certaminum tantæque dignationis simulachrum id unum fuisse perhibetur. Quare ementitas quandoque inscriptiones in his statuis Plutarchus author est [7], quod a vero omnino non est alienum.

Ea autem fuit inscriptionum gloria, ut Imperatores ipsi non solum cum vetusta opera, sed cum aliena numismata reparassent, sui nominis inscriptione, & ex Senatusconsulto se id fecisse testarentur. B Ex multis duo D. Augusti profero a T. Vespasiano & Nerva Impp. restituta. Quibus adducor ut in ea sententia permaneam, numismata illa ad hominum immortalitatem parata, quam longe quidem a nummis differre, qui ad usus publicos cudebantur, licet utrique hominum manibus terantur. Quod mihi facile esset demonstrare, contra multorum opinionem, si locus hic pateretur.




Gens Romana avida laudis & gloriæ, quam summam sibi sua virtute comparavit, omnimodo partam tueri, non scriptis solum libris, sed ære, argento, marmore, & perenni qualibet materia conquisivit. Ut si temporum injuria, perituris chartis prodita excidissent, indomitæ virtutis vestigia, tot inscriptis lapidibus, tot ferreis in numismate literis, invicta aliqua ex parte permanerent. Prudenter illi quidem. Etenim emortuæ antiquitatis reliquiæ, his conditæ sunt monumentis nobiliores plurimæ. Qui fit ut illorum inertiam perhorrescam, qui literas meliores professi, fastidiose quærunt ecquid marmora? ecquid numismata? Enimvero tot nummi, tot vetusti lapides, tot sunt librorum paginæ rerum domi forisque gestarum brevem seriem continentes, quæ vel alibi plerumque nec leguntur nec videntur. Quod in hoc opere probare conor, nec ita difficilis probatio est. Nam quæ ex antiquis inscriptionibus & nummis mutuati sumus, vix est ut apud bonos authores semper inveniri possint.

Ad Duumviros redeamus ædis locandæ faciundæ, qui non utique illam dedicabant, sed is solum qui opus inchoasset, hoc est, qui opus perfecisset. Nam *inchoare* sacrorum verbum est, quod significat *perficere* [8]. Dedicationum autem varia genera fuerunt, aut enim sacræ aut votivæ sunt, aut honorariæ, publicæ aut privatæ. De Sacris diximus, de cæteris inscriptiones sunt innumeræ, earum præsertim quæ ex voto. Sicut ea quæ pro salute Imperatoris, æternitate imperii, salute liberorum, quæ tribus capi- A tibus comprehendi non possent. Honorariæ etiam permultæ, ex quibus hanc unam appono quæ est Bisanti in Etruria:

[a] VIRTVTI. VISENT
SACR
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II· VIR. I. D. QVINQ
MATERNVS. FRATRIS
SVI. H. C. ET. OB. DEDICA
TIONEM. HONORARIAM
VICANIS. FLVIVM. POPV
LO. CRVSTVLVM. ET
MVLSVM. DEDIT

B Corruptum verbum FLVIVM: repono OL. VINVM; nam oleum & vinum in hujusmodi divisionibus dari solebat. Inscriptio alia est, in qua [b] OLEVM. ET. PROPIN. Id est, *propinatio*. Dedicationes publicæ, hoc est, locorum publicorum, multæ notantur & magnæ. Ut Theatrum Pompeii, quod dedicatum ab eo est [9], *καθιέρωσε τὸ θέατρον*, in qua dedicatione spectacula cum musica, ludique Gymnici editi. Theatrum Marcelli ab Augusto: Marcelli bibliotheca ab Octavia matre dedicata est [10]. Forum magnum Julius Cæsar, quod ab ipso nomen retinuit [11]. C Tiberius Diribitorium. Agrippa Septa ubi tributa comitia haberentur. Gymnasia, horti, campi, Trophæa dedicata visuntur. Gymnasium Nero dedicavit, præbitumque Oleum Equiti & Senatui [12]. Horti dicati contra invidentium effascinationes [13].



1 Dio lib. 17 2 lib. 3. hist. 3 lib. 43. 4 Cicer. 9. in Ver. 5 Cicer. eod. 6 Plin. lib. 34. cap. 4. & 8. 7 In Alcibiad. 8 Serv. 6. Æneid. a 100. 5. b 753. 4. 9 Dio lib. 39. 10 Plutarch. in Marcel. 11 Dio lib. 43. 53. & 55. 12. Tacit. li. 4. Annal. 13 Plin. lib. 19. cap. 4.

Campi Agrippæ ab Augusto [1]. Trophæa a multis, quæ nefas fuit removeri [2], ut publica omnia quæ publicis usibus inservirent. Quæ quidem nec sacra, nec sancta, nec religiosa dixerim, licet religione aliqua teneantur. Nam quæ sunt universitatis, ut Theatra, stadia, aquæductus, Gymnasia, Basilicæ, fora, aliaque ad usum publicum accommodata, in populi sunt dominio [3]. At quæ sacra, sancta, religiosa sunt, in nullius sunt bonis. Opera porro illa publica sine principis authoritate, publico sumptu fieri non potuerunt. Nec illis adscribi debuit aliud nomen, quam principis aut ejus, cujus pecunia opus factum esset [4]. Modestiam suam commendat Augustus, dum in breviario scripsit,

[a] SERTORIVM. ET. POMPEIVM. THEATRVM. VTRVMQVE. OPVS. IMPENSA GRANDI. REFECI. SINE. VLLA. INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI

Pro SERTORIUM scriptum arbitror STAT. TAURUM. Ex quo *Sertorium* factum, cujus nullum unquam Theatrum Romæ; sed Statilii Tauri unum fuit, Augusti suasu constructum [5]. Augustum Tiberius æmulatus, cum illius opera perfecisset, solius Augusti inscripsit nomen [6]. Opera illa, vel Dei alicujus, vel loci, vel authoris nomen habuerunt, ut Theatrum Pompeii ab eo denominatum est. Bibliothecæ a Deo vel loco inscriptæ. Lapis Romæ:

. . . . . . . . . . .

[b] TI. CLAVDIVS. ALCIBIADES
MAG. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS

Alia inscriptio.

. . . . . . . .

[c] C. IVLIVS. FAELIX
A. BIBLIOTHECA
GRÆCA. PALAT

Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dedicando, ingenia hominum Rempublicam fecit [7]. Opera tandem illa publica posteriores Imp. juris templorum esse sanxerunt [8]. De privatis dedicationibus taceo, quæ ex aliis satis intelligi possunt.

---

## CAP. XIII.

### *De Templorum restitutione, Consecratione locorum & animalium.*

TEMPLA quæ vetustate aut alio casu collapsa restituebantur, denuo dedicari debuerunt & consecrari. Furius Camillus Dictator vovit se Veiis captis ædem matris Matutæ refectam dedicaturum [9]. Inscriptio vetus est:

[d] M. PAPIVS. M. F. L. MATRIVS. L. F
DVO. VIRI. I. D
SIGNVM. CONCORDIÆ. EX. S. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA
FACIVNDA. COER. EIDEMQ. PROBAVER

Literæ I. D. signare videntur *jussi dedicare*. Dedicatio enim Senatus aut populi jussu vel plebis scitu fieri debuit. Putant alii I. D. esse *jussu Dei*, quod ipsi inscriptioni repugnat, quæ Senatusconsulto restituta. Atque hæc restitutio iisdem verbis & sollemnibus perficiebatur, iisdem legibus & ritibus, queis templi primum constructi dedicatio fiebat. Locus Taciti hoc præterea probat [10], & facit ad constructionis & restitutionis ritum sollemnitatemve. *Vespasianus*, inquit, *curam restituendi Capitolii in L. Vestium contulit, Equestris ordinis virum. Ab eo contracti Aruspices monuere, ut reliquiæ prioris Delubri in paludes aveherentur, templumque iisdem vestigiis sisteretur. Undecimo Kal. Jul. serena luce, Spatium omne quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque, ingressi milites quibus fausta nomina felicibus ramis: Dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque aqua rivis & fontibus amnibusque hausta perluere. Tum Helvidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Aeliano Pontifice, lustrata bove taurisque area, & super cespitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, Præsidesque imperii Deos precatus, uti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent; Vittas quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul cæteri magistratus, Sacerdotes & Senatus, & Eques & magna pars populi studio lætitiaque connixi saxum ingens traxere: passimque injectæ fundamentis, argenti aurique stipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur.* Quem ritum leviter expressit Poeta [11]:

*—— circum pueri innuptæque puellæ*
*Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.*

Equum illum *donum exitiale Minervæ* vocant, quod ea ratione debuit dedicari. Quem eundem ritum, alio loco latius persequitur [12]:

*Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis,*
*Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.*
*Sacra Dioneæ matri divisque ferebam*
*Auspicibus cœptorum operum, superoque nitentem*
*Cœlicolum regi mactabam in littore taurum.*

Contra rationem Taurus hic Jovi sacrificatur, cui Juvencum semper dicunt immolatum, hincque putatur prodigium subsequutum [13]. Quæ dubiam facere potuerant Taciti lectionem [14], quam Lipsius emendare conatus est, & pro recepta, *lustrata bove Taurisque area* ex Vaticano in quo *Bovetaurillibus*, & alio ubi *bovetauribus*, substituit *Suovetaurilibus lustrata area*. *Quod genus sacrificii*, inquit, *in lustrationibus & piamentis adhibebatur*. Nimirum non advertit vir solertissimus, nimio corrigendi pruritu corruptus, Capitolino Jovi vaccam simul & Taurum auratis cornibus immolari solere [15]: quod vulgatam Taciti probat lectionem, quæ commutata priscæ religionis ritum penitus exuit.

Ædis perfectæ vel restitutæ alius Romæ, alius in Provinciis fuit dedicandi ritus. Quod Plinius notavit scripsitque Trajano [16]: *Cognovi*, inquit, *alium hic, alium apud nos morem dedicationis*. Cui Trajanus: *Solum peregrinæ civitatis non est capax dedicationis, quæ fit nostro jure*.

Diximus de dedicationibus templorum quæ in posticis eorum figebantur, quæ quidem diversæ fuerunt. Nam post ædem Saturni in ædificiorum legibus, parietes postici muri scriptos ait Varro [17]: ut in

---

1 Dio lib. 55. 2 Vitruv. lib. 2. c 8. 3 §. universitatis. & §. nullius inst. de rer. divis. 4 l. 3. D. de operib. publ. a 232
5 Dio lib. 51. 6 Dio lib. 57. b 577. 8. c 576. 9. 7 Plin. lib. 7. c. 30. & lib. 35. c. 2. 8 l. 40. de operib. publ. C. Theod.
9 Liv. lib. 5. d 100. 8. 10 lib. 4. hist. 11 Virgil. 2. Æneid. 12 Virg. 3. Æneid. 13 Serv. 9. Æneid. 14 lib. 4. hist.
15 Serv. 9. Æneid. 16 lib. 10. epist. 17 lib. 4. de ling. lat.

aliquot sacris & sacellis scriptum fuit, *ne quid scorteum adhiberetur, ne morticinum quid adesset* [1]. Quales morticinas oves idem dixit Varro [2]: *θανάσιμα κενέβρεια* [3]. Aristophanis Scholiastes, *οὐκ ἔσαι κενέβρειον ὅταν θύσῃ* [4]. Sed cum tot tantique templi restituendi, sistendi, dedicandi, consecrandi ritus fuerint, mirum videri potest, quod licuerit Pontificicibus illud quandoque tollere. Quod quidem jussu Senatus factum, cum quis contra leges dedicasset, ut Vestalis Licinia. Sed invenio L. Pisonem maximum & sanctissimum Dianæ sacellum in Cœliculo sustulisse [5], in quo Sacrificia Gentilia statuto loco anniversaria factitata essent. Ut a Sex. Serrano sanctissima sacella suffossa, incensa, inædificata, oppressa, & turpitudine fœdata. Quod ob factum diis violatis expiato debita, & postulatio postulata est.

Dedicationem consecratio sequatur, licet sæpe illa præcederet, hæc rei mobilis aut soli fuit, vel etiam animalium. Cujus ritus cum ritualibus libris jamdudum occiderunt: quædam tamen vestigia ex dedicatione apparent: *Dedicare* enim est *καθιδρύειν*, *καθιερῶν*. At *consecratum* *καθωσιωμένον*. Consecrationis duo potissimum genera fuerunt: unum religionis causa in Deorum honorem: alterum odio contumaciæ, vel sceleris in hominum pœnam, ut cum bona damnatorum, hostium, vel captæ civitatis consecrantur. De hoc genere suo loco amplius quæremus. De priore nihil habeo certi quod adferam, quam quæ ex templorum dedicatione colliguntur, quæ sacrificiis sollemnibus & supplicationibus peragebantur.

Vetus vero mos fuit animalia Diis consecrandi: ut in Junonis Laciniæ templo lucus erat frequenti sylva [6] & proceris abietis arboribus tectus, qui læta in medio pascua habebat, ubi omnis generis sacrum Deæ pascebatur pecus, sine ullo pastore. Separatim egressi cujusque generis greges, nocte remeabant ad stabula, numquam insidiis ferarum, non fraude hominum violati. Magni fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta est, & sacrata. Hac religione motus Julius Cæsar equorum greges in trajiciendo Rubicone consecravit [7], quos vagos, & sine custode dimisit. Casaubonus noster ex Athenæo explicat hunc morem, suo more, id est, ita erudite ut nihil addi possit. Piscium sacrorum meminit Martialis [8], qui in Domitiani Imp. aquis natabant, quos etiam dedicatos vocat. Cujusmodi animalia Græcis *ἄφετα ζῶα* dicuntur, quales fuerunt Anseres in Capitolio, quorum cibaria Censores locabant primum. De illis Synesius [9]: *ὥσπερ ἐν ἱερῷ περιβόλῳ, τῷ κόσμῳ ζῶον ἄφετον ἀνειμένον ζῶν*, *In mundo tanquam in sacro quodam septo vivebam, uti animal liberum & dedicatum Deo*, quo sensu ab Athenæo [10], *γυναῖκες ἄφετοι* vocatæ sunt *αἱ ἀφωσιωμέναι*, sine custodia agentes, Venerique omnium obviæ, ut Lydorum, Locrensium, & Cyprum incolentium, quibus mos est puellas suas Veneri meretrici prostitutæque consecrare. Atque hæ consecrationes Pontifices nostros non morabantur.

## CAP. XIV.

*De temporibus. Dierum divisio. Saturnalia secunda.*

URGET tempus in ipso tempore. Nobis enim quis his studiis temporum velut succisiva donamus, properandum est, atque vel omissis quibusdam Sacrorum sollemnibus, tempori serviendum, & ad dierum numerum quæ scribimus accommodanda. Dies sunt pars temporis in hoc jure præcipua, qui quidem omnes aut festi sunt aut profesti, aut intercisi ex constitutione Numæ [11]. Festis diebus insunt Sacrificia, ludi, epulæ, feriæ. Profestis, fasti, Comitiales, comperendini, stati, præliares. De his dicemus solum qui ad Pontifices pertinere videntur. Nihil de cæteris, nisi si ad faciliorem rerum cognitionem faciant. *Intercisi dies* medii sunt inter festos & profestos, partim religiosi, partim fasti [12], *Ut quando stercus Vestæ delatum fas*, [13]. Quod est, quando ædes Vestæ purgaretur, & stercus per clivum Capitolinum porta stercoraria deferretur in Angiportum. Item *quando rex comitiavit fas*. Paucis Ovidius [14]:

*Nec toto perstare die sua jura putares,*
*Qui jam fastus erit, mane nafastus erat.*

Cum stercus everritur mane, dies nefastus: ab eo fas Prætori jus dicere. Tantæ sanctitatis stercus etiam Vestæ esse judicarunt.

*Intercisi* autem dies multum differunt a *diffisis* aut *diffusis* qui in jure notantur, & ab omnibus fere confunduntur. *Diffisi dies* aut *diffusi* nihil habent religionis, sed a lege introducti sunt, vel a Prætore. Lapsus est Servius [15], cum in jure *dies fissos* pro *intercisis* dictos putat, non in totum religiosos. A lege diffinditur dies ex XII. Tab. cum judex vel alter ex litigatoribus morbo Sontico laborabat [16]. Diffunditur vero cum aliquid differtur, & in alium diem rejicitur. Dies diffisus differtur ipso jure, *diffindere* enim est *διαχίζειν* [17]. Diffusus a Prætore est. Sic Agellius jussit diffundi, non legis imperio, sed jure magistratus & suo arbitrio [18]: ut *diffusum* dicitur, quod in diversis locis constitutum est [19]. Atque hi quidem dies sunt profesti, id est, fastis contrarii. Ab eo *profestum facere* dicebant, tanquam profanum facere, aut id facere quod feriis fieri non liceret [20]: Eleganter Plautus [21]: *Festo die si prodegeris, profesto egere liceat*. Profestus ergo dies est, qui sine feriis: aut qui ferias polluebat, inauspicatasque reddebat & profanas [22]. Afranius in *privigno* [23]:

*Quæ festivo nos facere solemus die,*
*Quotidiano opere promisces omnia,*
*At quæ profesto contra, cum celebras focum.*

Festi dies innumeri qui feriis continentur, quas Claudius Cæsar Consul tertium abrogavit multas [24], quod major pars anni iis absumeretur, non sine magno Reip. detrimento.

Feriæ autem *ἀργίαι*, *αἱ σχολαί*, in quibus otium & cessatio operum aut judiciorum, stativæ fuerunt, conceptivæ, imperativæ, aut nundinæ [25]. Stativæ universis, certis & statis diebus indictæ, *ὡρισμέναι ἡμέραι*, ut Agonalia, Carmentalia, Lupercalia, cæteraque quæ a Varrone diligenter anumerantur [26], in Kalendario vetere notantur, ab Ovidio in Fastis exponuntur. Ex his Saturnalia secunda hoc capite celebrare non injucundum forte erit, quod eæ feriæ licet stativæ, vel minus cognitæ, vel a quibusdam pollutæ sunt. Saturnalia Secunda invenio in antiquis inscriptionibus. Romæ:

a . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

IN. LVCO. DEAE. DIAE. TI. IVLIVS. IV
LIANVS. ALEXANDER. PER. PROMAG

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

IN. SATVRNALIA. SECVNDA. MAG. AN
NVVM. IN . . . RVNT



1 Varro lib. 6. de lig. lat. 2 lib. 2. de re rustiç. c. 9. 3 Gloss. vet. 4 In Avibus. 5 Cic. de Aruspic. resp. 6 Livius lib. 24. 7 Sueton. in Jul. c. 8. 8 lib. 4. epigr. 30. 9 epist. 57. 10 lib. 12. 11 Macrob. lib. 1. satur. c. 16. 12 Varro lib. 5. de ling. lat. 13 Festus in verb. quando stercus. 14 li. 1. fastor. 15 6. Æneid. 16 l. 2. §. si quis D. si quis cautionib. 17 Glos. vet. 18 lib. 14. c. 2. 19 l. 3. D. in quib. caus. tur. hab. 20 Festus in verb. profestum. 21 In Aulularia. 22 Agel. lib. 2. c. 28. 23 Apud Nonium. 24 Dio lib. 60. 25 Macrob. lib. 1. sat. c. 16. 26 Varro lib. 5. de ling. lat. a 124. 1.

Hæc pauca ex inſcriptione, quam poſtea integram adponam & explicabo. Ea nunc vero exſcripſi tantum quæ ad ſecunda Saturnalia pertinere viſa ſunt, in quæ fratres Arvales Magmentum annuum intulerunt.

Secunda Saturnalia primum ex M. Tullio [1] interpretabar. Ille dilucide: *Sed cum ſecundis*, inquit, *Saturnalibus ad Philippum veſperi veniſſet, villa illa completa militibus eſt, ut vix Triclinium, ubi Cæſar cœnaturus eſſet, vacaret*. Addit paulo poſt: *Ille tertiis Saturnalibus ad* H. III. *nec quemquam admiſit*. Hic *Secunda tertiaque Saturnalia* ad dierum numerum referenda nemo non videt. Quare cum ſingulis Saturnaliorum diebus ſacra fierent, Opaliaque cum Saturnalibus inciderent in menſem Decembrem [2]: ſacrum hoc quod in inſcriptione memoratur, Opi factum facile crediidiſſem, quæ eadem Dia Dea eſt: ni Opalia ex M. Varrone & Kalendario vetere, poſt diem Saturnaliorum tertium eſſent celebrata [3]. Ariſtarchus meus arbitrabatur ſecunda Saturnalia hic eadem eſſe ac fauſta, bona Saturnalia, ἀγαθὰ Κρόνια ex Ariani Epicteto. Sed mihi diligentius inſcriptionem veterem conſideranti, aliud venit in mentem, nec ſecundis aut bonis hujuſmodi Saturnalibus applaudere pótui. Nam Dea Dia eſt Tellus, quæ Ops eademque mater Deum magna:

Γαῖα θεὰ μῆτερ μακάρων θνητῶν τ' ἀνθρώπων [4].

Huic publice fratres Arvales ſacra faciebant, ut fruges ferrent arva [5]. Atque hæc etiam feſtum diem ſuum habuit, qui *Saturnalia ſecunda* dictus eſt, diverſus a Saturnalibus & Opalibus primis quæ fiebant menſe Decembri. Suidas: Κρόνια ἑορτὴ ἀγομένη Κρόνῳ καὶ μητρὶ τῶν Θεῶν. Secunda ergo Saturnalia, vulgatius Matronalia, in Kalendas Martias incidebant [6]. His enim Kalendis fœminæ ſua celebrarunt Saturnalia, ſerviſque cœnas appoſuerunt, ut domini primis Saturnalibus [7] De his Martialis [8]:

*Certe ſacra puto veſtra jam venire*
*Saturnalia Martias Kalendas.*

Quæ faciunt ad legis interpretationem, qua dicitur [9] *ut ſi vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis aut natali die dediſſet, donatio eſſet*. Kalendæ itaque Martiæ, quæ fœmineæ Kalendæ, nobis ſunt Secunda Saturnalia ex Martiali. Magmentum annuum meam juvat opinionem. *Magmentum* enim eſt daps, quæ profanatur a ruſticis Jano Sylvano, Marti, Jovi Dapali [10]. Daps vero apud Antiquos eſt res divina, quæ fiebat aut hyberna ſemente aut verna. Unde Cato [11]: *Ubi daps profanata comeſtaque erit, arare incipito*. *Profanatum* dicebatur quod in Sacrario poſitum erat [12]. Ut cum ex mercibus porrecta ſunt Herculi libamenta in ara, tum pollutum & profanatum, quod ſacrificio quodam fanatur & fani fit. Olim enim in fano conſumebatur omne quod profanum erat, quomodo Octavius Herennius [13] decimam Herculi profanaſſe dicitur a Maſſurio Sabino libro ſecundo *memorialium*. Saturnalia igitur ſecunda cum in Kalendas Martias inciderint, vere ineunte, quo tempore daps profanatur ſemente verna [14], quæ fuerint illa facile eſt jam dignoſcere. Hæc ſi viri docti probaverint, puerorum more clamitabo, *Io bona Saturnalia*. Imo ut Saturnalibus rex ille deſignatus, lectoribus meis diverſa ſentientibus præcipiam: Σὺ πίε, σὺ κέρασον, σὺ ὦσον, σὺ ἄπελθε, σὺ ἐλθέ [15]. *tu bibe, tu pocula miſce, tu expelle, tu diſcede, tu accede*.

## CAP. XV.

*Vinalia priora; Vinalia altera. Feriæ Latinæ. Lararia. Imperativæ feriæ. Pandiculares dies.*

Et quoniam Saturnalibus ſervi cum dominis epulabantur, vinum autem conviviorum omnium regem natura ſtatuit: non abſurdum erit a Saturnalibus ad Vinalia tranſire, & vino delectari eo, quod Anitium Conſulem quærat. In Kalendario legimus *vinalia priora*, *vinalia altera*. De utriſque Vinalibus veteres ſcriptores multum inter ſe diſcrepant; ex iis ſequar Varronem, Plinium & principes poetas. Varro paucis [16]: *Vinalia*, inquit, *a vino. Hic dies Jovis non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio. Nam aliquot locis vindemiæ primum a Sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ etiamnunc. Nam Flamen Dialis auſpicatur vindemiam, & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæſa & porrecta, Flamen prorſus vinum legit*. Aperte Plinius [17]: *Vinalia priora IX. Kal. Maii deguſtandis vinis inſtituta nihil ad fructus attinent. Vinalia altera quæ aguntur ad* XIII. *Kal. Sept. & hunc diem feſtum volunt, tempeſtatibus liniendis inſtitutum*. Tria enim tempora fructibus retinebant, propter quæ inſtituebant ferias dieſque feſtos. Quod Virgilius [18] uno verſu obſervavit:

*Et jam maturis metuendus Juppiter uvis.*

Quare Vinalia altera, id eſt, ſecunda quæ ad Kalend. Sept. dies feſtus fuit Jovis, non Veneris, id eſt, Jovi ſacra fiebant hoc die, cum tamen Veneris eſſet feſtus. Clare Ovidius [19]:

*Cur igitur feſtum Veneris Vinalia dicunt*
*Quæritis, & quare ſit Jovis iſta dies.*

Nam Vinalia altera ἀφροδίσια in Varronis Satyra [20], περὶ ἀφροδισίων. In quo notandum eſt *diem a feſto* ſeparari, quod vix ullus ſatis advertit huc uſque, quodque authores facile conciliare poteſt, qui inter ſe pugnare videntur.

Sunt & alii feſti dies poſt occaſum Reip. inſtituti, ut Sollemnia Ceſarum, quibus ſolebant focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari [21], vino lectum cogere, aliaque adulationis ſigna præbere. In his feriari diutius hominis eſſet otioſi.

Conceptivæ feriæ Feſto & Macrobio ſunt [22], quæ a Magiſtratibus conciperentur vel Sacerdotibus in dies certos vel incertos. Addit Macrobius illas concipi quotannis, quales Sementinæ, dies a Pontificibus dictus a ſemente, quod ſationis cauſa ſuſceptæ. Nos tamen inter ſtativas ponimus Saturnalia ſecunda, quibus pro ſemente verna Kalendis Martiis ſacra fieri ſolebant. Quas ferias conceptivis Macrobius annumerat, habita dierum ratione, qui in certos, vel incertos, concipiebantur, id eſt, ut quandoque dies feſti plures, quandoque pauciores eſſent.

Latinæ feriæ conceptivæ etiam ſunt, de quibus Senatuſconſultum fiebat [23], ut edicerentur. Pomponius noſter tradit [24], quoties magiſtratus proficiſcerentur, unus relinquebatur qui jus diceret, vocabaturque Præfectus urbi. Qui præfectus olim conſtituebatur, poſtea vero feriarum Latinarum cauſa introductus eſt. Simulacrum hujus præfecturæ duravit, quoties ob ferias Latinas præficeretur, qui conſulare munus uſurparet [25]. Lapis vetus Romæ:

1 lib. 5 ad Attic. epiſt. 10. & li. 13. epiſt. 50. 2 Feſtus in verb. Quinquatrus. 3 Varro lib. 5. de ling. lat. 4 Orpheus. 5 Varro lib. 4. de ling. lat. 6 Acro in Horat. lib. 3. Carmin. od. 8. 7 Macr. lib. 1. ſatur. c. 12. 8 li. 3. epig. 85. 9 l. ſed ſi vir. §. ſi vir uxori. 3. D. de donat. int. vir. & ux. 10 Scaliger in Varron. lib. 4. de ling. lat. 11 lib. de re ruſtic. c. 50. & 132. 12 Varro lib. 5. de ling. lat. 13 Macrob. li. 3. ſatur. c. 6. 14 Feſtus in verb. dapſ. 15 Arrian. li. 2. c. 25. 16 lib. 5. de ling. lat. 17 lib. 18. c. 29. 18 2. Georg. 19 4. faſt. 20 Nonius in verb. fartores. 21 Tertul. in Apol. c. 25. 22 Feſtus in verb. conceptivæ. Macr. li. 1. ſatur. c. 16. 23 Cic. li. 4. epiſt. 6. 24 l. 2. §. & hæc omnia D. de ori. jur. 25 Livius li. 21. Tac. li 6. Annal.

A

a M. AVR. VICTORI
C. V
PRÆF. FERIARVM
LATIN. SACERDOTI
DEI. SOLIS

Hic a Dione [1] πολίαρχος ἐν ταῖς ἀνοχαῖς καταστάς, qui *Præfectus* dici debuit, non ut interpres vertit *Aedilis*, ἀγορανόμος. Idem Dio [2], ὅτε πολίαρχος ἐς τὰς ἀνοχὰς ἀπεδείχθη, ἀλλ' ἐκ τῶν στρατηγῶν τινὲς τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ διήγαγον. Ad has ferias a Cæsare pueri constituti equestris ordinis, παῖδες ἄνηβοι.

De Compitalibus nihil aliud habeo nisi quod illa
B
*Lararia* dicta sint, ut scripsit Festus [3]. Nam alibi *Lararia* pro *Compitalibus* reperire haud facile est, licet Compitalitii ludi Laribus fierent [4], a Vicorum magistris Prætextatis.

Imperativas ferias magistratus majores indicere solebant Senatus authoritate, quæ & indictivæ vocantur. Hæ aliquando in quinquaginta dies decretæ, qui dierum cumulus hominis dignitati tribuebatur [5]. Antonii odio M. Tullius eorum nomine qui illum ad Mutinam devicerant, censuit quinquaginta dierum supplicationes decernendas [6]: VT C PANSA A. HIRTIVS. COS. IMPERATORES. ALTER. AMBOVE. AVT. SI ABIERINT. M. CORNVTVS. PRÆTOR. VRBANVS. SVPPLI
C
CATIONES. PER. DIES. QVINQVAGINTA. AD OMNIA. PVLVINARIA. CONSTITVAT. Quot dies ipsi Cæsari decreti devicto Pompejo [7], qui quidem omnes erant otiosi. In feriis enim imperandis præfabantur, ut litibus & jurgiis se abstinerent [8]. Imperativæ igitur feriæ sunt eæ, quæ non conceptivæ erant, sed nova aliqua ex causa constituebantur, veluti ob bellum bene gestum, vel ob prodigia. Quarum constituendarum causa Dictatorem quandoque Senatui dici placuit [9]: quandoque ferias illas edicto imperare, ut cum terra movisset [10]. In quo illud fuit observatum ex decretis Ponti-
D
ficum, ut Dei nomen cui servari ferias oporteret, uti solet, statuere & edicere quiescerent; ne alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem remotus esset, hostiam si Deo si Deæ immolabat. Recte lectionem Agellii viri docti emendarunt ex M. S. codice [11]. Legendum enim *piaculoque ob hanc rem opus esset*. Quod a M. Tullio interpretationem sumit [12]: *Sacrum commissum*, inquit ille, *quod neque expiari poterit, impie commissum esto: Quod expiari poterit, publici Sacerdotes expianto*. Ut si Prætor ferias violarit qui tum factus est [13]: si imprudens fecit, piaculari ho-
E
stia factum piatur. Si prudens dixit, Q. Mucius abnegabat eum expiari, & ut impium non posse dicebat. Recte ergo Agellius ex Varrone, *piaculoque opus esset*. Nam pollutæ feriæ nullo aliquando piaculo expiabantur.

Pandiculares dies adjicio [14], qui supplicationum feriis præcipue communes, ideoque *communicarii* dicebantur, quando Diis omnibus sacrificabatur, ut in multa pace. Ab iis Panda Εἰρήνης Θεός [15]. Nundinæ nihil ad Pontifices veteres, licet ii sacra profanaque omnia ubique fuerit nundinati. Hæ feriæ sive de festo fuerunt [16].

F

CAP. XVI.

*Feriæ Imperiales, Repentinæ. Natales Principum. Præcidaneæ feriæ. Atri dies. Dies necis Senatusconsulto celebrati.*

FERIÆ Imperativæ tandem *imperiales* dictæ [17], quod ab Imperatoribus edicerentur, cum antea a majoribus Magistratibus. Fuerunt hæ aut statæ aut repentinæ, statæ sive sollemnes, ut Natales principum, amicorumve principis, Natales urbium. Repentinæ extra ordinem indictæ ob res prospere gestas, vel ob ipsius principis honorem [18]. Natales urbium vel Coloniarum, ab ipsarum ortu initium ducunt, ut Brundusinæ Coloniæ natales [19], Romæ Palilia; quæ quidem a principibus etiam Christianis servatæ, & imperatæ [20]. Etenim natales maximarum urbium Romæ & Constantinopoleos, ut suos, otio sanxerunt. Natales principum ab ipso Augusto Cæsare originem tragunt [21], Triumviris Reip. constituendæ authoribus: qui imperarunt, ut illi ab omnibus animo læto, lauroque coronatis celebrarentur, & qui neglexissent illi Jovi Cæsarique sacri haberentur. Et quoniam in natalem diem Cæsaris, ludi Apollinares incidebant, pridie ejus diei natalitia peragi jussum est, quæ proprie præcidaneæ feriæ, quia non suo die actæ, sed in alium translatæ sunt [22]. *Præcidere* enim est *antecedere* [23], quæ Græcis προτέλειος ἡμέρα. Equites Romani natalem Augusti sponte atque consensu biduo celebrarunt, cum unius diei feriæ essent [24]. Hic tandem festus dies Augusti in Kalendarium redactus est Septembri mense, quod omnibus retro principibus concessum est, vel necessitate expressa, vel verecundia. Romæ:

b DECRETVM
ÆDICVLAM. ET STATVAS. HAS. HOSTI
AM. DEDICATIONI. VICTIMAE. NATAL
AVG. VIII. KAL. OCTOBR. DVAE. QVAE
P P. IMMORARI. SVETAE. SVNT. AD
ARAM . . . . . . . . . . . . . . . . .
EOQVE. NATALI. VT. QVODANNIS. VI
TVLVS. IMMOLETVR. ET. NATALIB. AV
GVSTI. ET. TIBERI. CÆSS. PRIVSQVAM
AD. VESCENDVM. DECVRIONES. EANT
THVRE. ET. VINO. GENII. EORVM. IN
VITENTVR . . . . . . . . . . . . . .
NATALI. AVGVSTAE. MVLSVM. ET. CRV
STVLA. MVLIERIB. VICANIS. AD. BO
NAM. DEAM. PECVN. DEDIMVS.

Hic Victimæ duæ natali Augusti immolantur, Tiberii vitulus. Utriusque natalibus Thure & vino Genii eorum invitantur. Illis ut divis sacra facta. At merum fusum Geniis, non hostiam factam, quod id moris institutique Rom. tenuerunt, ut cum die natali munus Genio solverent, manum a cæde & sanguine abstinerent [25]. Tritum est viris Genios, Junones fœminis Veteres tribuisse [26]. Quare Bonam Deam in hac inscriptione, non male pro Junone acceperis. Inscriptio Romæ:

c LARIBVS. AVGVSTI. ET
GENIO. CAESARVM



a 313. 4. 1 Dio lib. 43. 2 lib. 49. 3 In verb. popularia sacra. 4 Ascon. in Pison. 5 Cicer. de Provinc. consularib 6 Cicer. Philip. 14. 7 Dio lib. 43. 8 Cic. lib. 1. de divinat. 9 Livius lib. 3. & 7. 10 Agel. lib. 2. c 28. 11 Ludov. Cario. & Lips. lib. 1. elect. c. 7. 12 lib. 2. de legib. 13 Varro lib. 5. de ling. lat. 14 Festus in verb. Pandicularis. 15 Gloss. vet. 16 Festus in verb. ferias. 17 lib. 4. C. de feriis. 18 l. sed & si. §. si feriæ. D. ex quib. causi major. 19 Cic. 4. ad Attic. epist. 1. 20 lib. 2. C. Theod. de feriis. 21 Dio lib. 47. 22 Agel. lib. 4. c. 6. 23 Festus in verb. præcinere. 24 Suet. in Augusto c. 57. b. 228. 8. 25 Censorin. c. 2. 26 Plin. lib. 2. c. 7. c 106. 6.

Burdigalæ:

> [a] IVNONIBVS. IVLIÆ
> ET. SEXTILIÆ

Sed natales principum perſequamur, qui tantæ iis curæ fuerunt, ut Cæſar Caligula [1] Domitium Conſulem conſtituerit, Conſulibus abrogato magiſtratu, quod ferias in ſuum natalem non indixiſſent, cum Prætores & decurſionem Equeſtrem exhibuiſſent, venationemque, ſolitum id quotannis.

Amicorum quoque principis qui apud illum pluximum poterant, natales feſti agitabantur. Sic decretum a Senatu ut natalis Sejani publice celebraretur [2]. Queis diebus Circenſes ludi additi ſunt, venationes, ſportularum diviſiones [3], tanto ſtudio & favore acceptæ, etiam in privatorum gratiam, ut cum quidam decurionibus diviſiones dari voluiſſet, die natalis ſui, Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt [4], non eſſe veriſimile teſtatorem de uno anno ſenſiſſe, ſed de perpetuo legato.

Repentinæ Imperiales feriæ non ſolum ob res proſpere geſtas, ſed in principis honorem, ut ob reditum Auguſti, qui dies inter ferias relatus eſt. Fortuna Redux in nummis notatur, ut adventus Auguſti. Apud me nummus eſt æreus Elegabali:






Adjungo inſcriptionem veterem Albæ Juliæ.

> [b] FORTVNÆ
> REDVCI. LARI
> VIALI. ROMÆ
> ÆTERNÆ

Alia rurſus dierum obſervatio eſt. Sunt enim atri dies religioſi, alieni, vitioſi, nefaſti, qui omnes obſcœni ſunt, ominis aut mali a Pontificibus vel magiſtratibus judicati.

Religioſos dies Nigidius [5] appellavit infames vel infauſtos, qui ſex & triginta numerantur, ſingulis menſibus terni [6], poſtridie Kalend. Nonas, Idus, Pontificum decreto. Atri proprie appellantur Allienſis dies, atque ii quibus mundus patet, qui & religioſi. Allienſis dies fuit poſtridie Idus Quintiles, quem funeſtiorem eſſe voluerunt, quam urbis captæ [7], quod hoc malum ex illo. *Itaque alter*, inquit Tullius, *religioſus*, *alter in vulgus ignotus*.

Mundus patens late explicatur a Feſto [8] & Macrobio ex Attejo Capitone libro ſexto Pontificali, & Varrone. Hos dies imperite a vulgo nefaſtos appellari Agellius putat [9], in quo fallitur vir acuti ingenii & elegantis. Nam hi dies atri, religioſi, alieni, nefaſti dicti ſunt Claſſicis authoribus. Tacitus [10], *Miro*, inquit, *certamine Procerum decernitur, ut dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet*. Suetonius [11] de Agrippina altera nuru: *Diem quoque natalem ejus inter nefaſtos referendum Tiberius ſuaſit*. Primi Triumviri Reipub. conſtituendæ, diem necis Julii Cæſaris nefaſtum cenſuerunt, τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐφονεύθη ἀποφράδα ἐνόμισαν [12].

Inter dies atros repono illos qui ob diem necis alicujus, feſti fuere. Cujus ſententiæ Cn. Lentulus author fuiſſe videtur, qui, cum Libo mortem ſibi conſciviſſet, cenſuit ut dies illius necis feſtus haberetur [13]. Quod a Senatu primum poſt Sejani ſupplicium decretum eſt, atque ut idem dies Circenſibus ludis & venationibus, per quatuor Collegia, & Auguſti Sacerdotes ornaretur [14], quod novum nec antea factum. Prius quidem mortuo Antonio & Agrippina natales Senatuſconſulto atri judicati, ἡμέρα μιαρὰ νενομισμένη [15], id eſt, rebus divinis ſuperſederi juſſum. Mortuo Sex. Pompejo ludi exhibiti, ſed dies feſtus & ludi in odium Sejani primum decreti ſunt.

## CAP. XVII.

*De privatis feriis quæ fuere aut certæ familiæ, aut Collegii aut ſingulorum. Natalis dies navigationis. Privatorum natales poſt mortem celebrati.*

RURSUS feriæ aut publicæ ſunt aut privatæ. De publicis hactenus, inter quas forenſes non attigi, quod hæ nihil ad Pontificum decretum, qui dilationibus judiciorum aut litium impediri non ſolebant. Mihi quidem illæ ad illorum jus dignoſcendum plurimum contulerunt.

Privatæ feriæ aut certæ familiæ fuerunt aut Collegii aut ſingulorum [16]. Familiæ, ut Claudiæ, Juliæ, ex uſu domeſtico & perpetuis ſacris & Gentilitiis, quæ per ſucceſſionem generis συγγενικὰ dicuntur [17]. C. Claudius, cum Appio Claudio Gentili ſuo ſuaderet, ut ſeſe Decemviratu abdicaret: *Jam me tibi* inquit, *generis debita perſolviſſe Deos teſtor, quorum fana & aras communibus ſacrificiis honoramus, quotquot Appiæ gentis ſucceſſores ſumus*. Μαρτύρομαι Θεοὺς, ὧν ἱερὰ καὶ βωμοὺς κοιναῖς θυσίαις γεραίρομεν, οἱ τῆς Ἀππίου γενεᾶς διάδοχοι.

Collegiorum feriæ ſunt, ut Natales dies navigationis [18], qui ſollemni certamine publicoque ſpectaculo multarum gentium celebrabantur. De cujus ritu Apulejus multa [19]. *Ad ripam maris*, inquit, *ſimulacbris rite diſpoſitis, navem faberrime factam, picturis miris Aegyptiorum circumſecus variegatam*,

a 25. 11. 1 Dio lib. 59. 2 Dio lib. 58. 3 Capitolin. in Anton. Pio. 4 l. quidam. D. de Annul. legat. b 78. 1. 5 Apud Nonium. 6 Liv. lib. 6. Feſt. in verb. Nonarum, & religioſos. 7 Cic. 9. ad Attic. epiſt. 9. 8 In verb. mundus patens. Macrob. 1. ſat. c. 16. 9 lib. 5. c. 17. 10 lib. 14. Annal. 11 In Tiber. c. 53. 12 Dio lib. 47. 13 Tacit. lib. 2 Annal. 14 Dio lib. 58. 15 Dio lib. 49. 16 Macrob. lib. 1. ſat. c. 16. 17 Dionyſ. lib. 2. & 11. 18 Vegetius lib. 4. cap. 29. 19 lib. 11. metamorph.

*summus Sacerdos tæda lucida & ovo & sulphure solemnissimas preces de casto præfatus ore, quampurissime purificatam Deæ nuncupavit dedicavitque*. Hinc dies ille, quo post forenses ferias litibus rursus implicamur, quem vulgus *Parlamenti apertionem* dicit, non male vocari posset *Natalis dies forensium actionum*, quo scilicet emortuæ illæ valentiores reviviscunt.

Singulorum feriæ nuptiarum dies fuerunt aut natalium aut funerum. De nuptiis aliquando plura in libro *de Sacris*. Privatorum natales meliore lapillo non celebro, quam veteres poetæ qui nihil obmiserunt, unum dicam natalem post mortem a plerisque coli solitum. Talis fuit natalis dies Epicuri [1], quo vultus per cubicula gestabant, natali ejus vicesima luna sacrificabant, feriasque custodiebant omni mense. Et Silius Italicus diem natalem Virgilii religiosius celebravit, quam suum, ut Plinius author est [2]. In hujusmodi celebrationibus quæ frequentissimæ ex testamento, crustum, mulsum, sportularum divisio, vinum, nucumque sparsio data, quæ ex antiquis inscriptionibus colligi possunt, inter quas una hæc est:

[a] A. QVINTILIO. A. F
PAL. PRISCO

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

QVOD. ANNIS. VI. ID. MAII. DIE. NATALI. SVO. PERP. DARETVR. PRAESENT. MVNICIP. ET. INCOL. ET. MVLIERIB. NVPTIS. CRVSTVL. P. I. MVLSI. HEMIN. ET. CIRCA. TRICLIN. DE CVRIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET SPORT. H-S. X. N . . . . . . . . .

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

NVCVM. SPARSION. MOD. XXX. ET EX. VINI. VRNIS. POTIONVM. EMINISTRATION. DIGNE. INCREMENTIS PRAESTITERINT

Funerum ferias in aliam hujus Operis partem transferemus.

## CAP. XVIII.

*De ludis qui aut Circenses aut scenici. Publici aut privati. Taurilia ludi. Honorarii ludi.*

FESTIS diebus insunt ludi, qui a primordio aut sacri fuere, aut funebres, id est, Diis nationum aut mortuis exhibebantur [3]. Qui in Deorum honorem, duorum illi generum præcipue fuerunt, Circenses aut scenici. Atque illi quidem varii ut Megalenses, Sæculares, Latiales, & cæteri, quorum plerique Circenses magni, & Romani dicti sunt. Omnes vero aut stati erant, imperativi, repentini, honorarii, aut votivi. Illique rursus aut publici aut privati, publici Diis solum communes; privati in honorem fiebant magistratuum aut mortuorum. Ludorum celebrationes Deorum festa sunt, qui quidem ob natales eorum vel templorum novorum dedicationes sunt instituti, quos omnes sacros esse voluerunt, & inter religio-

A nis officia deputari [4]. Nec enim ludus sine sacrificio; meritoque Tertullianus [5] exclamabat: *In ludis quanta sacra, quanta sacrificia præcedunt, intercedunt, succedunt? Quot Collegia? quot Sacerdotia?* Collegiis enim quatuor præcipue mandata erat ludorum cura, quibus aliquando Sodales adjiciebantur. Locus Taciti [6]: *Sed tum supplicia Diis, ludique magni ab Senatu decernuntur, quos Pontifices & Augures, & Quindecimviri, & Septemviri simul cum Sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius ut Feciales his quoque ludis præsiderent, contradixit Cæsar, distincto Sacerdotiorum jure, & repetitis exemplis. Neque enim unquam Fecialibus hoc* B *majestatis fuit*. Ideo Augustales adjecti [7], quia proprium ejus domus Sacerdotium erat, pro qua vota persolverentur.

Meminit Livius [8] Collegii Capitolinorum, quod ad ludos Capitolinos constitutum est a M. Furio Dictatore, ex iis qui in Capitolio, atque in arce habitarent. Quod ad M. Tullii tempora duravit, quibus M. Furius Gentilis ab hoc Collegio expulsus est. *Non prætermittam*, inquit Tullius [9], *ne illud quidem, M. Furium Equitem Rom. hominem nequam, Capitolini & Mercuriales de Collegio dejecerunt*. Capitolinos eosdem fuisse cum Tarpeiis Piso tradit [10]. Hos tamen Romulus Jovi Feretrio instituit: at illi C a M. Furio Camillo primum facti.

Collegia autem Pontificibus aderant in publicis ludis, maximeque Circensibus aut Romanis. Sed certa tantum præsidebant his ludis, ut tria amplissima & Septemviri Epulones, qui propter ludorum multitudinem sunt creati. In iis ludis Pontificis maximi, ut jam monuimus, erant Tensæ, præcentio, libationes, Epulæque

Sed cum me quasi ad ludum damnaverim, Pontificum gratia pugnare lubet. Et si displiceam, vel pollice verso occumbere; quemlibet fortunæ casum æquo animo feram, si modo atrior non videar, quam Ægyptii, aut qui Cortinam ludis per Circum D ferunt [11]. Primum igitur inferorum ludos edemus, qui *Taurilia* dicti sunt. Hos instituit Tarquinius Superbus ex libris fatalibus. Dictos putat Servius [12], a Taura quæ sterilis vacca est Varroni [13], quod Virgilii [14] authoritas firmare videtur:

*Sterilemque tibi Proserpina vaccam.*

Festus [15] contra Taurios vocatos credit a carne Taurorum immolatorum divendita populo. At Varro [16], quod iis ludis discipulus pendens a doctore, crudo Tauri corio, solitus sit impelli. In hac authorum varietate locus mihi non est sententiæ dicendæ, sed licet putare Taurilia a Tauris Scythiæ populis denominata [17], ubi Tauricæ Dianæ quæ E apud inferos Proserpina est, pro victimis homines immolabantur. Diu enim Romæ Diti Patri humanis capitibus sacrificatum, ad ipsa usque Tarquinii tempora [18], qui Tauricos instituisse fertur: & ludos ex vicis compitorum, in quibus agitabantur, Compitales Laribus ac Maniæ restituisse. Quo pulso, Sacrificii genus M. Brutus aliter Diis inferis constituit celebrandum.

Tria autem Diis inferis ludorum genera sunt exhibita, Taurilia, Compitalia, Terentini ludi. Taurilia ludi, non stati, neque frequentes, nisi religionis alicujus causa [19], illique in Circo Flaminio, ne intra muros Dii inferi evocarentur. In campo Martio Terentini ludi Diti Patri & Proserpinæ [20], F centesimo quoque anno fiebant ex Varrone *de scenicis originibus* libro primo. Terentini secularibus includuntur: in his hostiæ propter ripam Tiberis

1 Cic lib. 2. de finib. Plin. lib. 35. cap. 2. 2 Plin. lib. 3. epist. 7. a 461. 1. 3 Tertullian. de spectacul. cap. 6. 4 Lactantius de vero cultu cap. 20. Arnob. lib. 7. 5 lib. de spectac. c. 7. D. Cyprian. de spectac. 6 3. Annal. 7 Dio lib. 53. 8 lib. 5. 9 lib. 2. ad Q fratr epist. 5. 10 Tertul. lib. de spectacul. cap. 5. 11 Plaut. in Pœnulo. 12 2. Æneid. 13 Varro lib. 2. de re rustic. cap. 5. 14 6 Æneid. 15 In verb. Taurios. 16 lib. 4. de ling. lat. 17 Herodot in Melpomene Euripid. in Tauris. 18 Macrob. lib. 1. satur. cap. 7. 19 Livius lib. 39. 20 Censorin. de die nat. cap. 17.

ad Tarentum Diis consecrantur, vel si Festo credimus [1], Terentum locus est in campo Martio, dictus quod eo ara Ditis Patris in terra occultaretur.

Ab inferis Diis ad superos transcendamus. Sollemnes illorum ludos aliquos percurremus solum aurigarum more, quo citius perveniamus ad metam. Sæculares magnifice appararunt Censorinus & Zosimus [2], quos libro singulari ita diligenter curavit Onuphrius, ut non debeant instaurari. In his Lustralia populo a Quindecimviris distributa nummi Domitiani indicant, in quibus Imperator xv. vir in suggestu ante templi porticum, vasa duo ante pedes habet, ex quibus suffimenta petentibus largitur, ut ex notis nummi intelligitur in quo scriptum PONT. MAX. XV. VIR. LUD. SAEC. Sub Tribunali SUF. P. D. hoc est, *suffimenta populo data*.




Ea enim cura Quindecimviris mandata erat antiquitus, & magistratus exequebantur officia ceremoniarum [3].

Ludi vero cæteri publici erant stati & sollemnes ut in Kalendario vetere notantur: in quo Aprili mense fuere ludi matris magnæ, qui Megalesia, Cerealia, Fordicidia a fordis bobus. Majo mense Martiales ludi: Julio, Apollinares & victoriæ Cæsaris: Septembri, Romani & natales Augusti: Octobri, ludi Victoriæ: Novembri, ludi Neptunales & plebeii. Ex iis qui in Circo maximo toti celebrantur, Circenses dicti sunt. Quare qui putant Cereales, Megalenses, aliosque cum Circensibus eosdem esse, falluntur hercle illi. Nam ut ludi Romani toti in Circo, quemadmodum & victoriæ Cæsaris, & natales Augusti, plebeiique: sic matris magnæ, Cereris, Apollinis ex veteri eodem Kalendario, toti in Scena, quorum dies ultimus qui extremus vel summus [4] in Circo solus transactus summusque dictus, quod in Circo majore celebritate perficeretur. Deorum aliorum ludi incertis diebus fiebant: ut Scenici Baccho; Equiria Marti [5]. Ludi autem in templorum vel locorum publicorum dedicationibus exhibiti, vel natalibus Imperatorum, aut eorum, quorum dies necis festus ludis celebrabatur, imperativi primum fuerunt, quorum plerique postea stati [6]. Alii fuerunt repentini ludi, quos M. Tullius [7] *fortuitos* vocat. Honorarii ludi Festo [8] sunt Liberalia, qui promiscue ludi dicebantur, quia Scenici omnes Libero dicati [9]. Sed honorarii ad honorem referri possunt privatorum, cujusmodi fuerunt Pontificales ludi, Quæstorii, Ædilitii, Triumphales vel funebres: quos suo loco sine sumptu nos edemus.

## CAP. XIX.

*De ludis Scenicis. De ludorum diebus & sumptibus. Ludi in Provinciis. Hostici, Miscelli.*

SCENAE adhuc serviendum nobis est, non ut in illa spectemur, sed ut digni videamur, qui eo non accedamus. Scenici omnibus fere inerant ludis [10], frequentissimi illi quidem & in Circo aliquando celebrati, ut Terentii testantur Comœdiæ actæ ludis Megalensibus & Romanis. Nec temere in Kalendario dies numerantur, quibus hi ludi in Circo editi sunt: eorum enim partem majorem sibi forum & scena vendicarunt. Sed quos Livius [11] vocat *ludos Romanos Scenicos*, non satis explicatum. Nec enim illos *ludos magnos* aut *Circenses* dixerim: sed *scenicos Romanos* ad differentiam illorum trium qui in scena celebrabantur, vocitatos puto. In illa enim fuere Latini, Græci, Osci sermone habituque diversi [12]. Osci populi Campaniæ, qui cum Latine nescirent, a Romanis tamen facile & cum voluptate intelligebantur, propter imperitiam linguæ, & cum gens illa Oscorum periisset, sermo eorum apud Romanos remansit, & carmina quædam, & mimi certo quodam certamine, quod instituto majorum colebatur, in scenam recitabantur. Romani igitur scenici sunt, quibus nec Græci nec Osci inessent.

Ludi omnis generis votivi fuerunt plurimi, qui vel publici vel privati. Publici Senatusconsulto a magistratu majore vovebantur. Ut cum ob tumultum Gallicum Q. Servilius Hala Dictator creatus, ex authoritate patrum, si prospere bellum evenisset, ludos magnos vovit [13]. Quandoque in ipso pugnæ discrimine Imperatores vovebant ludos, quos postea bello confecto Senatus comprobabat [14]. Quales fuere Posthumii Dictatoris, quos votivos Senatus decrevit. Votivi pro reditu Imperatoris leguntur in antiquo lapide Romæ:

[a] TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CÆS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPT. MAXIMO. FECIT
EX. S. C

Votivi ludi ad omnes primum publicas aut bellorum aut pestilentiæ calamitates, domesticas clades, aut victorias, aut si Resp. in eodem statu permaneret, referebantur: qui postea pro itu & reditu principis, pro adventu, ex adulatione illi quidem, non

1 In verb. Terentum. 2 Cap. 17 Zosim. lib. 2. 3 Tacit. lib. 11. Annal. 4 Cic. lib. 7. epist. 1. & lib. 10. ep. 32. 5 Tertul. de spectacul. cap. 5. 6 Sueton. in Caligul. cap. 18. 7 In Partitionib. 8 In verb. honorarios. 9 Lactant. lib. 6. de vero cult. cap. 20. 10 Livius lib. 7. 11 lib. 7. Sueton. in August. cap. 43. 12 Cic. 7. epistol. 1. Plin. lib. 3. cap. 5. Strab. lib. 5. 13 Livius lib. 2. 14 Dionys. lib. 7. a 11. 1.

A non ex antiquo ritu concepti. Ludorum vero dies eo processerunt ut annales fere indixerint ferias mutuo concursu. Scenici primum per quatriduum facti Q. Fabio & M. Claudio Coss. post Cannensem cladem [1]. Ludi Agrippæ in Ædilitate unde-sexaginta diebus celebrati [2], secundum quos nulli dies ad agendum. Ferunt Trajanum [3] confecto Dacico bello per centum & viginti tres dies Romæ ludos edidisse, quod factum est Decebalo rege devicto. De hoc elegans inscriptio vetus:

[a] FORTVNAE
AVG
OMNIPOTENTI
B VBI. ERAS
RHAMNV
SIA
VBI. ERAS
QVANTVM. ABFVIT
NE. ROMA. LUGERET
SED. VIVIT. TRAIANVS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VII. ET. XIII. G
DEVOTIS. CAPITIBVS

Atque ut dies ludorum innumeri, sic sumptus immodici fuerunt. Cum Triumphus M. Fulvio de-
C cretus esset, isque gratias patribus ageret, ludos magnos se Jovi Opt. Max. eo die, quo Ambraciam cepisset, vovisse retulit. Centum sibi pondo auri a civitatibus collatum petere, ut ex ea pecunia, quam in triumphum latam in ærario positurus esset, id aurum secerni juberent [4]. Senatus Pontificum collegium consuli jussit, num omne id aurum in ludos consumi necesse esset, cum Pontifices negassent ad religionem pertinere, quanta impensa in ludos fieret: Senatus permisit Fulvio, quantum vellet impenderet, dum ne summam octoginta millium impenderet.

D De pecunia tandem Senatusconsulto finitum [5], *ne major causa ludorum consumeretur, quam quanta Fulvio nobiliori, post Ætolicum bellum ludos facienti decreta esset: Neve quid ad eos ludos Consul arcesseret, cogeret, acciperet, faceret, adversus id Senatusconsultum. Quod L. Æmylio Cn. Bebio Coss. de ludis factum esset.* Decrevit id Senatus propter effusos sumptus factos in ludos Titi Sempronii Ædilis, qui graves non modo Italiæ ac sociis Latini nominis, sed etiam Provinciis externis fuerant.

Privatorum impensæ profusiores fuerunt, quorum ludi ab editoribus nomen assumebant, ut ludi Pompeii, Domitii, Germanici, ludi Cæsarum, quos privatos fuisse Sidonius [6] docet:

E *Mos est Cæsaris hic die bis uno,*
*Privatos vocitant, parare ludos.*

Nec vero Romæ tantum, sed in Provinciis & municipiis ludi facti a Proconsulibus & Duumviris, atque ab ipsis etiam Imperatoribus. Caligula ludos Gadibus exhibuit [7]: Syracusis edidit hosticos, in Gallia Lugdunensi Miscellos. *Hostici* ludi viros doctissimos feriunt [8], qui malunt *Actiacos*, *Atticos*, *Asticos*, quos probare non possum. *Hosticos* enim πολεμίως interpretor, quos Capitolinus [9] *militares*. Et cum *hostici* nomen Latinitas admittat, miror ego cur Critici rejiciant. *Servitium commune hosti-*
F *ca evenisse manu*, Plautus [10] dixit. Nemo tamen literatus suum me inimicum aut hostem putet, si non video quomodo antiqua lectio explodi possit, quæ *ludos hosticos* scriptos habet.

Miscelli ludi sunt varii, quæ vox indigena non est, (pace viri eruditissimi dixerim,) nam & lex Julia *Miscella* a mixtis multarum rerum capitibus dicta, ut *ludi Miscelli*, ab eorum varietate nuncupati. Ab hoc verbo *Miscelliones* [11] dicti, quæ variæ sunt sententiæ mixtorumve judiciorum. Confuse & permixtim æquo utrumque munere a Gladiatoribus plerumque pugnatum vel hostili more Lipsius [12] apertum facit. Hæcce pugna hosticis aut miscellis ludis committebatur, hostici quodam ordine pugnæ, miscelli perturbati, utrique bellico more. De his Juvenalis [13]:

*Sic veniunt ad miscellanea ludi.*

cum homines exagitat deperditæ gulæ. Veteri interpreti *Miscellanea* cibus gladiatorum fuit, & ultima cœna. Sic Vitellius paratos cibos, ut gladiatorum saginam divisisse dicebatur [14]. Ab hac cœna in arenam prodeuntes prælio confuso & hostili vitam misere finiebant. Quod decoctoribus evenire solet, qui fame pereunt misere cum una cœna patrimonium omne consumpserunt.

---

## CAP. XX.

*Qui dare ludos possent: qui illis præesse. An privatis id licuerit. Defunctæ Africanæ.*

QUI magistratus non essent, illis nisi funeris causa ludos facere non licebat. Merito M. Tullius [15] Q. Gallium insectatur, quod ludos Gladiatorum, populo non debitos, pollicitus esset. Ille enim in Ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, populoque propterea offensior, quam ut sibi conciliaret Præturæ Candidatus. Is cum suo nomine privatos ludos facere non posset, dedit Gladiatorium, sub titulo id patris pridem vita functi, se id dare professus.

Pontifices ob honorem Sacerdotii ludos edere potuerunt, qui sacri magistratus erant: quales ob Pontificatum maximum primus Augustus Pontificales ludos exhibuit, quibus ludis pugilum par postulatum, distulit in sequentis diei matutinum tempus [16]. Hunc Pontifices alii postea secuti sunt: & transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad viventium honores, Quæsturas & magistratus & Flaminia & Sacerdotia. Nummus Augusti:




Lapis Lugduni:

[b] SEX. LIGVRIVS. SEX. FIL
OB. HONOREM. PERPETVI. PONTIF
LVDOS. CIRCENSES. DEDIT. L.D.D.D



1 Livius lib. 24. 2 Plin lib. 36. cap. 15. Cicer. act. 1. in Verrem. 3 Xiphilin in Trajan. a 73. 8. 4 Livius lib. 39. 5 Liv. lib. 40. 6 Carmin. 23. 7 Sueton. in Calig. cap. 20. 8 Turneb. lib. 4. adversar. cap. 17. 9 In Maximin. duob. 10 In Captiveis. 11 Festus in verb. miscelliones. 12 lib. 2. Saturnal. cap. 16. 13 Satyr. 2 14 Tacit. lib. 2. histor. 15 Ascon. in oratio. de tog. candid. 16 Sueton. in Augusto. cap. 44 b 431. 1.

Ob eundem honorem ſacra quoque facta. Arianæ Hiſpan.

[a] LIBERO. PATRI
AVG. SACR
IN. HONOREM
PONTIFICATVS
L. CALPVRN. L. F
II. VIR BIS. FLAM
SACRA. PVB. MVNICIPAL
PONT. DOM. AVG
D. S. P. D. D

Tandem in Provinciis coacti ſunt ſacerdotes ludos populo dare: atque horum exhibitio patrimonii munus fuit [1]. Imperator Alexander: *Si de proprio ſuo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromiſit, ideoque etiam Sacerdotem te creari impetravit: onus erogationis commune omnium heredum ejus eſſe, Præſes Provinciæ non ignorabit* [2]. Quapropter numero quinque liberorum ſubnixos in Aſia Sacerdotium ſuſcipere non cogi, Imperator Severus conſtituit [3]; ne, ut credo, immodicis ludorum ſumptibus illi vexarentur. Ut nullus in Provinciis, niſi ſponte, Sacerdotium iterare cogebatur [4].

Pontificalibus ludis Romæ, ut Sacerdotalibus in Provinciis præerant Pontifices & Sacerdotes. Ut privati iis quos funeris cauſa dediſſent: Ædiles Æditiis. Nam publicis ludis, qui ſumptibus populi Rom. fiebant, Prætor urbanus præerat, qui ſi morbo impediretur, Dictator dicebatur, qui ludis ſignum mittendis quadrigis daret [5]. Auguſtus pro Magiſtratibus, qui aut abeſſent aut non ſufficerent, ter & vicies ludos ſe dediſſe ſcripſit [6]. Nam ſuo nomine quater tantum ludos fecit, atque elegit, qui ſuam vicem præſidendo fungerentur. Clarum ergo eſt, muneris editorem, cui per leges ludos dare conceſſum eſt, illis præfuiſſe: ut publicis Prætorem vel Dictatorem.

Hic non immorarer, ni me Lipſius [7] ingratiis moraretur. Nam lectionem Suetonii improbat, quæ nec interverti nec interpolari debuit. Scribit Suetonius Auguſtum ludos ſuo nomine quater feciſſe. *Atqui*, inquit Lipſius, *tredecies Conſul fuit, qui magiſtratu coactus dare, more & lege*. Addit igitur vir doctus *quater & vicies*, repetita voce ex linea ſequenti. *Nec ſpernat*, ait, *ſi quis ſcribat* quadragies. Quæſiiſſem primum a viro peritiſſimo, qua lege, aut more, ſtante Repub. coacti ſint Conſules ludos dare? Everſa illa, quo jure Auguſtus Imperator? Hujus enim ſententiæ adſtipulatorem novi neminem. Ædilium & Quæſtorum Prætorum hoc muneris fuiſſe ſcio, ſi vellent aut poſſent, ut ex Q. Gallio perſpicuum eſt: Conſulum ob Magiſtratus honorem nullus lego. Nam quos ſecundo Conſulatu dedit Pompejus, illi fuerunt ob Theatri dedicationem. Conſules certe ſub Imperatoribus Romæ, ut Proconſules in Provinciis, vel etiam Municipales Magiſtratus ſuis ſumptibus dederunt ludos [8]: atque eos, poſt Auguſti tempora cum novis legibus eſſent obſtricti. Jam expendamus quomodo Auguſtus, qui per annos quatuor & quadraginta ſolus Remp. libere adminiſtrarit, ſuo nomine ludos tantum quatuor dediſſe potuerit. Nam de illorum numero ſuſpectus doctiſſimis viris Suetonii locus eſt, cujus lectionem illi non immutarunt. Recte ſane. Nam Breviarium Auguſti lectionis vulgatæ firmat fidem. Caput ſubjicio quod ad hanc rem:

A TEMPVS. DEFVNCTARVM. AFRICANARVM
MEO. NOMINE. AVT. FILIORVM. MEORVM
ET. NEPOTVM. IN. CIRCO . . . . AVT
IN. FORO. AVT. IN. AMPHITHEATRIS. POPVLO . . . . QVIBVS. CONFECTA. SVNT
BESTIARVM. CIRCITER. TRIVM. MILLIVM
ET QVINGENTA. NAVALIS. PRÆLII. SPECTACVLVM. POPVL. . . . . LIBERVM
IN. QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CÆSARVM . . . . . CAVATO . LONGITVDINE. MILLE. ET. OCTINGENTOS. PEDES

B Navale ſpectaculum paucis Suetonius [9] expreſſit: *Navale*, inquit, *prælium circa Tyberim cavato ſolo, in quo nunc Cæſarum nemus eſt*. Quod Dio [10] tribuit Julio Cæſari, in quo lapſus eſt Græcus ſcriptor, ut Breviarium hoc teſtatur, quod & Lipſii errorem detegit, de ludorum numero, quem in Suetonio credit manifeſtum. Caput iſtud multum habet antiquitatis, quæ ludicram venationem commendat. Venabor ego & iis armis, quæ lege Julia de vi publica conceſſa ſunt. Tempus defunctarum Africanarum operiendum primum eſt. Neque enim hæ feræ omnibus horis capiuntur, quarum veſtigia jamdudum me C terruerunt. Altiori indagine ſaltus cingendi ſunt. Voluptati forte fuerit, vel ſine præda ſylvas fatigaſſe, vel uti venantium inſomnia mea partiri:

Ὡς καὶ τὰν ἄγραν τῶ' εἴρατα πάντα μερίζειν [11].

Andreas Schottus vir magni in literis nominis & boni. Breviarii hujus fragmentum, quod poſtea editum eſt, publici uſus primus fecit, ſicque vulgavit [12]:

. . . . QVÆ. ANTE. TEMPVS. DEFVNCTARVM. AFRICANARVM. DECREVERAM. MEO. NOMINE. &c. *Africanas*, Pantheras ſignificare alii obſervarunt. Vetus fuit Senatuſconſultum, quo Africanas in Italiam advehere non liceret [13]. Quod C. Aufidius permiſit lege ad popu- D lum lata, Circenſium gratia importare. Primus Scaurus Ædilitate ſua, ducentas & quinquaginta: Pompejus magnus decem & quadringentas: D. Auguſtus quadringentas viginti Pantheras dedit. Deliteſcentes illas in cubilibus, veſtigiis vel incertis ſectari lubet. Inſcriptionis me pungunt ſpicula. Nam quæ deſunt, facile ſuppleri non poſſunt, nec quæ ſcripta ſunt, intelligi. Quid enim hæc ſibi volunt, *Quæ ante tempus defunctarum Africanarum decreveram*? Qui reconditas literas venantur, his plagis ipſi irretiri poſſunt. Audacior ego extricatis illis, pugnare tentabo; lego itaque, *ſtatutis quæ ante tempus defunctarum Africanarum decreveram meo* E *nomine, aut filiorum meorum, & nepotum in Circo ludos, aut in foro aut in Amphitheatris populo* IIII. *feci, quibus confecta ſunt*, &c. Statuta voco quæ decreverat Auguſtus, cum ſpectandi confuſum & ſolutum morem correxit [14], facto decreto patrum, ut quoties quid ſpectandum uſquam publice ederetur, primus ſubſelliorum ordo vacaret Senatoribus. Quod quidem decreverat ante tempus defunctarum Africanarum, quas primis Circenſibus votivis produxerat, quo tempore ſedium diſcrimina perturbata, Auguſtum reſtituiſſe puto. Nam loca Senatoria F a plebeiis ſecreverant antea cenſores [15], ut Equeſtria lege Roſcia [16]. Defunctas autem Africanas, pugna liberatas intelligo. Quod ne quis abſurde dictum putet, *defungi* eleganter & Latine, in hac ſignificatione dici meminerit. *Defunctus jam ſum*, inquit Terentius [17], id eſt, omni labore liberatus. Sic *defunctas carinas finem portumque tenere*, Virgilius

---

a 66. 3. 1 l.8. de munerib. patrim C. lib. 10. 2 l.1. De peric. ſucceſſor. parent. C. lib. 10. 3 l. in honoribus. D. de vacat. & excuſ. muner. 4 l. ſponte. D. de munerib. & honorib. 5 Livius lib. 27. 6 Sueton. in Auguſt. cap. 43. & 45. 7 lib. 2. Elector. cap. 17. 8 l. 1. C. Theod. de ſpectacul l. Publius Mevius. D. de condit. & demonſtr. Novel. 105. Symmach. lib. 10. epiſt. 4. b 232. 9 In Auguſto cap. 43. 10 lib. 43. 11 Theocrit. Idil. 21. 12 In ſchol. ad Aurel. Victor. 13 Plin. lib. 8. cap. 17. 14 Sueton. in Auguſto. cap. 44. 15 Livius lib. 34. 16 Val. Max. lib. 2. cap. 4. Plutarch. in Ciceron. Dio lib. 36. 17 In Eunuch. prolog.

dixit [1]. Possent & *defunctæ Africanæ* accipi pro venabulo transverberatis & confectis. Nam & Valerius Max. Persam Catellum, quem puella Pauli Æmylii in deliciis habebat, decessisse scripsit [2]. Quod ex dignitate linguæ Latinæ, illius quidem princeps nostri sæculi non putavit, ut *canem decessisse* dici posset ut de homine [3]. Quodque ad purioris sermonis observatores rejecit. Quos credo *defungi* de bestiis quæ ad pugnam exhibentur, admissuros magis, quam *decedere* de mortuo cane. Valerium in verbis vulgaribus Romæ peregrinatum nemo dicet, vel incorruptam loquendi consuetudinem ignorasse. Quem malim in loquendo authorem sequi, quam discendo ex nostri sæculi perfectis viris, melius sentire.

Nunc vero ad quatuor Augusti ludos redeamus, ut ex bestiarum numero, illum plures quam quatuor non fecisse perspicuum fiat. *His ludis confecta sunt bestiarum circiter trium millium & quingenta.* Elegans locutio. Nam dictio *Circiter* cum ad numerum pertinet his casibus regitur [4]: ut *circiter decem horarum* veteres dixerunt. Hic bestiarum numerus ludis quidem quatuor sufficere potuit: at non quater & vicies vel quadragies, quorum elegantiam & venationum magnificentiam penuria tanta elusisset. Ecquis enim Augustum, quem profusissimum Lipsius clamat, adeo parcum & inelegantem fuisse cogitabit unquam, ut ab apparatu amplissimo, his ludis quatuor recedere voluerit? Ille qui omni genere spectaculorum oblectabatur, ferarum præcipue incognita specie & numero infinito [5]? Pompejus, qui decem & quadringentas Pantheras dederat, sexcentos cum iis leones exhibuit & elephantos viginti, cum mansuetis aliis, ut sexcentos mulos. Post tempus defunctarum Africanarum, non dubium quin ludis singulis Augustus dederit bestiarum circiter millium & quingenta, quæ sex millium numerum, quatuor his ludis efficiunt. Ex quibus media pars confecta est, quod virtutem arguit bestiariorum. Ita ludis singulis cæsæ bestiæ circiter octingentæ, quot natali Caligulæ nobilissimæ ceciderunt Ursæ [6], scilicet quadringentæ & totidem Africanæ. At Trajani ludis cæsa feruntur decem millia bestiarum [7]. Quare si ludi facti essent ab Augusto quater & vicies, singulis illis, bestiarum centum circiter & quadraginta tantum concidissent: sicque Lipsii profusio ludorum parsimonia nimia contemneretur. Ludos aperte scribit Augustus se fecisse in circo, in foro, in Amphitheatris, Statilii Tauri, ut credo, & Pompeii, quæ grandi impensa refecerat. Quatuor his locis, ludi sollemnes Augusti quatuor concluduntur, cum eo bestiarum numero, quæ confossæ notantur. Quod vero ludorum angustum numerum objicit Lipsius, pro principis liberalitate, quem Suetonius omnibus prioris ævi præponit: non animadvertit ille plures quidem ludos Augustum fecisse, quos Suetonius refert [8], sed non sollemnes & plenos, qui a vulgaribus & fortuitis debent separari. Nam fecit Augustus vicatim & pluribus scenis per omnium linguarum histriones, aliquando nihil præter venationem edidit, Athletas, navale prælium, quod in Breviario non obmisit, in quo cætera vulgaria prætermisit, quæ munificentiæ suæ tribuere noluit summus Imperator. Postremo quod Augusti Consulatibus Lipsius nititur, frustra nititur. Nam ratione magistratus nulla lege aut more debuit ludos dare: & ex eodem Breviario discimus, Augustum, quoties Consul esset, Congiaria viritim populo dedisse, frumentationes, nummos, & qui singulis illius Consulatibus ludos somniaret, sibi certe, ne aliis dicam, faceret ludos, aut aperte nimis ludificaretur.

Et quoniam de plena venatione nonnihil attigimus, non alienum erit illam ex veteri lapide repetere:

[a] L. FADIO. PIERO. II. VIRO
MVNIFICENTISSIMO. CIVI
QVI. OB. HONOREM. DECVR
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST
GLADIA. PARIA. XXX. ET. VENATION
BESTIAR. AFRICANARVM. ET. POST
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRATV
SVO. ACCEPTIS. A. REP. H S XX. M. N. VENAT
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA XX
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS
SCÆNICOS. P. S. F. AVGVSTALES
L. D. D. D

Africanas bestias a Duumviro in municipiis? imo & venationes plenas habemus: hoc est, omni genere spectaculorum refertas, quæ plures ludorum dies habuerunt. Quales fuere Pompeii magni, qui extremo ludorum die, qui summus dicebatur, elephantos produxit. Quales fuere quatuor sollemnes Augusti, qui aliquando nihil edidit præter venationem. Nummum venationis pulcherrimum habet Jac. Syrmondus, cujus mihi copiam fecit:




## CAP. XXI.

*An privati ludis publicis præesse potuerint. Ornatum forum. Ludorum commissiones.*

PRIVATOS non potuisse ludos dare nisi funeris causa, supra demonstratum est. Nunc videamus an præesse potuerint iis quæ a civitatibus ederentur. Quid hoc ad Pontifices? dicet aliquis. Multum; nulli enim ludi sine sacrificio, Sacrificium nullum publicum sine Pontifice fieri potuit. Deinde faciunt hæc ad juris civilis interpretationem, in quo quæstiones hujusmodi pleræque occurrunt. *Civitatibus legari potest*, ait Paulus [9], *quod ad honorem ornatumque Civitatis pertinet. Ad ornatum puta quod ad instruendum forum, Theatrum, stadium legatum fuerit. Ad honorem puta quod ad munus edendum, venationemve, ludos Scenicos, ludos Circenses relictum fuerit.* Ludos hic a *venatione* recte Jurisconsultus separavit. Nam venatio ludis interjiciebatur, aut sola dabatur non ad Deorum honorem, sed ad voluptatem, ut cum Augustus nihil præter venationem edidit. Sic Caligula Circenses edidit plurimos a mane ad vesperam interjecta Africanarum venatione [10]. His ludis publicis in Civitate, si quis testamento præfectus sit, forma pollicitationis servanda est. Nec possunt injuriam pati qui præsidere debent, secundum verba



1 lib. 9. Æneid. 2 lib. 1. cap. 5. 3 Scaliger ad Eusebium MDCCCXLI. 4 Beda de Orthograp. 5 Aurel. Victor. 6 Dio lib. 59. 7 Xiphilin. in Trajan. 8 Sueton. in August. cap. 43. a 409. 3. 9 l. Civitatibus. D. de leg. 1. 10 Sueton. in Caligul. cap. 18.

conditionemque pollicitationis [1]. Quod Romæ factum non observavi, ubi ludis omnibus publicis præerat Prætor, quos quidem Ædiles curabant. In quo a Julio Scaligero [2] dissentio, qui & suo & filii nomine ob egregias animi dotes, nunquam laudabitur satis. Hic enim ludos Circenses, Apollinares, Megalenses tribuit Ædilibus, cum tamen ad Prætoris pertineant majestatem, qui illis præsidebat [3]; Ædiles vero iis quos privata pecunia parabant. In quibus immanis jacturæ sumptus infiniti, ut splendor Ædilitatis postularetur.

Nos ad fori ornatum redeamus. In eo privati, quibus licuit, Ædiles & Prætores ludorum diebus ingentes pecunias profuderunt. Nam ornatus hujusmodi tabulis pictis, vasis aureis & argenteis, signis undique conquisitis celebris fuit [4]. Ut in M. Scauri Ædilitate tria millia fuere signorum in scena temporario Theatro [5]. Idem ille Pausiæ pictoris nobilissimi tabulas omnes, ex publico, propter æs alienum Civitatis Sicyone addictas, transtulit Romam, quo exemplo civiles mores prostravit. Ad hujusmodi ornatum Alpheni Jurisconsulti lex accommodanda est [6]. *Si quas mensas*, inquit, *testator argenteas haberet, & ejus generis argentum, quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos & ad cæteras apparationes soleret*. Ne tamen quis nos errasse putet, quod ludos omnes publicos ad Ædiles aut Prætorem urbanum rejecimus; scimus quidem Tribunos pleb. Augustales ludos semel edidisse [7], quorum celebratio mox ad ipsum Prætorem translata est.

Cæterum commissiones ludorum pro exhibitionibus usurpantur, & commissi ludi, pro Inchoatis. Virgilius [8]:

*Et tuba commissos medio canit aggere ludos.*

M. Tullius [9], *Heri*, inquit, *ludis commissis ex urbe profectus sum*. *Committere* proprie erat paria Gladiatorum inter se componere, ut Lipsius observavit, quod muneris editor vel magistratus faciebat. *Commissio* ergo *συμβολὴ*, *commissor συμβαλλομάχος* [10], ex quo *Commissiones*, quæ etiam pro comparationibus poetarum & oratorum accipiuntur, quas merito D. Augustus pertimuit, ne illis nomen suum obsolefieret [11]. Unum præterea notandum est ludos publicos cavea circoque divisos [12]. At privati ludi septis, foro, Amphitheatro & vicatim facti sunt, ut Augusti varia spectacula demonstrant.

---

## CAP. XXII.

*De ludorum publicorum instauratione. Terram tenere. Lex Claudii de ludis intermissis aut pollutis.*

ATQUE hæc fuit ludorum publicorum privatorumque insania, quam nullæ Theatrales leges coercuerunt, quæ solum in spectandis ordinibus sunt occupatæ. Impensis tandem modus impositus ab Imperatoribus [13], quæ provincialium facultates exhauriebant. Tot sumptibus vero & diebus ludi publici facti, plerumque levissima de causa toti instaurabantur. Non uno item aut altero die, sed de integro iterum atque iterum facti: in quo summa Pontificum authoritas fuit. Ad illos enim Epulones Jovis adferebant, si quid prætermissum esset vel commissum, quorum de sententia ludi renovati atque instaurati celebrarentur [14]. Ea enim cura ludorum publicorum celebrationi adhibenda fuit, ut rite omnia atque ordine fierent, ut vel ne in minimis quidem peccaretur. *Quare si ludius constitisset aut puer ille patrimus aut matrimus terram non tenuisset, aut si Ædilis verbo, aut si nutu aberrasset: ludi erant non rite facti, eaque errata expiabantur, & mentes Deorum Immortalium ludorum instauratione placabantur*. Hæc M. Tullius, quæ omnia Arnobius [15] mutuatus in libros suos transtulit paucis immutatis. *Commissum*, inquit, *omnes statim in religiones clamatis sacras. Si ludius constitit, aut Tibicen repente conticuit, aut si patrimus ille qui vocitatur puer, omiserit per ignorantiam lorum aut terram tenere non potuit*. Dixerat paulo ante Arnobius: *In ceremoniis vestris rebusque divinis postulationibus locus est, & piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum aut verbo quispiam, aut in Simpuvio deerrarit. Aut si rursus in sollemnibus ludis Curriculisque divinis: Commissum omnes statim in religiones clamatis sacras*, &c. Ab hac Arnobii lectione Lambinus tueri conatur antiquam in M. Tullio *si Ædilis verbo aut symbolo aberravit*. Et suspicatur legendum *Sympivio*, quod est vas ligneum quo in sacris Pontifices utebantur. Persuadet tandem sibi, legendum esse *sympulo*, in quo certe magnos fluctus excitavit. Huic viro Græcis Latinisque literis erudito, tantum tribuo, quantum alius quisque: sed illum terram non tenuisse ausim affirmare. Nam ipsa Arnobii verba, quibus nititur, confundenda non sunt: sed priora ad Ceremonias resque divinas, posteriora ad sollemnes ludos sunt referenda. Ludi quidem Ædilium fuerunt aut Prætorum: Ceremoniæ resque divinæ Pontificum, in quibus Simpulum, quo vinum in Sacrificiis libabatur, ad ludos transferri commode non potest. Retinenda ergo est vulgata M. Tullii lectio, *si Aedilis verbo aut nutu aberrarit*. Quam immutatam ab imperito librario, ex eo conjicio, quod dicebamus *ludorum commissiones* a Græcis *συμβολὼ* vocitari, & *συμβάλλειν committere*. Ut *nutum* exprimeret, scripsit aliquis ad Ciceronis textum *συμβολὴ*, quod irrepsit (ut frequenter evenit bona exemplaria his annotatiunculis depravari) atque *συμβολὴ* in *Symbolum* commutata, unde *Sympulum* factum, quod in Arnobio legebatur. Græcis nunquam usus est M. Tullius cum Latina verba succurrerent. At *nutus* proprium verbum & Latinum est, nam qui ludis præerat, nutu quamplurima imperabat, [16] ut signum mittendis quadrigis dabat. Tertullianus [17]: *Tardus est illis Prætor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur, dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiæ una vox est*. Nummus æreus Neronis urnam habet:




Qui in albo profitentium inscribebantur, sorticula in urnam demissa, ordine suo intrare solebant [18],

---

1 l. Septitia. D. de pollicitat. 2 lib. 1. Poetic. cap. 28. 3 Livius lib. 39. 4 Cicer. 1. & 9. act. in Verrem. 5 Plin. lib. 34. cap. 7. & lib. 35. cap. 11. lib. 36. cap. 15. 6 l. cum in testamento. D. de Aur. & argent. leg. 7 Tacit. lib. 1. Annal. 8 5. Æneid. 9 lib. 3. de finib. 10 Gloss. vet. 11 Sueton. in Augusto cap. 89. 12 Cic. lib. 2. de legib. 13 l. 4. C. Theod. de spectacul. l. 22. de Prætorib. & Quæstor C. Theod. l. unic. de excusa. lud. public. lib. 11. C. 14 Cic. de Aruspic. resp. 15 lib. 4. 16 Apulejus 11. metamorph. 17 de spectacul. cap. 16. 18 Sueton. in Neron. can. 21.

& mitti, *ſignoque repente corripiunt ſpatia audito* [1]. Si nutu igitur quo ſignum dabatur, ſi verbo, quo per Præconem victorem aliquem renunciabat (quam illius dementiæ unam vocem arbitror) Ædilis aberraſſet, ludi erant non rite facti. Ut ſi peracta pompa in ſacris verbo aut ſympulo peccatum eſſet, commiſſa ſacra putabantur. Ludis enim factis ſtatim ſacrificabant [2]. *Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς ἐβουθύτουν εὐθὺς οἵτε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον.*

Solertiſſimos viros urget magis Ciceronis iſtud, *ſi puer patrimus terram non tenuerit*, qui hanc loquendi rationem ſibi incognitam fatentur. *Terram tenere* idem putavit Turnebus [3] ac *terram tangere*. Quod genus, inquit, erat venerationis, in ſacris ſollemnibus obſervatum. Aliter & recte hoc genus loquendi explicat ipſe Arnobius [4]: *Si pauliſper conſtiterit ludius, interquieverit Tibicen feſſus, puer ille patrimus & matrimus decidat* (*patrimi* enim omiſſum verbum, reſtitui debet) *fortuito alicujus inſtabilitate prolapſus*. *Terram non tenere* igitur eſt cadere, labi, ut contra *tenere terram* eſt conſiſtere. Ut *tenere dignitatem* dicitur, a qua quis non deciderit [5]: & *tenere terram* qui ad portum appulerit. *Pervicerunt*, ait Livius [6], *quidem remis ut terram tenerent*. Et Prætor quotidie *templum tenere* dicebatur, qui aſſiduus in jure dicundo eſſet [7]. Atque hæ fuerunt cauſſæ leviſſimæ propter quas ludi renovarentur. Romani ter toti inſtaurati: Plebeii ſepties [8]. Qui denuo facti *inſtaurativi* dicebantur [9].

Ipſa etiam ſacra ſi polluta eſſent rurſus perficiebantur. Ut cum Clodius ſacra Bonæ Deæ polluiſſet, virgines cum Pontificibus nefas eſſe decreverunt, & inſtaurarunt [10]. Latinæ item feriæ Pontificum decreto inſtauratæ, quod legati ab Ardea queſti in Senatu erant, ſibi in monte Albano Latinis ut aſſolet, carnem datam non eſſe [11]. Eædem illæ alio decreto, cum coorta tempeſtas ſacra turbaſſet [12].

Narrat Servius [13] cum ludi in Circo Apollini fierent, Hannibalem ad portas nuntiatum, omneſque ad arma concurriſſe, qui reverſi piaculum formidantes invenerunt ſaltantem in Circo ſenem, ludoſque non intermiſſos judicaſſe. Unde Proverbium, *Salva res eſt dum ſaltat ſenex*. Secutus eſt Servius Verrium Flaccum, cujus inconſtantiam merito Feſtus reprehendit [14]. Etenim ſi ludi ab lætitia ad metum traducti erant, piaculum fuit, illorum renovatione placandum [15]. *Inſtaurare ἀνανεοῦν, ἀνανῆσαι, σφάξαι, mactare*. [16] *Inſtaurare diem donis* Dido a Poeta dicitur, quæ ſacrificia repetebat [17].

Cum itaque ſæpe accideret ut ſacra & ludi decimum repeterentur, legem tulit Claudius [18], ut ſi quid in iis prætermiſſum eſſet vel commiſſum, per unum diem inſtaurarentur. *Νόμῳ μὲν ἔταξε, μίαν ἡμέραν, τοὺς ἀγῶνας τῶν ἵππων δεύτερον γίγνεσθαι.* Hæc ludebam, Antoni præſes digniſſime, temporario theatro, æternitatis aliqua deſtinatione: forumque noſtrum aliquot antiquitatis ſignis exornabam, quæ in jure civili latent plurima, ab interpretibus non intellecta ſatis aut neglecta. Quæ ſi tuo & literatorum plauſu comprobentur, aliorum ſibilus immortalitas mihi erit. Alios enim humilioris doctrinæ homines meo quodam jure, jampridem ad beſtias damnavi, quibus-cum depugnent.

1 Virg. 5. Æneid. 2 Dionyſ. lib. 7. 3 Turneb. lib. 16. adverſar. c. 10. 4 lib. 7. 5 Cic. Philip 12. 6 lib. 37. 7 Cicer. act. 8. in Ver. 8 Liv. lib. 29. 30. 33. 9 Cic. lib. 1. de divinat. 10 Cic. lib. 1. ad Attic. ep. 10. 11 Liv. lib. 32. & 37. 12 Livius lib. 40. 13 l. 8. Æneid. 14 In verb. ſalva res eſt. 15 Cic. de Aruſp. reſp. 16 Gloſſ. vet Heſych. 17 Serv. 4. Æneid. 18 Dio l. 60.

# JACOBI GUTHERII
## DE
# VETERI JURE PONTIFICIO
## URBIS ROMÆ
## LIBER QUARTUS
## QUI DE SACRIS.

*Ad ampliſſimum virum*

## ANTONIUM SEGUERIUM.


### CAP. I.

*Sacrorum diviſio. Illorum apparatus. Movere Sacra. Pervigilia. Maturius vigilare. Incubare Jovi.*



INTER Sacrum & ſaxum, Antoni Præſes ampliſſime, poſitus cruciarer, ſi opus renovandum & inſtaurandum mihi eſſet, ob prætermiſſum aliquid vel commiſſum. Sed lege Claudia liberatus, cum per diem unum priorem librum recenſui, ad alium propero, qui de Sacris, hoc eſt, de Sacrificiis, & iis omnibus quæ in Deorum honorem fiebant, vel illis offerebantur. Illorum eadem ferme ratio, quæ ludorum fuit: nam Sacra aut privata fuerunt aut publica. Quæ ſumptu publico pro populo fiunt, pro montibus, pagis, Curiis, Sacellis, publica dicuntur. At privata pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus. Quæ pro montibus, *Septimontium* vocabantur [1], licet octo locis ſacrum fieret: ſed Palatini pars una *Germali* nomen habuit, alia vero *Velia* dicta. Nummus eſt L. Aurelii Veri apud me, qui ad Septimontium referri poteſt.

1 Feſtus in verb Septimontio.



Sacra pro montibus fiebant, ob pomœrii prolationem, cujus proferendi jus nemo habuit, nisi qui Rempub. agris de hostibus captis adauxisset, quod per Victoriam Jovi ab Imperatore oblatam denotatur. Nummus quidem non verus ad L. Veri adulationem percussus, qui cum Armenici, Parthici, Medici nomen sibi parasset, auxisse Provinciis Rempublic. gloriabatur [1]. Alius est nummus Vespasiani.




Hic ex Senatusconsulto signatus ad memoriam decreti, quo multa a Senatu populoque illi concessa sunt, atque inter cætera per modum legis,

[a] VTIQVE. FINES. POMOERII. PROFER
RE. PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLI
CA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. V
TI. LICVIT. TI. CAESARI. AVG.
GERMANICO

Primum autem Sacrificium in Palatio fiebat, quod *Palatual* nuncupatum: aliorum nomen proditum non est.

Paganalia Varroni [2] Sacra sunt alicujus pagi, qui paganicas ferias Agriculturæ causa susceptas dicit. Cum tamen Paganalia inter sacra publica, atque inter conceptivas ferias numerentur. Curionia Sacra in Curiis fiebant. In Sacellis varia certis Diis per Flaminem.

Rursus publica Sacra fuerunt Popularia, Municipalia, Peregrina, aut communia. Popularia [3] quæ omnes Cives faciebant, nec certis familiis attributa: ut Fornacalia, Palilia, Porca præcidaria, a qua Præcidarium Sacrificium, cum ante novam frugem porca præcideretur. Municipalia, quæ ante Civitatem Romanam accepta colebantur: & quæ observare Pontifices voluerunt, & eo more facere, quo antiquitus adsuessent [4]. Hæc quidem Sacra publica urbis Romæ non sunt, sed municipiorum. Vetus inscriptio:

[b] . . . . . . .
II. VIR. BIS. FLAM
SACR. PVB. MVNICIPAL
PONT. DOM. AVG.

Peregrina Sacra [5] appellantur, quæ aut evocatis Diis, in oppugnandis urbibus Romam sunt conlata. aut quæ ob quasdam religiones, per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ: ex Græcia Cereris: Epidauro Æsculapii, quæ coluntur eorum more a quibus sunt accepta. Verrius Flaccus authores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis Sacerdotibus evocari Deum in cujus tutela id oppidum esset, promittique illi eundem ampliorem locum apud Romanos, cultumve [6]. Duravit in Pontificum disciplina id Sacrum, constatque occultatum in cujus Dei Tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Evocationis carmen Macrobius [7] refert ex libro quinto *rerum reconditarum* Sammonici Sereni.

In peregrinis illis Sacris, aut aliis publicis, peregrinos aut extraneos adhibere non licebat, qui ab illis tanquam profani arcebantur [8]: jus enim Sacrorum cum Civitatis jure conjunctum fuit [9].

Communia Sacra [10] sunt Latinæ feriæ, quæ *Conlativum Sacrificium* dici possunt, cum ex multorum conlatione fieri solerent, licet communis victima esset Taurus unus [11].

Tertia Sacrorum divisio hæc est, ut alia sint sollemnia, aut stata, aut Imperativa. Sollemnia [12] quæ certis temporibus, annisque fieri solent; ut in Sæcularibus & Actiacis ludis. Stata dicebantur etiam sollemnia & Anniversaria, quæ certo die omnibus annis fierent [13]: ideoque *stata* quod stent neque mutentur. Illa differri non potuerunt: *Annua quæ differre nefas* Virgilius ait [14], quia iterari non possunt, ut Kalendaria, quæ si qua ratione fuerint dilata, possunt repeti.

Imperativa seu indictiva subito & ad præsens tempus ex Senatusconsulto iisdem fere de causis, quibus ludi indicebantur [15]. Necatis in Carcere Lentulo & Cethego, supplicationes & Sacrificia decreta narrat Dio [16], illaque occiso Catilina repetita. Supplicationis meminit M. Tullius [17], quæ illi togato post Romam conditam decreta fuit primum.

Alia porro Sacra patrum fuerunt, alia plebis. Cum adversus Canulejam legem decertaret Consul [18]: *Quam*, inquit, *aliam vim promiscua connubia habent, nisi ut qui natus sit, ignoret cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum, dimidius plebis?* Hinc certamen primum in Sacello Pudicitiæ inter matronas ortum, cum Virginiam Patritiam, quod e patribus enupsisset, sacris arcuerunt [19]: araque Pudicitiæ plebeiæ, a plebeiis dedicata, quæ eodem ferme ritu, quo prima coleretur.

Prisco vero instituto rebus divinis opera dabatur [20], cum aliquid commendandum erat, Precatione: cum exposcendum, Voto: cum inquirendum, vel extis vel sortibus, Impetrito: cum sollemni ritu peragendum, Sacrificio. De hoc primo loco dicendum nobis est, antequam precationes, vota, gratulationes, sortes explicemus. Sollemnia Sacrificia Pontificum fuerunt fere omnia: quædam enim ad regem Sacrorum reliquosve publicos Sacerdotes pertinuerunt. Antequam illorum ritus & Ceremonias explicemus; pauca de illorum apparatu, &


1 Capitolin. in Vero. a 242. 2 lib. 5. de ling. lat. 3 Festus in verb. Popularia. 4 Festus in verb. Municipalia. b 66. 3. 5 Festus in verb. Peregrina. 6 Plin. lib. 28. c. 2. 7 lib 3. satur. c. 9. 8 Dionys. lib. 6. 9 Serv. 6. Æneid. 10 Festus in verb. Conlativum. 11 Dionys. lib. 4. 12 Festus in verb. Sollemnia. 13 Lactantius Gram. lib. 1. Thebaid. 14 Serv. 8. Æneid. 15 Serv. in sched. 16 lib. 37. 17 3. Catilin. 18 Liv. lib. 4. 19 Liv. lib. 10. 20 Valer. lib. 1. c. 1.

veterum summa erga Deos veneratione præmittenda sunt. Ipso ergo Sacrorum sollemnium die, nocte media templum ejus Dei, cui res divina fieret, aperiebatur. Nec enim aperta passim fuerunt templa, nisi si ob res prospere gestas gratiæ Diis agerentur: vel illi ob cladem aliquam irati placarentur. Hunc apparatum *Apertiones* vulgus appellabat [1]. De apertionibus matutinis templi Deæ Isidis Apulejus [2] multa. Tum vero cum apertio fieret, *moveri sacra* dicebantur [3], quod tamen pluribus modis fiebat. Nam & moveri Sacra credebant ubi Sacrificium cœperat inchoari. Atque etiam indicto bello is, cui cura exercitus commissus erat, Sacrarium Martis ingressus, primo Ancilia commovebat [4], deinde ipsius simulachri hastam, dicebatque MARS. VIGILA. Ab hoc ritu verba Pseudoli apud Plautum interpretor:

*Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra*
*Quo pacto & quantas soleam turbellas dare.*

Turnebus [5] putat, cum Servio *Commoveri sacra*, cum de loco in locum transferebantur, ut in Orgiis & Trietericis. Sed Sacrorum commotio nihil aliud fuit quam institutio quædam, qua certis & sollemnibus precationibus Dii aut consulebantur aut placabantur. Cujus ritum in consulendis Diis super rebus arcanis Ammianus Marcellinus tradit [6]: *Construximus*, inquit, *ad Cortinæ similitudinem Delphicæ hanc mensulam, ac consecratam movimus tandem. Movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis: Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus*, &c. Ex hoc loco alium perobscurum ejusdem authoris [7] interpretor: *Consiliorum ambiguum retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem rege, dum moveri permitterent Sacra*. Quod est, dum secretis carminibus Deos consuluisset, quid facto opus esset. Sic Dii per Sacra nefaria consulebantur, & per sollemnes preces advocabantur, quod proprie est *Sacra commovere*, cum illi in rebus trepidis dormitare viderentur, vel in prosperis deberent excitari. Ad hunc ritum forte allusit Terentius [8]: *Dormiunt: ego pol istos commovebo*.

Sed ut ad templorum Apertiones redeamus, non illa omnia clausa Romæ. Nam Hortæ Deæ perpetuo apertum fuit. *Ορτας ναὸν ἀνεῳγμένον εἶχον οἱ παλαιοὶ διαπαντὸς* tradit Plutarchus [9]. *Ναὸν* Gallicus interpres vertit *posticam templi partem*, cum sit templi pars interior, cujus postica *ὀπισθόδομος* nuncupatur. Illius Deæ templum Labeo apertum dicit, quod Horta ad res præclaras semper hortaretur, ideoque assiduis precibus & sacrificiis piari deberet. Pari de causa belli tempore Jani templum belli pacisque indicium, apertum, in armis esse civitatem; clausum, pacatos circa omnes populos significabat. Ad spem enim auxilii apertum illud templum, quod quoque temporis momento, turbatis rebus solebant flagitare. Nummus est Neronis:



A Apertis templis accendebantur tædæ, flammis ac lumini sacrorum gratæ, quas respuens Lactantius [10], *Mactant*, ait, *opimas & pingues hostias Deo, quasi esurienti: profundunt vina, tanquam sitienti: accendunt lumina, veluti in tenebris agenti*.

Apertis deinde & adornatis templis cum pulvinaribus, luminibusque accensis, matutinæ primum fuere vigiliæ: Sacrorum enim causa maturius vigilandum. Non admitto viri diligentissimi in Suetonio [11] emendationem, qui reclamantibus, ut ipse fatetur, libris, reponit *maturius evigilandum*, nec Latinam putat lectionem *vigilandum*. Dicebat M.
B Tullius [12] *vigilandum esse iis qui Reip. gubernacula depoposcerent*: sed iis qui tractant libros, quandoque, ut ipsi Homero, licuit dormitare. *Maturius vigilare* est ante maturam lucem excitari: quod idem Tullius [13] dixit *maturius surgere*, *Postero die mane*, inquit, *cum multo maturius quam unquam antea surrexisset*. *Vigilias* illas a *Pervigiliis* differre negant Grammatici [14], qui afferunt præpositionem adjectam, naturam verbi non mutare, sed ab ea accipere temporis diuturnitatem, ut sint *pervigilia* idem quod *vigiliæ*. Quod Plautus [15] firmare videtur, qui stupratam Euclionis filiam fingit Cereris
C vigiliis. Sed repugnat Martialis [16], ille enim:

*Nam vigilare leve est, pervigilare grave.*

*Pervigilium πανvυχισμὸς*, quo nox tota transigebatur. *Πανυχὶη δι᾽ ὅλης τ̃ νυκτὸς* [17]. *Παννυχίς, ἑορτὴ νυκτερινὴ σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ*. Pervigilia certis Diis, ut Cereri, Veneri, Apollini, Fortunæ, cui anniversaria constituit Galba [18], quæ indicta aliquando ab Imperatore. De his Arnobius [19], cujus depravatam lectionem feliciter Gelenius vir eruditus reparavit. *Sancta illa*, inquit Arnobius, *pervigilia consecrata sunt & panniciis migrave*: Legit ille, & recte, *Pannychismi graves*. Ut pervigilare grave fuit, vel Mar-
D tiali. Vigiliæ in omnibus sollemnibus sacris *ἀγρυπνίαι* partem noctis aliquam in templis insomnem ferebant, non noctem totam.

His proximum fuit incubare, dormire scilicet in templo ad accipienda Dei responsa. Clare Poeta [20]:

*——— huc dona Sacerdos*
*Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti*
*Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.*
*Multa modis simulachra videt volitantia miris,*
*Et varias audit voces, fruiturque Deorum*
*Colloquio.*

Jocus Plauti [21] apud quem Cappadox leno:

*Hac nocte in somnis visus sum tuerier*
E *Procul sedere a me longe Æsculapium.*

Cui respondet coquus,

*Namque incubare satius te fuerat Jovi*
*Tibi qui auxilium in jurejurando tulit.*

Facete leno,

*Si quidem incubare velint qui pejeraverint,*
*Locus non præberi potis est in Capitolio.*

His Sacrorum sollemnium vigiliis, populus ante lucem cum ad templa veniret, ignem in aram inferebat. Hymni interea a Sacerdotibus publicis decantabantur, collatis ad Tibiam vocibus, quas *exercitationes Deorum matutinas* Arnobius [22] vocat. Pontifex interea pulvinaria pertransibat, hisque ver-
F bis utebatur [23], VIGILASNE. DEUM. GENS. In hymnis autem intercalaris versus frequenter post aliquantulos interponebatur [24], quem propius vero est in hujusmodi cantibus a populo fuisse repetitum. His peractis parabantur ea quæ ad Deorum pacem oportebat adesse. Pax enim Deum proprie Sacri-

1 Servius 4. Æneid. 2 Apulejus lib. 11. metamorph. 3 Lactant. 2. Theb. 4 Servius 8. Æneid. 5 lib. 28. adversar. cap. 13. 6 lib. 29. 7 lib 21. 8 In Heautontimor. 9 In Causis. 10 lib. 6. de vero cultu cap. 2. 11 In Augusto. cap. 78. 12 In orat. pro Sextio 13 Act. 4. in Verr. 14 Charisius lib 1. 15 In Aulular. prolog. 16 lib. 9. epig. 70. 17 Hesych. 18 Sueton. in Galb. cap. 4. 19 lib. 5. 20 7. Æneid. 21 In Curculion. 22 lib. 7. 23 Servius lib. 2. Æneid. 24 Servius eclog. 8.

ficii fructus , Plautus: *Sunt ne hic omnia quæ ad pacem Deum oportet adesse?* Livius dixit [2], *Hostia Cæsa, pacem Deum adorare.* Quod idem Plautus [3] explicat paucis:

> *Apollo quæso ut des pacem propitius.*
> *Salutem & sanitatem nostræ familiæ,*
> *Meoque ut parcas gnato pace propitius.*

---

## CAP. II.

### *De Sacrificiorum ritu & Ceremoniis.*

SACRIFICIUM est Diis rite facta super aris aut focis oblatio. Illud Superis, Inferis, aut Terrestribus fiebat. In sollemnibus preces præviæ & certis dierum temporibus repetitæ; quæ aut iratis Diis aut propitiis ferebantur. Primum ergo populus cum Sacerdote veniam precabatur, & licet innocens, numinis propitii gratiam promereri studebat, veniam postulando quasi peccavisset. At vero cum iratis Diis Sacra peragerentur, aut votiva in adversis, aut depulsoria ob prodigia;

> *Orantes veniam templum clamore petebant* [4].

Ut in summis periculis mulieres crinibus passis verrebant [5] aras & templa. A quo Seneca [6] in Dialogo *de superstitione*, *versa templa* nuncupavit. Sic culpam populus cum Sacerdote primum fatebatur, quam sibi remitti petebat, pacemque per aras exquirebat.

De Superorum & Deorum Terrestrium sacris, quæ iisdem ferme ceremoniis fiebant, hæc Dionysius [7]. Εβουθύτουν οἵ τε ὕπατοι καὶ τῶν ἱερέων, οἷς ὅσιον, καὶ τῶν θυηπόλων. Τρόπος ὁ αὐτὸς ἦν, τῷ παρ' ἡμῖν. Χερνιψάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι, καὶ Δήμητρος καρποὺς ἐπιρράναντες, αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς, ἔπειτα κατευξάμενοι, θύειν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον. Τῶν δὲ οἱ μὲν ἑστῶτος ἔτι τοῦ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κροτάφους ἔπαιον. Οἱ δὲ πίπτοντος ὑπετίθεσαν τὰς σφαγίδας. Καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μερίσαντες, ἀπαρχὰς ἐλάμβανον, ἐξ ἑκάστου σπλάγχνου καὶ παντὸς ἄλλου μέλους. Ας ἀλφίτοις ζέας ἀναδεύσαντες, προσέφερον τοῖς θύουσιν ἐπὶ κανῶν. Οἱ δὲ ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτιθέντες ὑφῆπτον καὶ προσέσπενδον οἶνον κατὰ τῶν ἁγιαζομένων. Vertit Interpres: *Sacrificabant Consules Sacerdotesque quibus fas erat & victimarii, idque more nostratium. Lautis enim manibus & lustratis aqua pura victimis, inspersisque earum capita frugibus cerealibus* (*molam salsam* voluit dicere, quæ Græcis πεφρυγμένη κριθὴ) *conceptisque precibus, tum demum ministros eas mactare jubebant: quorum alii stantem etiam tum hostiam vecte feriebant in tempora. Alii suppositis cultris cadentem excipiebant, ac mox excoriatam concidebant membratim, delibatasque ex singulis extis aliisque membris primitias farrea farina imbuebant, & in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas succendebant & vinum inter adolendum effundebant.* Quæ omnia a Romanis suo tempore observata, juxta Græcas Sacrorum leges, ex Homero Dionysius probat. Ampliorem hujus ritus explicationem a Luciano mutuabor in Dialogo περὶ θυσιῶν. Ille: Θέμενοι δὲ βωμοὺς καὶ προρρήσεις, καὶ περιρραντήρια προσάγουσι τὰς θυσίας. βοῦν μὲν ἀροτῆρα ὁ γεωργός, ἄρνα δὲ ὁ ποιμὴν, καὶ αἶγα ὁ αἰπόλος, ὁ δέ τις λιβανωτὸν ἢ πόπανον, ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν Θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν. ἀλλ' οἵ γε θύοντες, στεφανώσαντες τὸ ζῶον καὶ πολύ γε πρότερον ἐξετάσαντες, εἰ ἐντελὲς εἴη, ἵνα μηδὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι, προσάγουσι τῷ βωμῷ, καὶ φονεύουσιν ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ Θεοῦ, γοερόν τι μυκώμενον, καὶ ὡς τὸ εἰκὸς εὐφημοῦν, καὶ ἡμίφωνον ἤδη τῇ θυσίᾳ ἐπαυλοῦν. Καὶ τὸ μὲν πρόγραμμα φησὶ, μὴ παριέναι εἴσω περιρραντηρίων, ὅστις μὴ καθαρός ἐστι τὰς χεῖρας. Ο δὲ ἱερεὺς αὐτὸς ἕστηκεν ἡμαγμένος, καὶ ὥσπερ ὁ Κύκλωψ ἐκεῖνος, ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων: καὶ τί γὰρ οὐκ εὐσεβὲς ἐπιτελῶν; ἐπὶ πᾶσι δὲ πῦρ ἀνακαύσας, ἐπέθηκε φέρων αὐτῇ δορᾷ τὴν αἶγα, καὶ αὐτοῖς ἐρίοις τὸ πρόβατον, ἡ δὲ κνίσσα θεσπέσιος καὶ ἱεροπρεπὴς χωρεῖ ἄνω, καὶ ἐς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν διασκίδναται ἠρέμα. Vertit Erasmus: *Tum autem constitutis aris, designatis Sacrorum septis, puris vasis collocatis, victimas offerunt. Bovem aratorem, agricola: Agnum, opilio: Capram, caprarius: est qui thus, est qui placentam offerat. At si quis pauper, is ita Deo litat ut dextram dumtaxat suam ipsius exosculetur. Jam vero cum immolant, primum sertis coronant pecudem, multoque ante explorant num legitima sit* (debuit ἐντελές *perfecta* verti, nec enim *legitimam hostiam* verba Pontificum recipiunt) *& sacris idonea: Ne quid forte mactent ex iis quæ religio repudiat. Deinde ad aram applicant, ac sub oculis Dei jugulant, flebile quiddam mugientem, beneque ominatam, denique voce leviori ad Tibias respondentem. Quin & in frontispicio posita scriptura denuntiat, ne quis intra pura vasa consistat qui manibus sit impuris. Atqui Sacerdos ipse fœdatus, non aliter quam Cyclops ille pecudem incidit, intestina educit, cor emollit, cruorem aræ circumfundit, & quod tandem non obediens peragensque quod ad pietatem Sacrorumque ritum pertineat? Post omnia demum incenso igni Capram ipsam pariter cum pelle deportatam imponit: Ipsam item cum lanis ovem. Nidor interim ille Sacer atque divinus sursum fertur, atque in ipsum usque cœlum subvectus diffunditur paulatim.* Ex duobus his locis omnem Sacrorum rationem & ordinem traho, qui latius a me explicandus est.

Primo Sacrificia in aperto peragebantur [8], aræ ipsæ verbenis & lanea corona cingebantur, eaque triplici. Nec quis ordinem meum reprehendat, si cum de Sacrorum apparatu dixerim, & ad illorum ritum devenerim, rursus ad eosdem apparatus regrediar. Nam ii, de quibus superiori capite diximus, erant quasi Sacrorum præludia. Hi vero Sacrificiorum partem aliquam faciunt, qui ab illis sejungi non possunt. De Corona lanea Propertius [9].

> *Terque focum circa laneus orbis eat.*

Quem ritum vir magnus sibi incognitum fassus est, creditque quod de laneo orbe a Poeta dictum, id Græcis esse κανοῦν κύκλῳ βωμοῦ εἰλίσσειν, *Canistrum in quo mola salsa, circum aram in orbem circumferre.* Sed laneus orbis est Corona lanea, qua aræ & templa ornabantur. Virgilius [10]:

> *Præterea fuit in tectis de marmore templum*
> *Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,*
> *Velleribus niveis & festa fronde revinctum.*

Quod non satis intellectum a Servio, qui nescio quid de ritu nuptiarum comminiscitur, vel Ovidius [11] testis est:

> *Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus,*
> *Oppositæ frondes velleraque alba tegunt.*

Etenim templa ut aræ ipsæ laneis filis coronabantur. De Aris locus Tertulliani [12]: *In quarum*, inquit, *sollemnitatibus ipsæ fores, ipsæ hostiæ & aræ, ipsi ministri & Sacerdotes eorum coronantur.* Has coronas *tænias* vocat Arnobius [13] quæ sunt filamenta lanea: Festus [14] *infulas*. Orbis autem laneus pro laneo filo in orbem circumacto accipiendus est, ut docebat olim Io. Passeratius popularis meus, vir cle-

---

1 In Pœnulo. 2 lib. 6. 3 In mercator. 4 Virgil. 1. Æneid. & ibid. Serv. 5 Livius lib. 26. 6 Apud Diomedem Grammat. lib. 1. 7 lib. 7. 8 Lactant. lib. 2. de origin. error. cap. 2. 9 lib. 4. Eleg 6. 10 4. Æneid. 11 In epistol. Didon. 12 lib. de Coron. milit. cap. 10. 13 lib. 5. 14 In verb. infulæ.

elegantis admodum ingenii & perpoliti. Sic Juvenalis [1], *Magnæque Coronæ tantum orbem*: Quod Ovidius [2], *lanam glomerabat in orbes*. Insertis enim floribus lana circumvolvebatur.

Cespes aræ superponebatur ex more [3], super quo Sacrificium fieret, de quo Juvenalis [4]:

*Quæ festus promissa dies animalia Cespes*
*Expectat.*

Accedebant ad aras Sacra facturi, aqua viva purificati, qui Venere abstinuisse debebant, qua polluti sacris arcebantur [5]. Illos sequebatur sacris vestibus amictus Pontifex, qui ad aras Sacrificii, lictore præeunte ducebatur, qui virga turbam submovebat. Tum sollemnia Sacrificii aggressuro Pontifici, exclamabat Præco HOC. AGE. Pontificem magistratumque simul admonens, ut sedulo rei divinæ vacarent, neve illorum animus cogitationibus aliis distraheretur, ὅταν ἄρχοντες ἢ ἱερεῖς πράττωσι τι τ῀ θείων, ὁ κήρυξ πρόεισι μεγάλῃ φωνῇ βοῶν, ΟΚΑΓΕ [6]. Pontifice & magistratu præmonitis, monebatur & populus ab eodem Præcone *ut linguis faveret* [7]. *Favere* non tantum est tacere, quod *pascere linguam* dixit Festus [8], verum etiam bona verba fari, εὐφημεῖν Gloss. vet. *favete* εὐφημεῖτε, hinc *murmur*, *humilesque susurri* Persio [9], & ψιθυρισμόν ex Clemente Alexandrino doctissimus Casaubonus annotavit.

Pontifex deinde ad ἱερουργίαν καὶ μυστικώτερα veniebat: victimæ floribus coronatæ a magistratu offerebantur [10], a Pontifice profani arcebantur qui conclamabat [11], PROCUL. ESTE. PROFANI. θύρας βέβηλοι [12]. Hæc Sacrorum præfatio fuit. At in Sacris resolutoriis, ut ex Servio [13] Scaliger observavit lictor ipse clamitabat, HOSTIS. VINCTUS. MULIER. VIRGO. EXESTO. Pontifex postea cum magistratu fundebant preces, pacem per aras exquirebant, Aras ipsas manibus tenebant præeunte ubique verba Pontifice. Aras enim tenere necesse erat Sacrificantibus [14], quod si non fieret, Sacrificium Diis gratum non putabatur. Victima posthæc, quæ soluta sponte ad aras accesserat (nam piaculum erat in Sacrificio si quid esset religatum [15]) aqua pura antea lustrata, primum a Pontifice probabatur:

*Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,*
*Candentis vaccæ media inter cornua fundit* [16].

Dixi a Pontifice probari: nec enim magistratus illud faciebat cum ipse victimam offerret. Quare a viro probatissimo dissentio [17], qui ex persona Didonis vinum a magistratu fundi solitum ad hostiæ explorationem verisimile putat. Nam ubique Virgilius Didonem ut Flaminicam, Æneamque ut Pontificem max. introducit, ut Servius notat passim. Hancque probationem Pontificis fuisse alibi Virgilius docet:

*Frontique invergit vina Sacerdos* [18].

Atque hæc quidem probatio, non fuit Sacrificium, sed hostiæ exploratio [19].

Fuit etiam aliud genus probationis, ut scilicet victima perfecta esset. In vitulo cauda articulum suffraginis contingere debebat [20], breviore non litari putabant. Quod a nobis amplius exponetur, ubi de hostiarum diverso genere. Perpetuum in omnibus victimis fuit, ut vino probarentur: atque illarum frons sale & farre, χεῖλαῖς πεφρυγμέναις, id est, mola salsa a Pontifice aspergeretur, ut foci & cultri. Maxima hinc in Sacris salis intelligitur authoritas, quando nulla conficiuntur sine salsa mola, quæ fiebat de horno sale, & horna fruge [21]. Hujus Ceremoniæ verba concepta habemus, quæ hujusmodi fuisse Servius refert [22], MACTUS. EST. TAURUS.

A (vel agna aut quoquo nomine hostia) VINO. MOLAQUE SALSA, hoc est, cumulata hostia est, & magis aucta. Quæ cum ita esset, aptum sacrificium credebatur, si dedicatum animal victimæ patiens inveniretur. Tunc ignis aræ supponebatur, Pontifexque

*Summas carpens media inter cornua setas*
*Ignibus imponit sacris libamina prima* [23].

Prius enim setæ tolluntur, & lana aris imponitur [24], sicque designatur quasi immolationis victima,

*—— & tempora ferro*
*Summa notant pecudum* [25].

Quod Statius dixit [26]:

B *Jamque ardua ferro*
*Signati capita.*

Obliquum cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant ad Orientem conversi, tuncque repetebant preces altiori voce sacra facturi:

*Tum pius Æneas stricto sic ense precatur* [27]
*Sic prior Æneas sequitur, sic deinde Latinus*
*Suspiciens cælum.*

Libatio præcesserat, dixerat Poeta *pateris altaria libant*. In Sacris enim primum erat libare, deinde immolare, tertio reddere, quarto litare [28].

C Duæ vero fuerunt libationes in Sacris. Prima cum post victimæ probationem vinum ad aras funderetur. Altera cum sanguis hostiæ libaretur. Libatio ergo vini fiebat post immolationem, id est, postquam victima molam salsam accepisset: post mactationem sanguis victimæ fundebatur, aliaque libamenta Diis offerebantur inter cæsa & porrecta. Cædebatur hostia Pontificis jussu. In Agonalibus [29] princeps Civitatis interrogabatur a Sacrificulis, AGON? Jussu Pontificis accepto,

*Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem*
*Suscipiunt pateris* [30].

A Pontifice victima percutiebatur: aut cum cultrum teneret, alter impingebat [31]. Extemplo sanD guis libabatur cum thure, vino, molaque salsa. Hunc ritum expressit Arnobius [32]: *Non cæsorum*, inquit, *sanguinem animalium damus, non thura, non fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum infusionibus inferimus.* Tibicines non cum mactaretur solum, sed cæsa etiam hostia concinebant [33]. Pontifex thura iterum altaribus ingerebat. Thus enim locum sumpsit in Cæremoniis primum, & sine thure religionis officium claudicabat [34]. Vinum thuris socium ei superfundebatur incensioni. Cum thus incendebatur dicebat Pontifex, MACTUS. HOC. THURE. ESTO. Cum vinum, MACTUS. HOC. VINO. E INFERIO. ESTO. *Inferium vinum*, ait Trebatius, *dicebat Pontifex, ne vinum omne omnino quod in cellis & apothecis est conditum, ex quibus illud effunditur promptum, esse sacrum incipiat, & ex usibus eripiatur humanis. Nam addito hoc verbo, solum erit, quod infertur Sacrum, nec religione cæterum obligatur.*

Vinum posthæc Sacrificulus circumferebat, ut populus pariter libaret, hoc est, summis labris degustaret, sibique invicem poculum præberet. Quod non obmisit Virgilius [35]:

*Et pocula porgite dextris.*

Refert Sallustius [36] fuisse qui dicerent Catilinam cum ad jusjurandum populares sui sceleris adduceret, humani corporis sanguinem vino permistum, F in pateris circumtulisse. Inde cum post execrationem omnes degustassent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium. Inter hæc pocula Diis etiam libabantur, ἀπάρχεται aliquo genere libamenti, ut fercto [37], vel strue, placenta de



1 Satyr. 10. 2 6. Metamorph. 3 Serv. 12. Æneid. 4 satyr. 12. 5 Persius satyr. 2. Tibul lib. 2. eleg. 1. Macrob. lib. 3. satur. c. 1. 6 Plutarch. in Coriol. 7 Tibul. lib. 2. eleg. 2. 8 In verb. faventia. 9 satyr. 2. 10 Plin. lib. 16. c. 4. 11 Virg. 6. Æneid. 12 Lucian. dialog. de Sacrific. 13 lib. 4. Æneid. 14 Serv. 4. Æneid. 15 Plin. lib. 8. c. 45. Serv. 2. Æneid. 16 Virgil. 4. Æneid. 17 Scalig in Varron lib. 5. de ling. lat. 18 6. Æneid. 19 Serv. 4. Æneid. 20 Plin. lib. 8. c. 45. 21 Serv. 2. Æneid. 22 9. Æneid. 23 Virg. 6. Æneid. 24 Lactant. Gr. Theb 4. 25 Virg. lib. 12. Æneid. 26 4. Thebaid. 27 Virgil. 12. Æneid. 28 Lactant. Gram. 4. Theb. 29 Varro lib. 5. de ling. lat. 30 Virg. 6. Æneid. 31 Lact. G. 4. Theb. 32 lib. 6. 33 Lucian. dialog. de Sacrific. 34 Arnob. lib. 7. 35 lib. 8. Æneid. 36 De Conjur. Catil. 37 Festus in verb. ferctum Strues.

farre, melle & oleo [1], Quod priſca ſacra pulte fritilla confici ſolerent, quia in victu puls antiquiſſima [2]. Paſtillum quandoque libi genus rotundi, vel ſecium quod ſeceſpita ſecabatur, ſacrificiis adhibebatur [3]. Hæc libamenta aris imponebantur, igneque eorum pars minuta cremabatur. Plinius [4] de Ombria gemma differens: *In aras*, inquit, *addita ea, traditur libamenta non amburi*. Libamina hujuſmodi Diis offerebantur inter cæſa & porrecta [5]. Medium enim erat tempus inter hoſtiam cæſam, quæ mane, & exta porrecta, quæ veſperi. Quo tempore exta reddi dicebantur, vel in olla vel in veru elixa aut cocta. Varro [6] cum quarundam pecudum mentionem fecit, *Hæ ſunt*, inquit, *quarum in Sacrificiis, exta in olla non in veru coquuntur*. Arnobius [7]: *Cum Romulo Pompilioque regnantibus percocta plane ac madida cremarentur Diis exta: Nonne Rege ſub Tullo cœpiſtis & leviter cremata porricere, priſca obſervatione contempta?* Idem ille [8]: *Modo bis aſſa, modo cruda ponuntur ſemicocta & ſemicruda.* Sed priuſquam exta redderentur, ter aram Pontifex cum magiſtratu circumibat:

*Ter circum acta pyras, ſancti de more parentis*
*Semineces fibras & adhuc ſpirantia reddit*
*Viſcera* [9].

Quod paucis Virgilius [10] in perſona Didonis expreſſit:

*Ante ora Deum pingues ſpatiatur ad aras.*

Exta tum aræ imponebantur reddique dicebantur. Quod a magiſtratu fiebat jubente his verbis Pontifice: DA. QVOD. DEBES. DE. MANV. DEXTRA ARIS [11]. Adolebat ſacrificans, orabat Sacerdos. Plauti Ballio [12]:

*Nam ſi ſacruficem ſummo Jovi,*
*Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci*
*Si lucri quid detur, potius rem divinam deſeram.*

Quaſi diceret nullam pietatem obſiſtere poſſe, quin lucro conſuleret.

Iiſdem verbis ſollemnibus utebatur Pontifex, cum thus aut vinum libaretur [13]. Cumque exta reddebantur, & in foco aræ imponebantur, hoc erat PORRICERE [14]: unde extorum partes *Proficiæ* [15], quæ ſolæ comburebantur. In carmine Saliari inciſia ſunt, quod in extis proſectum [16]. Feſtus [17] vocat *ablegmina*. Quæ præterea magiſtratus in aram imponebat, ambabus manibus, & proſecta non erant, *luſtralia* vocabantur [18]. Quod fieri conſueverat cum luſtrum conderetur. Hæ partes minutiores omnes antequam adolerentur, farris ſemine incerni ſolebant, ac dicere ſacra facientes, SE. EA. FEBRVARE, id eſt, pura facere [19]. Cum vero Proficiæ comburebantur, thus iterum dabatur & vinum, quod erat *vinum adtegrare*, id eſt, vino Sacrificium augere [20]. Arnobius [21] thus illud & vinum nobis abunde ſuppeditat. *Pari more*, inquit, *poſt ſolitos victus liborum & pultium hoſtiarumque cæſarum, quo putrefiat facilius & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant, accipiuntque ſe vino.*

Inter porrecta gratiſſimæ Diis κνίσσαι putabantur, id eſt, *nidores*, καπνοὶ τ͂ θυσιῶν [22], qui cum in cœlum evolarent, cum exta nihil portendiſſent, id eſt, cum læta exta eſſent, iiſque cor non defuiſſet aut caput [23], litaſſe ſe credebant, id eſt, ſacrificio numen placaſſe. ſicque ubi litaſſe compererant, Deos ipſos demum adorabant, dextram ad oſculum referentes [24], totumque corpus circumagentes, circum incenſa altaria hymnos concinentes. Pontifex tandem manibus in altum porrectis Deos iterum precabatur, Janum primo reliquoſque quos neceſſe erat invocari [25]. Janus enim in omnibus ſacris primus perpetuo rogabatur, ultimum Veſta. M. Tullius [26]: *Janum principem in ſacrificando eſſe voluerunt.* Arnobius [27]: *Janum quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere ad Deorum audientiam creditis.* Ab his precibus litationes quæ λιτανεῖαι, ut lito *deprecor* λιτανεύω. Peractis precibus Pontifex ad dextram volvere & circumvortere ſolebat, admovenſque ori ſuo dextram, primore digito in erectum pollicem reſidente [28], ſedens Deos venerabatur cum populo, & velut Diis ipſis ratas preces habentibus, ILICET pronuntiabat [29], quod noviſſimum Sacrorum omnium verbum fuit, quo rite peracta illa ſignificaret, populumque miſſum faceret. Hæc forte ingrata non erunt, niſi τῷ μηδέποτε ταῖς χάρισιν, ἀλλ' ὐδὲ ταῖς μούσαις θύσαντι, *qui neque gratiis neque muſis unquam ſacrificavit.*

## CAP. III.

*Sacrificiorum Ritus ex M. Catone.*

SACRIFICIA diximus publica eſſe vel privata. Privatorum Cato [30] adfert exemplum, ex quo publica maxime illuſtrari poſſunt, niſi quis malit ad Paganalia hoc genus Sacrificii referre, quæ quidem inter publica & ſollemnia ſacra numerantur. Cato tamen ad villicum erudiendum hæc tradit, qui in villa faceret ſacra: *Priuſquam meſſem facias*, ait Cato, *porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam fœminam, priuſquam haſce fruges condantur, far, triticum, hordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vino, Jano, Junoni, Jovi præfato. Priuſquam porcam fœminam immolabis, Jano ſtruem commoveto ſic:* Jane pater te hac ſtrue commovenda bonas preces te precor, uti ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo, familiæque meæ, mactus hoc ferto. *Fertum Jovi moveto & mactato ſic:* Jupiter te hoc ferto obmovendo, bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, liberiſque meis, domo, familiæque mactus hoc ferto. *Poſtea Jano vinum dato ſic:* Jane Pater uti te ſtrue commovenda bonas preces bene precatus ſum, ejuſdem rei ergo, macte vino inferiori eſto, *poſtea porcam præcidaneam immolato. Ubi exta projecta erunt, ita Jano ſtruem commoveto, mactatoque item uti prius obmoveras. Jovi item fertum obmoveto, mactatoque uti prius feceras. Item Jano vinum dato, & Jovi vinum dato, ita uti prius datum fuit, ob ſtruem obmovendam & fertum libandum, poſtea Cereri exta & vinum dato.* Cato hic primus triumpho & cenſura clarus, nobilior tamen literarum claritate, meretur certe ut illius ſententiam indicemus, quæ eo gratior, quo abſtruſa magis eſt & antiquitatem maximam præfert. *Porcam præcidaneam*, inquit, *hoc modo fieri oportet.* Lego *porcum præcidaneam.* Ratio lectionis ſuo a nobis loco reddetur. Cereri porcus præcidanea mactatur, quod præcidarium fuit Sacrificium ante novam frugem Cereri Deæ Terræ. Porcum fœminam thure, vino præfabantur Jano, Jovi, Junoni, *Priuſquam haſce fruges condantur.* Lego, *priuſquam vaſe fruges condantur.* Varro [31], *Si ſit fundus centum jugerum, frumentaria vaſa viginti habere oportet.* In his enim vaſis fictilibus, ut in granariis fruges reponebantur. Nam non in granariis ſolum fructus cuſtodiuntur, ſed in Urceolis & capſellis, in quibus illi componuntur [32]. Urceoli & capſæ vaſa erant ut cumera, de qua Horatius [33]:

1 Serv. 7. Æneid. 2 Plin. lib. 8. cap. 8. 3 Varro lib. 4. de ling. lat. Feſtus in verb. ſecium. 4 lib. 37. cap. 10. 5 Varro lib. 5. de ling. lat. 6 lib. 4. de ling. lat. 7 lib. 2. 8 lib. 2. 9 Statius 4. Thebaid. 10 4. Æneid. 11 Serv. 2. Georgic. 12 In Pſeudolo. 13 Serv. 8. Æneid. 14 Macrob. 3 ſat. cap. 2. 15 Arnob. lib. 7. 16 Varro lib. 4. de ling. lat 17 In verb. Albegmina. 18 Serv. 8. Æneid. 19 Varro in fragment. 20 Feſtus in verb. adtegrare. 21 lib. 7. 22 Heſych. 23 Capitolin. in Pertinace. & ib. Caſaub. 24 Plin. lib. 28. cap. 2. Virgil. lib. 8. 25 Acro in Horat. ſatyr. 6. lib. 2. Serv. in ſched. 26 lib. 2. de nat deor. 27 lib. 3. 28 Apulejus 4. metamorph. 29 Virgil. lib. 6. 30 lib. de ruſti. cap. 134. 31 lib. de re ruſtic. cap. 22. 32 l quæſitum §. conſervandi D. de fund. inſtruct. 33 lib. 1. ſatyr. 1.

*Cur tua plus laudas cumeriſ granaria noſtris?*

Sacrificium fit Cereri, thure tamen & vino Jano, Jovi & Junoni præfatio ſacrorum fit, qui tanquam Dii potentiores invocantur primum. Nam *præfari* ſignificat *evocare*: quo ſenſu Tibullus [1] dixit *præfari Manes*. Ceres in præfatione omittitur & tres Dii ſolum invocantur, quia impar numerus, primus, qui ternarius immortalis credebatur [2]. Janus, Jupiter & Juno thure & vino invitantur, quia thus locum ſumpſit in Ceremoniis primum, cui vinum fuit ſocium. Priuſquam porcum fœminam immolaret, Jano ſtruem commovebat. Nam omnis Sacrorum præfatio a Jano incipiebat, ut in Veſta deſinebat [3]. *Strues* autem genera ſunt liborum digitorum conjunctorum non diſſimilia [4], quæ ſuperjecta panicula in tranſverſum continentur. *Struem commovere* verbum Sacrorum eſt, quod ſignificare arbitror, libamina Diis offerre & ad preces ſacrificantis exaudiendas excitare. *Struem movere*, *commovere* & *obmovere* eandem habere ſignificationem ex iis quæ ſequuntur colligi poteſt. Quæ omnia nihil aliud ſunt quam libare, quod eſt ambabus manibus ſtruem Diis offerendo, vel ferctum Jovi, primis quaſi labris deguſtare. Dicit enim Cato in fine hujus capitis, *ita uti prius datum fuit ob ſtruem obmovendam, & fertum libandum*. Sequitur: *Jane pater te hac ſtrue commovenda, &c.* Quod tractabimus ubi de precatione ſermo erit nobis. *Ferctum Jovi moveto:* Hoc libi genus eſt a *ferendo* dictum, quod crebrius ad Sacra ferebantur, nec ſine ſtrue. Quare falſus eſt Paulus [5] apud Feſtum, qui *Strufertarios* dictos ſcripſit a *ferto* quodam Sacrificii genere. Nam *Struefertarii* dicti a *ſtrue* & *ferto*. Nec *fertum* genus fuit Sacrificii, ſed libi. Fertum itaque Jovi movetur, ut ſtrues Jano. Uterque mactus, id eſt, magis auctus effuſa prece, quæ oblationem ſequuta eſt. Nam & macti Dii precibus aut libis dicebantur vel thure & vino, quoties oblationi primæ aliquid adjiceretur. *Poſtea Jano vinum dato ſic, &c. macte vino inferiori eſto*, legendum *inferio*. Vinum in Sacrificiis ſæpius fundebatur, ut ſupra probamus. *Ubi exta projecta erunt*, manifeſtus error, legendum *porrecta*. *Poſtea Cereri exta & vinum dato*: Illud ergo ſervabatur in Sacris, ut libatio & immolatio Diis principibus fieret, Jano ſcilicet & Jovi. Exta redderentur ſive Deo ſive Deæ in cujus honorem ſacra inſtituta eſſent: Libatio Diis omnibus fieret. Cereri vinum libatum negotium fecit Macrobio [6] qui de mulſo intelligendum putavit. Sed nos ſcimus Cererem non ita abſtemiam ut illi mulſum pro vino offerretur. Hoc ſolum ſacrificio vinum Cereri datum aſſerit Lilius Gyraldus [7], quod ſine authore. Dico cum Servio Pontificales libros non vetare, ut Cereri de vino ſacrificaretur. Locus Plauti multos decepit qui Staphilam anum ſic introducit loquentem [8]:

*Cererin' Strobile, iſtas facturi nuptias?*
Str. *Qui*? Sta. *quia temeti nihil allatum intelligo*.

Nodus inexplicabilis Lambino, qui alium Græcorum, alium Romanorum ritum ſibi finxit in Cereris ſacris; cum tamen Cereri Romæ Græco ritu ſacrificaretur. Plautus loquitur de Cereris nuptiis quæ θυσίαι νηφάλιοι, in quibus vinum quidem adhiberi nefas erat, quia Orci erant nuptiæ, quas Pontifices præſentia ſui, ingenti ſollemnitate celebrabant [9]. In cæteris Cereris Sacris vinum & thus ad Sacrificia præibant. Antequam Cato de præcidanea porca diceret, docuerat [10] quomodo dapem fieri oporteret. Daps [11] fuit res divina quæ fiebat aut hyberna ſemente aut verna. Quæ quidem divina res nihil differt a ſacrificio communi. Fiebat quidem illa domi, ut ex multis Plauti locis comprobatur, ex quibus unum affe-

A ram aut alterum. Primum ex *Amphitruone:*

*Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis*
*Blepharonem, ut re divina facta prandeat.*

Alterum ex *Aulularia* ubi Euclio:

*Vaſcula intus pure propera atque elue.*

Et paulo poſt:

*Nunc lavabo ut rem divinam faciam, ne affinem morer.*

B

## CAP. IV.

### *De Poparum & victimariorum mercede.*

DUM Sacrorum rationem diligentius exquiro Popæ & victimarii occurrunt cum cultris & malleis, qui mihi eum timorem non injiciunt, quo me vetus inſcriptio dudum perterruit. Hæc illa eſt:

[a] D
PRO. SANGVINE
ET. CORIVM
C SI. HOLOCAVSTVM. -X- X
PRO. SANGVINE. AGNI. ET. PELLE
-X-. II
SI. HOLOCAVSTVM. -X-. II. t
PRO. GALLO. HOLOCAVSTO. X. I. LƆ
PRO. SANGVINE. A. XIII
PRO. CORONA. A. IIII
PRO. CALIDAMIN. HOMINEM. A. II

Licet ſub pellibus literarum non multum otii nobis concedatur ad nugas & vanum laborem, properantemque me operiantur Popæ importuni, detrahen- D da tamen iſthæc quoquo modo pellis eſt. Nihil intra cutem vulneris faciam quod ab aliis facile curari non poſſit. Monebat Rigaltius, merito quem amo, cuique totam hanc explicationem acceptam fero, fragmentum eſſe de matricula ſive breviculo æruſcatoris cujuſdam victimarii, qui pro opera quam mactandis victimis locaverat, ſummularum quarundam per minuta æra taxationes propoſuerat. Abſque hac conjectura eruditiſſima eſſet, ut nihil prorſus hac de re intellexiſſem. Ex illa enim alia ſeſe offert mihi, quæ Pontificum augeat authoritatem, quos miniſtris Sacrorum hujuſmodi mercedem conſtituiſſe puto. Nam hi, ut ſolet, ad rem avidiores, vexabant populum pro operæpretio: certam mercedem pro ratione Sacrorum in quibus locabant operas, ex præ- E ſcripto præſtari voluerunt Pontifices, populumque ab illorum moleſtia liberare. D. illud quæ prima eſt inſcriptionis litera, pro *decreto* accipio. PRO. SANGVINE, hoc eſt, pro jugulanda victima, denarii aliquot æſtimati qui in lapide corroſi. ET. CORIVM. quod relictum fuit templo; pellis enim cæſæ victimæ detracta, inter religionis inſignia ponebatur. Nam ſtratis his pellibus, Diis incubabant. SI. HOLOCAVSTVM. in quo tota hoſtia flammis adolebatur: merces fuit denariorum decem. PRO. SANGVINE. AGNI. ET. PELLE. detrahenda ſcilicet, denarios duos accipiebant. SI. HOLOCAVSTVM. ex agno fieret dena- F rios duos totidem. PRO. GALLO. HOLOCAVSTO. denarium unum & binas ſextulas. Sic enim ſcriptum conjicit Rigaltius quem ſequor, X. I. IↃ. Cujuſmodi notæ reperiuntur apud Voluſium Metianum. PRO. SANGVINE . . . . . A. XIII. deeſt aliquid, atque ut pro majori victima pretium primum conſtitutum eſt, ſic iſtud pro minoribus arbitror, pro quibus ſolvebantur aſſes tredecim. PRO. CORONA aſſes quatuor, nos de Coronis hactenus, quas hoc



1 lib. 3. eleg. 2 Feſtus in verb. imparem. 3 Serv. 4. Æneid. 4 Feſtus in verb. ſtrues. 5 In verb. Strufertarios. 6 lib. 3. ſaturnal. c. 11. 7 Syntag. 17. 8 In Aulularia. 9 Servius 1. Georgic. 10 cap. 132. 11 Feſtus in verb. Daps. a 125. 2.

loco accipimus pro iis quibus victimarii & victimæ ornabantur. PRO. CALIDAMIN. HOMINEM. A. II. Ex imperitia fabri errorem scripturæ manasse putat Rigaltius, qui reponit PRO. CALIDA. IN. HOMINEM, ut sit καθ' ἕκαστον ἄνδρα. Argute quidem, nam licet calida in sacris non uterentur, sed viva & pura: illa tamen opus fuit ad victimarii pelves & cultros eluendos, atque hominum quorundam opera ad hanc rem utebatur, quibus singulis asses duo præstiti. In his Sacris cum Apolline tibiis non contendo. Indico, non judico, & tenera eruditionis cute laceros aut ægros lectionis artus operire ita studeo, ut admonitionis aut excitationis loco, castigationes aut labores mei accipiantur.

## CAP. V.

*De vario Sacrificiorum genere. Minusculum sacrum. In Sacris sive Deus sive Dea. Quod vinum Sacrificio adhiberetur.*

SOLLEMNIUM sacrorum omnium hic ritus fuit, qui in aliis diversus, ut in statis, Imperativis aut repentinis, qui tot ceremoniis non constabant, nisi ipsi sollemnes essent. Nam quandoque vinum & thus solum Diis offerebatur: aliquando puls mactabatur, ut Calendis Juliis publice & privatim pultem Diis mactasse author est Varro [1] libro primo *de vita populi Rom.* Casta mola Virgines Vestales faciebant [2]. Fuit quoddam genus sacrificii in quo Saliæ Virgines conductitiæ adhibebantur cum apicibus paludatæ [3], quæ sacrificium in Regia cum Pontificibus faciebant, ut Ælius Stilo scripsit. De hoc Sacro forte Horatius [4]:

*Crescam laude recens, dum Capitolium*
*Scandet cum tacita virgine Pontifex.*

Saliæ enim Virgines circa aras faculas tenentes, ferebantur quodam gestu & motu incomposito [5]. Quod genus Sacrificii quo veteres aras circumibant, & rursus revertebantur, deinde consistebant, *Minusculum Sacrum* [6] dicebatur. Saltatio est corporis motus paulo vehementior, in multis sacris viris & mulieribus permissa, tanquam religionis officium. *Quod nullam*, inquit Servius [7], *majores nostri partem corporis esse voluerunt quæ non sentiret religionem*. Non prætermittendum quod superis Diis impari numero semper sacrificatum: ut inferis, pari: Quod Pontificales indicant libri [8]. Imparem nempe numerum antiqui prosperiorem esse credebant & immortalem [9], quia ille dividi integer non potest [10]. Quare impares numeros ad omnia vehementiores putaverunt [11], & ad ternarium numerum in superorum Sacrificiis multa retulerunt. Tria altaria Diis superis extructa [12], ter circum acta pyras extra reddebantur [13], ter hostia circumducebatur [14], ter circa easdem aras laneus orbis vinciebatur [15], ter vinum inferium datum [16], ter strues commota [17], πρὸς τὴν σελήνην τρὶς ἐγχανὸν προσδέχονται [18]. *Ter ad lunam inbiantem vota faciebant*. Ut Deorum omnis fere potestas triplici signo ostendebatur. Jovis Trifidum fulmen. Neptuni tridens: Plutonis etiam Canis triceps.

In omnibus vero Sacris nihil cautius agendum, quam ut unicuique Deo suo ritu sacrum fieret. Usque adeo res exigebat, propria Deorum nomina scire nec ambigere, de uniuscujusque vi & nomine [19]. Nam si alienis ritibus fuissent invocati, piaculis tenebant inexplicabilibus obligatos. Hæc causa fuit

A cur in Sacrificiis dicere solerent *Sive Deus sive Dea*. Ut cum terra movisse dicebatur, Dei nomen cui ferias servari, aut sacra fieri oporteret, Romani statuere & edicere quiescebant. Ne alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent [20]. *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset: hostiam, si Deo si Deæ immolabat*. Idque ex decretis Pontificum Varro tradit, quoniam qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, incertum esset. Imo Pontifices ipsi sic Jovem precari consueverant: *Jupiter opt. maxime, sive quo nomine appellari volueris* [21]. Quem ritum tangit Virgilius [22] suo more:

B *sequimur te sancte Deorum*
*Quisquis es.*

Quod etiam in votis & consecrationibus retinuerunt. Lapis vetus:

[a] SIVE. DEO
SIVE. DEÆ
C. TER. DEXTER
EX. VOTO
POSVIT

Fuit Clypeus in Capitolio consecratus cum hac inscriptione, GENIO. VRBIS. ROMÆ. SIVE MAS. SIVE. FOEMINA [23].

C Sed ut vino Sacrorum caput hocce claudamus, quod vel remota quandoque mensa a convivis degustari solet: addam quod ex imputata vite Diis libari, Numæ lex Posthumia nefas statuit [24]. Ut nefas prolibare Diis, vino vitis fulmine tactæ, quamque juxta, hominis mors laqueo pependisset: aut si vulneratis pedibus vitis calcata esset; aut vinum circumcisis vinaceis profluxisset, aut superne deciduo immundiore lapsu aliquo esset pollutum [25]. Unde in Sacris dicebatur furore corripi qui sacrificaret de vino vitis imputatæ [26].

## CAP. VI.

*De Sacris privatis, quæ certæ gentis aut familiæ fuerunt, Natalium, Nuptiarum aut funerum.*

QUOD privati suæ religionis causa Deo dedicant, id Pontifices Romani non existimant Sacrum, ut Gallus Ælius ait [27]: at si quæ Sacra privata suscepta sunt, quæ ex instituto Pontificum, stato die, aut certo loco sint facienda, ea sacra appellari tanquam Sacrificium. Ille locus ubi ea Sacra facienda sunt, vix videtur sacer esse. Sacra illa tanquam Sacrificium dicit Gallus, quod ex Catone notabamus esse rem divinam facere. Sacrificia enim proprie fuerunt illa solemnia, quæ per Pontifices aut alios Sacerdotes publicos fiebant: ut res divina a privatis. Privata illa sacra aut gentis unius fuerunt, aut familiæ, aut singulorum. Gentilitia in Sacello aliquo, stato loco, anniversaria factitabantur [28]. Illis totam gentem interesse solere, Fabiorum historia vetus memoratur, quos omnes ad hocce Sacrificium proficiscentes ad unum occisos narrant. Quod probabile Dionysius [29] non putat, tot viros qui sub signis essent Sacrorum causa in urbem sine Senatusconsulto reversos. Sed Cincius lib. tertio *de re militari* dubitationem tollit [30]: ita enim concipiebatur militum scriptorum jusjurandum: *Ut adessent illi præfinita die*, his additis F exceptionibus, *nisi harumce aliqua causa fuerit, ut Sacrificium anniversarium, quod recte fieri non posset*,

1 In fragment. 2 Festus in verb. Casta. 3 Festus in verb. Saliæ Virgines. 4 3. Carmin. od. 30. 5 Virgil. 1. Georgic. 6 Serv. 4. Æneid. 7 Eclog. 5. 8 Serv. eod. 9 Festus in verb. imparem. 10 Serv. eclog. 8. 11 Plin. lib. 28. c. 2. 12 Serv. eclog. 5. 13 Statius 4. Thebaid. 14 Virgil. 1. Georgic. 15 Proper. eleg 6. lib. 4. 16 Cato c. 134. 17 Cato eod. 18 Lucian. in ὑπερηφάνῳ. 19 Arnob. lib. 3. 20 Agel. lib. 2. cap. 28. 21 Serv. in sched. 22 lib. 4. Æneid. & ib. Serv. a 1. 7. 23 Serv. in sched. 24 Plin. lib. 14. cap. 12. 25 Plin. lib. 14. cap. 19. 25 Servius eclog. 1. 27 Festus in verb. Sacer mons. 28 Cic de Aruspic. resp. 29 Dionys. lib. 9. 30 Agel. lib. 16. cap. 4.

*nisi ipsus eo die esset*. Non quæro inter dissentientes authores in tanta vetustate, an Fabii ad hoc sacrum pergentes deleti sint: sed cum Roma non longe abessent, non facile potuerunt ab hoc Sacrificio excusari, quod differre nefas erat. Quare Consules ipsos, quibus cura belli mandata erat, hæc sacra quandoque in urbe retinuerunt, vel e castris ad illa in urbem ipsi reversi sunt [1]. Memorabile illud est quod de gente Servilia Plinius [2] ex Messala retulit, habuisse illam Trientem Sacrum, cui summa cum cura magnificentiaque Sacra faciebant. Hunc ferunt alias crevisse, alias decrevisse videri, & ex eo aut diminutionem familiæ significari, aut honorem.

B Privata Sacra unius erant certæ familiæ, quæ perpetua manebant, heredemque sequebantur, nec morte Patrisfamilias occidebant, nisi ex Scævolæ sententia perimerentur. De his nihil repeto. Privatorum Sacrorum alia stato die fuerunt & anniversaria, ut natalium & funerum, quæ Parentalia: alia repentina, ut nuptiarum cæteraque innumera. Quæ omnia aut ad aras certo loco fiebant, qui quidem locus vix sacer videbatur: aut domi, foculo supra mensam imposito, quæ esset aræ loco. Nam quæ in Sacris publicis sollemnibus libamenta privati Diis offerebant, unam tantum Sacrificiorum partem contingebant, quæ fuit libatio. Privati enim in his Sacris, aut ignem in aram inferebant, aut aram augebant, quod est libamenta offerre, aut adolebant. Plautum in his Sacris expediendis advocabo mihi ministrum, Sacerdotem & Aruspicem, qui his in rebus, ut in omni genere doctrinæ ita dives est, ut ab eo solo mihi comparare possim nullo pretio, quæ necessaria videbuntur. Quare authores alios non morabor, qui lucem ab illo maximam accipere possunt. Ea fuit omni populo Rom. religio, ut publice & privatim accederent ad Deos puri, nec illotis, ut aiunt, manibus. Megadorus [3]:

*Ego nisi quidvis eo lavatum ut sacruficem*.

Euclio illius socer expectatus:

*Nunc lavabo ut rem divinam faciam*.

A Operiebant caput ad aras accessuri vel Deos invocaturi. Alcumena [4]:

*Invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant*
*Manibus puris, Capite operto*.

Quod ex Agorastocle adolescente amatore & Adephasio amica notamus, ille [5]:

Ag. *age sustolle hoc amiculum*.
Ad. *Pura sum, comperce amabo me attrectare Agorastocles*.

Et paulo post:

Ad. *Non sum irrata*. Ag. *non es? Da ergo ut credam suavium*.
Ad. *Mox dabo cum ab re divina rediero*.
Ag. *Paucis verbis rem divinam facito*.

Maturius properabant ad Aras. Meretrices duæ Plauti nostri:

AN. *Nimia nos socordia hodie tenuit*. AD. *qua de re obsecro?*
AN. *Quia jam nondudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,*
*Primæ ut inferremus ignem in aram*.

Philocomasium meretrix alia:

*Inde ignem in aram*.
*Ut Ephesiæ Dianæ laudes latas*
*Gratesque agam, eique ut arabico fumificem odore amœnæ* [6].

C Illato igne thus injiciebant, & hoc proprie fuit adolere.

Natali domini Diocletianus Imperator [7], Nicomediæ cum Christiani ad Dominicum convenissent, januas ecclesiæ claudi jussit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ut Jovi thus adolerent.

Aram hoc thure aut libamentis adaugere dicebantur. Quod & in publicis & privatis Sacris fieri solebat. Dorippa mulier [8]:

——*aliquid cedo*
*Qui hanc vicini nostri aram augeam*.
Syr. *Da sane hanc virgam lauri*.

D Hæc quidem & in publicis & privatis Sacris communiter observata. Privatorum Sacrorum quæ publice fierent, imagines multas habemus in nummis, unum aut alterum adferam e multis.





In his *rem divinam facere, supplicare, salutare Deos* diversa sunt, quæ uno vocabulo exprimuntur, *pacem Deorum quærere* aut *expetere*. Amphitruo [9]:

*Ut Jovis supremi multis hostiis pacem expetam*.

Adelphasium [10]:

*Sunt hic omnia quæ ad Deum pacem oportet adesse?*

Verbo unico dicebant *facere*, quod est, rem divinam religionibus exhibere. Virgilius [11], *Cum faciam vitula*. Hadrianus Junius legit, *Cum faciam vitulam*, probe. Censorinus, *Genio hostiam faciundum*. Adhibebantur his Sacris privatis minister,

E Aruspex, Fidicina, Popa. De ministro Salax Jupiter apud Plautum [12]:

*Atque ut ministres mihi cum mihi sacruficem*.

Minister ille primus ex domesticis advocabatur, Panegyris mulier Gelasino [13]:

PA. *I intro Dinacium, jube famulos rem divinam mihi apparent,*
*Bene vale*. Ge. *vin' administrem?* PA. *Sat servorum habeo domi*.

De Aruspice & Popa Plautum [14] intelligo:

*In velabro vel pistorem vel lanium vel Aruspicem,*



1 Plutarc. in Fab. Max. 2 lib. 34. cap. 13. 3 Plautus in Aulularia. 4 Plautus in Amphitruone. 5 Plautus in Pœnulo. 6 Plautus in Milite. 7 Martyrolog. 25. Decemb. 8 Plautus in Mercatore. 9 Plautus in Amphitr. 10 Plautus in Pœnulo. 11 Eclog. 3. 12 In Amphitr. 13 Plaut. in Sticho. 14 In Curculione.

*Vel qui ipsi vortant, vel qui alii subverſentur, præbeant.*

Hoc enim genus hominum ſtabat otioſum, uſque dum illos aliquis ad rem divinam privatam conduceret. Piſtorem vel fictorem puto, qui fictas humilioribus hoſtias pararet. Perperam verſum alterum viri doctiſſimi intellexerunt [1]. Habet vetus lectio, *vel qui aliis ſubvertendos præbeant*, utraque recta. Jocus Plauti in eo quod omnes hi conductitii inſerviebant ſacris. Aruſpex Sacrificii & Ceremoniarum arbiter, quæ ex illius præſcripto pro diverſitate numinum perficiebantur. Nullum Sacrificium ſine adoratione, quæ modo dextroverſum fiebat, modo alio ritu, ut docebimus, ubi de illa agemus. Hinc vetus dictum, *Dii bene vortant*. Et *vortere* eſt *conſiderare* [2], quo ſenſu Salluſtius dixit *exercitum more majorum vortere*. Quod vero Lambinus magnum diſcrimen putat, inter *vorſare & vortere*, illudque tractum dixit a piſcibus qui aſſantur & verſantur, frictas nuces narrat. iſthæc enim eandem ſignificationem habent. Ut, *animum partes verſabat in omnes* dixit Virgilius, quod translationi aſſorum piſcium accommodari non poteſt. Et *verſare oves* [3], pro pecus huc & illuc agere. *Vortere* ergo & *ſubvortere* ad Aruſpicem pertinet, qui & Ceremonias ſacrificantes edocebat, & victimarum exta conſiderabat, homoque ille nullius pretii, per interpoſitas perſonas plerumque ſubvertebat, id eſt, deludebat, & ad ea ſe vertebat, quæ uſus poſceret. Hic tamen advocabatur & conſulebatur:

*—— Hoſtiis pacem expetam,*
*Ego Tireſiam conjectorem advocabo & conſulam* [4].

De Fidicina Epidicus Plauti [5]:

*—— Me juſſit ſenex,*
*Conducere aliquam Fidicinam ſibi huc domum,*
*Dum rem divinam faceret, cantaret ſibi.*

Victimas enim aut domi aut ad aras immolabant, & ubique hos omnes ſibi miniſtros adſciſcebant ſuo ſumptu.

Privata Sacra quæ ad aras, Natali, Nuptiali & Funerum die celebrabantur, aut feſto alicujus Dei quem colebant. Natale Sacrum vulgatum eſt, quod Genio fiebat ſine victima, cui quotannis ſacrificabatur [6]. Huic Deo merum fundendum, non hoſtiam faciundum Varro teſtatur in eo libro cui titulus eſt *Atticus*, & id moris antiqui tenuerunt, ut cum die natali munus Annale Genio ſolverent, manum a cæde ac ſanguine abſtinerent: ne die qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent [7].

Nuptiarum ritus majorem habuit ceremoniam religionemque. Nam & nuptialia Sacra [8] dicta ſunt & *Sanctimoniæ nuptiarum*, & *nuptialia Sacramenta* [9], quæ captatis Auguriis & multis Ceremoniis firmabantur. In nuptiis enim augurium, Sacrificium & ad aras, & domi, votum requirebatur, ſi per coemptionem fierent aut confarreationem. Nam quæ uſu mulier ducebatur parum a concubina differebat. *Auſpices* Varro in libro *de pudicitia* in *nuptiis appellatos docet, quod Auſpici ** biſque a marito & nova nupta per hos Auſpices captabantur in his nuptiis*. Sic laudatur Varro a Servio [10]. Legendum forte, cum locus ſit mutilus: *Auſpicia enim ſemel biſque a marito & nova nupta per Auſpices hos captabantur*. Quod illa & foris ad aras & domi ſacro iterato, etiamnum componebantur. Jura Auſpiciorum ad opinionem vulgi retenta ſunt ex patrio more: ea quibus in nuptiis utebantur ſimulachra Auſpiciorum fuerunt [11]. Aruſpex his verbis ad-

A vocabatur: *Te volo mihi in auſpicio eſſe*: *volo reſpondebat*, *audivi hæc*. In Auſpiciis Tellus vocabatur, quam nuptiis præeſſe tradunt, cui etiam virgines cum ire ad domum mariti cœpiſſent, vel jam ibi poſitæ eſſent, diverſis nominibus & ritu ſacrificabant. Quare ſecundum Etruſcam diſciplinam nihil tam incongruum nubentibus quam motus terræ [12]. Captatis Auguriis uxor duci in domum viri non poterat, niſi ſacrificio peracto [13]. Quod quidem Sacrificium ad aras, id eſt, in templis & ædibus publicis ubi victimæ immolabantur [14]. In his Sacris nihil religioſius confarreationis vinculo fuit, novæque nuptæ farreum præferebant [15]. Far-B re conveniebatur in manum certis verbis, & teſtibus decem præſentibus, & ſollemni Sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibebatur ille, quem nova nupta præferebat [16]. Vir & mulier per Pontificem max. conjungebantur per fruges & molam ſalſam, & *confarreatio* dicebatur, ex quibus nuptiis patrimi & matrimi naſcebantur. Coemptio vero aut in manum conventio uxorem viro loco filiæ dabat, & vir patris in jus veniebat, ea lege, ut qui prior moreretur, heredem alterum ſibi haberet. Coemptio illa fiebat per æs & libram his C verbis ſollemnibus, *ubi tu Cajus ego Caja*. Nam *Cajas* mulieres eſſe vocatas, & *Cajos* viros ex nuptialibus ſacris apparet [17]. Igni & aqua coemptio perficiebatur [18]. Vota deinde fiebant, a quibus *prima* & *ſecunda vota* pro nuptiis uſurpantur. A *votis votita* uxor dicta eſt. Elegans locus Plauti, cum Paraſitus adoleſcenti ſatur meretricias leges ſcriberet, quæ verecundius aliquid continerent & ſanctitatem haberent nuptiarum [19]:

*De me iſtuc*, inquit adoleſcens,
*Nolo habere illam cauſam & votitam dicere.*

Mira eſt Lambini interpretatio, quæ *Aſinariam* Plauti rudere faceret. Verſus iſte citatur a Nonio, qui veteres religione aliqua prohibitum vel vetitum, *votitum* dixiſſe aſſerit. Videndum nobis eſt, D quid ſit *cauſam habere*, & proprie *votitam dicere*. *Cauſam habere* & *cauſam dicere* idem ſunt. Plautus noſter:

*Non cauſam dico, verum qui inſimules probri* [20].

Idem [21]:

*Uxor viro ſi clam egreſſa eſt foras,*
*Viro fit cauſa, exigitur matrimonium.*

*Cauſa* eſt controverſia [22]: Græcis ἐν αἰτίᾳ ποιεῖσθαι: *Crimen objicere*, *crimino ſe deferre* & αἰτίαν ἔχειν *reum poſtulare*, *controverſiam movere*. Hæc ergo eſt mens Plauti, *Nolo ut illa de me conqueratur, quod nimis illam pudice habeam, ut ne quidem ſe movere poſſit. Sed moveri illam geſtio, cum ſit meretrix, nec voti-*E *tam dicere*, id eſt, quaſi uxorem habere, *quæ verecunde & non intemperanter amet*. Atque hæc nuptiarum ſanctitas fecit, ut legibus Romanis nuptiæ inter civem Romanam & peregrinum ſint prohibitæ & *nefariæ* dictæ, quod contra fas contractæ eſſent & ſine farre pio. Quod mire de nuptiis Antonii & Cleopatræ ſervavit Virgilius [23]:

*Sequiturque nefas Aegyptia conjux.*

Sollemni hoc Sacrificio privato facto domi, aliud repetebatur tam a parentibus quam ab ipſis viris, Euclio ille [24]:

*Quam minimo ſumptu filiam ut nuptum darem*
*Nunc thuſculum emi, & haſce coronas floreas,* F
*Hæc imponentur in foco noſtro Lari,*
*Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.*

*Viri nuptiis ſacrificabantur in cubiculo viduæ*, ait Cato [25] *antiquitatum divinarum* libro quartodecimo,

1 Turneb. lib. 11. adverſ. 2 Serv. 5. Æneid. 3 Virg. Eclog. 10. 4 Plaut. in Amphitr. 5 In Epidic. 6 Cenſorin. de die nat. c. 3. 7 Cenſor. c. 2. 8 Livius lib. 30. 9 Martianus Capel. lib. 2. 10 li. 4. Æneid. 11 Cic. li. 2. de divin. 12 Serv. 4. Æneid. 13 Serv. 3. Æneid. 14 Apulejus li. 4. metamor. 15 Plin. li. 18. c. 3. 16 Ulpian. lib. regul. tit. 9. 17 Quintil. lib. 1. inſt. c. 7. 18 Serv. 4. Æneid. 19 Plautus in Aſinaria. 20 In Amphitr. 21 In mercatore. 22 Senec. in præf. lib. 1. controv. 23 lib. 8. Æneid. 24 In Aulular. 25 Apud n. in verb. ſacrificabantur.

pro *ſacrificabant*, Idem hujus verbi rationem reddit [1]: *Reprehendunt quidam quod putant idem eſſe* ſacrifico & ſacrificor, *quod ſit an non nihil commovet Analogiam*. Sic viri uxores Sacris ſuis initiare dicebantur, in quo luſit lepide M. Tullius[2], cum M. Luculli uxorem, Memmium Sacris ſuis initiaſſe jocatur, cujus pudicitiæ vitium attulerat. De Sacris funerum alius erit dicendi locus.

Feſto Dei quem colebant, Sacra facta Plautinus indicat leno [3], qui multum Sacrorum ritum produxit:

*Dii illum infœlicitent omnes, qui poſt hunc diem*
*Leno ullam Veneri unquam immolarit hoſtiam:*
*Quive ullum thuris granum ſacrificaverit.*
*Nam ego hodie infœlix Dis meis iratiſſimis*
*Sex agnos immolavi, nec potui tamen*
*Propitiam Venerem facere, uti eſſet mihi.*
*Quoniam litare nequeo, abii illinc illico*
*Iratus, vetui exta proſicarier,*
*Neque ea aſpicere volui, quoniam illa non bona*
*Aruſpex dixit, deam eſſe indignam credidi.*
*Eo pacto avaræ Veneri pulchre adii manum.*
*Quando id quod ſat erat, ſatis habere noluit,*
*Ego pauſam feci, ſic ago, ſic me decet.*
*Ego faxo poſthac Di Deæque cæteri*
*Contentiores mage erunt, atque avidi minus*
*Cum ſcribunt Veneri, ut adierit Leno manum.*
*Condigne aruſpex, non homo trioboli,*
*Omnibus in extis ajebat portendi mihi*
*Malum damnumque, & Deos eſſe iratos mihi.*

Aruſpex non trioboli carius forte, quam in Velabro conductus qui ob artis peritiam nobilior notiorque. *Adire Veneris manum*, facete dixit leno, cum tot fruſtra victimas Veneri mactaſſet, qui tandem ad avaræ illius manus oſcula delabitur. Quod pauperiores ſolebant, vel facultatibus exhauſtis qui nihil haberent in bonis quod Diis offerrent. De quibus perdocte multa Lipſius [4]: cujus, ut potentioris manum, ſcripta hic deoſculor, quibus hoc unum Luciani [5] adjicio, *ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν Θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν*. *Si quis pauper, is ita deo litat, ut dextram duntaxat ſuam ipſius exoſculetur*. Hæc privatorum Sacra per Curiones fiebant, qui pro curialibus Sacra faciebant[6].

---

## CAP. VII.

*De Sacris privatis quæ Domi fiebant.*

DOMESTICA Sacra perſequimur, quæ majore ex parte expedita ſunt, quia & illa antiquitate ſua commendantur & innoteſcunt. Domi Sacra fiebant præcipue Diis Laribus ob puerperium, vel ex re qualibet imminente ad placandos Deos aut invocandos: ut ſi lætiores res eſſent ad gratias agendas. Laribus Kalendis, Idibus, Nonis, feſtus dies cum erat, coronam in focum indebant, vel pro copia familiari ſupplicabant [7]. Si peregrinarentur, Dei alicujus imaginem ſecum ferebant, cui rem divinam facerent. Apulejus [8] cum pietatem ſuam judicibus oſtentaret, *Morem*, inquit, *mihi habeo, quoquo eam, ſimulachrum alicujus Dei inter libellos conditum geſtare: eique diebus feſtis thure & mero, aliquando victimis ſupplicare*.

Puerperium majore pompa & ſumptu celebrabatur. Phroneſium Plauti [9]:

*Eumque gero ornatum, ut gravida quaſi puerperio cubem,*
*Date mihi huc ſtatam atque ignem in Aram, ut venerem Lucinam meam,*
*Hic apponite, atque abite ab oculis.*

Deinde:

*Fer huc verbenam mihi, thus & bellaria,*
*Date aquam manibus.*

Qui Plautum tractarunt, hunc locum non attigerunt. Tentabo ex Varrone [10] libro ſecundo *de vita populi Rom.* puerperam adjutare. Ille: *Menſæ anteponebantur cum Culignis ac vino, in qua quæ veniebant ad fœtum amicæ gratulatum, Diis mactabant*. Quare advocatur a Phroneſio ancilla, quæ verbenam adferret, thus & bellaria, præberetque aquam advenientibus, ut puris manibus ſupplicarent, & Culigna vinum cum thure focis injicerent. Tertullianus [11]: *Dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadem Junoni menſa proponitur, dum ultima die fata ſcribunda advocantur: quis non filii caput obſignat, pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione?* De aliis hac in re Sacrificiis, multa D. Auguſtinus [12], qui conſulendus.

Quæ ad invocandos vel placandos Deos, vel gratias Diis agendas, tot fuere quot res illis incertæ, ſperatæ, triſtes, vel proſperæ accidiſſent. Exempla adferre nimii eſſet otii; duo tamen non prætermittam, unum ex Virgilio, alterum ex Plauto noſtro. Primum eſt ex Didonis regia [13]:

*Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo*
*Cura penum ſtruere & flammis adolere penates.*

Legerem lubens: *Cura penus* adhibita diſtinctione, deinde *ſtruere* & *adolere*. Strues commota a nobis eſt, quam certe uti prius non obmoverem, ſi abque illa eſſet, Diis Penatibus adolere potuiſſent. *Struem* vocat Plautus bellaria, *Strues* enim crebrius ad Sacra ferebatur, quare *ſtruere* & *adolere* ex Sacrorum ratione Virgilium copulaſſe hoc loco cenſeo, ut ſit *ſtruere* ſtruem conficere: *flammis adolere*, ignem parare ad Sacrificium, quod utrumque domeſtici ſolebant. Licet *ſtruere penum* Latine & eleganter dictum ſit. Sed ne mihi quiſpiam ſtruat inſidias, quas a me dimovere cupio, liberum illi ſit aut conjecturam noſtram faſtidire aut admittere.

Ob res lætas Diis adolebant, ut ſi liberi inventi eſſent & quaſi poſtliminio reverſi. Hanc ob cauſam Dæmones ſenex [14]:

*Aliquando oſculando melius eſt uxor pauſam fieri,*
*Atque adornare ut rem divinam faciam, cum intro advenero*
*Laribus familiaribus, cum auxerunt noſtram familiam,*
*Sunt domi agni & porci ſacres.*

Plautum advocavi qui mihi teſtis eſſet, hoſtias etiam domi cædi. Et quoniam Sacrificium nullum fuit ſine ſale, ut aras aliquo augeam a Plauto, quæram ut aliquid cædat: nec enim virgam lauri ab ullo expecto. Ille [15]:

*Verecundari neminem apud menſam decet.*
*Nam ibi de divinis atque humanis agitur.*

Apud Romanos cœna edita ſublatiſque menſis primis, omnes conticeſcebant, quoad ea quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur & igni darentur [16]. Tum puer Deos propitios nuntiabat, utque Diis honos haberetur. Vulgatum eſt illud Arnobii [17]: *Menſas veſtras Salinorum appoſitu & ſimulachris Deorum, ſacras facitis*. Ab his dicta ſunt *Sacra menſæ*.

Hi fuere ſacrorum veterum publicorum privatorumque quos notavi ritus. In quibus licet *ſacrificare, rem divinam facere, Deos ſalutare, ſupplica-*

---

1 lib. 8. de ling. lat. 2 li. 1. ad Attic. epiſt. 15. 3 In Pœnulo. 4 li. 2. Elector. c. 2. 5 in dialog. περὶ θυσιῶν. 6 Dionyſ. lib. 2. 7 Cato de re ruſt. c. 143. 8 Apolog. 1. 9 In Truculento. 10 Apud Nonium in verb fœtum. 11 lib. de anima. c. 39. 12 li. 4. de civitate, c. 11. 13 Virg. li. 1. Æn. 14 Plautus in rudente. 15 In Trinummo. 16 Serv. 1. Æn. 17 li. 2.

*re*, *adolere*, idem ſonare videantur: nonnihil tamen inter ſe diſcrepant, & minus eſt *Salutare* & *ſupplicare* quam *ſacrificare* aut *facere*, ſupplicationes & ſalutationes levius fiebant. Cato [1]: *Paterfamilias ubi ad villam venerit, ubi larem familiarem ſalutavit*, id eſt, paucioribus verbis fecerit, *fundum eo die ſi poteſt circumeat*. De Supplicatione Plauti noſtri lar familiaris [2]:

*——ea mihi quotidie,*
*Aut thure aut vino, aut aliquo ſemper ſupplicat,*
*Dat mihi Coronas, hujus honoris gratia, &c.*

*Honor* hic pro *ſacrificio*, ut apud omnes authores invenitur. Sic *perfecto honore* Virgilius [3] dicit pro *peracto Sacrificio*:

*————Munera libo,*
*Intemerata focis perfecto lætus honore,*
*Anchiſen feci certum.*

## CAP. VIII.

### *De ſacris Deorum inferorum.*

DIIS inferis ſacra fiebant in Scrobilo [4], id eſt, in effoſſa terra. Aræ illis ut ſuperis Diis: altaria ſuperis tantum conſecrata [5]. Varro tamen Diis ſuperis altaria, terreſtribus aras, focos inferis dicari tradit: quorum Sacra alio & contrario ritu celebrata, quo ſuperorum. Primum enim ararum numero Dii iſti differebant. Duæ quidem Diis inferis aræ ponebantur. Superis tres ex Pontificali diſciplina, ut cum duo altaria Phœbo Virgilius dicat, diſciplinæ hujus peritus, infernam Apollinis indicat poteſtatem, ut Grammaticus notat [6]. Sacrificantes Diis ſuperis abluebantur aqua: inferis tantum aſpergebantur [7]: Superis ſacrificantes, thure & vino ter præfabantur: Inferis

*Pocula bina, novo ſpumantia lacte* [8].

Id eſt, lacte bis præfabantur. Inferis pari numero furnæ hoſtiæ immolabantur: Superis nigrantes nunquam, ſed ut plurimum candidæ & impares [9]. Quod ad hoſtiæ Deum ſuperum explorationem dicebant *vina fundere ſupina manu*: illud erat inferis *vina vergere*, ἐπικλίνεσθαι, converſaque in ſiniſtram partem manu ita fundere ut patera converteretur:

*Frontique invergit vina Sacerdos* [10].

Quod in Deorum Superum Sacris citavimus non ex verbi ſignificatione, ſed ad ritum Sacrorum edocendum, in quibus ad hoſtiæ explorationem vinum fundebatur. *Invergere* enim proprium eſt inferorum, ut Capularis illa Plauti [11] vini cupida perite docet:

*Liberi lepos*, inquit, *veteris vetuſti cupida ſum,*
*Nam omnium unguentum odor præ tuo, nautea eſt.*
*Tu mihi ſtacte, tu Bdellion, Nam ubi*
*Tu profuſus, ibi ego pervelim ſepultam.*

Deinde:

*——ipſum expeto*
*Tangere, invergere in me liquores tuos*
*Sino ductim.*

Diis ſuperis libari vino licebat, inferis non licebat [12]. Superis libabant ſolum: inferis vero ſacrificantes etiam vaſa in ignem conjiciebant:

*——Congeſta cremantur*
*Thurea dona, dapes fuſo crateres olivo* [13].

Propertius dixit:

*——Fracto buſta piare Cado.*

Superis *libare*, inferis *delibare ſe* dicebant [14]. Inferos

A Deos demiſſis ad terram manibus ſubmiſſiori voce invocabant [15]:

*——Tendoque ſupinas*
*Ad cœlum cum voce manus, & munera libo*
*Intemerata focis.*

Perite *munera*, non *vinum*, libat focis, id eſt, congeſta cremantur, ſupina manu & ſupina voce. At ſuperos elata ad cœlum precabantur, & pro qualitate numinum interdum ima, interdum ſumma reſpiciebant orantes [16]. In ſuperis litantia cum exta ſunt læta promittitur: Inferis contraria exta erant potiora [17]. B Dii ſuperi diurna ſacra, inferi nocturna ſemper ſibi retinuerunt [18]. Nam quæ inter noctem Diis ſuperis fiunt (ut Damium [19] Bonæ Deæ quod fiebat in operto, cujus Sacerdos *Damiatrix*) diebus adjiciuntur non noctibus. Nam quæ ſex poſterioribus horis noctis celebrantur, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illuceſcit [20]. Diis ſuperis mactatæ ſolum victimæ: inferis homines etiam immolati. Inferorum enim Sacris publicis hoc conſuetum Senatuſconſulto comprobatur, quod factum eſt Cn. Cornelio Lentulo & P. Licinio Craſſo Coſs. Anno urbis DCLVII. ne homines immolarentur [21], C monſtraque ſublata ſunt. Quod genus Sacrificii ex fatalibus libris renovatum eſt & extraordinarium dictum, cum Gallus a Galla, Græcus a Græca in foro Boario, ſub terra vivi dimiſſi ſunt, in locum ſaxo conſeptum [22]. De Aris Deum inferorum in Scrobilo factis, Vetus inſcriptio eſt:

[a] CONSO. AD. ARAM. SVBTERRANEAM
DEIS. MAGICIS. . . . . . CRIPTÆ
. . . . . PEDES. . . . DEFOSSÆ

Ara Conſo in circo defoſſa eſt ad primas metas ſub terra, cum inſcriptione hujuſmodi: CONSVS CONSILIO. MARS. DVELLO. LARES. COMITIO. POTENTES. D Sacrificabant apud eum Nonis Juliis Sacerdotes publici 12. Kal. Sep. [23], Flamen Quirinalis & Virgines. Ara alia eſt:

[b] PLVTONI. SVMMANO
ALIISQVE. DIS. STYGIIS

Item alia:

[c] FATIS. DERVONIBVS

Fata illa ſunt θεοὶ δαίμονες, Dii everſores. *Deruit* enim eſt ἀνατρέπει [24].

E

## CAP. IX.

### *De ſacris Magicis, & mortuorum evocationibus. Silens luna.*

DIS Magicis, qui impii dicuntur, magica Sacra fiebant. Illa nocturna, venefica, nefaria, funeſta, cocyta, mala, impia, arcana, opertanea, deteſtanda. Diri Sacrorum ritus fuerunt, in quibus impiæ & ſceleratæ preces fundebantur. F Peculiare magicæ vanitatis argumentum fuit, quod animalium cunctorum talpas maxime mirarentur [25]. Nullis enim æque credebant extis, nullum religionis capacius animal judicabant; cujus Sacerdotes magicis cœnis initiari [26]; alii Phyſyonomici fuerunt, alii talorum vates, ignium, circulorum, cribrorum, vultuſpices, manuſpices, pel-

1 De re ruſtic. cap. 2. 2 In Aulularia. 3 lib. 3. Æneid. 4 Lactant. Gram. 4. Theb. 5 Servius eclog. 5. 6 Servius 4 Æneid. 7 Macrob. 3. ſatur. cap. 1. 8 Virgil. eclog. 5. 9 Stat. 4. Thebaid. 10 Virgil. 6. Æneid. 11 In Curculione. 12 Serv. 5. & 8. Æneid. 13 Virg. 3. Æneid. 14 Val. Max. lib. 2. cap. 1. 15 Virgil. 3. Æneid. 16 Serv. 3. & 4. Æneid. 17 Suet. in Othon. cap. 8. 18 Servius 4. Æneid. 19 Feſtus in verb. Damium. 20 Agel. lib. 3. cap. 2. 21 Plin. lib. 28. cap. 2 & 30. 22 Cic. pro Fontejo. Livius lib. 22. a 1004. 23 Tertulian. de ſpectacul. c. 5. b 1015. 7. c 1015. 9. 24 Gl. vet. 25 Plin. lib. 30. c. 3. 26. Plin. lib. 30. c. 2

pelvium vates, & mortuorum, φυσιογνωμονικοὶ, ἀστραγαλομάντεις, πυρομάντεις, κοσκινομάντεις, μορφοσκόποι, χειροσκόποι, λεκανομάντεις, νεκυομάντεις[1]. Horum instrumenta[2], lucerna, pelvis, aqua, pila, lapilli, surculi, & id genus frivola[3], quibus inhalatis, ad carminum incantamenta descendebant, queis diræ preces concipiebantur. Carmina istæc ἐπῳδὰς vocat Plato[4], in quibus præcipuus horum Sacrorum ritus. Veteres *cantare* de magico carmine proprie dicebant[5], cujus effectus *excantatio*, *occantatio*, *obligatio*. Apulejus primi nominis magus, & carminis sepulchralis perdoctus magister, nullo carmine decantatum in asinum se commutatum miratur[6]. Digitis pectinatim inter se implexis precabantur: quod veteres in sacris aliis omnibus, votisve prohibuerunt[7]. Mulieres his sacris infamatæ sunt, quas Philochorus libro tertio *de divinatione* ἐγγαστριμύθους appellat, quasque passim nobis poetæ omnes offerunt, tale quidpiam operantes. Huic tamen sceleri & Aruspicem & Sacerdotem ministrasse Plato[8] atque Imperatores[9] notant. Illi μυσοπόλοι, quorum princeps scientia in evocatione manium vertitur, defictionibus, excantationibus, & sortibus. De his ea percurram quæ leges Corneliæ non vetant, & quæ ad veterum lectionem Pontificumve authoritatem pertinere videbuntur. Nam & impiam superstitionem detegendo, illam etiamnum coarguemus.

Magica primum vires assumpsit religionis, ad quam maxime caligabat genus humanum. Publicam illam in sortibus Romani probaverunt, damnarunt privatam, Pontificum judicio, quibus multum in his criminibus inquirendis tribuebant. In mortuorum evocationibus inferorum colloquia petebantur. Hujus duæ fuerunt species præcipuæ νεκυομαντία & σκιομαντία. Hanc Homerus exequitur[10], illam Lucanus[11]. In νεκυομαντίᾳ ad levandum cadaver, sanguis erat necessarius. In σκιομαντίᾳ, quia umbra tantum vocabatur, solus interitus sufficiebat[12]. Nefarium hunc ritum accurate Heliodorus[13] descripsit Christianus author: Πρῶτα μὲν βόθρον ὠρύξατο. ἔπειτα πυρκαϊὰν ἐκ θατέρου μέρους ἐξῆψε. καὶ μέσον ἀμφοῖν τὸν νεκρὸν τοῦ παιδὸς προθεμένη, κρατῆρά τε ὀστράκινον ἔκ τινος παρακειμένου τρίποδος ἀνελομένη, μέλιτος ἐπέχει τῷ βόθρῳ. Καὶ αὖθις ἐξ ἑτέρου γάλακτος, καὶ οἶνον ἐκ τρίτου ἐπέσπενδεν. εἶτα πέμμα στεάτινον εἰς ἀνδρὸς μίμημα πεπλασμένον, δάφνῃ καὶ μαράθρῳ καταστέψασα, εἰς τὸν βόθρον ἐνέβαλεν. ἐφ' ἅπασι δὲ ξίφος ἀνελομένη, καὶ πρὸς τὸ ἐνθουσιῶδες σοβηθεῖσα, καὶ πολλὰ πρὸς τὴν σελήνην βαρβάροις τε καὶ ξενίζουσι τὴν ἀκοὴν ὀνόμασι κατευξαμένη, τὸν βραχίονα ἐντεμοῦσα, καὶ δάφνης ἀκρέμονι τοῦ αἵματος ἀποψήσασα τὴν πυρκαϊὰν ἐπεψέκαζεν. ἄλλα τε ἄττα τερατευσαμένη πρὸς τούτοις ἐπὶ τὸν νεκρὸν τοῦ παιδὸς προκύψασα, καί τινα πρὸς τὸ οὖς ἐπᾴδουσα, ἐξήγειρέ τε, καὶ ἀθρόον ἑστάναι τῇ μαγγανείᾳ κατηνάγκαζεν. *Primum quidem scrobem fodit, postea rogum ex utraque parte succendit, & medium inter utrumque cadaver filii collocans, & craterem fictilem ex quodam tripode, qui juxta aderat, promens, mel in fossam infundebat: rursus autem ex altero lac, ex tertio porro vinum delibabat. Deinde pistam quandam farinæ massam ad viri similitudinem effectam, lauro & bdellio coronatam, in fossam injecit. Posthæc gladio inter scuta sublato, tanquam furore quodam percita, multa ad lunam peregrinis auditu nominibus precata, brachium incidit, & lauri surculo sanguine abstersio, rogum conspergebat, aliaque multa portenti similia, præter hæc faciens: tandem ad cadaver filii inclinata, & quædam illi ad aurem accinens excitavit, & subito consistere præstigiarum vi coegit*. Duo in hac narratione maxime notanda. Primum quod saga illa ad lunam precata sit; alterum quod brachium sibi inciderit, ex quo sanguis manaret ad aspergendum rogum, βραχίονα ἐντεμοῦσα. Ex horum sacrorum ritu notat Eustathius[14], ἱερήια τὰ ἐν ᾅδου σφάγια, τόμιά φασι καὶ ἔντομα. Hæc quidem ab emisso per incisionem vel occisionem humano sanguine, quem anus illa ἐντεμοῦσα, quod necessarium in νεκυομαντίᾳ. At τόμια ad interitum spectant, qui in σκιομαντίᾳ sufficiebat, mactatis scilicet victimis nigris. Hesychius: Τόμια τὰ ἀποτμήματα καὶ ἀκρωτηριάσματα τοῦ νεκροῦ. At vero Ἐντομίδες ξυσμαὶ ὄφεως γινόμεναι, καὶ τοῖς λιπποῖς σώμασιν ἐντεμνόμεναι, τοιαῦτα δ' εἰώθασι ποιεῖν ἐν τοῖς νεκροῖς αὐτοῦ οἱ ἄπιστοι. Quæ verba in sacris Deorum superorum usurpata non ignoro, sed improprie illa & per translationem. Ἐντόμια ergo fiebant aut per incisionem, aut per hominis occisionem. De hac M. Tullius[15]: *Quis tantus furor, ut cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis, Diis manibus mactare soleas*. Inde ea quæ Appius ψυχομαντείᾳ faciebat, inde Averni lacus[16],

*Unde animæ excitantur, obscura umbra, aperto ostio*
*Alti Acherontis, falso sanguine imagines mortuorum.*

Turnebus[17] emendat *salso sanguine*, sed falso. Nam *falsus sanguis* pro impio & nefario dictus, quo sensu Virgilio est *falsa proditio*: *falsus* igitur *sanguis* dicitur quod homines immolarentur, atque ut dicebat Cato, *succidiæ ἐντομίδες humanæ fierent*. Non animadvertit Agellius[18] quid esset *succidias humanas facere*, cum verba Catonis alia refert, quæ omnia eandem rem significare putat. Nam *succidias humanas facere*, *funera facere*, aut *capita libera interficere* longe diversa sunt.

Evocationes fiebant ad sepulchra[19]: advocabatur luna, triviaque manium potens, Mercurium Carminum vector, Ilexque animi Venus[20], omnesque veris suis nominibus ciebantur[21]. Quod certo & tempestivo tempore fiebat, *quinta decima luna & silente tota die*[22] quod est plena luna vel interlunio. Horatius[23]:

*—— Simul ac nova luna decorum,*
*Protulit os, tunc ossa legunt herbasque nocentes*.

Nam *silens luna* dicitur, cum venit ad intermenstruum, estque extrema & prima[24], quem diem Græci appellant ἕνη καὶ νέα τελακάδος. Nos *coitum lunæ* vel *interlunium* quo vere est silens luna. Hoc Servium[25] fugit cum Virgilii versum interpretatur:

*Tacitæ per amica silentia lunæ,*

Qui *tacitam lunam* pro serena accipit. Nam silentia lunæ serenitatem omnem tollunt, cum nullum ipsius lunæ effulgeat lumen in ipsius coitu. *Tacitæ* igitur *per amica silentia lunæ* sunt obscuriores tenebræ, quales sunt nocte, deficiente luna, cujus tempus Sacrificiis nefariis oportunum, quæ fiebant περὶ μέσης νυκτός[26]. Ex his Horatii locum non satis ab interpretibus intellectum facile est interpretari:

*Nox & Diana quæ silentium regis,*
*Arcana dum fiunt Sacra*[27].

Quod frustra ex ritu illo Sacrorum dictum putat Turnebus[28], qui dum *regere silentium* in nocturnis sacris, idem esse credit ac *favere linguis* in superis, canit vere errantem lunam, longe aliter quam ille Virgilii Joppas. Non favebat linguis populus, qui nullus in his Sacris, quæ a maga sola, nullo adhibito ministro, peragebantur. *Diana silentium regit*, hoc est, luna in coitu est. *Arcana dum fiunt Sacra*, nocte & luna silente.



1 Artemidor. lib. 2. c. 74. 2 Plin. lib. 28. c. 30. 3 Apulejus 1. metamorph. 4 In Symposio. 5 Servius eclog. 8. 6 lib. 3. metamorph. 7 Plin. lib. 28. c. 6. 8 In Sympos. 9 l. 3. C. Theod. de malefic. & mathemat. 10 Odyss. λ. 11 lib. 6. 12 Serv. 6. Æneid. 13 lib. 6. 14 Odyss. λ. 15 In Pisonem. 16 Cicer. 1. Tusculana. 17 lib. 19. advers. c. 24. 18 lib. 13. c. 23. 19 Horat. epod. od. 5. & 17. Tibul. lib. 1. eleg. 2. 20 Apulejus Apolog. 1. 21 Lactant. li. 2. de orig. error. c. 17. 22 Plin lib. 27. c. 10. 23 lib. 1. satyr. 8. 24 Varro lib. 1. de re rust. c. 37. & lib. 5. de ling. lat. 25 lib. 2. Æneid. 26 Lucian. in Necyomant. 27 Epod. 5. 28 lib. 14. advers. c. 9.

## CAP. X.

*De defixionibus & excantationibus.*

DEFIXIONES aliud Sacrorum veneficorum genus, hominum exitium portendebant. De his Tertullianus [1]: *Homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus perficitur*. Recepta lectio habet *devinxionibus*. Devinctiones, quæ excantationis ſunt ſpecies, homicidium nullum committebant. *Defictiones* licet ſint νεκυομαντίαι, κατάδεσμος [2] *incantatio*, promiſcua verba vix & a bonis authoribus confunduntur. Dixit Plinius [3], *diris precationibus & ſceleratis precibus defigi*. Tacitus [4], *Diros ſacrorum ritus confingere*. Neſcio an *Diro Sacrorum ritu configere*. Moneo tantum. Hos defictionis ritus expreſſit ille [5], ubi de ſcelere Piſonis & Plancinæ in Germanicum; *Reperiebantur*, inquit, *ſolo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, Carmina & devotiones, & nomen Germanici plumbeis literis inſcultum, ſemiuſti cineres, aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis ſacrari*. De his omnibus Sacris & excantationibus Paulus Juriſconſultus [6]: *Qui Sacra impia nocturnave ut quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, faciendave curaverint: aut cruci ſuffiguntur, aut beſtiis objiciuntur*. Tres hic excantationis effectus Paulus notat, *obcantare, interficere, obligare*. Obcantatio tam ad fruges quam ad homines pertinet. Lex duodecim tabularum [7], *neve alienam ſegetem pellexeris*. Duo ejuſdem legis fragmenta Plinius profert [8], *Qui fruges excantaſſit*, & alibi, *qui malum carmen incantaſſit*. Hominis obcantatio, excantatio vel incantatio animum ſubvertit. Plautus noſter [9]:

> —— *Præſtigiator forte aut veneficus,*
> *Hanc excantat tibi familiam.*

Defictio vergit ad interitum: Devinctio ad obligationem vel nexum, qui κατάδεσμος, quæ pudicos animos ad libidinem deflecteret. Tale eſt Virgilii carmen [10]:

> *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,*
> *Necte Amarylli modo, & Veneris, dic, vincula necto.*

In quo carmine ternarius numerus difficultatem mihi adfert. Cum enim ille ſit Deorum Superum, in inferis & maleficis Sacris hic uſurpatur, ob triplicem fortaſſe Dianæ poteſtatem. Nam tria virginis ora Dianæ, quæ hujus Sacri præſes erat.

Nec tamen incantatores ſeu præſtigiatores omnes capite puniebantur. Ii enim quos impoſtores vocabant, qui imprecabantur aut exorciſabant, ut hominis valetudini conſulerent, pœnæ non erant obnoxii [11]: inter medicos ſolum illi non admittebantur. Nam qui remedia humanis corporibus quærebant, aut in agreſtibus locis innocenter adhibebant ſuffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut venti grandiniſve lapidatione quaterentur, nullis criminationibus implicabantur, quia nullius ſalus aut exiſtimatio læderetur. Sic vere magica altior ſanctiorque medicina dicebatur [12], quæ in magna parte gentium prævalet & ubique ferme imperat. Proh nefas! qui ad rabiem hujus ſcientiæ ſe conferunt, hodie Philoſophi vocantur, inſanientis ſapientiæ conſultores, qui impune ibi morantur, unde ultro profugere in ultimas terras debuiſſent. Publica jam literatura eſt [13], quæ privata publicaque omnia tandem diruet, infamabit, extinguet, & veram lucem in vetuſtum Chaos merget.

## CAP. XI.

*De privatis ſortibus.*

SORTES privatæ quædam permiſſæ fuerunt, quædam vetitæ. Permiſſæ quæ ad privatorum utilitatem pertinebant, quibus inquirebant aliquid, vel expediebant. In his potentes fuerunt vates ignium, cribrorum, circulorum, vere præſtigiatores, qui verbis innitebantur ſine Sacrificio. In vulgus effluxit, *Sors & Situla* [14], quam eo comovebo quod illam Plautus noſter ſortitus ſit. Per Situlam Deorum voluntas exquirebatur, ut in nuptiis Caſinæ. Nam licet ſervi nulla ſacra haberent, illorum tamen contubernia quandam retinuerunt ſanctitatem. Situla aqua plena adferebatur ad ὑδρομαντίας ſpeciem: de his enim hoc capite ſortibus loquimur, quas Græci κλήρυς ὑπὲρ μαντείας μισθὺς vocant. Atque hæ quidem ſortes ex duriore aliqua materia fiebant, quæ facile mergeretur. Quare fallitur Lambinus qui ligneas ſibi finxit, illum enim aperte Plautus arguit cui ligneæ ſortes ſuſpectæ:

> OL. *Sed manedum. Num iſta aut populnea ſors aut abiegna eſt tua?*
> CH. *Quid tu id curas?* OL. *Quia enim metuo aqua ne in ſumma natet.*

Terreas fuiſſe eas indicio eſt Chalini precatio:

> CH. *Deos quæſo ut tua ſors ex ſitella effugerit.*
> OL. *Sed utinam tua quidem, ſicut Herculeis prædicant*
> *Quondam prognatis, iſta in ſortiendo ſors delicuerit.*

Nota eſt hiſtoria Creſphontis & Ariſtodemi [15], qui cum de Meſſenia contenderent totamque rem ſorti commiſiſſent: una e coctili laterculo facta eſt, altera e ſiccata ſole argilla, quæ Ariſtodemi fuit. Hæc in Situlam conjecta cito delicuit, quæ prior ſors foras exiiſſet, vincebat illa.

At ſortes prohibitæ ſunt, quibus de ſalute principis, vel illius ſucceſſore quæreretur, diro ritu. Hujus rei exemplum præbet Patricii & Hilarii atrox factum, ex ipſius Hilarii oratione ad judices ſuos [16]. *Conſtruximus*, inquit, *magnifici judices, ad Cortinæ ſimilitudinem Delphicæ diris auſpiciis, de laureis virgulis, infauſtam hanc menſulam quam videtis: & imprecationibus carminum, ſecretorum, Choragiiſque multis ac diuturnis ritu aliter conſecratam movimus tandem. Movendi autem quoties ſuper rebus arcanis conſulebatur erat inſtitutio talis: Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis, undique lance rotunda pure ſuperimpoſita, ex diverſis metallicis materiis fabrefacta, cujus in ambitu rotunditatis extremo, elementorum vingintiquatuor ſcriptiles formæ inciſæ, perite dijungebantur ſpatiis examinatæ dimenſis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatuſque itidem linteis ſoccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris geſtans, litato conceptis carminibus nomine, præſcitionum authore Ceremoniali ſcientia ſuperſiſtit cortinulas, penſilem anulum librans, artum ex Carpathio filo perquam levi, myſticis diſciplinis initiatum: qui per intervalla diſtincta retinentibus ſingulis literis incidens ſaltuatim, heroos verſus efficit, interrogationibus conſonos, ad numeros & modos plene concluſos, quales leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum* [17]. *Ibi tum quærentibus nobis, qui præſenti ſuccedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, adſiliens anulus duas perſtrinxerat ſyllabas: & cum adjectione literæ poſtrema exclamavit, præſentium quidam, Theodorum præſcribente fatali neceſſitate portendi. Nec ultra ſupra negotio eſt exploratum. Satis enim apud nos con-*

---

1 De ſpectacul. c. 2. 2 Gloſſ. vet. 3 lib. 28. c. 2. 4 li. 16. Annal 5 Tacit. 2. Annal. 6 li. 5. ſentent. tit. 23. 7 Servius eclog. 8. 8 li. 28. c. 2. 9 In Amph. 10 Eclog. 8. 11 l. 1. §. medicos. D. de var. & extraor. cog. 12 Plin. li. 30. c. 1. 13 Tert. de anim. c. 57. 14 Plautus in Caſin. 15 Pauſanias in Meſſenicis li. 4. 16 Ammian. Marcel. li. 29. 17 Pli. li. 5. c. 29.

*ftabat hunc esse qui poscebatur*. Hæc forte extra sortem libris nostris mandavi, ut ostenderem totam istam rem inventam fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. A

## CAP. XII.

### *De Sortibus publicis & impetrito.*

QUID *vero est istbæc Sors?* ait Tullius [1], *idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas & casus, non ratio & consilium valet*. Sors tamen B ipsa pro Deo fuit [2], qua etiam plana de illo conjectatio esset. Atque harum Sortium aliæ ducuntur, aliæ vaticinatione funduntur. Hæ verius *oracula* dicebantur: illæ *Sortes*, quæ nobiliores fuerunt Prænestinæ. Namque aliis in locis Fortunæ quidem fuerunt, sed non illius, ut ita dicam, Primigeniæ, qua omnes Fortunæ monitu tolli dicebantur, id est, Fortunæ quodam jussu ex arca trahebantur, in qua tesseræ insculptis priscarum literarum notis, verba quædam continebant, quæ felicitatem denuntiarent aut calamitatem. Ut, MAVORS. TELVM. SVVM. CONCVTIT [3].

Prodigii loco habitum si Sortes essent extenuatæ, vel sua sponte, vel casu. Narrat Livius [4] Phaleriis Sortes sua sponte extenuatas, unamque excidisse. C Casu, si illæ fortuito disturbatæ essent, ut cum simia sortes dissipavit Lacedæmoniorum, dum Jovem Dodonæum illorum legati de victoria sciscitarentur [5]. Non tulit Lipsius [6] *extenuatas Sortes*, aut *attenuatas*, & imperitiam arguit librariorum, audetque rescribere *Extæniatas Sortes*, quod interpretatur tæniis vittisque solutas & liberatas. Justi Lipsii humanitatem & eruditionem summam maximi facio faciamque semper: sed hoc maximum in illo vitium est, quod dissimulare non possum: doctos viros temere exagitat, aut veteres libros suis D conjecturis multum extenuat, dum quod ignorat, aut scire se credit, aut scire videri desiderat. Quid isthuc verbi est *Extæniatas Sortes*? *Attenuare* & *extenuare* vulgata sunt & recepta: *Extæniare* vix apud authorem ullum invenire est. Locus Suetonii [7] quo Lipsius se tuetur, debuerat illum in lectione Livii retinere, quo Prænestinas Sortes obsignatas devectasque Romam, non reperisse in arca Tiberium tradit. An illæ non repertæ extæniatæ sunt, an extenuatæ? *Extenuare* est evanescere, ut quidem illæ sortes evanuerunt, quo modo & Lipsii vana emendatio evanescit in fumos. *Extenuatæ* igitur *sortes* sunt, quæ ut Plautus noster loquitur, totæ ex arca effugerunt & delituerunt. *Attenuatæ* quæ sunt E comminutæ vel exhaustæ, ἐκτετρυχωμένα. Pueri manu miscebantur Sortes atque ducebantur, postea que a sortientibus tollebantur. Lapis vetus:

[a] SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS. SVBLATIS
C. GALLIO
ATTICVS
MEDIOLANIENS

Alius Præneste:

F

[b] FORTVNÆ
JOVIS. PVERI
PRIMIGENIÆ
D. D
EX. SORTE. COMPOS
FACTVS
NOTHVS. RVFICANÆ
L. F. PLOTILLÆ

Fortunæ hujus imaginem habemus in nummis:




Prænestinæ sortes nomen retinuerunt [8], atque id in vulgus: cæteris vero in locis stante Rep. aliæ plane refricuerunt.

Impetrito voluntas Deorum accipiebatur, ab Auguribus cum ex avium volatu Deos consulerent, peractoque sacrificio propitios illos comperissent. *Impetrire* enim Augurale verbum [9] idem fuit, quod Pontificibus *litare* in Sacrificiis. Quod jam notius est quam ut notari debeat. Nam ut postea extis, sic olim avibus magnæ res impetriri solebant [10].

## CAP. XIII.

### *De Votis. Ver Sacrum. Annua nuncupatio Votorum. Votorum Dies.*

ALIA causa fuit cur rebus divinis opera daretur: nam ut voluntas Deorum extis & sortibus impetrito inquirebatur, sic voto illa exposcebatur. Tum vero præcipue votorum locus erat, cum spei nullus esset [11]: inopsque Senatus auxilii humani ad Deos populum & vota convertebat. Votum autem præeunte Pontifice maximo Consul nuncupabat, quale fuit illud quod susceptum est, cum populus Romanus bellum cum Antiocho Rege jussisset [12]: *Si duellum quod cum Antiocho Rege sumi populus jussit, ex sententia Senatus populique Romani confectum: tum tibi, Jupiter, Populus Romanus ludos magnos dies X. continuos faciet: donaque ad omnia Pulvinaria dabuntur, de pecunia quantam Senatus decreverit, quisquis magistratus eos ludos quanto ubique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte sunto*. Nec enim nisi votis in Capitolio nuncupatis Consules ad bellum proficiscebantur [13] Quod M. Tullius [14] Antonio exprobrabat, qui neque Sacrificiis sollemnibus factis, neque votis nuncupatis profectus esset. Illa ut plurimum in ipso pugnæ discrimine fiebant. Plautus noster [15]:

—— *Imperator utrimque hinc & illinc Jovi*
*Vota suscipere.*

Hujusmodi fuit Votum Appii Consulis [16]: *Bellona si hodie nobis victoriam duis, ast ego tibi Templum voveo*. Illa quidem inconsulto Senatu suscepta, nisi postea comprobarentur, vel de manubiis, vel de sua pecunia solvebat Consul. Prætor aliquando vota suscipere jussus, si in decem annos Resp. eodem



1 lib. 2. de divinat. 2 Plin. lib. 2. c. 7. 3 Livius lib. 22. 4 lib. 21. & 22. 5 Cicer. 1. de divin. 6 lib. 2. elector. cap. 12. 7 In Tiber. c. 63. a 132. 6. b 76. 7. 8 Cic. 2. de divin. 9 Festus in verb. impetritum. 10 Cic. 1. de divinat. 11 Plin. lib. 8. c. 16. 12 Livius lib. 36. 13 Livius lib. 4. 14 Philip. 5. 15 In Amphitruon. 16 Livius lib. 36.

stetisset statu [1]. Primus Pompejus labente Repub. A publicis votis honoratus est, cum gravi morbo laboraret, quod nulli antea factum [2].

Ver Sacrum in summis Reipub. periculis, de Senatus sententia populique jussu vovebatur [3], ut quodcumque pecus vere proximo nasceretur inter Kalendas Martias & Kalend. Majas, se diis immolaturos promitterent. Hujus voti verba sollemnia habet Livius [4]. Hoc Sisenna *Religiosum votum* dixit [5]. Vota tandem omnia ad Imperatorum adulationem conversa sunt & translata, & fœde plerumque profanata [6], cum illisque annus aperiebatur. Hæc erant incipientis anni sollemnia [7], quorum prima *in principiis*, secunda *in Capitoliis* nuncupabantur. Hæc loca B fuerunt, isthæc votorum verba: *Hunc tibi, Jupiter, bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum*. Corrigit Lipsius [8], *vovemus esse futurum*: quod veteres inscriptiones non admittunt:

. . . . . . . . . . . . . . . . . . .

. . [a] BA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM. . . .
. . . TIBI. IN. EADEM. VERBA. NOMINE. FR. .
. . . VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM . . . . . .
. . . BOVE. AVRATO. VOVIMVS. ESSE. FVTV.
. . . ACXIS. TVNC. TIBI. IN. EADEM. VERBA. .
. . . AVRATA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM C

Votorum dies fuit III. Non. Jan. ex Cajo Jurisconsulto [9], quo die pro salute principis vota concipiuntur. Kalendis ipsis in acta principis jurabatur [10], vota solvebantur, atque iterum nuncupabantur in illius domo. Quod utrumque Fratrum Arvalium veteres inscriptiones probant. Nam Pontifices eorumque exemplo cæteri Sacerdotes hæc vota suscipiebant. [11]:

KAL. IANVAR
[b] SVLPICIVS. CAMERINVS. MAGISTER D
COLLEGI. FRATRVM. ARVALIVM. IMMO
LAVIT. IN. CAPITOLIO . . . COS. NERO
NIS. CLAVDI. CAESARIS. AVG. GERMANI
CI. IOVI. B. MAREM. IVNONI. VACCAM
MINERVÆ. VACCAM. GENIO. IPSIVS. TAV
RVM. IN. COLLEGIO. ADFVERVNT. SVL
PITIVS . . . .

ISDEM. COS. III. NONAS. IANVAR
SVLPITIVS. CAMERINVS. MAGISTER. COL
LEGI. FRATRVM. ARVALIVM. NOMINE
VOTA. NVNCVPAVIT. PRO. SALVTE. NE
RONIS. CLAVDI. DIVI. CLAVDI. F. . . E

. . . . . . . . . . . . . . . . . . .

VICTIMIS. IMMOLATIS. IN. CAPITOLIO
QVAE. SVPERIORIS. ANNI. MAGISTRI. VO
VERANT. PERSOLVIT. ET. IN. PROXI
MVM. ANNVM. NVNCVPAVIT. PRÆEVNTE
M. APONIO. SATVRNINO. IOVI. MARES
DVO. IVNONI. VACCAS. II. MINERVAE
VACCAS. II. SALVTI. PVBLICAE. VACCAS
II. IN. TEMPLO. NOVO. DIVO. AVGVSTO
B. MARES. II. IN. COLLEGIO. ADFV. SVL F
PITIVS . . . . . . . .

ISDEM. COS. III. IDVS. IANVAR
ADSTANTIBVS. SVLPITIO. CAMERINO
MAGISTRO . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
IN. CAPITOLIO. OB. NATALEM. NERON
IS. IOVI. B. M. IVNONI. VACCAM. MINER
VAE. VACCAM. FELICITATI. PVBLICAE
VACCAM. CONCORDIAE. VACCAM. GE
NIO. IPSIVS. TAVRVM . . . . .

Aliud fragmentum:

. . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . IN. CAPITOLIO. VOTORVM. NVNCV
PANDORVM. CAVSA . . . FRATRES. AR
VALES. CONVENERVNT. IN . . . PRO
NAO. ÆDIS. CONCORDIÆ. FRATRES . . .
CANDIDVS. PROMAG. MANIBVS. LAV
. . . . . . . SACRIFICIVM. DEÆ. DIÆ. CVM.
COLLEG. . . . . . . QVOD. BONVM. FAVSTVM
FELIX. FORTV
. . . . . . . . . . . . . . . . . . .

Hæc fuere vota sollemnia, quibus precabantur Imperatoribus vitam prolixam [12], imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, Orbem quietum. Illa & Kalendis Januarii & III. Nonas suscepta sunt. Quare Kalendarum Januar. consuetos dies, otio Imperatores manciparunt [13]. Duplex autem fuit votorum illorum nuncupatio. Prima in principiis, secunda in Capitolio [14], id est, prima in Castris, altera in urbe. Hæc Pontifice præeunte: illa curante commilitonum pietate [15], quibus non alium quam principem Diis oportuit commendari. Quare advertit graviter Tiberius, quod cum pro sua incolumitate Pontifices vota suscepissent, Neronem quoque & Drusum suis precibus inseruerunt [16], æquarique adolescentes Senectæ suæ, impatienter indoluit: & in Senatu oratione monuit in posterum, ne quis mobiles adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. In votis præterea sollemnibus offerebatur libra auri Imperatori in solidis obryziacis [17], hoc est, aureis meris & purissime coctis [18]. Quod strenarum locum occupavit, quæ Kalendis Januariis Principi dabantur, primum in Capitolio, postea in illius ædibus [19]. Edixit Caligula [20] strenas se recepturum ineunte anno, stetitque in vestibulo ædium Kalendis Januar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, omnis generis turba fundebat. Qui mos in aurum obrusum vel ad obrusam conversus est.

Alia fuerunt vota natalium Principis, alia vota Decennalia, Vicennalia, Tricennalia, quæ in nummis; quorum rationem Dio exequitur [21]. Tandem ista in vota populus ita effusus est, ut illa quocumque tempore & quacunque de causa publice & privatim nuncuparet. Pro itu & reditu Imperatoris, pro Salute sua & gentis suæ, innumeraque alia, quæ in antiquis inscriptionibus signata sunt. Una est Romæ:

[c] TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CÆSARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT
EX. S.C

1 Livius lib. 21. 2 Dio lib. 45. 3 Livius lib. 33 & 34. 4 lib. 22. 5 Non. in verb. ver. sacrum. 6. l. unic. de oblat. votor. C. lib. 12. 7 Tertul. de coron. milit c. 12. 8 Ad Tacit li. 16. Ann. a 119. 9 L. 233. §. post Calendas. D. de verb. sig. 10 Dio lib. 58. 11 Tacit. lib. 4. Annal. b 118. 12 Tertul. in Apolog. cap. 30. 13 l. 7. C. de feriis. 14 Tertull. de coron. milit. c. 12. 15 Plin. lib. 10. epist. 16 Tacit. lib. 4. Annal. 17 l. unic. de oblat. votor. C. lib. 12. 18 Cujac. de vet. numismat. pot. C. lib. 11. 19 Dio lib. 57. 20 Suet. in Cajo c. 42. 21 lib. 53. c 11. 1.

In omnibus etiam ad principem epistolis, scriptum semper ab eo qui mitteret *se vota facere*, τὸ νομιζόμενον εὐχὰς αὐτοῦ ποιεῖν [1], tributumque clementiæ Tiberii, quod Rhodiorum magistratus, qui in scribendo id obmisissent, indemnes dimisisset.

De Privatis amplissimus esset dicendi locus, ut de illorum assignatione, primitiis & exuviis, quibus non immoror, quia ab aliis repeti possunt, qui de hac re multa [2]. Aliam solum inscriptionem adfero, in qua:

[a] IVNONI
IBVS. CA
BIABVS
MASIVS
VOTVM
RETVLIT

Scribendum IVNONIBVS ex inscriptionibus aliis, queis *votum referre* est *votum reddere*, *solvere*, vel, ut M. Tullius loquitur [3], *tabellis pictis dissolvere*. Inter vota non male ea ponuntur, quæ ad Deorum iram secundandam a Senatu edicebantur, ut cum lectisternia imperabantur, quorum originem & apparatum Livius complexus est [4]. Cum Novendiale sacrum a Pontifice vel Prætore ex Senatusconsulto decernebatur: Cum ob nimiam siccitatem pluviæ poscerentur Manali Sacro, quod dictum est a Manali lapide, quem Pontifices trahebant extra portam Capenam juxta ædem Martis [5], *Nudipedalia* Tertullianus appellat [6]. Cum etiam Cereri jejunium institutum, quod quinto quoque anno servaretur [7]. Quæ licet ad Sacra pertinere videantur, quia tamen in adversis facta aut edita, cum votis conjungi recte possunt.

## CAP. XIV.

*De obsecrationibus & precationibus. Precatio maxima. Precatio extrema.*

DIVINIS rebus opera dabatur; quatuor præcipue modis; tres a nobis sunt explicati, Vota, Sortes, & sollemnis ille ritus, qui Sacrificium proprie vocabatur. Precatio restat, quia quid Diis commendabatur, & quæ in omnibus Sacris usurpabatur, qui sine precatione non fiebant. *Victimas tamen*, ait Plinius [8], *sine precatione cædi non videtur referri, nec Deos rite consuli. Præterea alia sunt verba impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis*. Pliniana lectio varia est in manuscriptis libris. Quidam habent, *Alia sunt verba impetritis, alia depulsoriis, alia commendationibus*. Sic legitur in manuscripto regio Mediceæ Bibliothecæ. Hermolaus Barbarus, cujus & diligentiam & doctrinam summam veneror & miror, lectionem veterem adfert, in qua non *Commentationis aut commendationibus*, sed *incantationis* scriptum est. In hac lectionum varietate nil mihi tam suspectum est, quam quod ab omnibus approbatum, *victimas cædi sine precatione non videri referre*. Hoc enim falsum ex ipso Plinio probari potest, ut Sacrorum ratio etiamnum aperte docet. Quod enim Sacrificium sine precatione factum vel fictum? Quare verbum istud *referre* omnino delendum est. Nam ex summa imperitia est usque hoc, & cui Plinii mens maxime adversatur. Ille enim hoc capite unum hoc quærit, an aliquid valeant verba & carminum incantamenta. Nulla quidem illa sine precatione. Quare & carmina & verba varia fuisse docet ex illorum Sacrorum ratione, de quibus agit, quæ verbis perficiebantur. Unde alia aliis verba fuisse docet Impetritis, Depulsoriis & Commentationibus. Quanto magis magisque cogito: nimirum dat mihi hic locus magnam cujusvis lectionis difficultatem. Nam si Apollo ipse Pythicus consuleretur, ambiguum, ut solebat, responsum porro daret. Divinandum tamen nobis est, ut consilia de divinis locis firmiora esse possint. Inhæreo menti Plinii qui de Sacris extraordinariis loquitur, in quibus alia sunt verba impetritis, id est, in iis sacris, quibus Deorum voluntatem extis vel sortibus inquirebant. Quæ sint *alia Depulsoria* non satis vulgata sunt, arcana enim Sacra hæc omnia fuerunt, Atque hæc ad Averruncos Deos trahere possem, quos præfati, sic preces concipere solebant [9]: *Te precor quæsoque, uti sies volens propitius, mihi familiæque nostræ, uti tu morbos visos invisosque; viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperantiasque probibessis, defendas averruncesque*. Dii isti Averrunci seu depellentes [10], ἀτρόπαιοι, ἀλεξίκακοι, λύσιοι, φύξιοι, δαίμονες [11]. *Depulsoria*, ut puto, *Sacra*, vocat Plinius ea carmina, quibus in devotionibus utebantur, quale durat immenso exemplo Deciorum, patris filiique. Quale fuit Tuciæ Vestalis incestæ precatio [12], qua usa aquam tulit in cribro: & illa quæ concepta est, cum in foro Boario Græcus a Græca, Gallus a Galla defossi sunt, quorum sacrorum precationem solebat præire Quindecimvirorum Collegii magister.

Ultima Sacra commendationibus aut commentationibus, vel incantationibus peragebantur. Hac in lectione ex tribus unam sortiri licet, & magis placet *incantatio* ex veteri Hermolai libro, nisi si de publicis Sacris Plinius tractaret, in quibus verba magnam vim habuisse crediderunt: quod demonstrant ea quæ sequuntur: *Vidimus*, inquit, *certis precationibus obsecrare summos magistratus*. Hæc igitur Sacra ad obsecrationem pertinent aut commendationem scilicet aut commentationem. *Commentum* antiqui dicebant pro *communitum* [13]. Hinc *commentaculum* virga, qua Flamines Sacra facturi præmuniebantur. *Commendare* tamen Sacrorum verbum, quod est, Deorum Numini rebus in adversis fortunam Reip. committere, qui ipsam adjuvarent, ἀντιλαμβάνονται, *commendatio* ἀντίληψις, quæ obsecratione perficiebatur. *Obsecratio* autem dolentia est [14]: oramus enim placidos Deos, obsecramus iratos.

Si falsa illa Sacra ex veris adjuvare licet, insignis est locus D. Pauli [15]: Παρακαλῶ οὖν πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων. Notant Græci [16] Δέησιν esse *obsecrationem* sive *deprecationem*, quæ offertur pro liberatione a tristibus & duris. Προσευχὴν *petitionem bonorum*, ἔντευξιν *postulationem* sive *interpellationem* aut *accusationem impie agentium*: εὐχαριστίαν *Gratiarum actionem*. D. August. hunc locum interpretatus est, & δεήσεις vertit *deprecationes*, precationibusque usos ait in optandis bonis, deprecationibus in devitandis. Quæ omnia sigillatim sunt nobis exponenda.

Obsecratio certis precationibus a summis magistratibus fiebat [17], & ne quid verborum præteriretur aut præposterum diceretur, scripto præibat aliquis rursusque alius. Custos dabatur qui attenderet, alius vero præponebatur qui favere linguis juberet, Tibicen caneret, ne quid aliud exaudiretur. Et quoties deprecatio erravisset, extis adime-

N iij

1 Dio lib. 57. 2 Senec. epist. 10. Persius satyr. 2. Horat. 1. epist. 16. Lucian. in philosopho. Lactantius 3. Thebaid. a 24. 5. 3 lib. 3. de natur. deor. 4 lib. 5. 5 Serv. 3. Æneid. Festus in verb. Manalem. 6 In Apologet. cap. 40. 7 Livius lib. 36. 8 lib. 23. cap. 2. 9 Cato de re rustic. c. 140. 10 Persius satyr. 5. 11 Jul. Pollux. 12 Livius lib. 22. 13 Nonius. 14 Donat. in Eunuch. 15 1. Timoth. 2. 16 Theophylact. in hunc loc. 17 Plin. d. lib. 23.

bantur capita vel corda ; tanta fuit verborum vis vel incantatio . Edixit Claudius Imperator [1] in urbe dira avi , aut in Capitolio viſa , ut obſecratio haberetur , eamque ut ipſe jure Pontificis maximi commonito pro Roſtris populo præiret . Quod etiam fieri ſolebat cum agri novo quodam motu contremiſcerent [2] , tum enim procurationes conſtituebantur , & obſecratio a populo Duumviris præeuntibus facta [3] . Idem in rebus adverſis factum aut in pavore publico , ut cum Romani duces ſe in Faliſcorum inſidias præcipitarunt [4] : obſecrationes in templis factæ ſunt , petitumque precibus ab Diis, ut exitium ab urbis tectis templiſque ac Romanis mœnibus arcerent . Obſecratio vero in unum diem aut plures indicebatur [5] . In illa hoc verbo uti ſolebant *ob vos ſacro* pro *vos obſecro* , ut *ſub vos placo* , in quibuſdam precationibus pro *ſupplico* [6] . Quod quidem verbum religionem habebat qua obligabantur ii quos obſecrabant ad id præſtandum , quod petebatur . Quare , qui populum obſecraverat , ut Comitiis periculo aliquo liberaretur, jubebat Magiſtratus eum reſecare [7] , id eſt, ſolvere religione, ut liberum de illo eſſet judicium . Ex Plauto [8] noſtro hoc Feſtus probat:

*Reſecroque mater quod dudum obſecraveram.*

*Precationes* ſunt προσδυχαὶ [9] , quas a *precibus* diſtinguere omnino difficile eſt. *Precationes* tamen conjicio dictas , eas quæ in libris Sacerdotum habebantur, in quibus leguntur [10]: *Lacia Saturni, Salacia Neptuni , Hora Quirini* , aliaque Sabina verba obſoleta . Verba precationum ſollemnia erant, *Precor venerorque ut volens propitiuſque ſies Populo Romano Quiritibuſque* . Nam in omnibus precationibus, ut in omnibus ſacrificiis publicis populi Rom. mentio fiebat [11] . Atque ut varia Sacrorum genera pro numinum diverſitate fuerunt , ſic variæ precationum formulæ, ut in Sacris Tiburtibus ſic Junonem precabantur [12] : *Juno Curulis tuo curru clypeoque tuere meos vernulas ſane* . Cum vero plures Deos quam in cæteris partibus Auguriorum precabantur , eventuſque rei bonæ poſcebatur : *Ut Dii melius juvarent meliuſque fortunarent*, quod in precationibus *Precatio maxima* vocabatur [13] . At extrema precatio & ſacrificatio in Veſta Dea erat, quæ rerum credebatur cuſtos intimarum [14] . Nam cum in omnibus rebus vim habere maximam putarent prima & extrema, ut principem in ſacrificando Janum eſſe voluerunt , ita omnis precatio in Veſta deſinebat . Quod Plautus opportune ſervavit [15] . Nam cum miles ſervo libertatem promitteret , argute ille,

*Deos ſperabo, teque poſtremo tamen.*

Quod idem in imprecatione notavit . Nam cum jurgii quid eſſet inter ſenes duos, unus in hæc verba deſiit:

*Quin hercle Di te perdant poſtremo quidem* [16].

Sic multa verba ſunt apud authores bonos , quæ aliam vim habent & elegantiam , quam nos cenſemus.

Fuit & alius precationis modus pro rerum vel temporum opportunitate , qualis eſt precatio Scipionis in Africam trajicientis [17] . *Dii Deæque qui maria terraſque colitis , vos precor quæſoque , quæ in meo imperio geſta ſunt , geruntur , poſtque gerentur , ea mihi populo plebique Rom. ſociis nominique Latino , qui populi Rom. quique meam ſectam , imperium auſpiciumque terra mari amnibuſque ſequuntur, bene verruncent* . At cum precatio a Senatu præſcribebatur , monitore opus erat , quem in Chriſtianorum precibus Tertullianus non admittit [18] . Hujus unam formulam afferemus, ex qua alias concipere poſſum. Cum Philippo Regi bellum indictum eſt, decrevit Senatus uti Conſules majoribus hoſtiis rem divinam facerent, quibus Diis ipſis videretur, cum precatione ea [19] , *Quam rem Senatus populuſque Rom. de Repub. deque ineundo novo bello in animo haberet : ea res uti populo Rom. ſociiſque ac nomini Latino bene ac feliciter eveniret*. Preces quæ privatorum fuerunt , apud omnes authores paſſim occurrunt, nec longiorem laborem merentur.

## CAP. XV.

### *De Poſtulationibus , Poſtulionibus & Devotionibus .*

POSTULATIONEM precationi adjungemus, quam ἔντευξιν, alii *interpellationem*, dixerunt, minus recte: aliud enim eſt *interpellare* , aliud *poſtulare* [20]. Ἔντευξις , ἀπάντησις κατὰ τῶν πλημμελησάντων δέησις ἐκδίκησιν [21] , *Expoſtulatio querela eſt adverſus eum quem incuſamus* [22] , & apud illum ipſum qui peccavit : *poſtulatio* de altero apud alterum dicitur , eſtque juſta interpoſitio querelarum . Sic apud veteres Deorum poſtulationes fuerunt , quæ antiquo & Sacrorum verbo POSTULIONES dicebantur . Cujus verbi vim cum Adrianus Turnebus [23] non adverteret ſatis , lectionem Varronis depravavit . Varro [24] *Deos manes poſtulionem poſtulare* dixit , mutat Turnebus, & *Poſtileonem* reponit, quod poſtis appelletur terræ hiatus , qui cenſebatur Orci Janua . Cujus emendationem Scaliger merito reſpuit. Nec enim *poſtis Manium* pro Orci oſtio legitur, quod *manale* dicebatur . Et *poſtulionis* antiquum verbum agnoſcit Arnobius [25] : *In ceremoniis* , inquit , *veſtris , rebuſque divinis , Poſtulionibus locus eſt*. Diis inferis poſtulio , Superis poſtulatio fiebat. M. Tullius [26] Augurali hoc verbo uſus eſt. Cum enim exauditus eſſet in agro propinquo & ſuburbano ſtrepitus quidam reconditus & horribilis fremitus armorum : *Quis eſt , inquit , ex Gygantibus illis , quos poetæ ferunt bellum Diis immortalibus intuliſſe, tam impius , qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid Deos populo Romano præmonſtrare & præcinere fateatur ? De ea re ita ſcriptum eſt* , POSTULATIONES *decretas eſſe Jovi , Saturno , Neptuno , Telluri , Diis cœleſtibus*. Et paulo poſt: *Eodem oſtento* POSTULATIO *Telluri deberi dicitur*. Poſtulio inferorum fuit , cum hominem aliquem peterent , qui iis devoveretur . De hac jocus Plauti, apud quem cum ſervus Tranio Theuropidi ſeni capitales ædes factas fingeret, quod in illis hoſpes necaſſet hoſpitem, ab illarumque foribus abigeret ſenem , ne filium opprimeret cum amica convivantem : clamitabat ſervus, eum qui has ædes tetigiſſet piaculum committere , vel ſuo capite expiandum:

*Sceleſtæ hæ ſunt ædes* [27], inquit, *impia habitatio,*
*Quæ hic monſtra fiunt anno vix poſſem eloqui.*

Cumque illum vocaret ſenex , ſervus ille nequam:

—— *Non me appellabis, ſi ſapis.*
*Nihil ego commerui , neque iſtas percuſſi fores.*
THEVR. *Quæſo quid ægre eſt ? quæ res te agitat Tranio?*
TR. —— *An quæſo tu appellaveras?*
*Ita me Di amabunt mortuum illum credidi*
*Expoſtulare , quia percuſſiſſes fores.*

1 Sueton. in Claudio c. 22. 2 Cicer. de Aruſp. reſp. 3 Livius lib. 4. 4 Liv. lib. 5. & 31. 5 Livius lib. 27. 6 Feſtus in verb. ob vos ſacro . 7 Feſtus in verb reſecare. 8 In Aulular. 9 D. Aug. ad Paulin. 10 Agel. lib. 13. c. 12. 11 Tacit. 4. hiſtor. Serv. 1. Æneid. Feſtus in verb. dici . 12 Serv. in ſched. 13 Serv. 12. Æneid. 14 Cicer lib 2. de natur. deor. 15 In milit. 16 In Caſin. 17 Liv. lib. 29. 18 In Apologetic. c. 30. 19 Liv. lib. 31. 20 D. Auguſtin. ad Paulin. 21 Heſych. 22 Donatus in Andr. & Hecyr. 23 lib. 20. adverſ. c. 22. 24 lib. 4. de ling. lat. 25 lib. 4. 26 de Aruſp. reſp. 27 Plautus in Moſtellaria.

Sacra hæc *Depulſoria* dicebantur, quorum verba alia ab aliis Plinius dicebat, proprie DEVOTIO dicebantur. Quæ quidem duplex fuit, coacta ſcilicet aut voluntaria. Coacta ex libris Fatalibus vel Aruſpicum reſponſis, ut cum ex Senatuſconſulto in foro Boario vivi aliquando defoſſi ſunt [1]. Voluntaria Diis expoſtulantibus, hominum in Rempub. vel principem obſequio & charitate. Prima & antiquiſſima devotio, Gallorum Senonum fuit adventu, quo majores natu ampliſſimis uſi honoribus in forum coierunt, ibique M. Fabio Pontifice Max. carmen præeunte, devoverunt ſe pro patria, Quiritibuſque Rom. [2]. Frequens apud alias gentes exemplum. Maſſilienſes cum peſtilentia laborarent, unus ſe ex pauperibus offerebat alendus, anno integro publicis & purioribus cibis. Hic poſtea verbenis circumdatus, ſacriſque veſtibus, per totam civitatem cum execrationibus circumducebatur, ut in ipſum reciderent mala, ſicque projiciebatur, ut ex Petronio Servius [3] refert. De devotis apud Gallos qui *Soldurii* appellantur, otioſum eſſet aliquid addere, ad ea quæ Julius Cæſar nobis ſcripta reliquit [4]. De Hiſpanis ſatis Plutarchus [5]. Deorum poſtulione primus M. Curtius ſe devovit [6]. Cum enim ex Senatuſconſulto ad Aruſpices relatum eſſet, illique ex terræ hiatu Deos Manes poſtulionem poſtulare reſpondiſſent [7], id eſt, Civem fortiſſimum eo mitti, pro patria Curtius mortem oppetiit.

Devotionis ritum alio modo apud Livium, alio apud Sammonium Serenum habemus [8] libro quarto *rerum reconditarum : Cum qui devovetur Tellurem dicit* ( ait Serenus ) *manibus terram tangit : cum Jovem dicit, manus ad cœlum tollit. Cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit.* At Livius Curtium proponit nobis Capitolium intuentem, manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigentem. Pontifex precationem præibat, cujus formulam Livius refert [9]. Illudque adjicit, *licere Conſuli Dictatorique & Prætori cum legiones hoſtium devoveant non utique ſe, ſed quem velit ex legione Rom. ſcriptum civem devovere. Si is homo qui devotus eſt moritur, probe factum videri : ni moritur, tum ſignum ſeptem pedes altum, aut majus in terram defodi, & piaculum hoſtia cædi : ubi illud ſignum defoſſum erit, eo magiſtratum Rom. deſcendere fas non eſſe. Sin autem ſeſe devovere velit, ſicut Decius devovit, ni moritur, neque ſuum neque publicum divinum pure faciet, qui ſeſe devoverit. Vulcano arma, ſive cui alii Deo devovere vellet, jus eſto.* Signum ſeptem pedes altum recte opinatur Sigonius imaginem ejus hominis eſſe, qui devotus non occubuit, morte ejus defoſſione imaginis ſimulata.

Eorum qui ſe pro principe devoverunt exempla multa. Sexti Pacuvii meminit Dio [10] qui Hiſpanorum more Auguſto Cæſari ſe devovit, ἐν τῷ συνεδρίῳ ἑαυτόν τε οἱ τῶν Ἰβήρων τρόπον καθωσίωσε. Interpres vertit *conſecravit*, malo *devovit*, quod proprium & peculiare verbum huic rei. *Devotio* καθωσίωσις, *Devotus* καθωσιωμένος. Pacuvium æmulati quidam ſibi male conſuluerunt. Nam votum exegit Caligula ab eo, qui pro ſalute ſua ſe devoverat [11], cunctantemque pueris tradidit, verbenatum infulatumque, quo votum repoſcentes Maſſilienſium more per vicos agerent, quoad ex aggere præcipitaretur. Quod poſteros non terruit ab hujuſmodi voto, cui ſe integræ etiam Legiones aliquando obſtrinxerunt, ut ex antiquis inſcriptionibus patet.

[a] FORTVNAE
AVG
OMNIPOTENT
VBI. ERAS
RHANNV
SIA
VBI. ERAS
QVANTVM. ABFVIT
NE. ROMA. LVGERET
SED. VIVIT. TRAIANVS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET. XIII. C
DEVOTIS. CAPITIBVS

Inde manavit ut qui Imperatori omne obſequium pollicerentur, illi ſe devotos eſſe dicerent, προτρεπόμενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθαμεν, ὅτι σοι καθωσιώμεθα [12]. Verba interpretis non ſequor, qui προτρέπειν *verbis adhortari*, & καθωσιοῦν *Sacrum eſſe* reddidit, multum enim differt *ſacer homo* a *devoto*. *Devoti* quoque dicti ſunt qui ſe numini perpetuo colendo dedicarunt. Inſcriptio Romæ:

[b] DECRETVM

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

ITEM. DEDICATIONE. STATVARVM. CÆSARVM. ET. AVGVSTARVM. MVLSVM ET. CRVSTVLA. PECVNIA. NOSTRA. DE VOTIS. OMNIBVS. ET. POPVLO. DEDIMVS

In abſurdam adulationem homines deinde progreſſi publicis monumentis teſtati ſunt ſe devotos numini majeſtatique Auguſtarum. Alia inſcriptio:

[c] FVRIÆ. SABINÆ. TRANQVILINÆ. SANTISS. AVGVSTÆ. CONIVGI. D. N. M. ANTON. GORDIANI. . . . . . . . .
DECVRIALES. AEDILIVM. PLEBIS
CERIALIVM. DEVOTI. NVMINI
MAIESTATIQVE. EORVM

---

CAP. XVI.

*De Gratulatione, Primitiis, Vitulatione, Supplicatione.*

GRATULATIO quæ εὐχαριστία, gratiarum eſt actio, qua Deos venerabantur, vel ob voti ſolutionem, vel publicam lætitiam, aut bellum proſpere geſtum. Ob votum cum redderetur, proprie *Gratulatio* : ob liberalitatem *Primitiæ*. In ſollemnibus ludis vitulationes : ob bellum proſpere geſtum ſupplicationes fiebant. *In gratulationibus mentum Herculis*, inquit Tullius [13], *oſculari ſolent*. Odioſum hoc verbum Lipſio [14], qui vocem magis convenientem putat *Gratationes*, cum Diis agerent grates. Mirum quo evadat Criticorum pruritus, qui nihil rectum putant, quod non ſatis intelligunt. Quis unquam author Latine ſciens *Gratationis* verbo uſus eſt? Quod Lipſius adinvenit ut mentum Herculis cum Ciceronis lectione non attereret ſolum, ſed dilaceraret. Gratulatio nulla reprehendi ſolet, quæ Diis immortalibus reddebatur, cum votis annuiſſent, vel ſuæ benevolentiæ

---

1 Plin. lib. 28. cap. 2. 2 Livius lib. 5. Plutarch. in Camillo. 3 lib. 3. Æneid. 4 lib. 3. de bello Gallico. 5 In Sertorio. 6 Livius lib. 7. 7 Varro lib. 4. de ling. lat. 8 Macrob. lib. 3. ſaturn. cap. 9. 9 lib. 8. 10 lib. 53. 11 Sueton. in Caligul. cap. 27. Dio. lib. 59. a 73. 12 Dio lib. 53. b 228. c 272. 5. 13 Act. 9. In Verrem. 14 lib. 2. Elector. cap. 6.

signum ostendissent. Si secundum vota aut preces res successisset, Gratulatio ob impetrationem debebatur. *Impetrare* enim Pontificium verbum est, ut *impetrire* Augurum. Plautus noster [1],

P. *Deos quidem oro*. EP. *impetra*.

Et paulo post:

*Pro Di Immortales! mihi hanc diem dedistis luculentum*
*Utque facilem atque impetrabilem*,

Recte M. Tullius *preces* a *Gratulationibus* separavit ut speciem a genere: nam ut Gratulatio in votis exauditis, sic in precibus, si eas Dii exaudissent, Primitiæ solvebantur, & in futurum novam Deorum benignitatem exoptabant, publica exultatione illam expetentes [2]:

*Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes*
*Clamat Io messes & bona vina date*.

Non sum audacior in castigandis libris, ne mihi vitio detur quod in aliis non probo. Licet tamen conjecturis niti, ut librariorum errorem sublevemus, ut in hoc versu suspicor scriptum fuisse *& nova vina date*, scriptum fortasse fuit interversa litera *& nona*, ex quo librarius fecit *& bona*. Rationem conjecturæ meæ a Plinio accipio [3]. Ille: *Ad pomorum primitias hæc vetera esse dicebant, nova exoptantes*. Rem non novam aggredior, si cui vetus lectio placet, illam retineo.

Vitulatio in sollemnibus ludis & insperata privatorum lætitia erumpebat: quod Plautus [4] monet:

*Jovi opulento, inclito, Ope gnato, supremo, valido, viro potenti,*
*Opes, spes bonas, copias commodanti, lubens vitulorque merito*.

*Vitulari* Pontificium verbum est [5], quod Græci dicunt παιανίζειν. Licet enim Pæan proprie sit Apollinis, laus [6] omnibus tamen Diis congruit. Quare Pindarus opus suum *Pæana* vocavit, quod & hominum continet laudes [7]. Addit Plautus, *lubens merito*, verba in votorum solutione usitata, quæ in antiquis Inscriptionibus sæpissime his literis notantur V. S. L. M. quod est, *votum solvit lubens merito*.

At gratiarum actio aliis verbis exprimitur. Inscriptio vetus Romæ:

[a] ÆSCVLAPIO. SANCTO
L. IVNIVS. AGATHOPVS. ET. TERENTIA
RVFINA. GRATIAS. AGENTES. NVMINI
TVO. D. D

Quod si inexpectatum aliquod bonum contigisset, beneficii gratiam sacro posito agnoscebant. Lapis ad Danubium:

[b] IOVI. INVENTORI
DITI. PATRI
TERRÆ. MA
TRI
DETECTIS. DAC
THESAVRIS
CÆSAR. NER
VA. TRAIANVS
AVG
SAC. P

Sed non Inscriptiones a vitulatione lubentes merito avocarunt, in qua Hymni ad Deorum honorem canebantur spondaicis versibus compositi [8]: ut spondæum pedem *Pontificium* Numa dicitur appellasse [9]: Hi in ludis publicis aut supplicationibus quibusdam personabant. Supplicationum enim duæ fuerunt causæ: una ad evertendum malum quod immineret, quæ frequentior obsecrationi & votis conjungitur; altera ob rem feliciter administratam. Atque in hac vitulari solebant, ut si parta esset victoria, præterquam in Civili bello; nam supplicatio ne victoris quidem literis postulata. Decrevit tamen illam M. Tullius ad omnia pulvinaria, eorum nomine qui Antonium ad Mutinam devicerant [10].

Et quoniam de supplicatione dicendum nobis est, & quasi a lætitia ad luctum transeundum, nihil officient gratulationi ea quæ in commodiorem locum cogere non potuimus. Supplicatio ergo, quæ in rebus adversis edicebatur, etiam cum lachrimis [11], has fere habuit causas, aut ad placandos Deos scilicet, aut ad prodigia procuranda, & morbos avertendos. Civitas religiosa in principiis maxime novorum bellorum illam decernebat: ut cum latum est ad populum [12], *vellent, juberent populo Carthaginiensi bellum indici*, ejus belli causa supplicatio per urbem habita, atque adorati Dii, ut bene ac fœliciter eveniret.

Ob prodigiorum procurationem, decreto Pontificum supplicatio indicebatur: cujus ritum Livius descripsit [13]. Ad morbos expellendos pro Collegio Decemvirorum imperabatur [14], si libros adiissent, aut per compita tota urbe, aut circa omnia pulvinaria, aut per omnia fora conciliabulaque in triduum vel biduum [15]. Atque in his pure & caste a matronis sacrificatum [16], quæ nonnunquam ipsæmet supplicavere [17], id est, manibus amplexæ & coronatæ hymnos certis carminibus conceptos modulantes dixerunt. Ædium vitia sacrarum Vitruvius reprehendit [18], quod matres familiarum cum ad supplicationem gradibus ascenderent, non possent per intercolumnia amplexæ adire, nisi ordines fecissent. Nobis vero, ut nostrum ordinem obtineamus, hoc loco demigrandum est, & ad alia veniendum.

## CAP. XVII.

### *De Adoratione*.

OB Carthaginiense bellum susceptum, supplicationem per urbem indictam, atque adoratos Deos ex Livio modo dicebamus. Supplicatio carmine perficiebatur: Adoratio cum præsentia numina precibus adloquerentur. Nam *adorat* significat *alloquitur*, vel quasi *ad os orat* [19]. Adorationis formula ob ereptum turbine Æneam Turnus utitur [20]:

——*Vos o potius miserescite venti*
*In rupes in saxa volans, vos Turnus adoro*,
*Ferte ratem*.

Adoratio tamen in Ceremoniis commendatur, quæ venerationem maximam habet, gestuque aliquo designatur, ut osculo, manus extentione, corporis inversione, genu inflexione. De illa Lipsius diligenter collegit multa [21], primumque Ciceronis attulit locum, quo Herculis simulachri rictus ac mentum paulo attritius asserit, quod in precibus & gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari soleret. Qui locus obscurum alium Plauti nostri dilucide explicat [22], apud quem cum Tranio postulione deluderet senem, monet porro illum,

*Fugies*,

1 In Epidic. 2 Tibul. lib. 1. eleg. 1. 3 lib. 28. c. 2. 4 In Persa. 5 Macrob. 3. Saturn. c. 2. 6 Eustath. Iliad α. 7 Serv. 10. Æneid. a 70. 4. b 21. 8. 8 Diomedes Gram. lib. 3. 9 Marius Victorinus. 10 Cic. Philip. 14. 11 Donat. in Andr. 12 Livius lib. 21. 13 lib. 27. 14 Livius lib. 38. 15 Livius lib. 40. 16 Livius lib. 27. 17 Livius lib. 25. 18 lib. 3. cap. 2. 19 Festus in verb. adorare. Apulejus lib. 3. & 8. met. 20 Virg. Æneid. 21 lib. 2. Elector. cap. 6. 22 In mostellaria.

*Fugies,*
*Atque Herculem invocabis.* TH. *Hercules te invoco.*

Quod facere consueverunt ii qui magnum aliquod periculum effugissent. Gratulando ergo Herculem senex obtundit, quod illum mortuus hospes non expostulasset.

Osculo adorabant Deos, dextram ad os admovendo [1], manu vel expansa vel supina, dum ne digiti pectinatim inter sese essent implexi. Vel illa simulachrum tangebant, quod genus adorationis Plautinus Leno vocat *Adire manum Deorum* [2]. Corpus circumagebant ad dexteram [3], Adolescens Phædromus [4]:

—— *Quo me vortam nescio.*
PA. *Si Deos salutas dextrovorsum censeo.*

In genibus religio inest observatione gentium [5], hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc ut aras adorant. Unde simulachrorum plantas & genua contingebant & contrectabant orantes [6], precesque & vota in cera infigebant, quod Juvenalis dixit *Genua incerare Deorum* [7]. Unde quidam putant apud Prudentium [8] male legi *genua incurvare Dianæ*, & reponunt *incerare*. Sed illi male. Nam Prudentius ex Judæorum consuetudine loquitur, quos refellit, & *incurvare genua ante Baal* Scripturæ verbum notissimum [9]. Quare *Dianæ genua incurvare* est genu flexo Dianam adorare vel precari: ut in sacris certaminibus posito genu supplicare [10]. Omnis autem adoratio operto capite fiebat præterquam in Saturni sacris; Plautus [11]:

*Quis hic est, qui operto capite Æsculapium Salutat?*

Sic Vitellius miri in adulando ingenii, C. Cæsarem adorare ut Deum instituit [12], cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se deinde procumbens. In summis periculis procumbere supplicum fuit, limina osculari, caput allidere, ad aram repere, crinibus templa verrere, aliaque signa mœstitiæ exhibere, quam Deus ab omnibus bonis avertat, ut in perduelles æternum cadat.

## CAP. XVIII.

*De victimis. Suovetaurilia majora & minora. Lactentes hostiæ. Magnæ opimæ. Bos Sescenar. Porcus fœmina.*

PONTIFICUM cura fuit, quibus hostiis immolandum esset, cuique Deo: cui majoribus: cui lactentibus [13]: cui maribus: cui fœminis: quibus diebus, ad quæ templa, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Nec enim omnibus Diis omnes hostiæ, sed quibusdam quædam Sacrorum legibus feriuntur [14]. Ille tauris Deus, hœdis ille aut ovibus: hic lactentibus porculis; ille intonsis agnis: hic virginibus bubulis; capris ille cornutis: hic sterilibus vacculis; at ille ingentibus scrophis: hic albentibus; ille atris: alter fœminini generis; alter vero animantibus masculis honoratur. Nam Deabus fœminas, Dii mares victimas immolare, abstrusa & interior Sacrorum ratio fuit. Jovi taurum, verrem, arietem immolare non licuit, ut vult Attejus Capito libro primo *de jure Sacrificiorum* [15]; taurus enim non nisi Apollini, Neptuno, Marti immolatur [16]. Adjicit Labeo,



SI. QVIS. IOVI. TAVRO. FECERIT. PIACVLVM. DATO. Nam ubique Jovi legimus mactatum juvencum, quod cum parum animadverteret Arnobius [18] piaculum commisit ex Labeonis sententia. Ille enim: *Quid applicitum*, inquit, *Jupiter habet ad Tauri sanguinem ut ei debeat immolari, non debeat Mercurio?* Taurus enim victima Jovi non cædebatur, sed juvencus: etsi taurus daretur Jovi aut caper, qui Patri Libero: aut si bos sterilis Unxiæ nuptiarum Deæ, quam Proserpinæ tribuebant, confundebantur Sacrorum jura [18]: nec parvi piaculi erat, officia rituum procurationumque miscere. Quia generis certi hostias certis numinibus consecrare jus erat, certa ut supplicamenta præstari [19]. Quidam majoribus, lactentibus alii mactabantur. Diis majoribus majores victimæ sacrabantur, minoribus minores, ut Marti Sylvano, quem inter minores repono, Suovetaurilibus lactentibus satisfactum est [20], quæ minora dicebantur. SAVLITAVRALIA. MAIORA [21] habemus in fratrum Arvalium votis. Lex Numæ a Scaligero apud Festum [22] restituta: SECVNDA. SPOLIA IN. MARTIS. ARAM. IN. CAMPO. SOLITAVRILIA. VTRA. VOLVERIT. CÆDITO. *Majora Solitaurilia* θυσία ἐκ συὸς κριοῦ καὶ ταύρου [23], quæ essent hostiæ majores. Major enim hostia est, ut recte Turnebus putat [24], quæ adolevit, & perfectæ ætatis est, *ἱερεῖον τέλειον*. Lactentes minores erant, quas cum M. Tullius majoribus opposuerit, non sequor viri doctissimi opinionem, a qua ingratiis recedere soleo, ut *major victima* dicatur de majoribus animalibus, hoc est, de armentis, etiam si lactentes essent [25]. Nam ut major hostia ætatis adultæ, ex bovili pecore est taurus aut juvencus: ita ovis ex ovili opima & præcipua, & sus ex porcino. Inscriptio vetus, MAGNAS. OPIMAS. IMMOLARVNT [a], de his omnibus intelligitur. Non negaverim Varroni [26] magnas *opimas* videri boves altiles publice ad sacrificandum saginatos, sed quæ de bobus affirmat, de cæteris non negat. Tertullianus [27] enim de omnibus, *Quibus*, ait, *hanc saginatiorem, & auratiorem hostiam cædis?*

Offendo inter majores hasce hostias bovem Sescenarem, qui cum a Cn. Cornelio Consule immolatus esset [28], illius jecur in olla defluxit, ubi exta coquebantur. Sescenar bos iste cornu ferit, nec ipse cavere possum, quin prehensis cornibus traham. Vox Sacrorum est *Sescenar*, quam ex Festo interpretor [29]. Illi enim *Scena* seu *sacena* genus est cultri, sed utrum securis an dolabra sit, ambiguum dicit. Nam Cincius in libro qui ei est *de verbis priscis*, dolabram ait esse Pontificiam. Livius in Lydio: *Corruit quasi ictus Scena*. Sed Dolabra securis fuit qua boves cæderentur, ut ex antiquis Sacrorum figuris constat: hostiæ aliæ aut malleo aut cultro. Quod igitur Festus scribit *Scenam* dictam esse a *Scena*, forte *a Sescena* scriptum. Veteres enim in geminatis primam syllabam servare solent ex usu Grammaticorum, unde conjicio *Sescenarem* bovem dictum Sescena a victimariis percussum. Qui auderet legere *bovis Sagenaris* non reprehenderem, ut esset opimi bovis & publice saginati. Nam Varro dixit *Sagenantur* pro *saginantur* [30]; & in Sacris vocabula in *ar* multa desinebant, ut *lar*, *pulvinar*, *far*, *bustar*, ubi corpora cremabantur [31]. Superstitiosus sum, si vera prædico. Qui magnam opimam interpretationem attulerit, effugiet mea, aut ut jecur illud bovis omnino defluet. Nec enim omni operi est ἄλωβον ἧπαρ.

---

1 Plin. lib. 28. c. 2. Apulejus Apolog 1. 2 In Pœnulo. 3 Plin. d. lib. 28. 4 Plautus in Curculion. 5 Plin lib. 11. c. 45. 6 Arnob. lib. 6. 7 Satyr. 10. 8 Adversf. Judæos. 9 3. Regum. 10 Quintil. lib. 9. c. 4. 11 In Curcul. 12 Sueton. in Vitel. c. 2. 13 Cic. 2. de legib. Liv. lib. 1. 14 Arnob. lib. 7. 15 Macrob. lib. 3. satur. c. 10. 16 Serv. 3. Æneid. 17 lib. 7. 18 Martian. Capel. lib. 2. 19 Arnob. lib. 7. 20 Cato de re rustic. c. 141. 21 Inscript. 121. 22 In verb. Opima. 23 Gloss. vet. 24 lib. 28. adversf. c. 20. 25 Scaliger in Festum in verb. Maxima hostia. a 124. 26 Varro lib. 2. de re rustic. cap. 1. 27 lib. de Idololatr. c. 6. 28 Liv. lib. 41. 29 In verb. scena. 30 lib. 1. de re rustic. cap. 1. 31 Sosipater lib. 1.

In Commentariis Sacrorum Pontificalium frequenter invenitur *hæc agnus*, *hæc porcus*, *hic ovis*, quæ etiam in mulcta, viri genere appellabatur [1]. Sic *porcum fœminam*, *agnum marem* non temere dicebant, quæ ut vitia accipere non debemus, sed ad numinum qualitatem referre, & ad Latini sermonis usum, ex quo verba æstimantur, quibus antiquitas dignitatem addit & sanctitatem. Sic M. Tullius porco fœmina piaculum heredem pati optime dixit [2], Lex Numæ fuit: PELLEX. ARAM IVNONIS. NE. TANGITO. SI. TANGET AGNVM. FOEMINAM. CRINIBVS. DEMISSIS. CÆDITO. Hac in re lapsum Virgilium Sacrorum veterum peritissimum Servius credit, cum dixerit *& cæsa jungebant fœdera porca*: *Falso*, inquit Servius [3], *nam porcus ad hoc genus Sacrificii adhibebatur*. Porcus quidem cædebatur in fœderibus, sed fœmina. Quare certum est scripsisse Virgilium *& cæsa jungebant fœdera porco*. Adstipulatorem habeo Quintilianum [4], cujus lectio etiamnum corrupta est. Ille: *Quædam*, inquit, *non tam ratione quam sensu judicantur, ut illud* cæsa jungebant fœdera porca. *Fecit elegans fictio nominis*: *quod si fuisset* porco, *vile erat*. In Fabio error manifestus est transpositione nominum *porco* & *porca*. Si enim esset *Cæsa porca*, quæ fictio nominis elegantiam faceret? Quid vile fuisset in versu, si *porco* legeretur, qui hoc verbo elegantior assurgit. Nam *cæsa*, *fœdera*, *porca*, humiliora sunt, & versum insuaviorem reddunt. At *cæsa jungebant fœdera porco* elegantiam redolent, quæ non tam ratione quam sensu judicatur, si Fabio credimus. Etenim ratio manifesta est *cæsa porco* rectum sermonem esse, & in Sacris usitatum, quod purioris sermonis amatores non semper tenuerunt. Verba enim hæc solis Sacerdotibus suis cognita. Idem error ad omnes fere authores manavit librariorum incuria. Ut in Suetonio [5]: *Cum Regibus fœdus in foro icit cæsa porca*. In Festo [6]: *Inter quos pax fieret*, *cæsa porca fœdus firmare solebant*, ubique reponendum est *porco*, si rationem sequamur Sacrorum, non Latinitatis usum. Alius error in Livio [7], qui formulam fœderis nobis proponit, *ut ego hunc porcum hodie feriam*. Legendum *hanc porcum*. Nam in sanciendo fœdere fœmina Cereri immolabatur, cui sine piaculo mas dari non potuit. Mares enim Diis, fœminas Deabus mactare, Pontificalis observatio est, ut videmus ex votis fratrum Arvalium [8], qui Jovi bovem, Junoni vaccam, Minervæ vaccam, Concordiæ vaccam, Genio taurum voverunt & persolverunt. In omnibus tamen Sacrificiis cum fœminini generis plus valerent victimæ: si per marem litare non possent, succidanea dabatur fœmina [9]. Quod si per fœminam non litarent, succidanea nulla poterat adhiberi, sicque succidaneæ Diis fœminæ dari solebant.

At vero Diis maribus fœminas mactatas docet vetus Senatusconsultum [10], quo præceptum Decemviris ut sacrum facerent Apollini, bove aurato & capris duabus albis auratis. Sed additum *Græco ritu*, qui a Romano multum discrepabat. In victimis & istud requirebatur, ut certæ ætatis & naturæ animalia, certis numinibus immolarentur [11], ut Telluri Scropha ingens fœta: Minervæ virgini vitula virgo, nullis unquam stimulis, nullis operis exercitata, injugis hostia. Sus prægnans Majæ mense majo cædebatur [12], quæ *horda* dicitur, aliis *forda* [13]. Sterilis taura dabatur Proserpinæ. Dis Maribus castrata animalia immolabant [14], ἐντομίδας, ut vervecem sectarium, quem *Petronem* Plautus [15] vocat.

## CAP. XIX.

### *De Tauropolio.*

Ut Diis maribus fœminas, sic fœminis mares Græco ritu immolatas sumptibus magnis sæpe in antiquis inscriptionibus legimus, ut Minervæ & Dianæ taurus cæsus, quæ propterea ταυροπόλαι dictæ [16], ut genus hoc Sacrificii Ταυροπόλιον, quod Dianæ præcipue fiebat. Narbone:

[a] IMPERIO. D. M
TAVROPOLIVM. PROVINCIÆ. NARBONENSIS
FACTVM. PER. C. BATONIVM. PRIMVM
FLAMINEM. AVGG. PRO. SALVTE. DOMINORVM. IMPP. L. SEPTIMII. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARABICI. HADIABENI
PARTHICI. MAXIMI. ET. M. AVRELIANI
AVG

Alia Inscriptio est, apud Lactoratenses in Novempopulania:

[b] S. M. D
IVNIA. DOMITIA. TAVROPOL
ACCEPIT. HOSTIIS. SVIS. SACER
DOTE. TRAIANO. NONDI
NIO. D. N. GORDIAINO. II
ET. POMPEIANO. COS. VI. ID
DEC

Hæc sacra ex inscriptionum notis Matri magnæ Dianæ factæ sunt, quæ tribus nominibus celebrata, triplexque Taurobolium illi uno eodemque sacro fieri consuetum apud Æginam, ut alia inscriptio demonstrat. Romæ:

[c] APVD. ÆGINAM. DEABVS. TAVROBOLITÆ. ISI
ACÆ. HIEROPHANTRIAE. DEÆ. HECATE
GRAECO. SACRANEÆ. DEÆ. CERERIS

Quare post inscriptionem Juniæ Domitiæ duæ aliæ sequentes leguuntur iisdem verbis conceptæ, mutato solum nomine ejus, quæ Tauropolium accepit. Prima Domitia Isidi: Secunda Flora Dianæ: tertia Modesta Cereri hoc sacrum fecere (nam tribus aris extructis Sacrum istud peragebatur) & hostiis suis accepere, quod amplius est quam *facere*. Nam *accipere* est pascere, & sollemni convivio celebrare. Virgilius [17]:

*Illos porticibus rex accipiebat in amplis,*
*Aulai in medio libabant pocula Bacchi,*
*Impositis auro dapibus.*

Observo in omnibus Tauropoliis illud adjectum, quo Sacerdote facta sint, plerumque quibus Consulibus, quo mense, & die. Sacerdos pater Sacrorum *Taurobolinus invicti Mithræ* vocatus [18]. Carmen est Aurelii Symmachi de Baulis:

*Perfidicique Mithræ Antistes Babylonie templi*
*Tauroboliique simul magni Dux Mystice Sacri.*

Isidi Taurobolium & Criobolium, taurus & aries sacrabantur. Lapis Romæ:

1 Agel. lib. 11. cap. 1. 2 lib. 2. de legib. 3 8. Æneid. 4 lib. 8. Instit. cap 3. 5 In Claudio cap. 25. 6 In verb porci effigies. 7 lib. 1. 8 Inscript. 118. 9 Servius 8. Æneid. 10 Macrob. lib. 1. sat. cap. 17. 11 Servius 2. Æneid. Macrob. 1. sat. cap. 12. 12 Festus in verb. Sus prægnans. 13 Varro lib. 2 de re rustic. c. 4. 14 Suidas. 15 In Captiveis. 16 Hesych. a 29. 12. b 29. 13. c 309. 2. 17 3. Æneid. 18 Inscript. 28. 2.

[a] M. D. M. I. ET. ATTINIS
L. CORNELIVS. SCIPIO. ORFITVS
V. C. AVGVR. TAVROBOLIVM
SIVE. CRIOBOLIVM. FECIT
DIE. IIII. KAL. MART
TVSCO. ET. ANVLINO. COSS

Dianæ ludis ſæcularibus Romæ taurum immolatum videmus in Nummis. Serratum argenteum habeo, quem Nicolaus Camuſius Torcyus Senator integerrimus & Juris ſcientiſſimus, mihi dono dedit, in quo bos ad aram, & magiſter Quindecimvirorum ſignati ſunt, qui ludis præerat, in quibus boves albi Apollini & Dianæ ſacrificari ſolebant, Græco ritu. Nummi prima pars habet Dianæ effigiem, altera Sacrificium, in qua bos, ara, & xv. vir denotantur.




## CAP. XX.

*De victimarum ratione & probatione: quæ eſſent puræ, Eximiæ, Regiæ.*

GRÆCORUM ritus me a Romano & Pontificio paululum divertit, ut oſtenderem quomodo Diis Maribus fœminæ, fœminis mares contra communem Sacrorum legem immolarentur. Illorum rationem perſequamur, quæ pro qualitate numinum habebantur [1]. Hæ itaque hoſtiæ cædebantur, quæ oberant eorum numinibus ut porcus fœmina Cereri, Caper Baccho: aut certe ad ſimilitudinem, ut inferis nigræ pecudes: ſuperis albæ: Tempeſtati atræ: candidæ Serenitati. Varia illarum genera fuerunt, quæ ſuis *formularum* libris complexus eſt Barnabas Briſſonius in noſtra Pariſienſi Curia Præſes olim ſecundus, vir ut doctrina commendandus, ſic fatorum acerbitate miſerabilis. Ille ad literarum immortale decus, bono publico natus, mortalis, heu! miſerrimi caſus ſubiit, peſſimo publico. Felix! ſi prima ſequentem in ſecundis conſiſtere honeſtum duxiſſet. Sed datur belli civilis victima, effugiarum ſuccidanea, quæ ad aras virtutis & victoriæ Cæſarodunum Turonum fortiter profugerant. Pro tanto viro ut piaculum dari nullum potuit: ita de illo ſine piaculo tacere nec debeo nec poſſum. Non annotavit vir doctiſſimus cum de Succidaneis loquitur eas *piaculares* dictas, quod Plautus monet [2]:

*Men' piacularem fieri ob ſtultitiam tuam,*
*Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum?*

*Piacularia* Auſpicia [3], id eſt, Sacrificia appellabant, antiqua loquendi conſuetudine, cum aut hoſtia effugiſſet, aut percuſſa mugitum dediſſet, aut in aliam quam oportebat corporis partem decidiſſet, aut eſſet reluctata [4]: tum enim ſuccidanea opus erat.

De victimarum probatione quæ vino fiebat nonnihil attigimus. Hic quoque notandum vitulos ad aras hominis humeris allatos, non fere litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia Deos placari, nec ſe trahente ab Aris [5], vel τῷ κολϐρῷ quæ nullam caudam aut mutilam haberet. Ariſtophanes [6]:

Δι. Ἀλλ' ὐδὲ θύσιμός ἐστιν αὕτη. Με. Σαμάν.
Πῶς ὐχὶ θύσιμός ἐστι; ΔΙ. κέρκον ὐκ ἔχει.

D. *At ſacrificari iſthæc nequit.* M. *Qui dum nequit*
*Sacrificari? cedo.* D. *Quia caudam non habet.*

Scholiaſtes: *τὰ γὰρ κόλϐρα ἐν ταῖς ἱερϐργίαις ὐ θύεται, καὶ καθόλου ὅπερ ἂν ᾖ μὴ τέλεον καὶ ὑγιὲς, ὐ θύεται τοῖς θεοῖς.* Pura præterea victima afferri debuit. Nam in illarum ætatibus obſervatum, ut ſuis fœtus Sacrificio die quinto purus eſſet: pecoris die octavo: bovis triceſimo [7]. At Ruminales hoſtias donec Bidentes fuiſſent Corruncanius puras negat. Suis tamen fœtus Varroni [8], a partu, decimo die habetur purus, ab eoque appellantur ab Antiquis *Porci ſacres & ſinceri* [9], quod tum ad Sacrificia idonei dicuntur primum.

Catulos lactantes adeo puros æſtimabant ad cibum, ut etiam placandis numinibus hoſtiarum vice his uterentur [10]. Genito mane catulo res divina fit, & in cœna Deum etiamnum ponitur Catulina. At Gallinæ ad rem divinam luteo, roſtro, pedibuſque puræ non videbantur [11].

Hoſtiæ puræ ſeu perfectæ duorum generum fuerunt. Unæ in quibus voluntas Deorum per exta exquirebatur. Aliæ quibus ſola anima Diis ſacrabatur, quas *animales hoſtias* Aruſpices dicebant. Atque hæ immolabantur tantum, & caro Sacerdotibus proficiebat [12]. Ex perfectis eligi debuerunt eximiæ, hinc Virgilio *lectæ de more Bidentes* [13]. Qua in re a Briſſonio viro eximio diſſentio, quia *eximios* boves tantum dictos ſcribit, oves vero *lectas*. Nam *eximium* inde dictum eſt, quod in Sacrificiis optimum pecus e grege eximeretur [14]: quod Veranius in *Pontificalibus* docet [15]. Oves *eximiæ*, boves *opimi* potius dicebantur, ut ovis *major hoſtia*, taurus *maxima*. Inter hoſtias eximias præſtantiores, ὑπεροχαὶ, quas *Regia Animalia* appellabant [16], Epiſtola Aureliani Imperatoris: *Inſpiciantur libri, quæ facienda fuerint, celebrentur, quælibet anima-*



a 27. 5. 1 Serv. in ſchedis. 2 In Epidico. 3 Feſtus in verb. piacularia. 4 Junius Philagrius lib. 2. Georgic. 5 Plin. lib. 8. cap. 42. 6 In Acharnenſib. 7 Plin lib. 8. cap. 51. 8 lib. 2. de re ruſtic. cap. 4. 9 Plautus in Menech. 10 Plin. lib. 29. cap. 4. 11 Plin. lib. 10 cap. 56. 12 Serv. 3. & 4. Æneid Macrob. lib. 3. ſat. cap. 5. 13 6. Æneid. 14 Feſtus in verb. eximium. 15 Macrob. 3. ſat. cap. 5. 16 Vopiſcus in Aurelian.

*lia regia non abnuo*. Vir doctiſſimus, cujus libros non minore cura inſpicio, quam olim xv. viri Sibyllinos, *regia animalia* intelligit, quæ neceſſaria eſſent ad Sacrificium pro regis ſalute faciendum aut Reip. Mallem *regia animalia* pro his accipere quæ magno ſumptu & difficile comparantur, quales Horatius [1] *Sumptuoſas* dixit, vel Tacitus [2], *cæſas victimas regium in minorem*. Ut *Baſilica facinora* Plauto [3], facta ſunt egregia & magnifica. Et *Regalia exta* vocantur [4], quæ petentibus inſperatum honorem pollicentur, privatis & humilioribus bonam fortunam. Ut *Regales Dii* dicti ſunt [5], qui Græcis γενέθλιοι ϗ βασίλειοι θεοί [6]. Quos Petri Puteani monitu agnoſco, Regum proprios, & principes Deos.

## CAP. XXI.

*Hoſtias augere. Cum capite & lituo ſacrificare. Maniliæ venales leges de victimis. Unde in Sacrificiorum ſumptus pecunia erogaretur.*

SACRIFICIO non litante, priuſquam ad ſuccidaneas devenirent, augeri hoſtias imperabant [7]. Potiore admodum jure, cum beatus Felix capite plecteretur, & obvius quidam Chriſtianus, qui ſe talem profeſſus eſt, pariter morte affectus eſſet, hujus nomen ignorantes Chriſtiani, eum *Adauctum* appellarunt [8]. Quid vero ſit *hoſtias cum capite & lituo cædere* apud Livium [9] in oratione Publii Decii Muris, illud ex veteribus nummis Cn. Piſonis intelligetur.




Sed ut de hoſtiarum emptione nonnihil afferamus, qui Manilii actiones ſequebantur Lanii, qui ad cultrum bovem emebant, & qui ad altaria hoſtiæ ſanitatem non ſolebant ſtipulari [10]. Maniliæ enim leges venalium fuerunt, quæ in hoſtiis locum non habuerunt, quas emptor averſione emebat [11]. Quod de privatis emptoribus accipiendum eſt: nam publicæ victimæ non ſolum ſaginabantur ad Sacrificium & legebantur, ſed magno ſumptu ornabantur auro, ut quo charius, eo gratius Sacrificium Diis crederetur. Deorum enim honori excogitatum ut auratis cornibus majores dumtaxat immolarentur [12]. Inſcriptionem veterem adduximus, in qua,

..BOVE. AVRATO. VOVIMVS. ESSE. FVTVR
..AVRATA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM

Unde hi ſumptus peterentur, quærendum eſt, cum illud ad Pontifices noſtros rejecerit Numa [13]. Hoc quærendum omiſſis diebus & templis, ad quæ ſacra fierent: quod a Varrone, Ovidio, & Kalendario vetere explicatur. Certum eſt in Sacris publicis ex Aerario quantumque Senatus cenſuiſſet impendi [14]. Sub Imperatoribus a Præfecto Ærarii Imperatoris literis pecunia decernebatur [15]. Sed ut Numæ temporibus inops Reſpub. magnos ſumptus ferre non poterat, Sacrorumque multitudo, apparatus & ſumptus cum ipſa Rep. creverunt in immenſum: tradit Sinnius Capito [16], cum civis necaretur, inſtitutum fuiſſe ut Semoniæ res ſacra fieret, vervece, bidente, patrimoniumque cui delibatum eſſet, fieret Sacrum [17]. Ab eo ſacrificia dicta *ſupplicia* Salluſtio [18]: *In ſuppliciis Deorum magnifici, domi parci*. Varro [19]: *Ad victimas farciunt atque ad Deorum ſervant ſupplicia*. Notum eſt ex eodem Varrone [20] pecuniam vocari *Sacramentum*, quod ſignificat æs, quod in litibus pœnæ nomine pendebatur. In judiciis enim qui petebat & qui inficiabatur, uterque quingentos æris ad Pontificem deponebant [21]. Sic emendat Varronem P. Pithœus [22] popularis meus literarum ſtabilitati ſine æmulo genitus: quem olim ſtudiorum meorum inſtigatorem, ut Franciſcum fratrem hodie probatorem veneror, utrumque doctrinæ & amicitiæ gloria excellentem. Vulgata quidem Varronis lectio abſurda eſt, quæ habet *ad Pontem*. Hæc pecunia propter Ærarii inopiam & Sacrorum publicorum multitudinem, in rebus divinis conſumebatur: ſi deceſſet, ex conſecratis damnatorum bonis cogebatur, quæ poſſeſſiones ſacræ dictæ ſunt, quarum reditus Sacrificiis inſerviebat [23], ἱερὰ κτήματα ἐξ ὧν αἱ θυσίαι αὐτοῖς ἐγίγνοντο, quandoque pecunia ad Sacra publica præſtabatur a privatis qui Ærarium ſublevabant. Roma:

DECRETVM
ÆDICVLAM. ET. STATVAS. HAS. HOS
TIAM. DEDICATIONI. VICTIMAE. NATA
LI. AVG. VIII. KAL. OCTOB. DVÆ. QVÆ
PP. IMMOLARI. CONSVETAE. SVNT. AD
ARAM. QVÆ. NVMINI. AVG. DEDICATA
EST. VIIII. KAL. OCT. IMMOLETVR. ITEM
NATALI. TIBERI. CAES. PERPET. ACTV
RI. DECVRIONES. ET. POP. CENET
QVAM. IMPENSAM. C. CASCELLIO. LA
BEONI. IN. PERPET. POLLICENTI. GRA
TIAE. AGANTVR. MVNIFICENTIÆ
EIVS

Nerva Imperator, cum eſſet ea Sacrorum multitudo, ut maximam Ærarii partem exhauriret, multa ſuſtulit, quo ſumptus hujuſmodi minuerentur [24].

## CAP. XXII.

*De conſecratione & illius ritu.*

CONSECRATIONEM hic intelligo Idolorum ἐμψύχωσιν, qua rei inanimæ divinam infundi naturam poteſtatemque credebant. Alia fuit conſecratio quæ eſt bonorum, quæ hoſtium fuiſſent, vel civis damnati, ademptio, quorum fundi, pecunia, familia, Deo alicui dicabatur. Ut *Sacrum* & *execrandum* dictum eſt, quia

1 lib. 3. Carm. od. 23. 2 lib. 2. hiſtoriar. 3 In Trinumm. 4 Feſtus in verb. Regalia. 5 Juſtinus lib. 12. 6 Plutarch. in Alexand. 7 Sueton. in Auguſt. cap. 96. 8 Martyrolog. 30. Auguſt. 9 lib. 10. 10 Varro lib. 2. de re ruſtic. cap. 5. 11 Cicer. lib. 1. de orator. 12 Plin. lib. 33. cap. 3. 13 Livius lib. 1. 14 Livius lib. 31. 15 Vopiſcus in Aurelian. 16 Feſtus in verb. ſupplicia. 17 Servius 1. Æneid. 18 In Catilin. 19 lib. 2. de re ruſt. cap. 6. 20 lib. 4. de ling. lat. 21 Feſtus in verb. ſacramentum. 22 lib. 1. adverſ. cap. 18. 23 Dionyſ. lib. 3. a 228. 8. 24 Xiphilin. in Nerva.

A facræ res de bonis execrandorum fiebant[1]. Hæ fuerunt possessiones sacræ, ex quibus sumptus ad Sacra parabantur. Varias Consecrationis species hoc loco enumerare inutile non erit, ut Pontificalem hac in re observationem dignoscamus. Consecratio omnis aut ad honorem pertinet aut ad contumeliam, utraque aut ad res aut ad personas refertur. Quæ honoris fuit, homines respicit aut Deos; ex hominibus Sacerdotes, Principes, aut privatos. In Deos relatio Ἀποθέωσις Principum erat; *Inauguratio* Sacerdotum: *Devotio* Privatorum. Quæ Deorum fuit, illa in statuis & imaginibus perficiebatur, καθίδρυσις, ἐγκαινισμός. Ad res spectat mobilium, immobilium, aut moventium dedicatio, B καθιέρωσις. Consecratio quæ contumeliam adferebat, rerum etiam est aut hominum, qui in leges peccaverant. Quæ rerum ἱερὰ, hominum βλασφημία. De inauguratione, devotione, imaginibus & statuis Deorum, dedicatione, animalium conseratione hactenus agebamus. Principum in Deos relationem ad librum de funeribus rejicimus.

De consecrationis Idolorum ritu breviter annotamus, quæ ex Christianis authoribus selegimus. Profani Sacramenti signum erat Θεὸς ἐκπέτρας[2]. Lapidem enim vel lignum aliusque materiæ simulachrum ritu & solemnibus verbis Deum fieri crede- C bant. Itaque consecratum vulgus orare & publice colere non dubitabat, tanquam in ligno aut lapide præsentis numinis vis adesset. Simulachrum dum funditur, fabricatur, sculpitur, nondum Deus est[3]. Plumbatur, consternitur, erigitur, nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur & postremo Deus erat, cum homo voluisset aut dedicasset. Tria ergo in lapide requirebantur ut in Deum evaderet, ornatus, consecratio, oratio. Primum enim adornabant Idolum varia supellectile & pretiosa, quæ imperitæ multitudinis animos obumbraret: sic exornatum & depexum Idolum D consecrabatur. Apud Rom. nil fuit tam sollemne quam dies consecrationis[4]. Verba sollemnia cum Idolorum vanitate perierunt, si quæ fuerunt illa, quæ forte nulla, ut ex Principum consecratione colligi potest, in qua nulla verborum conceptio sollemnis.

In Isidis Sacris narrat Firmicus illius simulachrum in lectica poni solere. Et cum populus per numeros digestis fletibus esset lamentatus, hymnos cecinisset, & ficta se lamentatione satiasset, jacentis statuæ membra componebantur, saxumque cor- E rigebatur. (Corrigo hanc Firmici lectionem ex Minutio, & lego *saxumque erigebatur, ornabatur*.) Tum Pontifex omnium qui flebant fauces ungebat, quibus perunctis hoc lento murmure insusurrabat, *Confidite initiati Sacris numinis servatoris: est enim nobis ex labore salus*. Orationes deinde fundebantur ex libris Sacerdotum pop. Romani, quæ cum libris ipsis evanuerunt.

Consecratio ad contumeliam ad hostes extenditur, vel ad cives. De hostibus vulgatum est, quo modo P. Scipio Africanus veterem Carthaginem de consilii sententia consecravit, ut ipse locus vestigia calamitatis ostenderet[5]. Agros ex hostibus captos sic etiam Diis dedicabant. Hujus consecra- F tionis ritum conjicere possumus, ex ea, quæ in civis damnati bonis servabatur. Hæc a Tribuno pleb. fiebat capite velato[6], advocata concione, foculo posito pro Rostris, Pontifice verba præeunte[7], adhibito tibicine, qui cum Tribuno obtestaretur, Tribunusque preces & prisca verba efferebat, bonaque Deo alicui Deæve addicebat. Atque hoc est quod M. Tullius[8] *Sacrosanctum fieri* dicit aut genere ipso, aut obtestatione & consecratione legis aut pœnæ. *Obtestatio* hic pro *detestatione* accipitur, a qua tamen Festus[9] eam differre putavit. Quæ a Tribuno pleb. fiebat, si concionanti illi apud populum contradiceret aliquis, aut dicentem interpellaret. Tum enim si multam dixisset, & damnatus solvendo non esset, illius bona consecrabantur[10], τὰ χρήματα αὐτῦ ἱερὰ. Quare cum Rutilius Tribunuspleb. avocatam a se concionem a Censoribus quereretur, & in ordinem se coactum: postero die Tib. Gracchi Censoris bona consecravit[11], quod eum multa pignoribusque ejus, qui Tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem coegisset. Hanc tamen consecrationem sine populi jussu fieri non potuisse M. Tullius adfirmavit, & obtinuit ex Lege Papyria Tribunitia, quæ ad omnem omnino consecrationem extendebatur. Senatus tamen fracta Repub. cum C. Lectorius adolescens Patritii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut Aedituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, peteretque donari quasi proprio suo & peculiari Deo, decrevit, ut ea pars domus consecraretur, quæ consecratio a Tribunopleb sollemni ritu peracta est[12].

Hominum consecratio, sive potius execratio, *devotio* etiam dicta est; *Devovescunt*, ἐβλασφήμησαν, κατηράσαντο[13], quæ non ad privatos solum vel hostes, sed ad impios quoque Imperatores porrecta. Maximinus cum filio Diis inferis a Senatu devotus est, postquam a Senatu hostis primum esset judicatus[14]. Hostes enim diris insequi mos fuit, ex lege Sacrorum, illisque, repetitis execrationibus, mala imprecari. *Detestatio* illa ἀρὰ ἡ κατάρα, & *devoti* καταρώμενοι[15], qui alii erant a καθωσιωμένοις, hi enim donis ac frugibus a multitudine virorum mulierumque onerabantur: illi probris & conviciis detestabiles & execrandi erant[16], quos nec ad sacra nec ad libamina, nec ad larem domesticum quocumque pervenissent admittere cuiquam fas erat justo & pio[17].

---

## CAP. XXIII.

*De Epulis; De Jovis Epulo aliorumque Deorum, Decima. Herculi Pollucere.*

PERACTO Sacrificio cœna semper parabatur, & ad exta familiares aut convivas sibi quærebant[18]. Hos Idolis immolatos cibos execrati Christiani, profanam cœnam appellarunt[19], & cœnasse in Idolio[20] arguebant eos, qui his epulis interfuissent. Habuere quoque Dii Gentium suas epulas sollemni die & festas dapes[21]. Celebratiores fuerunt Jovis aut Herculis. Jovis non alibi quam in Capitolio, cum in Sacrificiis sollemnibus non dies magis stati, quam loci sunt, in quibus fiant. Illo epulo, quod εὐωχία, εὐφρασία, Jupiter in lectulum, Juno, Minervaque in sellas in Capitolio invitabantur[22], & populo denuntiabatur a Sacerdotibus pridie quam celebraretur[23]. Epuli Deorum locus, *cœnatio Jovis* vocabatur[24], ubi scilicet Jovi ipsi cœna apponeretur, ad quam Triumviri Epulones instituti, qui illud Sacrificium face-



1 Serv. 1. Æneid. 2 Jul. Firmic. de error. profan. relig. c. 21. 3 Minu. Felix. in Octavio. 4 Servius. 8. Æneid. 5 Cic pro dom. sua. 6 Cic. eod. 7 Dio lib. 57. 8 pro Corn. Balb. 9 In verb. obtestatio. 10 Dionys. lib. 7. 11 Livius lib 43. 12 Sueton. in August. c. 5. 13 Gl. vet 14 Capitolin. in Gordian. 15 Lexic. Græco-lat. 16 Livius li. 7. 17 Dionys. li. 8. 18 Plautus in milite, in Pœnulo, in Rudente. 19 Martyrol. 4. Sept. 20 Concilium Ancyran. can. 4. & 6. 21 Agel. lib. 12. c. 8. 22 Val. Maximus lib. 2. c. 1. 23 Arnob. lib. 7. 24 Capitolin. in Pertinace.

rent epulare [1]. Nomen enim illi fortiti ſunt, ab eo quod epulas indicendi Jovi cæteriſque Diis poteſtatem haberent. Idibus Novembris Epulum indictum notamus in Kalendario vetere Rom. quod Jovis Epulum fuit ex Kalendario ruſtico, in quo menſe Septembri legitur *Epulum Minervæ*. Hac de re Dionyſius [2]: Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς, ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς, ἐν κανίσι καὶ πινακίσκοις κεραμίοις ἀλφίτων μάζας, καὶ πόπανα, καὶ ζέας, καὶ καρπῶν τινῶν ἀπαρχὰς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτὰ, καὶ εὐδάπανα, καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα. Καὶ σπονδὰς εἶδον ἐγκεκραμένας οὐκ ἐν ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς ἄγγεσιν, ἀλλ' ἐν ὀστρακίναις κυλίσκαις καὶ προχόοις, καὶ πάνυ ἠγάσθην τῶν ἀνδρῶν, ὅτι διαμένουσιν ἐν τοῖς πατρίοις ἔθεσιν, οὐδὲν ἐξαλλάττοντες τῶν ἀρχαίων ἱερῶν εἰς τὴν ἀλαζόνα πολυτέλειαν. *Ipſe ſpectavi in ſacris ædibus cœnas Diis appoſitas in menſis ligneis antiqui operis, pultemque in caniſtris & fictilibus quadrulis, liba item & far, fructuumque quorundam primitias & alia hujuſmodi tenuia paratuque facilia, & omnis inertiæ expertia. Libationes etiam vidi non argenteis aureiſque infuſas vaſis, ſed culignis & guturniis teſtaceis: Multum delectatus hominum in ritu patrio conſtantia, nihil ex antiquis ſacris in inſolentem luxum demutantium*. Aliquando Jovi epulum conſtitutum eſt ludorum cauſa [3]. Cumque ſollemni die epulum illud libaretur, Senatus in Capitolio epulabatur, quod jus epulandi ſervavit Auguſtus Senatoribus, Orcinis ut ſpectandi in Orcheſtra [4].

Nobilius fuit Herculis epulum de quo Nævius in Colace [5], *qui decumas partes, quantum alieni fuit, polluxit, Tibi a publicando epulo Herculis decumas*: Ex authorum fragmentis raro recta lectio ſervari poteſt, ut ſine piaculo emendari. Lego tamen, *Qui decumas partes quantum alieni fuit, polluxit, Tibia publicando epulo, Herculi decumat*. Nam hujuſmodi epulum tibia publicabatur, ut Jovis; & Tibicen in omnibus ſacris ſupplicationibus, epulis [6]. Hæc ne cui ex noſtris otioſa videantur, meminerit ille verborum Ulpiani [7] Juriſconſulti: *Si Decimam quis bonorum vovit, decima non prius eſſe in bonis deſinit, quam fuerit ſeparata. Etſi forte qui decimam vovit, deceſſerit ante ſepoſitionem, heres ipſius hereditario nomine Decimæ obſtrictus eſt. Voti enim obligationem ad heredem tranſire conſtat*. Hæc verba *ante ſepoſitionem deceſſerit* ex Nevio interpretor, *Si prius mortuus fuerit, quam tibia publicando epulo Herculi decumaſſet*. Hanc poetæ veteris emendationem, ex veteri meo Codice facio, ne quis me tibia vel pipulo differat. Herculi autem votivum epulum tanto ſumptu fiebat, ut Herculanarum Decimarum & polluctorum impenſas tabularii ſupputarent [8]. Hinc Plauto [9] *Pollucibiliter opſonare eſt* omnem rem intempeſtivis conviviis deperdere.

Pollucendi morem vetuſtiſſimum arguit lex Numæ [10], qui conſtituit ut *Piſces qui ſquamoſi non eſſent, ni pellucerent*. Ut omnia convivia publica & privata, cœnæque ad pulvinaria facilius compararentur. Vulgata Plinii lectio habet *ni pollucerent patrimonia, Commentus & convivia publica*, &c. Hermolaus Barbarus vir humaniſſimus in omni literatura, legendum arbitratur, partim ex conjectura, *Numa conſtituit ut piſces qui ſquammoſi non eſſent, ni pollincerent patrimonia*, ut ſenſus verborum ſit: Nummam inſtituiſſe, ne piſces qui ſquamoſi non eſſent emerentur ad pollinctum, a patrimoniis, patrefamilias defuncto. Verborum vicinitate deceptus vir doctiſſimus, id ſomniavit quod longe abeſt a vero. Felicius Scaliger [11]: *Piſces qui ſquammoſi non eſſent, ni pollucerent, Parſimonia commentus uti convivia*, &c.

Neque Herculi ſolum cui omnia eſculenta & poculenta, ſed & cæteris Diis veteres pollucere ſolebant, ut Jovi Dapali, Agricolæ [12]. Nam *pollucere dapem*, eſt ſine contagione illam profanare, id eſt, ſacro eximere & populo exponere. Mercurio pollucebant mercatores [13]. Frequentius tamen omnes Herculi. Jocus Plauti [14]:

*Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre: decumam partem ei dedit, ſibi novem abſtulit*.

Quærebat ſervus quantum auri filius reddiderat ſuo patri. Iidem [15]:

*Dum quidem hercle quiſque veniat cum vino ſuo.*
*Nam hinc quidem*
*Hodie polluctura, præter nos; jactura dabitur nemini*.

*Polluc̄turam* partem Herculanam vocat [16], quam Budæus de ferali cœna fruſtra interpretatur. Nihil enim Libitinariis commercii fuit in Comœdia, nihil in Stichi convivio, in quo omnia vino hilariore agebantur. *Pollučtum* reponendum eſt apud Varronem [17], ubi male ſcriptum eſt, *Profanum quod in ſacrario pollutum, atque inde Herculi decuma data ab eo eſt, quod ſacrificio quodam fanatur*. Retinendum in Plauto [18]:

*Non ego ſum polluc̄ta pago, potin' ut me abſtineas manum?*

Nec abſtinuit manum Lipſius [19], quamvis ſit pura lectio quæ non debuit attrectari. Duriuſcula illi videtur, quæ minus ab eo intellecta. Corrigit ille: *Non ego ſum polluta potin' apage me abſtineas manum*. At magis apage dico, cum ad confirmationem emendationis, locum alterum Plauti illatum video de Adelphaſio, quæ pura ſacrificatum ire occœperat. In noſtra enim lectione cum mulier ad Veneris Sacerdotem portaret aquam, occurrit ſervus qui ludos faceret, cui illa, *Non ego ſum polluc̄ta pago*, non ſum ego ſcortum pagi publicum, vel tanquam daps profanata omnibus expoſita, ut ſentit Scaliger, aut publicæ libidinis victima, ut Tertullianus. Quod & Turnebus probat [20], a quibus non temere Lipſius debuit diſſentire. Sed cadunt omnes, cecidi ego, cadet qui ſequitur: neque Herculi decimam quiſquam vovit unquam, ut magnarum artium ſcientiam atque explorationem perfectam habere poſſet. Quin ipſum Plautum, quem tantopere miror, cum aliis in hoc verbo cecidiſſe dubito. Ille enim in fine Comœdiæ [21]:

*Spectatores vos quoque ad cœnam vocem*
*Ni daturus nihil ſum, neque ſit quicquam pollučti domi.*

Mallem tamen illum improprie locutum, & ex uſu theatri. Nam polluctum omne in fano conſumebatur. Depilatas Deo decumas dicunt Græci; Συλήσας τοῖς Θεοῖς τὰς δεκάτας [22].

## CAP. XXIV.

*De Vaſis, Inſtrumentis, Inſignibus, cæteraque Sacrorum ſupellectile.*

VASA colligenda ſunt nobis, ſed ſupellex prius eluenda quam concludatur, quæ habet aliquod antiquitatis inſtrumentum. Nihil ex illa deperdetur, vaſa enim ſacra literis notata ſunt & facile dignoſci poſſunt: Plautus noſter [23] de urna Veneris:

1 Cic. 3. de Orator. 2 lib. 2. 3 Liv. lib. 31. & 32. 4 Sueton. in Auguſt. c. 35. 5 Apud Priſcianum lib. 9. 6 Cenſorinus c. 12. 7 lib. 2. §. ſi decimam. D. de pollicit. 8 Tertullian. in Apologet. c. 39. 9 In Moſtellar. 10 Plin. lib. 32. cap. 2. 11 Apud Feſtum in verb. Pollucere. 12 Cato de re ruſtic. c. 132. 13 Plaut. in Amphitruon. & in Bacchidib. 14 In Bacchid. 15 In Sticho. 16 l. quicumque D. de inſt. act. 17 lib. 5. de ling. lat. 18 In Rudente. 19 lib. 2. antiq. lect. ca. 3. 20 lib. 11. adverſ. c. 7. 21. In Rudente. 22 Priſcian lib. 18. 23 In Rudente.

*Hæc literata eſt, abs ſe cantat cuja ſit.*

Atque ut primum thus locum obtinet in Sacrificiis, ſic in ſupellectile thuribulum ſive acerra, *λιβανωτρὶς*, *acceptuaria* in Gloſſis male, reſtituit Scaliger, *Acerra thuraria*.

Natali ſuo ſcribit Martialis ſeptimam ſe focis acerram addidiſſe & quinquageſima liba. Hoc quinquageſimum Sacrificium recte interpretati ſunt, quo numerus annorum deſignatur. Sed acerram ſeptimam, quæ paulo calidior erat, non attigerunt. Ex Poetæ verbis mens tamen aperta eſt:

*Natales mihi Martiæ Kalendæ* [1].
*Quinquageſima liba, ſeptimamque*
*Veſtris addimus hanc focis acerram.*
*His vos, ſi tamen expedit roganti,*
*Annos addite ter precor novenos,*
*Poſt hæc tempora, nec diem rogabo.*

Innuit poeta ſe ſepties ſeptem ætatis annos attigiſſe, quem perfectiorem numerum veteres exiſtimarunt [2], optat ille ad perfectiſſimum pervenire. Ter noveni etenim anni quinquaginta additi undecies ſeptem faciunt. Septimo quoque anno ſolebant vitæ ſibi ſpatium a Diis deprecari, ut ex libris fatalibus Varro docet [3], qui ætatem hominis duodecim hebdomadibus deſcribi commemorat, quæ duo ad decies ſeptenos annos poſſet fatalia deprecando rebus divinis proferri. Ab anno autem octuageſimo nec poſtulari debere nec poſſe ab Diis impetrari.

Alias jam ſupellectilis ſpecies explicemus. *Pateram, Patellam, Anclabrim, Armillum, Atanuvium, Calices, Præfericulum, Subſiles* vel *Ipſiles, Capital, Malluvium latum, Culticulam*. Quæ omnia a Feſto explicantur. *Aquiminale χερνίβιον* vel *Aquimanile* [4]: *Lepiſta* genus vaſis aquarii: *Guttus, Gutturnium, Vas Vinarium*, quo vinum dabant, ut minutatim funderent, & quo ſumebant minutatim; *Simpuvium* vel *Simpulum* in Sacris remanſit, ut *Capedines, Hydriæ, Crateres* [5], *Canthari* [6], *Scyphi, Briæ* [7], *extaris Olla* [8], vas futile quod erat lato ore, fundo anguſto, quo utebantur in Sacris Veſtæ, quia aqua ad Sacra Veſtæ hauſta in terram non ponebatur [9], quod ſi fieret, piaculum committebatur. Unde excogitatum vas quod ſtare non poſſet, ſed poſitum ſtatim effunderetur. Quod ex Lactantio [10] Grammatico Scaliger in Feſtum annotavit. *Capis*, cujus diminutivum eſt *Capidula*, vaſis genus Pontificalis [11], a quo *Capedines* & *Capedunculæ*. Cotta apud M. Tullium [12], *Docebo*, inquit, *meliora me didiciſſe, de colendis Diis immortalibus, Jure Pontificio & majorum more, capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quam rationibus Stoicorum*. Cujus oratiunculæ apud Nonium [13] fragmenta reſtant: *Oratio extat Lælii*, inquit, *quam Simpuvia Diis immortalibus grata ſunt, Samiæque, ut hic ſcribit, capedines*. Fictiles erant illæ ex Bachidibus Plauti [14]:

CH. *Eho an inveniſti Bachiden?* P. *Samiam quidem.*
CH. *Vide quæſo, ne quis tractet indiligens.*
*Scis tu ut confringi vas cito Samium ſolet.*

*Fictas urnulas* vocat Tullius [15]. *Irnula* Feſto genus vaſis in Sacris, quæ cum aſpiratione ſcribi debet, ab Hirnea fictili [16]. *Canephoræ* dicebantur queis Sacra repoſita in capitibus ſuſtinebant [17]. Menſæ Delphicæ in templis [18] & Panniceæ, quæ cum Aris conſecrabantur, eo die quo templa ipſa. Menſa in ſacris convelli dicitur, cum tollitur [19].

Domus erat nulla paulo locupletior, in qua Sacrorum vaſa non eſſent, quibus ad rem divinam uterentur, quæ omnia antiquo opere & ſummo artificio facta. Quare cum Heri avaritiam ſervus improbaret [20]:

*Quin etiam*, inquit, *ut magis noſcas, Genio ubi*
*ſuo quando ſacrificat,*
*Ad rem divinam, quibus opus eſt, Samiis vaſis*
*utitur.*


Quare cum Auream ſupellectilem Tiberius interdiceret, quæ ad rem divinam parata erat, edicto illam noluit contineri [21].

Non ita inſtructa humiliorum ſupellex Sacrorum fuit, quam invicem ſibi commodabant. Dæmones Plauti [22]:

—— *Si qui ſacrificant, ſemper petunt,*
*Aquam hinc, aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum, aut veru,*
*Aut ollam extarem, aut aliquid: quid verbis opus eſt?*
*Veneri paravi vaſa, & puteum, non mihi.*

Omnem hanc ſupellectilem templorum ſtragulis involvamus, de quibus Plinius [23]: *In Orchomeno tota arva ſubruunt Talpæ, quarum e pellibus cubicularia vidimus ſtragula. Adeo nec religio quidem a portentis ſummovet delitias.*

Cætera ſupellex Sacrorum ad Pontifices pertinet, quorum fuerunt *Acceres, ἀξίνη ἱεροφάντων* [24], *Dolabra* vel ſecuris, *Seceſpita*. Mallei enim cultrique, Popæ fuerunt & victimarii, ut Clunaculum, quo carnes hoſtiarum dividebant, a Clunibus illarum parte potiore. *Aſperſorium* quo populus luſtrabatur, *Aquiminarium* vel *Amula*, Αρδάνιον Heſychio vas luſtrale deportandæ aquæ, religionis expiationiſque ergo deputatum. *Diſci* in quibus exta hoſtiarum recipiebantur & exportabantur, *Magmentarium*, in quo Proſiciæ referebantur, *ἐφ᾽ ὃ τὰ σπλάγχνα τιθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται*. Infulæ hoſtiarum, *στέμματα* aliam ſupellectilis partem conſtituunt, ut Tenſæ, aliaque vehicula vel fercula. Tympana Sacra quæ Baccho & Cybele dicata. Inſignia Pontificum in nummis Lepidi & Auguſti hæc vulgaria fuerunt:




Pervenerat librarius ad *ἐσχατοχωλικὸν*, ecce monitor quidam ex Ardelionum natione, qui multa agendo nihil agunt, percurrit raptim unam aut alteram librorum paginam, exclamatque illico: o hominem audacem & impurum! qui cum aperto Marte Regiam poteſtatem evertere non poſſit, ſubdole illam cuniculis tentat oppugnare. Abripit folium, aufugit, minatur. Continuo accurrit ad me librarius, atque ille commotior: *libri tui ab antiquis obſervantur, qui multa in pejorem partem interpretantur*. Itane vero? inquam, augebunt forte illi in-

1 Martial. lib. 10. epigr. 24. 2 Macrob. lib. 1. in Somn. 3 Cenſor. c. 14. 4 lib. 2. D. de ſupellect. leg. 5 Cic. act. 9. in Verrem. 6 Apul. 5. Metamorph. 7 Arnob. lib. 7. 8 Plautus in Rudente. 9 Servius 11. Æneid. 10 lib. 8. Thebaid. 11 Priſcian. lib. 6. 12 lib. 3. de natur. deor. 13 In verb. Samium. 14 Plautus in Bacchidib. 15 In Paradox. 16 Cato de re ruſt. c. 81. 17 Cic. act. 9. in Verrem. 18 Cic. eod. 19 Serv. 8. & 11. Æneid. 20 Plautus in Captiv. 21 Dio lib. 57. 22 In Rudente. 23 lib. 8. c. 58. 24. Gloſſ. vet.

duftriam, laceffitus enim bonus animus ipfo vulnere vires affumit:

*Et difficulter continetur fpiritus,*
*Integritatis qui finceræ confcius*
*A noxiorum premitur infolentia.*

Sed ecquid reprehendunt quod animadverfione dignum exiftiment? Tum ille: *Ut eft audacia! dictum inveniunt, aliquam caufam, quamobrem geftiant fcripta exiftimationemque dilacerare: Advertunt graviter quæ non cenfeas. Nam cum fcripferis in bonorum civilium enumeratione Pontificis max. dignitatem primum locum obtinere, illudque Julii & Augufti Cæfarum nummis comprobaris: id ajunt illi improbe factum, teque in Julias majeftatis leges aliquatenus incidiffe contendunt.* Saltem, inquam ridens, effugi Corneliam de falfis, cum nummi authoritate publica a Triumviris percuffi fint. *At vero*, inquit ille, *cavendum tibi eft, ne ifti percutiant animum: etenim nefcio quid fallaciæ meditantur.* Cui ego: faciant, fingant, inveniant, efficiant qui mihi contumeliam inferre conantur, id agam vero ferio, ut in illos gravior illa recidat. Adeone hominem ignarum aut infelicem quemquam, adeone ignavum & ferum, fi pudor paululum adeft, ut alienum laborem ultro carpere, nullo judicio, mala mente, animo infrunito audeat? Tantane vecordia innata cuiquam, ut impudentiffimam iftius orationem audiat? Errantis imperitiam fatius duxeram filentio fpernere, quam dementis injuriam hanc expoftulare. Sed poftera die unus item & alter ad me venit; atque: *Heus tu, conqueritur homo quifpiam quod fifcum Rom. Pontificibus conftitueris, teque Rom. Juris infcium ubique prædicat.* Nova, inquam, deintegro quæ prodit injuria rifum commovet magis. At miferum effet cum ingeniis hujufmodi hominum conflictari, qui neque literas neque antiquitatem & virtutem fciunt. Nam quid me follicitarem nebulonis imperiti amentia? Quæfivi tamen quid hominis effet qui tantas, rerum omnium ignoratione, turbas excitaret. Moncaudi gentilem dixerunt, poetæ illius famofi, quem olim Jofephus Scaliger meritis plagis oneravit. Optime, inquam: Iftius ego flagitium retundere, & redigere poffem, ut quo fe verteret, nefciret: & NIHIL FICTUM in illum componere. Sed cum hominem intra omnes infimos putem, illius ineptias negligam & afpernabor. Si dederint nobiliores alii aliquam pugnam denuo, videro quid cum illis agere debeam, quibufve coloribus ceram tingere. Lapfum me in antiquitatis cognitione eruenda nufquam diffitebor: at vero cum tranquillam vitam atque otium femper fecutus fim, in majeftatem me peccaffe, nemo homo fobrius fomniabit. Nifi ex eorum fit grege, qui nafuti fcripta aliena faftidiofe diftringunt, aut

*Qui ftultitiam naufeant*
*Et ut putentur fapere, cœlum vituperant.*

Illi fuis infomniis torqueantur: vivam meo more, & Poteftates omnes a Deo conftitutas ita colam, ut fi de illis quandoque fermo inciderit, qui nullus his in libris effe poteft, anteacta vita & fcriptis probem, me nullam unquam partem Patriæ deferuiffe, quam boni ifti qui videri volunt, multis & magnis convitiis & dolis vaftant & depopulantur. Quos porro moneo, ut quem bonum civem femper experti funt, me bonum etiam virum effe patiantur.

Colligam ipfe me, Antoni Præfes optime & ampliffime, cum domeftico Numifmatum, Lapidum & librorum inftrumento, quæ in fupellectile non funt. Vulgaria forte illa in pretio erunt non magno, cum inter forenfes literas non annumerentur, vendibilioraque fint, ait Tullius, quæ de jure civili quæruntur, quam quæ de fapientia, aut veteri & antiquata rerum cognitione. Sed tua me ratio & authoritas magnopere movit, ut multis devinctus beneficiis, Pontifices meos advocarem, obfequii erga te mei fidejuffores. Quos ita in Repub. optima & potentiffima verfatos judicabis, ut perpetua illorum opera maxime ftabiliretur illa & augeretur.

F I N I S.

# JO. ANDREÆ BOSII
## LIPSIENSIS
## DE
# PONTIFICE MAXIMO
## ROMÆ VETERIS
## *EXERCITATIO HISTORICA.*

---

*Virtute & eruditione præſtantiſſimo*

JO. ANDREÆ MATSPERGERO

Auguſtano, Artium & Philoſophiæ Magiſtro

*JO. ANDREAS BOSIUS S.D.*



Itto ad Te, præſtantiſſime amiciſſimeque MATSPERGERE, Diſſertationem noſtram de Pontifice Max. Romæ veteris, olim in Lipſienſi Academia, ut noſti, forma exercitationis ſcholaſticæ conſcriptam, Teque Defendente (ut loquimur) Procerum Academicorum examini ſubjectam; nunc vero curis ſecundis, paſſim auctam, alicubi & correctam, Tibique, ut vides, inſcriptam. Qua in re nolim te exiſtimare multorum me ſequi morem, qui fœtus ingenii ſui aliis, magis ut adipiſcantur beneficia, quam quia adepti ſunt, dedicant. Neque enim ullius lucri aut ſpe aut voto hoc facimus, ſed hac una cauſſa, ut teſtem & ipſe habeas, & tecum alii, conſuetudinis ac familiaritatis, quæ inter nos ſeſquianno integro intima ac domeſtica fuit. Cum ſingulari ingenii tui amœnitate, morumque exquiſita comitate & modeſtia, tum incredibili optima quæque diſcendi ardore ac ſtudio, laboreque indefeſſo ita cepiſti & devinxiſti me tibi, ut numquam conſuetudinis illius ſine voluptate quadam recordari poſſim. Ut taceam varia officiorum beneficiorumque genera: quæ cum plurima coram exhibuiſſes mihi, neque abſens, quæ inſignis facilitas tua eſt, omittere voluiſti. Nam cum intellexiſſes, me teneri deſiderio catalogi Bibliothecæ vere auguſtæ, quæ patriæ tuæ, quamquam alias rebus in & ab ea geſtis celeberrimæ, non parum ſplendoris ac famæ jam olim adjecit; domum redux factus non quieviſti ante, quam nactus eſſes exemplum ejus, quod ad me deſtinares. Munus præterquam quod non pœnitendo adjumento cunctis interioris ſapientiæ ac πολυμαθίας ſtudioſis eſſe poteſt, etiam raritate æſtimandum. Quam vel ex eo deprehendas licet, quod Gallorum doctiſſimus librorumque omnium helluo Philippus Labbæus in Bibliothecæ Novæ triennio abinc editæ (quam tibi quoque debemus) coronide libraria, cum pleroſque omnes Bibliothecarum Scriptorumque celebriorum catalogos recenſuerit, hujus ne verbo meminit. Quod argumento eſt, non ſolum numquam viſum, ſed nec fando quidquam de eo acceptum ſummo Viro eſſe. Neque enim omiſiſſet eum indicare Lectoribus, quod Leidenſis Bibliothecæ catalogo aliſque quos numquam oculis uſurparat, fecit. Huic itaque muneri cum non repperirem quod reponerem ἀντίδωρον dignum; &tamen aliqua ſaltem nomen meum expungendum, gratumque animum declarandum eſſe cenſerem, hanc Diſſertatiunculam, quamquam impar munus,& vere χάλκεα ἀντὶ χρυσῶν, deligere viſum eſt,cui dulciſſi-

mum nomen tuum præſcriberem. Præſertim cum ipſa viam ad te adſectaret, cui etiam ex alio capite debebatur. Nam quæ tuo ſumtu, teque in partem curarum veniente & velut obſtetricante, primum lucem adſpexerat, ſi alteri conſecraretur, verendum erat ne manum injiceres ac vindicares tibi, quod hac ratione dudum effeceras tuum. Quo magis confido fore, ut gratum acceptumque ſit tibi hoc munuſculum; quippe quod non ſolum a me profectum, ſed & ut tuum tibique debitum excipies, eoque bene comiterque habebis. Ἔρρωσο, φίλτατον κάρα, καὶ ἀπημερῶν διατέλει. Jenæ e muſæo noſtro III. Id. Septembr. A. O. R. ∞IↃↃLVI.

---

## LECTORI BENEVOLO S.



*UÆ ſit ratio inſtituti noſtri, paucis edocendus es. Ut in tanta pulcherrimarum rerum copia argumentum potiſſimum deligerem, quod ſubſeciva Diſſertatione illuſtrarem, nullo certo conſilio factum eſt, nec quod in eo plus quam in quocunque alio me præſtare poſſe crederem, ſed quia occaſio ſic tulit. Erat animus ſcholaſtica exercitatione tueri receptam de Pontificatu maximo Impp. Chriſtianorum ſententiam, quam haud pridem Vir celeberrimus, idemque Jureconſultorum noſtra ætate facile princeps in dubium vocaverat. Hoc cum fieri non poſſet, ni ſimul oſtenderetur quid fuiſſet Pontificatus maximus, quoque modo geri ſolitus; putavi rem paullo altius arceſſendam, ac in quo dignitas ea conſiſteret olim, inquirendum eſſe. Cœpi itaque penitius ſcrutari Scriptores qui de ea re expoſuerant, ut tamquam hypotheſin quæſtioni breviter præmitterem. Sed ubi tantum aliorum diligentiæ relictum vidi, mutavi conſilium, totumque argumentum illud aliquanto latius proſequi conſtitui reſervatis peculiari Diſſertationi (id enim poſtulabat modus exercitationis Academicæ) quæ de Pontificatu Imperatorum comentari cœperam. Quæ quidem poſterior brevi lucem, Deo dante, viſura eſt: priorem vero, olim publicæ diſquiſitioni ſubjectam, nunc paſſim auctam, correctam, & interpolatam heic habes. In qua ſi nonunquam aberremus a ſcopo, quod pene neceſſum eſt in hoc genere literarum, fecerunt ante nos alii, & fortaſſe magis. Et qui poſſimus aliter in re tenebris undiquaque involuta, & ubi ſæpe conjecturis unice locus eſt? Suffecerit, ſi in pleriſque veritatem adſequuti ſumus: in cæteris ſaltem conatus noſter optimo cuique non improbabitur. Poteramus ſane plura certioraque, ſi extarent hodie, quæ ſuper hoc argumento olim Numa auctor Pontificatus ſuis* de jure Pontificum; *J. Cæſar Feneſtella, ac Varro in* Pontificalium, *hic etiam in* rerum divinarum *libris; quæ item Trebatius, Antiſtius Labeo, Attejus Capito* de religionibus; *Rutilius Geminus & Fabius Pictor* de jure Pontificio; *denique alii Veterum in ſimilibus libellis aliis, literis conſignarant. Sed Numæ libri ex SCto. combuſti ſunt, ut narrant Livius libro XL. cap. XXIX. Plinius XIII. Naturalis hiſtoriæ cap. XIII. Plutarchus in Numa cap. XL. Victor Schotti cap. III. Valerius Maximus lib. I. c. I. exemplo XII. Cæterorum ſcripta vix veſtigia ſui, eaque ſatis tenuia reliquerunt. Quæ deprehendere licet apud Auctorem de Origine Gentis Romanæ, Senecam epiſtola CVIII. Gellium I. cap. XII. & libro IV. cap. VI. Lactantium de falſa religione libro I. cap. VI. Macrobium III. Saturnalium cap. V. Feſtum in* Siſtere Fama, *Servium ad II. Æneidos, paucoſque alios. Quare non niſi e ruderibus Vetuſtatis ſparſim haurire licet, quidquid hac de re ſciri poſtet. In quo præivere quidem doctiſſimi Viri Alexander Neapolitanus libro V. Genialium dierum cap. X. ejuſque ſcholiaſtes Andr. Tiraquellus, itemque Onuphrius Panvinius II. de Repub. Romana, ac Commentario ad V. Faſtorum, & Jac. Gutherius in primo librorum de Veteri Jure Pontificio; (ut taceam eos qui aut de antiquitatibus Romanis in univerſum, aut de ſacerdotiis Romanorum expoſuere:) Sed horum quoque* doctrina *(utar verbis* πολυμαθεστάτου *D. Reineſii e*

*teris ad me exaratis* ) imperfecta, ſubinde etiam falſa eſt, dum de vetuſtate ſibi finxere, quæ nullo probato auctore nituntur. *Id quod ſubinde hac Diſſertatione oſtenſum dedimus. Horum ergo errores, inquies, tu emendaſti, defectus ſuppleviſti? Non id mihi arrogo: alterius humeris debetur hoc onus, nec noſtri illi ferundo. Notavi tamen modeſte, utque parcius laberer, monumenta veterum ipſe, quantum ejus fieri potuit, eaque lingua qua ſua quiſque exaravit, evolvi, collegi, inſpexi, contuli. Dici enim non poteſt, quantum hac in re cum alibi paſſim, tum in hoc argumento a doctiſſimis etiam Viris peccatum ſit. Verborum ornatui minimum operæ impendi, quem hoc genus tractationis vix capit. Ac ſemper ita exiſtimavi, in aliis quidem adnitendum ſedulo, ut modis omnibus exornetur ſermo: at in ſcholaſticis ac philoſophicis Diatribis, puritatis, ſimplicitatis & σαφηνείας rationem habendam unice eſſe. Nec de ordine anxie ſollicitus fui, qui in his talibus ſæpe ipſo neglectu placet. Et ejuſmodi tamen nobis ſervatus eſt, niſi plane fallor animi, qui naturæ rei ac regulis Dialecticorum non admodum diſſentaneus ſit. Diſſertationem ipſam diſpeſcui in capita, ne videar longam viam ſine intervallis conficiendam Lectori præbere; quod ſummis viris vitio verſum memini. Quare & ſingulis ſuos ſive πίνακας ſive κεφάλαια ſive ſummaria, ſeu quocunque demum nomine vocentur, Plinii, Columellæ, ac fortaſſis & Gellii exemplo, dedi: quod ea in hoc ſcriptionis genere utiliter & compendio Lectoris adjici, experiundo didici. Sunt enim ſubinde quædam advocanda per modum digreſſionis, quæ vix quæras eo loco, ubi admiſcentur. Hæc volui neſcius ne eſſes. Cætera ſupplebit favor tuus; quem ſi in re parva experiemur, audebimus deinceps ad majora & magis ſeria animum adpellere. Quorum aliqua jam adfecta habemus, brevi, quantum in noſtra manu poſitum erit, protrudenda in lucem. Bene Vale.*

---

*C. B. D.*

# DE PONTIFICE MAXIMO ROMÆ VETERIS

## CAP. I.

Pontificum *nomen latiſſimæ ſignificationis fuiſſe. Ita dictos Sacerdotes omnes primarios, etiam extra Urbem, & Italiam. Alexander ab Alexandro notatur.* Pes Pontificius. *Varia Pontificum genera recenſentur, quædam & rejiciuntur. An Imperator inter Pontifices Albanos fuerit?* Pontificienſe. Reii Apollinares. *Plinius bis correctus & illuſtratus.* Pontificium miniſterio *oppoſitum. Aliquammultæ Inſcriptiones vett. illuſtratæ & emendatæ. Scaliger & Gutherius notati. Chriſtianorum Epiſcopi dicti* Pontifices, *& Sacerdotes Judæorum. Laus D. Blondelli.* Pontificium & Pontificatus, *itemque* Pontificalis gradus, culmen, apex, &c. *pro Epiſcopatu. Quinam proprie Pontifices & unde dicti? Plutarcho lux.* Facere, *ποιεῖν*, עשה *pro offerre, ſacrificare. Lucæ II. 27. explicatur.*



RACTATURIS poſthac, quod DEUS bene vertat, de Pontifice Maximo Romanorum, ante omnia in appellationes illius inquirendum eſt; ne idem nobis contingat, quod doctiſſimo viro Alexandro ab Alexandro: qui cum de Pontifice Max. ſcriberet, nec accurate diſtingueret nomina, plura ad eum retulit quæ ad cæteros e collegio, ſæpe ad alios quoque Sacerdotes pertinebant. Pontificum nomen etſi initio paucis impoſitum, tam late deinceps patuit quam orbis Romanus cum ampliſſimus

*Tom. V.*

A eſſet. Comprehendit enim per quandam analogiam ſive *μετάδοσιν* ſacerdotes omnes, ſaltem primarios, etiam extra Romam, extra Italiam, imo extra Ethnicismum. Quanquam jam Numæ ævo paullo latius fuit, ſi verum eſt quod ſcribit Diomedes,[1] Spondæum a Numa dictum *pedem Pontificium, cum Salios juniores æquis greſſibus circulantes induceret ſpondæo mel patrios placare Indigetes.* Sed id nolim pro certo venditare, cum illud liquet, ſub Impp. varia Pontificum genera, præſertim in ſaxis veteribus, repperiri. Quorum alii a Diis denominantur, ut *Pontifices Solis* apud Gruterum magno Inſcriptionum antiquarum Opere p. CCCCXXXVIII. 1. & CIↃII. 2. *Dei Solis* p. CCCXIII. 3. *Volcani*, p. CCC-B XVIII. 8. *Dei Liberi* p. CCCLXXII. 4. *Veſtæ*[2] p. CLXXIII. 3. CCCCXXXVIII. 1. CIↃCII. 2. Alii ab Imperatoribus & domo Auguſta; ut *Pontifex perpetuus Divi Auguſti*, p. CCCXXI. 6. *Pontifex Flavialis* p. CCCLX. 4. CCCLXI. 1. CCCLXIII. 2. *Cæſarum* p. CCXXIV. 2. *Auguſtorum* p. CDXVIII. 7. *Domus Auguſtæ* p. LXVI. 3. & CI. 3. & 4. Eſt ubi res, quam curarunt, adjicitur. Sic *Pontif. ædium ſacrarum* p. CCCXIIX. 8. & (niſi quid aliud ibi latet) *Pont. ſacrorum* p. CCCXLV. 6. Aliis denique Urbium nomen additum intra vel extra Italiam ſitarum. Quales in Italia *Pontifex Laurentinorum* pagina CCCIII. 5. *Dertonæ* (non ut Scaliger[3] voluit, *Ge*-C *nuæ*: nam accurate ſaxum inſpicienti non obſcurum eſt, vocem PONTIF. ad præcedentia pertinere, ac Marium iſtum Genuæ ſolum Decurio-

1 lib. 3. p. 473. edit. Putſchii. 2 Vide infra cap. 2. §. 9. 3 In Indice Inſcrip. voce *Pontifex*.

nem & Flaminem, Dertonæ vero IIvirum, Flaminem & Pontificem fuisse) pagina cIɔxcvi. 10. *Coloniæ Sutrinæ*, [1] pagina cccv, 10. & longa series *Pontificum a Colonia Conjunc. Julia Sutrin. in Ord. relatorum* pagina cccii, 1. denique *Pontifices Albani* pagina CCLXXXV. 8. E quorum numero & Imperator aliquando fuit, si Scaligerum [2] sequimur, qui nobis *Imperatorem Pontificem Albanum* obtrusit, allegans saxum Rom. 5. pagina CCCIV. in quo sic legimus:

D. M.
CN. IVLI. CN. FIL
DOMATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

Sed malim τὸ IMPERATORIS ad præcedentia referre, ut *Domatius* iste (hoc enim viro nomen fuit, quod & alibi [3] occurrit, non, ut Scaliger existimavit, *Domatus*) fuerit Adjutor haruspicum Imperatoris & Pontifex; *Haruspices* autem *Imperatoris* dicti, ut *aruspex Caticilli* pagina CCCIV. 3. & *L. Fontejus Flavianus haruspex Augg.* CC. *Pontifex Dictator Alban.* in saxo Romæ anno cIↃ IↃcv. effosso, quod descripsit Gutherius 1. *de Vet. Jure Pontif.* c. III. Quam nostræ illi, quam modo apposuimus, plane παράλληλον si accuratius expendisset idem Gutherius, vix eo delapsus esset, ut eodem cap. & libro II. cap. XIV. in illa *aruspicem Pontificis*, qui Pontifici immolanti præsto esset, repperisse sibi videretur. Facile enim vidisset, ut in posteriori *haruspicem Augustorum & Cæsarum*; ita in priori *haruspices Imperatoris & Pontificem*, non *haruspices Pontificis* designari. Imo nec *Pontificem Albanum* dici puto: sed indicari, saxum id DIS Manibus ipsius ab Albanis positum. Id enim suadet mos vetus apponendi nomina eorum qui saxa dedicarunt. De quo infra cap. II. § III.

II. In Hispania occurrunt *Pontifex Iceditanorum* pagina XXXI. 8. & *Pontif. perpetuus Col. Astigitanæ* pagina CCCLI. 5. unde emendanda Inscriptio 8. pagina CCCV. ubi est *Pont. Col. Asecitanæ*. Nam si non idem saxum est, saltem ad eundem pertinet. Nisi quis malit eamdem Coloniam & *Asecitanam* fuisse dictam. Legitur & *Ordo Pontificiensis Obulconensis* pagina CCCCLVIII. 5. Sed illud malim ad nomen civitatis referre. Nam inter Bæticæ urbes Plinio [4] recensetur *Obulco*, *quod Pontificiense* (sic lego ex Inscriptione dicta) appellatur. Eoque fortassis & *IIvir MunicipI Pontificii* pagina CV. 12. referri debet. In Gallia Narbonensi repperio *Pont. Col. Rejor. Apollinar.* hoc est, *Pontificem Coloniæ Rejorum Apollinarium*, pagina CCCCXXVIII. 9. & CCCCLXVIII. 6. Nam idem lapis est utrobique, eoque quod in posteriori legitur *Col. Reip. Or. Apollinar.* e priori emendandum est. Fuere autem Reii Apollinares in Aquitania, memorati Tabulis Peutingeri & Plinio lib. III. *Natural. Histor.* cap. IV. ut e Codice Vaticano a doctissimo Sirmondo [5] is locus emendatus est (legit nempe *Alebece Reiorum Apollinar.* pro eo quod vulgo est *Alebeceriorum:*) Sidonio carm. XVI. *Reii* absolute, aliis *Reienses & Regienses & Regium*, hodie *Riez*: urbs Concilio circa Anno Christi CDXXXIX. ibi habito, & Maximo ac Fausto (non item [6], quod vulgo creditur, Prospero Aquitano) Episcopis clara. In Dacia habes *Pontificem Coloniæ Apulensis* (quæ hodie Alba Julia, ubi & altera Inscriptionum reperta est) pagina CCCXLV. 9. & CCCXLVI. 5. In Illyrico denique seu Norico veteri *Pontificem Coloniæ Aureliæ Antoninianæ Ovil.* hoc est, ejus urbis quæ in tabula Itineraria veteri *Ovilia*, Antonino *Ovilava*, *Ovilana* vel *Ovilata* dicitur, & a quibusdam monasterium Lampach (ubi reppertus lapis iste) a Cluverio oppidum Wels fuisse existimatur. Vide eum in Vindelicia & Norico cap. V.

III. Præter hos videri possint & alii cum adjecto Pontifices repperiri; ut *Pontifex Flamen divi Claudii*, pagina CCCXCV. 4. *Pont. Fetialis* pagina CCCXLVI. 5. & quæ eadem est (adeoque altera ex altera emendanda) pagina CCCXCVII. 5. *Pont. Quinquennalis* pagina CCCCXXXVII. 5. CDXLVI. 2. CCCCLXVIII. 1. *Pont. Sacrarius Junonis Quiritis* pagina CCCIIX. 1. Certe hos omnes in Pontificum serie Scaliger [1] recensuit, quem passim sequutus Gutherius est. Sed ubique duo diversa sacerdotia sive officia in unum confudisse videntur. Est enim Pontificis nomen in his omnibus absolute positum: quæ vero adjecta sunt, peculiaria sacerdotia designant, quæ & alibi passim occurrunt, ut ex Indicibus Scaligeri cognosci potest. Eodem errore *Pontifex Saliorum* e pagina CCCXVII. 9. CCCCLXIV. 2. 3. PONTIF. SALIO. positis obtruditur. Nam ibi quoque duo diversa sacerdotia intelligenda sunt, Pontificis & Salii. Postremo pagina CCCXIX. 3. PONTIF. CUR. male exponitur *Pontifex Curiæ*, cum potius debeat *Pontifex*, *Curio*, vel *Curionalis*: quod genus sacerdotii similiter notum est. Cæterum ex his aliisque longe plurimis exemplis, [2] ubi vel *Pontifices Coloniæ*, vel & *Pontifices* absolute, qui extra Romam sacris præfecti fuere, vocantur, manifestum est, id nomen pro cunctis primariis sacerdotibus usurpatum esse. Unde factum, ut interdum *Pontifices Ministris sacrorum*, & *Pontificium ministerio* simpliciter opponerentur. De quo vide leg. III. Cod. Theodos. *de Hæreticis*, ubi tamen de Hæreticorum Christianorum sacerdotiis sermo est. Et Vopiscum in *Aureliano*, quæque ad hunc Illustris Salmasius [3] notavit. Qui & [4] alibi observat, ab Aureliano & Ulpio Silano [5] XV viros, quorum (ut e Lactantio [6] patet) adhuc Constantini ævo erat libros Sibyllinos inspicere, vocatos *Pontifices*. Sed quod ideo sic dictos vult, quod multi eorum in Collegio Pontificum essent (exempla capesis ex Inscript. Vett. pagina CCCLX. 4. CCCLXII. 3. CCCCXXXIII. 4.) eo non opus est. Nam possunt ibi quoque *Pontifices* quicunque sacerdotes primarii esse, ut in iis quæ adduximus. Nolim tamen inficiari, eos qui aut simpliciter, aut solum Urbis nomine addito dicuntur *Pontifices*, ad analogiam eorum qui Romæ collegium constituebant, sic vocatos esse, ac quod illi Romæ hos in oppidis & coloniis fuisse, supremos nempe sacrorum arbitros & custodes. Omnes autem promiscue Sacerdotes sic appellatos, quod doctissimi Viri existimant, non ausim affirmare. Neque enim hactenus adlata sunt idonea testimonia quibus id evinci possit.

IV. Porro a Gentilibus mutuati hanc vocem Christiani veteres ad munia Ecclesiastica transtulerunt. Nam Episcopos omnes *Pontifices*, & Episcopatum *Pontificium* ac *Pontificatum*, & quidquid ad hunc pertinebat, *Pontificale* dixerunt, ut post alios Vir doctissimus, David Blondellus [7] operis Gallici *de primatu in Ecclesia* fe-

1 Adde p. 481. 6. 2 Loco cit. v. *Imperator*. 3 Ap. Grut. p. 965. 7. 4 lib. 3. Nat. Hist. cap. 1. 5 Not. ad Sidon. lib. 6. epist. 12. 6 vid. Sir. ad Sid. 8. ep. 15.

1 in Ind. v. *Pontifex*. 2 Vid. Inscript. pap. 394. 7. p. 30. 2. p. 168. 5. p. 468. 3. p. 383. 1. p. 437. 5. &c. 3 Annot. ad Hist. Aug. p. 378. 4 l. c. p. 362. 5 ap. Vopisc. loc. cit. 6 l. 1. de fals. relig. c 6. 7 Au traité de la primauté en l'Eglise p. 33.

ctione IV. turba exemplorum evicit. Adponam aliqua, eaque præcipua, quia liber vernacula lingua scriptus, & in paucorum manibus versatur. *Pontifices* igitur Episcopos vocarunt Papæ Innocentius I. epistola V. Celestinus epistola XII. XIII. Leo epistola LV. LXXII. Simplicius epistola IV. VIII. XIV. XVII. Felix III. epistola I. II. Gelasius passim; Hormisda epistola XXVI. LVIII. LIX. &c. Concilia, Africanum canone XLIX. Agathense exordio & capite VI. Arelatense IV. capite II. Vasense II. capite I. Claramontanum II. capite X. Aurelianense III. capite XIV. XV. XVI. XXV. quartum capite VI. VII. XIII. XIV. XIIX. XX. XXI. quintum capite VIII. & X. Turonense II. cap. XXIV. Parisiense III. capite III. &c. e Patribus Hieronymus epistola II. IV. XXVII. LXI. LXII. LXXII. LXXIII. & apologia I. contra Ruffinum capite VII. apologia II. capite V. apologia III. capite II. Prosper præfatione *de Vita contemplativa*; Sidonius Apologia libro VII. epistola II. Ruricius Lemovicensis libro II. epistola LVII. Auctor vitæ Sancti Fulgentii præfatione & capite XIII. XVI. XVII. XVIII. XXVIII. Ennodius apologia pro Concilio Romanum libro V. epistola XI. libro IX. epistola XXXIII. & de vita Epiphanii Episcopi Ticinensis; Athalaricus Rex Gothorum epistola ad Joannem II. PP. &c. Sic Episcopatus *Pontificium* dictus a Papis Zosimo epistola I. V. VI. Celestino epistola II. capite III. Hilario epistola IV. Felice III. epistola II. & Concilio Claramontano capite II. *Pontificatus* a Zosimo epistola VIII. Hormisda epistola LXXI. Joanne II. epistola ad Cæsarium Arelatensem, Vigilio epistola II. & IV. Concilio Hispalensi II. capite VIII. Toletano XVI. sub initium; *gradus Pontificalis* ab Hieronymo epistola LXXXIX. *culmen Pontificale* ab eodem epistola XXVII. & LXXXIX. & Concilio Toletano XI. capite IX. *apex Pontificalis* ab Innocentio epistola I. Vigilio epistola I. Ennodio lib. II. epistola XIV. denique ab aliis eadem ratione *Pontificalis cathedra*, *dignitas*, *honor*, *auctoritas*, *gratia*, *&c.* Quibus omnibus locis addas licet Isidorum Hispal. libro VII. capite XII. Gregorium Magnum Indictione II. Ep. libro II. capite LII. Eugippium de vita Sancti Severini capite XXX. Bernardum Epistola XXIV. Wipertum de vita Leonis IX. PP. libro I. capite VI. Saxonem Grammaticum libro X. Johannem Sarisberiensem libro I. *Polycratici* capite IV. aliosque. E quibus patet, etiam adulta christiana ecclesia omnibus Episcopis commune id nomen fuisse. Ab iisdem Christianis Judæorum quoque Sacerdotes præcipui sic appellati sunt. Quod tralatitium est, nec exemplis eget.

V. Sed proprie tamen & ab initio solum eorum hoc nomen fuit, qui a Numa creati sacrorum omnium interpretes ac judices, collegium Pontificum constituebant. Hi unde dicti sint, non convenit inter omnes. Quidam Plutarcho [1] memorati ita vocatos ajebant, *ὅτι τὰς θεὰς θεραπεύουσι, δυνατὰς καὶ κυρίους ἁπάντων ὄντας: ὁ γὰρ δυνατὸς*, inquit, *ὑπὸ Ρωμαίων ὀνομάζεται ποτὴς*. Sic enim legendum, non ut in quibusdam editionibus est, *ποτνής*. Juxta [2] alios ita appellati sunt *πρὸς ὑπεξαίρεσιν τῶν δυνατῶν* (sive malis cum Heraldo [3] legere *ἀδυνάτων*) *ὡς τοῦ νομοθέτου τὰς δυνατὰς ἐπιτελεῖν ἱερουργίας τοὺς ἱερεῖς κελεύοντος, ἂν δὲ ᾖ τι κώλυμα μεῖζον, οὐ συκοφαντοῦντος*. Frustra sunt qui hæc de exemtione literarum exponunt, quasi Pontifices dicti essent per syncopen tanquam *Potentifices*. *ὑπεξαίρεσις exceptio* est: ut vertitur a Quintiliano lib. III. *Instit. Orat.* capite VI. Et docent extrema Plutarchi verba, *possibilia* non *potentia* sacra intelligenda esse. Hæc ut peragerent, jussit Numa, ex quorundam sententia, noluitque fraudi eis esse, si quæ vis major obstiterit. Vocavit ergo Pontifices, si istis credimus, quod facere deberent quæ *potes essent*, hoc est, possent, ut recte observatum Camerario *ἐτυμολογιῶν* Decadis I. problemate I. Heraldus ait hoc & Scævolam Pontificem Maximum innuisse, cum a *Posse & Facere dictos* voluit, ut est apud Varronem. [1] Quem tamen alii eo respexisse tradunt, quod *possent facere*, hoc est, sacrificare. Tertia apud Plutarchum opinio putat, vetustissima sanctissimaque sacra olim in ponte facta; indeque hoc nomen ortum esse. Hanc Plutarchus ridiculam vocat.

VI. Cæterum his omnibus FACERE idem est quod *sacrificare*, *offerre*, ut in illo [2] Poetæ principis:

*Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito:*

hoc est, *cum faciam rem divinam vitula, cum vitulam pro frugibus sacrificavero*, ut Macrobius [3] *παραφράζει*. De quo loquendi genere vide sis Interpretes ad eum Virgilii versum, Brissonium I. *de Formulis*, Baron. *Not. ad Martyrolog.* IX. Aprilis, & quæ summus Vir A. Buchnerus præceptor olim noster honoratissimus in repetita editione Thesauri Latinæ Linguæ notavit [4]. Qui hoc sensu etiam illud Lucæ accipit capite II. commate XXVII. *τοῦ ποιῆσαι κατὰ τὸ εἰθισμένον τοῦ νόμου περὶ αὐτοῦ*. Verbo autem *ποιεῖν* non solum profani Scriptores eo significatu usi sunt (sicut & verbis *ῥέζειν*, *ἔρδειν*, *δρᾷν*) sed sacri quoque. Ut I. Reg. XIIX. 25. *καὶ ἐγὼ ποιήσω τὸν βοῦν, καὶ πῦρ οὐ μὴ ἐπιθῶ*. Psalmo LXV. 15. *ποιήσω* (alii habent *ἀνοίσω*) *σοι βόας μετὰ χιμάρων*. Quo posteriore loco Interpres Arabs Romanus verbo قرّب usus est, quod notat *offerre* eidem Interpreti Psalmo XCIV. I. & Nubiensi Psalmo XXIX. I. LXXII. 9. ac de sacrificiis usurpatur hoc ipso Psalm. LXV. versu XIV. Æthiops reddidit per verbum ሦዐ: quod respondet Ebræo זבח & Arabico ذبح ac *Sacrificare* est Psalmo IV. 6. XXVI. II. XLIX. 15. LIII. 6. CV. 36. CVI. 22. CXVI. 7. Utrobique autem in Ebræo legitur עשׂה quod sæpius idem designat: unde & I. Reg. XII. 27. Græci *ἀναφέρειν* transtulerunt. Sed hæc in transcursu. Ut redeamus ad Pontifices, plerique, proprie accepta voce *Faciendi*, auctoribus Varrone [5] & Dionysio [6], inde vocis originem arcessunt, quod pontem sublicium fecerint ac restituerint. Unde & Zosimus *γεφυραίους* interpretatur. Eoque allusit vetus vocabularium Martinio adlegatum, in quo legitur: *Pontifex sacerdos quasi pontem vel iter aliis faciens*. Haustum id, credo, ex Isidoro, [7] qui *Pontificem quasi viam sequentium esse* ait: Loquitur autem uterque de Episcopo, ad cujus officium argute hanc nomenclaturam applicat Bernardus epistola XXIV. Atque hæc etymologia cæteris omnino præferenda videtur. Nam cum constet e Varrone & Dionysio [8] pontem sublicium adeo sacrum habitum, ut si collaberetur, Pontifex non nisi victima cæsa eum reficere posset; eundemque a Pontificibus factum primum & sæpe restitutum: quidni ut Aurifex dictus, qui

1 in Numa p. 65. ed. Francofurt. 2 ap. Plut. loc. cit. 3 Digression. lib. I. cap. 20.

1 lib. 4. de L. Lat. c. 15. 2 Virgil. Eclog. 3. 3 lib. 3. Saturnal. c. 2. 4 fol. 361. b.
5 lib. 4. de L. Lat. c. 15. 6 lib. 2. cap. 75.
7 lib. 7. Orig. c. 12. 8 lib. 2. p. 132. lib. 3. p. 183. edit. Francof.

aurum ; carnifex qui carnem, hoc eſt, cadaver, facit : ita & Pontifices appellatos dicemus qui pontem faciunt ; Certe *horum verborum* PONTIS & FACIENDI *duplicatio in iſto nomine manifeſta eſt*, ut ait Camerarius [1]. Scio quid obtendat Baronius [2]. Sed ei ſi reſpondeas cum Pomp. Læto & Bebelio, poſt factum pontem ſublicium demum ita appellatos, cætera ejus omnia corruent.

---

## CAP. II.

*Pontifex cur* Maximus *dictus? An duo hoc nomine in collegio fuerint?* Maximus Minorum Pontificum. *An Pontif. Max. extra Urbem? An Flamen Dialis ita vocatus? Tertulliani locus expenſus & alius ejuſdem illuſtratus.* Sæculum *pro Ethniciſmo.* Rex ſæculi. *An Sabini Pontificem Max. habuerint? Th. Reineſii laus, & ſuper veteri Inſcriptione ſententia confirmata. Mos adponendi nomina eorum qui ſaxa poſuere.* Sabium & Sabini *prope Mantuam. Inſcriptio Tolentina explicata. A Chriſtianis ſummus Judæorum Sacerdos, & Servator noſter, itemque Epiſcopi omnes* Pontifices Maximi & ſummi *appellati: quandoque id cœptum, & quando deſierit? Romanum Epiſcopum nec ſolum, nec ſemper, nec a ſeipſo, niſi ſero admodum, ſic dictum, oſtenditur, Baronii aliorumque opinione rejecta. Tertullianus iterum, & Cyprianus explicati. Alia Pontificis maximi nomina recenſita.* Pontifex *&* ἀρχιερεὺς *pro Pontifice max. Veſtales virgines etiam extra Romam fuiſſe.* Pontifices Veſtæ *quinam? An Pont. max. ſic dictus? Lipſius notatur.* Caplatores. *Duæ Inſcriptiones veteres a prava interpretatione vindicatæ: & Gutherii emendatio exploſa.*

PORRO de his Pontificibus abunde egit Jacobus Gutherius libris II. prioribus *de Veteri Jure Pontificio*: nobis autem non faceſſent amplius negocium, niſi quatenus ad Maximum reſpectum habent. Nam de eo ſolo agere propoſuimus. Is ita dictus non quod ætate aut ordine anteiret reliquos; ut *Augur maximus*, *Veſtalis Maxima* & fortaſſe *Prætor maximus*, juxta Feſtum [3]: ſed quoniam poteſtate & auctoritate præſtabat cæteris, ac, ut Feſtus ait, [4] *maximarum rerum quæ ad ſacra & religiones pertinent, judex erat*. Nam & minor ætate ac noviſſime in Collegium cooptatus Pontificatum maximum adipiſci poterat, & Pontifex maximus, ſicut & Curio maximus [5], eligebatur a populo in Comitiis, non ut cæteri, ordine ſuccedebat. Quanquam nihilominus fuit in collegio, qui *Maximus* dicebatur, quod primus in id venerat: ſed inter minores, ut e Feſto [6] apparet. Qui tamen non ait *Pontificem* Max. dictum, quod ut indubium inde colligunt Viri docti. *Minorum Pontificum*, inquit, *maximus dicitur, qui primus in id collegium venit. Item minimus qui noviſſimus*. Ex quibus nil aliud ſequitur quam *Maximum* appellatum aut ſimpliciter, quomodo prima Veſtalium *Maxima* vocata eſt, ut patet ex Inſcript. p. CCCIX 8. aut nomine *Scribæ* (nam ita dicebantur minores Pontifices) aliove quopiam adjecto. *Pontificem* vero *Max.* dictum eſſe, non magis inde colligere licet, quam noviſſimum appellatum *Pontif. Minimum*. Ut non ſit omnino certum quod ait Vir Cl. [7], in Collegio Pontificum duos Pontifices Max. inveniri.

II. Sed nec illud certum eſt, alium in Urbe extra Collegium hoc nomine fuiſſe vocatum, Flaminem nempe Dialem, ut volunt Lipſius ad Plinii *Panegyricum* cap. LXXXIII. Gutherius de *Vet. Jure Pontif.* lib. I. cap. XXXII. Ludovicus della Cerda ad Tertulliani lib. I. *ad Uxor.* capite VII. Jac Pamelius ad ejuſdem *de Monogamia* cap. XVII. Quam in rem allegant locum Tertulliani *Exhortatione ad caſtitatem* cap. XIII. qui in vulgatis editionibus ſic habet: *Flaminica univira eſt: quæ & Flaminis lex eſt. Nam duo ipſi Pontifici Max. matrimonia iterare non licet. Quod utique monogamiæ gloria eſt.* Quibus recenſitis; *Vides*, inquit Cerda, *ut Pontificem maximum dicat eſſe Flaminem*. Et ſic alibi quoque Tertullianum accipiunt, cum Pontificem Maximum ſemel tantum nubere ſcribit: ut *de Præſcriptionib.* capite XL. lib. I. *ad Uxorem* capite VII. & *de Monogamia* capite XVII. Ut ingenue dicam, quod ſentio, nimis infirma hæc ratio eſt, nec illi evincendo, quod Viri doctiſſimi volunt. Primo enim adhuc incerta lectio ejus loci eſt, & non uno modo ab editoribus exhibetur. A prima editione abeſt vox *Flaminis*, legit enim: *quæ & Flaminia lex eſt*. Idque & Franc. Junio placebat. Fortaſſis non male: ut ſenſus ſit, id etiam legibus quæ ad Flaminicas pertinent, ſancitum eſſe: niſi malis cum Vertranio *notis ad Annal.* IV. *Taciti* legere *quæ Flaminii lex eſt*; certe *Flaminium* vocari id ſacerdotium, patet e Gellio X. capite XV. In ſequentibus mira varietas. Ut omittam aliorum lectiones, noviſſima eaque optima editio a Cl. V. Nicolao Rigaltio ex MSS. vetuſtiſſimis concinnata ſic habet: *Nam cum ipſi Pontifici max. iterare matrimonium non licet, utique monogamiæ gloria eſt. Cum autem Dei ſacramenta Satanas affectat, provocatio eſt noſtra, imo ſuffuſio, ſi pigri ſumus ad continentiam Deo exhibendam*. Quid ſi unius litteræ mutatione legas: *Jam cum ipſi Pontifici max. &c.* Ut novum exemplum & a priori diverſum adducat? Certe ſenſus tale quid videtur poſtulare. Quod ſi vulgata lectio ſervanda ſit, dicam aut copulam inſerendam legendumque *ipſi & Pontifici max.* aut duo iſta vocabula *Pontifici maximo* e reliquis Tertulliani locis, quæ adlegavimus, inſerta eſſe. Denique ſi nihil mutes, ad ſummum hoc ſequetur, Septimium Scriptorem Afrum & rerum Romanarum non ubique ſatis peritum nomina hæc confudiſſe: non item a Romanis idem factum. Sed in cæteris locis Pontificem Max. de quo nos in præſenti agimus, ab eo intellectum, inde colligo, quod eumdem lib. I. *ad Uxorem* cap. VII. *Regem ſæculi* dixit. *Sacerdotium*, inquit, *viduitatis & cœlibatum* (ſic Rigaltius: cum vulgo ſit *celebratum*) *eſt apud nationes. Pro Diaboli ſcil. æmulatione Regem ſæculi Pontificem maximum rurſus nubere nefas eſt*. Fruſtra ſunt Viri docti [1], qui Flaminem non ſolum *Pontif. maxim.* ſed etiam *Regem* vocatum eſſe, hinc colligunt; quod nempe arbiter rerum divinarum & humanarum eſſet. Sic duo quoque Reges ſacrorum Romæ fuerint. Nugæ! Et falſum eſt, arbitrium ſummum rerum divinarum penes Flaminem fuiſſe. Pontificis hoc, non Flaminis erat. *Regem ſæculi* dixit; qui ſumma poteſtate inter Ethnicos erat, hoc eſt, Imperatorem, qui Pontificatu max. fungebatur, ut infra dicemus. *Sæculum* enim idem eſt quod Ethniciſmus. Paullo ante *Nationes*, & capite VI. *Gentiles* vocat, cum *Gentiles Satanæ ſuo & virginitatis & viduitatis ſacerdotia perferre* ait. Sic eopſe loco, de quo controverſia eſt, initio capitis: *Videmus etiam ſæculi exempla*. Quod mox ſic exponit: *Monogamia apud Ethnicos in ſummo honore eſt*. Paullo inferius: *Erunt nobis in teſtimonium & fœminæ quædam ſæculares*: Dido & Lucretiam, qua mox nominat, intelligens. In re eadem S. Hieronymus in I. adverſus Jovinianum cap. XXVI. *Satis abundeque Chriſtianæ pudicitiæ & virginitatis angelicæ de divinis libris exempla præbuimus: ſed quoniam*

1 loco ſup. cit. 2 Not. ad Martyrol. l. cit. 3 in Maximum prætcrem. 4 in Max. Pontifex. 5 Liv. lib. 27. 8. 6 in Minorum Pontificum. 7 Guther. de V. J. P. lib. I. 4.

1 Cerda & Junius not. ad h. l.

*intellexi in commentariis adversarii provocari nos etiam ad mundi sapientiam, quod nunquam hoc genus in SÆCULO sit probatum, &c. percurram breviter Græcas & Latinas barbarasque historias, & docebo virginitatem semper tenuisse pudicitiæ principatum.* Mox cap. XXVII. cum enarrasset multa Ethnicarum virginum exempla: *Hæc de virginibus sæculi currens per multiplices historias & properans sermo perstrinxerit.* Sic ergo & Tertullianus Regem sæculi. Sic ergo & *Regem sæculi* summum Ethnicorum principem appellavit: adeoque Pontificem Max. communiter ita dictum designavit. Nec alium in cæteris locis videtur intellexisse. Ut verisimile sit, heic quoque eundem ista appellatione, non ut Viri docti putarunt, Flaminem Dialem, designari.

III. Doctissimus Gutherius [1] alium Pontificem Max. extra Urbem reppeRisse visus est in saxo veteri, prope Mantuam in villa Ande Virgilii cunis celebri, invento: cujus hæc inscriptio [2] est:

P. VERGILIO
P. FILIO
PONT. MAX.
SABIN

Suspicatur igitur Sabinos cum de imperio cum Romanis decertarent, Pontificum collegium habuisse, atque in eo Pontificem Max. quem devicti ob honorem religionis retinuerint, solo sacerdotii nomine insignem. Sed fatetur ipse meram conjecturam esse. De cujus veritate dubitare multa nos jubent. Quis enim credat ad Sabinos vetustam illam Umbris, Picentibus, Marsis ac Latinis conterminam gentem pertinere saxum in Italia Transpadana procul a Sabinis reppertum? Et quis ausus esset sub Imperatoribus (sub his enim facta Inscriptio hæc, ut pleræque hodie superstites, videtur) titulum illis proprium, privato tribuere? Nec Romanum est ponere in coloniis & municipiis Pontificem Max. Neque enim eo nomine, sed *perpetui & primi* dicebantur, qui Pontificum ibi præcipui erant. Quare malim adsentiri summo Viro ac de re litteraria in universum, de me quoque privatim optime merito, D. Thomæ Reinesio, qui ut est in hoc studiorum genere princeps, facile perspexit quid saxo isto significaretur. Putabat igitur id positum ab incolis oppidi Sabii ad lævam ripam Clesii amnis, qui ad Bedriacum Ollio confunditur, siti, ac circiter VII. millia passuum Salodio, XII. Mantua aut Ande distantis: esseque τὸ SABIN in primo casu legendum. Nempe usitatissimum esse in lapidibus clausulam facere nomina populorum, civium, collegiorum, privatorum. Sic memoriam aliquot versuum claudere BENACENSES, id est, accolas lacus Benaci contermin os istis Sabinis p. CCLX. I. CCLXII. 4. CCLXIII. 8. & EDRANOS oppidi Edri supra Sabium insidentis ripæ lacus, quem Clesius transit, in saxo ibidem repperto, quod Cluverius [3] exhibet. In hoc vero lapide videri primitus scriptum fuisse PONT. MAI. hoc est, *Majori*, vel *MAR.* id est, *Martis*. Sane *Sabinos* oppidi ejus incolas dictos, docet lapis [4] in vico Saballo (sito in valle quæ ab oppido Sabio *Val di Sabio* appellatur) reppertus, in quo legitur *Firmus Ingenui F. Princeps Sabinorum*. Ac haud scio an non huc quoque pertineat *Ingenuinus de Sabione* Episcopus, cum Juniore Veronensi, Rustico de Tarvisio, aliisque Paullo Diacono [5] memoratus: quem ad nescio quam Sabionem in Rhætico agro sitam Cluverius [6] retulit. Porro non est insolens, ultimam litteram

1 lib. 1. de V. J. P. cap. 5. 2 ap. Gruter. p. 305. 7.
3 Ital. antiq. lib. 1. c. 15. pag. 108. 4 ap. Cluv. loc. cit.
5 lib. 3. rer. Longob. cap. 26. & 31. 6 l. c. c. 16. p. 122.

A omitti. Sic pagina CCCCX. 2. T. FLAMINIO, PONTIFICI. TOLENTIN, id est, *Tolentini*, subintellige, *posuerunt*. Neque enim Pontificem Tolentinum heic quærendum existimo, ob causam ante adlegatam, & quod loci nomen, nisi alibi poneretur monumentum, *Pontificis* dignitati apponi non invenio. Quanquam & deteri, oblitterari, vel a descriptoribus omitti extrema littera facile potuit. MAR autem pro MAX quis dubitet potuisse irrepere descriptoris vel lapicidæ culpa: quod illis titulus *Pontifex maxim.* tanquam in saxis vett. frequens, notior esset? An autem monumentum hoc ad Vergilium Poetarum principem pertinere possit, dispiciant alii. Certe *multa ex arcanis juris Pontificii carmini suo* (Æneidi) B *eum inseruisse*, non semel Servius adnotavit. Et videtur locus, ubi reppertum est, quippe Poetæ natalis, ei conjecturæ favere. Saltem ad familiam ejus spectare, vix dubitarim.

IV. Hactenus itaque præter supremum Romæ sacrorum arbitrum nemo alius ostendi potest, qui *Pontificis max.* titulo usus sit. Christiani tamen & Judæorum summum sacerdotem, &, cujus is typus fuit, Servatorem nostrum sic appellarunt. Iidem & Episcopos omnes *summos* & *maximos aliquando Pontifices*; sed tamen uni Episcoporum, adulto christianismo, is titulus proprius fuit. E- C quidem [1] Cæsar Baronius, Rob. Bellarminus, & Jac. Perronius Cardinales, Henr. Spondanus Apamiensis, & Gabr. Albaspinæus Aurelianensis Episcopi, Joannes Baptista Casalius Romanus, aliique scribunt in Ecclesia ab initio fuisse hunc titulum unius Episcopi Romani. Sed primo etsi verum est Episcopos Romanos sæpe ita vocatos, ut patet ex Gregorio M. libro 1. dialog. capite IV. Anselmo præfat. libri *de Incarnat. Verbi*, Bernardi Epistolis, quos Scriptores nec plures allegavit [2] Bellarminus: tamen Episcopi quicumque alii, etsi minoris dignitatis, *Maximi* ac *Summi Pontifices* appellati non raro repperiuntur. Idque fatentur Spondanus ad Annum CCXVI. loc. cit. Baronius D *Not. ad Martyrologium* d. IX. Aprilis & *Annalium* Tomo V. ad Anno Christi CCCXCVII. numero L. & ex eo Fr. Longus a Coriolano in Summa Conciliorum, notis ad Can. XX. Concilii Carthagin. III. Sic Anianum Episcopum Aurelianensem *Pontificem Max.* Sidonius [3] appellavit. Idem qui *Pontificatu maximo fungi* [4] Remigium Rhemensem ac Principium Suessionensem Episcopos: ac *Pontificatu maximo dignissimum Papam* [5] Agrœcium Episcopum Senensem dixit. Sic Moguntinum Episcopum apud WiteKindum appellari *Pontificem Max.* observatum Nob. Barthio *Adversar.* lib. XLV. capite XIX. Denique Adaldagum, *Pontificem max.* E *Bremensem* Saxo Grammaticus lib. II. & Eucherium *magnorum sæculi sui Pontificum longe maximum* vocat Constantius lib. I. capite XXXIII. *de vita Germani Altisiodorensis*. *Summos autem Pontifices* pro Episcopis, *Summum Pontificatum & Pontificium* pro Episcopatu frequentissime legimus. Sic enim loquuti [6] Zosimus epist. I. & V. Leo PP. epist. XXIX. Paulinus Nolanus epist. ad Romanianum; Sidonius lib. IV. ep. XI. lib. VII. ep. V. & IX. Auctor epitaphii Sidonii; Ennodius Dict. II. Montanus Toletanus ep. ad Talentinos; Episcopi Provinciæ Arelatensis ep. ad Leonem PP. apud Baron.

F 1 Baron. ad Anno Chr. 142. n. 4. ad A. 216. 9. 10. 11. 12. Bell. de Ro. Pont. 2. 31. & de offic. Princ. Chr. p. 35. Perron au chap. 25. de la Replique contre le Roy de la Grand' Bretagne sect. 4. Spond. ad A. Ch. 141. 5. ad A. 216. 3. Albasp. l. 1. observat. c. 23. & not. ad Tertull. de pudicit. Casal. de vet. Chr. ritib. sacr. c. 58. 2 de R. P. l. c. 3 lib. 8. epist. 15. 4 lib. 8. ep. 14. 5 l. 7. ep. 9. 6 Adde Chamier. Panstr. Cathol. To. 2. lib. 9. 9. 1. seqq. & lib. 13. 19. 15.

Annus CDL. n. LI. Venantius Fortunatus lib. v. epigr. I. lib. IX. epist. XIII. lib. X. epist. XVI. Concilium Agathense c. XXXV. Toletanum II. principio; Nicænum II. actione VI. Carolus M. lib. VII. c. CCCXXIII. & sequenti; Auctor epitaphii Valentiani Episcopi, quod Curiæ est [1]; Petrus Ravennas [2] in *Dictis Notabilibus*; Bonifacius epist. X. XCIIX. & CX. &c. Quibus addi possunt Pontianus PP. epist. I. Leo epist. LXXXIIX. Damasus epist. V. spurii quidem, (ut ostendit Blondellus egregio opere quod *Pseudo Isidorum & Turrianum vapulantes* inscripsit) sed ad genium illius sæculi quo conficti sunt, scripti: qui cum Episcopos a Chorepiscopis separant, semper illos *summos Pontifices* nominant. Unde patet, sero demum hunc titulum solis Papis Ro. relictum esse, cum adhuc tempore Bonifacii, Concilii Nicæni II. & Caroli M. hoc est, sæculo octavo, & fortasse decimo quoque (nam eo & Withekindus scripsisse dicitur, & Adaldagus, quem Saxo *Pontificem Max. Bremensem* vocat, vixit:) aliis tributum sit. Sæculo autem decimo exacto jam quasi proprium Papæ Rom. fuit. Ut non sit mirum, Anselmum & Bernardum hac ratione eo usos, qui tunc vixerunt.

V. Deinde non esse hunc titulum Episcopis, invitis præsulibus Romanis, tributum, inde colligere est, quod ipsi sic eos compellarunt, ut exempla e Zosimi, Leonis, Pontiani & Damasi epistolis adducta ostendunt. Tertio vix repperitur quisquam Episcoporum hunc titulum sibi ipsi dedisse. Nam quod Zephyrinum ajunt in Edicto eum posuisse, id quam incertum sit, mox dicemus. In Gregorii autem dialogis [3] etsi occurrat de Romano. Episcopo, tamen is tantum recenset ex aliorum relatione *virum venerandum*, *Equitium*, cum ad Episcopum Rom. (de quo semper tanquam de alio loquitur, & nunc *Pontificem* simpliciter, nunc *Romanum*, nunc *sedis Apostolicæ Episcopum* vocat) accitus esset, *asseruisse quod se per summum Pontificem gratia superna visitasset*. Quarto denique nullum Episcopum repperio ante finem quarti a Christo nato sæculi ita dictum. Ex iis enim quos allegavimus, antiquissimi sunt Zosimus Papa & Paullinus Nolanus: quorum uterque sub initium quinti sæculi scripsit. Nam Pontiani & Damasi epistolæ jam pæne omnium consensu in suppositititiis habentur, ac e posterioris ævi Scriptoribus consarcinatæ sunt; ut non sit mirum, hos titulos ibi repperiri. Cur autem quinto demum sæculo Episcopi hoc titulo uti cœperint, hoc inde factum fortasse videtur quod circa id tempus ille ab Imperator. repudiatus, & collegium Pontificum sublatum sit. Quod quamdiu salvum esset, puduit, credo, Episcopos eo insigniri, sive ne Principes offenderent; sive quod Ethnici nominis communionem vitarent. Nam & *Pontifices* simpliciter dictos, non invenio antiquius monumentum, quam in Concilio Hipponensi Anno CCCXCVII. habito [4], & apud Hieronymum [5], ac in epistolis aliquot Pontificum spuriis. Quæ omnia scripta sunt postquam Gratianus, qui rejecit titulum *Pontificis Maximi*, imperasset.

VI. Allegantur tamen pro Episcopo Romano Tertullianus & Cyprianus. Ille *de Pudicitia* capite I. *Audio*, inquit, *etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium: Pontifex scilicet Maximus, quod est* (sic habet editio Rigaltii) *Episcopus Episcoporum, edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Hunc magni locum facit Baron. quem sic in compendium redegit Spondan. [1] *Quod edicti prima verba recitans inscriptionem ponit PONTIFEX MAXIMUS EPISCOPUS EPISCOPORUM; plane demonstrat secundum veterem nomenclaturam Zephyrinum hos edicto suo apposuisse titulos: aut si velimus esse verba Tertulliani, ipsum ea dixisse secundum receptam jam tunc Romani Episcopi appellationem: nunquam enim titulos istos commemorasset, nisi eos communi more & usu Romanis Episcopis tribui vidisset*. Et mox: *Nimirum cum & alii quoque Episcopi dicerentur summi sacerdotes atque Pontifices, Romanus præsul respectu illorum dici meruit Maximus ob insignem ejus sacerdotii eminentiam, &c. Qui tamen haud iis titulis in omnibus uti solitus videtur: sed interdum quando quid publice in Ecclesia edicendum esset, ut impræsentiarum accidit*. Incerta omnia, multa etiam falsa. Primo etsi nolim cum Fr. Junio [2] facere, qui Christum ironice ita dici a Tertulliano existimat (totus enim contextus repugnat:) tamen nondum certo constat, de solo Episcopo Rom. sermonem esse. Probat tamen [3] Albaspinæus: *quia Episcopus Romanus tunc ita vocabatur: quia Cyprianus scribit*, *Decium ægre tulisse electionem Cornelii tanquam æmuli sacerdotis: quia Tertullianus ait edictum hoc proponi debere in januis & titulis libidinum*; denique *quia e capite XXI. patet, de Romano agi*. Nugæ. Primum in quæstione est, & jam negatum a nobis, ante sæculum V. quenquam ita dictum. De Cypriani loco mox videbimus. Ex lupanaribus autem de Roma loquutum, frustra colligit Albaspinæus & ante eum Baronius; nondum enim vectigalia inde accipiebantur. An autem Romæ solum lupanaria? Num quid Carthaginem aut civitatem magnam aliam innuere potuit? Capite XXI. non Petri successorem solum adloquitur; sed tantum negat, quæ Petro data est potestas clavium, omni Ecclesiæ Petri propinquæ ejusque Episcopis communicatam. Deinde posito Romanum notari: an inde sequitur hunc illius titulum fuisse? Non magis; o bone, quam, Patriarcham Hierosolymitanum dictum *columnam veritatis & fidei*, quia Hieronymus Joannem sarcastice ita appellarat. Quis enim testabitur edictum illud (si quod fuit) ita conceptum fuisse; & Episcopum ipsum, aut, in honorem illius, alium hoc elogio usum? Numquid ab adulatore aliquo hoc illi tribui potuit, aut ab ipso Septimio fingi cupidine pungendi, quod a nemine acceperat? Quis non videt totum illud decretum quam odiosissime exhiberi & traduci; quod nequaquam demonstrari posse gloriabatur Baronius: scilicet *quia de universa Ecclesia loquitur*. Quasi non insectetur Tertullianus totam Psychicorum, quos vocat, Ecclesiam. Vel illud SCILICET, in loquutionibus ironicis usitatum, sarcasmum arguit; tum quæ proxime exagitantis ritu subjungit; denique quod *peremptorium* vocat, quod adeo non finivit controversiam, ut etiam peperit diversitatem sententiarum, ipso Albaspinæo fatente libro II. *Observationum* cap. XVII. & XVIII. Porro quis credat tam honorifico elogio serio ornatum a Tertulliano eum, cui infensissimus erat, & cujus Cleri invidia ac contumeliis offensus ad Montani dogma desciverat? Non magis in honorem Episcopi eo usus est, quam cum insignem quendam apud Valentinianos magistrum libro adversus eam Hæresin descripto cap. XXXVII. ridens, ait *Ex Pontificali sua auctoritate in hunc modum censuit*. Postremo si maxime serio loquutus esset, nulla tamen ratione inde colligeretur, aut receptam tunc fuisse hanc appellationem, aut Episcopum Romanum ea usum; multo

1 ap. Goldast. Tom. 3. rer. Alemann. p. 129. 2 ap. Goldast. l. cit. 3 lib. I. dial. 4. 4 in Cod. Eccl. Africanæ Justelli can. 49. 5 locis supra cap. I. § 4. allegatis.

1 ad An. 216. num. 3. 2 not. ad h. l. 3 not. ad h. l. cum Optato Milevitano editis.

minus

minus ei propriam fuisse. Quæ omnia prolixe exequuti sunt, Blondellus [1], Salmasius [2], & præceptor noster D. Danhaverus [3]. Quibus addas licet, quæ super hoc loco nuperrime disputavit Vir Clar. idemque nobis amicissimus, Dan. Lipstorpius.

VII. Pergamus ad discipulum Florentis Cyprianum. Is de Cornelio Episcopo Romano scribit [4] *sedisse intrepidum Romæ, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ æmulum sacerdotem*. Hic Gabr. Albaspinæus [5] ratus se repperisse non quod pueri in faba, miratur hoc tam præclarum summæ auctoritatis Pontificiæ testimonium ab aliis prætermissum esse: ipse autem hinc colligit, tantam eam jam tum fuisse, ut non solum invisa & suspecta Ethnicis Principibus esset, sed & æmulationem pareret. Nimirum cum illi Pontifices maximi essent, ægre tulisse, quod Episcopi Romani honores ac titulos sibi debitos arrogarent, ac quasi de eadem auctoritate contenderent. Atque inde porro concludit, hoc Pontificis Maximi nomen nominisque auctoritatem penes Rom. Episcopos semper fuisse. Eodem argumento usus Joan. Bapt. Casalius [6], & ante Albaspinæum Card. Perronius [7]: sed æque infirmo ac illud erat quod e Tertulliano petebatur. Primo enim Pontificiis ipsis nec de sensu nec de lectione convenit. Sensum quod spectat, Pamelius ita accepit, ac si Cornelius patientius tulisset levari adversus se æmulum Principem, scil. Decium persequutorem, quam Novatianum æmulum sacerdotem. Id falsum esse cum constructio ostendit, (quæ docet τὸ *audiret* de eodem accipiendum esse, de quo antecedens *comminaretur*) tum quod mox de eadem re loquens Cyprianus, ait *Tyrannum armis & bello postea victum, priorem sacerdotio suo vicisse Cornelium*. Nulla hic Novatiani mentio. Vicit autem Tyrannum sacerdotio, non quod invito eo retinuerit titulum Pontificis max. ut vult Aurelianensis, sed quod idem in Episcopatu superstes esset, & contra voluntatem illius superstitioni Gentilium detraheret, ac Ecclesiam propagaret. Quod ad lectionem, antea constanter legebatur *Dei sacerdotem*: idque primus in *æmulum* mutavit Pamelius, auctoritate, ut ait, codicis MS. Affliginiensis. Neque enim verum est, quod Perronius dicit, *lectionem hanc correctiorum & vetustiorum exemplarium esse*. Nec ipse in margine alia quam Codicem Affliginiensem, ac Pamelii editionem allegare potuit. At non sufficit unicus codex, incertum cujus fidei, ut receptam lectionem immutemus: præsertim cum titulus *sacerdotis Dei* tam familiaris sit Cypriano, ut in eadem epistola ter repetatur; alter autem ille *æmuli sacerdotis* nusquam occurrat, ac fortasse a sciolo aliquo profectus sit, qui putabat *æmulo Principi*, *æmulum sacerdotem* opponendum. Nec probare possum emendationem Illustr. Salmasii [8], qui pro *æmulo* Principe, *malum* substituit, hoc est, persequutorem. Supponit enim, per *æmulum sacerdotem*, Novatianum intelligi. Quod falsum est ut diximus. Deinde etsi Cornelius dicatur *æmulus sacerdos*, an ideo Pontificem Maxim. appellatum necesse est? Annon ratione auctoritatis potuit æmulus esse, quod ut Imperator præerat sacris Gentilibus, ita Cornelius Christianorum summus in Urbe sacerdos esset, ac religionem Gentilium labefactaret? Neque enim negamus detractum ab Episcopis potentiæ Principum, qui vi Pontificatus sui perdere conabantur, quod Ecclesia per sacerdotes suos acquisierat. Et poterat minimus e Clero Romano, si gregem Domini ædificaret, æmulationem in animis tyrannorum excitare. Denique etsi admittamus hunc titulum gessisse Episcopum Rom. tamen non sequitur ei proprium, adeoque tantam illius potestatem fuisse, quantam gnathones Papæ fingunt.

VIII. Ex dictis patere arbitor, nulla certitudine asseri Pontif. Maxim. titulum Rom. Episcopo proprium fuisse. Revertamur nunc ad nostrum Pontificem Max. & nomina ejus cætera videamus. Is Græcis nunc ἀρχιερεὺς μέγας vel μέγιστος dictus, ut in nummis & Græcis inscriptionibus Cæsaris, Lepidi, Augusti, Tiberii, &c. Nunc ὁ μέγιστος τῶν Ποντιφίκων, [1] μέγιστος ποντίφιξ [2], ἀνὴρ ἱεροφάντης ὁ τῶν ἁπάντων ἱερῶν (alii ἱερέων) ἡγεμονίαν ἔχων [3] ἀρχιερεὺς τῶν ποντιφίκων; [4] & fortasse τῶν ἱερῶν ἔξαρχος [5]. Latini interdum *Summum Pontificem* dixere, ut apud Tacitum II. *Annal.* cap. LXXI. frequentius *Summum Pontificem*: sæpe & *Pontificem* ἁπλῶς. Quomodo apud Livium XXIIX. capit. XI. Licinius dicitur *Pontifex*, qui tamen Maxim. erat, ut ex eodem lib. XXVII. capit. VIII. IX. XXI. &c. ac lib. XXIX. capit. XXXVIII. apparet: Sic Florus lib. I. capit. XLI. 9. *Pontificem* ait *senes devovisse*, quem Livius V. capit. XL. *M. Fabium Pontif. Maxim.* vocat. Sic quoque capio Gellium I. cap. XII. cum ait *sponsæ Pontificis vacationem a sacerdotio* Vestalium *tribui solere*. Suidas: Ποντίφιξ, ὁ μέγας παρὰ Ῥωμαίοις ἱερεὺς, ὃν Νουμᾶς ὁ Ῥωμαίων νομοθέτης κατέστησεν. Sic solet Dio cæteros Pontifices ἱερέας, Maxim. ἀρχιερέα sæpissime appellare: quamquam aliis ἀρχιερεῖς quicunque Pontifices dicerentur. Nempe solet fieri, ut nomen pluribus commune uni alicui κατ' ἐξοχὴν tribuatur. Quomodo apud Judæos ἀρχιερεῖς dicti sunt omnes classium sacerdotalium XXIV. principes: & nihilominus summus eorum sacerdos eodem nomine vocatus est: ut e Philone, Josepho, Eusebio, ipso etiam Diodoro Siculo *Eclogis* lib. XL. constat. Quod neglectum effecit forsan, ut nonnulli Patrum Zachariam Joannis Baptistæ patrem Pontificem Maxim. fuisse scriberent. Hinc quoque factum puto, ut sæpe noster cum reliquis e collegio confunderetur. Ut cum Gutherius [6] C. Aurel. Cottam; Alexander [7] Q. Fab. Maximum, Ser. Sulpicium Galbam, T. Otacilium Crassum, aliosque inter Maximos retulerunt, qui tamen omnes tantum Pontifices fuerunt.

IX. Antequam finiamus hoc caput, videndum est, an *Pontifex Vestæ* idem quod Pontif. maxim. fuerit? Ait Lipsius [8]; & postquam huc retulisset illud Ovidii [9]; *Si mihi bellandi pater est Vestæque sacerdos auctor*: subjicit: *Lego & in lapidibus*: *PONTIFEX VESTÆ, quo sensu? an quia prius aliquis ei fuit? Præter hunc Maximum Romæ nemo: & magis fortasse sit tales titulos ad provincias coloniasque referri. Ubi cum nullæ Vestales, Pontifex aliquis & velut Flamen proprius ei Deæ fuit*. Bis lapsus est Vir magnus. Semel, cum negavit Vestales extra Romam fuisse. Fuere enim Albæ, unde oriundum id sacerdotium, adhuc Symmachi Ævo, ut ex epistolis ejus [10] colligo. Fuere & Tiburtes; quarum mentio in saxo veteri [11]: SAVFEIÆ. ALEXANDRIÆ. V. V. TIBURTIUM. CAPLATORES. TIBURTES. Ubi frustra est Vir doctus [12], cum *Calatores* substituit, hoc est, ministros sacrorum. *Caplatores* vel *Capulatores*

1 de la primauté p. 31. & seqq. 2 de Prim. Papæ cap. 5. p. 68. 3 Actu I. Christeidos p. 968. 4 ep. 52. ad Antonianum. 5 lib. 1. observation. capit. 23. 6 loco citato 7 loco citato capit. 24. sect. 5. 8 de Primatu Papæ c. 6. p. 85. 86.

1. ap. Plutarch. in Numa p. 67. 2 ibid. p. 69. 3 Dionys. Halicarn. li. 3. p. 178. 4 Dio Cass. l. 37. p. 52. edit. H. Stephan. 5 ap. Plut. l. c. p. 67. 6 de V. J. P. p. 20. 7 Genial. Dier. lib. 5. c. 10. 8 syntagm. de Vesta c. 13. 9 5. Fastor. 10 lib. 9. epist. 128. 129. ed. Parei. 11 ap. Grut. p. 1088. 3. 12 Guther. V. J. P. lib. 1. c. 5.

dicebantur qui curabant oleum & vinum, quorumque erat eadem expressa capulare, hoc est, capulis deplere & in labra & dolia transfundere. Videsis Catonem *de Re rustica* cap. LXVII. & LXVIII. Plinium leg. XV. capit. IV. Collumellam l. XII. capit. L. Hi sicut in Urbe, ita in municipiis & coloniis corpus quoddam, perinde ac reliqui opifices varii generis, constituebant. Qui ergo Tiburte erant, Sauffejæ ob aliquod beneficium ab ea acceptum, vel & reverentia sacerdotii, saxum id posuere: quemadmodum Fundanio cuidam patrono civitatis Asculensis Caplatores municipii istius idem fecere pag. CCCCXIV. I. Sic enim accipiendum, ut ὁ πάνυ Reinesius me docuit, quod ibi legitur: M. CAP. LATORES; hoc est, *Municipii Caplatores*; non ut Scaliger voluit, *Latores municipii Cap.* Denique & Patavii fuisse Vestales, cum Cl. V. Octavio Ferrario Sertorius Ursatus in *Monumentis Patavinis* [1] quadriennio abhinc editis censet, eoque refert saxum Patavinum, quod est apud Gruterum p. CCCXI. 3. Deinde in eo fallitur Lipsius, quod putat nullum fuisse Romæ Pontificem Vestæ præter Maximum. Occurrit enim [2] *Vitrasius Orphitus* & [3] *Vettius Agorius Prætextatus*, uterque Romæ, & *Pontifex Vestæ*, neuter Maximus. Parum abest quin omnes qui in Collegio essent, ita vocatos dicam. Suadet Symmachi locus ep. ad Prætextatum [4]: *Nisi mavis*, ait, *auctoritatem Pontificis experiri. Multa nobis in collegio deliberanda sunt. Quis tibi has inducias publici muneris dedit? Senties jus sacerdotis, nisi impleveris jus amici.* Videntur ergo in eodem collegio fuisse. Symmachus autem unus e collegio Pontificum erat, ut passim epistolæ [5] illius docent: & quidem Major, sicut patet ex inscriptione Romæ in monte Cœlio A. CIↃIↃCXVII. effossa, quam videre est apud Isac. Pontanum *Auctario notarum ad Macrobium* [6]. Ubi diserte *Pontifex major* dicitur. Legendum vero ibidem (ut hoc obiter moneam) PRAEF. URB. hoc est, *Præfectus Urbis*, non ut Pontanus edidit, PRAET. Talis ergo & Prætextatus fuit. Unde *sacrorum omnium præsul* vocatur apud Macrobium [7], quod idem est ac Pontifex. At is in Inscript. veteri [8] tantum *Pontifex Vestæ & Pontifex solis* dicitur: cum tamen omnes illius dignitates enumerentur: non autem *Pontifex* simpliciter aut *Major*. Ac videtur *Vestæ* nomen ideo additum, quoniam & Solis Pontifex esset. Adde quod nusquam alibi leguntur Pontifices Vestæ a Pontificibus absolute sic dictis distincti. Videntur igitur iidem fuisse. Atque hinc factum, ut Ovidius Cæsarem Pontificem max. Vestæ sacris præesse scripserit. De quo vide infra cap. IV. Gutherius [9] vult & Virgines ita dictas cum legantur [10] PONTIFICES VESTAE. V. V. C. C. Quod ille exponit *Virgines Vestales Castissimæ*. Sed cur aliter exponemus has Siglas, quam ut in sexcentis aliis & ea ipsa Inscriptione extrema, cum *Viros clarissimos* notant? præsertim quum nusquam repperiantur Pontifices Vestæ alii quam mares. Et annon ineptum esset dicere: *Pontifices Vestæ Virgines Vestales castissimæ*: cum alterutrum sufficiat? Potius crediderim Collegium Pontificum intelligi. Sed de nominibus satis ac fortasse plus satis. Nunc rem ipsam bono cum Deo aggrediamur.

1 lib. 1. sect. 2. p. 76. 77. 2 ap. Grut. p. 438. 1. 3 pag. 310. 2. & p. 1102. 2. 4 lib. 1. epist. 47. 5 l. c. & ib. ep 51. lib. 9. ep. 108. 109. 128. 129. 6 pag. 745. 7 1. Saturnal. capit. 17. 8 pag. 1102. 2. 9 loc. citat. 10 Inscription. p. 173. 5.

## Cap. III.

*Origo Pontificatus Maximi a Numa. An is plures Pontifices crearit? Rosini fraus. Figmentum Suidæ exploditur. Pontif. maxim. a populo in Comitiis electus. Qualia illa fuerint?* Comitia Pontificis maximi *A quo habita? Pontificis maximi electio a Sulla ad collegium; inde a Labieno ad populum; ab Antonio iterum, ad collegium translata. Dio explicatus. Imperatoribus Pontificatus maximus a Senatu delatus. Non statim suffectus alius. Aetas nulla definita. Pontificem esse debuisse, qui elegendus. An Pontifex Maxim.* captus? *Non debuisse Pontificatum infausto die suscipi.*

PRIMAM Pontificis Maximi originem a Numa esse apud omnes in confesso est. Sed illud dupliciter intelligi potest, primo negative, (ut Scholæ loquuntur) ut non fuerit major aliquis; deinde positive, ut etiam sub se habuerit Pontifices alios. Priori modo indubium est, Pontificem Maximum a Numa constitutum Marcium Numam filium M. Marcii Sabini (qui comes Numæ Pompilii post Regis, Curibus venerat) ac Anci Regis patrem. Sed de posteriori res non æque manifesta est. Quatuor ab initio Pontifices fuisse, colligunt vulgo e Livio, qui [1] refert A. V. C. CDLIV. cum ea tempestate quatuor Pontifices essent, quatuor alios adjectos. Sed id non magis inde sequitur, quam si, quod quatuor Augures tunc essent, ab initio quoque totidem fuisse colligas: cum tamen a Romulo tres tantum instituti sint. Et tam incertum est, quatuor ab initio statim creatos Pontifices, ut ne quidem in eo Scriptores veteres consentiant, plures uno a Numa fuisse constitutos. Livius [2] sane non nisi unius meminit: *Pontificem deinde Numam Marcium M. F. ex Patribus elegit.* Non dicit *Maximum*, nec *post minores Pontifices creatum*, uti a [3] Rosino perperam is locus citatur. Dionysius [4] quoque tantum ait, *ultimam Numæ institutionum de sacris partem fuisse, quam acceperint qui summum apud Romanos sacerdotium & potestatem habent, ac Pontifices appellantur*: Plutarchus [5], διάταξιν καὶ κατάστασιν *Pontificum dedisse Numam*: Neuter, plures creatos. Apud eundem Livium cap. XXXIII. *Maximi* nomen abesse a MS. notavit Rhenanus; & adhuc sub primis Consulibus lib. II. capit. II. & XXVII. Pontificis tantum, non Maximi, aut plurium mentio fit. His rationibus, credo, inducti sunt [6] Jac. Pontanus & [7] Alex. ab Alexandro, ut ille *lapsis* demum *temporibus collegium Pontificum fuisse*, hic *interjectis temporibus ad quatuor auctum* scriberet. Tamen Canulejus Tribunus Pl. apud Livium [8], & Florus lib. I. cap. VIII. ajunt Pontifices a Numa creatos esse. Suidas in Νουμᾶς, τοὺς λεγομένους ποντίφικας καὶ φλαμινίους ἐπέστησε. Sed Suidæ exigua heic auctoritas est; & ipse alibi [9] unum tantum a Numa creatum refert. Cæteros solum de ordine Pontificum a Numa instituto loquutos fortassis non male dixeris. Quomodo Dionysius διάταξιν & κατάστασιν Pontificum ab eo datam ait. At sub Regibus sequentibus videntur plures fuisse. Dionysius [10] enim ἱεροφάντας (ita vocare solet Pontifices) ab Anco convocatos memorat; & dicitur Tullus Rex auctoritate collegii Pontificum pomœria Urbis produxisse. Atque huc facit, quod apud Livium [11] Ancus *sacra publica ex commentariis Regis*

1 lib. 10. cap. 6. 2 lib. 1. 20. 3 Antiquitat. Roman. 3. 20. 4 lib. 2. pag. 132. 5 in Numa p. 65. 6 lib. 4. progymn. 14. 7 lib. 5. G. Dier. capit. 10. 8 lib. 4. capit. 4. 9 in ποντίφιξ. V. mox §. 2. 10 l. 3. p. 178. 11 lib. 1. 32.

(Numæ) *Pontificem max. in album relata, proponere in publicum jussit.*

II. Utcumque fuerit, saltem priori modo, ut diximus, Pontifex Max. a Numa creatus est. Et sic accipi potest Scriptor *de Viris illustribus*, cum ait *Numam Pontificem Max. creasse*. Occasionem tradit Suidas, Ποντίφιξ ὁ μέγας παρὰ Ῥωμαίοις ἱερεὺς, ὃν Νουμᾶς ὁ νομοθέτης κατέστησεν, ἡνίκα βιαίῳ ῥευματιφερόμενος ὁ Θύβρις, τὸ πρεσβύτατον ζεῦγμα ἐλάμβανεν, εὐχὰς οὗτος μειλικτηρίους πρὸς τῷ ποταμῷ ποιησάμενος, μὴ διαζυγῆναι τὴν γέφυραν, ἔπεισε τὸν ποταμὸν, ἡσυχῇ καὶ εὐτάκτως ἀναχεῖσθαι τοῦ ζεύγματος. Vult ideo factum Pontificem, ut precibus suis efficeret, ne Tiberis antiquissimum pontem rumperet. Quod figmentum est. Nam Tiberinum pontem post annos XXX. demum Ancus ædificavit, ut discimus e Livio, Dionysio, Floro, aliis.

III. Reliqui sub Regibus Pontifices Max. utrum a Regibus, an a populo vel collegio facti sint, non liquet. Sicut nec de aliis, qui proxime post exactos Reges fuerunt. Gutherius conjicit [1] primum Curiatis Comitiis factos, ut Patricios sacerdotes omnes: postquam autem sacerdotia plebi communicata, Tributis. Illud e Livio [2] scimus, Q. Fulvio Flacco & Appio Claudio Pulchro Coss. hoc est, A. V. C. IↃXLII. & deinceps a populo in Comitiis creatos. Ait enim, tunc *Comitia Pontifici maximo creando habita*. Idque etiam haud paullo ante fieri solitum inde colligas, quod neque eo loco, neque totis quinque libris præcedentibus (tot enim continua serie exstant) hunc morem ut novum ullibi memorat. Quare lapsus est doctissimus Onuphrius, cum lib. V. *Fastorum* Cn. Domitium *primum populi suffragiis electum Pont. Max.* scripsit. Livii quidem epitoma LXVII. dicitur *populi suffragio creatus*, sed id non ostendit primum sic creatum fuisse. Qualia autem Comitia ea fuerint primum, nullibi repperio. Postea tamen Tributa fuisse, apparet e Suetonio [3], qui ait, Cæsarem, cum Pont. max. crearetur, *plura in competitorum TRIBUBUS SUFFRAGIA, quam utrumque in omnibus tulisse*. Sed & ante legem Domitiam, hoc est, ante A. IↃCL. id obtinuisse, colligitur e Ciceronis II. contra Rullum c. VII. [4] Ubi postquam dixisset, *Veteres propter amplitudinem sacerdotii* (de Pontifice max. loquitur) *voluisse populo supplicari*, subjungit: *Atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius V. C. Tr. pl. tulit*. Ergo eodem modo ante legem Domitiam creabatur Pontifex Maximus, quo post eam sacerdotes ceteri collegiorum. Ex eodem Cicerone apparet, his comitiis non omnes Tribus, sed tantum XVII. forte ductas, suffragia tulisse. Ait enim Rullum *jussisse Tr. pl. creare decemviros per Tribus XVII*; easque *sortis beneficio vocatas*: addidisseque; UT COMITIIS PONTIFICIS MAX. Quare & proprie loquendo non vera Comitia, sed plebis concilium id fuit. Quod si patricius Pontifex designaretur, credibile est propter vim auspiciorum, quorum jus soli patricii habebant, Curiatis Comitiis fuisse confirmatum: quo non opus erat, cum plebeii creabantur. De quo adeundus Gutherius lib. I. c. VIII.

IV. Dicebantur autem Comitia, quibus Pontifex max. eligebatur, *Comitia Pontificis max.* (ut *Comitia Maximi Curionis* [5]) quemadmodum patet e rogatione Rulli apud Ciceron. [6], vel, ut apud Livium [7] est, *Comitia Pontifici max. creando*. Ea initio unus de Collegio habuit. Docet Livius V. cap. XXV. *Comitia inde Pontifici maximo creando sunt habita. Ea comitia novus Pontifex M. Corn. Cethegus habuit*. Quod non fuisse factum extra ordinem, hinc patet, quod tum Romæ Censores ac Prætores essent, qui habere Comitia illa poterant, nisi id ad Pontifices pertinuisset. At post legem Domitiam sicut cetera sacerdotum Comitia Tributa Consules habebant, ut colligunt e Cicerone epist. V. ad Brutum: ita & iis quibus Pontifex Max. crearetur, præfuisse, Gruchius [1] existimat. Quod suo loco relinquimus.

V. Post annum ab V. C. IↃCLXX. L. Sulla, antiquata lege Domitia, jus Sacerdotum creandorum a populo ad collegium reduxit. Meminere Dio libro XXXVII. & Asconius in *Divinationem*. Sed Anno IↃXCI. quum T. Attius Labienus Trib. pl. rogationem tulisset, Cæsar autem anniteretur, electiones sacerdotum ἐς τὸν δῆμον αὖθις ὁ ὅμιλος παρὰ τὸν τοῦ Σύλλου νόμον ἐπανήγαγεν; *iterum ad populum contra Syllæ legem*) ita enim distinguendus hic locus,) *plebs reduxit*. Sicque Cæsar Pontifex maxim. factus est. Testis idem Dio loco quem diximus. Hanc utramque legem ad Pontificatum quoque maxim. pertinuisse existimo. Ad hunc enim adspirante Cæsare, quid opus antiquata Sullæ lege, si ea tantum ad reliquos sacerdotes pertinebat? Ecquid juvisset Cæsarem lex Attia a Labieno lata, si non ad Pontificis Maximi electionem spectasset? Nihil omnino. Erat enim jam ante absens factus Pontifex [2]. Nunc in Metelli locum Maximus creari petit. Hoc cum manifestissimum sit, miror ab aliis aut omissum aut negatum esse. Objicit [3] Gutherius, quod Metellus Pius *adolescens in petitione Præturæ & Pontificatus, consularibus viris prælatus est* [4]. *Petitionem* enim, inquit, nemo non dixerit ambitum, quo favor populi captari solet. At unde probat hunc solum dici *petitionem*? Numquid alii etiam extra Comitia honores petierunt? Et si verum esset, potuit tamen Scriptor *de Viris illustribus*, cum *Petitionem præturæ* dixisset, etiam *Pontificatus* addere studio brevitatis, rem passim apud Scriptores veteres obviam. Denique clariora sunt verba Dionis, quam ut hisce offuscari possint: rursus post annos XIX. ut Lepidus Pontificatum Maxim. consequeretur, M. Antonius Cos. ἐς ἱερέας αὖθις ἀπὸ τοῦ δήμου τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπανήγαγε [5]; *Pontificis max. electionem a populo ad Pontifices iterum transtulit*. Nihil opus est illud αὖθις cum Gutherio exponere *deinceps*. Αὖθις ἐπανήγαγεν est *iterum reduxit*, ut apud eundem Dionem XXXVII. loco modo adducto. A Sulla enim hoc jus ad Collegium a populo translatum antea quoque erat, ut ostendimus. Post Lepidi mortem Augustus Pontificatum suscepit; sed a quo creatus sit, non invenio. Fortasse tamen a Senatu: a quo etiam sequentibus Impp. is honor in signum imperii cum reliquis titulis delatus est. Exempla habes apud Capitolinum *Macrino*, Lampridium *Alexandro*, & Vopiscum *Probo*.

VI. Porro in locum demortui statim quidem sufficiebatur alius Pontifex: non autem Maximus; qui postea demum eligebatur. Sic cum A. V. C. IↃXLII. obiisset L. Corn. Lentulus Pont. max. sub sequentibus demum Coss. P. Crassus in ejus locum suffectus est [6]. Quæ tamen observatio fortassis ante legem Domitiam tantum locum habet. Postea enim videntur iisdem Comitiis Pont. max. ac ceteri sacerdotes creati. Apud Livium certe semper conjunguntur. Ætas huic honori nulla definita videtur, sicut nec reliquis sacerdotiis. Q. enim Metellus Pius adolescens Pont. max. factus est, ut refert Scriptor *de Viris illustribus*. Solum ante annum XVII. quo togam virilem accipiebant, non

1 lib. I. V. J. P. cap. 8. 2 lib. 25. 5. 3 Julio cap. 13. 4 juxta edit. Gruter. 5 ap. Liv. 27. 8. 6 loc. cit. 7 lib. 25. 5.

1 lib. 2. de Comitii. Rom. c. 2. 2 Vellei. 2. 43. 1. 3 lib. 1. c. 9. 4 Victor de Viris Ill. in Q. Metell. Pio. 5 Dio. l. 44. 6 vid. Liv. 25. 2. & 5.

videntur creati. Illud autem necesse erat, ut Pontifex esset, qui cuperet Maximus fieri. Alias enim semper uno auctum fuisset collegium, quotiens novus Pont. max. allegeretur. Et constat inductione exemplorum, nullum electum Pont. max. qui in collegio non esset. Eamque ob caussam, ut reor, solebant Imperatorum filii sive Cæsares in Collegium supra numerum cooptari. Qui electus erat, dicebatur fortassis, ut reliqui Pontifices [1], *nominari* & *designari*. An & *capi*? Negat Gutherius [2] nec patitur de Maximo accipi, quod de Pontificibus affirmat e Catone Gellius lib. I. cap. XII. Nam eum capi non solere, ait Catonis ipsius verba declarare. Sunt autem ista, ut e MS. Regis Galliæ optime emendavit Cl. Lambecius [3]: *Tamen dicunt deficere voluisse. Ego me nunc volo jus Pontificium optime scire; jamne ea causa Pontifex capiar?* Acutum videre oportet, qui hic reperiat, quod vult Gutherius. Ego fateor me id non posse. Interim nec *captum* dixerim Pontificem Max. præsertim quando a Populo eligebatur. Unicum addo, cavisse Veteres, ne Pontificatus max. infausto die susciperetur. Id enim vitio versum Vitellio, testatur Tacitus [4]. Nam eo potius, quam cum Alexandro ab Alex. ad collegium consultum, ut referam verba Taciti, persuadet Suetonius [5], qui diserte scribit Vitellium, *omni divino humanoque jure neglecto, Alliensi die Pontificatum maxim. cœpisse*.

---

## CAP. IV.

*Variæ appellationes Pontificatus Maximi*. Pontificium. *Partes ejus duæ*. *Officia Pontificis Max. recensita*. *Interpretabatur religiones*. *Hierophanta dictus*. *Edicebat de cærimoniis*. *Respondebat de religione*. *Piacula conquirebat*. *An de juramentis judicarit? Custodiebat religionem*. *Libros tollebat*. *An statuas amoverit? Servabat Ancilia: quod tamen aliquando & Salii fecere*. *Vestales capiebat ac judicabat*. *Præibat verba in votis publicis, obsecrationibus, dedicationibus, devotionibus*. *Florus notatur*. *Carmen Pontificale*. *Quomodo id recitatum? An Pont. max. in ludis præcantarit? Capiebat ac inaugurabat Regem, Flamines, Pontifices: idque juvante augure*. *Arrogationibus intererat*. *De matrimonialibus respondebat*. *Confarreatos jungebat*. *Annum interkalabat ac corrigebat*. *Anni emendatio, jus majestatis*. *Annales maximos condebat*. *Qui & quales illi? Fasti, commentarii Pontificum, & de religione*. Raræ Literæ. *Livius, Cicero, Plautus, Gellius, Servius, illustrati*.

DIXIMUS, a quo constitui soleret Pontifex noster: nunc ad illud, quo Pontifex Max. est, id est, ad formam, & ut ita dicam, essentiam ejus progrediamur. Eam Romani dixere *Pontificatum Maximum*; Græci *ἀρχιερωσύνην*, *ἱερωσύνην μεγίστην* [6], & *ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν* [7] Possis & *Pontificium Max.* vocare. Nam *Pontificium* proprie est potestas, dignitas, officium Pontificis. Unde postea cum extenderetur Pontificum nomen, pro sacerdotio simpliciter, & a Christianis pro Episcopatu usurpatum est, ut ab initio monuimus. Imo pro quacunque potestate & auctoritate, ut dudum observatum Eruditis, inter hos Jureto ad VII. *Symmachi epist.* XXVII. Pet. Ciaccono *notis in Cassianum*, Carrioni lib. I. *Emendation.* c. X.

A Calvino in *Lexico Juridico*, Baronio *Notis ad Martyrolog.* IX. Aprilis, Bulengero I. *de Imperatore* cap. XVIII. Heraldo ad II. *Arnobii*, Salmasio ad *Historiam Augustam* [1], Stephanio ad X. *Saxonis Grammatici*, aliisque. Exempla habes apud Gellium I. cap. XIII. Arnobium II. *adv. Gentes*; Symmachum III. epist. XVII. & VII. epist. XXVII. Chalcidium *in Timæum* [2], Petrum Chrysologum *serm.* V. Arnobium juniorem in *Psalm.* LXIIX. & CXIII. Petrum Blesens. *ep.* X. lege III. Cod. Theodos. *de Episcopali judicio*, &c. Cæterum Pontificatus Max. duæ sunt partes: Officium sive sacra Functio, & Imperium sive Potestas sacra. In utroque B quædam illi communia cum reliquis e collegio; quædam propria. Illius generis sunt quæ passim aut Pontificibus seorsim aut collegio tribuuntur. Nam ea Nostro quoque, ac cum prærogativa quadam convenisse quis dubitet? Nos fere de his agemus solum quæ de Nostro diserte Scriptores tradunt: ac primum de Officio, quod veluti finis est, cujus gratia & constitutus est, & potestate armatus. Hoc in quatuor quasi classes distribui potest. Primo enim ac præcipue illius erat RELIGIONES INTERPRETARI. Nam ut Livius ait I. cap. XX. primo Pontifici *Numa Rex sacra omnia exscripta ex-* C *signataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica privataque sacra illius scitis subjecit, ut esset quo consultum plebs veniret*. Adde Dionysium Halicarn. lib. III. Unde Plutarchus ait [3], *eum Exegetæ ac prophetæ, vel potius Hierophantæ instar esse*: & Dionysius *ἄνδρα ἱεροφάντην* appellat. Erat autem Hierophanta apud Atticos, qui mysteria docebat: Tacitus [4] *Antistitem cærimoniarum*, Hesychius *μυσταγωγὸν* dixit. Videndus eruditiss. Meursius cap. XIII. *Eleusiniorum*, & Elmenhorstius ac Heraldus ad V. *Arnobii*. Ob hanc affinitatem videtur S. Hieronymus [5] Hierophantæ sacerdotium *Pontificatum* D vocasse. Ut igitur ille mysteriis initiabat; ita Pont. Maxim. Sacerdotes ac populum de cultu Deorum, de sacrificiorum ac festorum ordine ac modo, quæque alia ad religionem spectabant, edocebat. Itaque cum primum suscepisset Pontificatum, edicebat de cærimoniis, ut patet exemplo Vitellii ap. Suetonium capit. XI. & Tacitum *Hist.* l. II. cap. XCI. Postea si quæ controversia ad religionem pertinens, puta de sacris, de feriis, de votis, de sepulcris, incidisset, eamque Senatus aut plebs ad Pontifices rejiceret (nam id solebat plerumque fieri [6]: etiam si quid privato alicui religione domestica piandum aut instituendum esset [7]) consulentibus E pro collegio respondebat. Exempla habes apud Ciceronem *pro Domo* capit. LIII. Livium IV. capit. XLIV. Deinde si prodigium aliquod accidisset, piacula iræ Deum conquirebat. Livius XL. capit. XXXVII. ubi de pestilentia: *Prodigii loco ea clades haberi cœpta est. C. Servilius Pont. Max. piacula iræ Deum conquirere jussus*. Simile de toto collegio vide apud eundem XXXIX. Etiam controversias de Juramentis decidisse scribit Vir doctus [8]: eoque trahit Plauti [9] illud:

*Libet jurare. tun' meo Pontifex perjurio es?*

F Quod de cognitione Pontificum etiam Dousa *Comm. ad Horat.* c. VII. ac Rævardus lib. II. *Variar.* cap. III. & lib. VI. *Rer. judicat.* c. II. exponunt. Sed malim cum Gutherio [10] ac nupero editore Belga, ad expiationem criminis referre.

1 ap. Liv. 26. 23. Grut. Inscript. p 244. 1. 2 lib. 1. cap. 8. 3 Prodromo lucubr. Gellian. p. 87. 4 Hist. 2. 91. 1. 5 In Vitellio cap. 11. 6 V. Plutarch. in Fabio p. 189. 7 Dionys. lib. 3.

1 p. 378. 2 p. 97. 186. 3 in Numa p. 66. 4 Histor. 4. 83. 4. 5 lib. 1. adv. Jovin. cap. ult. 6 Vid. Brisson. de For. 2. p m. 209. Guther. 1. 33. V. Cic. pro domo cap. 51. 8 Jo. Henr. Meibom. comm. ad Jusjur. Hippocr. cap. 22. 9 Rud. 5. 3. 10 lib. 2. 3.

II. Deinde Pontificis erat PROVIDERE NEQUID RELIGIO DETRIMENTI PATERETUR. Quare prohibebat [1] transgredi τὰ νενομισμένα, hoc est, quæ de sacris ac religione constituta erant; ac [2] ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, ac peregrinos adsciscendo, turbaretur. Quod si quid contra jus religionis a Senatu populove decretum esset, intercedebat. Sic cum Cn. Flavius Ædilis Curulis ædem Concordiæ dedicare vellet, negabat [3] Cornelius Barbatus Pont. Max. nisi Consulem aut Imperat. posse templum dedicare. Et [4] cum civitas ludos Jovi donumque vovere jussisset Consulem, moram voto publico Licinius Pont. Max. attulit, qui negavit ex incerta pecunia voveri debere. Eandem ob caussam Regem sacrificulum jubebat Magistratu se abdicare; ac Flamines Martialem ac Quirinalem retinebat in Urbe ad sacra, nec sinebat Italia excedere. De quo adeundi Tacitus *Annal.* III. cap. LVIII. Livius XXXVII. cap. LI. & lib. XL. cap. XLII. itemque Epitoma ejus XIX. Cicero *Philipp.* XI. cap. VIII. Valerius Maximus lib. I. cap. XII. Neque enim animus est adscribere semper verba auctorum, qui in manibus omnium versantur, certe versari debent. Libros sacros si religioni inutiles aut noxii essent, tollebat. Exemplo est Augustus, qui [5] *postquam Pontificatum max. suscepit, quicquid fatidicorum librorum nullis vel parum idoneis auctoribus ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit.* J. Rycquius [6], cum quo consentit Cl. Arnisæus [7], vult ei & statuarum curam incubuisse, ut si quæ cultum Deorum impedirent, locove incommodo positæ essent, eas amoveret: eoque allegat exempla Lepidi, Augusti & Caii, e Livio XL. cap. I. Suetonio Aug. cap. XXXI. & Calig. cap. XXXIV. Sed Lepidi factum, amoventis e columnis circa ædem Jovis in Capitolio signa incommode opposita, Livius diserte ad munus Censoris refert. De Augusto vero & Cajo non liquet, utrum ut Pontifices, an ut Principes, statuas ille restituerit, hic subverterit. Potius huc pertinet Custodia armorum Ancilium, quæ a Pontifice, ut Servius ad VIII. *Æneidos* ait, in sacrario in Regia custodiebantur. Dio XLIV. de Julio: ὅπλα τὰ Ἄρεια παρ' αὐτῷ τό τε ὡς ἐγὼ παρὰ ἀρχιερεῖ κατά τι πάτριον κείμενα ψόφον τῆς νυκτὸς ἐποίησεν. Huc refer nummos Augusti [8], in quibus Albogalerus inter duo Ancilia, & nomen P. Stolonis. Nam ad Salios non pertinere, quasi unus ex iis fuisset Stolo, recte notatum Ursino est. Salii enim patricii erant; Stolo plebejus. Observo tamen, postea a Saliis custodita. Inscriptio [9] vetus: MANSIONES. SALIORVM. PALATINORVM. A. VETERIBVS. OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS. LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS. PECVNIA. SVA. REPARAVERVNT. PONTIFICES. VESTAE. &c. Ubi Gruterus ait, fidenter legendum ANCILIVM pro eo quod apud Appianum, Mazochium & Metellum est *Annalium*, apud Jocundum *Magnalium*, & apud Demsterum *Magnatium*. Sed & si retineas *Arma annalia*, non alia tamen quam Ancilia innui dixerim.

III. Peculiari ratione ad Pontificem Max. spectabat Cura Custodiaque, tum sacrorum Vestæ ignisque æterni; tum Virginum Vestalium: quarum ideo ἐπίσκοπος Plutarcho [10] audit. Illis præfuisse, ex Ovidio discimus. Sic enim III. *Fastorum* de die VI. Martii, quo Cæsar Augustus Pont. max. factus est, canit:

*Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ;*
*Gratare, Iliacis thuraque pone focis.*
*Cæsaris innumeris, quos maluit ille mereri,*
*Accessit titulis Pontificalis honor:*
*Ignibus æternis æterni numina præsunt*
*Cæsaris; imperii pignora juncta vides,* &c.
*Ortus ab Aenea tangit cognata sacerdos*
*Numina: Cognatum, Vesta, tuere caput.*
*Quos sancta vovet ille manu, bene vivitis ignes:*
*Vivite inexstincti, flammaque, duxque, precor.*

Unde Julium Cæsarem *Vestæ sacerdotem* idem V. *Fastorum* dixit. Has primo eligebat capiebatque: expulsis scilicet Regibus, quorum antea id jus fuerat. Gellius [1]: *Papiam legem invenimus, qua cavetur, ut Pontificis max. arbitratu Virgines e populo viginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat: & cujus virginis ducta erit, eam Pont. Max. capiat.* Quod postea sine sortitione poterat fieri, si quis honesto loco natus adibat Pont. Max. atque ad sacerdotium filiam offerebat, ut idem Gellius observat: qui & quomodo ac quibus verbis Vestalis caperetur, tradit. Deinde si quæ deliquisse diceretur, cognoscebat de delicto, non tamen solus, sed cum frequenti collegio, ut innuit Cicero *de Harusp. Resp.* cap. VII. Si innocens erat, absolvebat eam de collegii sententia, & cavere deinceps jubebat. Sic [2] Postumiam incestus accusatam, absolutam pro collegii sententia Pontifex Max. abstinere jocis, colique sancte potius quam scite, jussit. Ac similiter [3] Martiam & Liciniam ab incestu L. Metellus absolvit. Ubi vero peccati convicta esset; si leve erat, castigabat. P. Asprenas apud Senecam [4] declamans contra prostitutam: *Castigationem ex Pont. Max. arbitrio meruerat Sacerdos, si te e lupanari redemisset.* Hoc est, verberabat, sive flagris cædebat. Paullus epitoma Festi: *Ignis Vestæ si quando interstinctus esset, virgines verberibus afficiebantur a Pontifice.* Vide & Plutarchum in *Numa*; & exempla apud Livium XXIIX. cap. XI. Valer. Max. lib. I. cap. I. Jul. Obsequentem *de Prodigiis* cap. LXII. Eadem pœna afficiebat, qui Vestales stupraverant. Livius [5]: *L. Cantilius scriba, qui cum Feronia stuprum fecerat, a Pont. Max. eo usque virgis in Comitio cæsus est, ut inter verbera exspiraret.* Adde Dionysium IIX. & IX. Suetonium in *Domit.* IIX. Plinium IV. *epist.* XI. Denique quæ virginitatem polluerat, eam damnabat Pontifex, ut primum flagris cæderetur (nam tunc quoque factum, docent Plutarchus & Dion. lib. IX.) post viva defoderetur. Cujus rei exempla passim occurrunt. Vide Livium VIII. cap. XV. & lib. XXII. cap. LVIII. Asconium in *Milonianam*, Suetonium, Dionysium ac Plinium locis modo allegatis. Totum autem processum supplicii hujus enarrant Dionysius II. ac Plutarchus in *Numa*, in quo Pontificis max. partes, comitari ream per Urbem; prope specum arcanas quasdam preces peragere; eductam lectica in scala, quæ ad specum ducebat, constituere; hisque peractis reverti. Plura huc vide apud Lipsium erudito *de Vesta* Syntagmate cap. XIII.

IV. Tertio tenebatur ACTIBVS QVIBVSDAM SOLENNIBVS INTERESSE, qui ad religionem pertinebant. Primum enim in votis nuncupandis, in obsecrationibus, in dedicationibus templorum ararumque, in devotionibus pro patria, aderat & verba præibat Magistratui aut populo quæ dicenda essent. De ludis, templis, donis Deorum votis, præeunte Pontifice Max. habes

1 Plutarch. l. c. 2 Livius 1. 10. 3 Livius 9. 46. 4 Id. 31. 9. 5 Suetonius in August. 31. 6 de Capitol. Rom. cap. 26. 7 de subject. exemt. Cleric. cap. 1. 5. 8. 8 ap. Ursin. de famil. Rom. p. 137. Guill. du Choul de la relig. des anciens Rom. p. 260. aliosque. 9 ap. Grut. p. 173. 5. Appian. p. 217. Demst. ad Rosin. 2. 12. 10 in Numa p. 66.

1 lib. 1. 12. 2 Liv. 4. 44. 3 Ascon. in Milonian. p. 198. edit. Lugduno-Bat. A. 1644. 4 lib. 1. controv. 2. 5 lib. 22. 57.

apud Livium IV. cap. XXVII. lib. XXXI. cap. IX. lib. XXXVI. cap. II. & lib. XLI. cap. XXVIII. Refert huc Brissonius [1], quod apud Livium XLI. cap. XXI. Q. Marcio Philippo præeunte populus votum concepit. Sed is decemvir sacrorum fuit: Pontifex autem Max. eo tempore Lepidus erat, ut ex eod. libro cap. XXVII. apparet. De obsecrationibus Suetonius *Claudio* cap. XXII. testis est. De dedicationibus est apud Livium IX. cap. XLVI. & Plinium *Hist. Nat.* XI. cap. XXXVII. Postremo de devotione pro patria, illustre exemplum suppeditat M. Fabius Pont. Max. qui Urbe a Gallis Senonibus obsessa præfatus est carmen quo senes pro patria se devoverunt; ut narrant Livius lib. V. cap. XLI. Plutarchus in *Camillo*, ac Florus lib. I. cap. XIII. Qui tamen Florus, ut hoc obiter moneam, cum paullo post ait, Manlium dimisisse ab arce Fabium Pontificem; eundem, ut puto, M. Fabium intelligens, memoria lapsus est. Neque enim C. Fabius Dorso, qui sacra Fabiæ gentis in monte Quirinali peregerat, Pontifex fuit. Duo enim ex eadem gente Pontifices esse non poterant. Nec Pontifice opus erat ad sacrificium unius gentis. Præterea Livius [2] tantum *juvenem Romanum*, & apud eundem [3] Camillus *egregium adolescentem*; nemo, quod sciam, præter Florum, *Pontificem* vocavit. Porro dum verba solennia præibat Pontifex, dicebatur Græcis [4] ἐξηγεῖσθαι, Latinis [5] *præfari carmen*, & interdum simpliciter [6] *præire*. Formulam ipsam *Pontificale carmen* appellat Seneca *Consol. ad Marciam* cap XIII. Idque etiam apud Servium se repperisse putat Tiraquellus [7], qui ad *Aeneid.* II. scripserat: VIGILASNE DEUM GENS: *Verba sunt quibus Pontif. Max. utitur in pulvinaribus; quia variam scientiam suo inserit carmini.* Cum tamen posteriora non ad Pontificis Max. sed ad Virgilii carmen, *Aeneida* scilicet, referenda sint, cui multa eum ex arcanis juris Pontificii inseruisse, aliquotiens Servius monuit. Dabat autem Pontifex max. operam, ut cum præiret, id fieret ore & verbis minime hæsitantibus. Unde laus illa Metelli Pontificis, quod [8] *tutelam cæremoniarum per duos & xx. annos neque ore in votis hæsitante, neque in sacrificiis tremula manu gesserit*. Gutherius [9] in Circensi quoque pompa & sacris omnibus publicis præcinuisse Pontificem maxim. & hymnorum cantus inchoasse colligit ex illo Ciceronis Orat. *de Harusp. Resp.* cap. X. *Te appello, Lentule, ( tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, &c. ) vosque Pontifices*. Inepte. Nam Lentulus is, quem hoc loco adloquitur, neque Pontifex max. ( erat enim is Cæsar ) neque omnino Pontifex fuit. Non est enim idem, qui cap. XII. *Pontifex & Cos.* dicitur: illi enim *Publius*, huic *Cneius* prænomen erat. Unde & addit: *Vosque Pontifices*: & statim: *Respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio Pontificum*; ut facile appareat alios a collegio Pontificum fuisse collegas Lentuli, forsan Augures, aut alios sacerdotes. Ut Auguri igitur, non ut Pontifici, præcentionem ac ludos videtur Cicero tribuisse.

V. Sed & idem Pontifex intererat Comitiis, quibus Sacerdotes aliquot præcipui creabantur, eosque capiebat ac inaugurabat. Quales erant Rex sacrorum, Flamines, Pontifices, ac fortasse alii. Ac de Rege quidem sacrificulo testatur Livius XL. cap XLII. C. Servilium Pont. max. jussisse L. Cornel. Dolabellam magistratu sese abdicare, ut eum inaugurare. Flaminem autem Dialem C. Val. Flaccum invitum inaugurare coegisse P. Licinium Pont max. narrat idem XXVII. cap. VIII. Ut ab Licinio captus fuerit, est apud eundem & Valerium Max. VI. cap. IX. Atque hoc est, quod scribit e Labeone [1] Lælius Felix ( sive malis cum doctissimo Gronovio [2] L. Ælium Stilonem esse: ) *Calata Comitia pro collegio Pontificum haberi aut Regis aut Flaminum inaugurandorum causa. Pro collegio* est apud Collegium, præsente collegio: quomodo apud Livium II. cap. XXVII. populus jussit dedicaturum ædem Mercurii *solennia pro Pontifice suscipere*, hoc est, præsente ac præeunte Pontifice. Sic *pro rostris*, *pro tribunali*, *pro concione* fieri dicuntur, quæ in iis, & apud ea fiunt. Ceterum e Gellio patet, etiam alios Flamines a Pont. max. inauguratos. Videri tamen possit, in quibusdam munus illud Augurum aliquem obiisse: cum in Indice Metelli apud Macrobium [3] scriptum sit, *Lentulum Flaminem Martialem a L. Cæsare Augure inauguratum esse*. Ac de Flamine Divi Julii M. Antonio, Cicero *Philipp.* II. cap. XLIII. *Cur non inaugurare? sume diem; vide qui te inauguret; collegæ sumus; nemo negabit*. Cicero autem Augur, non Pontifex erat. Sed videntur tantum adjuvisse Augures. Quod inde colligo, quod Dionysius libro V. ait, post exactos Reges negocium datum Pontificibus & Auguribus, ut Regem sacrificulum inaugurarent. Id enim est ἀποδεῖξαι, ut recte notatum Gutherio [4] est. Et in fragmentis Festi Farnesianis [5], uti a doctis suppleta sunt, dicitur Metellus Pont. max. jussisse adesse Claudium Augurem, ut eum Ser. Sulpicii inaugurationi adhiberet. Pontificum quoque Comitiis adfuisse Maximum, vix dubito; præsertim, si, ut nonnulli existimant, ea ipse habuit.

VI. Eundem arrogationibus sive adoptionibus lege Curiata factis interfuisse, inde patet, quod Comitia illa *arbitris Pontificibus* [6] & *apud Pontifices* [7] facta dicuntur; quodque jusjurandum a Q. Mucio Pont. max. conceptum dicitur, quod in arrogando juraretur [8]. Verum auctorem fuisse Pontificem, & verba solennia rogationis protulisse ipsum, quod Gutherio lib. I. cap. XIII. placuit, neque Gellius ait, nec alibi, puto, repperitur. Aderant autem Pontifices, quia hæc res quodammodo ad religionem spectabat, cum adoptionem hæreditas sequeretur sacrorum, ac qui adoptabatur, in gentem & sacra adoptantis transiret [9]. Sic iidem de matrimonialibus quibusdam cognoscebant. Nam cum Augustus ducturus esset Liviam, Neronis ante uxorem, consulti sunt Pontifices, quanquam per ludibrium; an concepto nec dum edito partu, rite nuberet; & responderunt [10]. Legiturque Pius Imp. de eo qui CLXXXII. die natus esset, rescripsisse Pontificibus ( a quibus haud dubie, ut Maximus, fuerat consultus ) justo tempore videri natum [11]. Sacra enim res nuptiæ, & sacris cærimoniis confirmatæ: præsertim quæ per confarreationem contractæ. Quare in his Pontifex max. nubentes jungebat. Docet Servius Pet. Danielis [12] in schedis a Pithoeo excerptis, ad I. *Georgic*: *Tribus modis apud Veteres nuptiæ fiebant. Usu, &c. Farre, cum per Pont. max. & Dialem Flaminem per fruges & molam salsam conjungebantur*. Sic denique de sepulchris Pontifices cognoscebant, quia & ipsa in rebus sacris censebantur. De quo passim Inscriptiones pariter ac Scriptores veteres testantur.

VII. Quarto denique ANNI ANNALIUMQUE CU-

1 lib. 1. de form. 2 lib. 5. 46. 3 cap. 52. 4 ap. Plut. Camillo. 5 ap. Liv. 5. 41. 6 ap. eund. Liv. 9. 46. lib. 41. 27. lib. 31. 9. 7 not. ad Alex. Gen. Dier. 1. 11. 8 Valer. Max. 8. 13. 9 lib. 1. V. J. P. cap. 11.

1 ap. Gell. 15. 27. 2 observat. lib. 1. cap. 3. & in Addend. p. 269. 3 2. Saturnal. 9. 4 de V. J. P. 1. 11. 5 lib. 29. verbo *Saturno*. 6 Gell. 5. 19. 7 Tacit. h. 1. 15. 1. 8 Gell. l. c. 9 Vid. Cic. pro domo c. 13. & seqq. Guther 2. 5. Forner. Rer. quotid. 3. 29. Taubm. ad Plaut. Captiv. 4. 1. Lips. & Frischm. ad Plin. Paneg. 37. 10 Tac. Ann. 1. 10. 7. Dio 48. 11 l. 3. §. fin. D. de suis & legit. hæred. 12 ap. Lips. ad Tac. An. 4. not. 46. & Elmenhorst. ad 4. Arnob. p. m. 168.

RA Pontifici incumbebat. Ad anni rationem pertinet *Interkalatio*, quæ cum Pontificum arbitrio permissa [1], quanquam & vitio eorum varie corrupta, non est dubitandum, præcipuam hujus rei potestatem ac curam penes Pontificem Max. fuisse. Deinde *Correctio anni ac Fastorum*. Quod docent exempla Cæsaris & Augusti, quorum ille, cum Pont. max. esset, Fastos correxit, annumque ad Solis cursum accommodavit [2]: hic, postquam Pontificatum max. suscepit, annum a Divo Julio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum atque confusum, rursus ad pristinam rationem redegit [3]. Notandum est tamen, Emendationem aliam αὐτοκρατορικὴν esse, aliam per modum consilii suppeditatam, & veluti ministerialem. Hæc ad Pontifices pertinebat, quorum erat modum emendandi investigare: illa autem altera, quæ cum potestate quadam ac imperio aliam anni formam introducit, soli Magistratui sive summæ Potestati proprie competit. Eaque Cæsar usus est non ut Pont. max. sed ut Princeps, quemadmodum recte Vir maximus Matth. Berneggerus [4] observavit. Suetonius enim diserte hoc inter ea, *quæ Julius ad ordinandum Reip. statum conversus* fecit: ac Dio inter leges ab eo sancitas refert Idem de Augusto dicendum est. Recte igitur Protestantes superiori sæculo vel ea de causa non receperunt Kalendarium a Gregorio PP. XIII. ope Aloysii cujusdam Lilii correctum, quod sine consensu summarum Potestatum obtruderetur. Recte quoque Wilhelmus Hassiæ Landgravius [5] ad Principes id spectare, Cæsaris exemplo probavit.

IIX. De Annalibus ita scribit Cicero II. *de Oratore* cap. XII. *Ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pont. max. res omnes singulorum annorum mandabat literis Pont. max. efferebatque in album, & ponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ii qui etiam nunc Annales maximi nominantur*. Ex eodem discimus simplicissimos fuisse [6], & *sine ullis ornamentis, monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum* complexos. De iisdem schedæ Servii, Guthero [7] allegatæ: *Tabulam dealbatam quotannis Pontifex max. habuit, in qua præscriptis Consulum nominibus & aliorum, digna memoratu notare consueverat, domi militiæque, terra marique gesta, per singulos dies: cujus diligentiæ annuos commentarios in octoginta libros, Veteres retulerunt*. E quibus de numero & argumento eorum constat. Ad eosdem pertinere existimo verba Catonis libro IV. *Originum* [8]: *Non libet scribere quod in Tabula apud Pont. max. est, quotiens annona cara, quotiens Lunæ aut Solis lumini caligo aut quid obstiterit*. Fallitur Gutherius, cum hoc vult innui, quod scientiam Eclipsium vulgare nefas esset. Gellius enim ultima illa, *caligo aut quid*, respexit; cum scripsit Catonem *incerta & incuriosa opinatum*, ut notavit ante nos Vir humaniorum litterarum, quas nuper magno juventutis bono docere publice cœpit, peritissimus, idemque amicus, ac haud pridem Collega noster honoratissimus, Frid. Rappoltus, Poeseos apud Lipsienses meos Professor, *Observation. Philolog.* ad Gell. II. cap. XXIIX. observ. IV. Ac nisi fallor, hæc ipsa tabula est, quam Cicero dicebat domi propositam, ut esset potestas populo cognoscendi. Non itaque vetitum erat vulgare, quod in ea legebatur. Cæterum adhuc Gellii Ævo Annales isti videntur exstitisse. Is enim [9] ad librum XI. *Annalium Maximorum* Lectorem ablegat. *Maximi* autem *Annales appellabantur non magnitudine, sed quod eos Pontifex Max. consecrasset* (seu ut alii legunt: *confecisset*) ut Paullus Festi Abbreviator [1] ait. Videri & Macrobius potest. I. *Saturnal.* cap. II. extremo. Ab his Annalibus diversi sunt *Fasti* ac *Commentarii Pontificum*, ad quos nemo præter Pontifices admittebatur, quosque incensa Urbe plerosque periisse Livius initio VI. scribit. Hinc queritur Trib. pl. apud eundem lib. IV. cap. III. *Si non ad Fastos, non ad Commentarios Pontificum admittimur, ne ea quidem scimus, quæ omnes, peregrini etiam, sciunt*. Rursus alii fuerunt Commentarii de religionibus ac cærimoniis; quales Numæ; de quibus Livius I. cap. XXXII. & quos C. Papirius revocavit, Ancus publice proposuit [2]; aliique similes: a Pontificibus, ut Livius [3] ait, quo religione adstrictos haberent animos multitudinis, suppressi; ita tamen ut multa ex iis, quod Cicero [4] Pontificibus in os objicit, effluerent, & ad alios pervenirent. Ad Annales maximos Gutherius refert, quod Livius eodem loco ait *raras per ea tempora litteras fuisse*; ac *raras literas* cum Rhenano exponit, breves Inscriptiones. Sed per *literas* quævis ingenii monumenta literis conscripta intelligenda esse, pluribus testimoniis e Livio, Cæsare, Plinio, Servio doctiss. Gronovius [5] ostendit. Quibus adde illud Gellii lib. I. cap. XII. *De modo ritu que Virginis capiundæ literæ quidem antiquiores non exstant*. Hæc sufficiant de officio Pontificis Max. quibus plura potuissent addi, si libido fuisset inanibus conjecturis indulgere. Sed malumus imperfecta quam incerta & vanæ somnia mentis tradere. Et hic quoque locum habet illud magni Herois, *quædam æquo animo debere ignorari*.

---

## CAP. V.

*Pontifex max. potestate & imperio præditus fuit. In quo potestas illa consisteret? Sanxit de religione. Personæ sacræ ei subjectæ. Potuit intercedere actibus religiosis, ac dispensare de cærimoniis. Lipsii emendatio in quodam Taciti loco stabilita, rejecta Gutheriana. Pont. max. Jurisdictionem, & merum mixtumque imperium habuit. Non fuisse Præfecto Urbis totam aut de Sacris Gentilium omnibus, aut de Vestalibus cognitionem, sed tantum exsequutionem collatam contra Baronium ostenditur. Symmachi duo loca illustrata. An Pont. Max. potuerit Comitia habere: exercitum imperare: ludos edere?* Exercitum imperare *quid? Collegio & populò subjectus fuit. Limites imperio illius positi. Nullam partem Majestatis habuisse, contra Baronium ac Bovium ostensum.*

UT officio suo melius commodiusque fungi posset Pontifex, magna illi potestas concessa est. Quæ in eo potissimum fuit posita, quod, ut Festus [6] ait, *judex atque arbiter rerum divinarum atque humanarum*, sive, ut Paullus Festi Abbreviator [7], *maximus rerum, quæ ad sacra & religiones pertinent, Judex vindexque contumaciæ privatorum Magistratuumque* erat. Nam, ut ait Livius [8], *scitis illius Numa omnia publica privataque sacra subjecerat*. Ex quo apparet, falli eos, qui [9] sacerdotum omnium proprium fuisse volunt, ut nec imperium nec potestatem haberent: de quo videndus Gutherius lib. I. cap. XIV. Diserte Cicero pro *Domo sua* cap. I. *Quod si ullo tempore magna caussa sacerdotum populi Rom. JUDICIO AC POTESTATE versata est, hæc profecto tanta est, &c.* Idem *de Harusp. Responsis* ca. VII. *Ita est interpretatio illa Pontificum, ut iidem*

1 Vid. Censorin de Die Nat. c 20. Sueton. in Jul. 40. Ammian Marcell. 26. p. 311. edit. Valesianæ An. 1636. 2 Censor. l. c. Suet. in Jul. 40. Appian. Civil. 2. extr. Macrob. 1. Sat. 14. &c 3 Suet. in Aug. 31. Ammian l. c. 4 not. ad Suet Jul. 40. 5 Epist. ad El. Sax. ap. Thuan. l. 76. 6 Vide Voss. de Hist. Lat. 1. 1. 7 de V. J. P. 1. 23. 8 ap. Gell. 2. 28. 9 lib. 4. c. 5.

1 in *Maximi Annales*. 2 V. Dionys. Halicarn lib. 3. 3 lib. 6. 1. 4 pro Domo cap. 46. 5 not. ad Liv. 6. 1. p. 84. 6 in *Ordo sacerdotum*. 7 in *Max. Pontifex*. 8 lib. 1. 20. 9 Sigon. de antiq. jure Civ. Rom. 1. 19. &c. Arnis. de exemt. Cleric. 1. 8.

*habeant* POTESTATEM JUDICUM. Moxque *judicium capitis* iisdem tribuit. Porro ad hanc potestatem pertinet I. JUS STATUENDI AC LEGES SANCIENDI DE CÆRIMONIIS AC RELIGIONE. Equidem nolim cum Gutherio [1] aut legum Curiatarum de adoptionibus auctorem Pontificem facere, aut Testamenta & Sacrorum detestationes Curiatis Comitiis ab eo factas affirmare. Quæcunque enim hujus rei vestigia apud Scriptores veteres supersunt, non nisi consilium ac præsentiam Pontificum in his actionibus arguunt. Sed in iis tamen rebus quæ ad cærimonias pertinebant, quasque a solis Pontificibus sciri fas erat, leges ab illis sancitas cum illud ostendit quod Dionysius [2] diserte scribit, eos *νομοθετεῖν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα καὶ ἀνέθιστα, κρίνοντας ἃ ἂν ἐπιτήδεια τυγχάνειν αὐτοῖς φαίνηται νόμων τε καὶ ἐθισμῶν*, hoc est, *Leges ferre de sacris quæ nondum scripta nec usu recepta sunt, si digna videantur, quæ legibus & consuetudinibus sanciantur*; tum quod Pontif. Max. quemadmodum supra [3] indicavimus, de cærimoniis edicebat; denique quod, ut mox [4] dicemus, gratiam cærimoniarum facere poterat; ejusdem enim est dispensare, cujus & sancire. Imo sancire potuisse Pontifices, etiam antiquissimæ Romanorum leges docent. In quibus hæc fuit: *Incestum Pontifices supplicio supremo sanciunto*. Habes apud Ciceronem II. *de Legibus* cap. IX. Adde cum Gutherio, quod Jus Pontificium pars Juris publici fuerit: jus autem omne legibus & edictis constet.

II. Secundo IMPERIUM IN PERSONAS SACRAS, quæ omnes ei subjectæ erant. De Rege sacrorum testis Livius lib. II. cap. II. Quanto magis de ceteris qui Rege inferiores erant, idem credendum? Ac de Pontifice Max. quoque verum est, quod de Pontificibus omnibus ait Dionysius, eos *τὰς ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τε καὶ θεραπεία Θεῶν ἀνάκειται, ἐξετάζειν*. Quare poterat invitos inaugurare, ac cogere ut Magistratu sese abdicarent, ut in Italia ac Urbe manerent; etiam mulcta dicta si obsequium detrectarent. Cujus rei exempla capite præcedenti [5] adduximus. Etsi non ignoro, quid apud Tacitum [6] dicat Servius Maluginensis, *privatis simultatibus effectum ut a Pontificibus Max. Flamines ire in provincias prohiberentur*. Tertio JUS INTERCEDENDI ACTIBUS SOLENNIBUS AC RELIGIOSIS, eosque tollendi, si contra jus religionis fierent. Sic Crassus voto publico ex incerta pecunia suscipiendo; Barbatus dedicationi ædis Mercurii per Ædilem Curulem faciendæ, intercessit: & Scævola negavit sacrum esse, quod Licinia aram, ædiculam & pulvinar injussu populi dedicasset. De quibus itidem superiori capite [7] diximus. Quarto JUS DISPENSANDI DE CÆRIMONIIS. Domitianus enim permisit Flamini Diali ut uxorem repudiare posset. Auctor Plutarchus *Quæst. Rom.* cap. L. Ac eidem Flamini a Pontificibus gratiam aliquot cærimoniarum factam, scribit Massurius Sabinus apud Gellium X. cap. XV. Huc refero decretum Pontificum Augusto Principe factum [8], *quotiens valetudo adversa Flaminem Dialem incessisset, ut Pontificis Max. arbitrio plusquam binoctium abesset, dum ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis eundem in annum*. Sic recte Lipsius, & qui eum sequuti sunt nuperi editores, pro eo quod vulgo erat: *dum ne plusquam binoctium abesset*. Nam binoctium etiam ante hoc decretum abesse Pontifici licuisse, inde patet, quod apud Gellium [9] Fabius Pictor, qui circa A. V. C. quingentesimum vixit [10], scribit *Flaminem Dialem de lecto suo trinoctium continuum non decubare*. Ergo duas noctes abesse potuit, nec arbitrio Pontificis ad hoc opus fuit. A mala itaque manu est prius illud *dum ne*, ac fortassis ab aliquo, qui apud Livium [1] legerat *Flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas esse*, intrusum. Quod tamen de illis temporibus, nimirum Camilli Dictatoris, accipiendum est. Postea autem noctem unam amplius permissam absentiæ Pontificis, Fabius Pictor indicat. Sicut & deinceps adhuc una videtur addita. Plutarchus [2] enim ait proprium Flaminis Dialis esse, *μὴ πλείονας νύκτας ἀποδημεῖν τριῶν*, *non plures tribus noctes abesse*. Plane inepta est Gutherii emendatio, qui adhuc alia duo vocabula Tacito inseruit. Nam quia apud eundem [3] Servius Maluginensis, cujus caussa decretum hoc Cæsar recitavit, dixerat, *sæpe Pontifices dialia sacra fecisse, si Flamen valetudine impediretur*: ipse legit: *Ut Pontificis Max. arbitrio sacra fierent, dum ne plusquam bin. abesset*. At non quærebatur, quis Flaminis officio fungi deberet, sed an & quamdiu abesse posset? Ac si plures quoque noctes absuisset, nihilominus sacra a Pontificibus fieri oportebat. Præterea excipiuntur dies publici sacrificii; ac proinde de illis *arbitrium Pontificis* non est capiendum.

III. Quinto JURISDICTIO DE REBUS SACRIS, non solum propriissime dicta, nec tantum ea quæ mero imperio opponi solet, sed cum quadam latitudine, quatenus & quæstionem facti, & merum mixtumque imperium comprehendit. Cujus cum juxta Jureconsultos [1] tres sint veluti partes, cognitio facti, quam *Notionem* vocant; *Jurisdictio* propriissime dicta, qua statuitur de facto cognitio, & qualitas justitiæ vel injustitiæ facti definitur; & denique exsequutio illius, quod statutum est, quam JCti *Imperium* appellant: singulas Pontificem habuisse dicendum est. Ac de notione quidem res manifesta est ex iis quæ hoc & superiori capite diximus. Nec verbum addo. Cognito autem facto, statuisse Pontificem, ac sententiam tanquam judicem tulisse, ista evincunt: quod [5] dictus est *maximus judex atque arbiter rerum divinarum ac humanarum vindexque contumaciæ privatorum & Magistratuum*: quod Cicero Pontificibus *judicium ac potestatem, judicium capitis*, ac *potestatem judicum* tribuit: quod Dionysius [6] ait, *δικάζειν ὅσας τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἄρχουσι, καὶ λειτουργοῖς Θεῶν*: quod passim dicuntur *judicasse*, *absolvisse*, *condemnasse*: quæ tria verba uno loco in eadem re habentur apud Asconium in *Milonianam* [7]. *Quo tempore*, inquit, *Sex. Peduceus Trib. pl. criminatus est, L. Metellum Pont. Max. totumque collegium Pontificum male JUDICASSE de incestu Virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam DAMNAVERAT, ABSOLVERAT autem duas, Martiam & Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem Virginibus quæreret: isque & utrasque eas, & præterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit*. Ubi nota obiter de numero Vestalium, an non hinc colligi possit, plures quam sex fuisse.

IV. Denique imperium merum pariter, ac mixtum habuisse, inde colligo. Quod *vindex contumaciæ privatorum Magistratuumque* dictus est. II. Quod mulctam dixit C. Servilius Pont. Max. [8] L. Cornelio Dolabellæ duumviro novali, Regi futuro Sacrorum recusanti Magistratu se abdicare: itemque Crassus [9] Flacco Consuli & Flamini Martiali, si a sacris discessisset: & Metellus, Claudio Auguri, quod inaugurationi Ser. Sulpicii interesse noluerat. Adde de Q. Fabio Pictore Flamine Quirinali ac Prætore ad sacra a P. Licinio retento, Livium XXXVII. cap. LI. ubi &

1 V. J. P. I. 13. 2 lib. 2. p. 132. 3 cap. 4. §. 4. 4 §. seq 5 cap. 4. §. 2. 6 Ann. 3. 58. 5. 7 §. 1. & 2. 8 Tac. Ann. 3. 71. 4. 9 lib. 10. 15. 10 Vid. Voss. de Hist. Lat. I. 3.

1 lib. 5. 52. 2 Quæst. Rom. cap. 40. 3 Ann. 3. 58. 3. 4 V. Jacob. Lampad. de Rep. Rom. l. 3. cap. 15. 5 Vid. §. 1. 6 lib. 2. 7 p. m. 198. 8 Liv. 40. 4. 9 Cic. Philipp. 11. 8. 10 Festus in *Saturno*.

pigno-

*pignora capta* ſcribit. III. Quod Virgines Veſtales earumque ſtupratores caſtigavit ac flagro cædi juſſit: hosque interdum ad mortem uſque; illas autem inceſtus convictas defodi vivas curavit. De quo ſupra [1]. Quo uno tamen caſu imperium merum videtur habuiſſe: fortaſſe quia hæc pœna lege definita eſſet. Fuerat enim lex fixa in atrio Libertatis, *probrum Virginis Veſtalis ut capite puniretur, vir qui eam inceſtaſſet, verberibus necaretur.* Teſtis M. Cato Oratione *de Auguribus* Feſto [2] allegatus. Sed hæc poteſtas poſtremo a Pontificibus ad Præfectum Urbi, cujus ſub Impp. merum in Urbe imperium erat, tranſiit. Docet Symmachus lib. IX. [3] epiſtola quam ad Magiſtratum aliquem Albanum, ut videtur, miſit: *Secundum proximæ ætatis exempla clariſſ. & excellentiſſ. Viro fratri noſtro Præfecto Urbi inceſtatæ Primigeniæ Virginis, quæ ſacra Albana curabat, a collegio noſtro vindicta delata eſt.* Epiſtola ad Præf. Urbis ibidem [4] exſtat, qua rogat ut in eos qui cærimonias polluerunt (Primigeniam ſcilicet & Maximum ejus ſtupratorem) legum ſeveritas exſeratur; *Quæ tibi actio*, inquit, *de proximi temporis exemplo ſervata eſt.* Ex his epiſtolis Baronius ad An. Ch. CCCLXXXIV. num. VI. Spondanus ad An. CCCLXXXIII. num. III. Juretus ad Symmachi lib. IX. ep. CXIIX. colligunt totam de Veſtalium inceſtu cognitionem, imo auctoritatem judicandi de rebus ad Gentilium ſuperſtitionem pertinentibus in univerſum, juraque Pontificis Maximi, a Collegio Pontificum ad Præfectum Urbis translata eſſe. Quod ſecus eſt. Symmachus enim diſerte, *more inſtitutoque majorum inceſtum Primigeniæ collegii diſquiſitionem deprehendiſſe*, atque *a collegio vindictam Præfecto Urbi delatam*, ſcribit. Et Præfectus Urbi, ſicut & finitima poteſtas, tantum rogantur, ut legum *ſeveritatem exſerant*, ut *ulciſcantur facinus*, *& injuriam caſtiſſimi ſæculi reorum ſuppliciis vindicent*: nuſquam ſententia eorum requiritur. Unde patet cognitionem ac ſententiam penes Pontifices manſiſſe, ſed exſequutionem Præfecto Urbis collatam fuiſſe.

V. Sexto JUS COMITIA HABENDI competiſſe Pontifici maximo, volunt Gruchius & Gutherius. Et quidem I. *Centuriata Regis ſacrorum inaugurandi cauſa* [5]. Ratio, quia primus Rex ſacrificulus a Pontificibus & Auguribus creatus eſt, teſte Dionyſio: quia Comitia hæc inter Calata fuerunt; ea autem a Pontificibus ſunt habita: quia Pontifices mulctam dicere potuerunt: denique, quia habuerunt jus agendi cum populo; cum Comitia Tribunis plebis creandis a Q. Furio Pont. max. [6] & Comitia Pontificis max. a M. Cethego Pontifice [7] habita legantur. Quidni ergo Centuriata quoque habuerint? II. *Curiata Flaminum inaugurandorum* [8]: quia hæc itidem Calata, nec uſquam cum Flamines inaugurati dicuntur, in eorum creatione ulli Magiſtratus leguntur interveniſſe. Addit Gutherius, etiam *Comitia in quibus Arrogatio facta*, unico Gellii [9] loco nixus; e quo tamen nil aliud ſequitur, quam Pontifices Comitiis illis interfuiſſe. III. *Tributa Pontificum* [10]. Neque enim eſſe probabile, Pontificem max. non potuiſſe habere Comitia Pontificibus ſufficiendis, poſt legem Domitiam ſcilicet, cum interim unus de collegio poſſet habere Comitia Pontifici maximo creando. Sed hæc omnia leviſſimis conjecturis inædificata ſunt, quibus deſtructis, quod facillime poteſt fieri, tota moles corruit. Præcipua eſt, Comitia Calata, quæ pro collegio Pontificum haberi Labeo ſcripſit [11], a Pontificibus habita: at quam incerta! Unde enim oſtendent *pro Collegio* eſſe potius *A Pontificibus*, quam APUD eos, exponendum? Quod autem Q. Furius Comitia Tribunis plebis creandis habuit, extra ordinem factum eſt, fuitque hæc poteſtas illi ex SCto, non ex ordinario jure, delegata, cum nulli tunc eſſent Tribuni plebis (propter Decemvirorum imperium, in quo conſtituendo omnes alii Magiſtratus ceſſarant) nec poſſent ipſi ab interrege patricio Migiſtratu creari [1]. Reliqua recenſuiſſe ſatis eſt. Quærunt Viri docti, an Pontifici Max. licuerit exercitum imperare? Occaſio quæſtioni fuit, quod legerant apud Gellium [2] alioſque, *in Comitiis centuriatis exercitum imperari ſolitum*. Id a Pontifice fieri potuiſſe negat Gruchius, affirmat Gutherius [3]. Neuter recte, quia neuter intellexit, quid eſſet *exercitum imperare*. Putarunt enim idem eſſe ac bellum indicere: cum nihil aliud ſit, quam convocare populum per centurias diſtributum, & ſub ſignis partem in campum Martium ducere ad ſuffragia ferenda, partem præſidii cauſſa locare in Janiculo. Populus enim dictus eſt *urbanus exercitus*, quia diſtributio per centurias proprie rem militarem ſpectat. Qua de re vide plura apud Cl. Gronovium libro I. *Obſervationum* cap. I. Qui & recte affirmat, cum Scriptores ſine exceptione dicant, qui Centuriata Comitia habuit, ei jus fuiſſe exercitum imperandi; ideo Pontifici max. quoque hoc licuiſſe, ſi Comitia regis ſacrorum habuit.

VI. Septimo Jus quoque ludos edendi nonnulli [4] Pontifici Max. tribuunt. Nam cum apud Suetonium Auguſtus dicitur *Pontificalibus ludis* par pugilum diſtuliſſe, exponunt, *quos ut Pont. max. dedit*. Sed neque certum eſt, eos ab Auguſto, ut Pontifice max. celebratos; & fatetur ipſe Gutherius [5], primum Auguſtum eos exhibuiſſe. Quare potius ut Magiſtratum, in honorem Pontificatus, edidiſſe eum hos ludos dixerim: ſicuti Sex. Ligarius Sex. F. legitur in vet. Inſcriptione [6] *ob honorem perpetui Pontificatus ludos Circenſes dediſſe*. Nemini enim qui Magiſtratus non eſſet, ludos facere, niſi funeris cauſſa, licebat.

VII. Cæterum ut magna fuerit poteſtas Pontificis Maximi, tamen Collegio ſubjectus erat. Quippe non ſolum plurimis in rebus nil ſine eo poterat (ut cum Veſtales judicandæ eſſent, quod frequenti collegio debuiſſe fieri, ſupra [7] diximus:) & quæ reſpondebat, dicebatur [8] *ex auctoritate collegii patribus renunciare*: ſed provocari etiam ab eo ad collegium potuit. Sic cum Licinius Pont. Max. voto publico moram attuliſſet, eſſetque Conſul juſſus ad Collegium referre, ſi poſſet recte votum incertæ pecuniæ ſuſcipi; poſſe, rectiuſque etiam eſſe, Pontifices decreverunt [9]. Porro, poteſtatem omnem qua fuit præditus, tantum precario, & initio Regum; deinde Senatus; poſtremo populi beneficio habuit: apud quem illa proprie, &, ut ita dicam, radicaliter tanquam penes ſummam poteſtatem reſedit. Quare cum ab ipſo, tum a toto collegio ſæpe ad populum provocatum eſt. Quotiens enim mulcta alicui dicta legitur, totiens pene videmus ad populum certatum, eumque ſuffragia tuliſſe. Sic cum [10] Cn. Dolabella Magiſtratu ſe abdicare juſſus a C. Servilio P. M. recuſantique mulcta dicta eſſet, provocavit, & certatum ad populum. Sic [11] mulctam Val. Flacco Cos. a Lic. Craſſo P. M. dictam populus remiſit. Sic cum [12] A. Poſtumium L. Metellus, cum Q. Fabium Pictorem P. Licinius ad ſacra retinere vellent, & in Senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum eſt, & imperia inhibita ultro citroque, &

1 c. 4. §. 3. 2 in *Probrum Virg. Veſtalis*. 3 ep. 129. edit. Parei; at juxta Lectium 123. 4 juxta ed. Par. 128. Lectio 122. 5 Gruch. lib. 1. de Comit. cap. 3. p. 45. Guther. de V. J. P. 1. 8. 6 Liv. 3, 54. 7 Liv. 25, 5. 8 Gruch. lib. 3, 3. p. 264. Guth. l. c. & 1, 27. 9 lib. 5, 19. 10 Gruch. lib. 2. c. 3. p. 214. 11 ap. Gell 15, 27.

1 Vide Guther. 1, 3. Roſin. Antiq. Rom. 6, 17. 2 l. 15, 27. 3 Gruch. 1, 3. Guth. 1, 14 4 Guth. 3, 20. Schild. ad Sueton. Aug. 45. 5 l. cit. 6 ap Grut. p. 431, 5. 7 cap. 4. §. 3. 8 V. Liv. 34, 43. 6 Liv. 31, 9. 10 Idem 40, 42. 11 Cic. Phi. 11, 8. Val. Max. 1, 12. 12 Liv. 37, 51.

pignora capta, & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati, & provocatum ad populum est. Et in caussa Vestalium [1], sententia Metelli Pont. M. totiusque collegii, quod duas absolverat, Sex. Peduceo Tr. pl. provocante, Cassioque a populo creato judice, sublata est. Tamen in condemnatione Vestalium non lego provocatum; sive quod multum interesset populi, non impune eas ferre incestum; sive quoniam pœna illa lege a populo constituta, & quasi quæstio perpetua esset; ut provocare non liceret. Denique ut finiamus de potestate, limites illius, sicut & officii Pontificis maximi, eosdem, quos urbis Romæ fuisse, notat Blondellus [2]; nec ullum ei imperium extra muros Urbis æternæ concessum, nisi per accidens, quatenus Coloniæ habentur tanquam partes sui corporis, unde deductæ sunt. Quod tamen cum latitudine quadam accipiendum est. Docent enim quæ e Symmacho adduximus [3], etiam Vestales Albanas a collegio Pontificum, quod Romæ erat, esse judicatas. Nempe ad oppida Italiæ, præsertim Urbi vicina, Pontificis imperium videtur pertigisse. Non item ad Provincias extra Italiam sitas. Colligo ex epistola Trajani ad Plinium, quæ est LXXIV. lib. V. ubi Imperator super causa, ex qua in Urbe collegium Pontificum adiri solebat, ut Maximus Pontifex a Plinio consultus, respondere noluit, sed totum negocium Plinii rectoris Provinciæ arbitrio permittit, *durum esse*, inquiens, *injungere necessitatem provincialibus Pontificum adeundorum*.

VIII. Scribit tamen [4] Baronius, *Pontificis Max. supra Consules fuisse auctoritatem; quippe qui posset Comitia ne fierent, religionis intuitu prohibere; factaque reddere irrita; decretis a Senatu intercedere; eademque intercidere; fierent ne bella, ex ejus arbitrio penderet; cujus quoque jussu Consules se abdicarent*: denique *summo imperii jure usi sunt*. Eandem illi potestatem tribuit Jo. Antonius Bovius Carmelita libro contra Venetos edito, quem inscripsit *Risposta alle considerationi del P. M. Paulo da Venetia sopra le Censure della Santità di Papa Paolo V. contra la Repub. di Venetia* [5]. Postquam enim fassus esset, jure naturæ & abstrahendo a lumine fidei, ad idem caput Reipubl. pertinere directionem rerum cultus divini spectantium ad virtutes religiosas, ad quod pertinet directio rerum ad cæteras virtutes morales spectantium; nisi populus duas diversas potestates distinctis personis commiserit: exempli loco subjicit. *Sic Romæ tempore Reipublicæ distinctos fuisse Pontifices & Consules: Eoque casu majorem semper fuisse existimatam potestatem sacram Pontificum: sicque in Rep. Romana majorem fuisse potestatem Pontificum in ferendis legibus, in bello suscipiendo, & rebus aliis supremum dominium denotantibus*. Eamque in rem Ciceronem II. *de Legib.* & II. *de Nat. Deorum* adlegat. Quæ qua fini dicantur, facile apparet, nempe ut Ethnicorum quoque consensu, atque adeo lumine naturæ, summam sacrorum potestatem ad sacerdotes pertinere, evincant. Mox enim hinc concludit, *pudere Christianos debere, qui sic excæcari se a commodis & adfectibus suis patiantur, ne videant claram veritatem, quam etiam Ethnici obscuris infidelitatis tenebris cognorint*. Sed hæc pleraque falsa aut incerta sunt. Nam summam potestatem non fuisse Pontifici concessam, satis indicat provocatio ad populum. Unde Livius [6] ait Cornel. Barbatum Pont. max. *consensu populi coactum*, ut verba præiret. Quod autem actibus

1 Ascon. in Milonian. p. 198. 2 de la primauté en l'Eglise p. 43. 3 sup. §. 3. 4 ad A. Ch. 312. 98. 5 part. 2. p. 27. & 28. Adde Gretser. Indic. error. Goldasti tom. 3. constit. Imp. cap. 4. 6 lib. 9. 26.

quibusdam potuit intercedere, id quoque precaria potestate egit. Illud autem plane falsum, bellum potuisse movere; de quo tota Antiquitas silet. Et videtur huic errori occasionem præbuisse, quod, juxta quosdam, potuerit exercitum imperare: quod tamen quomodo intelligendum sit, supra indicavimus. Postremo ne id quidem certum est, majorem illius potestatem quam Consulis fuisse. Certe Senatui subjectum, arguit, quod C. Servilius Pont. max. piacula iræ Deum conquirere jussus est [1]. Id enim a Senatu non minus factum quam quod eodem tempore Decemviri jussi sunt libros Sibyllinos inspicere; quod Senatus mandato fieri solitum, e Livio XLI. cap. XXI. & Vopisci *Aureliano* [2] clarum est. Ciceronis duo loca a Bovio adlegata non de Pontificibus, sed de Augurum collegio loquuntur; illisque magnam tantum, non summam potestatem tribuunt. Vide Arnisæum libro *de Subjectione & Exemtione Clericorum* cap. I. §. VIII.

## CAP. VI.

*Privilegia Pontificis maximi. Non reddidit rationem, nec pœnæ obnoxius fuit. Cum eo contendere prohibitum. Livii Epitoma XLVII. emendata. Fuit per totam vitam: & unicus uno tempore. Prætexta usus, fortassis & lictore ac sella curuli. Nummus Cæsaris explicatus. An Pontifex fuerit asylum? Quædam vetita illi: ut extra Italiam proficisci, & domum privatam incolere. In regia habitavit. Explosum Baronii commentum de domo imperatoria Melchiadæ Papæ donata. Quomodo non licuerit Pontifici cadaver adspicere, & manus sanguine inquinare? An potuerit ad secundas nuptias transire? An non nisi per confarreationem uxorem duxerit? Boethius notatus. Casta & proba Pontifici uxor delecta. Dio duobus locis emendatus.*

AD potestatem Pontificis Max. refero Privilegia quæ illi Populus Ro. concessit. Sunt enim veluti jus quoddam ac potestas singularis. Qualia sunt, præter ea, quæ sacerdotibus omnibus fuere communia I. *Quod non tenebatur neque Senatui neque populo rationem factorum reddere, nullique pœnæ obnoxius erat*. Nam ad eum quoque pertinet quod de Pontificibus in universum scribit Dionysius lib. II. *εἰσὶν ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε & ζημίας, οὔτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες, οὔτε δήμῳ*. Neque huic repugnat, uti quibusdam visum est, quod licebat a Pontifice ad populum provocare. Aliud enim est provocationi; aliud pœnæ esse obnoxium. Illud sententiam Pontificis, quæ utique corrigi potuit; hoc personam respicit, quæ non potuit puniri. Imo ne quidem litigare cum eo licuit. Nam, ut est Epitoma XLVII. Livii, *Cn. Tremellio Tribuno plebis mulcta dicta est, quod cum M. Æmilio Lepido Pont. max. injuriose contenderat: sacrorumque Magistratuum jus potentius fuit*. Quid hic *sacri Magistratus*? Nusquam Pontifices ita dictos repperio; & Tribuno potius hoc nomen competeret, cujus potestas sacrosancta ac inviolabilis erat. Recte itaque notavit Vir doctus [3], locum corruptum esse, tentavitque duplici ratione sanare. Simplicissimum est si legas: *sacrorumque quam Magistratuum*: ut posterior particula a simili priori absorpta sit: quod frequens esse norunt qui Codices MSS. tractarunt. Imo cum in vett. edd. legatur *sacrorum quoque mag.* unica tantum M, ut sæpe alias, ob viciniam alterius omissa corruptioni occasio fuerit.

1 Liv. 40. 37. 2 p. 217. 218. edit. Casaub. 3 Gronov. not. ad h. l.

II. Deinde, *quod per omnem vitam hanc dignitatem retinuit*. Cassiodorus initio VI. *Variarum*, ubi de Patriciatu; *Mox ut datus fuerit, in vitæ tempus reliquum homini fit, coævus, ornatus, individuus, cingulum fidele, quod nescit ante deserere, quam de mundo homines contingat exire. Credo ad similitudinem Pontificatus, unde venerat, rem fuisse formatam. Sacerdotium enim non deponunt, nisi cum vitæ munera derelinquunt*. Vid. Casaubon. *ad Suet. Aug.* cap. XXXI. Atque hanc ob caussam potius factum puto, quod [1] Augustus etsi potestatem regiam adsumsisset, tamen Pontificatum max. Lepido vivo auferre non sustinuit, quam clementiæ studio, ut Tiberius apud Dionem & Seneca [2] interpretantur: præsertim cum Dio diserte hanc caussam prodat. Τὴν τȣ̃ Λεπίδȣ, inquit, ἱερωσύνην διδομένην ȣ̉κ ἔλαβεν; ȣ̉δὲ γὰρ ἐξῆν ζῶντα τινὰ ἀφελέσθαι.

III. Tertio, *quod parem in eo sacerdotio non habuit, ac unus tantum uno tempore hac dignitate functus est*. Nam si duo potuissent simul esse Pontifices maximi, nil prohibuisset quin Augustus vivo Lepido Pontificatum susciperet. Nec leguntur unquam duo simul fuisse, nisi sero demum, postquam Imperatores pari potestate plures regnarunt. Sane Dionis tempore, hoc est, sub Alexandro Severo [3] adhuc obtinuit, ut tantum unus esset. Nam is clare de Impp. titulis scribit [4]: ἀρχιερέων (forsan legendum ἀρχιερέα: ut in simili loco, quem paullo inferius emendabimus) τινὰ αὐτῶν, κἂν δύω, κἂν τρεῖς ἅμα ἄρχωσιν, εἶναι: hoc est, *unum eorum, sive duo, sive tres una imperent, Pontificem max. esse*. Reliqui vero tantum Pontifices erant, & solebant plerumque supra numerum in collegia sacerdotum cooptari. Quando autem duo simul esse Pontifices Maximi cœperint, de eo videbimus cum de Pontificatu Imperatorum agemus.

IV. Quarto, *quod prætexta, Magistratus insigni, usus est*. Colligo e Lampridio in vita Alexandri Severi: *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco Pontificis maximi, non Imperatoris*. Ubi miror interpretes summos Viros, alias satis prolixos, ne verbum adnotasse. Addunt alii [5] *Lictorem* & *Sellam*: sed argumentis nimium infirmis nixi. Plutarchus [6] enim, quem Tiraquellus allegat, de Flamine Diali, non de Pontifice, loquitur. Cajus autem Aurelius Cotta, cujus nummum sella Curuli insignitum Gutherius exhibet, in eodem nummo expresse vocatur Ædilis Curulis; cui Magistratui tam usitata fuit sella Curulis, ut etiam nomen ab ea sortitus esse dicatur. Imo quod plus est, nequidem *Pontifex* appellatur Cotta, multo minus *Pontifex max.* Interim non ausim negare Pontificem his insignibus usum: cum videam Flaminem Dialem ac Vestales, minores utique dignitate, ista usurpasse. Atque huc forsan pertinet nummus Julii Cæsaris [7], in quo duæ secures cum fascibus, sub quibus legitur: DIC. PERP. (hoc est, *Dictator perpetuo:*) & inter eos sella laureata, supra quam, PONT. MAX. Ut enim duplicati fasces Dictaturam, ita videtur sella laureata Pontificatum maximum innuere. Non pugnabo tamen si quis malit vel ad sellam auream & jus Coronæ perpetuo gestandæ Cæsari decreta, vel ad pulvinar eidem concessum referre. Nam & sellas ejusmodi & pulvinaria coronari solita, notarunt Docti. Vide Suetonium *Julio* cap. LXXVI. Tacitum *Annal.* II. cap. LXXXIII. Dionem XLIV. Appianum III. *de bello civili*; item Fulvium Ursinum *de familiis Ro.* in gente Julia [1], Casaubonum *ad Suetonium* l. c. & Salmasium ad *Marcum* Capitolini [2]. Similis huic nummo est alter Lepidi [3], in cujus una parte idem emblema & supra illud, ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ; infra, ΑΡΧΙΕΡ ΜΕΓΑΣ: in altera, Μ. ΛΕΠΙΔΩΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. Ad privilegia Pontificis Max. & illud pertineret, si verum esset, quod Alexander Neapolitanus ait, Pontificem Max. instar asyli fuisse: sed is perperam de Pontifice accepit, quod de Flamine Diali Plutarchus [4] scribit, eum ὥσπερ ἔμψυχον ϗ ἱερὸν ϗ ἄγαλμα, hoc est, *vivum & templum sive fanum, & simulacrum* (nam hæc duo asylorum genera erant:) non ut Xylander vertit, *vivum sacrumque perfugii simulacrum*, fuisse.

V. Cæterum sicuti multa præ reliquis sacerdotibus Pontifex habuit, ita quædam concessa aliis, ei prohibita fuerunt. Neque enim poterat olim extra Italiam proficisci. Unde apud Livium [5] Scipio ait, *Pontificem Max. ideo in sortem tam longinquæ provinciæ non venire, ne a sacris absit*: Liviusque ipse ait, Crassum concessisse collegæ Scipioni Siciliam extra ordinem, quia *cura sacrorum Pontificem Max. in Italia retinebat*. Idque lege cautum, colligo e Plutarcho, qui de eodem Licinio sic [6] loquitur: Κρᾶσσον δὲ τὰ μὲν ἡ φύσις ȣ̉κ ὄντα φιλόνεικον, ἀλλὰ πρᾶον, οἴκοι κατεῖχεν. τὰ δὲ ΝΟΜΟΣ ΘΕΙΟΣ ἱερωσύνην ἔχοντα τὴν μεγίστην. Huic legi primus contravenit Crassus alter, Consul itidem & Pont. Max. Epitoma LIX. Livii: *P. Licinius Crassus Consul, cum idem Pont. Max. esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, victus & interemtus est*. Nam ea verba, *quod nunquam antea factum est*, ad præcedentia referri vetant A. Cornelius Cossus, Tib. Coruncanius & Crassus alter, de quo modo diximus, Consules pariter ac Pontifices maximi.

VI. Deinde non licebat Pontifici Max. domum privatam inhabitare. Dio LIV: τὸ ἀρχιερέα (sic legi sensus postulat, pro eo quod hactenus editiones obsedit, ἀρχιερέων, errore ex abbreviatione orto:) ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν; hoc est, *Pontificem Max. oportebat omnino habitare in publico*. Quamobrem & Cæsar post Pontificatum max. habitavit in sacra via domo publica, ut Suetonius [7] auctor est: & Augustus cum nollet domum publicam sibi decerni, partem suæ publicavit, ut idem Dio [8] refert. Solebat autem Pontifex habitare juxta Vestæ in Regia, ad quam conveniebant Pontifices [9], in qua sacra Bonæ Deæ facta, Ancilia custodita, & Dea Consiva culta. Dicta autem *Regia*, quia inhabitabatur a Rege sacrorum [10], (sicut *Flaminia*, quæ a Flamine [11].) Cui postremo ademtam Vestalibus Augustus dedit [12]. Qua de re plura Lipsius *de Vesta* cap. IV. Porro ad hujus rei imitationem, Melchiadæ Papæ domum Faustæ in Laterano a Constantino M. datam, Baronius [13] & Spondanus [14] tradunt. *Nempe*, inquit Spondanus, *quod nefas esse sciret Constantinus Gentilitiæ superstitionis summum Antistitem aliam quamvis domum quam publicam habitare, nequaquam passus est absque publico ædificio Christianæ religionis Pontifices Maximos Romæ agere*. Idque prolixe probare conatur Baronius: cujus tota disputatio huc redit; domum Faustæ in Laterano fuisse Imperatorium palatium, in qua cum Concilium dicat celebratum Optatus Milevitanus, neminem posse jure dubitare, fuisse Pontificis Rom. sedem. Fidem tuam Baroni! an unquam serio hoc credidisti? Verba Optati, quibus niteris, hæc sunt libro I. adversus Donatistas [15]: *Et*

1 Sueton. Aug. 31. 2 Dio 49. & 56. Seneca de Clem. I. 10. 3 Vide Voss. de Histor. Græc. 2. 15. 4 lib. 53. 5 Alex. ab Alex. Gen. Dier. 5. 10. & ibi Tiraquellus; Guther. I. 11. 6 Quæst. Ro. cap. 113. 7 ap. Occon. in Numism. Impp. p. 14. Guther. l. c. & Golz. in Cæsare, tab. 16. num. 22.

1 pag. 115. 2 pag. 89. 3 ap. Golz. in Lepido Tab. 33. n. 2. 4 Quæst. Ro. cap. 111. 5 lib. 24. 44. 6 in Fabio Maximo. 7 in Julio cap. 46. 8 l. cit. p. 619. ed. H. Steph. 9 Vid. Plin. 4. epist. 11. 10 Servius ad Æn. 8. 11 Gell. 10. 15. 12 Dio l. cit. 13 ad A. Ch. 312. 80. 81. 82. 83. 84. 14 ad A. 313. 6. 15 p. 28. edit. Scriver. A. 1613.

*tamen dati ſunt judices*, ( quos ab Imperatore Donatiſtæ e Gallia petierant ) *Maternus ex Agrippina civitate, Reticus ab Auguſtoduno, Marinus Arelatenſis. Ad urbem Romam ventum eſt ab iis tribus Gallis & ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Fauſtæ in Laterano*. Quis ſanæ mentis hinc inferat, ædes illas aut Melchiadis fuiſſe, aut ei dono datas? Oſtende vel unum apicem, qui hoc demonſtret. At inquis, *Quorſum extra domum Melchiadis conveniſſent Epiſcopi?* Dic tu prius, cur Sylveſter non multo poſt intra Thermas Domitianas Concilium habuit? Thermæne ipſius ædes? Et ſi tam amplum ei palatium, Lateranum dico, fuit; quid opus erat alieno, in quo Epiſcopi convenirent? Præterea an novum ac mirum eſt, judices ab Imp. datos in domo imperatoria congregari? Hoc ſcilicet eſt rem tam evidenter demonſtrare, ut nemo jure dubitare poſſit! ut inde concludere liceat, quia domus imperatoria Pontifici data, etiam fuiſſe ornatum imperatorium eidem conceſſum!

VII. Tertio Pontificem Max. cadaver adſpicere aut tangere nefas habitum, ſcribunt Viri graves & rerum antiquarum cumprimis periti, Alexander *Gen. Dier.* lib. V. cap. X. Lipſius ad Senecæ *Conſol. ad Marciam.* cap. XV. & *ad Annal.* IV. Taciti, Bulengerus *de Imperatore* libro I. cap. XVIII. Kircmannus *de Funeribus Rom.* lib. II. cap. XXI. ac nonnulli alii. Nituntur autem auctoritate [2] Senecæ, Servii ac Dionis. Quorum ille ſcribit: *Tiberium pro roſtris laudaſſe filium, fletiſſeque in conſpectu poſito corpore, interpoſito tantummodo velamento, quod Pontificis oculos a funere arceret*: Iſte, *nefas fuiſſe Pontificibus cadaver videre, magis tamen, viſum inſepultum relinquere*: Hic vero, Tiberio *veniam datam, quod mortuum, quod nefas fuerit, tetigiſſet ac comitatus eſſet*: & alibi, *Claudium juſſiſſe ſtatuam Auguſti transferre, ne aut ſemper adſpiceret cædes gladiatorum aut ſemper velata eſſet*. At is ipſe Dio gravis cumprimis & fide digniſſimus Scriptor, cum narraſſet ut Auguſtus Agrippam velo ante mortuum oppanſo laudarit, negat diſerte, Pontifici prohibitum fuiſſe, videre mortuum. Quid ergo? An dicemus Auguſtum ac Tiberium ut Augures velum interpoſuiſſe? nam in hoc collegio fuiſſe utrumque nummi veteres firmant [3]. Auguribus autem nefas fuiſſe mortuos tangere, docet illud Tiberii apud Tacitum [4]: *Non debuiſſe Imperatorem auguratu & vetuſtiſſimis cærimoniis præditum feralia attrectare*. Verum repugnat Seneca ac Servius, uterque rituum Romanorum ſcientiſſimus. Vide ergo an ita conciliari queant Dioni, ſi dicamus non quidem lege aliqua vetitum, ſed tamen non decuiſſe. Fuit enim cadaverum contrectatio apud pleraſque gentes digna purgatione habita; imprimis apud ſacerdotes, qui præ reliquis debebant puri eſſe. Eadem ratione puto accipiendum Suetonium [5], cum memorat Titum *Pontificatum Max. ideo ſe profeſſum accipere, ut puras manus ſervaret, nec auctorem poſthac cujuſquam necis, nec conſcium fuiſſe*. Valde a mente auctoris aberrant, qui hæc laxius interpretati, Pontifici Max. nequidem intereſſe judicio ſanguinis licuiſſe, hinc colligunt. Demonſtravimus enim ſupra, Veſtales & alios qui religiones violaſſent a Pontifices damnatos punitoſque. Nec quiſquam priorum Imperatorum ad talem aliquam neceſſitatem ſeſe adſtrinxerat. Quare Titus propriæ bonitatis impulſu potius hoc feciſſe cenſendus eſt, quam

A quod jus publicum id eſſet. Nec Titi peculiaris religio pro lege publica accipienda eſt. Interim hoc ex Titi facto colligi poteſt, minus quam alios, decuiſſe Pontificem cauſis ſanguinis ſe immiſcere. Quomodo Plutarchus ait, Romanos impium ratos, iſtum Diis ſacrificare & antiſtitem divini cultus eſſe, qui damnationibus, & capitalibus civium ſuppliciis interfuiſſet. Ac ex Chriſtianis Epiſcopis ſimiliter dixit Gregor. PP. libro VII. epiſt. I. *In mortem cujuslibet hominis me miſcere formido* [1].

VIII. Poſtremo matrimonio quoque Pontificis
B certi a quibuſdam limites ponuntur. Non enim licuiſſe ei nuptias iterare aliquoties Tertullianus affirmat. Cujus loca ſupra [2], cum de titulo Pontificis Maximi ageremus, adlegavimus. Hieronymus quoque in I. adverſus Jovinianum cap. XXX. ait, *nullum ſacerdotem, nullum Flaminem fuiſſe digamum*. Quæ ſi vera ſunt, ab initio ſolum, aut non adeo ſtricte, obſervata fuerint. Nam poſtremis temporibus neglecta eſſe, certum eſt. Illud tamen fateri oportet, debuiſſe Pontificem Maximum caſtam ac probam uxorem deligere.
C Colligo e Plinii *Panegyrico* cap. LXXXIII. ubi Plotinam laudans: *Quid illa*, inquit, *ſanctius, quid antiquius? Nonne ſi Pontifici Maximo deligenda ſit conjux, aut hanc aut ſimilem elegerit*. Neque officere debet, quod uxores Imperatorum, qui Pontifices Maximi erant, nec caſtæ ſemper, nec inter probas. Quod miror Lipſio [3] potuiſſe negocium faceſſere; ut dubitaret, an leges aliquæ de Pontificis toro fuerint. Nam qui cætera Pontificii juris inſtituta totiens tranſgreſſi ſunt, quidni heic quoque parum ejus juris fuerint obſervantes? Et multi demum Pontifices facti, cum mariti jam eſſent. Cæterum per confarreationem tantum uxorem duxerit Pontifex, ſi verum eſt, quod ſcribit
D Boethius Commentariis ad *Topica* Ciceronis, e tribus modis habendi uxorem, *confarreationem ſolis Pontificibus convenire*. Sed notavit dudum Briſſonius [4], Boethium in iſtis Commentariis in craſſos ac ſupinos errores prolapſum, vixque fidem, niſi in iis quæ ex Veterum libris hauſiſſe videtur, mereri. Certe qui matrimonii per confarreationem contracti meminere Scriptores antiquiores, tamquam rem cunctis communem narrant. Vide Dionyſium Halicarnaſſeum lib. II. Plinium *Hiſtoriæ Naturalis* XVIII. cap. III. Apulejum X. *Metamorphoſeos*, & Arnobium IV. *adverſus Gentes*. Quamquam ſublata libertate, pene omiſſa hæc ra-
E tio videtur. Queritur enim apud Tacitum [5] Tiberius, *non adeſſe, ut olim, eam copiam confarreatis parentibus genitorum, ut tres ſimul nominari, e quibus Flamen Dialis legeretur, poſſint, omiſſa confarreandi conſuetudine, aut inter paucos retenta*. Ejuſque rei cauſſas adfert *incuriam virorum fœminarumque* ( hoc eſt, quod pauci cupiebant, ut liberi ipſorum Flamines aliquando fierent ) *cærimoniæ difficultates*, & *quando exiret e jure patrio, qui id Flaminium apiſceretur, quæque in manum Flaminis conveniret*. Quæ poſtrema defecta Lipſius [6] exiſtimabat, ac deeſſe quæ ad cærimoniarum difficultatem pertinent. Sed
F recte oſtenderunt alii [8], locum integrum eſſe. Recoxit tamen hanc crambem noviſſimus animadverſor; qui cum Heinſio ſuo cenſebat poſt illa, *quæque in manum Flaminis conveniret*, defectus notas ponendas, deeſſeque hæc aut quæ ejuſdem ſenſus. *Flaminica Dialis, ſacrorum cauſ-*

1 Vid. Caſaub. Exerc. adv. Baron. præfat. 2 Sen. Conſ. ad Marc. c. 15. Serv. ad Æn. 6. Dio 55. & ult. 3 ap. Occon de numiſm. Impp. p. 45. 46. 87. &c. 4 Ann. 1. 62. 4 5 Tito, cap. 9. Vide ibi notas Berneggeri.

1 Vide Arniſ. de Subj. Cleric. cap. 1. §. 5. 2 cap. 2. §. 2. 3 not. ad Plin. Paneg. l. c. 4 de Ritu nupt. p. 159. edit. Pariſ. A. 1607. 5 Ann. 4. 16. 2. 6 comm. ad h. l. num. 46. 7 Mercerus, Pichena, Freinsheim. not. ad h. l.

*ſa in poteſtate viri eſſet* . Sed ſatis ſibi conſtat ſenſus , etſi nihil adjicias . Solum ad poſtrema verba ἀπὸ κοινοῦ repetendum illud *exiret è jure patrio* . Quæ difficultas ſublata eſt lege lata , ut tantum *ſacrorum cauſſa Flaminica in poteſtate viri eſſet* , *cætera promiſcuo fœminarum jure ageret* , hoc eſt , in cæteris parentum poteſtati ſubjecta eſſet . Sicut adverſus incuriam id remedium excogitatum , ut commoda ac honores ſacerdotibus decernerentur . Cæterum hoc ipſo loco evinci putabat Tiraquellus [1] , non ſolis Pontificibus confarreationem conveniſſe . Credo , quod non eſſe veriſimile judicabat , e ſolis Pontificum liberis Flamines Diales legi ſolitos . De quo viderint alii . Nos ad Pontificem noſtrum revertamur .

## CAP. VII.

*Dignitas Pontificatus maximi . Titulus ejus non ſemper aliis præpoſitus . Locus Pontificis Max. in conviviis . Gutherius notatus . Pontificatus a principibus civitatis geſtus . Tacitus illuſtratus & recepta in eo lectio defenſa adverſus Gutherium . An & reges eum geſſerint ? Primo patricii ſoli , deinde & plebeii eum adepti : poſtremo ab Imperatoribus ſuſceptus . Catalogus Pontificum Maximorum ad Auguſtum uſque .*

EX iis quæ de officio , poteſtate & privilegiis Pontificis maximi hactenus commentati ſumus , proclive eſt colligere , in magno honore ac veneratione id ſacerdotium fuiſſe . Unde Vellejus [2] Tib. Coruncanium hominem novum *Pontificatu maximo ad principale faſtigium elatum* ſcripſit ; ac inter quinque rerum bonarum præcipua ac maxima , quæ P. Craſſus Mucianus habuit , recenſitum eſt non quod Conſul vel ſimili dignitate , ſed *quod Pontifex max. eſſet* . De quo Gellius I. cap. XIII. Hinc cum fruſtra legationem ad Marcium Volſcorum ducem , decem Conſulares obiiſſent , Pontifices atque Augures ut major honoratiorque legatio a populo miſſi ſunt , ut narrat Dionyſius VIII. Hujus dignitatis reſpectu quoque factum vult Gutherius [3] , quod in enumeratione honorum publicorum Pontificatus Maximus civiles Magiſtratus omnes præcederet , & primo loco aſſumeretur . Sed quod ait , idem in omnibus omnium Impp. & Magiſtratuum nummis & inſcriptionibus obſervari , in eo , ut molliſſime dicam , fefellit eum memoria . Vidimus enim ipſi complures nummos , quoſdam & poſſidemus , in quibus is titulus aliis poſtponitur . Ac vel ex unico Occonis opere , quo numiſmata Romanorum Impp. digeſſit , idem cognoſcere eſt . Nam in eo nunc titulus *Auguris* ei præpoſitus repperitur , ut in nummis Julii pag. IX. XIII. XIV. Lepidi paſſim ; Auguſti pag. LXII. Veſpaſiani pag. CL. nunc *Imperatoris* , quatenus ad exercitum refertur , in nummis Julii pag. VIII. Auguſti p. LXVII. & ſeqq. Tiberii p. LXXXIX. XC. XCI. XCIII. XCIV. XCV. Neronis p. CXX. CXXI CXXII. Pii p. CCXLIX. Severi p. CCCXLVII. & ſeqq nunc *Triumviri Reip. cauſſa* , ut in nummis Lepidi : *Tribuniciæ poteſtatis* , in Caligulæ pag. CIV Othonis p. CXL. CXLI. Vitellii pag. CXLIV. *Cenſoris* , in Veſpaſiani p. CL. CLIII. CLIV. & Domitiani p. CLXXX. & alibi : denique *Conſulis* in nummis Caligulæ p. CIV. Domitiani pag. CLXXX &c.

1 not. ad Alex. G. D. 2. 5. 2 l. 2. 128. 1. 3 lib. 1. de V. J. P. c. 11.

II. Idem ex Inſcriptionibus antiquis , ſi opus eſſet , oſtendi poſſet . Interim negari nequit , inter ſacerdotes præcipuam Pontificis max. dignitatem fuiſſe . Neque obeſſe ejus ſupremæ dignitati debet , quod in conviviis , ut Feſtus in ſchedis ab Urſino editis [1] ait , *quinto* demum *loco accubuit* . E quo loco Vir doctus [2] eliciebat , non fuiſſe honorificentiſſimum Pontificis Max. cognomen . Sed notum eſt , in accubitu non ſemper dignitatis rationem haberi . Et indicant cauſſæ a Feſto ibidem adlegatæ , non fuiſſe dignitatem ac poteſtatem in eo ordine obſervatam .

III. Tantus itaque honor non vilibus hominibus , ſed principibus civitatis collatus eſt , geſtuſque a Dictatoribus , Magiſtris equitum , Conſulibus , Conſularibus , Cenſoribus , Prætoribus , Tribunis plebis , Senatoribus cæteriſque Magiſtratibus : item ab Auguribus , decemviris & quindecimviris S. F. ſacerdotibuſque præcipuis aliis , ut paſſim hiſtoriæ veteres docent . Rationem reddit Cicero principio *Orat. pro Domo* , Pontifices adloquens : *Nihil præclarius , quam quod vos eoſdem & religionibus Deorum immortalium , & ſummæ reipublicæ præeſſe voluerunt , ut ampliſſimi & clariſſimi cives rempub. bene gerendo , religiones ſapienter interpretando , rempub. conſervarent* . Unde qui petiere ac geſſere Pontificatum , paſſim vocantur *clari viri* [3] , *conſulares* [4] , *honoribus populi Romani ornati* [5] , & *ſenes honoratique* [6] . Quem titulum male expunctum in Tacito [7] Gutherius [8] ivit , cum pro *honoratis jam ſenibus* , quibus Otho dicitur Pontificatus Auguratuſque cumulum dignitatis addidiſſe ; ſubſtituit *honoratus inſignibus* ; ac ſi dixiſſet Tacitus , Othonem imperatoriam majeſtatem ampliſſimorum ſacerdotiorum , Pontificatus puta & Auguratus , cumulatione decoraſſe . Quod & totus contextus , & Plutarchus in *Othone* rem eandem narrans , & loca jam adducta ( e quibus patet hoc genus titulis ornari ſolitos , qui Pontificatum adipiſcerentur ) refellunt . *Pontificatus* autem & *Auguratus* numero plurium dixit ; ſicut Lampridius Alexandrum Severum Imp. *Pontificatus & Auguratus codicillares feciſſe* ait . Fuere qui Reges ipſos Pontificatum max. geſſiſſe affirmarent [9] . Sed id falſum eſſe , Pontifices Max. ſub Regibus memorati evincunt . Sacrificaſſe quidem Tullus legitur , & ſacrorum curam in Anco indicat lituus capiti ejus in nummis appoſitus : ſed nuſquam Pontificatus illis tribuitur .

IV. Ab initio autem ſolis patriciis honor hic patuit , donec omnibus fere reliquis plebi communicatis , ad hunc quoque aditus ei daretur . Nam circa A. V. C. quingenteſimum *Tiberius Coruncanius primus ex plebe Pont. max. creatus* , ut eſt Epitoma XVIII. Livii . Ex quo tempore multi tam plebeii quam patricii Magiſtratus hunc honorem adepti ſunt . Notatque Livius XXV. cap. V. intra CXX. annos neminem præter unum Caluſſam Pontificem max. creatum , qui ſella Curuli non ſediſſet . Horum Catalogum , ex monumentis veteribus , quæ ſuperſunt , texuit Onuphrius Panvinius libro V. *Faſtorum* : adductis veterum Scriptorum locis , quibus eorum fit mentio . Adponemus nomina cum adnotatione annorum , ut ſtatim videri poſſit , quando unuſquiſque eorum , quorum in hac Diſſertatione meminimus , hunc honorem geſſerit .

1 in *Ordo Sacerdotum* . 2 Tho. Morton. Cauſſæ Regiæ cap. 5. ſect. 1. animadverſ. 1. 3 ap. Liv. 40. 42. 4 Auct. de Viris illuſtr. in Metello Pio. 5 Cic. pro domo c. 45. edit. Grut. 6 ap. Liv. 25. 5. 7 Hiſt. 1. 37 4. 8 lib. 2. 15. 9 V. Plut. Numa p. 65. Zoſim. lib. 4. Buleng. de Imperat. 1. 18. Graſſer. *van heydniſchen Pabſthumb* cap. 1.

*Circa A.V.C.*

50. *Numa Marcius M. F.*
240 *C. Papirius.*
304. *Q. Furius Fusus*, is qui Asconio (ut Panvinius putat) *M. Papirius* dicitur.
322. *A. Cornelius Cossus.*
361. *M. Fabius Ambustus.*
421. *P. Cornelius Calussa.*
449. *P. Cornelius Scipio Barbatus.*
500. *Ti. Coruncanius Ti. F. Ti. N.* Huic successit
510. *L. Cæcilius L. F. C. N. Metellus.* Successit
532. *L. Cornelius L. F. Ti. N. Lentulus Caudinus.* Successit
541. *P. Licinius P. F. P. N. Crassus Dives.* Successit
560. *C. Servilius C. F. C. N. Geminus.* Successit
574. *M. Æmilius M. F. M. N. Lepidus.* Successit
603. *P. Corn. Cn. F. L. N. Scipio Nasica.*
620. *P. Corn. P. F. P. N. Scipio Nasica Serapio.* Successit
621. *P. Licinius P. F. P. N. Crassus Mucianus.* Successit
623. *P. Mucius P. F. Q. N. Scævola.*
639. *L. Cæcilius L. F. Q. N. Metellus Calvus.*
646. *Q. Servilius Q. F. Cn. N. Cæpio.* Successit
648. Alius, qui non repperitur.
651. *Cn. Domitius, Cn. F. Cn. N. Ahenobarbus.* Successit
663. *Q. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Dalmaticus.* Successit
664. *Q. Mucius P. F. Q. N. Scævola.* Successit
671. *Q. Cæcilius Numidici F. L. N. Metellus Pius.* Successit
690. *C. Julius C. F. C. N. Cæsar.* Successit
709. *M. Æmilius M. F. Q. N. Lepidus.*

Non omittendum est, in isto Panvinii Catalogo non solum plures desiderari, quorum nulla mentio apud Scriptores veteres hodie exstat, sed ex iis quoque, quorum memoria superest, nonnullos esse omissos. Quos facile diligens historiarum lector industria sua supplebit. Postquam ad unum delata rerum summa est, Imperatorum proprius is titulus ac honor esse cœpit. De quo dicemus prolixe Dissertatione altera, una cum aliis quæ huc pertinere videbuntur.

FINIS.

# JO. ANDREÆ BOSII
LIPSIENSIS
DE
# PONTIFICATU MAXIMO
## IMPERATORUM ROMANORUM
PRÆCIPUE CHRISTIANORUM

*EXERCITATIO HISTORICA ALTERA.*

---

CLARISS. DOCTISSIMO QUE
*VIRO.*
CHRISTIANO FRIDERICO
FRANCKENSTEINIO.
ELOQUENTIÆ. LATINÆ.
AC. HISTORIARUM.
*IN. INCLITA. LIPSIENSI.*
*UNIVERSITATE.*
DOCTORI. PUBLICO.
BENEMERENTISSIMO.
ET
COLLEGII. MAJORIS. PRINCIPUM.
QUOD. IBIDEM. EST.
COLLEGIATO.
*CIVI. ET. AMICO. SUMMO.*
*MEO.*
HOC. MEI. ERGA. IPSUM.
ADFECTUS.
MUTUI. QUE. AMORIS.
MONUMENTUM.
*A. QUO. DOLUS. MALUS. ABEST.*
*PUBLICE. EXSTARE.*
*VOLVI.*
JO. ANDREAS BOSIUS.
DABAM. JENÆ.
AD. DIEM.
III. *KAL. MART.*
A. O. R. CIↃ. IↃC. LVII.

*C. B. D.*

# DE PONTIFICATU MAXIMO IMPERATORUM ROMANORUM.

## CAP. I.

*Status Reip. Romanæ tempore Julii Cæsaris, utque is cum aliis honoribus & Pontificatum maximum, quibusque artibus & quando adeptus sit. Dio illustratus. Idem honor filio Cæsaris decretus, sed a Lepido interceptus, eoque mortuo, ab Augusto, hinc a Tiberio cæterisque Imperatoribus omnibus susceptus & imperio adnexus. Caussæ ejus rei adferuntur. A Senatu seorsim delatus Imperatoribus Pontificatus maximus, itemque a Collegio Pontificum stola Pontificia. An qui eum consequutus erat, sacrificio subterraneo inauguratus fuerit? Prudentii locus expenditur.*



VIDEBATUR Roma, sublatis æmulis, nimia felicitate corrupta & elata, otio torpescens, fracta luxu, licentia soluta, atque hinc studiis popularibus & petulantia plebis, inde potentiorum injuriis, ambitione, factionibus turbata, lacessita, concussa, distracta, non aliud expertura fatum, quam ut fastigio potentiæ & imperio orbis, quod occupaverat, dejecta & exuta, civibus prædæ, exteris ludibrio esset, nisi, quod solum discordiarum remedium supererat, summa Reipub. ad unum rediret: cum Cæsar Julius, adolescens ortu nobilis, forma excellentissimus, animo supra humanam & naturam & fidem evectus [1], sive occasione temporum excitatus, sive æmulatione & fiducia sui, ambitioneque insita accensus, seu Dei immortalis instinctu aut permissu, certe non sine divinæ providentiæ adgubernatione, ad potentiam civica majorem, hoc est, imperium & dominationem, rem pluribus ante se, sed infeliciter, tentatam, magno ausu, nec minore fortuna, adspirare cœpit. Quam ut adipisceretur, inter cæteras artes, quibus uti solent, qui imperium adfectant, illud maxime egit, ut præcipua Reipublicæ munia paullatim ad se traheret, quibus potitus, omnem deinde potestatem in se transferret. Cæterum hæc animo agitans, qua erat sagacitate ingenii, probe animadvertit, ad eam rem populi favore imprimis opus esse; non solum quod plerique Magistratus & honores ab eo in Comitiis dari solebant; sed etiam quod Repub. in duas partes, Optimatium & populi, scissa, penes hunc præcipua tum vis ac robur erat. Hunc itaque modis omnibus [2] colere ac demereri, hujus partes palam fovere & amplecti, hujus jura ac libertatem, quotiens occasio ferebat, consiliis, opere, manu, strenue tueri, recuperare, amplificare; denique id ubique dare operam, ut quod suæ ambitioni ac spei dederat, populo dedisse videretur. Quo sibi conciliato ac devincto, omnis se voti primique in Repub. loci facile potiturum prævidebat. Neque excidit spe sua. Nam populus tam plene vicem me-

1 Vid. Vellej. Paterc. 2, 41, 2. 3. 2 Vid. Cl. Bœcler. Differt. 1. ad Sucton. pag. 10. & seqq.

A rito ejus exsolvit, ut illius auxilio Quæsturam primo, deinde Ædilitatem, mox Præturam, hinc provinciam Hispaniam Bæticam adeptus sit, donec ad fastigium honorum omnium, Consulatum scilicet, evectus est: *ex quo tempore*, ut Suetonius [1] ait, *unus omnia in Repub. administrare cœpit*. Ejusdem populi beneficio potissimum & reliquos Consulatus ac Dictaturam, aliaque quibus potentiam suam postea stabilivit, consequutus est.

II. Sed quoniam duobus Romana Respub. continebatur, Magistratibus & sacerdotiis, quorum altero potentia magis, altero veneratio & securitas adquiri firmarique poterat; Cæsar non satis præsidii ac roboris in Magistratibus esse existimans, B ex sacerdotiis quoque ea maxime quæ cum imperio conjuncta erant, mature sibi ambienda censuit. Quare Diali Flaminio, cui adolescens ac pene puer a Mario & Cinna sive destinatus, sive admotus [2] erat, exutus, nec fortassis invitus, quod sacerdotium id *dominationi, quam prima* statim *ætate concupierat* [3], non satis aptum esset (nam Flamini Diali non licebat Magistratum petere aut suscipere [4], multaque alia prohibita erant [5]:) cum antequam ullum Magistratum gereret absens in Cottæ Consularis locum [6] Pontifex factus esset, post aliquot annos ab Optimatium factione spe provinciæ Ægypti dejectus Pontificatum maximum [7] petiit; C idque tanta contentione, ut cum mane ad Comitia descenderet, prædixerit matri domum se nisi Pontificem Maximum non reversurum [8]. Qua in re sensit uberrime, quantum sibi favor populi prodesset. Nam juvenis adhuc, necdum Prætorius, duobus potentissimis competitoribus, multumque & ætate & dignitate antecedentibus, Q. Catulo Consulari & Senatus omnium confessione principi, ac Servilio Isaurico Consulari itidem & summæ in Senatu auctoritatis Viro, prælatus est. Testes Vellejus II. cap. XLIII, Suetonius cap. XIII, Plutarchus *Cæsare* haud longe ab initio, & Dio Cassius libro XXXVII.

III. Notari merentur artes, quibus hanc digni- D tatem adeptus est. Reduxerat Sulla, antiquata in gratiam Optimatium lege Domitia, jus Sacerdotum creandorum ad collegium Pontificum [9]. Horum plerique cum Senatui addicti essent, facile prævidebat Cæsar, se repulsam passurum, si penes eos potestas Pontificis max. creandi maneret. Itaque populi gratia fretus, quem nuper in Tribunicia potestate reducenda [10], & lege Manilia defendenda enixissime juverat [11], mox Ædilis ludorum ac munerum magnificentia sibi conciliarat [12], per T. Attium Labienum Tribunum plebis (cujus opera jam ante in caussa Rabirii usus erat) rogatione lata, effecit, ut jus illud denuo plebi redderetur. Quod his verbis E retulit Dio XXXVII: τὰς αἱρέσεις τῶν ἱερέων γράψαντος

1 in Julio cap. 20. 2 Sueton. Jul. 1. & 2. Vellej. 2. 43, 1. Vide Lipf. ad Taciti Annal. 3. nota 132. & ad Vellej. nota 94. Casaub. & Bernegg. ad Suet. Jul. cap. 1. 3 Suet. c. 30. 4 Plutarch. Quæst. Rom. ult. 5 Gell. 10, 15. 6 Vellej. l. c. e restitut. Lipsii. 7 Suet. cap. 11. & 13. 8 Idem c. 13. 9 Dio 37. Ascon. in Cic. Divinat. 10 Suet. c. 5. 11 Dio 36. 12 Appian. 2. Civil. princ. Suet. cap. 10. & 11.

μὲν

*μὲν τοῦ Λαβιηνοῦ, σπουδάσαντος δὲ τοῦ Καίσαρος, ἐς τὸν δῆμον αὖθις* ( sic distingui postulat ejusdem Dionis locus alius extremo libro XLIV. & verbum *ἐπανήγαγεν*, quod Nomen requirit accusandi casu positum ) *ὁ ὅμιλος παρὰ τὸν Σύλλου νόμον ἐπανήγαγεν, ἀνανεωσάμενος τὸν τοῦ Δομιτίου*. Vide quæ diximus Exercitatione de Pontifice Max. Romæ Veteris cap. III. §. V.

IV. Hac ratione cum denuo devinxisset populum, vix dubitandum erat Cæsari, ab eodem in re qua ab ipso adjutus erat, sui rationem unice habitum iri. Nihilominus vulgi inconstantiæ diffisus, & præterea veritus validissimos competitores, quorum alter etiam magna mercede ostensa, eum a petitione deducere conatus erat [1], adhuc aliis artibus tenuiores juxta ac ditiores & potentiores adgressus est. Illos enim profusissima largitione, etiam nominibus factis, quorum caussa jam exilium, si repulsam ferret, præceperat animo [2]; hos diligenti adsectatione; utrosque, etiam vilissimos, veneratione & cultu, ad fœditatem adulationis usque, demerebatur: parum sollicitus de ea humilitate, in quam in præsenti se demittebat, dum ex ea potentiam postmodum adipisceretur [3]. Quibus officiis adeo cunctos permovit, ut etiam in competitorum Tribubus plura ipse suffragia, quam uterque eorum in omnibus tulerit, ut e Suetonio cognoscimus.

V. Sic ergo in locum Metelli Pii Pontifex Max. factus est M. Cicerone & C. Antonio Coss. hoc est, Anno V. C. IↃC XCI. paullo ante quam Cicero Consulatu decederet. Quam dignitatem per omnem vitam sic gessit, ut facile appareret, non tam religionis & sacrorum caussa, quam firmandæ auctoritati fuisse adsumtam. Nam si fastorum & anni emendationem excipias, vix aliquid peregisse legitur, quod ad officium illud pertineret, cum in cæteris Reipubl. partibus plerisque omnibus multa memoratu digna gesserit, correxerit, immutarit. Porro sicut ipse munimentum potentiæ hunc honorem habuit, ita postremis vitæ annis cum de successore imperii cogitaret, eidem tribui voluisse videtur. Nam inter honores Cæsari a Senatu decretos, qui mortem ei accelerarunt, is quoque, ipso haud dubie vel suggerente, vel consentiente fuit, quod [4] *τὸν υἱὸν, ἄν τινα γεννήσῃ, ἢ καὶ ἐκποιήσηται, ἀρχιερέα ἀποδειχθῆναι ἐψηφίσαντο*, hoc est, *filium ejus, si quem gigneret, aut etiam adoptaret, Pontificem max. creari decreverunt*. Sic enim recte acceperunt hæc verba Viri docti [5], cum usitatum sit Dioni *ἀρχιερέα* Pontificem max. vocare, ut notavimus alibi, cum de nominibus Pontificis max. ageremus. Verum occiso Cæsare, quamquam ab eodem adoptatus fuerat Octavius, qui postea Augustus dictus est, tamen Pontificatum max. non est adeptus. Nam eum *in confusione rerum & tumultu M. Lepidus intercepit* [6], opera M. Antonii, qui hac ratione Lepidum, cujus potentiam metuebat, sibi addicturus, ut facilius quod cupiebat, obtineret, Pontificis max. creationem *rursus a populo ad Pontifices transtulit*, *κἂν τούτοις αὐτὸν, οὐδὲν ἢ ὀλίγα τῶν νενομισμένων πράξας ἐτέλεσε*; *hosque inter, nullis aut paucis majorum institutis observatis, eum inauguravit* [7]. Unde Vellejus *furto creatum* dixit lib. II. cap. LXIII.

VI. Victo Lepido, ac Triumviri potestate exuto, poterat Augustus cum vi Senatusconsulti, quod in honorem Julii factum diximus, tum quod Lepidus vitio creatus esset, Pontificatum max. invadere; præsertim cum populus hunc honorem a Lepido in eum transferre vellet, juberetque Lepidum tamquam hostem necari [8]. Nihilominus sive religione motus, quoniam id sacerdotium, ut Appianus [1], *ἕνα ἔχειν νενόμισαι μέχρι θανάτου*, id est, *ut unus haberet ad mortem usque sancitum erat*; sive gnarus, vix unquam sine invidia & odio populi aliquid adversus religiones & cærimonias admitti; seu denique quod clementiæ famam aucuparetur, vivo Lepido hanc dignitatem auferre non sustinuit [2], solo Pontificis titulo, ut nummi veteres [3] docent, contentus. At defuncto eo, Pontifex Max. factus est post annos quinquaginta quam Julius eundem honorem adeptus erat, hoc est, A. V. C. IↃCCXLI. pridie Non. Mart. ut habet Ovidius III. *Fastorum*, & *Kalendarium vetus* marmori incisum secundum Ciacconii, Manutii & Schotti editiones. Nam quod apud Gruterum [4] verba isthæc; HOC. DIE. CÆSAR. PONTIF. MAX. FACT. EST. ad d. III. Non. retracta leguntur, id descriptoris vel typothetæ culpa factum puto. Certe clara verba Ovidii eo referri non patiuntur. Postquam suscepit Pontificatum maxim. pluscula circa religiones & sacerdotes constituit, recensita a Suetonio in vita ejus cap. XXXI.

VII. Augusto sicut in principatu, sic in hac dignitate successit Tiberius, qui, ut est in saxo veteri Romano [5], VI. IDUS. MARTIAS. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATUS. EST. Quem in hoc sequuti sunt, quotquot deinceps a Senatu populoque Romano Imperatores sunt agniti: saltem ii qui soli & ad menses aliquot imperio præfuerunt ( vide cap. II. §. IV. ) ita ut Principum is honos proprius, ac cum imperio veluti connexus esset. Quod abunde Inscriptiones & Numismata vetera, quæ hodie supersunt, demonstrant. Caussam reddit Dio LIII [6]; eandem scil. ob quam omnia quæ in populari forma Reipub. multum valuerant Senatu populoque volentibus, cum ipsis nominibus Principes in se receperunt, *ne viderentur potestatem qua utebantur, ex potentia potius, quam legibus habere*; *utique cum singula ea legibus fuerint stabilita in statu democratico nihil absque concessione habere viderentur*. Idem ait, *ex eo quod semper unus Imperatorum Pont. max. esset, factum ut religionum sacrorumque omnium potirentur*. Nempe ut pro libitu facilius sub jugum mittere ac in officio continere Senatum ac Magistratus possent, titulo ac prætextu opus erat, ne tyrannico more rapuisse ac usurpare imperium viderentur. Quam ad rem præter civilium honorum titulos etiam religiones & sacerdotia in auxilium advocanda erant. Inter quæ Pontificis maximi dignitas imprimis huic negocio idonea visa est. Non quod penes eum summa potestas sacrorum esset, quam caussam tituli hujus adsumti Bovius in responsione ad considerationes Theologorum Venetorum [7], Baronius ad A. Ch. CCCXII. num. XCVIII. hujusque verbis Spondanus ad eund. annum numero XII. & Jo. Bapt. Casalius de veteribus Christianorum ritibus sacris cap. LVI. adlegant; ( nam id falsum esse, alibi [8] ostendimus ) sed quod potestate & imperio in res ac personas sacras præditus erat, ac religionis sive vi sive prætextu facile consilia Magistratuum impedire eorumque decretis intercedere, ac ab illis acta irrita reddere poterat. Adde quod neque rationem Senatui populoque reddere tenebatur, nec pœnæ obnoxius erat; quodque magna illius auctoritas ac veneratio fuit [9]. Quæ omnia neque alteri concedere tutum erat, & videbantur auctoritati securitatique Principum vel maxime robur ac pondus conciliatura, si ab illis adsumerentur.

IIX. Quamquam autem veluti connexa cum imperio hæc dignitas erat, solebat tamen SCto, ac ple-

1 Plutarch. l. c. 2 Sueton. & Plut. locis citt. 3 Dio lib. 37. Adde Casaub. ad Sueton. Jul. cap. 13. 4 Dio lib. 37. 5 Guther. de Vet. Jure Pontif. 1. 8. Bulenger. de Imp. Rom. cap. 7. 6 Livii epit. 117. 7 Dio lib. 44. extr. 8 Appian. 5. Civil. pag. 746. ed. Henr. Steph.

1 l. cit. Adde Dionem 49. pag. 458. 2 Suet. Aug. c. 31. 3 ap. Occon. de numism. Impp. pag. 42 43. 44. 45. 46. 47. 4 Inscript. pag. 133. 5 ap. Grut. p. 228. 6 pag. 581. 582. 7 pag. 29. 8 Diss. de Pont. max. Rom. Ver. cap. 5. §. 8. 9 V. diss. cit. cap. 5. §. 1. seqq. cap. 6. §. 1. cap. 7. §. 1. & 2.

rumque ſeorſim ac ſolenni actu & decerni a Senatu novis Imperatoribus, & ab his ſuſcipi. De Tiberio teſtatur Inſcriptio vetus [1] ſupra abducta, in qua VI. Idus Martias Pontif. max. creatus dicitur; cum tamen diu ante Imperium ſuſcepiſſet. Vitellium XV. Kal. Aug. Pontificatum max. cepiſſe, e Suetonio [2] & Tacito cognoſcimus, qui tamen jam ante Imperium & Auguſti nomen receperat. De Macrino Capitolinus: *Eundem cum ſcriba Pontificum eſſet ( quos hodie Pontifices minores vocant ) Pontificem max. appellavit* ( Senatus ) *Pii nomine decreto*. Primus una cum Auguſti titulo aliiſque honoribus hunc honorem adeptus videtur Alexander Severus. Sic enim ipſe in oratione ad Senatum [4]: *Gratias vobis P. C. de Cæſareo nomine, & de vita ſervata, & Auguſti nomine addito, & de Pontificatu maximo, & de Tribunicia poteſtate, & Proconſulari imperio: quæ omnia novo exemplo uno die in me contuliſtis*. Cauſſam reddit Lampridius initio ejus libri. Poſtea idem Probo evenit, ut ex eodem Lampridio [5] diſcimus. Apud quem Manlius Statianus in Senatu ſententiam dicens: *Decerno*, inquit, *votis omnium concinentibus nomen Cæſareum, nomen Auguſtum, addo Proconſulare imperium, patris patriæ reverentiam, Pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, Tribuniciam poteſtatem*. Idque & deinceps fieri ſolitum, inde colligo, quod nuſquam, quod ſciam, vel hæc vel aliæ hujuſmodi dignitates alicui ſeorſim conceſſæ leguntur. A Pontificibus ſimul ac quiſque Imperium conſequutus eſſet, Pontificalem ſtolam ei offerri ſolitam, ſcribit Zoſimus [6]: idque ad Gratianum uſque obtinuiſſe. Cui cur fides deroganda ſit, cauſſæ nil video. Nam quod aliqui Chriſtianorum odio hoc ab eo fictum eſſe exiſtimant, id nullo negocio refelli poteſt. Neque enim hujuſmodi commento quidquam aut Ethnicæ religioni accedere aut Chriſtianæ decedere potuit. De quo plura in ſequentibus, cum ad Chriſtianos Imperatores perventum erit.

IX. Guil. Cholius libro Gallico *de religione Romanorum veterum* [7], Cæſar Baronius ad An. Chr. CCCXII. numero C. Jul. Cæſ. Bulengerus libro I. *de Imperatore Romano* cap. XVIII. & Nic. Abramus Commentario in II. Philippicam Ciceronis ad numer. XCIII. nota IIX. etiam ſolenni ſacrificio ſubterraneo Pontificem max. inauguratum fuiſſe volunt, nixi loco Prudentii *hymno in Romanum*, in quo ſic legimus:

*Summus ſacerdos nempe ſub terram ſcrobe*
*Acta in profundum conſecrandus mergitur.*
*Mire infulatus, feſta vittis tempora*
*Nexus; corona tum replexus aurea,*
*Cinctu Gabino ſyricam fultus togam.*
*Tabulis ſuperne ſtrata texunt pulpita,*
*Rimoſa rari pegmatis compagibus,*
*Scindunt ſubinde vel terebrant aream,*
*Crebroque lignum perforant acumine,*
*Pateat minutis ut frequens hiatibus.*
*Huc taurus ingens fronte torva & hiſpida,*
*Sertis revinctus aut per armos floreis,*
*Aut impeditus cornibus deducitur,*
*Nec non & auro frons coruſcat hoſtiæ,*
*Setaſque fulgor bractealis inficit.*
*Hic ut ſtatuta eſt immolanda bellua,*
*Pectus ſacrato dividunt venabulo;*
*Eructat amplum vulnus undam ſanguinis*
*Ferventis, inque texta pontis ſubditi*
*Fundit vaporum flumen, & late æſtuat.*
*Tum per frequentes mille rimarum vias*
*Illapſus imber, tabidum rorem pluit;*

1 ap. Grut. p. 228. 8. 2 in vita cap. II. 3 Hiſt. 2. 91. 1.
4 ap. Lamprid. p. 174. ed. Caſaub. 5 in Prob. p. 351.
6 lib. 4. hiſtor. pag. 761. edit. Sylburg. 7 pag. 265. 266.

A *Defoſſus intus quem ſacerdos excipit,*
*Guttas ad omnes turpe ſubjectans caput,*
*Et veſte & omni putrefactus corpore.*
*Quin os ſupinat, obvias offert genas,*
*Supponit aures, labra, nares objicit,*
*Oculos & ipſos perluit liquoribus,*
*Nec jam palato parcit, & linguam rigat,*
*Donec cruorem totus atrum combibat.*
*Poſtquam cadaver ſanguine egeſto rigens*
*Compage ab illa Flamines retraxerint;*
*Procedit inde Pontifex viſu horridus,*
*Oſtentat udum verticem, barbam gravem,*
*Vittas madentes, atque amictus ebrios, &c.*

B Sed hæc de ſtato ac ſolenni ſacrificio, ſacris ſcilicet Terentinis, interpretes Prudentii, Nebriſſenſis, Fabricius ac Weitzius exponunt. Et ſane, ut recte obſervatum ſummo Viro Jo. Seldeno libro I. *de Synedriis* cap. X. nihil ejuſmodi heic refertur, e quo colligendum ſit, unquam Pontificem aliquem maximum peculiari ſacrificio inauguratum. Neque enim ex eo quod *ſummus ſacerdos* ac *Pontifex* nominatur, ſequitur de Pontifice max. ſermonem eſſe. Nam & *Pontificis* nomen quemcunque ſacerdotem primarium haud raro notat, ut alibi diximus; & *ſummi ſacerdotes* in provinciis dicti ſunt, penes quos præcipua ſacrorum cura fuit, quoſque C Græci ἀρχιερεῖς vocarunt. Quinimo ipſe Prudentius Aſclepiaden Præfectum, cujus juſſu Romanus ad martyrium raptus eſt, verſu CCXXIV. *ſummum Pontificem* dixit, qui tamen Pontif. max. eſſe non potuit; cum eum honorem Imperatores tum gererent. Verba ſunt Romani Præfectum adloquentis:

*Tu cur piaculum tam libenter lectitas?*
*Cur in theatris te vidente id plauditur?*
*Cygnus ſtuprator peccat inter pulpita.*
*Saltat Tonantem tauricornem Lydius;*
*Spectator horum Pontifex ſummus ſedes,*
D *Rideſque & ipſe nec negando diluis.*

Ubi *ſummum Pontificem* interpretes exponunt præfectum ſacris, judicem & cenſorem religionis ac morum. Et ſane tale quid ſuadet, quod eundem haud longe ab initio, verſ. 41. *Præfectum iſtis negociis imminentem* ( ſcil. Chriſtianos ad ſacrificia cogendi ) vocat. Jam ſi hunc *ſummum Pontificem* dicere potuit, quidni primarium Antiochiæ ſacrificulum *ſummum ſacerdotem* dixerit? Quare nil cauſſæ video, cur verbo Prudentii de Pontificis max. ſolenni conſecratione potius quam de cujusvis præcipui ſacerdotis piaculari aliquo ſacrificio accipi debeant. Et quis credat tam ſordidas & horribiles E cærimonias Imperatores alioſque Urbis Romæ proceres in ſe admiſiſſe? Niſi forſan unus Julianus ὁ ἀποστάτης, ut Chriſti ſanguinem hac ratione abſtergeret, ſic inauguratus eſt, de quo hæc accepit Baronius ad Ann. Chriſti CCCLXI. §. IV. Quem juvare videtur quod eſt apud Gregorium Nazianzenum priore *in Julianum invectiva*: Αἵματι μὲν οὐχ ὁσίῳ τὸ λουτρὸν ἀπορρύπτεται, τῇ καθ᾽ ἡμᾶς τελειώσει τὴν τελείωσιν τοῦ μύσους ἀντιθείς. *Sanguine impuro lavacrum extergit, initiationi quæ apud nos uſurpatur, exſecrandam initiationem opponens*. Sed Prudentii verba fortaſſis aptiſſime referas ad Taurobolium ſive Criobolium, matri Deum fieri F ſolitum, de quo poſt alios Voſſius *de Idololatria* libro II. capp. LII. & LIII. Nam in eo ſacrificantes tauri ſanguine perfuſos, diſerte ait Jul. Firmicus lib. *de errore profanarum religionum* cap. XXVIII. *Miſeri ſunt*, inquit, *qui profuſione ſacrilegi ſanguinis cruentantur. Taurobolium vel Criobolium* ( ſic legendum ) *ſcelerata te ſanguinis labe perfundit. Laventur itaque ſordes, quas colligis.* Vel

ad facra ἐπιβώθεια, in fovea ad id facta extra Urbem in circo Flaminio celebrata, quorum Ariftides Serm. Sacro II. meminit.

---

## CAP. II.

*Pontificatum max. ab Imperatoribus non titulotenus fed reipfa geftum fuiffe, oftenditur: ita ut tamen poteftate uterentur cuncti, officio pauci & libere fungerentur. Spartianus illuftratur. Cautela circa hanc obfervationem aliqua. Solos Imperatores Auguftos, Pontifices max. fuiffe, Cæfares tantum Pontifices dictos. Pluribus fimul imperantibus, unum folummodo fuiffe P. M. Id tamen poftremo immutatum: quandoque id fieri cœptum, inquiritur. Plufculæ nummorum & lapidum veterum infcriptiones illuftrantur & emendantur: ac obfervationes aliquot iis intelligendis fuppeditantur. Taciti locus defenditur.*

POSTQUAM adepti erant Imperatores Pontificatum maximum, non ut quafdam dignitates alias, folum titulotenus eum, fed reipfa gefferunt. Id evincunt quæ a fide dignis Scriptoribus tradita heic fubjiciemus. Auguftus [1] *poftquam Pontificatum max. fufcepit, quidquid fatidicorum librorum nullis vel parum idoneis auctoribus ferebatur, cremavit, ac folos retinuit Sibyllinos; hos quoque delectu habito: annum rurfus ad priftinam rationem redegit: facerdotum, præcipue Veftalium Virginum, numerum, dignitatem, commoda auxit: nonnulla etiam ex antiquis cærimoniis paullatim abolita reftituit.* Tiberius in cauffa Servii Maluginenfis Flaminis Dialis rogatus [2] *promifit refponfum, recitavitque decretum Pontificum*: ac paullo poft [3] *de Flamine Diali in defuncti locum legendo, fimul nova lege roganda differuit.* Claudius [4] *quædam circa cærimonias aut correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova inftituit: In cooptandis per collegia facerdotibus neminem nifi juratus nominavit: obfervavitque fedulo, ut quotiens terra in urbe moviffet, ferias advocata concione Prætor ediceret: utque dira avi vifa, obfecratio haberetur, eumque ipfe jure Pont. max. commonito pro roftris populo præiret.* Vitellius [5] *maximum Pontificatum adeptus de cærimoniis publicis edixit.* Domitianus [6] *Pontificis max. jure reliquos Pontifices in Albanam villam convocavit, & Corneliam Maximillam Veftalem damnavit incefti, ac defodi imperavit, ftupratorefque virgis in comitio cædi*: cum paullo ante ob ejufdem criminis fufpicionem *Ocellatis fororibus, item Varionillæ liberum mortis permififfet arbitrium, corruptorefque earum relegaffet.* Idem [7] permifit, ut Flamen Dialis, quod antiquitus prohibitum erat, uxorem repudiare poffet. Trajanus [8] a Plinio rogatus *an ædes cui nulla lex dicta effet, transferri poffet?* (quæ res ad jus Pontificium fpectabat) refpondit, *fine follicitudine religionis poffe, fi loci pofitio videatur hoc defiderare.* Qui & ab eodem Plinio [9] fuper translatione reliquiarum, *quia in urbe ex ejufmodi cauffis collegium Pontificum adiri folebat*, ut *maximus Pontifex confultus eft.* Quod nequaquam factum effet, nifi refpondere de ejufmodi cauffis Imperatores folerent.

II. Hæc omnia clare fatis oftendunt, reipfa hanc dignitatem a Principibus geftam; cum quod fubinde *jure Pontificis maximi, ut Pontifices maximi, & Pontificatum max. adepti* hæc feciffe dicuntur; tum quod ea quæ de illis retulimus ad poteftatem & officium Pontificis max. pertinuerunt, ut ex iis quæ alibi [1] diximus, liquet. Sed clariffime omnium de Hadriano Spartianus [2]: *Sacra*, inquit, *Romana diligentiffime cuftodivit, peregrina contempfit. Pontificis max. officium peregit.* Alexandrum quoque Severum non folum *cauffas facrorum finiiffe*, ita tamen *ut quafdam iterari & aliter diftingui* a Pontificibus *pateretur*; fed etiam *facra feciffe*, ac tum *loco Pontificis max. prætextam accepiffe*, e Lampridio [3] cognofcimus. Denique huc etiam refero, quod *Divus Pius*, ut Ulpianus [4] refert, *Pontificibus refcripfit jufto tempore videri natum, qui centefimo octogefimo fecundo die natus eft.* Nam haud dubie ut P. M. ab iis fuper hac cauffa confultus fuerat.

III. Quomodo ergo, inquies, ut aliquid fingulare & inufitatum in Hadriano notavit Spartianus, quod *Pont. max. officium peregit*, fi Romani Principes in univerfum reipfa hunc honorem gefferunt? Torfit fane hic locus Viros doctiffimos effecitque adeo, ut nonnulli [5] *priores honore & titulo contentos rem neglexiffe* fcriberent. Quos ideo recte erroris arguit Seldenus loco fupra adlegato, adductis exemplis Julii, Augufti, Vitellii & Domitiani. Quo poftremo etiam Cafaubonus probaverat, interdum officio P. M. functos effe Imperatores. Quod tamen inde fequi negabat Gutherius. Neque enim Domitianum qui Maximillam damnavit, partes Pontificis fuftinuiffe, fed tyranni perfonam, qui, ut Plinius [6] ait, illuftrari fæculum fuum tali exemplo concupiverit. Quafi non potuerit dum P. M. poteftate ufus eft, fimul tyranni perfonam fuftinere. Non funt ifta duo tam diverfa ut fimul confiftere nequeant. Sic hodie Romanus Epifcopus vere facra poteftate utitur, ac nihilominus ejufdem obtentu tyrannum agit. Et Princeps fi legitimam poteftatem tyrannice ufurpat, non ideo dici poteft folo Principis titulo contentus rem negligere. Præterea Plinius diferte fcribit Domitianum ea in re *Pont. max. jure ufum*. Quid autem de reliquis dicemus, e quibus Claudius etiam obfecrationem populo præivit; quod nemo negaverit ad P. M. officium pertinere? Ego fic cenfeo; cum duæ fuerint partes Pontificatus maximi, Poteftas facra feu imperium in res & perfonas facras, & Officium five facra in cultu functio: poteftate cunctos Principes ufos, officio paucos & liberrime ac pro arbitrio functos; idque Spartianum refpexiffe. Nam pauciffimi, & vix aliquis præter Claudium & Alexandrum, ac poftremis temporibus Julianum Transgrefforem, facrificaffe ac folennes preces peregiffe leguntur. Et fuadet conditio Principatus, ut credamus Principes bellicis expeditionibus plerumque diftentos non admodum frequenter officio P. M. fungi potuiffe. Imo in univerfum æftimanti apparet tam libere hanc dignitatem eos geffiffe, ut neque abftinerent ab illis quæ antiquitus vetita Pontifici erant, & plura alia quæ ad facerdotium hoc pertinebant, omitterent.

IV. Porro quod diximus cunctos Principes poteftate P. M. ufos, id cum cautione accipi volumus. Nam de iis folum adfirmamus qui I. vere Imperatores, non tantum Cæfares five defignati fucceffores Imperii, fuerunt. Nam Cæfares folummodo *Pontifices*, plerumque fupra numerum in id collegium cooptati, dicebantur. II. qui foli Imperium tenebant. Nam cum primum duo vel plures fimul imperarunt, quod a M. Aurelio & L. Vero fieri cœpit, unus tantum *P. M.* cæteri *Pontifices* fimpliciter vo-

1 Sueton. Aug. 31. 2 Tac. Ann. 3. 59. 1. 2. & 3. 71 3. 4. 3 Tac. Ann. 4. 16. 1. 4 Sueton. Claud. 22. 5 Tac. An. 2. 91. 1. 6 Plin. 4. epift. 11. Suetonius Domit. 8. Adde Eufeb. Chron. num. 2099. 2107. 7 Plutarch. Quæft. Rom. 50. 8 Plin. 10. ep. 58. 59. 9 10. ep. 73.

1 Diff. de P. M. Romæ Vet. c. 4. & 5. 2 pag. 15. ed. Cafaub. 3 in Alex. p. 182. 192. 4 l. 3. §. fin. D. de fuis & legit. hered. 5 Cafaub. ad hift. Aug. p. 86. Bulenger. de Imp. R. 1. 13. Guther. de V. J. P. 1. 15. 6 4. ep. 11.

cati sunt. III. Qui a Senatu populoque Romano adprobati sunt. Qui enim ab exercitu, aliorum odio creati Romam non pervenere, aut hostes Pop. Rom. judicati sunt, eos nolim adserere Pontificatum reipsa gessisse. Quamquam titulo eo nonnulli illorum usi sunt, ut infra dicemus. IV. Denique qui tempus & occasionem hanc potestatem exercendi habuere. Nam quosdam qui vel uno aut paucis solum diebus Imperium gessere, ut M. Marcius, Severus Hostilianus, Perpenna Licinianus, Quintillus, & nonnulli alii; vel toto Imperii tempore bellis occupati ab Urbe & Italia absuerunt, vix aliquid peregisse quod ad potestatem aut officium P. M. pertineret, existimo. Et hi plerumque non leguntur cum eo titulo in nummis & lapidibus antiquis.

V. Operæ precium erit nonnulla ex his aliquanto latius prosequi, ut simul antiquis aliquot monumentis lucem opemque adferamus. Solos Imperatores (ut inde ab Augusto is titulus usurpari cœpit) plena potestate præditos, quique *Augusti* nomen adepti fuerant, & penes quos absolute summa rerum erat, Pontificatum max. gessisse; eorum vero sive filios sive designatos successores, qui [1] post Nervæ Imperium *Cæsares* simpliciter dicti sunt, etsi ad Imperii spem & societatem adsumti essent, tamen *Pontifices* tantum appellatos manifesto apparet e nummis & lapidibus antiquis, in quibus hi semper cum titulo PONTIF. leguntur toto illo tempore, quo Imperium nondum plene adepti erant; at cum primum aliquis eorum ad illud pervenerat, PONT. MAX. appellatione insigniti repperiuntur. Idque non solum in Druso, Germanico, Caligula, Tito, Domitiano, Commodo; sed iis quoque qui quodammodo in societatem Imperii, quamquam nondum in æqualem potestatem ac Augusti nominis communionem adsumti sunt, puta Trajano, Hadriano, Aurelio, itemque Caracalla, Geta, Diadumeniano, Gordiano III. Philippo F. Volusiano, aliisque, dum adhuc Cæsares essent, observare licet. Exempla passim habes apud Occonem in *Numismatis Impp. Romanorum*, Golzium in *Thesauro rei antiquariæ*, & Gruterum in stupendo *Opere Inscriptionum Romanarum*.

VI. Occurrunt tamen apud hos ipsos Scriptores haud pauca, quæ observationi huic nostræ videntur officere. Qualia sunt. I. Saxum [2] vetus pontis Ariminensis, in quo Augustus & Tiberius ambo cum titulo PONT. MAX. leguntur. II. nummus [3] æreus, in cujus uno latere legas *Imp. Cæs. Vesp. Aug.* P. *M. Tr.* P. *Cos.* IIII. in altero *Imp. Titus Cæs. F. Vesp. Aug. P. M. Tr.* P. *Cos.* II. Atqui Titus post septimum demum Consulatum suum ad Imperium evectus est, postquam Vespasianus Consulatu nono, anno Imperii decimo excesserat. III. Nummi & saxa aliquot Titi, in quibus is videtur adhuc vivo patre P. M. appellatus. Nummi quidem tres: in quorum uno [4] (quem Occo ad annum V. C. IↃCCCXXI. hoc est, decimum ante mortem Vespasiani retulit) legitur *Imp. T. Cæs. Vesp. Aug. P. M. Tr.* P. P. P. *Cos.* in altero [5] *Imp. T. Cæs. Vesp. Aug. P. M. Tr.* P. P. P. *Cos.* IIII. in tertio [6] *Imp. T. Cæs. Vesp. Aug. P. M. Tr.* P. P. P. *Cos.* VI. Inscriptiones vero quatuor; quarum prima [7] facta *pro reditu Imp. Cæs. T. Flavi. Vespasiani. Aug. Pont. Max. Tr. pot. Cos.* II. atque Scaligero in Indice, ad Titum relata est; secunda Emeritana [8] prædicatur *Imp. Titus. Cæs. Vesp. Aug. P. M. Tr. P.* V. *Cos.* VIII. *P. P. Generis. Humani. Amor. Et. Delicium*; tertia [9] *Imp. T. Cæsar.*

A *Vesp. Augg. P. M. Tr. P.* II. *Cos.* VII. *P. P.* quarta [1] denique posita est *Imp. Cæsari. Divi. F. T. Vespasiano. Augusto. Pont. Max. Trib. pot. Imp. X. P. P.* In quibus monumentis cum Titus decimo ante mortem patris anno, item Cos. II. & IV. & V. ac Tr. pot. II. ac V. & Imperat. X. cum titulo P. M. repperiatur; & tamen, ut e nummis [2] apparet, adhuc Cos. VII. Trib. pot. VI. VII. VIII. & Imp. XII. XIII. XIV. nondum Augustus fuerit; ac demum post Consulatum VII. atque annum Tribuniciæ potestatis VIII. & Imperatoris cognomen quartum & decimum adeptus [3], Imperium consequutus sit, hinc videri possit patre [illegible] hunc honorem gessisse. IV. denique tres nummi Domi- B tiani, in quorum primo [4] *Imp. Domit. Aug. P. M. Cos.* II. in secundi [5] parte una *Imp. Cæsar. Domitianus. Aug. P. M.* in altera *Tr. P. Cos.* VI. in tertio [6] *Imperat. Domitian. Cæs. Divi. Vesp. Aug. F. P. M. Tr. P. Cos.* VI. Domitianus autem adhuc Cos. VII. *Cæsar.* & *Princeps juventutis* dictus [7] invenitur: adeoque Cos. II. & VI. Imperator esse non potuit.

VII. Est quidem nummorum ac lapidum antiquorum, secus quam multi existimant, magna in historia Romana auctoritas: immo absque illis esset, sæpe in digerendis ordinandisque Cæsarum annis, totaque historiæ serie constituenda non parum C aberraremus. Nihilominus negari nequit, in utroque genere longe plurima partim artificum imperitia, partim & quidem sæpissime descriptorum culpa & oscitantia misere corrupta & vitiata esse. Est & ubi hujusmodi monumenta a Viris doctis perperam accepta, aut ad illos homines, illave tempora, quibus minime conveniunt, relata, vel etiam duo in unum confusa, sæpe & spuria ac supposititia pro genuinis obtrusa videas. Quæ omnia sexcentis exemplis confirmare possemus, si præsentis instituti ratio permitteret. Notarunt hoc dudum Viri summi, ostendemusque ipsi aliquando prolixe, si Deus cœptis nostris fortunam adspiraverit. Nunc ad ea quæ D laudavimus, respondebimus breviter; hoc ipso gustum aliquem ejus rei, quam modo diximus, exhibituri.

IIX. Ac in genere quidem quod in his omnibus exemplis (primo excepto) ubique Principum nominibus *Imperatoris* titulus præpositus, *Augusti* subjunctus legitur, id certissimo indicio est, nullum horum lapidum ac nummorum ante sculptum cusumve esse, quam dicti Principes ad Imperium pervenissent. Nemo enim nisi ad summam potestatem enisus *Imperatoris* prænomine, nemo *Augusti* elogio usus est: cum ea Principum propria essent, eaque ab aliis sine majestatis crimine usurpari non possent. Præterea aliunde constat, nullum horum Im- E peratorum iis temporibus, quibus monumenta hæc facta sunt, Pontificatum max. gessisse. Nam de Tiberio indubium est, eum Augusto mortuo demum hunc honorem adeptum, immo cum jam aliquandiu Principatum administrasset. Unde adhuc *Tr. pot. XVI. Cos. II.* hoc est, paullo ante mortem Augusti, *Pontifex ἁπλῶς* in nummis legitur apud Occonem pag. LXXXIX. Titus autem & Domitianus etiam post annos laudatis monumentis indicatos, ille quidem *Cos. III. IV. VI. VII. Trib. pot. III. IV. V. VI. VII. VIII. ac Imp. VIII. IX. X. XII. XIII. XIIII.* hic vero *Cos. IIII. des. V.* ac *Cos. V. des. VI.* solum cum *Pontificis*, non *P. M.* titulo in nummis veteribus [8] F repperiuntur. Postremo in plerisque numeri ipsi aut cum reliquis in iisdem monumentis, aut cum aliis aliorum lapidum nummorumve comparati

1 Vid. Guth. de offic. dom. Aug. 1. 42.
2 ap. Grut. 160. 2. 3 ap. Occ. p. 153. 4 ap. Occ. p. 161.
5 p. 163. 6 p. 164. 7 ap. Grut. 103. 7. 8 155. 3.
9 189. 6.

1 244. 7. 2 ap. Occ p. 164. & Golz. p. 54. 55. 3 Vid. Panvin. Comin. ad 2. Fast. ann. 832. 4 Occ. 170. 5 p. 171. 6 p. ead. 7 ap. Occ. 172. 173. 8 ap. Occ. p. 162. 163. Golz. p. 54 55. 57. 58.

non conveniunt, adeoque erroris ac corruptelæ A manifesti sunt. Quod ex sequentibus amplius patebit.

IX. Jam ut singula expendamus, Inscriptionem Ariminensem, saltem ea parte qua Tiberius *Pontif. Maxim.* appellatur, post mortem Augusti factam esse, præter *Augusti* cognomen (quod Tiberio ibi tribuitur, cum tamen post mortem Augusti demum, idque ægre & nonnisi permittentis ac conniventis ritu ab eodem susceptum sit [1]) illud indicat, quod *Cos. IIII. Imperat. VIII. Trib. potestat. XXII.* id opus dedisse dicitur. Quæ omnia in annum V. C. IↃCCLXXIV. hoc est, ab excessu Augusti septimum, unice quadrant. Nam B eo & Consulatum quartum, & Tribuniciam potestatem secundum & vigesimum gessit, & Imperator denique octavum salutatus est, ut ex Onuphrio [2] patet. Quod vero ad Augusti nomen ac titulos, qui altero pontis latere leguntur, eos dixerim aut jam ante vivo eo incisos, aut Tiberii ævo additos, quod Augustus tempore ibi significato, nempe *Cos. XIIII. Imper. XX. Tribunic. potest XXXVIII.* idem opus inchoasset, sed morte præventus absolvere nequiisset. Quomodo & in aliis lapidibus cum iidem tum alii Principes tempore distantes conjuncti repperiuntur. Ut Augustus & Tiberius ap. Gruterum pag. CCXXVIII. 6. Augustus, Titus & M. Aurelius p. CLXXVII. 1. C Claudius, Vespasianus & Titus p. CLXXVI. 1. Vespasianus, Nerva & Hadrianus p. CLIV. 4. 5. 6. denique Augustus & quidam alius *Divus Augustus Pius Pater Dominorum* (quem longe posteriorem Augusto Divi filio esse, adjectæ *Pii* & *Dominorum* appellationes sero demum introductæ ostendunt; ego Constantinum Magnum crediderim, quoniam ejus ævo vixit Lucius Turcius, quo curante ea inscriptio facta dicitur) pagin. CLXV. 2.

X. Cæterum in saxo Ariminensi pro *Imperat. XX.* legendum est *XXI.* e Tacito [3] & nummis veteribus [4]: quorum ille diserte scribit ab Augu- D sto *nomen Imperatoris semel atque vicies partum*; hi eundem *Imp. XXI. Pontif. Maxim. Tribun. potest. XXXVI.* & *XXXVII.* exhibent. At contrario modo peccatum in numero Tribuniciæ potestatis est. Nam ibi demendam unitatem sequentia arguunt. I. Quod idem Tacitus ab Augusto *per septem & triginta annos continuatam Tribuniciam potestatem* ait. II. Quod apud Pet. Apianum [5], qui primus eam Inscriptionem publici juris fecit, non *XXXVIII.* sed *XXXVII.* legitur. Quem sequi potius Gruterus debuit, quam Panvinium: apud quem descriptoris vel typothetæ errore adjectam unitatem, vel illud indicio esse potest, quod in Fastis solum XXXVII. Tribun. potestatem E Augusto adsignavit. III. Quod calculus annorum Augusti non patitur eum numerum. Nam, ut e Dione [6] cognoscimus, Senatus Augusto perpetuum Tribunatum plebis ipso XI. & Cn. Pisone Coss. decrevit, cum Consulatum abdicasset. Quem honorem eodem anno a. d. V. Kal. Jul. suscepit, eoque hinc anni Trib. potestatis putandi sunt. Jam inter eum annum & mortem Augusti, quæ, cunctis consentientibus, Sex. Pompeio & Sex. Appulejo Coss. contigit, nonnisi XXXV. paria Consulum ordinariorum interjacent. Quorum annis si cum eo quo hunc honorem adeptus est, ultimum vitæ ejus addas, in universum XXXVII. exibunt. E qui- F bus postremum non toto bimestri ante quam obiret, inchoaverat. Denique IV. ex annis Tiberii aliud colligitur. Is enim Tribun. potestatem XVI. inierat, cum Augustus moreretur. Nam Sex. Ælio Cato & C. Sentio Saturnino Coss. id est, anno ante obitum Augusti decimo, iterum accepit Tribuniciam potestatem in quinquennium, cum antea per annos V. eam gessisset. Docent Dio LVII. Suetonius *Tiberio* cap. XVI. & Vellejus II. cap. CIII. Deinde in nummis [1] *Cos. Des. III.* legitur *Tr. pot. XVIII.* ac *Cos. III. Tr. p. XIX.* Consulatum autem tertium anno ab excessu Augusti tertio iniit. Postremo in nummis aliis [2] jam *Augustus*, sed nondum *P. M.* legitur *Tr. potest. XVI.* Unde patet eo anno, quo Imperium adeptus est Tr. potestatem XVI. gessisse. Atqui in fastis Capitolinis [3] quibus annis Augustus *Tr. pot. XXX. XXXI XXXII.* iisdem Tiberius *Tribun. potest. IX. X. XI.* memoratur. E quo sequitur, cum Tiberius Trib. potestatem XVI. iniret, quod paullo ante excessum Augusti, puta XXVII. Junii factum est, eandem ab Augusto XXXVII. non XXXVIII. susceptam; adeoque in saxo Ariminensi eundem numerum restituendum esse. Neque novum est, in inscriptionibus Augusto positis numeros corrupte legi. Sic p. CLIII. 2. perperam legitur *Cos. VIII. Tr. potest. X X I.* cum ex Inscr. 1. pag. ead. legendum sit *Cos. XIII.* Is enim Consulatus cum dicto Tr. pot. anno convenit; octavo autem nondum perpetuum Tribunatum plebis, a quo anni Trib. potestatis numerantur, acceperat, ut ex iis quæ paullo ante diximus, liquet. Similiter p. CLXV. 2. male est *Tribunicia potest. XXXII. Imp. XXVI.* Augustus enim, ut e Tacito modo observavimus, tantum semel atque vicies Imperatorium nomen adeptus est. Legendum autem *Imp. XVI.* qui numerus in nummis [4] eo anno illi tribuitur. Plura addere modus Exercitationis hujus non patitur.

XI. Scio fuisse summos Viros, qui cum in ara Narbonensi [5], quæ votum numini Augusti T. Statilio Tauro & L. Cassio Longino Coss. X. Kalend. Octob. a plebe Narbonensium susceptum, ac eidem factam dedicationem aræ continet, Augustum *Tribunicia potestate XXXV.* repperissent, visi sunt [6] *observasse Tribuniciam potestatem, quæ apud Tacitum legitur trigesima septima, fuisse ex hac ipsissima inscriptione trigesimam octavam*. Sed pro Tacito præter ea quæ paullo ante adduximus, hæc ipsa inscriptio facit. Nam in ejus parte priori, quæ votum Augusto susceptum Tauro & Longino Coss. complectitur, sic legimus: *Quod. bonum. faustum. felixque. sit. Imp. Cæsari. Divi. F. Augusto.* P. P. *Pontifici. Maximo. Trib. potest. XXXIIII.— plebs. Narbonensium. aram. Narbone. in. foro. posuit. ad. quam. quotannis. VIIII. K. Octobr.—tres. equites. Romani. a. plebe. & tres. libertini. hostias. singulas. immolent.* Jam Taurus & Longinus tertio ante mortem Augusti anno fuere Consules, & Longinus quidem suffectus, idque, ut videtur, ex Kal. Juliis. Nam pridie K. Junias T. Statilius Taurus & M. Æmilius Lepidus Coss. eadem inscriptione memorantur. Si igitur Augustus eo anno, & quidem post K. Julias ac decimo K. Oct. (quo die votum susceptum & ara posita esse dicitur) Tribunicia potestate (quam ejusdem anni mense Junio, ut solebat, renovaverat) XXXIIII. fuit; tertio post anno XIV. K. Sep. (quo mortuus est) eandem XXXVII. non autem XXXVIII. gesserit necesse est. Sed Viros doctissimos & antiquitatis alias peritissimos illud seduxisse videtur, quod putarunt iisdem Coss. etiam dedicationem, quæ altero latere istius aræ habetur, necessario factam esse. Cum tamen nihil impediat quo minus eam sequenti demum anno factam dicamus. Quidni enim alio tempore votum suscipi atque ara poni, alio dedicari ea-

1 vide Dion. 57. p. m. 695. & Casaub. ad Suet. Aug. 100. 2 Comm. ad 2. Fast. ad A. V. C. 773. 774. 775. 3 Ann. 1. 9. 2. 4 ap. Occ. p. 71. 72. Golz. p. 33. 5 Inscr. vet. p. 157. 6 lib. 53. ext.

1 ap. Occ. p. 90. Golz. p. 35. 2 ap. Occ. p. 89. Golz. pag. 34. 3 ap Grut. 295. 4 ap. Occ. p. 40. 5 ap. Grut. 229. 6 Vide Gassend. lib. 1. de vita Peireskii pag. m. 83.

dem potuerit? Neque alia ratione conciliari uterque numerus poteſt. Niſi quis dixerit, alterutrum corruptum eſſe. Quod de poſteriori fortaſſis admitti queat: non item de priori, propter ea quæ ſuperiori paragrapho a nobis ſunt diſputata.

XII. Nunc ad reliqua. Veſpaſiani nummus cum prænomen Imperatoris, quod nec aliorum Cæſarum ulli antequam ad ſummam poteſtatem provecti eſſent, nec huic in reliquis [1] nummis ac lapidibus, in quibus una cum patre legitur, tribui ſolet, Tito tribuatur; ad eum bis Conſulem & adhuc Cæſarem referri nequit. Quare dixerim aut omnino confictum ac a recentiori manu eſſe, quod genus haud pauci ſæpe etiam exercitato ſpectatori ſolent imponere: aut duos diverſos ab Occone confuſos: quod ab eodem aliiſque qui nummorum veterum inſcriptiones congeſſerunt, ſubinde factum eſſe plurimis exemplis docere poſſum. Videtur autem utraque inſcriptio ad Veſpaſianum patrem pertinere. Nam is quoque prænomine *Titi* aliquotiens legitur: Ac fortaſſis in nummo fuit IMP. T. CÆSAR. VESP. pro eo quod apud Occonem eſt CÆS. F. VESP. Certe hoc paullo inuſitatius eſt: neque enim, quod ſciam, τὸ *Filius* paterno nomini præponere Romani ſunt ſoliti. Quod ſi ad Titum referre malis, corriges *Coſ. VII.* vel *XI.*

XIII. Primus Titi quamquam nullum Tribun. poteſtatis ac Conſulatus numerum adjectum habet, non tamen ideo ad eum annum pertinere cenſendus eſt, quo primum honores illos Titus adeptus eſt. Nam ſolent ſæpiſſime hæ dignitates etiā aliquotiens geſtæ, ſine numero poni. Quod facile animadvertet, qui ſaltem primis labris hanc partem antiquitatis deguſtaverit. Proinde cavebunt Lectores, ne, quod ſæpiſſime fecit Occo, hujuſmodi monumenta in tempora non ſua conjciant. In ſecundo fuiſſe exiſtimo *Coſ. VII.* vel *VIII.* Norunt qui monumenta Veterum tractarunt, ſæpe quinarii notam ſic ſculptam expreſſamque, ut ei quæ binarium notat, perquam ſit ſimilis, dum paullo latius inferior pars diducta eſt. Id heic quoque contingere potuit. In tertio, qui altero latere duos captivos ſub palma cum inſcriptione JVD. CAP. oſtentare dicitur, fortaſſis legendum eſt *Coſ. VII.* ut erat in ſimili quem ante hos annos ſex in locupletiſſimo theſauro numiſmatum antiquorum Luckiano Argentinæ videre memini; vel ut alii ſatis vulgati ac pluribus memorati habent, *Coſ. VIII.* Nam octavo Conſulatu plures repperiuntur [2] qui *Judææ captæ* effigiem exhibent; eodemque inſcriptio vetus [3] quæ urbis Hieroſolymæ a Tito deletæ meminit, facta eſt. Ac vix alius ex eo genere ante hunc annum cuſus invenitur in iis catalogis quos editos habemus. Facile autem fieri potuit, ut una & item altera virgula unitatem denotans in eo nummo, quem Occo exhibuit, fuerit deleta. Quod ſi nil mutandum cenſeas, poteris ad Veſpaſianum patrem referre, qui jam III. Coſ. cum filio de Judæa triumpharat. De quo præter Scriptores bene multos etiam nummi [4] id temporis cuſi fidem faciunt. Sunt autem utriuſque facies non adeo diſſimiles quin altera pro altera accipi queat.

XIV. Ex Inſcriptionibus prima non ad Titum filium, quo Scaliger eam retulit, ſed ad patrem ſpectare videtur. Quo etiam retulit Panvinius [5], indeque oſtendit eum æque ac filium Titi prænomen habuiſſe. In ſecunda adjectus Conſulatus oſtendit, numerum Tribun. poteſt. corruptum eſſe. Nam in nummis & lapidibus aliis [6] Titus Tr. poteſt. IV. &

1 ap. Occ. 152. Grut. 244. 2. 2 ap. Occ. 165. 166. 2 ap. Grut. 244. 6. 4 ap. Occ. 151. 152. 5 Com. ad 2. Faſtor. p. m. 207. 6 ap. Occ. 164. 165. Golz. 54. 55. 56.

V. tantum *Coſ. IV.* & Tr. pot. VI. VII. VIII. *Coſ. VI.* & *VII.* denique adhuc Coſ. VII. ac deſ. VIII. *Tr. p. VIIII.* & *X.* reperitur. Non ergo Coſ. VIII. potuit Tr. p. V. eſſe. Quare putem inferiorem denarii numeri partem obliteratam, ut in ſaxo Auguſti ſupra emendato, fuiſſeque primitus *Trib. P. V.* Potuere & tres quatuorve virgulæ in fine lineæ deleri; ut fuerit *Trib. P. VIII.* vel *IX.* Simile mendum tertiam obſedit. Nam neque Titus nec Veſpaſianus ſecundo Tr. p. anno Conſulatum 7. attigerunt. Uterque enim Coſ. III. eo anno deſignatus eſt. Itaque legam *Tr. P. VII.* referamque ad Veſpaſianum, qui cum Tr. p. VII. eſſet, Coſ. VII. factus eſt. Ut viſum effugerit quinarii nota, vel etiam lapicidæ culpa omiſſa ſit. Quam & in quarta ſupplendam puto, legendumque *Imperat. XV.* Totiens namque Imperatorium nomen adeptus erat Titus cum ad Imperium perveniret. Et non eſſe eam inſcriptionem vivo Veſpaſiano factam, præter *Imperatoris* prænomen, *Patris Patriæ* elogium Tito; *Divi*, Veſpaſiano tributum evincunt. Illud enim non niſi Imperatoribus; hoc mortuis tantum dari ſolebat. In nummis Domitiani ubique *Coſ. VII.* legendum exiſtimo: Eo enim Conſulatu fratri in Imperio ſucceſſit.

XV. Illud ergo certum eſt, neminem Cæſarum, antequam ad Imperium perveniret, poteſtate aut titulo P. M. uſum. Sed & cum plures pari poteſtate imperare cœpiſſent, diu obtinuit, ut ſinguli tantum, ii ſcilicet qui cæteros in ſocietatem Imperii adſciverant, hunc honorem gererent. Quando autem id immutatum ſit, difficile eſt definire in tanto Scriptorum veterum juxta ac recentiorum ſilentio. De Marco & Vero res certa eſt. Primo enim Capitolinus [1] ubi narrat quæ in Verum Marcus contulerit, non meminit Pontificatus max.. Deinde in nummis, quibus tituli & honores Veri enumerantur, nuſquam P. M. appellatur. Præterea Dio [2] de Imperatoribus in univerſum ſcribit, *unum eorum, ſiquidem duo vel tres ſimul imperent, Pontificem maxim. eſſe*. Quarto ubi ſimul nominantur, ſolus Marcus P. M. vocatur, ut apud Gruterum p. CLVI. 7. Denique Verus jam Trib. poteſtate VIIII. Imperat. V. Coſ. III. (hoc eſt, ultimo Imperii anno) ſolum *Pontifex* in Romano lapide [3] appellatur. Cujus inſcriptioni plane gemina, ſi non eadem, eſt quæ pag. CCLVIII. 3. legitur, eoque hinc emendanda. Cæterum hinc patet male in Hiſpanica II. p. CCLVII. dici *L. Aurelium Verum Auguſt. Pontif. Maxim. Tribunic. poteſt. Coſ. II.* Qui error (ſi modo in ipſo lapide ſic legitur) Hiſpanorum fuerit exiſtimantium Verum in Imperii ſocietatem adſumtum etiam Pontificatus max. participem factum eſſe.

XVI. Sed & Antoninus Severi F. non ante hoc titulo, quam defuncto patre, uſus eſt. Id docent nummi & inſcriptiones, in quibus jam Imp. Auguſtus ac ab anno Tr. pot. III. ad XIII. uſque (qua Imperium accepit) aut [4] *Pontif.* ſimpliciter dicitur; aut [5] una cum patre memoratus non æque ut ille *P. M.* vocatur. Feruntur quidem ejus nomine aliquot nummi [6], in quibus legitur *Imper. Cæſ. M. Aur. Antoninus Pius Aug. Pontif. Maxim.* (vel *P. M.*) *Trib. poteſt. II. Coſ. II. P. P.* Sed illos ad Elagabalum pertinere, facile animadvertent qui mediocriter in hiſtoria verſati ſunt. Is enim ſimul Tribunic. poteſtate II. & Coſ. II. fuit. Caracalla vero demum Tribun. pot. IV. primum Coſ. deſignatus eſt, ut pariter e nummis [7] cognoſcimus.

1 in Marco p. 36. in Vero p. 56. 53. ed. Caſaub. 2 lib. 53. p. m. 582. 3 ap. Grut. 253. 2. Panvin. ad 2. Faſt. p. m. 232. 4 ap. Occ. 370. ſeqq. Grut. 150. 5. & 270. 6. 5 ap. Grut. p. 1. 1. p. 157. 2. ſeqq. 187. 3. 191. 5. 264. 5. 265. 1. 2. 1020. 2. 6 ap. Occ. 369. 370. 371. 7 ap. Occ. 371.

Getæ quidem nummi duo [1] perhibentur extare, in quorum aversa parte is Tribun. p. II. & III Cos. II. *P. M.* dicatur. Sed in priori Occo conjecit legendum PONT. idque in utroque faciendum ut putem, præter locum Dionis faciunt nummi, in quibus idem adhuc Tr. p. III. & IV. (in qua occisus est) *Pontif.* appellatur. Quod si incorrupta inscriptio est, putem aversam nummorum faciem e paternis repetitam. Nam sæpe id factum, ut in cudendis nummis altera facies e prioribus retineretur. De quo alibi. Ob Dionis verba, (quem usque ad Alexandrum Severum historiam suam produxisse certum est) & pueritiam Diadumeniani (neque enim XVI. annos excessit) vix pro vera agnoscam inscriptionem nummi ejus [2], in quo *P. M. Trib. p. II. Cos. II.* P. P. dicitur. Certe Golzio suspectam fuisse illud arguit, quod in Thesauro ejus omissa est.

XVII. At post Alexandri Severi tempora plures una P. M. titulo usi sunt, si nummis & inscriptionibus fides habenda. Nam in his eodem tempore cum hoc elogio repperias Balbinum & Pupienum [3] (iique fortassis primi commune hoc habuerunt;) Volusianum [4] cum patre Gallo; Gallienum [5] cum Valeriano patre, & cum Diocletiano Maximianum [6]. Sed tamen his ipsis temporibus alios invenias, qui etsi consortes Imperii ac Augusti nominis participes, tamen *Pontificis* titulo contenti fuere. Tales Philippus F. apud Golzium p. CVII. & CVIII. ac Gruterum p. CCLXXIII. 2. (nam ad filium, non ad patrem, quo Scaliger retulit, hæc inscriptio pertinet: legendum autem pro *Cos. V.* levi mutatione *Cos. II.* nisi τὸ V. aliud notat) Hostilianus apud Golz. p. CIX. & Occon. p. CDLIII. & Gordianus II. apud Occon. p. CCCCXXVII. Qui omnes cum elogio *Pontif.* in laudatis monumentis inveniuntur. Nec cum titulo P. M. deprehenduntur, quod sciam, Maximus Maximini F. Decius F. Valerianus F. Carinus, &, dum Balbinum & Pupienum collegas habuit, Gordianus III. etsi Augusti dicti sint. Ut liberum videatur tum habitum communicare cum collegiis hunc titulum, an sibi soli servare Principes vellent. Immo videntur iidem Principes nunc *Pontificis*, nunc *P. M.* titulo insigniti. Nam Maximianus Tribunic. potest. II. Cos. II. [7] (si mendo numerus vacat) itemque Imperat. VIII. Cos. III. [8] & Tribunic. potest. X. Imperat. VIII. Cos. IIII. [9] cum elogio *Pont. Maxim.* ac nihilominus alibi [10] Tribun. potestat. IIX. Imperat. VIII. solum *Pontif.* legitur. Observo & illud, plures eorum qui adversus alios Imperium sumserant, P. M. titulum vivis & imperantibus illis (si nummis credimus) usurpasse. In quibus Clodius Albinus [11] Severi; & Gordianus [12] Maximini hostes; itemque Macrianus [13], Posthumus [14] & Tetricus [15]; quorum duo priores sub Gallieno, tertius sub Aureliano Imperium invaserunt.

1 ap. Occ. 390. 391. 2 ap. Occ. 397. 3 Occ. 428. 429. 4 458 seqq. 5 468. seqq. 6 ap. Grut. 166. 8. 192. 4. 1086. 1. &c. 7 ap. Grut. 281. 7. 8 ib. 192. 4. 1086. 1. 9 166. 7 10 166. 9. 11 Occ. 341. 12 p. 427. 13 p. 479. 14 p. 482. seq. 15 p. 489.

## CAP. III.

*Etiam Christianos Imperatores Pontifices Max. fuisse, communis sententia, cujus auctores aliquot advocantur. Baronii aliorumque adversus eam conatus recensentur & improbantur. Laus Jac. Gothofredi. Mos ingenii humani in novis dogmatis & magnorum Virorum opinionibus amplectendis. Status controversiæ formatur, & deinceps dicenda ordinantur. An Alexander Severus Christianus fuerit? Philippus primus Imperatorum Christianorum a quibusdam, sed falso habitus. Ejus erroris occasio e Zonara aliorumque conjectura.*

QUOD de Pontificatu maximo ab Imperatoribus omnibus suscepto in superioribus diximus, id de Gentilibus sive Paganis haud tantum, sed etiam de successoribus eorum Christianis certa ratione adfirmandum est. Hos enim ad Gratianum usque (qui rejecisse hunc titulum a Zosimo dicitur) saltem titulum eum retinuisse, communis eruditorum sententia hoc & superiori sæculo fuit. E quibus nunc laudare possum, qui isthæc meditanti obviam fuere, doctissimos clarissimosque Viros Onuphrium Panvinium commentario ad quintum *Fastorum* [1], Jo. Rosinum libro II. *Antiquitatum Romanarum* cap. XXXII. Is. Casaubonum ad *Suetonii Augustum* capit. XXXI. Jo. Fungerum in *Etymologico trilingui* voce *Pontifex*, Cæsar. Baronium Tomo III. *Annalium Ecclesiasticorum* ad Ann. Christ. CCCXII. a sectione XCIII. ad CI. usque, & Tomo IV. ad Ann. Christ. CCCLXXXIII. sectione VI. (quamquam antea diversum sensisset) Henr. Spondanum ejus abbreviatorem ad Ann. Christ. CCCXII. §. XII. & ad Ann. CCCLXXXIII. §. III. Henric. Savilium commentario ad *Agricolam Taciti* capit. IX. Jacob. Gutherium *de officiis domus Augustæ* lib. I. cap. XXXIX. Aug. Buchnerum præceptorem nostrum honoratissimum in notis ad Plinii IV. epistolam XI. Jo. Cunr. Danhawerum præceptorem itidem optime de nobis meritum parte I. *Christeidos* actu I. theatro I. phænomeno VI. & parte II. nondum edita phænomeno III. Joann. Bapt. Casalium *de veteribus Christianorum ritibus sacris* cap. LVI. Herm. Conringium Exercitatione *de Conciliis & circa ea summæ potestatis authoritate* thesi VIII. Mart. Zeillerum Centuria II. epistola octuagesima prima Joannem Seldenum lib. I. *de Synedriis veterum Ebreorum* capit. X. E quibus Baronius, Goldastus ac Seldenus etiam argumentis variis prolixe hanc sententiam tutati sunt; idemque fecisse dicitur Jo. Morinus parte II. *Ecclesiæ liberatæ* capit. XIV. quem tamen videre nobis nondum contigit. Taceo eruditissimos Viros alios quos in ea sententia esse novi; satis erit nominasse, qui mihi multorum instar est, Virum summum & in his litteris principem THOMAM REINESIUM, qui super hoc argumento a me consultus, *Imperatores Christianos titulo PONTIF. MAXIM. renunciasse, non audiisse Pontifices Maximos,* præter rationem id visum Viro doctissimo, censebat; cum contrarium e lapidibus de Constantino Magno & filiis ejus, & Juliano & Valentiniano constet.

II. Primus, quod sciam, receptam sententiam in dubium vocavit Cæsar Baronius in prima editione *notarum ad Martyrologium* ad d. XXI. Augusti: sed mox agnovit errorem, ac revocavit cum in *Annalibus* loco quem indicavimus, tum in postremis editionibus *Martyrologii*, studio veritatis, ut ait, & manifestis testimoniis Antiquitatis inductus. Post illum haud scio an quisquam vulgatam opinionem impugnaverit. Nisi quod video Phil. Bertherium in eruditis *Pithanon* libris [3] eo delapsum esse ut scriberet *a vero forsitan non longe abfuturum qui inanem hunc titulum more antiquo, ne quid e formula omitteretur, nonnumquam inscriptionibus & constitutioni-*

1 p. 232. ed. Heidelberg. 2 p. 50. ed. Salmur. de A. 1612. 3 Diatriba 2. c. 6. p. 222. & seq.

*bus adpositum censeat* ; cæterum *pulchre adseverasse eruditissimos Pontifices Gelasium & Nicolaum, Christianos Principes numquam sibi Pontificiam adsumsisse auctoritatem*; ac *Zosimi* id adfirmantis *testimonio*, *Constantini aliorumque Principum Romanorum qui nefanda superstitionis sacrificia sustulerunt, insignem superstitionis notam inuri*. Mitius aliquanto sensisse videtur Jac. Capellus, cum in libro *de Sedis Romanæ potestate* [1] Jul. Cæs. Bulengero pro se alleganti quod *Imperatores Romani summi Pontifices fuerint*, respondet *fuisse, quod scilicet viderent sibi sui dominatus rationem constare non posse nisi jus haberent imperandi tam sacerdotibus quam Magistratibus. In Ecclesia Dei nil opus fuisse isto commento. Nam eo ipso quod Deus Josuæ, Regibusque jubet utramque Legis suæ tabulam tradi, satis docuisse summum Magistratum etiam summo sacerdoti posse imperare*.

III. At ante hos annos XI. prolixe in hanc sententiam insurrexit celeberrimus ætatis nostræ Jureconsultus, idemque historiæ omnis, sed maxime Ecclesiasticæ, longe peritissimus JACOBUS GOTHOFREDUS in Epistola ad Andr. Rivetum, primum sub nomine *J. Pacidii* seorsim [2], deinde cum ejusdem opusculis variis Juridicis, Politicis, Historicis, Criticis [3] Genevæ excusa, quam *De interdicta Christianorum cum Gentilibus communione, deque Pontificatu maximo, num Christiani Imperatores eum aliquando gesserint*, inscripsit. Qua quid apud alios consequutus sit, non habeo dicere. De me adfirmare possum, semel iterumque perlecta expertum me quod in proverbio fertur, *δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας* esse. Quamquam enim summi Viri opinio primo intuitu tam impense placeret mihi, ut animum inducerem novis argumentis confirmatam aliquando publico examini subjicere; penitius tamen inspecta visa est omni non quidem verisimilitudine, sed tamen veritate destituta. Sæpe scilicet evenire solet, ut sive studio novitatis, ad quam naturæ vitio quodam cuncti proclives sumus, sive moti auctoritate doctissimorum hominum, eas amplectamur opiniones, quas ubi accuratius pervestigamus, a veritate longissime abesse cognoscimus. Quæ una res erroribus plurimis, ac pene dixerim universis, locum fecit. Facillime enim decipimur, dum homines eruditione celebres, dignitate summos, amicitia familiares, aut quocunque nomine alio nobis caros cœco animi impetu sequimur, reppertaque ab illis præsertim si novitatem spirant, lætantes patimur animis nostris sub specie clarissimæ veritatis inlabi. Postea tamen cum ex intervallo quasi ad nosmet redimus, ac detracto fascino rem sanis oculis intuemur, plerumque tam manifesto apparet augustissima veritatis facies, ut mirari subeat tam aperta nos latuisse. Me certe cum initio mirum in modum cepisset summa Viri eruditio, ac ille in scriptis ejus ubique regnans dicendi lepor; tamen accurata inspectio auctorum ac monumentorum quæ excusserat aut adlegarat, ac cum aliorum locis huc pertinentibus comparatio, & expensio argumentorum quibus usus erat, primum suspensum tenuit, postremo certum reddidit, in partes illius salva veritate transiri non posse. Quod in sequentibus ostendere constitui. Nolim autem quemquam existimare, me aut irreverentia tanti nominis, aut odio & contradicendi libidine, vel & vana ambitione a doctissimo Viro dissentire. Imo veneror *πολυμάθειαν* ejus ac merita in utramque Rempubl. nec famæ illius quidquam detractum eo. Doleoque ex animo, fato abreptum cum magno rei literariæ damno, quem optandum erat diutius Juris pariter ac historiæ Ecclesiasticæ bono superesse. Quamquam negari nequit, plusculum interdum sibi permisisse: quod vel ex iis apparet, quæ in locis aliquot Novi Fœderis aut emendandis aut noviter exponendis commentus est. In quibus nimium sæpe animo eum obsequutum, fortassis alibi docebimus.

IV. Cæterum ante omnia quid in quæstione versetur, definiendum est. In omni quæstione duo continentur, unum de quo quæritur, alterum quod quæritur. Illud *subjectum*, hoc *prædicatum* Dialectici vocant, ac quid utroque intelligatur, probe inquirendum ante, quam ad quæstionis ipsius decisionem progrediamur, præcipiunt. Cum ergo quæritur, *An Imperatores Christiani Pontificatum maximum gesserint* ? primum quinam ea appellatione intelligantur, deinde quid hoc loco sit Pontificatum maximum gerere, declarandum est. Ut ergo hinc ordiamur, Christianorum Imperat. appellatione heic non censemus Alexandrum Severum, quem a Christiana fide non alienum fuisse Baronius [1] aliique, inde colligunt, quod Christi Abrahamique imagines in larario suo habuit, eique templum facere voluit; quodque [2] Christianis benignum valde & æquum se præbuit, nonnullaque eorum instituta imitatus esse fertur. *Et certe*, (inquit Ægid. Bucherius libro VI. *Belgii Romani Ecclesiastici & Civilis*, [3] superiore anno in lucem editi) *si mater Catholica dicto audientem in omnibus filium, Herodiano, Lampridio, aliisque Gentilibus testibus, habuit; si vias omnes adeo obsepsit, ne adsentatorum vitiis inquinaretur; nullane in salutem ejus cura fuisse putanda est? præsertim cum in familiam suam plurimos adscivisset Christianos, propter quos successor & parricida Maximinus sextam moverit persequutionem, ut recte Eusebius animadvertit*. Crombachius *Ursulæ vindicatæ* lib. IV. capit. XXX. scribit Alexandrum *cum adhuc circa Euphratem contra Persas ageret, cum Abagaro Edessæ Rege Christiano de Christi fide non minus disseruisse, quam eodem ipso tempore Mammæam ejus matrem cum Origine; a quo tandem ut aquis illa genitalibus expiata sit, ita & filius matris aliorumque Christianorum consuetudine delinitus, fidem amplexus sit* : ut idem Bucherius refert. Qui addit, *id & Zonaram satis innuere*.

V. Equidem nolim inficiari, Mammæam Alexandri matrem ad Christi fidem conversam esse; cum diserte ab Eusebio [4] *γυνὴ θεοσεβεστάτη, εἰ καί τις ἄλλη γεγονυῖα*; ab Hieronymo [5] *religiosa fœmina*; a Zonara [6] denique ex Eusebio atque aliis Scriptoribus, *κατηχηθεῖσα τῆς πίστεως*, & *θεοσεβεστάτη* facta dicatur. Sed nec illud negaverim, valde observantem matris fuisse Alexandrum; adeo ut passim Historicis [7] *in matrem unice pius*, a quibusdam etiam [8] *matris cultu plusquam pius*, & [9] *mansuetudine nimia ac reverentia majore quam oportuit, etiam contra animi sui sententiam matri obsequutus* feratur. Nec dubitandum est, matrem eum ad fidem perducere conatam, ubi occasio tulit. Sed ex his omnibus tamen nil amplius sequitur, quam bene cupiisse Christianis, eisque plura in matris gratiam concessisse; quod Historicorum aliqui, nec quidquam præterea, prodiderunt. Nec plus ex eo colligere est, quod instituta eorum in quibusdam imitatus est. Id enim fecit, quia naturæ legi & æquitati fuere consentanea, cujus, si quis alius Principum, stu-

1 cap. 23. p. 182. 2 An. 1645. 3 A. 1654.

1 Tom. 2. ad Ann. Christ. 224. 2. & 3. 2 Lamprid. in Alex. 3 capit. 8. §. 3. 4 6. histor. Ecclesiast. 15. juxta ed. Gr. Rob. Steph. 5 lib. de scrip. Ecclesiastic. cap. 54. 6 Tom. 2. p. 225 ed. Bas. de A. 1557. 7 Eutrop. l. 8. Cassiodor. Chron. 8 Victor in Alexand. 9 Herodian. 6. 1. extr.

dio-

diosissimus fuit. Aulam autem piis refertam & velut Ecclesiam Dei factam etiam Valerianus Imperator habuit, ut testatur apud Eusebium [1] Dionysius Alexandrinus epistola ad Hermam: nec tamen ideo Christianus a quoquam habitus est. Jam quod Christum inter Deos referre voluit, ejusque & Abrahami una cum Orphei, Appollonii aliorumque imaginibus in larario habuit ac sacrificiis coluit; id eum Christianum fuisse non arguit. Denique quæ de Alexandri cum Abgaro colloquiis, ac conversione ad fidem Crombachius refert, ea vereor ut idonei Scriptoris testimonio confirmari queant. Certe unde hauserit, non liquet. Zonaras enim [2], quem id satis innuere Bucherius ait, nil aliud habet, quam *Mammæam dum Antiochiæ cum filio degeret, cum de Origine inaudiisset, Alexandria eum accersivisse, ab eoque in fidei doctrina imbutam*, θεοσεβεστάτην *evasisse; indeque factum ut tum non modo quiesceret Christianorum persequutio, sed etiam honore Christi cultores haberentur digni*. De Alexandro fidem amplexo ὐδὲ γρύ. Quod tamen, credo, nec ipse, nec alii Scriptores Ecclesiastici tacuissent.

VI. Sed nec Philippum Arabem inter Christianos Imperatores heic referimus, quem Acta Pontiani martyris Surio [3] & Baronio [4] memorata, Eusebius libro VI. *Historiæ Ecclesiasticæ* capitibus (juxta Græcam editionem) XXXIV. & XXXVI. Hieronymus in *Chronici* Eusebiani parte priori sive χρονογραφίᾳ prope finem, & parte altera sive χρονικῷ κανόνι numero MMCCLX. itemque libro *de Scriptor. Ecclesiast.* capit. quadragesimo quarto, Paullus Orosius historiarum VII. capp. XX. & XXVIII. Vincentius Lerinensis in *Commonitorio adversus Hæreticos* capit. XXIII. Cassiodorus *in Chronico*, Chronicon Alexandrinum ad Ann. M. MMMMMDCCLX. Haymo in *Historia Ecclesiastica*, Martyrologia Romanum, Adonis & Usuardi ad XIV. Maii, primum ex Imperatoribus Christianum fuisse, nonnulli eorum etiam a Pontio martyre conversum aque Fabiano Episcopo Romano, cum filio baptizatum, ac Christianam fidem publice professum; inque cœtu fidelium vigilia ultima Paschatos, jussu Fabiani, inter pœnitentes locum cepisse. adfirmant. Quos innumeri Veteres juxta ac Recentiores sequuti sunt, inter hos etiam Magdeburgenses centuria IV. capp. II. & VI. Osiander *Epitomes Histor. Ecclesiast.* centuria III. libro II. capit. XII. Bellarminus lib. I. *de Romano Pontifice* capit. VII. Baronius ad Ann. Christi CCXLVI. sectione IX. (quamquam sub finem vitæ demum conversum esse contendat) Drusius commentario ad librum secundum Sulpicii Severi [5], Ludov. Guyon scriptor Gallicus Tomo primo *Variarum lectionum*, libro XII. capit. II. Qui duo posteriores hinc ostendere conati sunt, male Constantinum primum Christianorum Imperatorum vocari. Sic quoque sensisse videtur auctor inscriptionis Veronensis [6], quæ sic habet: ANNO. CHRISTI. CCLIII. IMPERAT. DIVVS. PHILIPPVS. SENIOR. VERONÆ. ET ROMÆ. JVNIOR. A. SATELLITIBVS. INTERFICIVNTVR. Nam eam a Christiano homine & quidem recentissimo ac vix sæculo antiquiore confictam, recte Scaliger ad Eusebium [7] & Gruterus in Notis censuerunt; secus quam visum Baronio est, qui &

1 lib. 7. H. E. capit. 10. edit. Græc. 2 Tom. 2. p. 225. 3 Tom. 7. ad 14. Maii. 4 ad An. Chr. 246. 9. 5 p. 273. 6 ap. Baron. ad Ann. Christ. 253. 1. Grut. 273. 4. 7 ad num. 2266.

genuinam & veræ chronologiæ consentaneam judicavit.

VII. Sed hæc omnia in dubium vocant aut plane negant doctissimi Viri Panvinius ad II. *Fastorum* ad A. V. C. CIϽ. II. Scaliger ad *Chronicon* Eusebii num. MMCCLX. Calvisius in *Chronologia* ad Ann. Christ. CCXLVI. Jac. Capellus Centuria III. *Historiæ Ecclesiastic.* ad Ann. Dom. CCXLVII. D. Horneius ὁ μακαρίτης lib. III. *Compendii Hist. Ecclesiast.* cap. IV. §. XII. D. Danhawerus Actu I. *Christeidos*. Theatr. I. Phænom. VI. D. Gotting. part. I. *Histor. Ecclesiast.* c. II. sect. I. D. Lipstorpius lib. supra adlegato cap. VII. §. XVII. & sequentibus, aliique plures. Caussas dubitandi apud ipsos vide; quibus moti nos quoque rem omnem confictam esse judicamus. Et sane jam olim de eo dubitatum, e Zonara ipsoque Eusebio colligo. Ille enim [1] κατ' ἐνίους, *SECUNDUM QUOSDAM Philippum Christianam fidem amplexum esse*, ait. Hic ubi inter pœnitentes constitisse eum narrat, λόγον κατέχειν id factum, hoc est, sermonem quendam ita perhibere scribit. Qua formula etiam usus est Chronographus Græcus Casauboni quem Eusebio Scaliger subnexuit. Sic enim in Philippo loquitur [2]: Τῦτον κατέχει λόγος Χριστιανὸν γεγονέναι. Immo præcipuus illorum temporum Scriptor & Philipporum coætaneus Dionysius Alexandrinus aperte dubitavit, cum in Epistola ad Hermam [3] scripsit, *nullum præcedentium Impp. æque favisse Christianis ac Valerianum*, ὐδὲ τῦς λεχθέντας ἀναφανδὸν Χριστιανὺς γεγονέναι. Per autem verisimilis est conjectura eorum qui a Scriptoribus Græcis duos Philippos, hunc Augustum & alterum Præfectum Augustalem Aegypti, Eugeniæ martyris patrem, confusos esse censent: atque huic tribuenda quæ de Imperatore Eusebius & cæteri prodiderunt. Quomodo jam olim Cedrenus, atque apud Zonaram alii eodem errore Imperatorem Eugeniæ patrem fuisse scripserant. Non quod *Augusti* & *Augustalis* vocabula pro eodem accepta sint, quod Baronio [4] visum est; sed quod uterque ἔπαρχος & *Præfectus*, ille quidem Aegypti; hic Prætorio fuisset, ut recte Casaubonus [5] observavit. Idque clare ostendunt verba Zonaræ, cum ait: Ἔπαρχος μὲν γὰρ κἀκεῖνος γενέσθαι ἱστόρηται, ἀλλ' Αἰγύπτου, καὶ οὐ τοῦ δορυφορικοῦ.

IIX. Cæterum si maxime uterque Christianus fuisset, nil tamen hoc ad præsentem controversiam. Nam nemo negat eos P. M. titulo usos, de quo tot nummi & lapides testantur. Nec de iis qui post Gratianum imperarunt, quæritur: quanquam horum quoque nonnullos sic dictos sint qui existiment. De quo infra. Sed de Constantino M. (quem Eusebius [6] *ex omni omnium Imperatorum memoria solum in Christi martyriis renatum & sacris initiatum*; Lactantius [7] *primum Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri & cognovisse & honorasse*; Severus Sulpicius [8] *primum omnium Romanorum Principum Christianum fuisse*, diserte scribunt) ejusque successoribus, Juliano excepto, quem P. M. fuisse nemo negaverit, unice controversia est. Immo ne de his quidem omnibus, cum satis sit si ostendatur aliquot ita dictos quod adversæ partis auctores absolute negant. Ac videtur ipse Gothofredus statim sub initium hanc quæstionem ad Constantinum M. Valentinianum, Valentem, & Gratianum restringere.

IX. Porro cum multis modis Christiani Principes, quos diximus, Pontificatum maximum gef-

1 Tom. 2. p. 229. 2 p. 398. 3 ap. Euseb. H. E. 7. 10. 4 ad A. C. 256. 6. 7. 5 not. ad hist. Aug. p. 447. 6 de vita Const. 4. 62. 7 in procem. divin. instit. 8 lib. 2. hist. sacr. p. 386. ed. Hornii.

se dici possint : sciendum est non quæri in præsenti, an ea quæ ad cultum idololatricum & sacram A in cultu functionem olim pertinebant, peregerint, hoc est, Jovi Capitolino aliisque Diis sacra fecerint, &c. Hanc enim *perfectam fuisse apostasiam, & Christianæ religionis abdicationem, nec aliquo velamento dissimulandam* facile Gothofredo [1] concedimus. Nec II. an more Gentilium initiati fuerint; nam id nec decessores eorum fecisse credimus. Nec III. an in iis omnibus potestatem P. M. exercuerint, in quibus Ethnici Impp. ea usi erant. Nec IV. an semper & ubique ac in omnibus scriptis & monumentis Imperatoris titulo P. M. usi sint. Nec V. an ipsi sic se appellarint. B Nam sufficit, si ipsis non invitis, & permittentibus, ac ex more consueto & sollenni hic titulus tributus sit. Eoque nil ad rem facit, cum Gothofredus [2] ab aliis & superstitiosis Romuli nepotibus Italisque hunc titulum illis tributum fuisse, excipit; modo non invitis iis & e recepto more id factum sit. Nec VI. præcise, an excusati esse potuerint, inprimis Constantinus. Nam de illo non quæri, diserte Gothofredus [3] ait. Nec denique VII. an oratorio more, ob religionem & castitatem, & allusione quadam ad pietatem & castitatem sic vocati sint, quod ab Ausonio fa- C ctum, idem [4] admittit. Illud autem principe loco in disquisitionem venit, *An aliquando Christiani Impp. Pontificatum maximum, sive titulotenus sive reipsa gesserint? anque id sine μετοχῆ Gentiliciæ superstitionis facere potuerint?* Quorum utrumque a Gothofredo negatum est, ut passim ex Epistola ejus liquet. Nos ista in sequentibus ordine ostendemus. I. Christianos Impp. a Constantino Magno ad Gratianum usque titulum P. M. non repudiasse, sed inter solennes titulos retinuisse; II. id prudenter & jure fecisse, nec ideo Gentiliciæ μετοχῆς accusandos esse; simul ad ea quæ a Gothofredo aliisque adversus hanc sententiam aut ex- D cipiuntur aut opponuntur, pro virili responsuri.

---

## CAP. IV.

*De Christianis Imperatoribus in universum ex silentio Scriptorum Ecclesiasticorum ac profanorum, eque conditione Principatus & natura Pontificatus maximi, tum aliis Gentiliciæ superstitionis ab iisdem Principibus toleratis; itemque testimoniis Servii & Zosimi ostenditur eos Pontificis maximi titulo usos esse. Servium non sub Hadria- E no, sed post Constantini Magni tempora, & sub Christianis Impp. vixisse, probatur, veraque ejus ætas investigatur. Sylburgii in Zosimi loco emendatio stabilitur.*

QUÆ Christianos Principes titulo Pontificis maximi usos esse arguunt, ad universos partim, de quibus in præsenti quæritur, partim ad singulos spectant. De universis Rationes ac Testimonia; de singulis Exempla faciunt fidem. Ac *Rationes* quidem Scriptorum ejus ævi silentium, conditio Principatus, ac nonnulla ab iisdem Principibus tolerata, quæ si non magis, æque certe superstitionem sapiunt; *Testimonia* vero F Scriptores idonei ac fide digni; *Exempla* denique monumenta publica quæ ex isthoc ævo hodieque supersunt, suppeditant. De singulis ordine videbimus.

1 pag. 37. edit. noviss. 2 pag. 34. 3 pag. 37. 4 pag. 34.

II. Ut a *Rationibus* incipiamus, si Christiani Principes, ut Pacidius vult, pietatis studio hunc titulum abdicassent, quis credat, rem tam memorabilem silentio transmissuros, nec, quod in minimis quoque solent, laudibus in cœlum evecturos fuisse Scriptores Ecclesiasticos, quos ex illo sæculo non paucos habemus superstites? præsertim Eusebium Cæsariensem, qui cum in Ecclesiastica historia, tum peculiari opere, quod *de vita Constantini* reliquit (ejus enim esse, infra ostendemus) largum ubique virtutum ac gestorum Constantini præconem egit? Ab hoc enim repudiatus is titulus sit necesse est, si quod Pacidius adserit, nemo Christianorum Imperatorum eo usus est. Neque ignorare id factum assiduus Imperatoris comes & adsecla, consiliorumque omnium conscius ac particeps, potuit. Sed nec profani Scriptores tacuissent, quibus alioqui sollenne est in exitium Principum totiusque adeo Imperii interpretari, quod sacrificia ab illis abrogata, templa occlusa, sæculares ludi omissi, aliaque Gentiliciæ superstitionis sublata sunt. Atqui nemo Patrum id factum laudasse, nemo Ethnicorum reprehendisse, imo nullus illorum temporum Scriptor vel verbo memorasse legitur. Quod argumento est, nil hujusmodi temporibus illis contigisse.

III. Deinde conditionem Principum, naturamque Pontificatus maximi accurate considaranti, nulla ratione verisimile est, Christianos Principes plane repudiasse eam dignitatem, quam, ut initio Exercitationis hujus [1] diximus, decessores eorum tanta ambitione quæsierant, tanta cura ac studio conservarant; quæque non solum sine summo periculo, alteri concedi non poterat, sed & securitatis auctoritatisque non parum iis conciliabat. *Quæ auctoritas*, ut recte Baronius [2] ait, *Christianis Imperatoribus hoc magis necessaria videbatur, quod scirent, se, invito Senatu, regnare, & diversa religione jam in se Gentilium omnium invidiam atque odium concitasse.* Adde quod titulus ipse nil superstitiosum continebat (quidquid Pacidio videatur) eoque sine ulla Ethnicæ impietatis participatione retineri poterat. De quo infra. Docent autem historiæ veteres, scriptaque Patrum, & Constitutiones eorundem Principum, multa ab illis necessitate temporum permissa tolerataque esse, quæ superstitiosa cum maxime erant. Non jam dicam, Gentiliciam impietatem cum cærimoniis ac ritibus suis diu ab illis toleratam, ejusque cultores in præcipuis imperii dignitatibus fuisse relictos: non alia caussa, quam quod tuto exstirpari amoverique non possent. Solum ea quæ Edictis & sanctionibus Imperatoriis stabilita sunt, memorabo. Quo pertinent *haruspicina & magicæ artes innoxiæ* a Constantino permissæ, *Circenses & Agonales ludi* a Constantio concessi, a Valente restituti; *Sæculares* ab Honorio celebrati; *Gladiatoria munera* sub Arcadio & Honorio reducta; *Sacrificia* præter nocturna & malefica, itemque consultoria diraque carmina, omnia a Gratiano, Valentiniano, Theodosio, & Arcadio permissa; unicuique quod animo imbibisset *colendi libera facultas* a Valentiniano & Valente tributa; pluraque alia: de quibus omnibus prolixe dicemus, cum ad objectiones Pacidii respondebimus. Quanto magis igitur ea quæ ad tuendam ipsorum auctoritatem securitatemque facerent, reliquisse eos credibile est? imprimis quæ absque superstitione retineri commode possent.

IV. *Testimonia* duo adferemus, alterum quidem paullo simplicius breviusque; alterum vero manifestissimum, & quod rem, quam demonstrare ingressi

1 cap. 1. imprimis §. 8. 2 ad A. Chr. 312. 98.

ſumus, diſerte ſatis, ac pene totidem verbis adſtruit. Prius *Servii Honorati* eſt, Grammatici celebris, rerumque Romanarum, præſertim quæ ad religionem & jus Pontificium ſpectant, non imperiti. Is ad Virgilii illud, *Rex Anius, Rex idem hominumque Phœbique ſacerdos*, ita commentatur [1]: *Sane majorum hæc erat conſuetudo, ut Rex eſſet etiam ſacerdos vel Pontifex. Unde HODIEQUE Imperatores dicimus PONTIFICES*. Quæ verba, paucis pro temporum ratione immutatis, Iſidorus in Origines ſuas [2], indeque in Decretum ſuum [3] Gratianus tranſtulit. Quos *Imperatores* innuat, & quodnam ævum τὸ *hodieque* deſignet, non aliunde melius, quam ex ſæculo, quo hæc ſcripſit, apparebit. Qui ſub Hadriano floruiſſe volunt (ſunt autem non pauci) egregie falluntur. Nam Conſtantino Magno poſteriorem fuiſſe certiſſimum eſt. Scripſit enim in Donatum Grammaticum, quem & aliquotiens in ſuis ad Virgilium commentariis laudat. Atqui is ſub Conſtantio & Conſtante Impp. vixit, fuitque præceptor S. Hieronymi. Sed de ætate Servii e Macrobio aperte conſtat. Plane enim adſentior doctiſſ. Viro J. Seldeno [4], haud alium fuiſſe hunc adſerenti, quam Servium illum qui in colloquio Macrobiano aliquotiens laudatur, ſimul cum Cæcina Albino, cui Artem de centum metris inſcripſit. Argumento eſt, quod ubi de Virgilianis verſibus dubium aliquod oboritur, fere ubique eæ partes Servio dantur, ut eos explicet. Vide inprimis capit. XXIV. Ubi vix dubitem, ad commentarios ejus in Virgilium alludi. Imo, niſi plane fallor animi, manifeſte illi ſignificantur lib. VI. capit. VI. cujus principio ſic loquitur is, quem modo dixi, Albinus Cæcina: *Sed nunc dicat volo Servius, quæ in Virgilio notaverit ab ipſo figurata: quotidie enim Romanæ indoli enarrando eundem vatem, neceſſe eſt habeat hujus annotationis ſcientiam promtiorem*. Vixerit ergo Servius circa Valentiniani Junioris, Theodoſii Senioris & Arcadii tempora (iis enim & Prætextatus, in cujus ædibus totum iſtud colloquium habitum dicitur [5], & Cæcina Servii familiaris vixerunt, ut ex Inſcriptionibus antiquis [6] conſtat) fortaſſis & paullo ante, ita ut Gratiani ævum attigerit. Nolim enim idcirco in Honorii & Theodoſii Jun. tempora eum cum Seldeno conjicere, quod Macrobius ſub illis Præpoſitus ſacri cubiculi fuerit. Is enim honor aliquanto provectiori videtur obtigiſſe; cum credibile ſit *Saturnalium* libros paullo juniorem ſcripſiſſe. Neque officere debet, quod nonnulli colloquutorum Macrobianorum ſub iſtis Impp. vixerunt. Ipſe enim ſub initium [7] rogat, *ne ſibi fraudi ſit, ſi uni aut alteri ex his, quos cœtus cocgit, matura ætas poſterior ſæculo Prætextati ſit; quod licito fieri, dialogi Platonis teſtimonio ſint*. Utcunque ſit, certum eſt non alios a Servio Imperatores, quam Chriſtianos deſignari, quorum Imperio vixit, ſuaque exaravit. Hi igitur *Pontifices* dicti ſunt; idque ſolenni titulo, quem a Servio innui quivis facile videt. Quanquam Servii verba aliter accepit Gothofredus, ut infra dicemus.

V. Alterum teſtimonium, quod multo clarius eſſe dicebamus, *Zoſimus* ſuppeditat, qui ſub Juniore Theodoſio Comes & Exadvocatus fiſci; adeoque nec ignarus earum rerum quæ in aula geſtæ eſſent, & ab illorum Principum ævo, de quibus quæritur, haud adeo longe abfuit. Sic autem ille lib. IV. *Hiſtoriarum* [8]: Ἅμα τῷ παραλαβεῖν ἕκαστον τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, ἡ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν ποντιφίκων A αὐτῷ προσεφέρετο. καὶ παραχρῆμα Ποντίφιξ Μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπερ ἐστὶν, ἀρχιερεὺς μέγιστος. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι πάντες αὐτοκράτορες, ἀσμενέστατα φαίνονται δεξάμενοι τὴν τιμὴν, καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρησάμενοι ταύτῃ; καὶ δὴ καὶ Κωνσταντῖνος, ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν ἦλθεν ἡ βασιλεία (ſic recte Sylburgius emendavit, cum antea nullo ſenſu commodo legeretur, ἐπειδὴ εἰς Κωνσταντῖνον ἦλθ. ἡ βασ:) etiam τῷ πάνυ Reineſio judice, cujus verba, ex epiſtola ad me hoc ipſo mane commodum mihi exhibita, hæc ſunt: *Locum Zoſimi recte emendavit Sylburgius, poſito nomine Conſtantini in primo caſu, relativo, in quarto. Requirit enim hoc* συνάφεια *tam præcedentium*, αὐτο- B κράτορες, δεξάμενοι, χρησάμενοι; *quam ſequentium* τραπεὶς, ἑλόμενος, οἱ ἄλλοι. (*Librario non admodum attento fraudi fuit ſimilitudo vocum* καὶ δὴ, & ἐπειδὴ, *ut alterum omitteret, & nomen Imperatoris poſteriori ſubderet, cum deberet priori*:) καὶ ταῦτα τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπεὶς, καὶ τὴν Χριστιανῶν ἑλόμενος πίστιν. καὶ μετ' ἐκεῖνον ἑξῆς οἱ ἄλλοι, καὶ Οὐαλεντινιανός τε καὶ Οὐάλης. *Simul atque ſummum imperium quiſque conſequebatur, ſacerdotalis ſtola a Pontificibus ei offerebatur, & ſtatim Pontifex maxim. inſcribebatur*: (id eſt, in catalogum Pontificum maxim. referebatur, id enim eſt ἀναγράφεσθαι [1]: male Leunclavius aliique: *Pontificis maxim. titulus ei tribuebatur*; vel, *Pontif. Maxim.* C *titulum uſurpabat*.) *Ac cæteri quidem Imperatores univerſi lubentiſſime videntur accepiſſe hunc honorem, tituloque uſi eſſe: adeoque & Conſtantinus, poſtquam ad imperium pervenit, quamquam a recta in ſacris via digreſſus, & Chriſtianorum fidem amplexus: & poſt eum deinceps reliqui, etiam & Valentinianus & Valens*. Vides, diſerte dici Conſtantinum, & *omnes deinceps* Imperatores *honorem* eum *recepiſſe*, & *titulo uſos*. Nempe ad Gratianum uſque; de quo mox ſubjungit: Τῶν οὖν ποντιφίκων, κατὰ τὸ σύνηθες, προσαγαγόντων Γρατιανῷ τὴν στολὴν, ἀπεσείσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας. τοῖς δὲ ἱερεῦσι τῆς D στολῆς ἀναδοθείσης, φασὶ τὸν πρῶτον ἐν αὐτοῖς τεταγμένον εἰπεῖν, Εἰ μὴ βούλεται ποντίφιξ ὁ βασιλεὺς ὀνομάζεσθαι, τάχιστα γενήσεται Ποντίφιξ Μάξιμος. *Pontificibus ergo ex more ſtolam Gratiano offerentibus, averſatus eſt id quod petebant, illicitum Chriſtiano habitum ratus. Redditaque Pontificibus ſtola, ajunt principem inter eos dixiſſe; Si Imperator non vult Pontifex appellari, brevi Maximus fiet Pontifex*. Remiſit igitur Gratianus ſtolam Pontificiam, ſingulari zelo. Stolam, inquam: neſcio an titulum. Nam hoc aliquando uſum Inſcriptiones antiquæ docent, quas ſequenti capite adducemus.

1 in 3. Æneid. p. 268. 2 lib. 7. cap. 12. 3 can. 1. cleros. diſt. 21. 4 li. 1. de Synedr. Ebr. c. 10. p. 341. 5 Macrob. 1. Sat. cap. 1. & paſſim. 6 ap. Grut. 1102. 2. & 287. 2. 7 lib. 1. cap. 1. 8 pag. 861. ed. Sylburg de A. 1590.

E 1 Vid. Henric. Stephan. Theſ. Gr. Ling. Tomo 1. fol. 867.

## CAP. V.

*Exempla Impp. Chriſtianorum, qui Pontif. Maxim. titulo uſi ſunt. An Conſtantinus Chlorus Chriſtianus fuerit? Bucherius notatur. Ariſtoteles & alii Ethnicorum, quorundam opinione ſalvati. Conſtantinum primis imperii annis Pontificem Max. ſe vocaſſe, ex Edicto ejus oſtenſum. Idem ab eo factum poſtquam Chriſtianus factus eſſet, ex inſcriptionibus demonſtratur. Valentinianum, Valentem, & Gratianum eodem titulo inſignitos, pariter e ſaxis veteribus, & Auſonio confirmatur: eaque occaſione una & item altera Inſcriptio illuſtratur ac emendatur*. Semper Auguſtus *jam olim inter Imperatorios titulos fuiſſe*.

F

A HACTENUS Rationes & Testimonia, quibus evincitur, Christianos Principes in universum Pontific. maxim. titulo usos esse. Nunc de singulis *Exempla* producemus. Diximus supra [1] in Christianis Impp. a nobis heic non censeri Alexandrum Severum & Philippum Arabem, etsi a quibusdam fidem suscepisse existimentur. Idem de Constantio Chloro dicendum est, quem Eusebius [2] *modum vitæ a cæterorum institutis alienum disparemque consectatum, fœdus amicitiæ cum DEO omnium gubernatore pactum, condemnasse errorem, ipsum omnium DEUM tota vita veneratum, & conservatorem & custodem regni omnisque boni largitorem comperisse*; item [3] *solum omnium DEUM,* B *repudiata impiorum superstitione,* ( τῇ τῶν ἀθέων κατεγνωκότα πολυθείας ) *agnovisse, ac sanctorum virorum precibus domum suam muniisse, eandemque totam uni Regi DEO consecrasse*; denique [4] *DEO carum* ( θεοφιλῆ ) fuisse ac *vitam piam & religiosam* gessisse refert. Quod etiam filius ejus Constantinus confirmare videtur, cum in epistola ad provinciales Orientem incolentes [5] eum *admirabili pietate in omnibus actionibus suis DEUM patrem invocasse*, prædicat. Quæ tam certa visa sunt Ægid. Bucherio [6], ut non solum scriberet, Constantii pietatem, *cum intra privatos parietes primum adolevisset,* C *simul ac tyrannis amotis libertatem adepta est, in publicum quoque velut jam grandiorem erupisse*: sed etiam [7] *hunc Augustum primum omnium Christianum* vocaret, crederetque Valentinum vel Agricium, ( qui tum Trevirenses Episcopi illius opinione fuerunt ) *alterum vel etiam utrumque, Constantii Imperat. Treveros ut plurimum incolentis fidem excitare potuisse: aut si nihil operæ in ferenda, in augenda certe firmandaque attulisse*. Cum tamen ipse Eusebius ejusdem operis libro IV. [8] diserte tradat Constantinum primum omnium Imperatorum Christi fidem suscepisse. Quem in eo plerique omnes Ecclesiastici Scriptores sequuntur. Et D certe quæ de Constantio Eusebius atque Imp. Constantinus prodiderunt, præterquam quod affectu & pietate in defunctum ac more oratorio in majus aucta sunt, vix aliud arguunt, quam sprevisse eum vanitatem Etnicæ πολυθεότητος, agnovisseque Deum unum Universi hujus rectorem eumque coluisse, denique a Christiana fide non fuisse nimis alienum. E quibus tamen inepte colligas Christianum fuisse. Nisi in Christianis censeri velis & Aristotelem, olim a Lamperto de Monte in libello *de salvatione Aristotelis*, & Sepulveda libro VI. epistola I. nuper etiam a Fortunio Liceto peculiari tractatu *de salute Aristotelis*, & in septimo *de quæsitis per Epistolas*, idcirco in cœlo collocatum, E quod unum esse Deum summum & primum motorem agnoverit: & plerosque sapientiores Ethnicos, quos ob spretam Deorum multitudinem ac vitam bene & innocenter actam æternam salutem consequutos, hoc & superiori sæculo unus & item alter Eruditorum censuerunt. Qua de re exstant duo volumina Francisci Collii, quæ *de animabus Paganorum* nostra ætate in lucem emisit. Sed hæc ad Theologos spectant, in quorum messem falcem immittere nolumus. Sufficit ostendisse, in Christianis Imperatorib. non esse censendum Constantium. Eoque nil attinet Exempla, quibus is Pont. Max. dictus est, afferre.

II. Itaque a Constantino faciendum initium est. F Hunc primis Imperii annis eo titulo usum esse, docet Edictum in Christianorum gratiam ab eo & Galerio Imp. editum, in quo uterque ἀρχιερεὺς μέγιστος appellatur. Habes apud Eusebium VIII. *Historiæ Ecclesiasticæ*, [1] & Nicephorum libro VII. c. XIIX. Recte enim ibi *Constantinus* legitur, secus quam in Ruffini & Christophorsoni versionibus, qui *Constantium* nobis obtrudunt, quinquennio ante eum Galerii Consulatum, quo id Edictum publicatum est, defunctum. Vide Baronium ad Annum Christ. CCXCII. §. I. itemque ad A. CCCXI. §. XXXIV. Factum est autem Edictum illud anno V. Constantini, Galerio VIII. & Licinio Coss. mense Januario vel Februario, ut ostendit Vir Cl. Samuel Petitus diatriba *de Jure, Principum edictis, Ecclesiæ quæsito, nec armis vindicato*, extremo c. VII. Sed tum nondum Christi fidem Constantinus amplexus erat. Nam crucis signum ( quod Christianismi ejus initium fuit ) tum demum ei apparuit, *postquam illi qui reliquas partes Imperii procurabant, eumque honoris gradum ante ipsum adepti erant, turpem habuissent exitum*, ut Eusebius [2] loquitur. Anno scil. sequenti, cum jam obiisset Galerius Maximianus, ut optimi quique Chronologi tradunt. Itaque Edictum illud nos nequicquam juvat: sed alia quærenda sunt monumenta insequentibus annis facta, postquam Christianismo se Constantinus addixisset.

III. Anno Imperii sive Tribuniciæ potestatis XXIII. Constantinum plane Christianum fuisse, nemo historiæ peritus negaverit. Nam finito Concilio Nicæno vicennalia Imperii celebraverat. In eo autem Concilio Principem, ut ita dicamus, Christianissimum gesserat. Atqui hoc anno duæ inscriptiones illi positæ leguntur, in quibus *Pontifex Maxim.* appellatur. Prior olim conspiciebatur Patavii in ædibus Rhamnusiorum, sed postea ( ut refert Cl. V. Sertorius Ursatus in Monumentis Patavinis libro I. sectione X I. fol. CCCXXIII. ) cum cæteris monumentis Rhamnusianiis a Georgio Contareno Ateste translata; ibique operarum incuria in substructionis fundamenta concessit. Eam Jo. Bapt. Rhamnusius in notis MSS. ad Scardeonium, & Pinellus in schedis ad Gruterum missis ita descripserunt:

D. N. IMP. CESARI. FL. CONSTANTINO
MAXIM. PI. F. VICTORI. AVG. PON. MAX
TRI. P. XXIII. IMP. XXII. CONS. VII. P. P
PRO. CONS. HVMANARVM. RERVM. OP
TIMO. PRINCIPI. DIVI. CONSTANTI. FI
LIO. BONO. R. P. N.

Habes apud Gruterum p. CCLXXXIII. 3. & Ursatum loco adlegato. Altera huic gemella fuit olim Parmæ ad fores basilicæ S. Mariæ *della steccbata*, in fragmento columnæ cujusdam, literis barbaris atque ineptis lecta. Eam Smetius [3] & Panvinius [4], indeque Gruterus [5], sic descripsere:

D. N. IMP. CAES. CONSTANTINO. P. F.
AVG. PONT. MAXIMO. TRIBVN. POTE
STAT. XXIII. IMP. XXII. COS. VII. P. P
PRO. COS. RERVM. VMANARVM OPTI
MO. PRINCIPI. DIVI. CONSTANTI. FILIO
B. R. P. NATO.

IV. Fuit & alia ejusdem Imperatoris, superioribus annis Romæ in ædibus Cæsiis apud Vaticanum positis, in basi statuæ cujusdam, lecta, quam etsi Baronio ipsi, Seldeno aliisque suspectam, apponemus tamen, quia etiamsi corrupta sit, sic quo-

1 c. 3. §. 4. 6. 8. 2 de Vita Constantini 1. 9. & 21. 3 ib. cap. 11. 4 cap. 16. 5 ap. eund. Euseb. V. C. 2. 48. 6 l. 8. Belgii Rom. cap. 1. §. 4. 7 ibid. §. 5. 8 cap. 62. vide supra cap. 3. §. 8.

1 cap. 19. juxta Grynæum, sed juxta Gr. ed. Rob. Steph. cap. 13. 2 1. de V. capp. 20. & seqq. 3 in Inscr. p 1556. 12. & in schedis. 4 Comm. ad 2. Fastor. ann. 1080. 5. p. 159.

que sententiam nostram juvat, ut ostendemus infra, cum ad exceptiones Gothofredi perventum erit, ubi & de ejus auctoritate & αὐθεντίᾳ dispiciemus. Ea apud Smetium, Baronium [1], & Grut. [2] sic legitur:

MAGNO. ET. INVICTO. IMP. CAES. C<br>VAL. AVREL. CONSTANTINO. PIO. FEL<br>INVICTO. AVG. PONTIF. MAX. TRIB<br>POTEST. COS. III. P. P. PROC. D. N. COR<br>PVS. CORIARIORVM. MAGNARIORVM<br>SALIARIORVM. DEVOTI. NVMINI. MAIE<br>STATIQVE. EIVS.

In sinistro latere ejusdem baseos legebantur ista:

DEDICATA. KAL. JAN. DD. NN. DIO<br>CLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS<br>CVRANTE. THESSIO. SECVNDO. P. C<br>CORIARIORVM.

In quibus pro THESSIO legendum TRESSIO, censebat πολυμαθέςατος Reinesius; TRESSIVM enim SECVNDVM etiam in Brixiana 6. p. MCXXXV. legi; esseque *Tresios*, & geminata consonante, quod usitatum quadratariis, *Tressios* eosdem qui & *Trosii* & *Trausii*. Literas vero P. C. exponebat *Patrono Corporis*. Cui, ut harum literarum principi, merito adsentior.

V. Tres Impp. Christiani *Pontif. Max.* titulo insigniti reperiuntur Romæ in una eademque tabella pontis Cestii, seu, ut nunc a vicino templo appellatur, S. Bartholomæi. Cujus inscriptio [3] sic habet:

DOMINI. NOSTRI. IMPERATORES<br>CAESARES. FL. VALENTINIANVS. PIVS<br>FELIX. MAXIMVS. VICTOR. AC<br>TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXI<br>MVS. GERMANIC. MAX. ALAMANN.<br>MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX<br>TRIB. POT. VII. IMP. VI. CONS. II. P. P. P.<br>ET. FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX<br>VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG<br>PONTIF. MAXIMVS. GERMANIC. MAX<br>ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GO<br>THIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI<br>CONS. II. P. P. P. ET. FL. GRATIANVS<br>PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRI<br>VMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS<br>GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX<br>FRANC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II.<br>CONS. PRIMVM P. P. P. PONTEM. FE<br>LICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM<br>SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTI<br>TVI. DEDICARIQVE. IVSSERVNT.

E qua inscriptione, cæterisque quas mox adducemus, ut hoc obiter adnotem, patet eorum error, qui illud *Semper Augustus*, quod hodieque inter Imperatorios titulos est, a Glossatoribus Juris Justinianei excogitatum, nec facile ante Friderici I. Imp. & Hadriani IV. PP. ævum inveniri existimant. Cum sit antiquissimum, & inde a Diocletiano usque sæpissime Imperatoribus tributum in saxis veteribus legatur: Diocletiano quidem & Maximiano apud Gruterum p. CXCIX. 4. Constantino M. pag. C. 6. CCLXXXIII. II. CCLXXXIV. I. 2. 7 CCCLXXXVII. 5. MLXXXVI. 2. 5. 6. Constanti, pag. MXXIII. I. Constantio, pag. CCLXXX. 6. CDVI. I. Juliano, p. CCLXXXIV. 9. p. seq. I. 2. 3. MLXXXVI. 7. Joviano, p. CCLXXXV. 5. Valentiniano, p. eadem 6. 7. 8. 9. p. seq. I. p. MLXXXVI. 9. Valenti, p. CCLXXXVI. 2. 3. 4. utrique simul, p. CCLXXXV. 10. MLXXXVI. 8. Gratiano, pag. eadem 10. & pag. CLIX. 7. CLXXI. 9. Theodosio, pag. CCLXXXVI. 5. Gratiano, Valentiniano & Theodosio, p. CLXXII. I. Arcadio & Honorio, pag. CLXV. I. Sicque sæpius Impp. suos compellavit Symmachus [1], & Maximianum auctor Panegyrici, eidem & Constantino dicti, statim sub initium. Eodem scil. modo, quo iidem Impp. *æterni Principes*, *perpetui Augusti*, & *perpetui Cæsares*, alicubi [2] & *perennes Augusti* vocantur. Si genuina est inscriptio pyramidis Britannicæ Camdeno, atque inde Grutero [3] laudatæ, jam Philippus Arabs ita dictus est; adeoque valde antiquus sit is titulus necesse est. Theoderico Regi Italiæ idem tribuitur in saxo Terracinensi apud Gruterum p. CLII. 8.

VI. De Valente seorsum testatur basis marmorea Romæ ad radices montis Palatini effossa, cujus hanc inscriptionem [4] ab Ursino Gruterus accepit:

IMP. CAES. FL. VALENTI. PIO. FELICI<br>VICTORI. AC. TRIVMPHATORI. SEMPER<br>AVGVSTO. PONT. MAX. TRIB. POT. III<br>IMP. IV. COS. II. P. P. COH. III...... PR...<br>D. N. M....

De Gratiano duo lapides exstant, Romæ unus, alter Emeritæ Lusitanorum. Romanus [5] iisdem verbis, quibus pars marmoris in ponte Cestio ad eum pertinens, inscriptus est:

FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS<br>VICTOR. AC. TRIVMPH. SEMPER. AVG.<br>PONT. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMAN<br>MAX. FRANC. MAX. GOTHICVS. MAX.<br>TRIB. POT. VI. IMP. II. COS. PRIMVM<br>P. P. P.

Nam, ut recte notavit Seldenus [6], legendum est *Trib. pot. III.* Quinto enim Imperii anno Gratianus Cos. II. cum Sex. Anicio Probo fuit. Non itaque potuit anno VI. Tr. pot. *Cos. primum* dici. Notavimus supra, sæpe binarii & quinarii notas propter similitudinem confundi: id etiam heic factum est. Emeritani saxi inscriptio [7] hæc est:

IMP. CAES. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX<br>VICT. AC. TRIVMPH. SEMP. AVG. PONT.<br>MAX. GERM. MAX. ALAMANVS. MAX<br>FRANC. MAX. GOTH. M. TR. P. III. IMP<br>II. COS. IIII. PRIM. P. P. P. RESTITVIT<br>C. XI.

Τὸ *IIII.* locum habere non posse, quivis videt. Itaque Seldenus delendum putabat. Ego potius aliquid latere sub eo numero dixerim.

VII. Hæc ostendunt, sub initium Imperii *Pont. Max.* titulo Gratianum usum. Sed & post annos decem, hoc est, anno Imperii XIII. ante obitum IV. eundem titulum inter solennes & Imperatorios alios ei non semel tribuit Ausonius, præceptor ipsius, & in aula diu versatus, ac, quod imprimis huc facit, summorum Virorum [8] sententia Christianus ipse, & Christiana fide a teneris imbutus. Sic enim in gratiarum actione pro Consulatu sibi decreto Imperatorem alloquitur, extre-

1 ad A. Ch. 312. 94. 2 p. 283. 1. 3 ap. Baron. A. 312. 96. Smetium 3. 2. Grut. 160. 4. Boissard. part. 3. fol. 114. Panvin. l. c. ad A. 1122.

1 lib. 10. Epistolar. 2 ap. Grut. 164. 3. 3. 372. 9. 4 p. 286. 3. 5 1082. 13. 6 l. c. p. 336. 7 159. 7. 8 Vid. Baron. A. 394. 85. Crinit. de poet. Latin. 5. 87. aliosque.

mo cap. x. *Unus in ore omnium Gratianus, potestate IMPERATOR, virtute VICTOR, AUGUSTUS sanctitate. PONTIFEX religione, indulgentia PATER, ætate filius, PIETATE utrumque superat.* Mox cap. XII. *Tu Auguste, id est, venerabilis* ( sic legendum existimo ) *districtus maximo bello — comitia Consulatus mei armatus exerces. TRIBUTA ista, quod in urbe Sirmio geruntur, an quod in procinctu, CENTURIATA dicentur? an, ut quondam PONTIFICALIA vocabuntur, sine arbitrio multitudinis, sacerdotum tractata collegio? Sic potius, sic vocentur, quæ tu PONTIFEX MAXIMUS, Deo participatus habuisti.* Vides diserte *Pont. Max.* vocari. Sed & priori loco ad imperatorios titulos alludi manifestum est; ad quos passim ea Oratione respexit. Ut cap. III. *Aguntur gratiæ Imperatori FORTISSIMO; testis est uno pacatus anno & Danubii limes, & Rheni: LIBERALISSIMO; ostentat hoc dives exercitus: INDULGENTISSIMO; docet securitas generis humani: CONSULTISSIMO; probat hoc tali principe Oriens ordinatus: PIISSIMO; hujus vero laudis locupletissimum testimonium est, pater divinis honoribus consecratus*, &c. Mox cap. IV. *Possum ire per omnes APPELLATIONES tuas, quas olim virtus dedit; quas proxime fortuna concessit; quas adhuc indulgentia divina meditatur. Voca GERMANICUM, deditione gentium: ALEMANICUM, traductione captorum: vincendo & ignoscendo SARMATICUM. Connecterem omnia merita virtutis & COGNOMINA felicitatis: sed alia est ista materia, & suo parata secreto: cum placuerit signanter & breviter omnia, quæ novimus, indicare, nec persequi.* Sic cum cap. x. verbis supra adlatis, *unus omnium ore*, &c. aliquos titulorum recensuisset; statim cap. XI. alios subjungit; *TU GRATIANE, qui hoc nomen sic per fortunam adeptus es, ut nemo verius ambitione quæsierit. Neque enim justius Metellus cognomento PIUS patre revocato, quo esset impius exulante;* ( sic legendum ) *aut verius Sylla FELIX, qui felicior ante quam vocaretur; quam Tu Gratiane; cui & hoc nomen, & illa Metelli Syllæque COGNOMINA.* Mox: *Tu ipse Tibi pro me gratiam refer; tu tuæque virtutes, BONITAS, qua in omnes prolixus es, PERPETUUS in me; PIETAS, qua orbem tuum temperas*, &c. *Agat gratias CLEMENTIA, quam humano generi impertis: LIBERALITAS, qua ditas omnes: FORTITUDO, qua vincis: & mens ista aurea, quam de communi Deo plus quam ullus hausisti.* Quibus postremis haud dubie ad elogia, quibus isthoc ævo Principes *optimi, perpetui, pii, clementissimi, liberalissimi*, & *divini* vocabantur, respexit.

IIX. Cæterum ex his colligitur, aut stolam Pontificiam tantum, non item titulum Pont. Max. a Gratiano rejectum esse: aut demum extremis ejus annis id, quod Zosimus narrat, contigisse. Quod posterius Seldeno [1] placuisse video. Idque postulare videtur dictum Pontificum, extremis Zosimi verbis relatum; *Brevi Maximum fore Pontificem, si Imperat. nolit vocari Pont. Max.* Nam Maximus ille, ad quem alludebant, demum sub exitum Gratiani inclarescere & res novas moliri cœpit; nempe postquam in societatem Imperii Theodosius adscitus erat; quod anno Christi CCCLXXIX. die XIV. Febr. contigit. Ipse autem tyrannidem in Britannia arripuit anno CCCLXXXII. ac sequenti, die IIX. Kalend. Septemb. Gratianum occidit [2]: Quare vix ante quam postremo Gratiani quadriennio, fortassis & biennio, ea res contingere potuit. Nisi dicas, vel stolam mature missam, serius aliquanto ad collegium rediisse; vel post aliquot demum annos, quam stola remissa esset, id dicterium Pontifices jactitasse. Quamcunque sententiam amplectare, non officiet Zosimus, cum *statim atque aliquis ad Imperium evectus esset, stolam ei Pontificiam oblatam, & Pontificum albo inscriptum*, refert. Nam hoc ita interpretari licet, ut *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, & si commode fieri posset, nec aliud quid obstaret, id factum esse innuat. Ne vero Gratiano statim stola offerretur, cum alia impedire potuerunt, tum vero ætas ejus: quippe vix annum ætatis IX. ingressus, Imperii consors factus est. Nam anno Christi CCCLIX. d. XIV. Kal. Mart. natus; anno CCCLXVII. die IX. Kalend. Septemb. Augusto a patre renunciatus est. Immo junior etiam obiit, anno ætatis XXV. Adde, quod pene toto Imperii tempore nec solus nec præcipuo loco imperavit: nam patris & patrui voluntati quodammodo subjectus, eoque vix ultra quam certus successor fuit. Utramque ob caussam fieri potuit, ut Pontificalis habitus non statim ad eum mitteretur. Quod si habitum solum ab eo rejectum esse, tueri malis, dici poterit, illud a Pontificibus additum, *si Imp. nolit vocari Pontifex Max.* ab eorum interpretatione esse; qui stolam rejectam ita interpretati sint, ac si dignitas ipsa a Gratiano repudiata esset.

1 l. c. pag. 339. 2 Vide Petav. part. 1. Rationarii temp. 6. 8.

---

## Cap. VI.

*Acceditur ad exceptiones Pacidii: cujus propria confessio adfertur. Zosimi testimonium vindicatur, ἱστορούμενον ἱστορεῖν, de certa & literis consignata historia. Genesii scriptoris inediti locus. An aliqua Zosimus odio Christianorum finxerit? Ejus narrationes de Constantino M. fidem haruspicibus habente; deque Innocentio I. Episcopo Romano, sacra a Tuscis pro salute Urbis fieri permittente, expenduntur. Ejusdem Zosimi error super loco cædis Gratiani excusatur. Historicorum commune in hujusmodi rebus fatum.*

JAMDUDUM nos *Pacidius*, cum exceptionibus suis ad se vocat. Videamus igitur, quid adversus ea, quæ hucusque attulimus, obtendat, simul pro virili nostra eamus contra. Primo Zosimo fidem derogat cum in eo, quod cunctos Impp. Pontif. Max. dignitatem gessisse ait; tum in narratione de Gratiano. Audiamus ipsum: *Ajunt illi*, inquit [1], *Constantinum M. Valentinianum, Valentem & Gratianum quoque ipsum aliquandiu PONTIFICIS MAXIMI titulum gessisse; ac proinde eatenus saltem Gentilicium munus nomenque alienum a se non putasse*. Hactenus bene. Id enim est de quo præcipue quæstio est, & quod tanto conatu Pacidius impugnat; sed ita ut post longam disputationem manus dare videatur. Sic enim paullo inferius [2] ait: *Tandem etsi id largiremur, superiores ætate Principes Christianos ante Gratianum, hunc sibi titulum adscivisse; certe hanc culpam Gratianus emendaverit, Zosimo teste: ut non hic spectare deberemus, quid aliquando penso minus consilio, ἀνοίᾳ vel ἀγνοίᾳ, ab aliis admissum fuerit, quam quod ultimum meliore consilio Gratianus ceterique robustiores jam præstiterunt.*

II. Pergit: *Eam porro in rem principe loco Zosimo testimonium denunciant, qui id disertis verbis scribit, lib. 4. pag. 760. 761. Et fidem illius Baronius quoque sequitur, in Annalib. A. D. 312.* ( sic

1 pag. 30. edit. noviss. 2 pag. 33.

legendum ) *num.* 95. *cum prius in Notis ad Martyrologium, mendacii dicam Zoſimo impegiſſet. Et recte omnino*. Cur quæſo? Audiamus. *I. Primum enim, quis ipſi Zoſimo auctor? quis fundus? Certe fabellam illam non a claſſicis fideque dignis auctoribus accepiſſe ſe teſtatur ipſemet: verum narrationem tantum, quæ vulgo jactaretur, fuiſſe indicat; ἱϛορούμενόν τι, inquit*. Levior hic primus inſultus, & quem illæſa fama ſuſtinere Zoſimus poſſit. Neque enim fides ejus ſed res ipſa in dubium vocatur. Declinemus tamen, quoad poſſumus. Primo Gothofredus ipſe pro fabella non habuit, cum in præfatione Commentarii ad titulum Codicis Theodoſ. *de Paganis, Sacrificiis & Templis*, ſic ſcriberet: *Maximo Tyranno Gentiles faviſſe, probat aperte ſatis illud, quod cum Gratianus Pontificis Max. habitum ſibi a Pontificibus oblatum averſatus fuiſſet, unus ex his dixiſſe feratur: ſi Princeps appellari Pontifex renuit, admodum brevi Pontifex Maximus fiet*. Deinde cur auctores adlegaſſet Zoſimus in re quæ omnium ſermone celebrabatur, & quam ipſe in aula verſatus facile compertam habere potuit, præſertim cum proxime tempora ſua contigiſſet. Scripſit enim [1] ſub Theodoſio Juniore, qui poſt annos XVII. quam Gratianus obiiſſet, Auguſtus renunciatus eſt; poſt annos vero XXIII. vel XXIV. ſolus in Oriente regnare cœpit. Præterea Zoſimus eam partem hiſtoriæ, ad quam hæc narratio pertinet, totam ex Eunapio ( qui ſub ipſo Gratiano vixit ) deſcripſit aut potius excerpſit, ut e Photio [2], qui utrumque legerat, cognoſcimus. Vide Voſſium de *Hiſt. Græc.* II. cap. XVIII. & Seldenum loco ſupra laudato.

III. At *fabellam tantum, & narrationem quæ vulgo jactaretur, fuiſſe ipſe indicat*. Quare? quia ἱϛορούμενόν τι vocat. Ita eſt ſane. Ait enim: Ἄξιον δὲ τῶν ἱϛορουμένων τὶ μὴ παραλιπεῖν, τῆς παρούσης ἀφηγήσεως οὐκ ἀλλότριον. At unde oſtendet Pacidius, ſolum ea ἱϛορούμενα dici, quæ vulgo jactantur, ac incertis auctoribus feruntur? Sane quid ea voce Zoſimus intellectum velit, ex ejuſdem loco alio, qui eopſe libro [3] habetur, apparet: ubi de re literarum monumentis tradita, ait: καὶ τοῦτο τὸ δῶρον ἱϛορημένον. Et ſic alii quoque uſi hac voce. Τὰ ἱϛορούμενα, inquit Budæus [4], *Plutarcho ſæpe dicuntur pro rebus memoriæ proditis*. Apud eundem Plutarchum, H. Stephano [5] teſte, ſæpe imperſonaliter ἱϛοροῦσι, *Hiſtorici tradunt*; & ἱϛόρηται, *Memoriæ proditum eſt*, ἱϛορεῖν τὰ πεπραγμένα, Luciano eſt *literis res geſtas prodere*: Theophraſto βίους ἱϛορῆσαι, *vitas commemorare & prodere*. Auctor ineditus Hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ, ( *Geneſium* membranæ vocant ) quem, cum primum commodam occaſionem nacti fuerimus, publicabimus, procœmio operis ſui, quod βασιλεία inſcripſit: τὰ μὴ παραδεδομένα βίβλῳ ἱϛορήσῃ ἀπὸ τῆς κατὰ δυσσέβειαν φρενοβλαβοῦς Λέοντος βασιλείας τοῦ ἐξ Ἀμαλὴκ, καὶ καθεξῆς ἀναγράψομαι. Βίβλον ἱϛοροῦσαν opus veram hiſtoriam, non fabulas & incertos rumores, continens, vocat; quamque τὴν ἐξ ἱϛορίας βίβλον carmine ad Conſtantinum Porphyrogennetam, eidem operi præfixo dixit:

Τὴν ἐξ ἱϛορίας τελέσας βίβλον, ὡς ἐκέλευσας,
Αὐτοκράτωρ, μελέταις καὶ καμάτοις μεγάλοις,
Ἐν σοὶ δῶρον ἔθηκα.

Pudet plura adferre in re cunctis nota, qui Græcas literas attigerunt.

IV. Quæ ſequuntur [6] apud Pacidium, atrociora ſunt, & infamiam Zoſimo intentant; ac plane deteſtabilem reddere conantur. 2. *Deinde, qualis auctor hac in re Zoſimus? Non jam dico, quod perpetuum & internecinum Chriſtianis Impp. odium indixerit; verum iſtud, quod ſimilibus paſſim fabellis hiſtoriam ſuam implevit. Jam ſupra notavimus, quid in Conſtantinum circa haruſpicinæ uſum jactaverit: quid in Innocentium Epiſc. Rom. finxerit, quaſi is contra propriam conſcientiam, adverſus οἰκείαν δόξαν, in ſacra quædam Gentilicia conſenſerit. 3. Imo illud quoque deprehendo, peculiare Zoſimi, ut aliorum Gentilium, pariter ut hæreticorum in Gratianum odium fuiſſe*. De Zoſimi in Chriſtianos Impp. odio vetus cantilena eſt, jam olim ab Evagrio, Photio, & Nicephoro, ei occentata; ſed cui dudum reſpondit peculiari apologia Jo. Leunclavius, ad quam Lectorem ablegamus. Fuerit ſane Chriſtianis infenſus, ( quotusquiſque enim tam æquo eſt animo, ut bene cupiat ei, qui ſibi perſuaſionem de cultu divino, quam veritati conſentaneam & plurium ſæculorum conſenſu nixam putat, eripere velit? ) an ideo ſtatim fides ei deroganda? Unde oſtendes, falſa eſſe, quæ de Conſtantino cæteriſque Principibus tradidit? Certe negari nequit, quædam enormia vitia illos habuiſſe; quorum aliqua & Chriſtiani Scriptores notarunt. Interpretatus forſan aliqua fuerit paullo ſecius, odioſeque traduxerit: at fabulas excogitaſſe, quibus plane nil veri ineſſet, ſuæque hiſtoriæ inſeruiſſe, vix unquam oſtendi poterit. Præterea cauſſæ nil video, cur Pontificis Max. dignitatem ab omnibus Impp. ſuſceptam eſſe comminiſceretur. Potior enim criminandi occaſio ſuppetebat, ſi Conſtantinus & cæteri hanc dignitatem repudiaſſent, quibus nihilo æquior fuit, ut vel ea docent quæ in Conſtantinum & filios ejus, ac Valentem acerbe ſatis ſcripſit. Et poterat illud æque, ut cauſſa imminuti Imperii, propriique exitii, atque Gratiani factum, adlegari. Fidem itaque narrationi ejus merito habemus, donec idoneis argumentis mendacii convincatur.

V. Quæ de Conſtantino haruſpicibus fidem habente, deque Innocentio in ſacra quædam Gentilicia, hoſtis amoliendi cauſſa, conſentiente Zoſimus narrat, hoc minus auctoritati ejus officiunt. De Conſtantino adſcribam ipſius Gothofredi verba e Notis ad Leg. I. Cod. Theodoſ. *de Pagan. Sacrif. & Templis*. *Haruſpices conſulendi poteſtatem*, inquit, *Conſtantinus M. hac conſtitutione facit, quæ & ante biennium quoque mens illi fuit. l. 1. & 2. ſup. hoc eod. Cod. de* maleficis. *Eodem exemplo, quo & Magicas artes, verum innoxias, hoc ipſo anno, exerceri impune voluit l. 3. dicto tit. Quod utrumque jure mireris in Principe, per novennium jam Chriſtianam fidem amplexo & in alios quoque propagante. Ut de Zoſimi proinde fide, Conſtantino paſſim obtrectantis, non ubique dubitandum, vel hoc argumento conſtet. Nam & is Conſtantinum, poſt Licinium interfectum Haruſpic. fidem adhuc habuiſſe, tradit, lib. 2. pag. 685. Adeo conſuetudo male importata eſt inextinguibilis*. Hæc olim Gothofredus. Quibus non admodum diſſentanea habes ap. Baron. ad A. Chr. 321. 18. & ſeqq. Niſi quod is ſimulate ac neceſſitate temporum adactum id feciſſe Conſtantinum, contendat. Saltem Zoſimo vitio verti non debuit, quod *hariolis experientioribus fidem habuiſſe Conſtantinum*, ſcripſit. Id enim præ ſe ferunt verba Reſcripti Imperatorii [1]: *Si quid de palatio noſtro, aut ceteris operibus publicis deguſtatum fulgore eſſe conſtiterit, retento more veteris obſervantiæ, quid portendat, ab haruſpicibus requiratur, & diligentiſſime ſcriptura ad noſtram ſcientiam referatur*. Quis non hinc colligat, haruſpicinam a Conſtantino, ſaltem ſpecie tenus, in pretio habitam fuiſſe?

1 V. Voſſ. de Hiſt. Gr. 2. 20. 2 in Biblioth. cod. 98. 3 pag. 747. 4 Comment. Gr. Ling. col. 1206. 5 Theſ. Gr. L. To. 1. col. 1114. 6 pag. 31.

1 leg. 1. Cod. Theod. de Pagan.

VI. De Innocentii Syncretismo quod Zosimus narrat, id amplexos esse inter alios novimus J. Cluverium in *Epitome Historiarum* [1] & J. Lætum in *Compendio Historiæ Universalis*, periodi Græcæ cap. VI. sectione II. [2] ubi *Romæ*, inquit, *Syricio Anastasius, & illi post triennium Innocentius substituitur: sub quo cum barbari Italiam & Romam miscre vexarent, fidelibus autem mala imputarentur, concessit imprudens placari numina Gentilium.* Quibuscum facit, D. Danhawerus, parte suæ *Christeidos* nondum edita, phænomeno IV. Cujus verba pariter adscribemus: *Innocentii*, ait, *cum Gentilismo Syncretismum a Zosimo notatum, non alio quam argumento a testimonio negativo, Sozomeni scil. silentio, purgat Spondanus: quod alio simili argumentandi genere refellimus. Papirius Massonus in eluendis aliàs Paparum nævis diligens, in Innocentio totum Zosimi locum describit, nec tamen totum ab hac macula purgat. Ergo haud obscure suffragatur.* Erraverit tamen Zosimus, ut probare conatur Spondanus ad An. Chr. CDIX. num. II. &, unde is hausit, Baronius ad eundem annum, sectione VI. & VII. in ceteris quoque erraſſe ipsum, probari non potest.

VII. Levius est, quod quarto loco Pacidius objectat; *Sed malam*, inquit, *mentem a Zosimo abfuisse, odiique caussas eum procul habuisse, largiamur: nonne idem circa eundem Gratianum fœdo errore lapsus est, cum lib. 4. pag. 760. eum Maximi Tyranni metu, transcensis Alpibus, Rhetia, Norico, Pannonia, in Mysiam superiorem tetendisse, scribit? cum Singiduni cæsum commemorat? quem tamen in Galliis PARISIIS proditione superatum, fugientemque, Lugduni occisum, auctores alii constanter memorent.* Levius, inquam. Nam errare eum potuisse, indicio est: non item, erraſſe; multo minus, studio falsa tradidisse. Præterea id commune cum præstantissimis quibusque Historicis habet: quibus omnibus tamen nemo sanus ea caussa fidem derogat. Notum est Vopisci responsum Tiberiano datum: *Neminem Scriptorum, quantum ad historiam, non aliquid esse mentitum; quin etiam esse in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincantur.* Quod de loci, temporis, rerumque similium circumstantiis cum primis verum est. Quam facilis enim in his lapsus! præsertim ubi fama diversa est, aut Scriptores ipsi, quos sequimur, opinionibus dissentiunt. Quod Zosimo haud dubie contigit. Habuit enim certe auctores suos quos sequeretur, quamquam a veritate aberrantes. Quis enim credat, hoc ab ipso excogitatum esse? Præterea proclivis esse lapsus in affinibus *Lugduni* & *Singiduni* nominibus potuit.

1 p. m. 382. 2 p. 130. ed. Amstelod. de An. 1653.

## CAP. VII.

*Quatuor Objectiones Pacidii expenduntur. Silentium Scriptorum Ethnicorum, Ecclesiasticorum, hæreticorum non officere receptæ sententiæ. Argumenta ab auctoritate negata quatenus valeant. In constitutionibus & nummis Principum Christianorum cur titulus* Pont. Max. *omissus? Non fuisse tam rigidos ac ab omni labe immunes Impp. Christianos, atque a Pacidio finguntur. Pluscula Gentiliciæ superstitionis ab iisdem & Christianorum aliis retenta & tolerata enumerantur. An ut novum in Juliano notetur, quod* Pont. Max. *se dixerit? Quomodo idem* ἀρχιερέα *se appellaverit?* ἁμάρτημα μνημονικὸν *Pacidii. Socrates & Sozomenus explicantur. Gratiani facto nec silentium Patrum, nec loci rationem repugnare.*

SEQUUNTUR apud *Pacidium* quatuor Exceptiones aliæ, quæ tamen non tam Zosimi testimonium, quam universam adsertionem nostram impugnant, eoque potius *Objectiones*, ut Scholæ loqui amant, quam *Exceptiones*, dicendæ sunt. Eas hoc capite expendemus. Primum a silentio Scriptorum petitum est, Gentilium, Ecclesiasticorum, Hæreticorum. 3. *Jam si ceteros Scriptores*, inquit [1], *in consilium adhibemus, altum ejus, quod unus Zosimus narrat, apud omnes silentium: quod in re tanti momenti quis credat? Ecquis enim putet, Gentiles Scriptores alios, & in his Panegyristas maxime, quorum ferax hæc ætas fuit, id silentio transmissuros, de Pontificatu videlicet Maximo a Christianis Impp. suscepto, qui inferioribus multo vectantur, aliaque laudibus attollere promti sunt? Quis contra putet,* Patres *Scriptoresque alios Christianos, vel Ecclesiasticos id reprehensione vacuum transmissuros, qui leviores multo Principum culpas dissimulare non solent? Quis Hæreticos, infesto semper in Principes animo, id non eis obtrectaturos credat?*

II. Pauca reponamus. Primo genus inferendi paullo infirmius est, quippe *ab auctoritate negata*, seu, ut alii loquuntur, *a testimonio negative* ductum: *cujusmodi argumenta*, ut alicubi [2] Raynoldus ait, *videntur plerumque Dialectici ut minus efficacia improbare*: puta, nisi probabile sit Scriptores, quorum auctoritas requiritur, non fuisse id omissuros, de quo disputatur. Probabile autem tum erit, si res sit magni momenti, nec vulgaris & cunctis nota; si tuto literis consignari potuit; si argumentum, ad quod illa pertinet, ab auctoribus istis ex instituto, magnoque judicio ac diligentia tractatum sit; si plures supersint Scriptores, quod id tradidisse verisimile est, &c. Hæc enim & similia requirere Dialectici solent, ut hoc genus argumenta sint valida. Atqui horum pleraque heic deficiunt. Quid enim narrassent ejus ævi Scriptores rem tritam ac cunctis Principibus usitatam, & tum vix ulli ignotam? quippe quæ ita innexa Imperatorio fastigio erat, ut separari non posse videretur. Cur extulissent Panegyristæ Ethnici, quod neque laudi dabatur, & a malis bonisque Principibus juxta admissum erat? Cur Patres culpassent, quod neque tuto satis reprehendi, cum ad tuendam auctoritatem securitatemque Principum faceret, poterat, & in se, nisi culpa omnino gravi certe vacabat? Nam quod ipsum titulum superstitiosum fuisse Pacidius, putat, id nos inficiamur: neque ulla ratione firma ab ipso ostensum est. Præterea si non magis, æque certe superstitiosum fuit, quod Constantinus, ut supra diximus, haruspices consuli, deque ea re ad se quam diligentissime referri jussit. Id tamen nemo Patrum aut retulit, aut reprehendit. Et nesciremus hodie, nisi Rescriptum Imperatoris in Theodosiano Codice superesset. Idem de Hæreticis dicendum est, quorum præterea paucissima bodie exstant. Jam quis ex omnibus illius ævi Scriptoribus, quos hodie superstites habemus, ex instituto titulos Imperatorios, omnesque dignitates ab iis susceptas gestasque persequutus est? Nemo, quod sciam, nisi quod plerosque Ausonius tetigit: qui proinde *Pontificatum Max.* non præteriit. Postremo in tanta veterum librorum jactura nemini mirum videri debet, hunc morem apud unum Zosimum legi: cum longe plurima, ut indubia admittantur, quæ tamen unici Scriptoris testimonio nituntur. Et tamen si Zosimo Ausonium ac Servium, itemque marmorum antiquorum inscriptiones addas, testium abunde erit. Deinde Scriptorum ceterorum silentio opponimus omnium, qui hodie supersunt, silentium de Pontificatu Max. a Christianis Impp. abdicato.

1 pag. 31. 2 Censur. Tom. 2. prælect. 100. col. 230.

Quod

Quod utique potiori jure urgemus, cum probabile sit rem novam, & quæ dictis Principibus zeli ingentis laudem apud Christianos, contra magnam invidiam apud Ethnicos parere poterat, ab utrisque præteritam haud fuisse.

III. Nunc audiamus pergentem Pacidium: 6. *Jam si constitutiones Principum*, inquit, *si nummos ab his cusos spectamus, si incorruptas inscriptiones, nullum ibi ejus rei prorsus vestigium: cum tamen hæc illa sint potissimum, in quibus tituli Principum elucent*. De inscriptionibus, fateor *in iis potissimum titulos Principum elucere*: sed in paucissimis, (loquor autem de iis, quæ ad Imperatores Christianos, de quibus heic sermo est, spectant) ac fere in iis tantum, quas supra adduximus, in quibus & *Pont. Max.* titulus habetur. Nam in cæteris omnibus, quas quidem Gruteri Opus exhibet, solum *Domini Nostri*, *Imperatoris*, *Cæsaris*, *Pii*, *Felicis*, *Victoris*, *Triumphatoris*, *semper Augusti*, similesque tituli ad ipsum Principale fastigium pertinentes; nusquam vero dignitates reliquæ, puta *Tribunicia potestas*, cognomen *Imperatoris*, *Consulatus*, & *Proconsulatus*, leguntur; una excepta, in qua Valentinianus *Cos. III.* vocatur, MLXXXII. II. Idemque in Saxis Juliano positis observare licet; immo & Diocletiani, Maximiani aliorumque Constantini decessorum pleraque non exhibent hos titulos. Ex quo apparet frustra ad Inscriptiones provocari; cum in iis isthoc ævo raro hujusmodi dignitates sint adscriptæ. Sed & hoc falsum esse, quod ait Pacidius, *in incorruptis inscriptionibus nullum hujus rei vestigium esse*, abunde docent, quas supra adduximus. E quibus præter unam, Baronio quoque suspectam, nulla nequidem argui falsitatis jure potest. Et Pacidius ipse paullo inferius pag. 34. tantum ait, *NONNULLAS ex Inscriptionibus illis non in Christianorum primum Imperatorum, verum in Gentilium gratiam factas*. Quo tacite concedit, cæteras genuinas esse. De *Nummis* & *Constitutionibus*, nego, *illa potissimum esse, in quibus Principum tituli eluceant*. Nam in Nummis Christianorum Principum nusquam adscititii tituli ac dignitates leguntur. Imo ne quidem in eorum, qui paullo ante Imperio præfuerunt, puta Constantii, Maximini, Maximianorum, Diocletiani & cæterorum ad Probum usque. In quibus proinde & *Pont. Max.* appellatio vix unquam, in Taciti vero & Probi numismatis rarissime invenitur: ut e prolixo catalogo Ad. Occonis videre est. Quid mirum igitur si neque in illis Christianorum Principum legitur? Idem de Edictis & Constitutionibus dictum putes: nam & in his nunquam aut raro hujusmodi titulos offendas. Fidem faciet Eusebius & reliqui Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ, qui subinde Christianorum Impp. Edicta & Rescripta operibus suis inseruerunt.

IV. Sequens objectio ab indole Christianorum Principum petita, sic habet pag. 33. 7. *Nunc si ingenium atque indolem Christianorum Principum illorum, animique characterem, oculis nostris subjicimus, non illi modis omnibus atque innumeris constitutionibus Gentiliciam superstitionem eradicare, atque in hominum animis, quantum in se, & quatenus tempora ferebant, avellere annisi sunt, omnemque participatum & communionem ritus Gentilicii privatis interdixere, quod supra vidimus? Quod cum ita sit, quomodo illi orbis obsequium sperare vel procurare potuissent, si graviora his ipsi admitterent, conspectiore in se multo crimine? Æmulandi quippe amor validior, quam pœna ex legibus: eaque Principum conditio est, ut quicquid faciunt præcipere videantur*. Primo rursus falso supponitur, rem eam illicitam & superstitiosam fuis-

A se. Deinde multa privatis interdici poterant, quæ Principes ipsi admitterent, quod ratio Principatus & securitas eorum id postularet. Neque metuendum erat ne subditi eorum exemplum sequerentur; cum tolerantiæ ejus caussa apud illos cessaret. Denique indoles atque ingenium Christianorum Principum aliud longe fuit, atque a Pacidio fingitur. Non inficior quosdam eorum Gentiliciam impietatem acerrime insectatos, planeque sublatum iisse. Scio aliquos adeo aversatos fuisse omnem participatum sacrorum & rituum Ethnicorum, ut etiam in ea re quandoque nimii fuisse videantur. Exemplo Constantinus est, quem
B lauream, quod Apollini sacra esset, & ipsum gestare noluisse, & militibus suis ne gestarent, interdixisse ajunt. Nihilominus negari nequit, ab aliis partim, partim & ab his ipsis, quos diximus, multa e superstitione Ethnica tolerata; sive necessitate temporum, & quod aliter non possent: (quod ipse Pacidius videtur admittere, cum limitationem addit, *quatenus tempora ferebant*) seu quod interdum de zelo suo aliquid remitterent. Quid circa haruspicinam a Constantino constitutum fuerit, jam ante retulimus. Quo pertinent lex I. & II. Cod. Theodos. *de Maleficis*, &c. quibus haruspices publice ritum proprium ex-
C ercere, idem Constantinus jam Christianus permittit. Qui & *Magicas artes* innoxias, & saluti humanorum corporum servandisque frugibus quæsitas *criminationibus implicari* vetat lege III. eod. tit. Quæ lex adeo Justiniano quoque probata est, ut in suum Codicem [1] eam referret: ac demum a Leone Philosopho [2] abrogata, ut ipse Pacidius [3] annotavit. *Circenses ludos* etsi multiplici idololatriæ obnoxios, (Lactantium vide lib. VI. cap. XX.) tamen non fuisse a Christianis Impp. sublatos, e lege un. C. *de Gladiator.* L. I. & 2. C. *de Spectac.* itemque Zonara & Procopio, do-
D cet Paganinus Gaudentius libro *de vita Christianorum ante tempora Constantini* cap. IV. Adde ejusdem librum de Justinianæi sæculi moribus nonnullis parte II. cap. XXXV. & XXXVI: ubi adhuc sub Justiniano & deinceps eos in usu fuisse, ostendit. Quamquam omissa existimet, quæ ex prisco ritu idololatriam saperent. Huc quoque pertinet leg. III. C. Theod. *de Paganis*, qua Constantius (seu, ut vult Gothofredus [4], Constans) ait, *Cum e templis nonnullis vel Ludorum, vel Circensium, vel Agonum origo fuerit exorta, non convenire ea convelli, ex quibus populo Rom. præbeatur priscarum solemnitas voluptatum. Agonem Constantinopoli, θυσίας & πανηγύρεις Valentem re-*
E *stituisse, Hieronymus Chronico & Cedrenus testantur*; scribit Gothofredus Comm. ad L. VII. C. Th. eod. tit. *Anno Chr. CDIV. Honorio Aug. VI. & Aristæneto Coss.* (ita e Baronio Spondanus ad d. ann. §. I.) *Sæculares ludi, a superstitione introducti Gentilium, Constantini vero Magni religione neglecti & prætermissi, non sine dedecore Christiani nominis editi sunt. Claud. de sexto Cons. Honorii & alii*. In iis vero Theatrales atque Circenses ludi exhibiti: utique non sine superstitione, ut docet Baron. ad d. ann. §. II. Qui & *Gladiatoria munera* tot Christianorum Impp. legibus vetita sub eodem Imp. rursum exhibita fuisse, at-
F que ad ea spectanda Vestales cum pompa prodire solitas, e Prudenti II. *adv. Symmachum* refert. Adhuc, adulto Christianismo, *sub Valentiniano Seniore suam quoque Paganis sententiam, suos ritus, Templaque & Templorum solemnia relicta fuisse; ac Theodosio imperitante, & sacrificia aliquan-*

1 l. 4. C. de malef. 2 Novel. 65. 3 pag. 12. 4 not. ad d. leg.

*diu agitare licuisse , & deinceps sacrificiis quamlibet interdictis , suas quasdam adhuc solemnitates veluti Convivia , Festa , Ludosque bis constitisse* ipse Pacidius [1] fatetur , idque olim prolixe docuit in Notis ad d. L. VII. C. Th. *de Pagan.* e Symmacho *in Relatione ad Valentinian* Ambrosio lib. I. & II. *adv. Symmach.* Themistio Orat. XII. Ammiano lib. XXX. lege VII. VIII. IX. C. Th. *de malef.* Zosimo lib. IV. Idque ipsa illa lex VII. C. Th. *de Pagan.* aperte docet, qua sola sacrificia consultoria vetantur . Adde Baron. ad Ann. Chr. CCCLXVI. §. III. & IV.

V. Cæterum Imperatores haud tantum , sed in universum Christiani illorum temporum non tam puri & ab omni μετοχῇ Gentilitiæ impietatis liberi fuisse videntur, quam Pacidius existimat . Syriarchas , Asiarchasque aliquos eorum ante Theodosii Magni tempora fuisse , non obscure ipse [2] admittit ; id autem munus non omnino aliquo participatu Gentilium cærimoniarum caruit, quidquid etiam ipsi videatur . Vota publica a Christianis quoque contagione quadam recepta fuisse , queruntur Augustinus ep. LXIV. *ad Aurelianum* , Ambrosius sermone XVII & Petrus Chrysologus sermon. CLV. Eoque prohibuit Synodus Trullana can. XLII. Per genium & venerationem Principis jurasse Justiniani ævo , e L. *si duo patroni* . §. *si quis* . D. *de Jurejur.* & L. 2. C. *de reb. cred.* colligit Pag. Gaudentius [3] ; quod tamen olim facere recusabant Christiani, ut idem ex Tertullian. *Apolog.* c. XXXII. & Eusebio *Histor. Eccles.* IV. cap. XV. docuit lib. *de vita Christ.* ante Constant. capp. V. & VI. Qui & capp. XI. & XII. notat , jam olim Christianos , ne vulgi odium in se concitarent , lucernas accendisse & fores lauro coronasse publicæ lætitiæ causa , etsi id superstitiosum haberetur .

VI. Speciosum maxime est , quod ultimo loco Pacidius reservavit . 8. *Quid quod Scriptores Ecclesiastici Theodoretus lib. 3. cap. 1. Sozomenus lib. 5. cap. 1. in Juliano Apostata id ceu novum jam & repetitum notant , quod is se ἀρχιερέα nuncupaverit : quomodo ipse sane in fragmento quodam pag. 547. ἀρχιερέα μέγιστον se vocat , ut omittam veteres Inscriptiones , ubi passim Pontifex Maximus dicitur* . Apud Theodoretum quidem nil tale habetur , sed apud Socratem lib. III. cap. I. ( quem nominare Pacidius debuit ) ac Sozomenum loc. cit. Uterque ait : ἑαυτὸν ἀρχιερέα ὠνόμαζεν , adduntque *templa aperuisse & sacrificasse* . Quod diu me exercuit , fateor , fecitque ut nunc ad singulare studium ejus tituli referrem , quoniam in saxis veteribus Julianum sæpius quam cæteros ejus ætatis Impp. in nummis etiam præter istius ævi morem aliquotiens ita dictum videbam : nunc illud respici putarem , quod officio P. M. functus sit , sacrificia offerendo : aliquando dubitarem , an ut novum id laudati Scriptores notaverint , aut nesciisse crederem , Christianos Impp. eo titulo usos esse : denique non Pontifex Max. dignitatem voce ἀρχιερεως , sed sacerdotium aliquod præcipuum , puta Cereris , cujus sacris Julianum initiatum fuisse , nonnulli tradunt ; aut Isidis , vel alterius Dei Deæve intelligi conjectarem . Videbam enim apud plerosque Scriptores Græcos , præsertim Christianos , Pontificem Max. non ἀρχιερέα simpliciter , sed ἀρχιερέα μέγιστον appellari : quomodo & ipse Julianus in fragmento a Pacidio laudato se vocat . Scrupulum omnem exemit ὁ πάμμεγας Reinesius , qui super ea re consultus a me , sic rescripsit : *In verbis Socr. & Sozom. nihil prorsus præsidii sententiæ suæ reperire poterit Dn. Gothofredus . Αρχιερεὺς enim ibi non est Maximus ille apud Romanos & ἐξαιρέτως ita dictus Pontifex , sed sacerdos summus certi Numinis , nimirum Solis : hujus enim cultui & mysteriis præcipue deditus & initiatus fuit ὁ παραβάτης . Et eodem plane modo ipse Arsacium quendam nominat ἀρχιερέα Γαλατίας , qui erat Matris Deorum Pessinuntiæ consecraneorum præses , in Epist.* 49. *a Petavio editarum : quæ & repetitur a Sozomeno lib.* V. *cap.* 15. *Paulo Diacono lib.* XI. Histor. misc. & *Joh. Saresber. lib.* 8. Policrat. *cap.* 21. Ad Theodorum Asiæ ἀρχιερέα exstat ejusdem Juliani epistola LXIII. Et Scopeliani, Asiæ ἀρχιερέως , vitam apud Philostratum habes . Αρχιερεῖς aliquot memorant & Inscriptiones p. CCCXII. 10. CCCXXVI. 1. CDXLVIII. 1. & MXXIV. 3.

VI. Gratiani factum Pacidius duobus argumentis impugnat . *I. quod non sit probabile , Christianos Scriptores id saltem non memoraturos fuisse , qui cæteroquin Gratianum sedulo deprædicant . II. quod si Gratiano habitus P. M. oblatus , & ab eodem e vestigio repudiatus , id Romæ factum oporteat : Nusquam vero legi , Gratianum Romæ constitisse* . At 1. fieri potuit, ut aliqui id factum memoraverint, quorum scripta perierunt . 2. Fortassis tanti non est habitum , ut literis consignaretur . 3. Quid mirum omitti aliquid in rebus gestis ejus Imperatoris , cujus tota vita laudabilis & gloriosa fuit ? Talem enim fuisse Scriptores coævi unanimiter testantur . 4. Ausonius fortassis ideo non retulit, quia tum nondum contigerat , cum is gratias Imperatori pro Consulatu ageret . Ambrosii vero multa interciderunt. 5. Non dicit Zosimus , *e vestigio* habitum a Gratiano fuisse repudiatum . Denique 6. etiam alibi quam Romæ stola Imperatori offerri potuit ; sive ablegatis aliquot Pontificibus , sive per quosdam eorum qui cum Imperatore essent . Nam Pontificatus a summis Viris & qui præcipuis Imperii dignitatibus fulgerent, gestus est, ut ex Inscriptionibus antiquis apparet.


---

## CAP. VIII.

*Quæ adversus Inscriptiones Pacidius excepit , breviter expenduntur . An erasis nominibus alia substitui solita ? Prudenter & jure Christianos Impp. Pont. Max. titulum retinuisse : Pacidii exceptiones refelluntur . Eusebio Cæsariensi libri de vita Constantini adseruntur . Constantini M. dictum exponitur , quo se* Episcopum eorum qui extra Ecclesiam sunt *dixit . Conclusio hujus Dissertationis .*

QUÆ restant , non una caussa paucis expediemus . Ad *Ausonii* testimonium quædam Pacidius excipit , sed quæ ex ipso Ausonio , & iis quæ supra attulimus , facile dilui possunt . Quare non est quod illis immoremur . Ad Inscriptiones duo reponit . 1. *non Imperatores ipsos hunc sibi titulum in illis vindicare , verum ab aliis , & superstitiosis quidem Romuli nepotibus Italisque tributum ibi exhiberi , quo forte sensu Servius in* III. *Æn. scripserit : unde hodieque Impp. dicimus Pontifices* , &c. 2. *nonnullas ex Inscriptionibus illis liquido non in Christianorum primum Impp. verum in Gentilium gratiam factas : quorum erasis postea nominibus Christianorum nomina a Gentilibus suffecta eorumque loco incisa sculptaque esse . Exemplo*

1 pag. 6. 2 p. 30. 3 de morib. sæc. Justin. part. 1. cap. 6.


TAB. VI.
TAB. VII.
Apud I. P. Bellorium.


TAB. VIII.
Ex antiquo marmore.
TAB. IX.
Apud D. L. W.

*eſſe Inſcriptionem Conſtantini Baronio adlegatam* ( eſt autem apud Gruterum I. p. CCLXXXIII.) *quam ſuperiori alicui principum poſitam fuiſſe Conſulatus III. Diocletiani in ſiniſtro latere ejuſdem baſeos, & C. Val. Aurelii prænomina fidem faciant, quorum neutrum Conſtantino conveniat, ſed Maximiano.*

II. Ut breviter reſpondeamus, 1. Largiamur, ab aliis & quidem ab Italis eas inſcriptiones profectas eſſe: tamen non eſt credibile, eos tribuere Principibus auſos elogia quæ illi nollent. Haud dubie enim offenſam eorum ſe incurſuros facile prævidiſſent, non minus ac ſi *Augures*, *Quindecim-Viros S. F.* aliiſque hujuſmodi titulis, quibus priores Imperatores uſi fuerant, appellaſſent. 2. Deinde ſolebant Inſcriptionum formulæ a Magiſtratu, aut etiam ab illis ipſis, quorum in honorem ponerentur, accipere. In privatis certe id fieri ſolitum, Inſcriptiones aliquæ docent [1]. Quanto magis Imperatorum elogiis idem factum eſſe exiſtimandum eſt! 3. Tamdiu credimus hos titulos inter ſollennes Chriſtianorum quoque Principum fuiſſe, donec aliud idoneis argumentis oſtendatur. 4. Quod de nominibus Imperatores in ſaxis veteribus eraſis aliiſque ſubſtitutis dicitur, neſcio an ſatis certum ſit. Statuis alia capita impoſita ſcio, idque docuerunt Caſaubonus ad *Suetonii Tiberium* capite LVIII. Bulengerus *de Pictura, Statuaria, & Plaſtice* libro I. capite XXI. ac nuperrime Em. Figrelius libro *de Statuis Illuſtrium Romanorum* caput XXVIII. & XXXVII. Qui & nomina aliena ſtatuis fuiſſe inſcripta, obſervat. Nummos quoque recuſos ac reſtitutos novi, ſed veteri ſervata inſcriptione, ac Reſtitutoris nomine addito hoc modo: *Trajanus reſtituit*, &c. In ſaxis quoque video nunc integras inſcriptiones eraſas, ſubſtitutis aliis; nunc nomina elogiaque deleta, ſed aut omnino non reſtituta, aut iiſdem elementis repoſita, quibus antea inciſa fuerant. Sed Nomina, Imperatorum præcipue, eraſa, ut iis ſubſtituerentur alia, id neſcio quomodo ab illorum temporum conſuetudine videtur abhorrere. Et videor mihi poſſe oſtendere, in omnibus Inſcriptionibus quæ nomina tituloſque inſtauratos apud Gruterum exhibent, eadem ab initio fuiſſe, aut ſaltem eſſe potuiſſe. De ſaxo Conſtantini fateor graves cauſſas ſubeſſe, cur temeratum exiſtimetur; ſed nihilominus eludi poſſe. Nam & ſaxa plurima diverſi temporis Inſcriptiones continent, ( vide paginam CLIV. 4. 5. 6. & ibi notas Gruteri, paginam CLXV. 2. CLXXVII. 1. MXIX. 8. p. X. 6.) & Conſtantinum prænominibus *C. Val. Aurelii* uti potuiſſe, imo uſum videri, aliunde docere poſſum. Sed de hoc, ſimulque univerſo ritu eradendi nomina tituloſque, abolendique & dejiciendi ſtatuas aliiſque eo pertinentibus alibi commodius, DEO dante, acturi ſumus. Demus nunc Pacidio cæteriſque ſummis Viris, Conſtantini ſaxum primitus alteri fuiſſe poſitum: erunt tamen cætera in eorum gratiam ab initio facta quorum nomina præferunt: immo hoc ipſum nihilominus ſententiam noſtram juvabit. Quod enim *Pontificis Maximi* titulus in eo relictus eſt, id tum inter ſollennes eum adhuc fuiſſe, indicat. Poterat enim eadem opera, niſi Conſtantino conveniſſet, eradi.

III. Supereſt, ut reliqua perſequamur; idque breviſſime. Prudenter egiſſe Imperatores Chriſtianos, cum titulum P. M. retinuerunt, docebunt ea quæ capite I. §. VII. & cap. IV. §. III. diximus. Idque prolixe oſtenderunt Baronius & Morinus locis ſupra laudatis. Neque officere debent, quæ Pacidius excipit: *potiore ſcilicet loco fuiſſe tum res Chriſtianorum, Romæ etiam, exoleſcente indies magis magiſque Pagana ſuperſtitione; ut proinde his retinaculis tum nihil opus eſſet, quibus Paganorum odium cohiberetur, &c.* Nam etiam ſub Valentiniano, Valente & Gratiano magna pars Procerum Romanorum Ethnicæ ſuperſtitioni addicti, eoque Chriſtianis Principibus metuendi erant. Quod vel Maximi conatus adverſus Gratianum oſtendunt. Cui haud dubie plurimi adfectu ſimiles fuere, etſi odium eorum non eo progrederetur, ut aperte nova molirentur. Ex horum numero facile aliquis Pontificatum Maximum invaſurus erat, ſi ab Imperatoribus fuiſſet repudiatus, eoque prætextu potentiam ſibi arrogaturus.

1 Vid. Figrel. de ſtatuis Illuſtr. Rom. cap. 27.

IV. Jure Pontificis Maximi titulum eoſdem Imperatores retinuiſſe inde patet, quod cum Imperio ad ipſos pervenerat, neque in ſe quicquam ſuperſtitioſi continebat. Neque enim recte e reſponſo Gratiani colligas, *participatum nominis Pontificalis a Chriſtiano alienum fuiſſe*, quod Pacidius fecit. Nam Gratianus de ſolo habitu id affirmavit; ἀθέμιτον εἶναι τῷ Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας: de ἐπιγραφῇ ſive titulo οὐδὲ γρύ. Præterea ſingularis Gratiani Zelus cæteris fraudi eſſe non debet, nec ſtatim illicitum pronunciari, quod ab ipſo tale eſt habitum. Etiam Conſtantinus, ut ſupra diximus, lauream geſtare, indecorum Chriſtiano exiſtimavit. Et tamen cum ſub Severo Imperatore miles quidam id facere abnuiſſet, a Chriſtianis ejus temporis culpatus eſt. De quo vide Baronium ad Annum Chriſti CCI. §. II. III. IV. XVI. & XVII. Fruſtra quoque pictura ſtolæ Pontificiæ a Pacidio objicitur. Ea enim nihil ad titulum, de quo in præſenti controverſia eſt. Et meræ ſunt conjecturæ, quæ ab eo adferuntur.

VI. Dixerat Baronius, ſaltem in Conſtantino Pontificis M. titulum magis ferendum eſſe, quod is Ethnicis Senatoribus Senatum repletum invenerit. Ad illud reſpondet inter alia Pacidius, non poſſe hoc credi ferrive in eo, *qui* ( ſunt ejus verba ) *ſi fides habenda ipſius vitæ Scriptori*, ( *Euſebius Cæſarienſis jam olim falſo creditur* ) *Epiſcopum ſeſe* τῶν ἔξω *palam profeſſus eſt: qui titulus opinor cum Pontificis Maximi titulo parum congruit*. In quibus duo notamus. I. abſque cauſſa ab eo negari, Euſebium auctorem Librorum IV. *de vita Conſtantini* eſſe: quod etiam in diſſertationibus ad Philoſtorgium pagina 273. ab eo factum eſt. Nam præterquam, quod in Manuſcriptis codicibus Euſebio id opus adſcribitur, etiam ſequentia, ejus genuinum fœtum eſſe oſtendunt. 1. Quod is haud dubie illius auctor eſt ad quem epiſtola Imperatoris, quæ libro tertio capite quinquageſimo nono legitur, ſcripta eſt. Nam diſerte *ad ſe* ( πρὸς ἡμᾶς ) ſcriptam auctor ait; idque modeſtia, qua in eo negocio recenſendo utitur, demonſtrat. Atqui ad Euſebium Cæſarienſem miſſam eſſe, cum ex ipſa epiſtola, & cæteris quæ eodem loco referuntur; tum ex Socrate I. 18. Theodoreto I. 22. ac Sozomeno II. 18. manifeſtum eſt. 2. Quod reliquis ejus libris ſtylo ſimilis eſt, niſi quod interdum ut in panegyrico altius ſe attollit; ut jam olim Photius Vir accurato in his talibus judicio, obſervavit. 3. Quod ſub Euſebii Cæſarienſis nomine a Socrate, Theodoreto & Sozomeno allegatur: qui non adeo longe ab ejus ævo abfuerunt. Obſervamus II. adeo non officere nobis Conſtantini dictum, ut etiam nos juvare videatur. Nam ἐπίσκοπος τῶν ἐκτὸς ( ſic enim apud Euſebium [1] legitur, ) non tam rerum quam hominum qui extra Eccleſiam ſunt Epiſcopum no-

1 de vita Conſt. 4. 24.

tare videtur. ὑμεῖς μὲν, inquit, εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσάμενος ἐπίσκοπος ἂν εἴη. Quæ ad dignitatem Pontificis Maximi olim Joannes Gutherius [1], nuper etiam Joannes Seldenus [2] retulit. Qui videri poteſt. Sane τὰ ἐκτὸς ſive ἔξω τῆς ἐκκλησίας vix unquam dicta A legimus, quæ ad externum cultum pertinent: at ſæpiſſime τοὺς ἔξω, qui ab Eccleſia alieni, hoc eſt, infideles eſſent, ipſo Apoſtolo [1] præeunte. Ut fruſtra de eo ſolliciti fuiſſe videantur Viri docti, quænam τὰ ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας eſſent.

1 de offic dom. Aug. 1, 31. 2 de Synedr. Ebr. 1. 10. p. 331.

1 1. Cor. 12. 6.

FINIS.




TAB.II.
1. Ex antiquo marmore.


TAB.I.


Ex antiquo marmore.


TAB.V.
Ex antiquo marmore.


TAB III
Ex antiquo marmore.
TAB IV

# MICHAEL ANGELUS CAUSEUS DE LA CHAUSSE DE INSIGNIBUS PONTIFICIS MAXIMI,

## *FLAMINIS DIALIS, AUGURIS, & INSTRUMENTO SACRIFICANTIUM.*

## TABULA I.



FLAMINES quasi Filamines a filo, quo caput revinciebant, dictos putat Varro libro quarto *de lingua Latina* capite decimoquinto. *Flamines, quod in Latio capite velati erant semper, ac caput habebant cinctum Filo, Flamines dicti.* Nudis enim capitibus incedere illis nefas erat, sed per æstatem galerum propter nimium calorem minime gestantes, caput filo cingebant: festis vero diebus filo deposito pileum sumebant pro sacerdotii eminentia, si fides Isidoro libro septimo *Orig.* capite secundo. Erat autem Flamen Sacerdotis nomen alicui Deo particulariter consecrati, cui sacra faciens ab eo nomen obtinebat, Dialis videlicet vocabatur, qui Jovis curabat sacra, ut & Martialis, & Quirinalis, qui Martis, & Quirini. Horum duos priores a Romulo institutos, ultimum vero a Numa scribit Plutarchus in Numa, cui assentitur Pomponius Lætus libro *de Sacerdot.* capite septimo, licet omnes a Numa creatos Livius afferat libro primo capite decimonono. Successu temporis ad xv. numerum aucti sunt singuli singulis Diis, Cæsaribusque consecratis attributi, quorum maximus Dialis habebatur teste Festo, solusque albo galero, insigni veste, curulique sella uti poterat. Fuit autem illa differentia inter Flamines, quæ nunc in Ecclesia Dei inter Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ut refert Gratianus Decretalium parte prima distinctione octuagesima ex auctoritate D. Clementis Romani Epist. prima ad Jacob. fratrem Domini, cujus Pontificis verba hæc sunt. *In illis vero Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel Patriarchas (* B. Petrus*) ordinavit, qui reliquorum Episcoporum judicia, & majora ( quoties necesse foret ) negotia in fide agitarent, &c. In illis autem Civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines ( quos tamen minores tenebant, quam memoratos Primates ) Archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen Primatum, sed & Archiepiscoporum fruerentur nomine, &c. In singulis vero reliquis Civitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures Episcopos constitui præcepit, qui non Primatum, aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum nomine ( quia matres civitatum non habent ) sed Episcoporum tantum vocabulo potirentur, quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed unus omnibus præfuit.*

2. Apex Pontificis Maximi ornamentum, & insigne sæpius occurrit in nummis Julii Cæsaris, Marci Antonii, & Augusti, ad indicandum eorum Pontificatum Maximum. Pontifices a Numa institutos scribit Livius libro primo capite vigesimo. Fuerunt abinitio quatuor; deinde quatuor alii ex plebe creati sunt M. Valerio, & Q. Apulejo Coss. Illis omnibus Pontifex Maximus præerat, cui sacra omnia publica, privataque subjecta erant, & quo defuncto alius a Pontificibus eligebatur. Appellatos fuisse Pontifices & a ponte, & a facio quidam putant, eo quod pons sublicius ab his primum factus, ac sæpius deinde restitutus fuerit: alii vero eosdem a posse & facere sic dictos asserunt.

# TABULA II.

1. LITUUS baculus incurvus ; & leniter a summo inflexus, quem Augures dextra tenebant : describitur ab A. Gellio lib. 5. cap. 8. *Lituus virga brevis in parte , qua robustior est , incurva*. Primus Litui usus Romulo Urbis conditori tribuitur; quem Cicero lib. 1. *de Div.* scribit eo regiones direxisse, cum Urbem conderet. Hunc in Capitolio servari solitum fuisse narrat Plutarchus in Vita Romuli, sed capta a Gallis Urbe perditum , mox ejectis illis inter altissimas favillas illæsum , cum ignis cætera consumpsisset , inventum fuisse . Lituus ad Augures pertinebat, qui teste Isidoro lib. 8. *Orig.* cap. 9. volatus avium, & voces intendebant, & sic augurium erat naturalis quædam avium præsensio pluvias , & tempestates , aliaque hominibus imminentia volatu, & garritu indicantium. De inaugurandi ritu hæc refert Pomponius Lætus *de Sacerd.* cap. 5. *Locus augurii templum erat : Augur versus Orientem sedebat, capite velato, lituum dextra tenens manu, id est, curvum baculum, quo in Cælo regiones dividit , & quæ auguria veniunt , prædicit ; si læva fuerint , quia a læva parte Septentrio est , felicia pronuntiat , pars illa Orbis propter altitudinem prospera putatur : & a dextera parte Meridies, quia depressus est, infelix.* Plura vide apud Livium lib. 1. cap. 18. & Fenestellam lib. *de Sacerd.* cap. 4. Hæc disciplina primum viguit apud Phryges, & Chaldæos; ab eis transiit ad Græcos, deinde ad Etruscos, ab Etruscis ad Romanos commigravit . Augures apud illos mox tres fuere , mox quatuor , mox novem, quinque videlicet plebeii, & quatuor patricii. Scribit D. Augustinus lib. 4. *de Civit.* Dei cap. 30. Ciceronem Augurem reprehendisse homines Corvi , & Corniculæ vocibus vitæ consilia moderantes ; quod ipsemet Cicero testatur lib. 2. *de Div.* auguria vanitatis , & ineptiæ condemnans . Audiamus etiam D. Cyprianum superstitionem auguriorum irridentem im opusc. *de Idolo. vanitate*. *Non ergo* ( inquit ) *de Religionibus sanctis, nec de auspiciis, aut auguriis Romana regna creverunt, sed acceptum tempus certo fine custodiunt . Cæterum & Regulus auspicia servavit, & captus est: & Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est : & pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæsus est : C. Cæsar, ne ante Brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis , & auspiciis renitentibus sprevit , & eo facilius navigavit , & vicit . Horum autem omnium ratio est illa, quæ fallit, & decipit, & præstigiis cæcantibus veritatem stultum, & prodigum vulgus inducit.*

2. 3. Simplum , quod & Simpuvium dicitur , Pontificum collegii symbolum erat : describitur a Festo *Vas parvum non dissimile cyatho , quo vinum in sacrificiis libabatur , unde & mulieres rebus divinis deditæ Simpulatrices dictæ* . Duas hujus calicis species exhibemus , unam ex antiquo marmore in æde Divi Laurentii extra muros desumptam , alteram in musæo Jo. Petri Bellorii asservatam .

---

# TABULA III.

PRÆFERICULUM vas erat in sacrificiis præferri solitum , in quo vinum , aliusve liquor includebatur. Hoc vas sæpe occurrit in nummis Imperatorum , Cæsarumque in eorum summi Pontificatus memoriam signatum . Festus ait præfericulum esse vas æneum sine ansa , quod Veteres in sacrificiis solebant præferre : at hæc descriptio minime concordat cum antiquis numismatibus , & toreumatibus , quæ ansatum illud repræsentant , ut videre est in hac imagine ex pulcherrimo zophoro ad radices Capitolii delineata.

# TABULA IV.

IN facris fere omnibus Veterum tres adhibebantur purgationes; nam vel flamma, vel fulphure purgabantur, vel aqua abluebantur. Ovidius lib. 7. *Metam.*

*Terque fenem flamma, ter aqua, ter fulphure purgat.*

Hæc aqua luftralis dicta in circumftantes ad expianda leviora crimina fpargebatur, ficut etiamnum mos eft apud Chriftianos, qui ad purgandas leviores animæ fordes aqua benedicta frequenter in facris utuntur. Illa ferebatur in vafculo huic fimili, quod extat in mufæo Jo. Petri Bellorii, & quale obfervatur in Tabula VII. Columnæ Trajanæ notis ejufdem illuftratæ pulcherrimum exhibente facrificium, ubi facrorum quidam Minifter vas aquæ luftralis dextra tenet.

---

# TABULA V.

1. SEQUITUR Afpergillum, five Afperforium ex equinæ caudæ pilis confectum, quo Sacerdotes aquam luftralem afpergebant. Ovidius lib. 3. *de Ponto.*

*Spargit aqua captos luftrali grata Sacerdos.*

Antiquitus vice Afperforii utebantur Veteres ramo lauri, vel oleæ, ut fcribit Virgilius de Ænea in funere Mifeni lib. 6. *Æneid.*

*Idem ter focios pura circum tulit unda*
*Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,*
*Luftravitque viros.*

2. Malleo Miniftri facrificiis infervientes victimam percutiebant. Ovidius lib. 2. *Metam.*

*Lactantis vituli dextra libratus ab aure*
*Tempora difcuffit claro cava malleus ictu.*

3. 4. Cultris minores hoftiæ mactabantur. Idem Ovidius lib. 15. *Metam.* de Victima.

*. . . . . Percuffaque fanguine cultros*

*Inficit.*

Victimarii cultros vagina inclufos lateri alligabant, iifque ad fecandas hoftias utebantur. Contenta in hac tabula defumpta funt ex arcu Septimii Severi, & Antonini Caracallæ prope S. Georgium *in Velabro*.

# TABULA VI.

ANIMALIA sacrificiis destinata securi percutiebantur. Horatius lib. 3. *Carm.* Od. 23.

*Aut crescit Albanis in herbis*
*Victima, Pontificum secures*
*Cervice tinget.*

Et Ovidius lib. 4. *Trist.* el. 2.

*Candidaque adducta collum percussa securi*
*Victima purpureo sanguine tingit humum.*

Securem hanc Baccho dicatam esse patet ex capite Tigridis huic Deo sacræ, siquidem primus ille animal ferocissimum domavit, curruique alligavit. Tibullus lib. 3. & 6. de Baccho.

*Armenias Tigres, & fulvas ille Leænas*
*Vicit & indomitis mollia corda dedit?*

Et Martialis lib. 8. ep. 25.

*Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,*
*Contentus gemina Tigride Bacchus erat.*

---

# TABULA VII.

1. HUNC gladium sacrificiis aptum Secespitam esse constat, tum quia similes observantur in diversis antiquis toreumatibus sacrificia exhibentibus, tum propter Antistii Labeonis descriptionem apud Festum Secespitam referentis fuisse *Cultrum oblongum, manubrio rotundo, eburneo, solido, vincto ad capulum auro, argentoque, fixum clavis æneis, ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, Pontificesque ad sacrificia utebantur.* Hæc omnia gladio nostro conveniunt, & si manubrium illi deest eburneum, quo ferreum tegebatur, patet illud fuisse rotundum, remanentque foramina clavorum, qui ebur connectebant.

2. Cochlear, quo thus ex acerra sumebatur.

3. Ligula, qua Aruspices animalium viscera explorabant.

---

# TABULA VIII.

SCRIBIT Festus acerram fuisse arculam thurariam, ubi thus reponebatur: hanc Camillus ferebat, ut videre liquet in plurimis antiquis marmoribus. De illa mentionem facit Martianus Capella lib. 2. *de Nupt. Acerra autem multo aromate gravidata, eademque candenti manus virginis oneratur.* (Et deinde) *Ac Vestæ Deum nutrici, eidemque pedissequæ acerra illa olacem aromatis refundente, omnis ille ordo Cœlicolum portiones sibi competentes attribuens, Arabicis lætabatur halatibus.* Acerræ meminit etiam Ovidius lib. 4. *Fastor.*

*Cumque meri patera thuris acerra fuit.*

TABU-


TAB. XIII
Ex antiquo marmore
TAB. X
TAB. XII
TAB. XI
TRIPOS ÆREVS
TRIPOS ÆREVS

# TABULA IX.

NULLA thuribuli neque in marmoribus, neque in nummis antiquis reperitur imago: constat tamen ex auctoritate Clementis Alexandrini thuribulum Aaronicum explicantis lib. 5. *Stromat.* fol. 562. Thuribula in Templo Domini posita fuisse. *Ἀνὰ μέσον δὲ τοῦ καλύμματος καὶ τοῦ περιπετάσματος, ἔνθα τοῖς ἱερεῦσιν ἐξῆν εἰσιέναι, θυμιατήριόν τι ἔκειτο, σύμβολον τῆς ἐν μέσῳ τῷ κόσμῳ τῷδε κειμένης γῆς. ἐξ ἧς αἱ ἀναθυμιάσεις. In medio autem operimenti, & veli, quo licebat ingredi Sacerdotibus, erat situm thuribulum, symbolum terræ, quæ est sita in hoc mundo medio, ex qua oriuntur exhalationes.* De thuribulis, quæ posuit Salomon in domo Dei, mentio reperitur in sacro textu lib. 2. *Paralipom.* cap. 4. In sacrificiis quoque illa adhibita fuisse canit Ausonius in *Technopag.*

*Thuribula, & pateræ, quæ tertia vasa Deum? lanx.*

---

# TABULÆ X. XI. XII.

TRIPODUM nomine intelliguntur omnia illa instrumenta, quæ tribus insistunt pedibus; proprie tamen Tripodes erant mensæ in Templo Apollinis Delphici, quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur; hinc Apollini Tripodes cum Serpentibus dicati, de quibus Herodotus in *Calliop.* *Συμφορήσαντες δὲ τὰ χρήματα, καὶ δεκάτην ἐξελόντες τῷ ἐν Δελφοῖσι θεῷ, ἀφ' ἧς ὁ τρίπους ὁ χρύσεος ἀνετέθη, ὁ ἐπὶ τοῦ τρικαρήνου ὄφιος τοῦ χαλκέου ἐπεστεὼς ἄγχιστα τοῦ βωμοῦ. Collata autem pecunia decimam selegerunt, ex qua tunc Deo, qui Delphis est, Tripos aureus ibi repositus est, insistens super tricipiti ex ære Colubro proxime aram.* Tripodem cum intorto Serpente describit Pausanias in *Phoc.* plane, ut hic (10.) exhibetur ex antiquo toreumate delineatus. *Ἐν κοινῷ δὲ ἔθεσαν ἀπὸ ἔργου τοῦ Πλαταιᾶσιν οἱ Ἕλληνες χρυσοῦν τρίποδα δράκοντι ἐπικείμενον χαλκῷ. Commune fuit Græcorum de Platæensi prælio donum, aureus Tripos sustinente æneo Dracone.* Quidam Tripodes domi tenebantur, super quos vel accenso igne, vel fructibus, floribusque impositis sacra Laribus peragebantur, qualis est iste *(11)* apud Joannem Petrum Bellorium. Juvenalis Sat. 12.

*. . . . . Laribusque paternis*
*Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.*

In museo Eminentiss. Cardinalis Chisii asservatur Tripos *(12)* flexilis, & plicatilis, in cujus summitate sculpta sunt tria capita Bacchantium uvis coronatarum, Baccho procul dubio consecratus; Tripodem enim Libero patri dicatum scribit Athenæus lib. 2. *Deipnosoph.* *Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσου τρίπους. καὶ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. In Bacchi certaminibus Victoris præmium est Tripos; nam qui vera fantur, e Tripode loqui dicimus.* Duo Tripodum genera recenset, quæ ambo Veteres *λέβητας* nominarunt; unum, quod *ἐμπυριβήτης ὁ καὶ λοετρόχος* dicebatur, quo ad aquam calefaciendam utebantur; alterum, quod vocabatur *κρατὴρ ἄπυρος*, in quo vinum miscebatur: at in vino inesse veritatem nemo est, qui ambigat, & sic Apollini, & Baccho consecrati fuere Tripodes, illi ob oraculorum suorum certitudinem, huic vero quia non mentiuntur ebrii. *Καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τῆς ἀληθείας οἰκεῖος τρίπους. διὸ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν. Διονύσου δὲ διὰ τὴν ἐν μέθῃ.* Auctor est Athenæus loco citato.

# TABULA XIII.

CANDELABRIS utebantur Veteres, cum rem divinam faciebant: in illis figebantur candelæ, & funiculi ardentes, vel etiam lucernæ oleariæ ponebantur minus tamen ad lumen exhibendum, quam ad sacrificii decus, & majestatem. De candelis mentionem facit Martialis lib. 14. ep. 41. illas lucernis vetustiores declarans.

*Nomina candelæ nobis antiqua dederunt:*
*Non norat parcos uncta lucerna patres.*

De lucernis vero sacra pagina libr. 2. *Paralipom.* cap. 4. versic. 20. describens ea omnia, quæ posuit Salomon in domo Dei. *Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro purissimo.* Hoc pulcherrimum candelabrum delineari curavimus in æde D. Laurentii extra muros.

---

# TABULA XIV.

DISCUS erat species quædam lancis, in quo victimarum exta ponebantur. De illo hæc scribit Isidorus lib. 20. *Orig.* cap. 4. *Discus antea iscus vocabatur a specie scuti; unde & scutella per diminutionem, est enim ejusdem similis; postea discus vocatus est, quod det escas, id est, apponat.*


---


# TABULA XV.

SISTRUM instrumentum Ægyptiacum, quo Sacerdotes in sacris Isidis utebantur ἀπὸ τοῦ σείειν, id est, *a quatiendo*, dictum: est autem formæ ovalis, & manubriatum cum tribus, vel quatuor virgulis transversalibus; describitur ab Apulejo lib. 11. *Metam. Æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos jactus reddebant argutum sonum.* Sistrum in sacrificiis concutiebatur ad indicandum omnia naturalia nunquam motu vacare: rotunditas, quæ illud cingit, convenit cœlo Lunæ, per quod omnia moventur, & mutantur ratione quatuor elementorum, quæ per quatuor Sistri virgas denotantur: quaternarius enim numerus pertinere videtur ad corpus constans ex quatuor elementis, & quatuor qualitatibus, sicca, humida, calida, & frigida: ternarius vero ad triplicem animæ vim, de quo infra. In Sistri vertice visitur animal quoddam aliquando facie humana præditum, quod Felem esse docet Plutarchus in lib. *de Is. & Os.* Τῇ δὲ ἀψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου ἔχοντα (Et mox) τῷ δὲ αἰλούρῳ τὴν σελήνην, διὰ τὸ ποικίλον, καὶ νυκτουργὸν καὶ γόνιμον τοῦ θηρίου. *Curvamini Sistri autem in vertice insigunt Felem humana facie, &c. Fele Lunam repræsentante ob animalis istius varietatem, ac vim noctu agendi, & fœcunditatem.* Felis Lunæ filius fabulose dicitur; quod Lunæ sequatur naturam: subjungit enim Plutarchus Felis oculorum pupillas dilatari, & attenuari secundum Lunæ cursum; humana autem Felis facie innui Lunæ mutationes mente, ac ratione gubernari. Illa in hoc sistro humana facie minime prædita est, at solitum, & sibi convenientem vultum præfert. Hoc animal apud Ægyptios divinis pene afficiebatur honoribus, nam quibuscumque in domibus Felis mortem oppetierat, cuncti earum domorum habitatores supercilia eradebant: si vero quisquam Felem vel sponte, vel invite necasset, morte puniebatur; ut ex Herodoto *in Euterp.* & Eusebio lib. 2. *Præp. Eu.* cap. 1. colligitur. In lateribus Sistri sculptus est flos loti, & nux pinea, quæ symbola Isidi, sive Deum Matri Sacra sunt. De loto alibi diximus, de pino meminit Ovidius lib. 6. *Metamorph.*


*Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus*
*Grata Deum Matri: siquidem Cybelejus Atys*
*Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.*

Sistrum apud Ægyptios vicem tubæ in bello exhibebat, & apud Amazonas fœminarum exercitus hoc instrumento ad bellum vocabatur. Auctor est Isidorus lib. 3. *Orig.* cap. 21.


TAB. XIV.
Ex Antiquo marmore


TAB. XVII.


TAB. XV.


TAB. XVI.
Apud Ill.mum D. Leonem Strozzium

# TABULA XVI.

ASSERVATUR aliud Siſtrum in muſeo Jo. Petri Bellorii quatuor etiam habens virgulas tranſverſales, cum Fele fœtibus lactantibus decumbente in ejus ſummitate inſculpta, quæ Lunæ globum gerit in vertice connexionem hujus animalis cum Luna indicantem, juxta prædictam Plutarchi deſcriptionem. In utroque Siſtri latere Iſidis mitra inſpicitur.

---

# TABULA XVII.

SEQUENS Siſtrum ab aliis duobus differt, quod Felis in ejus ſummitate ſculpta humano vultu prædita ſit, quodque tres tantum virgulas habeat tranſverſales, quæ triplicem Iſidis poteſtatem innuunt: eadem enim eſt Luna in cœlo, Diana in terris, & Hecate apud inferos. Auſonius in ter. num. gry.

*Tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ.*

Sic etiam Prudentius lib. 1. *contra Symm.*

*Denique cum Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu:*
*Cum ſuccincta jacit calamos, Latonia virgo eſt:*
*Cum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia conjux,*
*Imperitat furiis, & dictat jura Megeræ.*

Triplex eſt etiam aſpectus Lunæ, videlicet cum ſurgit in cornua, & falcata dicitur: cum dimidiata eſt: & cum orbem complet. Ternarius hic virgularum numerus poteſt etiam referri ad triplicem motum Lunæ, quæ tribus viis movetur in cœlo, in altitudinem, latitudinem, & longitudinem; Ternarii numeri laudes vide apud Macrobium lib. 1. *in Somn. Scip.* quem ut & quaternarium, ex quibus conſtat ſeptenarius, inter arcana venerabant Pythagorici. *Ternarius* (inquit) *aſſignat animam tribus ſuis partibus abſolutam; quarum prima eſt ratio, quam* λογιςικὸν *appellant: ſecunda animoſitas, quam* θυμικὸν *vocant: tertia cupiditas, quæ* ἐπιθυμητικὸν *nuncupatur.* Triplex enim aſſignatur vis animæ, quæ eſt rationalis, iraſcibilis, & concupiſcibilis. Humanam vitam triplicem eſſe ſcribit Jamblichus ſect. 5. *de Myſt.* cap. 18. intellectualem, naturalem, & mediam inter utramque. Divinas quoque eſſentias, & potentias triplices eſſe docet; vel enim illæ imperant animæ, & naturæ; vel ab anima, & natura prorſus abſtrahuntur; vel medio ſe modo habent. Ternario numero in rebus divinis priſci utebantur, quemcumque enim ſuperum hoc numero delectari credebant. Tibullus lib. 1. & 2.

*Hæc mihi compoſuit cantus, quis fallere poſſes:*
*Ter cane, ter dictis deſpue carminibus.*

Etenim numerus iſte in religionibus, rebuſque omnibus potentiſſimus habebatur; & maxime in ſanandis morbis, ſi fides Plinio lib. 26. cap. 9. Vir eruditiſſimus Jo. Petrus Bellorius ait in expoſitione Symbolici Deæ Syriæ ſimulacri Siſtrum tribus tantum virgulis confectum innuere ſententiam illorum, qui ignem inter elementa non admittebant, ſed ad generationem rerum naturalium ſuppleri calore Solis autumabant. Diverſas priſcorum opiniones circa numerum elementorum recenſet Plutarchus; quidam enim terram inter prima & præcipua mundi elementa non admittebant, putantes illam neque immobilem eſſe, neque mediam tenere globi regionem; ſed eſſe in gyrum circum ignem ſuſpenſam, quam ſententiam refert ille *in Numa*. Scribit vero in opuſculo *de Iſ. & Oſir.* alios affirmare terram, aerem & ignem fuiſſe tria prima corpora ab aqua rerum omnium principio effecta. Η γὰρ ὑγρὰ φύσις, ἀρχὴ καὶ γένεσις ὖσα πάντων ἐξ ἀρχῆς, τὰ πρῶτα τρία σώματα, γῆν, ἀέρα, καὶ πῦρ ἐποίησε. *Humida enim natura, cum ab initio principium, & ortus omnium eſſet rerum, tria prima effecit corpora, terram, aerem & ignem.* Pulcherrimum hoc ſiſtrum æreum viridi obductum ærugine in gazophylacio Excellentiſſ. Burgheſii cuſtoditur. Magnificæ, & ſumptuoſæ hujus Principis ædes nobiliſſimum ejus animum arguunt: patent illæ quotidie a curioſis exteris inviſendæ; urbanæ quidem picturis, ſtatuis, aliiſque pretioſiſſimis ſupellectilibus exornatæ; rurales vero prope, & extra Urbis mœnia ſitæ ſtatuis pariter, & picturis, plurimiſque rebus mirabiles naturæ, & artis varietates exhibentibus inſtructæ. Illic horti amœniſſimi, virentibus ſemper arboribus conſiti, limpidiſque irrigati fontibus, publicæ voluptati comparati ſunt, in quorum medio

vere condigna Floræ habitatio extructa est, superbusque huic Deæ erectus triumphalis arcus. Singula inibi singulis diebus rident: omnia omnibus nobile præbent oblectamentum. Mille, & amplius vasa novis semper floribus referta varias anni tempestates distinguunt: Iris, Hyacinthus, Narcissus, Anemone, Ranunculus, Tulipanus, Leucojon, Jasminum tum Hispanicum, tum Alexandrinum, aliique flores sibi invicem succedentes jucundis varietatibus, suavibusque odoribus visum, & odoratum perpetuo recreant, ac reficiunt.

---

# TABULA XVIII.

PATERAS sic dictas scribit Isidorus lib. 20. *Orig.* cap. 5. quod patentes sint, dispansisque labris: erant autem vasa sacrificiis destinata, quibus Sacerdotes vinum inter cornua victimarum spargebant, ut canit Virgilius de Dione lib. 4. *Æneid.*

*Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido*
*Candentis vaccæ media inter cornua fudit.*

Dianæ dicatam fuisse hanc pateram Canis, & Nympharum, sive Oreadum capita facile denotant; siquidem istæ Dianam comitabantur; ille vero eidem sacer erat, utpote ad venationem idoneus. Montium custodem, nemorumque virginem vocat illam Horatius lib. 3. *Car.* od. 22. & sæpe a Poetis Venatrix, & Jaculatrix dicta est. Sic etiam Ovidius Dianam feras insectantem describit lib. 3. *Amor.* el. 2.

*Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ,*
*Cum sequitur fortes fortior ipsa feras.*

Scribit Xenophon lib. *de Venat.* Canes, & Venationes inventum Deorum Apollinis, & Dianæ. Τὸ μὲν εὕρημα Θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος ἄγραι καὶ κύνες. Tria capita triformem Dianam forsan innuunt. Virgil. lib. 4. *Aeneid.*

*Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

Canes autem immolabantur Hecatæ, quod Canis latrans lemures in fugam convertat.

---

# TABULA XIX.

EUMDEM esse Solem, atque Mercurium docet Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 19. Sic Ægyptii pinnata fingebant Solis simulacra, quibus color apud eos geminus erat; alter clarus, cum Sol superiorem Zodiaci partem, sive æstivam ambit; alter cæruleus, cum in parte inferiori signa hyemalia percurrit. Hoc simulacrum dextra lotum, sinistra lyram gestat. Loti flos denotat virtutem Solis moventem ad generationem, ejusque motum sequitur ab ortu ad occasum, ut legitur apud Proclum lib. *de Sacrif. & Magia. Lotus implicat quidem in se folia ante Solis exortum, oriente vero Sole explicat paulatim, & quatenus Sol ad mediam cœli ascendit plagam, eatenus pandit folia: quatenus vero a medio petit occasum, gradatim folia contrahit: videtur hæc non minus dilatatione, contractioneque foliorum honorare Solem, quam homines genarum gestu, motuque labiorum.* Lyra Apollinis chordarum septem tot cœlestium sphærarum motus innuit.

PATERAS ÆREAS
















# TABULA XX.

EXHIBETUR in hac patera Mercurius differens cum Paride pileo Phrygio insigni forte de sententia inter Deas ferenda. *Pingitur cum petaso gnatus Majæ*, inquit Arnobius lib. 6. *adv. Gent. tamquam vias aggredi præparet, & Solem, pulveremque declinet*. Pinnata talaria gestat pedibus, sive *quod negotiantium pedes ubique pergendo, quasi pinnati sint*, ut scribit Fulgentius lib. 1. *Mythol.* sive quod ipse omnium planetarum sit velocissimus, septima enim die suos permeat circulos. Alæ conveniunt etiam Mercurio uti eloquentiæ præsidi, quia sermone nihil est velocius: unde Homerus lib. 1. *Odyss.* vers. 122. verba vocat alata.

---

# TABULA XXI.

SEQUITUR raptus Helenæ in alia patera expressus. Adsunt Trojani cum pileis Phrygiis rapturam, seu jam raptam Principem comitantes. Fertur Paridem in insula Cranæ primum habuisse cum Helena congressum, ædemque in continentis terræ adverso littore Veneri Migonitidi, sive conjugali faciendam curavisse: at octavo ferme post Trojam eversam anno Menelaus proxime ad Migonitidis simulacrum Thetidis, & Praxidicæ quasi vindicatricis signa dicavit. Injuriam tamen sibi illatam ulcisci non valuit, siquidem ipsi superstes fuit Helena, quæ deinde a Nicostrato, & Megapenthe pulsa ad Polyxonem Argivam Tlepolemi uxorem cognatam suam Rhodum venit, cujus ordine ad arborem suspensa laqueo vitam finiit. Auctor est Pausanias *in Lacon.* Hæc patera in museo nostro asservata non minime est momenti ob pulcherrimam æruginem, qua obducta est, ad Smaragdi viriditatem, & nitorem proxime accedentem.

---

# TABULA XXII.

REPRÆSENTANTUR in hac patera Lares publici sedentes, clypeis innixi, hastas tenentes. Hostes ab illis putabantur arceri, ideoque cum hasta pingebantur. De illis mentionem facit Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiq. Rom.* his verbis. Νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς ὀ πρόσω, &c. Ἐν δὲ τούτῳ κεῖνται τῶν Τροϊκῶν Θεῶν εἰκόνες ἅπασιν ὁρᾷν, ΔΕΝΑΣ ἐπιγραφὴν ἔχουσαι, δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας. δοκεῖ γάρ μοι τοῦ Π μήπω γράμματος εὑρημένου τῷ δέλτα δηλοῦν τὴν ἐκείνου δύναμιν τοὺς παλαιούς. εἰσὶ δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι δόρατα διειληφότες, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. *Templum Romæ non procul a foro ostenditur, &c. In eo positæ sunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione, DENAS, quæ Penates significat: videntur enim mihi prisci ante inventum P. usurpasse pro eo D. litteram; sunt autem hastati duo juvenes habitu sedentium admodum antiqui operis*. Varias Scriptorum de Penatibus opiniones refert Macrobius lib. 3. *Saturn.* cap. 4. & maxime Virgilii, qui magnos Deos Penatum comites scribit lib. 3. *Aeneid.*

*Cum sociis, gnatoque, Penatibus, & magnis Dis.*

Inter quos Junonem, & Bacchum recenset lib. 1.

*Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.*

Unde hæc imaguncula vice manubrii pateræ apposita intelligi potest de Baccho gestante coronam in capite sive ex hedera, sive ex rosis, aliisve floribus, aut herbis contextam, quibus solebant Veteres in epulis comas circumdare: vestis autem ex humeris talorum tenus dependens forte illa est, quæ Bassarida vocabatur a Bassara Lydiæ oppido, & quam Bacchus aliquando gerebat.

# TABULA XXIII.

EXHIBETUR in hac patera Deorum maximus sedens inter duas mulieres quarum una obstetricis vices gerens Minervam, sive Palladem ex Jovis vertice armatam prosilientem ambabus sublevat manibus; altera parturienti Deo videtur opem ferre eum in partu amplexum sustinens: adstat Vulcanus cum securi, vel dolabra, qui Jovi cervicem fregit, ut facilius puerperium prodiret. Minerva hic nascens repræsentatur plane, ut ab Ovidio describitur lib. 3. *Fastorum.*

*Parva licet videas capitæ delubra Minervæ,*
*Quæ Dea natali cepit habere suo.*
*Nominis in dubio caussa est: capitale vocamus*
*Ingenium solers, ingeniosa Dea est.*
*An quia de capitis fertur sine matre paterni*
*Vertice cum clypeo prosiluisse suo.*


Minerva de Jovis vertice nata fingitur, quia ingenium in cerebro positum est, ut docet Fulgentius lib. 2. *Mythol.* Ingenium autem, sive sapientia in capite hominis dicitur esse, hoc est, sensus sapientis, qui invenit omnia juxta Isidori explicationem lib. 19. *Orig.* cap. 20. unde hæc Dea præesse creditur artibus, quia nihil excellentius est ingenio, quo reguntur universa. Scribit Phornutus Minervam esse Jovis intellectum, sive illius providentiam, ideoque in honorem Minervæ templa providentiæ posita fuere; & quia Veteres in cerebro totius animæ regimen, & prudentiam esse voluerunt, forte quia suprema corporis humani pars caput est, sicut summa mundi pars æther, ea de causa Minervam ex cerebro Jovis prognatam, ingeniisque præesse dixerunt. Sed quare Jupiter sedens superne nudus, inferne tectus fingatur, declarant Porphyrius apud Eusebium lib. 3. *Præp. Ev.* cap. 3. & Georgius Codinus *de Orig. Constant.* Sedet ille, ut immotam potestatis suæ constantiam, stabilitatemque significet; partes corporis superiores nudas habet, quod ipse intelligentibus, ac cœlestibus mundi partibus se conspicuum exhibeat: inferiores vero tectas, quod Deus humi repentibus sit ignotus, & in infimis rebus, penitusque reconditis absconditus delitescat: sceptrum læva tenet potestatis indicium, vel etiam quod in eo latere cor cæterarum humani corporis partium facile princeps, vimque intelligendi maximam complexum intestinum velut in proprio domicilio conquiescat: adest Aquila, qua indicatur eum spiritibus aereis imperare, ut Aquila volucribus.

---

# TABULA XXIV.

QUATUOR Circi factiones in hac patera distinguuntur. In circo Quadrigæ agitabantur, indutique erant Quadrigarii tunica vel alba, vel viridi, vel rufa, vel cærulea, his coloribus quatuor anni tempora, seu potius quatuor elementa indicantes, quæ per quatuor numina in hac patera expressa Minervam, Martem, Venerem, & Herculem optime designantur. Minervam creditam fuisse aerem testantur Divus Augustinus lib. 7. *de Civit. Dei* cap. 16. Macrobius lib. 3. *Saturn.* cap. 20. & Diodorus lib. 1. cap. 2. Sphæra Martis ex auctoritate ejusdem Macrobii lib. 1. in *Somn. Scip.* cap. 11. ignis habetur; est enim sydus ardens, & violentum, quod, teste Firmico lib. 3. in septimo ab horoscopo loco, id est, in occasu partialiter constitutum maxima mala, & pericula decernit, facitque homines homicidas, & facinorosos. Venus ex spuma maris genita, & a Poetis marina sæpius dicta, mare, sive aquam designat. Terra denique ex Herculis clava, pelleque leonina innuitur, siquidem clava plantas denotat, Leo animalia, quæ duo maxime terra gignit, & nutrit: Leo etiam magnæ Deum matri sacer erat, quæ tellus etiam vocabatur. Hæc patera Hetrusca, & fictilis est, quemadmodum primis nascentis Romæ temporibus uti solitum erat. De simpulis, vasibus, Deorumque simulacris fictilibus plura referunt Seneca Epist. 31. Plinius lib. 34. cap. 7. & Juvenalis Sat. 6. qui de illis mentionem facit his versibus:

*Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis*
*Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,*
*Et Vaticano fragiles de monte patellas*
*Ausus erat?*


PATERA
TAB XXIII
TAB XXIV
TAB XXV

Sed quantum crevit Romanorum luxus; non fictilibus deinde, sed murinis, cryftallinifve prolibatum eft fimpulis. Deorum fimulacra, templorumque faftigia non amplius ex ligno; at ex auro, aliifque pretiofis metallis, fanctiora minus certe, & innocentiora, fed maximis fumptibus elaborata. *Aurum, & argentum ne Dis quidem antiquitus conficiebant*. Ait Plinius lib. 35. cap. 12. *Cogita Deos*, fcribit Seneca Ep. 31. *cum propitii effent*, *fictiles fuiffe*. De beata illa primorum temporum fimplicitate meminit etiam Tibullus lib. 1. el. 9.

*Tum melius tenuere fidem, cum paupere cultu*
*Stabat in exigua ligneus æde Deus:*
*Hic placatus erat, feu quis libaverat uvam,*
*Seu dederat fanctæ fpicea ferta comæ;*
*Atque aliquis voti compos liba ipfe ferebat,*
*Poftque comes purum filia parva favum.*

Unde aureum fæculum minus ex hominum innocentia, & puritate, quam ex ufus metalli hujufmodi privatione dictum facile crederem cum Juvenale, qui tunc aurum fictilium Deorum fimplicitatem nondum violaffe fcribit Sat. 11.

*Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.*

---

# TABULA XXV.

AUGURES, tefte Pompejo, quinque fignorum genera obfervabant, ex cœlo nempe, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, & ex diris. Tripudium ad pullorum augurium pertinebat, folebant enim Romani pullos cavea inclufos ferre in bellis, ex quibus obfervabant rerum eventa. Si pafcebantur avide, bonum omen erat: fi tam avide, ut aliqua offæ particula ore excidens terram paviret, optimum, & hoc in libris auguralibus fcribebatur tripudium foliftimum: fi vero pulli non pafcebantur, trifte, & infauftum reputabatur, pejus fi e cavea fugiffent. Scribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 4. P. Claudium bello Punico primo prælium navale committere volentem, aufpiciifque more majorum petitis, cum Pullarius non exire cavea pullos nuntiaffet, abjici eos in mare juffiffe dicentem, quia effe nolunt, bibant. Cicero etfi Augurum collegio adfcriptus auguria vanitatis, & ineptiæ condemnavit lib. 2. *de Divinit*. ut & D. Cyprianus, qui auguriorum fuperftitionem irridet in opufc. *de Idolorum vanit. Non de religionibus fanctis* (inquit) *nec de aufpiciis, aut auguriis Romana regna creverunt, &c. Pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæfus eft.*

# AUGUSTINI NIPHI,
## MEDICES PHILOSOPHI SUESSANI,
# LIBRORUM DE AUGURIIS,
## AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM,
## GUIDONEM RANGONIUM,
## MAGNANIMUM COMITEM,
## PRÆFATIO.



QUANTA *apud priſcos homines inoleverit vanitas, Magnanime Guido, ex iis, quæ de auguriis, deque augurandi artibus tradiderunt, non eſt obſcurum intelligere. Cilicum & Piſidarum gens, hiſque finitima Pamphilia, volatibus avium, cantibuſque declarari res futuras crediderunt. Democritus, Chryſippus, Diogenes Babylonius, Antipater, Poſſidonius rem probarunt. Romulus Augur optimus Urbem auſpicato condidit. Priſci Reges, Romanique ipſi tantam fidem auguriis præſtabant, ut ſine auſpiciis nullas res prorſus gererent, dicerentque & templa auguſta, eademque ab origine auguria, quod a Jove manu ſua aucta fuerint atque data. Tiberius Gracchus augurum & aruſpicum diſciplinam cæteris divinationibus antepoſuit, quæ in Telmeſſo Cariæ urbe claruit. Phryges quoque & Arabes avium ſignificationibus obtemperabant, quod etiam effecerunt Umbri. Plinius inſuper in hiſtoriæ naturalis libris, non modo his fidem præſtat, verum etiam multis exemplis probat. Livius etiam ubique auguria magnifecit, & ubi opus erat, annotavit. Heſiodus in narratione obſeſſionis Nim aquilam augurii præſidem bibentem facit. Ariſtot. omnium Philoſophorum magiſter, non ſolum auguriis fidem adbibet, ſed ex animalibus multa colligi monet. Unde libris de animalium hiſtoria inquit, l. 6. c. 2. gallina etiam diſciſſa, talia ſub ſepto, quo loco fœminis ova adhærent, reperta ſunt, colore luteo tota magnitudine ovi perfecti, quod pro oſtento augures capiunt. Præterea cum de lacte & coloſtro loqueretur, ſed hæc oſtentis, inquit, annumeranda potius ducunt, nam & Lemnio illi pecoris domino conſulenti, Deus amplius incrementum peculii futurum reſpondet, l. 3. c. 20. & cum de ſternutamento loqueretur, l. 1. c. 11. ſignum eſt, inquit, augurale, & unum ex ſpirituum omnium generibus ſanctum & ſacrum, per quæ non modo fidem auguriis tribuere, verum etiam probare videtur. Celeberrimi vero augures, qui & fidem auſpiciis præſtiterunt, & auguria obſervarunt, plurimi fuerunt, inter quos Dejotarus Siciliæ Rex, qui (ut Cicero inquit) nihil unquam niſi auſpicato geſſit. Tiſameus, Antiochi filius, adeo auguriorum facultatem percalluit, ut apud Delphos oracula redderet. Leucadius celeberrimus aruſpex, qui Hyppomachus nomine dicebatur, auguria apud Græcos obſervavit. Vectius in augurandi diſciplina nobiliſſimus fuit, hic enim, ut ſcribit Varro in libris antiquitatum, affirmavit futurum Romani Imperii terminum poſt 1200. annos. Theocritus augur fuit præſtantiſſimus, qui authoritate augurandi omnibus ſui temporis auguribus anteibat. Umbritius tantam auguriis fidem tribuit, ut ipſa eſſe Deorum verba aſſereret. Tyburnus, Amphiarai filius, adeo auguriis adhæſit, ut Tyburtes non alio nomine, quam a Tyburno dici voluerint. Amphiaraus, Oiclei filius, augur fuit Græcus, quem cum Adraſtus Rex in bellum contra Thebas vellet ducere, recuſavit, & ne cogeretur, ſeſe occulit, quod prævideret ibidem ſe periturum.*

rum.

*rum Tiresias, Thebanorum Rex, non modo auguriis fidem præstitit, verum etiam auguristicæ artis inventorem fuisse memoriæ proditum est. Tages vero primus omnium auspicii disciplinam dedit. Hi sunt homines, qui vanitatibus auguriorum adhæserunt. Ne igitur hujusmodi prisci homines prophanis dent errandi occasionem, de auguriis duos libros struendos esse putavimus. Primum, in quo vanitates omnes, quas tradiderunt enarrabimus. Secundum autem, in quo & opiniones, & causas, quibus hujusmodi vanitatibus fidem tribuerunt, reprobabimus, exponemusque, & quibus auguriis fides sit præstanda, & usque quo augurandum sit. Verum cum aliquid publicatum, primario cuidam viro dicatum, non parum authoritatis capiat: Ad te, Gnido Illustris, qui studiosorum virorum fautor præcipuus, atque tuorum parium similiumque jubar es splendidissimum, librum hunc scribimus, ut intelligas, quibus auguriis fides sit præstanda, quibus autem non, insuper quid de eis Philosophi, quidve sanctissimi viri senserint. Virtus enim tua declaravit non modo grato animo labores nostros, verum etiam summo desiderio te esse suscepturum. Accipe igitur libellum, quem si a te commendatum sensero, ad majora munera accingar. Vale.*

# DE AUGURIIS LIB. I.

## CAP. I.

*Quid per nomen Augurii sit intelligendum, & quo ordine procedendum.*



NTEQUAM ad rem, quæ nobis augurium fert, deveniamus, quid per augurium intellexerint prisci, ac quo modo nos in disputationem accipiamus, exponendum videtur. Est igitur *Augurium* divinatio quædam, quæ ex avibus ipsis colligitur. *Divinatio* autem, ut Aristot. inquit libro *de somniis*, bifariam dicitur: aut naturalis, aut artificiaria. Naturalis quidem divinatio est ipsa avis, quæ volatu, aut vocibus, aut gustatu ex insperato nobis suapte natura aliquid boni, aut mali futuri prædicit, & de hac naturali divinatione Virgilius loquitur, cum inquit,

*Quod, nisi me quacunque novas incidere lites,*
*Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix:*
*Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas,*

Artificiaria vero, est interpretatio auguris, qua naturalem divinationem in suam significationem interpretatur, unde Cicero *de Legibus*, sacerdotum genera duo esse dicit, unum, quod præsit ceremoniis & sacris, alterum, quod interpretatur fatidicorum & vatum effata incognitaque. Divinationis autem erant tria in avibus. Nam aliæ volatu, aliæ cantu aliæ gustatu futura prædicebant. Infelicem enim conflictum in Numantinis, in Mancinum illatum prædixerunt pulli, qui escam non acceperunt, sed ex cavea evolaverunt. *Auspicium* vero differt ab augurio, quandoquidem augurium sit proprie avium garritu, ac voce duntaxat, auspicium autem ab avium volatu. Nonius vero Marcellus docet, *Auspicium* esse avium inspectionem. *Augurium* vero rerum omnium conjecturam. *Aruspicium* ex victimis in ara inspiciendis fiebat. *Extispices* vero dicebantur ab inspiciendis extis. *Omen* est intentio auspicantis, qua auspicans ipse aliquid, quod sibi occurrit, ut augurium accipit, diciturque bonum & malum omen, ut apud Livium non semel legitur, cum procis necem machinaretur Ulysses, precatus est Jovem, ut duplex illi signum daret, quo id, quod animo conceperat, perfectum iri certo sci-

A ret, cui illico intonuit Jupiter, & puellam in ædibus pistrino adductam Deos rogantem sensit ut non diutius eo die in Ulyssis domo comederent proci, quod Ulysses pro omine accepit: nec defuit rei eventus, siquidem eo die ab Ulysse & Telemacho, ad unum cæsi sunt. *Præsagium* autem communius est. Omne enim animal, quod præsagit, quod oblata res est, dicitur præsagire, hoc est, futura ante sentire. *Vaticinium* ipsa divinatio est, quæ (ut diximus) aut naturalis, aut artificiaria est. *Ostentum*, quod statim futuri quicquam ostendat, ut cometæ, tonitrua, monstrum, & id genus. *Portentum*, quod licet naturale sit, raro tamen se ostendit, quin futuri aliquid cum temporis intervallo de-
B nunciat. *Prodigium* dicitur, quod & natura fiat, & sæpe eveniat, semper tamen mali quicquam præsagit, ut apud Homerum *Odyss.* 21. nam ubi Ulysses nullo negotio arcum præter omnium procorum opinionem intendisset, quo eos confecturus erat, Juppiter maximo fragore intonuit, quod prodigium Ulyssis conatus adversum procos non irritos fore (ut postea eventus docuit) portendebat: præterea Græcis certantibus Juppiter totam noctem tonans, calamitatis prodigium dedit, ut apud Homerum *Iliad.* 11. cum utraque acies, Græcorum, & Troja-
C norum in procinctu staret, Juppiter prævidens magnam Græcorum cladem, sanguinem pluit, Homerus *Iliad.* 11. verum placet nobis Augurii nomine uti pro his omnibus, & pro quibuscunque aliis, quæ Veteres in futuri significationem retulerunt, ideo de his percurrentes dicimus, de auguriis, primo quæ ex sternutamentis prisci acceperunt, deinde de auguriis, quæ ex tremoribus cujusque particulæ nostri corporis sumpta sunt, demum de auguriis, quæ ex aliis quibuscunque accepta in futuri significationem retulerunt. Nam vulgares in his omnibus esse crediderunt auguria.

## CAP. II.

D *Quatuor esse necessaria in auguriis secundum priscorum usum.*

SED quot in auguriis necessaria sint secundum priscorum usum, edoceamus. Credit enim Gentilium vanitas, in auguriorum usu quatuor esse necessaria. *Objectum*, quod præter intentio-

nem, hoc est, ex insperato auspicanti occurrit, sive sit avis, sive belua, sive sternutamentum, sive tremor, sive res quævis alia. *Persona auspicans*, cui tale objectum ex insperato præter intentionem se offert. *Intentio auspicantis*, qua objectum, quod occurrit, in augurium refertur, & *Hora*, qua objectum, quod præter intentionem ex insperato occurrit, nulla præcedente ratiocinatione, quasi naturali impetu pro augurio accipitur.

## CAP. III.

### *De objectis Augurificis.*

DE objectis vero augurificis variæ apud priscos fuerunt observationes. Nam alii sternutamentis pro objectis auguralibus utuntur, alii tremoribus ac saltibus particularum corporis, alii utuntur pro auguralibus objectis, & homine, & avibus, & feris, alii utuntur avibus duntaxat, alii utuntur omni eo, quod ex insperato occurrit. Sunt denique alii, qui objecta auguralia in 12. deduxerunt, pro numero 12. signorum Zodiaci, per quæ decurrit Luna movens auguria: de quibus dicemus postea: at nunc satis sit generatim hæc attigisse.

## CAP. IV.

### *De persona auspicante.*

DE persona auspicante post hæc differendum, Mathematici enim autumant non omnem hominem esse, cui auguria mali aut boni quicquam portendunt, & hanc ob causam nonnulli tradunt personam, cui auguria prædicunt, eam esse, quæ inter alios homines prærogativam habet, nec sine ratione moventur: Nam si universi ordo (ut putant) auguria movet, non nisi propter hominis bonum movere videtur, potissimumque ejus hominis, qui cæteris antestat, cum sit magis ab ipsa natura intentus. Accedit quod ex bono aut malo præeminentis hominis, multorum etiam bonum aut malum pendeat. Quare viris duntaxat illustribus, qui potentia, aut virtute, aut divitiis, aut dominatione aliis præsunt, auguria prædicere futura arbitrantur. Nos autem contraria legimus: Nam dejectis etiam personis nonnunquam boni quicquam aut mali auguria significasse, in libris historiarum comperimus, ob id Gentilium vanitas omnem hominem arbitratur posse esse, cui auguria contingunt, modo objecta augurifica (ut dicemus) pro auguriis acceperit. Dejectæ etiam personæ nonnunquam illustres viros virtutibus & studiis excellunt, & ob hanc rem (ut Aristot. inquit *Ethicor.* 10.) a natura ipsa atque ab ipso Deo magis diliguntur, quare fit, ut persona omnis sit apta, ut ei auguria contingant, modo præter rationem, præmeditationemve ex insperato augurifica objecta evenerint.

## CAP. V.

### *De intentione auspicantis.*

QUARE nisi persona auspicans naturali quodam impetu, objectum ut augurium sumat, quod ex insperato occurrit, nequaquam, (ut scribunt augures) augurium esse poterit, quatenus enim objectum, quod ex insperato occurrit, impetu quodam naturali pro augurio accipimus, decernitur stellam movisse tum objectum, ut occurrat, tum mentem nostram, ut pro augurio illud sumat. Motus enim naturales motu cœlesti regulantur & diriguntur. At cum objectum impetu naturali no-

A bis occurrat, nosque impetu naturæ illud ut augurium accipiamus, fit, ut uterque impetus cœlesti motu reguletur. Est autem huic rei nobis exemplo, Scipio Africanus, qui cum descenderet a navicula, in terramque cecidisset, mox occursum in augurium referens, dixit, teneo te tellus, non enim augurium fuisset, nisi naturali quodam impetu a Scipione ominante id in augurium relatum fuisset. Insuper cum L. Paulo Macedonicum bellum Senatus extra ordinem decrevisset, & ea ipsa die domum ad vesperas rediisset, filiolam suam tertiam, quæ tunc erat parvula, admodum osculans, animadvertit tristiorem, quam cum interrogasset, quid ita
B tristis esset, pater, inquit, Persa periit: tum ille arctius puellam complexus, accipio (inquit) mea filiola omen: erat autem mortua Catella eo nomine, quam puella habuerat in delitiis. L. autem Paulus omen accipit, Personam Macedonum regem, adversus quem sibi decreta fuerat provincia, eo bello periturum, quod & factum est. Præterea intentionem esse necessariam in auguriis, declarat caput humanum inventum in Tarpejo delubro, cujus fatum volens in Hetruriam transferre Olenus Calenus, celeberrimus vates, interrogavit legatos Romanos, hic caput invenimus, quod translatum fuisset in Hetruriam, ni præmoniti a filio vatis lega-
C ti respondissent, non plane hic, sed Romæ inventum caput dicimus. Hæc satis sint pro exemplis, ut appareant ostentorum vires e nostra potestate esse, ac prout quæque accepta sunt, ita valere. Hæc Plinius lib. 28. cap. 2. patet itaque nullum objectum nobis posse esse augurificum, nisi naturali impetu ex eo omen sumpserimus.

## CAP. VI.

### *De hora electa, qua objectum augurificum in augurium refertur.*

D ET cum per verum tempus Astronomi verum ejus stellæ locum invenire docent, quæ in causa est, de tempore dicamus. Nonnulli itaque verum tempus autumant, quo objectum augurificum ex insperato nobis occurrit: Nam eo tempore videtur objectum ab ea stella moveri, quæ in causa est. Alii peritiores arbitrantur verum tempus esse id, quo persona, cui occurrit, naturali impetu objectum pro augurio accipit. Siquidem hæc pronunciatio, quæ ori hominis inconsulto incidit, cui objectum occurrit, attendenda est. Nam (ut Plinius inquit) hoc est illud, quod primo in augurio dicitur omen, quod divino favore evenire credidit Gentilium vanitas. In nonnullis vero omen, atque
E objecti occursus eodem momento temporis accidunt, nec ob aliam causam quidem, nisi quia cœlestis stella fortiter movet utriusque naturam, simulatque utramque impellit. Ex his licet deducere nihil nobis posse esse augurificum, nisi nos ex illo naturali quodam impetu boni quicquam aut mali futurum esse ominemur. Cum enim sic ex illo inconsulto ominabimur, naturali motu moveri videmur, motus autem naturæ (ut Theophrastus & Themistius tradiderunt) ab intelligentia non errante est. Intelligentia vero nos movet influente cœli motu. Quare insperata illa ominatio nobis argumento erit, ut augurificum illud naturale sit, non omnino teme-
F re, ac casu eveniens: huic rei nobis argumento est Dejotarus, Siciliæ rex, qui cum aquilam vidisset declinantem in tectum, ab ejus usu quam primum abstinuit, ex ea omen sumens, sequenti vero nocte corruit tectum. Patet itaque nihil nobis posse esse augurificum, nisi ex illo impetu quodam naturali omen sumpserimus: hactenus de hora electa, per quæ patet augurium pro uno esse accipiendum, etiamsi plures acciderit, omnia enim eandem vim habent.

## CAP. VII.

*De tempore quo eventus erit.*

CONSEQUENTER vero de tempore, quo eventus erit, dicamus. Tradunt Astronomi eventus, quos augurium portendit, bifariam esse, aut qui brevi tempore evenire possunt, ut infra horam, aut diem, ceu adventus hospitis, vel amici obviatio, & id genus, aut qui nec infra diem, aut horam, sed infra mensem, aut annum contingere possunt, ut bellum, mortalitas, & cætera id genus. Cum igitur brevi tempore eventus esse potest, auspicandum est, ipsum fore antequam Luna exeat signum, per quod peragrabat eo tempore, quo omen emersit. Sin autem brevi tempore esse non poterit, censent eum fore antequam Luna duodecies peragraverit id signum, quod ominis tempore tenebat, hoc est, infra annum. Ut si ominis significatio fuerit de Pontificis, aut Præsulis, aut Patriarchæ, aut Regis morte, hanc evenire putant, antequam Luna duodecies peragret signum, quod ominis tempore tenebat: hæc de temporibus. His declaratis superest de auguriis & sternutamentis dicere, quæ Gentilium vanitas credidit esse certa.

## CAP. VIII.

*De sternutamentis augurificis.*

ARISTOTELES tantus in doctrina vir, de sternutamentis loquens, in libris de historia naturali asserit, sternutamentum augurale signum esse sanctum, & sacrum, ubi Penelope conqueritur de damno ac injuria, quam proci familiæ suæ inferebant, adjiciens horum omnium originem esse Ulyssis mariti absentiam, qui si rediret, facile una cum filio Telemacho injuriam rependeret: hæc ubi dixisset, Telemachus illico tanto strepitu sternutavit, ut tota domus insonuerit, quod interpretata est Penelope procorum cædem significare. Sternutamentum esse sanctum & sacrum, Homerus tradit *Odyss.* 6. ut Plutarchus refert in vita Homeri: idemque Theocritus in Helenæ Epithalamio scribit. Hinc Gentiles superstitiones non paucas in sternutamentis considerant, tradunt enim gentes plurimæ, cogitanti aliquid agere, si duo aut quatuor sternutamenta contigerint, augurale esse, in bonum finem rem agendam deduci. Sin autem quis plusquam quater sternutaverit, nec in bonum, nec in malum retulerunt prisci. Si quis vero semel, aut ter sternutaverit, omnia omittat & dicere & facere, tradunt enim in bonum finem nec cito, nec facile rem venire. Si duo simul sternutaverint, quæ agere deliberverunt, prosequantur, tradunt enim prosperum esse augurium tam in agendis per mare, quam per tellurem: si duo simul bis sternutaverint, prosequantur quod cœperunt, optimum enim esse augurium tradunt & in agendis & dicendis. Si quis de novo in aliquem locum venerit, & semel sternutaverit, in bonum finem rem deducet, quam agere proposuerat. Sternutamentum nocte factum alicui eorum, qui in domo sunt, lucrum portendere asserunt, duo vero damnum, de significatione vero eum participare asserunt, qui nocte sternutat. Duo sternutamenta omni nocte facta ab aliquo eorum, qui in domo sunt, aliquam de domo personam morituram, aut in domo damnum, vel maximum lucrum portendere tradunt. Ægyptii quoque dixerunt, cum quis de novo domum inhabitare cœperit, & domum intrando semel sternutaverit, quod secure eam inhabitet, sin autem bis, nequaquam eam ingrediatur. Homine in suo lecto jacente, si vigilaverit, sternutaveritque semel, malum portenditur, quoniam morbum, aut damnum, aut aliquid tale enunciat, quod si dormierit, & illico expergefactus sternutaverit, longe pejus. Nam vel grandem tristitiam, vel

A mortem personæ, vel impedimentum gravissimum, aut rerum amissionem præsagit: sin autem aliquis in lecto jacendo, evigilandoque bis sternutaverit, aliquid boni assequetur, quoniam aut lucrum, aut sanitatem, si ægrotaverit: quod si dormierit, longe melius attinget. Verum si omni nocte usque in tertiam quis sternutaverit bis, tunc ad optimum proficiscetur, quoniam vel in lucrum, vel in honores. Si quis pro tota, aut pro parte diei negotiando, agendoque peregrinatus sit, & in aliquo hospitio requieverit, bisque in eo loco sternutaverit, locum mutet, nam in alio hospitio, ad quod se permutaverit, prosperabitur, manens enim in priori damnum patietur. Cum quis aliquem locum petierit

B causa agendi rem aliquam, & mox semel sternutaverit, confestim ex illo loco discedat, in alio enim loco pro parte prosperabitur, quod si bis sternutaverit, tute poterit res suas ex illo priori loco in alium permutare. Siquis pacto rei alicujus constituto, semel sternutaverit, pro certo habeat pactum esse firmum. At si ter sternutaverit, pactum erit infirmum. Si quis die Lunæ summo mane, cum de lecto surget semel sternutaverit, tota ea hebdomada in lucro, aut in alia re prosperabitur: contra vero si bis. Si quis perdiderit equum, aut annulum, aut rem quamvis, & exiendo domum, ut rem illam quærat, semel sternutaverit, rem amissam recuperabit: at si bis, nunquam rem inveniet. Die vero

C Dominica, cum si quis e lecto surgens, ter sternutaverit, bonum, semel vero malum assequetur. Ante prandium vel cœnam, cum quis comedere cœperit, & bis sternutaverit, bonum, semel vero malum inveniet. Tradit Aristoteles, & medici probarunt, ægris viris de vita diffidentibus unum sternutamentum superveniens, mortale esse, binum salutare, mulieribus autem contra, nam unum salutare, binum vero mortale est. Peragranti sylvam, bina sternutamenta supervenientia, evasionem a latronibus nunciant, unum vero malum. Hæc sunt, quæ de auguriis ex sternutamentis sumptis scribunt Ægyptii, sunt & alia, quæ omitto, cum longe vaniora videantur iis, quæ diximus.

D

## CAP. IX.

*De saltibus tremoribusque cujusque particulæ corporis auguralibus.*

POST hæc de iis auguriis differendum est, quæ Melampus Hierogrammateus ex tremoribus saltibusque, qui in hominum membris fiunt, collegit; opinatus enim saltus membrorum augurales esse, quod etiam Theocritus probavit, initio nobis sumpto ab ipsius capitis *Apice*. Nam si apex capitis tremuerit, tristitias ac molestias præsagit, aut longum iter futurum, servo tamen injurias, virgi-

E ni virum, viduæ tristitias, secundum alios authores, malorum occursum decernit, virgini nuptias, quoniam (ut dicunt) Juppiter ex suo apice Minervam genuit, viduæ quoque similiter nuptias, diviti damnum ac insidias, militi felicitatem, nautæ tempestatem, in apice vero suo, qui tempestatem patiuntur, superstites erunt. *Caput* vero si concutietur, aut si capilli erecti fuerint, aut si in aliquo tempore horreant, multo tempore constanter insidias indicant, aut ab amico aliquo, aut consanguineo damnum portendunt, servo autem ægritudinem, virgini vituperationem, viduæ injuriam, pauperibus, & iis, qui indigent, bonum ominantur. Divitibus

F imbecillitatem, ac vitæ insolentiam: ægroto vero vitam: aliter tradunt alii, dicunt enim caput (si tremuerit) malum multo tempore duraturum enunciat, servo mortem, hero, ac viduæ damnum. Aliis personis subjugationem, & rursus libertatem indicat. Si totum caput salierit, mortem præsagit, aliis multa bona enunciat. At si pars capitis posterior us-

que ad concavum, plerumque inimicum; & insidias, & peculiarem mortem, reliquis vero adversitatem, servo bonum, virgini virum bonum; viduæ ægritudinem, diviti periculum, agricolæ laborem significat. Si vero dextera capitis pars, bonum ominatur, servo gaudium & libertatem, virgini vituperationem, viduæ bonum, vidualitatis suæ perseverantiam. Sin autem sinistra, damnum, servo domus mutationem, virgini vituperationem, viduæ contumeliam. Post hæc *de cerebro*: nam cerebrum saliens bene valenti morbum, ægrotanti sanitatem, augmentum corporis & victum denotat, stanti vero filium, & gaudium, exuli peregrinationem, & reditum in patriam, militi vero & nautæ capitis periculum. Deinde *de fronte*: si enim frons tremuerit, in res pudendas ac vituperabiles incidere significat, servo domini mortem, virgini insidias, viduæ damnum. At si dextera frontis pars, magnitudinem potentiæ præsagit, servo injuriam, virgini consilium. Sin autem sinistra, plerumque malum, & luctum significat, servo utilitatem, virgini nuptias, viduæ vituperationem: at si frontis medium, luctum, servo malum, viduæ injuriam, virgini utilitatem, aliis personis omnibus bonum enunciat. *De temporibus* autem: si enim temporum tremitaverit dextrum, semper bonum enunciat, servo autem inæqualitatem, virgini convivium oportunum, viduæ peregrinationem, & utilitatem: si sinistrum, semper bonum, & inopiam utilitatem præsagit, servo inæqualitatem, virgini nuptiarum impedimentum, viduæ bonum. Et *de superciliis*: nam si dextrum supercilium salierit, ægritudinem brevem, & non multo post illam, opulentiam enunciat: pauperi vero divitias, servo bonum, virgini vituperationem, viduæ injuriam: si sinistrum, multa inopina bona significat, ac felicitatem, ex qua fidem habebit. Si medium, quod est inter supercilia (ut Melampus & Phœmon asseruerunt) omnibus malum præsagit, servo tamen bonum, virgini consilium, viduæ utilitatem. *De oculis* post hæc dicamus: si dexter oculus salierit (ut Phœmon, & Melampus, & Antiphon, & Ægyptii tradiderunt) portendit, subditos inimicos fore, & peregrinationes. Si dextri oculi superior palpebra, acquisitionem omnino, secundum vero Antiphonta negotiationem, & sanitatem significat, servo insidias, viduæ peregrinationem: sin autem palpebra inferior, lachrymas enunciat, servo bonum, virgini injuriam, viduæ subjugationem: si angulus dextri oculi tremuerit, pauperi injucunditatem, servo bonum, virgini periculum, viduæ inhonorationem, atque inimici peregrinantis reditum. Si sinister oculus quatitur, adventum hospitis maxime dilecti, aut futurum iter denunciat, & si aliquis ab ipso fugiet, eum per longum iter inveniet, & spem mulieribus etiam significat, pauperi vero iter in bonum, aliis multum laborem, & parum possidere præsagit. Si sinistri oculi superior palpebra salierit, pauperi acquisitionem & opulentiam significat, servo insidias, virgini vituperationem, viduæ bonum, diviti convivium, agricolæ & venatori auxilium & utilitatem, militi felicitatem: si sinistri oculi dexter angulus salierit, sanitatem & salutem ominatur: si vero sinister, omnia bona significat: si inferior sinistri oculi palpebra, injucunditatem, servo calumniam, virgini incorruptibilitatem, viduæ injuriam. *De naso* post hæc: si dextra nasi pars salierit (ut Melampus inquit) injucunditates fugere significat, servo utilitatem, virgini consilium, viduæ subjugationem. Sin autem sinistra, inopina bona enunciat, servo auxilium, virgini consilium, viduæ subjugationem: at si nasi medium, tristitiam, servo injucunditatem, virgini nuptias, viduæ vituperationem: & si totus nasus, semper inopina bona præsagit. Si extrema pars sinistræ partis nasi quatitur, damnum, servo malum, virgini vituperationem, viduæ calumniam. Si extrema dextræ partis, utilitatem significat, servo vero, virgini, & viduæ injucunditatem. Si medium ambarum partium extremarum naris tremuerit, damnum ac injuriam, servo bonam considerationem, viduæ auxilium. *De malis* autem Melampus inquit: Si dextrum quatitur, inopinam injuriam præsagit, servo bonum, virgini injuriam, sinistrum vero semper bonum, servo longam peregrinationem, virgini vituperationem, viduæ utilitatem. Postea *de labiis*: si superius labrum salierit, discrimen & victoriam significat, servo bonum, virgini lucrum: sin autem inferius, utilitatem, secundum vero Ægyptios, operis damnum. Et *de maxillis* post hæc: nam dextra si salierit, utilitatem significat, servo fidem Oeconomiæ adhiberi, virgini ægritudinem, viduæ vituperationem. Sin autem sinistra, tristitiam in re parva enunciat, servo utilitatem, virgini vituperationem, viduæ bonam considerationem. *De genis*: si dextra quatitur, bonam loquelam significat, servo vadum, virgini consilium, viduæ utilitatem. Sin autem sinistra, malum pati significat, servo morbum, virgini injuriam, viduæ injucunditatem. *De auribus* dicamus: si dextra auris salierit, aut resonuerit in aliqua re, gaudium significat, servo autem bonam locutionem, virgini acquisitionem, viduæ bonum: sin autem sinistra, sublime aliquid fieri significat, servo vero rerum magnarum aggressum, virgini vituperationem, viduæ diminutionem: at si interior pars dextræ auris salierit, malum signum esse affirmant, sinistræ autem, audiet aliquid, non tamen ex illo lætabitur, verum servo bonum enunciat. Et *de mento*: nam si menti pars dextra salierit, bonorum acquisitionem omnibus significat, sinistra vero, & bonam spem, & bonum omnibus enunciat: at si totum, nimiam senectutem præsagit. *De palato* vero: si palatum salierit, bonam in domo locutionem, & si sinistra pars, etiam bonum, contra autem si dextra. *De dentibus* autem tradunt: si dentes tremuerint, discordiam, & quandoque etiam bonum enunciare. *De ore* vero dicunt: si os tremuerit, videri aliquem post multum tempus, quo utetur, præsagire. *De corde* dicunt: cor palpitans bonum omnibus portendere, secundum alios hilaritatem, vel amici insidias, servo tamen libertatem, virgini pigritiam, viduæ ac militi bonam locutionem, mercatori negotiationem. *De collo*: dextra pars colli si salierit, libero homini timorem, servo ægritudinem, cæteris omnibus bonum, si sinistra tremuerit. *De gutture*: si dextra pars gutturis quatitur, bonam locutionem significare affirmant, servo vero ac libertino lucrum: at si sinistra pars, fugam injucunditatis omnibus significat, aliis liberam gloriam, servus mala audiet, militi nummorum acquisitionem, virgini injucunditatem, gubernatori navis laudem. *De jugulo*: si dextra juguli pars tremuerit, bonum significat, servo tamen cogitationes, virgini procacitatem, viduæ laborem, militi cognationis privationem: sin autem sinistra, maligni quicquam, servo ornamentum, virgini virum, viduæ bonam locutionem, cæteris autem non bonum: secundum alios significat insidias: iis vero, qui in augustia sunt, malorum constantiam, servis ægritudinem, virgini convivium, militi lachrymas, mercatori restitutionem, gubernatori navis bonum navigium: sin autem sinistra, liberto injucunditatem, servo ægritudinem, militi submersionem, mercatori damnum, gubernatori tristitiam, mulieri injucunditatem: sed secundum alios viatorum damnum, servis tristitias, cæteris omnibus bonum, & convivium. *De humeris*: si dexter humerus salierit, utilitatem significat artifici manuali in opere suo, servo utilitatem, & mortem sui domini, virgini nuptias, viduæ lucrum, mercatoribus uti-

litatem, gubernatori bonum iter, mulieri gaudium significat: sin autem sinister, insidias a muliere illatas, sed salutares portendit. *De brachiis*: si brachium dextrum tremuerit, filiorum, ac nummorum acquisitionem prædicit, mutuantibus vero damnum, servo fidem rerum magnarum, virgini subjugationem, viduæ utilitatem: si vero sinistrum, auxilium a propriis personis enunciat, servo libertatem, cæteris aliis personis tristitiam. *De cubitis*: dexter cubitus si salierit, utilitatem enunciat, servo difficilem libertatem, virgini vituperationem, viduæ injuriam: sin autem sinister, damnum ab aliqua persona significat, servo felicitatem, virgini ignominiam, viduæ injuriam, cæteris aliis bonam locutionem. *De ulnis*: si dextra ulna salierit, damnum significat, servo bonam locutionem, virgini indigentiam, viduæ jucunditatis privationem: sin vero sinistra, injucunditatis privationem, servo abundantiam, virgini ac viduæ bonam locutionem. *De manibus*: si dextra manus salierit, utilitatem, sinistra fidei observantiam præsagit: & si dextræ manus junctura, nummos quos alicui debet, reddere significat, amplius & in paupertate esse, & brevi tempore vivere, & hoc in omnibus significatur verum (ut referunt augures Ægyptii) servorum rem perdifficilem, virgini nuptias, viduæ peregrinationem: sinistræ autem, insidias propter aliquam rem, postremo tamen juvabit; secundum alios ægritudinem, servo bonum, virgini consilium, viduæ utilitatem. *De pollice*: si dexter pollex palpitaverit, bonum significat, servo bonam locutionem, virgini nuptias, viduæ raptum: sinister remissionem vitæ, servo libertatem, virgini injuriam, viduæ utilitatem. Si obliqua pars manus dextræ salierit, in flagitiosas res incidere ominatur, servo facultatem, virgini bonum, viduæ malum, aliis expulsiones voluntarias enunciat: sin autem sinistræ obliqua pars tremuerit, servitutem pati apud homines, servo transmutationem vitæ, virgini bonum, viduæ bonam locutionem, aliis lucrum portendit: si medium dextræ manus, hoc est, concavum, utilitatem, secundum alios lucrum rei alienæ, servo jucunditatis privationem, virgini consilium, viduæ luctum: sin autem sinistræ, felicitatem magnam, & supra inimicos dominium, secundum alios inimicos exuperare præsagit, servo requiem, virgini injuriam, viduæ nuptias: at si superior pars dextræ manus salierit, laborem enunciat, servo moram, virgini molestiam, viduæ utilitatem, aliis vero inopinum damnum: sin autem superior dextræ, bonum ominatur, servo autem calumniam, virgini ignominiam, viduæ ab infirmitate salutem, aliis fugam molestiæ, a mulieribus seditionem, servo requiem servitutis, virgini molestiam, viduæ ignominiam, militi lachrymas, mercatoribus reditum, gubernatori bonum navigium. Si medium *humerorum* salierit, significat multis hominibus dominari, & servis, & liberis: tradunt Ægyptii, si humerus sinister salierit, in advenis dementiam ominari, mutuantibus debitorum redditum fieri, servis ac latronibus transgressionem, virgini segnitiem, viduæ periculum, militi gaudium cum lucro, cæteris autem labores. Si autem medium humerorum, facultatem nunciat, servo malum, & gratiarum actionem, virgini injuriam, viduæ calumniam. Si extrema pars dextri humeri, liberto bonam temperiem, servo malorum requiem, virgini procacitatem, viduæ hilaritatem, militi periculum. *De digitis*: si digitus parvus dextræ manus salierit, majoris fidei dignitatem enunciat, quoniam Mercurii (ut dicunt) digitus est, aliis sterilitatem, servo calumniam, virgini ignominiam, viduæ injuriam. Si secundus digitus post parvum dextræ manus, qui Græce dicitur παράμεσος, dominium multorum nummorum significat, est enim (ut dicunt) Solis digitus, aliis multorum bonorum

A acquisitionem, servo malum, virgini consilium, viduæ gaudium. Si tertius digitus dextræ manus, hoc est, medius, invidias & nugas ominatur, Saturni enim digitus est, aliis autem gloriam advenire præsagit, servo subjugationem, virgini morbum, viduæ utilitatem: si quartus dextræ digitus salierit, damnum cum contumelia enunciat, Martis enim (ut nonnulli tradunt) est digitus, aliis nocumentum, liberto incisionem, virgini lucrum, viduæ utilitatem. Si ultimus digitus, qui ἀντίχειρ dicitur, salierit, multorum bonorum acquisitionem significat, & in filiis & uxoribus gaudium, est enim (ut ajunt) Veneris digitus, servo bonum, virgini virum, viduæ utilitatem. *De unguibus*: si ungues dextræ

B manus salierint, inopinum lucrum præsagiunt, servo bonam locutionem, virgini procacitatem. Si unguis parvi digiti dextræ manus salierit, malum pati enunciat, servo filium, virgini virum, viduæ laborem. Sin autem secundi digiti unguis salierit, potestatem ominatur, servo domini mortem, virgini ignominiam, viduæ bonum. Si vero tertii, & quarti, tristitiam narrat, servo bonum: si vero magni digiti, augmentum vitæ enunciat. Si parvus digitus sinistræ manus salierit, multa bona omnibus præsagit: si secundus, tristitiam & responsionem a magnis personis, servo qui est in fide incusationem: si medius, tristitiam per propriam rem, & augmentum victus, & filiorum & nummorum: si

C autem magnus, antiquam destructionem evenire ominatur: si ungues sinistræ manus, utilitatem cum aliqua difficultate præsagiunt. *De uberibus*: si dextrum uber tremuerit, opus magnum præsagit, aliis bonum novum: sin autem sinistrum, divitias: si medium inter ubera, signum est bonarum cogitationum. *De pectore*: si pectus salierit, convivium omnibus denunciat, aliis vero adimplementum discursus, sed cum timore. *De ventre*: si venter saltaverit, diviti expensas facere ominatur, pauperi cibum, aliis bonum novum. *De alvo*: si alvus salierit, bona enunciat, aliis filios utiles: si dextra pars alvi, morbum brevi tempore narrat. *De iliaca* saltatio-

D ne: si ilium dextrum salierit, peregrinationem portendit, aliis si sinistrum, bonum novum, aliis negotiationem præsagit. *De lateribus*: si dextrum latus palpitaverit, diviti diuturnam paupertatem, servo vero facultatem, & gaudium præsagit, aliis utilitatem: si sinistrum, laboranti bonum statum in tota vita portendit. *De splene*: si splen salierit, infirmitatem nunciat. *De epate*: si epar tremuerit, iracundiam movet, *De ischio*: si dextra pars ischii quatitur, domesticorum aut amicorum rixam, aliis autem bonum: sin autem sinistra pars, tristitiam narrat, aliis instabilitatem. *De spina*: si dextra spinæ pars palpitaverit, contumeliam: si vero sinistra diviti convivium, pauperi laborem enunciat. *De mentula*: si

E mentula salierit, servum ad Venerem iturum portendit. *De testibus*: si dexter testiculus quatitur, filiorum & victus acquisitionem significat: sin autem sinister, convivium & utilitatem portendit. *De natibus*: si dextra salierit, incorruptionem habenti negotiationem nunciat: si sinistra, diviti expensas facere, cæteris bonum: sin autem dextra junctura coxæ cum natibus salierit, motum cum felicitate præsagit, & bonum: si sinistra, remotionem tristitiæ, cæteris vero jucunditatis carentiam. *De inguinibus*: si dextrum inguen salierit, utilitatem: cæteris autem inimicos exuperare portendit: sin autem sinistrum, insidias:

F cæteris autem iter utile enunciat. Si ea *coxæ* pars salierit, quæ retro est, ignominiam præsagit: cæteris vero temporis temperiem: sin autem sinistra pars, insidias: cæteris vero facultatem prædicit. *De genibus*: si dextrum genu palpitaverit, omnibus convivium, secundum alios facultatem prænarrat: si sinistrum injucunditatem

maximam denunciat. *De anchis*, si dextra quatietur, injucunditatem: sin autem sinistra, bonum novum significat. *De tibiis*, si dextra tibia salierit, rem celeberrimam, aut longum iter denunciat: sin autem sinistra, viris tristitiam, mulieribus ignominiam: cæteris autem infirmitatem portendit. *De plantis pedum*, si dextra salierit, utilitatem & bonum: sin vero sinistra, victoriam in judicio, & bonum novum nunciat. Si pars interior dextræ *tibiæ* quatietur, facultatem: sin autem sinistræ, amissionem, aut laboriosi quicquam narrat: si dexter tibiæ uter salierit, inopina bona omnibus enunciat: sin autem sinister, mercatoribus incœpti itineris bonum finem significat. *De radio pedis*, si dexter radius salierit, tristitiam: sin autem sinister, iter cum lucro pronunciat. *De talis*, si dexter talus, curam, & injucunditatem: si sinister salierit, idem prædicit. *De calcaneis*, si dextrum calcaneum palpitaverit, iter bonum: si sinistrum, idem: simili ratione secundum Ægyptio *concavum utriusque pedis* iter bonum nunciat, secundum tamen alios concavum dextri pedis, iter utile, quo nullus ivit, enunciat. *De marginibus pedum*, si dextra margo, quæ Græce Pelma id est, planta pedis dicitur, salierit, iter: sin autem sinistra, diuturnam peregrinationem prædicit. *De obliquo gressus*: si obliquum gressus dextri pedis, quod est in externa parte, palpitaverit, debilitatem: si vero sinistrum, bonum novum nunciat. *De digitis*, si parvus digitus dextri pedis palpitaverit, utilitatem: si secundus, negotium: si tertius, bonum, servo peregrinationem, virgini injuriam, viduæ convivium: si quartus, peregrinationem, servo vero & virgini damnum, viduæ morbum, aliis utilitatem: sin autem magnus, peregrinationem enunciat: servo autem conditionem, virgini nuptias, viduæ hilaritatem. *De unguibus dextri pedis*, si ungues dextri pedis salierint, aut formiculaverint, mollitiem, servo valetudinem, virgini ac viduæ nuptias prædicit. Si unguis parvi digiti, bonum: si secundi, peregrinationem bonam: si tertii, injucunditatem: si quarti, utilitatem: si quinti, bonum enarrat. Si parvus digitus sinistri pedis quatitur, bonum, servo mutationem heri, virgini injuriam, viduæ convivium: si secundus digitus, bonam peregrinationem, servo lætitiam, virgini consilium, viduæ subjugationem: si medius, injucunditatem, servo utilitatem, viduæ injucunditatem: si quartus, utilitatem ab amicis comparatam, servo morbum, virgini nuptias, viduæ calumniam: si magnus, magna bona, servo facultatem, virgini futuras nuptias, viduæ utilitatem: si ungues sinistri pedis salierint, aut formiculaverint, diviti injucunditatem, pauperi divitias, servo damnum, virgini consilium, viduæ ignominiam pronunciat. *Si totum corpus* quatitur, nonnullas dies custodiri portendit, servo insidias non fieri, virgini periculum non fieri significat: hæ superstitiones sunt, quas in tremoribus, qui fiunt in corpore nostro, observavit Melampus Hierogrammateus, & post ipsum Antiphon, & Phimon augures, qui acceperunt ab Ægyptiis (ut scribit Melampus) quarum vanitatum nullam neque veram, neque coloratam causam tradiderunt, sed observationibus duntaxat superstitiones hujusmodi probarunt, contra quas sequentibus libro dilucidissime insurgemus. Hactenus de tremoribus auguralibus.

---

## CAP. X.

*De rebus auguralibus, quæ propriis suis naturis ferunt augurium hominibus secundum historicos.*

POST hæc de rebus differendum est, quæ suis naturis bona vel mala auguria hominibus ferunt, quorum authores fuerunt, Caras, Orpheus, Amphiaraus, Tyresias Thebanus, Amphiction, qui

A primus etiam & ostenta, & somnia interpretatus est, nec omnia, quæ dicuntur, enarrare intendo, cum sint innumera, sed quædam duntaxat pro exemplis: cum nostra intentio non sit hæc probare, sed potius refutare. Illud tamen præsciendum est, Romanos tantam fidem auspiciis tribuisse, ut nec magistratus constituerent, nisi auspiciis monentibus, & propterea, ut Messala tradit, magistratus alii minores, alii majores habebantur, quod minores minoribus, majores majoribus auspiciis crearentur, quod Gellius exponit lib. 13. cap. 14. Festus Pompejus scribit, quinque genera signorum observasse augures, ex cœlo, ex avibus, ex bipedibus, ex quadrupedibus, ex diris: ex avibus illas appellabant funebres, quæ in auguriis aliquid fieri prohibebant,

B oscinum augurium a cantu avium, oscines aves auspicium ore facientes, ac supervacaneam dicebant, quæ ex summo acumine vocem emittebat. De avibus itaque tradidit Aristot. *libris de Animalibus*, Vultures augurales esse, nam (ut Plinius inquit lib. 10. cap. 11.) triduo aut biduo volare eos ante, ubi cadavera futura sunt: experientia probatum est, quod in excidio Trojanorum ita factum meminit. Aristot. in auguriis, vulture plurimum utebantur Romani, quia Romulo, in condenda urbe 12. apparuerunt, vel quia (ut Herodotus) vultur nulli nocet animali, quæ nisi cadavera comedit. Hylas augur tradit augurales aves esse Noctuam, Bubonem,

C Asionem, qui otos dicitur, quod aures habeat plumis eminentes. Picum arbores cavantem inter has, ut & Sanqualem & Immissulum, Massurius, & Mutius Romani enumeraverunt: quid vero sit sanquales, quidve immissulus, exponit Plinius lib. 10. cap. 12. augurales aves sunt genus accipitrum universum potissimum Aquila, Corvus, Cornix, Palumbus, Cygnus, Gallus, Gallina, & insecta, quæ volant, ut Apes, Formicæ, Locustæ, de quibus Appion scribit diffuse. Vulture autem ideo in auguriis utebantur potissimum Romani, quia rarissime

D conspicitur: non enim facile quispiam vulturis nidum offendit: derepente enim & inopinato advolat, quo fit, ut eorum aspectus semper aliquid significet. Aristot. & Plin. semper in malum retulerunt. Romulus vulturibus 12. in condenda urbe in bonum usus est: simili ratione Hercules (ut scribit Herodotus) in omni re incipienda de lectabatur vulturis aspectu, quem ex omnibus avibus, quæ carnibus vescuntur, justissimam judicaret. Verum communis hominum opinio est, vultures in exercitibus gregatim volantes esse futuri excidii præsagium. Vultures enim & Aquilæ ultra maria cadavera sentiunt: altius enim volantes, quæ multa montium obscuritate cælantur, ex alto conspiciunt,

E & non modo præsentia, verum etiam (ut Plinius inquit) biduo aut triduo futura. Agmen etiam corvorum in futurum excidium retulerunt augures. Apud Indos enim regio quædam est, quæ dicitur nunc pharcelos, ubi corvorum magna multitudo periit: ad quam cum postea rediisset longe major multitudo, desolationem regionis & hominum significavit, qui ibi incolebant, destructionem. De Valerii Corvini corvo plana est historia: fuit enim Valerio bonum & felix augurium, adeo, ut ab eo diceretur Corvinus. Unde brevibus narrant omnes, qui de auguriis scribunt, avium, quæ vescuntur ex cadaveribus, ut Vultures, Aquilæ, Cornices,

F Graculi, Milvi, agmen cum in aliqua regione apparuerit, ac per aliquot dies ibi sederit, esse futuri excidii signum. In superiore Suevia, prope castrum Risum, magnum corvorum agmen sedit, ubi muros oppidi ac domorum corrodere visum est, non tamen illinc recessit, quin loci dominus obierit, & alii plurimi, qui oppidum incolebant. Tradit Appion, Aquilam esse aliquando prosperam ac fecundam, dum se hilarem ostendit, ex dextris in

sinistrum advolans, præsertim ludens, ac in jucunditate manens: asserit enim eam sic volantem tantum boni in auguriis præstare, ut nihil supra addi possit: pugnam earum aquilarum, quæ apparuerunt in oratione Telemachi ad procos, Alithersis apud Homerum heros augurum sui seculi peritissimus, interpretatus est Ulyssem rediturum esse in patriam, atque procorum cædem significare. Aquilam cicurem anserem ex vicina aula unguibus correptum ante currum (quo Telemachus vehebatur) dimittentem, Helena interpretata est, Ulyssem longis erroribus circumactum, multisque calamitatibus fatigatum tandem in patriam rediturum, & supplicio extremo procos omnes affecturum significare. Penelope aquilam, quæ ex insperato in 20. anseres, quos domi alebat, irruit, & omnibus interfectis avolavit, portendere interpretata est Ulyssis reditum ac procorum necem: Aquilam columbam unguibus ferentem, quæ a sinistro advolavit, Amphinomus procorum expectationi insidias non responsuras significare interpretatus est. Cum Græci aquilam hinnulum pedibus trahentem, & apud aram Jovi Panompheo dicatam dejicientem, in bonum omen accepissent, ita in animum jam in totum collapsum restituti sunt, ut Trojanorum magnam cædem ediderint. Aquilam a sinistris advolantem, unguibus anguem ferentem, quæ nimis ei reluctabat, cum ipsam ad pullos ferre nequiret, interpretatus Polydamas dixit, Trojanos naves non in totum excisuros portendere, etsi Hector auguriis fidem penitus abrogarit. Accipitris vero cujusque rapinam in malum retulit, quoniam (ut inquit) rapacitas ominatur proficiscentem interimi ab hominibus prædonibus, quod si præda ab accipitris manibus evaserit, proficiscentem evadere putat Appion. Ex accipitribus Circon altero pede claudum, prosperrimi augurii nuptialibus negotiis & pecuniariæ rei, Plin. lib. 10. cap. 13. esse scribit: circum Apollinis nuntium pedibus columbam trahentem, quam medio itinere (quod a navi confecerat Telemachus) deplumabat, Theoclymenus interpretatus, Telemachi genus nemini in regno administrando apud Ithacos cessurum prædixit: Triorchi vero, qui a numero testium dicitur, in auguriis Principatum Phœmone dedit. Cornix (ut Plin inquit lib. 10. cap. 12.) avis est garrula, quæ non dat augurium, verum a quibusdam in auguriis laudatur. Corvi autem in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum, nam (ut Plin. inquit eodem loco) pessima eorum significatio est, cum glutiunt vocem velut strangulati. Noctua, & Bubo pessimum præbent augurium, potissimum in rebus publicis, nam deserta incolunt, nec tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa, nec cantu aliquo vocali, sed gemitu canunt: Capitolii cellam bubo intravit Sex. Papellio Istro, L. Pediano Conf. propter quod nonis Martiis (ut Plin. meminit) urbs lustrata est. De Gallinis vero & Palumbibus auguria non accipiuntur præterquam ex ovis, Livia enim Augusta prima sua juventa, Tiberio Cæsare ex Nerone gravida, cum parere virilem sexum admodum cuperet, hoc usa est puellari augurio: Ovum in sinu fovendum atque deponendum nutrici per sinum tradidit, ne interimeretur tepor, nec falso Augusta augurata proditur, Imperatoris inde fœta. Gallinam cum lauri ramusculo cecidisse ferunt in sinum Liviæ Drusillæ, quæ fuit Imperatrix, & hucusque servatum est, ut ex ea lauro Imperatores fuerint laureati. De Cygno autem, augurium acceperunt nautæ, ajunt enim hanc avem tranquillitatem portendere, quod Æmilius scribit, cum inquit:

*Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales,*
*Hunc optant nautæ, quia non se mergit in undis.*

Gallis vero Plinius lib. 10. cap. 21. præbet auguria,

A habere enim ex se ostenta, & præposteros eorum vespertinos cantus scribit. Cujus causam assignans, inquit, namque totis noctibus canendo Bœotiis nobilem illam victoriam adversus Lacedæmonios præsagivere, ita conjecta interpretatione, quoniam victa ales illa non caneret. Enumeratur etiam a Romanis inter divina auguria, nam invenitur in Annalibus in Ariminensi agro M. Lepido, Qu. Catulo Conf. in villa Galerii locutum gallinaceum. Picus etiam in auguriis receptus est a Gentilibus, & propter hanc rationem a Saturni filio nomen sumpsit, qui eo in auspiciis utebatur, ferunt enim hanc avem aliquid divini habere, quod in quacunque arbore nidificaverit, clavum vel quicquid aliud fixum

B est, hærere diu non possit, quin statim excidat, ubi illa insederit. Refert Albertus, si foramen, in quo picus nidum pullosve habuerit, pessulo obturetur, picus ducens herbam quandam, virtute & tactu illius cum pessulo deobturat foramen. In capite Prætoris L. Tuberonis in foro jura pro tribunali reddentis, sedit ita placide, ut manu apprehenderetur, respondere vates, exitium imperio portendi, si dimitteretur: at si examinaretur, Prætori, qui illum protinus concerpsit: nec multo post implevit prodigium. Homerus *Iliad.* 10. eandem avem esse auguralem tradit, nam Ulyssi & Theseo filio

C exploraturis, quid in Trojanorum castris ageretur, emisit Pallas trochilum avem, quæ felicem rei (quam susceperant) eventum significabat. Receperunt etiam & formicas in augurio, nam Midæ, cujus Imperio Phrygia fuit subjecta, puero dormienti formicæ in os grana tritici congesserunt: parentibus deinde ejus, quorsum prodigium tenderet, explorantibus, augures responderunt, omnium illum mortalium futurum ditissimum, nec prædictio vana extitit: nam Midas cunctorum pene regum opes abundantia pecuniæ antecessit, infantiæque incunabula utili Deorum munere donata, onustus auro atque argento gazis pensavit. Insuper & apes: cum enim Platoni in cunis dormienti parvu-

D lo apes in labellis consedissent, responsum est illum suavitate orationis fore præclarum: sunt & aliæ insuper aves, quæ a Veteribus in auguriis receptæ sunt, sed quoniam nostra intentio non est auguria probare, sed refellere, hæc de avibus auguralibus pro exemplis dicta sufficiant. De beluis autem multa essent dicenda, verum pro exemplis pauca referamus, & primo de bufone: Est enim bufo rana terrestris, nimiæ magnitudinis, hanc undecunque & quomodocunque obviam in auguriis felicissimam habuerunt: Aprum etiam in malum augurium retulit Melampus, destructionem enim eorum, quæ agere intendit, proficiscens, cum obvius fuerit, præsagit. Serpentem in augurium acceperunt

E Romani, L. enim Sylla, qui profectus in Samium adversus Nolam duxit exercitum, Nolani autem extra mœnia cum copiis & præsidiis posuerunt castra. Sylla igitur cum Deos de pugna consuleret, anguis subito apparuit, interrogato aruspice, quid anguis ille portenderet? responsum est, ut magno animo castra hostium invaderet, quo facto victoria potitus est. Præterea apud Homerum *Iliad.* 11. sacrificantibus Græcis, ex ara prorepsit serpens in proximam platanum, in quo octo passeris pullos adhibita matre, quæ non erat, assumpsit, augurium interpretatus est Calchas, bellum, quod tunc adversum Trojanos Græci susceperant, in nonum annum produ-

F cendum dixit. Lepus etiam in auguriis receptus est, in exercitu enim Xerxis, Persarum Regis, quem adversus Græcos innumerosum, ac prope incredibilem paraverat, equa leporem peperit, quod turpissimam regis fugam, quæ subsecuta est, significare voluit: est enim lepus timidissimum animal, in exercitibus semper fugam præsagiens. Receperunt & Gentiles in augurium felicissimum Ignem &

Flammam apparentem, ut de flamma Ser. Tul. quæ apparuit circa caput dormientis, & de flamma L. Mart. legitur apud Valerium lib. 1. quare cæteris omissis, quæ dici possunt, colligitur hæc divisio, quod auguria alia sint, quæ suis naturis mala aut bona sunt, alia quæ possunt esse bona & mala, pro locis, sitibus, temporibus & intentionibus, quibus apparent & recipiuntur. Rursum & hæc alia divisio, quod alia caduca auspicia sint, cum aliquid in templo excidit, alia devia, quæ aliquid fieri prohibebant, alia pedestria, quod dentur a Vulpe, Lupo, Serpente, Equo, cæterisque animalibus quadrupedibus, alia piacularia, quod sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara effugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset, alia pestifera, quod cor in extis, aut caput in jecinore non fuisset.

## CAP. XI.

*Opinio Plinii de auguriis, quæ possunt esse bona, aut mala.*

PLINIUS, vir doctissimus, auguriis fidem præbet plurimam. Asserit tamen lib. 28. cap. 2. ostentis & auguriis vires inesse, quæ sunt in nostra potestate, quoniam ita ea valere credidit, prout a nobis accipiuntur: nam si accipimus in bonum, boni esse præsagii, sin autem in malum, mali affirmat esse. Quod si ea non animadverterimus, nec in augurium acceperimus, neque bona, neque mala omina erunt, neque enim diras aves, neque ulla auspicia pertinere ad eos dicit, qui quamque rem aggredientes, observare se ea negaverint, hac ratione scribit in augurum disciplina esse, nulla auspicia pertinere ad eos, qui ingredientes observare ea neglexerint.

## CAP. XII.

*Opinio Plutarchi Cheronei de auguriis.*

PLUTARCUS vero Cheroneus libro *Problematum*, bona aut mala esse auguria affirmat respectu ad nos, situmque nostrum: cum enim res augurifica nobis occurrerit, quam in augurium accipimus, situm debemus animadvertere; nam dextra omnia mala sunt, sinistra vero bona, causam affert ex eo, quia terrena ac mortalia, divinis ac cœlestibus contraria ac opposita existimarunt, quare putavit ea quæ nobis sinistra sunt, Deos a dextris dimittere, quæ vero dextra, a sinistra, & cum ea, quæ Dii nobis porrigunt dextra, in bonum afferant, nam dextram dare est auxilium afferre, fit ut omnia, quæ nobis sinistro occurrunt, in bonum, a Diis dentur: contra vero, quæ a dextris: dicitur autem rex augurifica dextra bifariam, transitu & quiete: transitu quidem, ut si ex parte anteriori res augurifica e sinistris in dextrum transierit, aut a parte posteriori similiter, e sinistris in dextrum, utroque enim modo, dicitur, dextrum omen. Tertio, si ex parte posteriori venerit, & per dextrum nostrum transierit in partem anteriorem, hoc etiam modo augurium dextrum dicitur: e contrario tamen dicitur augurium sinistrum, transitu videlicet & motu. Quiete vero, si auguriﬁcæ rei quiescenti nos obvii fuerimus, quæ quiescat aut in dextris, aut in sinistris, aut si non quiescat, & venerit ad nos, & postea quieverit, aut in dextris, aut in sinistris, omnibus enim iis modis augurifica res dicitur dextra, aut sinistra, & semper cum fuerit sinistra, in bonum Plutarchus referendam esse arbitratur: cum vero dextra, semper in malum: aliter & Romani augures positionis differentias assignabant in cœlo: cum enim se in supremam curiæ veteris partem recepissent, vestem induti sacerdotalem, lituum, quæ virga erat elevata, manu tenentes, spacium in cœli ambitu, quem prospicerent, designabant quatuor differentiis, sinistra ab Oriente, dextra ab Occasu, antica ad Meridiem, postica ad Septentrionem, dicebantque respectu harum accipi differentias auguriorum.

## CAP. XIII.

*Opinio Astronomorum de efficacia auguriorum.*

ASTRONOMI vero augurificis rebus præbent significationes bonas vel malas ex sitibus cœli: volunt enim cum homini proficiscenti apparuerint, mox esse ei quiescendum, esseque circa ipsum describendum circulum, cujus centrum sit homo ipse, cui augurifica res apparet, tunc dicunt in descriptione hujus circuli quatuor esse puncta: Ortum, qui ad ortum mundi vergit, Occasum, Meridiem, & Septentrionem, qui pro sitibus mundi describendi sunt. Asserunt itaque Orientem esse Solis, Occidentem Saturni, Meridiem Martis, Septentrionem Mercurii. Præterea partitiones esse quatuor, nam partitionem, quæ est ab ortu in meridiem, Veneri præbent, eam quæ est ab ortu in septentrionem, præbent Jovi, eam quæ est ab occasu in septentrionem, Lunæ, eam quæ est ab occasu in meridiem, Capiti Draconis tribuunt. Cum igitur augurifica res occurrerit, aspiciendum esse dicunt ad partem, in qua quiescit, aut versus quam movetur, nam si parte Jovis, vel versus Jovis partem quieverit, aut movetur, vel Veneris, vel capitis Draconis, vel Lunæ, in bonum referendum esse arbitrantur: sin autem versus partem Solis, aut Martis, aut Saturni, aut Mercurii quieverit, vel movetur, in malum, omnino referendum esse censent. Hæc Astronomi Ægyptii.

## CAP. XIV.

*De auguriis opinio juniorum augurum.*

JUNIORES vero reduxerunt omnes res augurales in 12. superstitiones, quæ accipiuntur, in respectu nostri, quarum prima dicitur Prosperitas: Est autem prosperitas, cum quis exierit domum agendi quicquam causa, nam cum huic, qui domum exit, homo, vel belua, aut avis, aut id genus in itinere primum occurrit, quæ ambulet aut volet, & si posuerit ante in sinistris, supra re agenda perficiendaque bonum esse asserunt. 2 Superstitio dicitur Infortunium, ut si aliquis domum exierit rei agendæ alicujus gratia, & eundo inveniat beluam, aut hominem, aut avem, aut id genus quiescere ante se in sinistris, malum esse signum supra re agenda affirmant. 3 Superstitio dicitur Fatum, nam si aliquis ambulando, aut stando, ut rem aliquam agat, videat rem augurificam, ut hominem, aut beluam, aut avem transire a sinistris in dextrum, ad quod cum pervenerit, evanescet, portendere bonum in re agenda credunt. 4 Superstitio dicitur Fortuna, ut si quis invenerit rem euntem aut volantem, quæ reponat se ante in dextra cum videndo, qui augurium quærit, nam tale augurium bonum in perficienda re autumant. 5 Superstitio dicitur Infortunium, ut cum quis invenerit rem augurificam quiescentem in dextris suis, prospicientem eum, qui augurium quærit, nam hoc malum omen in re agenda dicunt. 6 Superstitio dicitur Utilitas, & est quando videris augurificam avem, feram, vel hominem post, atque te sequi, & ultra te transire, & priusquam perveniat ad te, vel tu ad eam, se repausaverit alicubi, te videndo in dextris tuis, dicitur enim a junioribus utilitas, quoniam supra re agenda bonum signum est. 7 Superstitio Damnum dicitur, & est quando rem augurificam post te videris quiescere, aut stare, & quidem in tuis dextris, dicitur enim damnum, quoniam supra re perficienda malum signum præbet. 8 Super-

perstitio dicitur Cautela, & est quando post te videris rem augurificam, & antequam perveniat ad te, aut tu ad eam, alicubi quieverit, aut steterit, te videndo, nam sive a dextris, sive a sinistris quiescat, modo non ultra te transierit, bonum praesagit in re agenda. 9 Superstitio dicitur Infelicitas, & est quando videris rem augurificam praetereuntem te, alicubi tamen quiescere, aut stare, & quidem a sinistris, haec dicitur infelicitas a junioribus, quoniam malum omen praebet rei agendae. 10 Superstitio Perfectio, & est quando res augurifica venerit a sinistris tuis, transit in dextrum, quam nec quiescere, nec stare vides, sed admodum evanescere: dicitur enim perfectio, quoniam in re agenda bonum & perfectum signum est. 11 Imperfectio nuncupatur, & est quando res augurifica e dextris tuis in sinistrum transierit post tua terga, eamque videris aut stare, aut quiescere: dicitur enim haec superstitio imperfectio, quoniam est omen malum. 12 Denique contra fit e sinistris in dextrum, quae dicitur Conclusio, quoniam in re agenda signum optimum esse affirmant. Hae sunt duodecim superstitiones, quas in rebus augurificis veras esse autumant augures: servatis tamen intentione auspicantis, & tempore auspicandi, de quibus superius diximus.

## Cap. XV.

*Superstitiones Romanorum in auguriis.*

Erant apud Romanos augures, ut Plutarchus affirmat in *Problematibus*, aliae superstitiones, quarum prima erat Deorum invocatio, non enim sacerdotes auguria cantabant, nisi Diis invocatis, ac humiliter exoratis. 2 Erat ex parte personarum Invocantium, nam auguria, ut Plinius inquit lib. 8. c. 28. artem fecere apud Romanos, & Sacerdotum collegium vel maxime solenne est. 3 Erat ex parte qualitatis personae, non enim personae ulcus patientes recipiebantur inter sacerdotes augures, nec personae, quae morsum aliquem aut perturbationem in animo haberent. Nam cum res divinas eos tractare credebatur, tum Deorum mentem hominibus prodesse putabant, cum & liquido & integro animo sacerdotes essent. 4 Superstitio erat ex parte avium auguralium, non enim aves morbidas aut ulceratas (propter eandem causam) recipiebant in auguria: non enim decet manca & mutilata servare pro divinis agendis. 5 Superstitio erat ex parte Requisitorum, quoniam sacerdotes non captabant auguria, nisi luminaria accensa adessent, quoniam ita se habet lucerna ad sacerdotem, ut anima ad Deos, nam lux est velut is, qui intus est animus. Est & alia causa Plutarchi, quoniam aves augurales non consistunt flantibus ventis: ventos autem flare cognoscitur lucernis & luminaribus accensis. Metellus Pontifex Maximus, prudens, & civilis, post sextilem mensem Augustum, vetuit auspicari, quod adultis & perfectis avibus auspicando, antequam aestas advenerit, sit prudentiae. Autumno autem aves partim inutiles sunt, partim morbidae, partim pulli imperfecti, aliquae etiam propter anni tempus alio devolant.

## Cap. XVI.

*De numero auguralium objectorum, secundum eos augures, qui probabilius de auguriis locuti sunt.*

Quemadmodum diximus, quatuor sunt in auguriis necessaria secundum Gentilium usum objecta, quae praeter intentionem, hoc est, ex insperato auspicanti occurrunt, quaeque augurales res dicuntur: Persona auspicans, cui ex insperato praeter intentionem objecta hujusmodi se offerunt: Intentio auspicantis, qua res augurales in augurium referuntur: Et tempus, quo occurrunt. Et quia de objectis auguralibus Gentiles superstitiose locuti sunt, restat nunc dicere te talibus objectis, secundum eos, qui minus superstitiose de illis locuti sunt, ut nihil praetermittatur in opinionibus Veterum. Sunt autem haec in 12. contenta capitibus, pro numero signorum, quae in Zodiaco describuntur. Primum Caput est de ingressu Bestiarum in domum, sive bestiae urbanae sint, sive sylvestres, quum enim & praeter consuetudinem, & praeter intentionem bestia domum alicujus ingreditur, in augurificum objectum Philosophi retulerunt. 2 Vero caput est Beluarum, quae in itinere ex insperato nobis occurrunt. 3 Est Vestimentorum combustio, cum ex insperato ex igne quasi ad ea advolante fit, ad hoc caput & fulminatio, & incensio domus, vel alterius rei reducitur. 4 Est Mus corrodens aliquid, quod nobis jucundum est, ut Librum, Vestem, Aurum, praesertimque id, in quo speramus, reduciturque ad hoc caput, Lupus vorans nobis aut Bovem, aut Equum, Canis etiam vorans nobis aliquid, quod in cura erat, & Vulpes Gallinam aut Anserem furans, & caetera id genus. 5 Est Domesticus sonitus, creditur enim in domo ob sonos strepitusque, qui in ea audiuntur, Lemures esse, qui hos fecerint. 6 Est Avis, quae in via itinereque cadens, quasi impedita videtur: saepius enim Principe aut Rege ambulante observatum est, Milvum in equitantium medio cecidisse, qui impeditus facile capitur, nonnunquam in domum aves venerunt, quae ex insperato advolarunt, fueruntque tandem manu captae, & propterea ad hoc caput omne volatile reducitur, quod ex insperato manu capimus: reducimus insuper & ad hoc, Bubonem cantantem, Cornicem glocitantem, omneque volatile, quod ex insperato vociferatur. 7 Est Catus, qui praeter consuetudinem foramen ingreditur camerae, quem malum putant esse daemonem, vel phantasma, reduciturque in hoc animal omne quadrupes, quod subiens speciem rei timorosae foramen intrat. 8 Est Candela fax aut id genus, cum mox sine apparenti causa extinguitur, quod a Lemure fieri creditur. 9 Est Vulcanus, ut cum ignis murmurat: cum enim ignis murmurat, Gentiles Vulcanum loqui credebant. 10 Est Crepitus fortis ignis, cum praeter intentionem occurrit, & quidem in magna vastitate, ad hoc caput reducitur ignis, cum projicit scintillas. 11 Est ignis, cum saltat praeter rationem: creditur enim a Laribus moveri. 12 Est subitaria Tristitia, moerorque, qui praeter rationem accidit, ad hoc reducitur phantasma nobis apparens, quo apparente tristari solemus, itemque & id omne, quod ex insperato evenit, quo dolemus. Haec enim 12. objecta, ut sufficiant pro exemplis, volumus: nam si alia contigerint, ad ea capita reducenda sunt, cum quibus majorem habent affinitatem; post haec de causa quae res augurales movet ad auguria, secundum opiniones horum dicamus.

## Cap. XVII.

*De causa quae movet augurales res, ut nobis occurrant, mentemque nostram, ut ominemur secundum Theophrastum & Themistium.*

De ea vero causa, quae augurifica objecta movet, ut nobis ex insperato se offerant, & ut nos ex hujusmodi ominemur occursu, variae opiniones extiterunt. Theophrastus, quem lucidus doctor Themistius imitatur, moventem hujusmodi causam, non errantem intelligentiam esse dixit: nam quae casu ac temere nobis occurrunt, si in divinam

intelligentiam referantur, a providentia evenire putarunt, & Themistius, & Theophrastus. Unde Themistius homines loqui futura arbitratur, etsi nihil intelligant eorum, quæ dicunt, quatenus ab ipsa intelligentia divina moventur. Est autem divina intelligentia, quæ non errans dicitur, aut mundi anima, quam Plato in Timæo ex Diis secundis ortam esse probavit. Avicenna vero ab intelligentia Lunæ: hæc enim movet, creatque ea omnia, quæ sub Luna contingunt, potissimum ea omnia, quæ in bonum hominis ordinantur. Alii vero Deum esse dixerunt eam causam, quæ hæc movet, quam opinionem Valerius sensisse videtur, cum inquit, hæc non fortuito motu, sed divina providentia constare credendum esse. Pythagorici quoque adeo ab ipso Deo evenire putarunt hæc, ut auguria esse Deorum voces verbaque dixerint: nam cum Deus nostri curam habeat, rationi consentaneum est (ut Theophrastus inquit) ut nobis futuri quicquam prædicat, quod nobis bonum accelerandum, aut malum evitandum sit: hac ratione Theophrastus omina, auguriaque omnia, voces verbaque Dei esse affirmat cum Pythagoricis, per quæ Deus hominibus bonum aut malum futurum prædicit. Unde Themistius (ut Averroes narrat 12. Metaphysicæ) plures homines fuisse tradit, qui ab ipso Deo moti futura prædicunt, licet non intelligant quæ dicunt.

## CAP. XVIII.

*De causa movente augurifica, secundum Platonicos.*

MERCURIUS vero Trismegistus augurifica moveri a Dæmone asseruit, Porphyrius a Calodæmone, qui bonus genius dicitur, exposuitque quod cuique homini duo in custodiam dæmones assignentur: Cacodæmon quidem, qui ad mala: Calodæmon vero ad bona hortatur, quorum alter bonus, alter malus genius dicitur: cum vero omen bonum aliquid sit, quo aut futurum malum evitemus, aut futurum bonum adipiscamur, fit ut a Calodæmone concitetur: placuit autem hæc opinio Plotino, Jamblicoque, ut ex iis libris patet, quos de dæmonibus scripserunt.

## CAP. XIX.

*De causa movente augurifica, secundum Varronicos.*

QUIDAM doctissimi viri ex Varronis Romani decretis se accepisse tradunt, augurifica moveri a Luna per 12. Zodiaci signa evagante: dicunt enim Lunam, & causam, & solam causam esse, quæ omnia, & augurifica movet, tum quia sola nobis inter stellas propinquissima est, solaque (ut Astronomi dicunt) in iis, quæ repente fiunt, virtutem habet, tum vel maxime propter sui velocitatem: ob hanc enim causam humidis fluidisque præstat. At cum augurifica omnia confestim fiant, evenit, ut in talibus ipsa sola vim præstet.

## CAP. XX.

*Opinio Astronomorum Ægyptiorum de causa movente auguria.*

ÆGYPTII vero non lunam, sed stellam errantem de quinque planetis, quæ hora ominationis tenet in figura cœli nonam, aut decimam, aut horoscopum, aut septimam, aut quartam, aut tertiam domum afferunt auguria, mentemque nostram movere ad auspicandum: est enim augurificus planeta, qui hora, qua accipi-

A mus res augurales in augurium, reperitur in domo cœli nona, verum si nullus planeta in nona fuerit, is augurificus planeta erit, qui in decima, & si non in decima, qui in horoscopo, & si non in horoscopo, qui in septima, & si non in septima, qui in quarta, & si non in quarta, qui tandem est in tertia domo, planeta est, qui movet ad auspicia & nos & res ipsas augurales. Qualitas vero augurii proficiscitur ab ascendentis dominio, nec non a tali planeta: nam si ambo conjungentur invicem aspectu aut corpore, ex auguriis nihil mali evenire putant. Ubi vero dominus ascendentis atque augurificus planeta nulla ratione junguntur, sed alter eorum cum beneficis configurationem habet, ex
B auguriis portenditur bonum. Sin autem cum maleficis, malum pronunciatur, bonum vero aut malum, quod portenditur, secundum genus illius domus erit, in qua corpore conjunguntur, vel aspectu se mutuo aspexerint, nam si census domus fuerit, bonum vel malum in censu portenditur: sin autem fuerit domus 12. bonum vel malum in uxore, & si domus fuerit 5. in filiis, & in cæteris simili ratione bonum aut malum pronunciant.

C

## CAP. XXI.

*De causa movente augurifica secundum minus superstitiosam causam.*

DICENDUM itaque (ut Porphyrius inquit) si eorum, quæ temere fiunt, causa aliqua fingi poterit, moventem causam, quæ principalis est, ut Pythagoricis nonnullis placuit, esse Calodæmonem, quique & bonus genius dicitur: nam bona homini persuadet, quod quidem consensim Platonici affirmant: instrumentariam vero causam esse motum Lunæ per 12. cœli signa, quod & Varronici putant: videtur autem opinio hæc (licet
D superstitiosa) minus dissona cæteris. Nam (quemadmodum Astronomi fatentur) Luna vim habet in iis omnibus, quæ repente fiunt, atque ex insperato, qualia augurifica, ominaque ipsa esse videntur. Calodæmon vero (ut libro de dæmonibus diximus) in hominis bonum institutum est, agit etiam per naturale instrumentum, cum sit homine potentior, vi autem cœlesti imbecillior, & quum agens pollentius paucioribus instrumentis (ut Arist. inquit) utatur, fit ut dæmon per solum Lunæ decursum, tanquam per instrumentum omina atque augurifica omina moveat: quod autem dæmon stellis utatur (Hebenragel nobis testis est) qui narrat cujusdam regis filium natum esse eo die;
E quo quatuor planetæ conjuncti erant, eo in signo, quod in illius genitura horoscopabat, eo vero die puerum illum locutum esse, jacturamque patris regis prædixisse. At consonum non est, puerum sic recenter ortum loqui potuisse, nisi vi dæmonis, qui ea cœli constellatione ad prædicendum utebatur, fortasse enim dæmon Mercurialis erat, nam in 8. libræ gradu, qui tunc horoscopabat, Mercurius præerat. Venus enim, Juppiter, Mercurius, & Mars in illo 8. gradu conjuncti fuerunt, nullus tamen eorum, nisi Mercurius, in tali gradu fines habebat, quare dæmon ille Mercurialis fuit: quod si ita est, dæmon qui nos custodit, utens solo mo-
F tu Lunæ per 12. signa poterit omina atque augurifica movere omnia, in bonum nostrum illa concitando: aspectus autem aut configurationes cæterarum stellarum, nec prosunt, nec obsunt cum in talibus vim nullam habeant. Hactenus de movente causa: ut vero præsens opinio intelligatur, ad exempla tabularum veniamus, quibus secundum motum Lunæ prisci superstitiosi homines utebantur.

## TABULA I.

*Bestia domum intrans significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Litem atque calumniam fore.* |
| *Taurus* | *Advenire hospitem.* |
| *Gemini* | *In regione fieri morbos.* |
| *Cancer* | *Rixas in civitate oriri.* |
| *Leo* | *Regimen aliquidque magni evenire.* |
| *Virgo* | *Suasiones fieri astutiasque* |
| *Libra* | *Spem emergere.* |
| *Scorpius* | *Angustias contingere.* |
| *Sagittarius* | *Iter viasque fieri.* |
| *Capricornus* | *Gaudium atque lætitiam accidere.* |
| *Aquarius* | *Dolorem litemque surgere.* |
| *Piscis* | *Bonam causam emergere.* |

## TABULA II.

*Belua in itinere obvians significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Patriarcham, aut Pontificem, aut Præsulem, aut primum sacerdotem mori.* |
| *Taurus* | *Intimationem bonam fieri.* |
| *Gemini* | *Prælium oriri.* |
| *Cancer* | *Promulgari magni quippiam.* |
| *Leo* | *Mutari vestimentum.* |
| *Virgo* | *Angustiam insurgere.* |
| *Libra* | *Moveri corpus de loco ad locum.* |
| *Scorpius* | *Mori inimicum.* |
| *Sagittarius* | *Intimationem in occultis fore.* |
| *Capricornus* | *Munus afferri* |
| *Aquarius* | *Servum aufugere.* |
| *Piscis* | *Pluvias imbremque fore.* |

## TABULA III.

*Incensio alicujus loci. Domus fulminatio. Vestimentorum ustio significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Nec bonum, nec malum.* |
| *Taurus* | *Gaudium lætitiamve evenire.* |
| *Gemini* | *Dimicare regnareque.* |
| *Cancer* | *Opus perfici.* |
| *Leo* | *Adventum ejus qui te amat.* |
| *Virgo* | *Praviorem majoremque militiam exoriri.* |
| *Libra* | *Nova vestimenta adesse.* |
| *Scorpius* | *Gaudium lætitiamque emergere.* |
| *Sagittarius* | *Ægritudinem accidere.* |
| *Capricornus* | *Jucunditatem de hospite.* |
| *Aquarius* | *Gaudium lætitiamve.* |
| *Piscis* | *Gaudium letitiamve.* |

## TABULA IV.

*Canis vorans rem nobis gratam. Lupus vorans nobis bestiam. Mus corrodens aurum, vel quodvis nobis jucundum, significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Iter futurum* |
| *Taurus* | *Quod corripieris in verbis.* |
| *Gemini* | *Intimationem aliquam novam fieri.* |
| *Cancer* | *Adventum hospitis.* |
| *Leo* | *Querelam petitionemve.* |
| *Virgo* | *Lætitiam gaudiumve.* |
| *Libra* | *Id invenire quod desiderabatur.* |
| *Scorpius* | *Pecunias diminui.* |
| *Sagittarius* | *Malitiam exoriri.* |
| *Capricornus* | *Amicum disjungi separarique.* |
| *Aquarius* | *Iter futurum.* |
| *Piscis* | *Gaudium letitiamve.* |

## TABULA V.

*Strepitus sonitusque domus significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Gaudium lætitiamve.* |
| A *Taurus* | *Evenire malum in dominio aut potestate.* |
| *Gemini* | *Pestem accidere.* |
| *Cancer* | *Pecuniæ inventionem.* |
| *Leo* | *Adventum boni hospitis.* |
| *Virgo* | *Bonam enunciationem intimationemque.* |
| *Libra* | *Bonam acceptionem intimationemque.* |
| *Scorpius* | *Aegritudinem.* |
| *Sagittarius* | *Labores defatigationemque.* |
| *Capricornus* | *Angustiam super suos evenire.* |
| *Aquarius* | *Pecuniam ex animalibus.* |
| *Piscis* | *Bonum in dominio atque potestate.* |



B

## TABULA VI.

*Corvus vel Cornix glocitans. Bubo cantans, vel quævis avis augurifica. Avis cadens in via, significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Pavorem evenire propter latrones.* |
| *Taurus* | *Festinare ut regnum regatur.* |
| *Gemini* | *Sanguinis effusionem.* |
| *Cancer* | *Futurum morbum.* |
| *Leo* | *Motum de loco ad locum.* |
| *Virgo* | *Amittere pecuniam.* |
| *Libra* | *Amicum ægrotare.* |
| *Scorpius* | *Querelas lamentationesque in domo.* |
| C *Sagittarius* | *Animalium mortem.* |
| *Capricornus* | *Dolorem fore in statu.* |
| *Aquarius* | *Litem nasci.* |
| *Piscis* | *Angustiam contristationemque insurgere.* |

## TABULA VII.

*Catus aut Belua per foramen intrans significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Amittere aliquid.* |
| *Taurus* | *Emere servum.* |
| *Gemini* | *Nova mala audire* |
| *Cancer* | *Finiri prælium.* |
| D *Leo* | *Testimonium falsum insurgere.* |
| *Virgo* | *Agrotationem.* |
| *Libra* | *Pavorem propter latrones.* |
| *Scorpius* | *Gaudium lætitiamve.* |
| *Sagittarius* | *Nec bonum, nec malum.* |
| *Capricornus* | *Festinare jus.* |
| *Aquarius* | *Religiosum occurrere, aut fugere sanari ægrotum.* |
| *Piscis* | *Bonum novum insurgere, aut evadere a periculo.* |

## TABULA VIII.

*Candela, aut Fax, aut Ignis, qui mox extinguitur, significat.*

E LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Bonum aliquid lucrari.* |
| *Taurus* | *Patriarcham aut sacerdotem mori.* |
| *Gemini* | *Malum novum accidere.* |
| *Cancer* | *Litem insurgere.* |
| *Leo* | *Pecuniam invenire.* |
| *Virgo* | *Adventum hospitis.* |
| *Libra* | *Festinum gaudium.* |
| *Scorpius* | *Timorem in dominio atque potestate.* |
| *Sagittarius* | *Magnum accrementum.* |
| *Capricornus* | *Casum comitis aut amici.* |
| *Aquarius* | *Nec bonum nec malum.* |
| *Piscis* | *Inimici casum.* |

F

## TABULA IX.

*Sonitus ignis significat,*

LUNA.

| | |
|---|---|
| *Aries* | *Inimici casum.* |
| *Taurus* | *Adventum hospitis.* |
| *Gemini* | *Pecuniarum accrementum.* |
| *Cancer* | *Ægrotationem oriri.* |
| *Leo* | *Accessum in potestate atque dominio.* |

| | |
|---|---|
| *Virgo* | *Regalis honoris decrementum.* |
| *Libra* | *Nova audire.* |
| *Scorpius* | *Rixas contentionesque in regione emergere.* |
| *Sagittarius* | *Pavorem ex omnibus.* |
| *Capricornus* | *Mortem uxoris.* |
| *Aquarius* | *Uxorem parere fœminam.* |
| *Piscis* | *Bonum in potestate atque dominio.* |

TABULA X.

*Ignis crepitus significat,*

| LUNA. | |
|---|---|
| *Aries* | *Nauseam, vomitumque accidere.* |
| *Taurus* | *Faciem patris videre.* |
| *Gemini* | *Refrigerium accidere.* |
| *Cancer* | *Lætitiam & refrigerium evenire.* |
| *Leo* | *Gaudium ex epistola.* |
| *Virgo* | *Longum iter.* |
| *Libra* | *Gaudium munusque.* |
| *Scorpius* | *Labores defatigationemque.* |
| *Sagittarius* | *Audire magna.* |
| *Capricornus* | *Intimationem enunciationemque futuram.* |
| *Aquarius* | *Dolorem in domo evenire.* |
| *Piscis* | *Jucunda audire.* |

TABULA XI.

*Ignis saltans significat,*

| LUNA. | |
|---|---|
| *Aries* | *Damnum & litem.* |
| *Taurus* | *Iter facere.* |
| *Gemini* | *Ingredietur in potestatem.* |
| *Cancer* | *Gaudium & lætitiam.* |
| *Leo* | *Munus accedere.* |
| *Virgo* | *Ægritudinem aut damnum.* |
| *Libra* | *Intimationem enunciationemque malam.* |
| *Scorpius* | *Labores angustiasque.* |
| *Sagittarius* | *Enunciationem fore.* |
| *Capricornus* | *Finem aut damnum.* |
| *Aquarius* | *Gaudium lætitiamque.* |
| *Piscis* | *Nec bonum nec malum.* |

TABULA XII.

*Tristitia ex insperato adveniens, aut phantasma apparens significat,*

| LUNA. | |
|---|---|
| *Aries* | *Nec bonum, nec malum.* |
| *Taurus* | *Adventum pecuniæ.* |
| *Gemini* | *Quod accusaberis.* |
| *Cancer* | *Pavorem ex latronibus.* |
| *Leo* | *Vana audire.* |
| *Virgo* | *Bonum nuncium.* |
| *Libra* | *Accrementum pecuniæ,* |
| *Scorpius* | *Longum iter.* |
| *Sagittarius* | *Dolorem de proximo.* |
| *Capricornus* | *Mortem evenire.* |
| *Aquarius* | *Pavorem ex hominibus.* |
| *Piscis* | *Bonum satis contingere.* |

Plurima alia accidere possent exempla, sed hæc duodecim sufficiant. Nam augur, qui ingenio pollet, hæc potest ad plurima alia deducere.

Erit igitur interpretatio, si Luna, tenente Arietem bestia, domum intraverit, litem, atque calumniam fore significat, sicque de cæteris signis, atque signorum significationibus dicito, semper enim tempore, quo auguristicum objectum nobis se offert, Lunæ locus inveniendus est. Ex juxta illius naturam judicato, idem in omnibus talibus facito.

## CAP. XXI.

*Tabella de saltibus, secundum Ægyptios Astronomos.*

SUNT qui saltus cujusque particulæ corporis reduxerunt ad 12. pro numero partium ac membrorum nostri corporis, quæ subjiciuntur signis, ut Ægyptii Astronomi, quorum sunt Petosiris, & Neocepsus, nam caput Arieti, collum vero ac cervicem Tauro, humeros atque brachia Geminis, Cancro pectus, latera & stomachum Leoni, ventrem Virgini, Libræ renes & vertebras, Scorpio pudenda, coxas Sagittario, genua Capricorno, crura Aquario, Piscibus pedes tribuerunt. Si igitur salit caput, vel aliqua capitis pars, totum hoc ad caput pertinere dixerunt, Arietique esse tribuendum, idque in cæteris docuerunt. Unde si Luna tenente Arietem caput vel aliqua capitis particula salierit, litem atque calumniam fore significandum est. Si Taurum, adventurum hospitem, si Geminos, in regione fieri morbos, idque in cæteris dicendum suo ordine. Est tamen annotatione dignum, Luna tenente idem signum, fieri posse, ut id membrum, ejusdemque membri particula saliat non semel, sed bis, aut pluries, & ideo omnes saltus eandem vim habebunt, donec videlicet ad aliud signum Luna se transferat: cum enim eadem stet causa, idem effectus, ut stet, necesse est. Hoc autem non modo in saltibus observandum est, verum etiam in cæteris auguriis, quæ in tabulis prioribus scribuntur.

Simili ratione de sternutamentis dixerunt, nam pro numero signorum ad duodecim omnia sternutamenta noctu diuque contingentia reduxerunt. Verum virtutem significandi a primo omnium sternutamentorum acceperunt, sive unum, sive plura eodem die nocteque contigerint, quoniam donec Luna exierit signum, sub quo primum sternutamentum accidit, eandem vim habent, quippe cum pro uno habenda sint, ut his tabulis annotabimus, quæ saltibus & sternutamentis inserviunt.

# TABELLA DE SALTIBUS ET STERNUTAMENTIS.

| LUNA. | Caput. | Collum & Cervix | Humeri & Brachia |
|---|---|---|---|
| *Aries* | *Litem atque calumniam fore* | *Primum sacerdotem mori.* | *Nec bonum, nec malum.* |
| *Taurus* | *Advenire hospitem.* | *Intimationem bonam fieri.* | *Gaudium lætitiamve evenire* |
| *Gemini* | *In regione fieri morbos.* | *Prælium oriri.* | *Dimicari regnareque.* |
| *Cancer* | *Rixas in civitate oriri.* | *Promulgari magni quippiam.* | *Opus perfici.* |
| *Leo* | *Regimen aliquidque magni evenire.* | *Mutari vestimentum.* | *Adventum ejus, qui te amat.* |
| *Virgo* | *Suasiones fieri astutiasque.* | *Angustiam insurgere.* | *Praviorem majoremque malitiam exoriri.* |
| *Libra* | *Spem emergere.* | *Moveri corpus de loco ad locum.* | *Nova vestimenta adesse.* |
| *Scorpius* | *Angustias contingere.* | *Mori inimicum.* | *Gaudium lætitiamve emergere.* |
| *Sagittarius* | *Iter viasque fieri.* | *Intimationem in occultis fore.* | *Ægritudinem accidere.* |
| *Capricornus* | *Gaudium atque lætitiam accidere.* | *Munus afferri.* | *Jucunditatem de hospite.* |

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Aquarius* | *Dolorem litemque surgere.* | *Servum aufugere.* | *Gaudium lætitiamve.* |
| *Piſcis* | *Bonam cauſam emergere.* | *Pluvias imbremque fore.* | *Gaudium lætitiamve.* |

| LUNA. | Pectus. | Latera & ſtomachus. | Venter. |
|---|---|---|---|
| *Aries* | *Iter futurum.* | *Gaudium lætitiamve.* | *Pavorem evenire propter latrones.* |
| *Taurus* | *Quod corripieris in verbis.* | *Evenire malum in dominio aut poteſtate.* | *Feſtinare ut regnum regatur.* |
| *Gemini* | *Intimationem aliquam novam.* | *Peſtem accidere.* | *Sanguinis effuſionem.* |
| *Cancer* | *Adventum hoſpitis.* | *Pecuniæ inventionem.* | *Futurum morbum.* |
| *Leo* | *Querelam petitionemve.* | *Adventum boni hoſpitis.* | *Motum de loco ad locum.* |
| *Virgo* | *Lætitiam gaudiumve.* | *Bonam enunciationem intimationemque.* | *Amittere pecuniam.* |
| *Libra* | *Adinvenire quod deſiderabatur.* | *Bonam acceptionem receptionemque.* | *Amicum ægrotare.* |
| *Scorpius* | *Pecunias adminui.* | *Ægritudinem.* | *Quærelas lamentationesque emergere in domo.* |
| *Sagittarius* | *Malitiam exoriri.* | *Labores defatigationemque.* | *Animalium mortem.* |
| *Capricornus* | *Amicum disjungi ſepararique.* | *Anguſtiam ſuper ſuos evenire.* | *Dolorem fore in ſtatu.* |
| *Aquarius* | *Iter futurum.* | *Pecuniam ex annalibus.* | *Litem naſci.* |
| *Piſcis* | *Gaudium lætitiamve.* | *Bonum in dominio atque poteſtate.* | *Anguſtiam contriſtationemque inſurgere.* |

| LUNA. | Renes & Vertebræ. | Pudenda. | Coxas. |
|---|---|---|---|
| *Aries* | *Amittere aliquid.* | *Bonum aliquid lucrari.* | *Inimici caſum.* |
| *Taurus* | *Emere ſervum.* | *Patriarcham mori.* | *Adventum hoſpitis.* |
| *Gemini* | *Nova mala audire.* | *Malum novum accidere.* | *Pecuniarum accrementum.* |
| *Cancer* | *Finiri prælium.* | *Litem inſurgere.* | *Ægrotationem oriri.* |
| *Leo* | *Teſtimonium falſum inſurgere.* | *Pecuniam invenire.* | *Acceſſum in dominio.* |
| *Virgo* | *Ægrotationem.* | *Adventum hoſpitis.* | *Regalis honoris decrementum.* |
| *Libra* | *Pavorem propter latrones.* | *Feſtinum gaudium.* | *Nova audire.* |
| *Scorpius* | *Gaudium lætitiamve.* | *Timorem in dominio atque poteſtate.* | *Rixas contentioneſque emergere.* |
| *Sagittarius* | *Nec bonum, nec malum.* | *Magnum accrementum.* | *Pavorem ex hominibus.* |
| *Capricornus* | *Feſtinare jus.* | *Caſum comitis aut amici.* | *Mortem uxoris.* |
| *Aquarius* | *Religioſum occurrere, aut ſanari ægrum.* | *Nec bonum, nec malum.* | *Uxorem parere fœminam.* |
| *Piſcis* | *Bonum novum inſurgere.* | *Inimici caſum.* | *Bonum in poteſtate atque dominio.* |

| LUNA. | Genua. | Crura. | Pedes. |
|---|---|---|---|
| *Aries* | *Nauſeam vomitumque accidere.* | *Damnum & litem.* | *Nec bonum, nec malum.* |
| *Taurus* | *Faciem patris videre.* | *Iter facere.* | *Adventum pecuniæ.* |
| *Gemini* | *Lætitiam & refrigerium.* | *Ingredietur in poteſtate.* | *Quod accuſaberis.* |
| *Cancer* | *Gaudium ex epiſtola.* | *Gaudium & lætitiam.* | *Pavorem ex latronibus.* |
| *Leo* | *Longum iter.* | *Munus accedere.* | *Vana audire.* |
| *Virgo* | *Gaudium munuſque.* | *Ægritudinem aut damnum.* | *Bonum nuncium.* |
| *Libra* | *Labores defatigationemque.* | *Intimationem nullam.* | *Accrementum pecuniæ.* |
| *Scorpius* | *Audire magna.* | *Labores & anguſtias.* | *Longum iter.* |
| *Sagittarius* | *Intimationem futuramque enunciationem.* | *Enunciationem fore.* | *Dolorem de proximo.* |
| *Capricornus* | *Dolorem in domo evenire.* | *Finem aut damnum.* | *Mortem evenire.* |
| *Aquarius* | *Jucunda audire.* | *Gaudium lætitiamque.* | *Pavorem ex hominibus.* |
| *Piſcis* | *Refrigerium accidere.* | *Nec bonum, nec malum.* | *Bonum ſatis contingere.* |

Hæc ſunt quæ comperta habemus de ſuperſtitioſis auguriis, quæ ideo prolixe explicavimus, ut intelligant omnes, qui libellum hunc legent, omnia hujuſmodi auguria eſſe ſuperſtitioſa atque reprobanda, ut proximo libro dilucide patebit.

# EJUSDEM
# DE
# AUGURIIS
## LIBER II.
## PROOEMIUM.



UPEREST *modo de auguriis ea dicere, quæ vera & certiora ſunt, nam quæcunque hucusque diximus, non ex noſtra, ſed ex aliorum opinione ſcripſimus: fuerunt enim plurimi tum philoſophi, tum viri ſanctiſſimi, qui nullam fidem auguriis tribuerunt. Unde Cicero, qui Nonio optimam ſpem habere licere dicenti, quod ſeptem Aquilæ in caſtris Pompeii eſſent captæ, deridendo has vanitates, inquit: Recte moneres, ſi adverſus picas nobis pugnandum foret. Et Labieno in caſtris Pompeii divinationibus auguriisque innixe dicenti, Pompejum ſuperaturum, deridens reſpondit Cicero, eos hac ſpe ductos caſtra nuper amiſiſſe. Varro autem dixit, Deos ocioſos ac feriatos fore, ſi ſua conſilia corniculæ crederent, aut corvo hominibus indicanda, & alibi non ſolum ocioſos aſſerit Deos, ſed ſordidiſſimos fuiſſe, ſi in jecorum, & viſcerum ſterquilinio ſua occultaſſent conſilia, hominibus ab inſanis ſacerdotibus manifeſtanda, ut optabilius fuerit valuiſſe apud majores Ciceronis pro A. Cluentio ſententiam, pietate, & religione, & juſtis precibus Deorum mentes, non contaminata ſuperſtitione, neque ad ſcelus perficiendum cæſis hoſtiis poſſe placari, ubi enim fuiſſe Deos alibi quam in ſtercore exiſtimabimus: hujus vanitatis exemplum nobis præbet Tullus Rex, qui, cum Jovem iis ſuperſtitionibus ſollicitaſſet, fulmine cum tota domo deflagravit. Phavorinus, Gellius, Boetius, & alii plurimi, tum Peripatetici, tum Platonici, non ſolum has vanitates contempſerunt, ſed acerrimis argumentis reprobaverunt. Quare argumenta, obſervationeſque, quibus confutantur ſuperſtitioſa auguria, primo nobis diſſerenda ſunt. Deinde exponendum, quibus auguriis fides præſtanda ſit, quibus vero non, aut uſque quo eis credendum ſit, initio nobis ſumpto a noſtra obſervatione.*

---

### CAP. I.

*Obſervatio authoris, qua reprobantur ſuperſtitioſa auguria.*



T cum nulla alia ratione reprobari poſſint efficacius ea, quorum fides ab obſervationibus ſuſcepta eſt, hujuſmodi vanitates obſervationibus reprobandæ ſunt, e quibus in mentibus hominum locum habuerunt; quia enim M. Marcello, cum periit ab Annibale, caput jecoris defuit, & C. Mario, cum immolaret Uticæ, & C. Principi Kalendis Januariis, cum iniret conſulatum, quo an-
A no interfectus eſt, Claudioque ſucceſſori ejus, quo menſe interemptus eſt veneno, Pyrrho Regi, quo die periit, præciſa hoſtiarum capita etiam defuerunt, ideo extis fidem tribuerunt. Divo etiam Auguſto Spoleti ſacrificanti primo poteſtatis ſuæ die victimarum jecinora replicata intrinſecus ab una fibra reperta ſunt, reſponſumque duplicaturum intra annum imperium. Gemina item Divo Auguſto apparuere jecinora, quo die apud Actium vicit. Ex iis igitur, atque ſimilibus obſervationibus fomentum inſaniæ tantorum virorum emerſit, quod tot ac majoribus pluribuſque obſervationibus factis reprobatur. Q. enim Mutius Scævola, inter primarios omnium ætatum viros augur eminentiſſimus, cum in tem-
B plo Veſtæ (quo nihil in urbe Roma habitum eſt ſanctius) aram ipſam amplecteretur, a Syllæ carnificibus præter opinionem, quam ipſe de ſuis au-

guriis habebat, interfectus est. Nero quoque cum omnibus vanitatibus, per quas futura prædicantur, nimium hæreret, nunquam tutus fuit a fine, quem non sperabat per auguria, quibus confidebat. Possem infinita exempla inducere eorum Romanorum, qui his vanitatibus inhæserunt, quorum actiones finesque non evenerunt, ut per auguria a vatibus fuit interpretatum, sed bona fronte supersedeo. Et ea aggrediamur, quæ a nobis sunt observata: in juventa enim (quæ ætas est curiosissima) tabellas omnes quas annotavimus, diligentissime perquisivimus, ut tabellam de sternutamentis & tabellam de saltibus, cæterasque omnes, & eas plerumque falsas reperimus, perraro autem veras. Quæ ratio docet, significationes eorum auguriorum, quæ in illis scribuntur, casu evenire, qui est de contingenti raro. Sternutamenta, saltus, resque naturales, quas propriis naturis creditum est ferre nobis auguria, superstitiosa sunt & vana, nos enim (cum illa sæpissime observaremus) nunquam aliquid veri invenimus. Observationes Plutarchi Cheronei (qui per situs auguria definivit) non modo vanæ sunt, verum etiam fabulosæ, nos enim cum non semel illas experiremur, nullas veras invenimus, 12. illæ superstitiones, quibus juniores augures auguria determinaverunt, ridiculæ sunt, cum nec ipsi nec nos unam comperimus veram. Observationes Plinii, non vanæ tantum, sed similes insomniis sunt, quæ motu humorum imaginariæ virtuti repræsentantur. Astronomicæ observationes etiam falsæ sunt, quas omnes, cum nos omni diligentia consideramus, superstitiosas ac vanas sicuti cæteras invenimus. Superstitiones Romanorum nullam habent rationem, sed fuerunt a sacerdotibus inventæ, ut per illas viverent, hominum enim genus (ut Aristoteles inquit) artibus & rationibus vivit. Si igitur observationibus innitendum est, nos testamur multis temporibus ea observasse, quæ scripsimus, nihilque veri reperisse, si quid tamen veri reperimus, in hoc libro 2. exponemus: verum quia aliquis negare posset observationes nostras, asserendo vel non debite, vel non suis temporibus, vel non requisitis omnibus esse factas, ideo post hujusmodi observationes ad rationes accedendum est, quibus doctissimi viri has vanitates refutaverunt.

---

## CAP. II.

*Argumentum Peripateticorum, quo reprobantur auguria.*

INSURGAMUS igitur primo contra hujusmodi superstitiones, argumentis Peripateticorum, nam si auguria futura enunciant, aut quia illorum causæ, aut quia effectus eorum sunt. Sed constat nec causas, nec effectus auguria futurorum esse, non igitur auguria futura prædicunt, nisi temere: videmus enim Medicum ex effectibus futura prædicere, Astronomum vero per stellas, quæ effectuum sublunarium causæ sunt. At cum auguria effectuum futurorum causæ non sint, nec illorum effectus, jure fit, ut temere per auguria futura prædicantur. Accedit ad hæc, quod insomnium non magis rei futuræ causa est quam augurium, utrumque enim ad effectum futurum per accidens comparatur. Sed secundum Arist. *de somno*, insomnium rei futuræ per accidens causa est: accidit enim me somniante, Platonem venire ad me, ut Plato veniat, veluti accidit me exeunte domum, ut coruscatio fiat, non enim coruscationis exitus a domo causa aut effectus est. Ad hæc imaginatio, qua imaginor amicum venire, non magis causa aut effectus est, ut amicus veniat, quam cantus Cornicis effectus aut causa est, ut hostis veniat. Utriusque enim ad utrumque connexio est accidentaria, & fortuita, quare si me imaginante amicum venire, casu amicus venit, ita Cornice cantante, casu hostis accedit. Auguria igitur per accidens prædicere videntur futura, veluti (ut Aristot. inquit) somnia ipsa.

---

## CAP. III.

*Evasio quorundam insanorum.*

EVADUNT vero quidam insani ab his rationibus, dicentes, auguria (ut auguria casu prædicere futura) ut auguria facta sub tali Lunæ motu, vel tali constellatione, per se futura prædicere, quoniam licet auguria, ut auguria, nec causæ nec effectus futurorum sint, tamen auguria ut facta sub hoc aut illo Lunæ decursu, esse futurorum coeffectus, quatenus augurium ipsum sub hac vel illa Luna factum, & futuri ipsi effectus, quos portendit, ab eadem causa sunt, ut ab eodem Lunæ decursu, veluti licet urina ignea nec causæ nec effectus sit febris cholericæ: quia tamen ignea ipsa urina & febris cholerica ab eadem causa sunt, ut ab humore cholerico, ideo ignea ipsa urina portendit febrem cholericam, & e converso febris cholerica igneam ipsam urinam.

---

## CAP. IV.

*Reprobatio hujus evasionis.*

SED hæc evasio frivola videtur, nam sic poterimus omnem superstitiosam divinationem probare, diceremus enim Geomantiam, Pyromantiam, & cæteras tales esse veras, quoniam licet puncta sic figurata, nec effectus nec causa sint futurorum, ut puncta sic figurata, tamen projecta sub hac vel illa Luna erunt coeffectus futurorum: eadem ratione & sortes efficaciam habebunt, quoniam semper diceremus, etsi non caussæ aut effectus sint futurorum, esse tamen coeffectus ab eadem Luna evenientes. At constat sortes ab omnibus esse reprobatas, cum temere & non per se futura prædicant.

---

## CAP. V.

*Argumentum Divi Thomæ, quo auguria & sortes refutantur.*

AUGURIA & sortes, & cætera divinatoria sanctissimus Doctor Thomas perpulchre reprobavit eo libello, quem *de sortibus* inscripsit: argumentatur enim, majorem connexionem habent stellæ cum actibus humanis, qui ab intellectu & voluntate nostra proficiscuntur, quam auguria, sed ex stellis non proficiscuntur humani actus, nisi contingenter, temereque, igitur non possunt prædici actus humani per auguria, quæ cum illis actibus connexionem contingentem habent, quod autem ex ipsis stellis humani actus necessario non eveniant, testis est Ptolomæus, qui sapientem stellas exuperare affirmat, & libro centum enunciatorum, proœmio *Apotelesmat*. Quare nec ex auguriis humani actus, nec ut a causis, nec ut a signis necessario proficiscuntur.

## CAP. VI.

*Phavorini & Plinii argumentum adversus auguria.*

PHAVORINUS vero fidem non esse divinaculis adhibendam apud Gellium hoc pacto argumentatur: aut enim (inquit) adversa ventura dicunt, aut prospera: si prospera, & fallunt, miser fies frustra expectando: si felicia promittunt ea, quæ ventura sunt, expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi jam defloraverit: si adversa dicant, & mentiantur, miser fias, frustra timendo, si non mentiantur jam inde ex animo miser fias, antequam e facto fias. Insuper (ut Plinius inquit) nec liberi, nec ingenui hominis est vaticiniorum suspicionibus addici, aut superstitionibus divinatorum sollicitari. Unde & in sacris historiis monitum est a Domino, *Non esse vestrum noscere tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate*, nec injuria quidem, nam si aliqua futura necessarium fuerit noscere pro publico bono generis humani, aut pro privato alicujus personæ, hæc divino numine fidelibus innotescunt.

## CAP. VII.

*Prima dilucidatio de auguriis.*

SED quoniam (ut Arist. inquit libro *de somno*) nihil apud gentes famigeratum, ac probabile, omni ex parte falsum est habendum, ideo sic de auguriis dici potest, quemadmodum de insomniis opinatur Aristot. quod videlicet auguria alia divina, alia naturalia, alia vero casu ac temere sint: divina apud Romanos Græcosque ipsos plurima fuerunt, ut canem allocutum fuisse, & serpentem latrasse, cum pulsus esset a regno Tarquinius. Et bovem, ut proditur Veterum monumentis, locutum esse. Præterea arbores (ut C. Epidius inquit) fuisse locutas, paulo ante mortem Cæsaris, equorum armenta comperta sunt pabulo abstinere, ubertimque flere, ante mortem Caligulæ. Simulacrum Jovis Olympii tantum cachinnum repente edidit, ut machinis tabefactis, opifices diffugerint, M. Lepido, & Q. Catulo Cons. in villa Galerii locutus est gallus. C. Volumnio, & Servio Sulpitio Cons. Bos mugitu in humanum sermonem converso locutus est; equus, cui nomen erat Xanthus, apud Homerum *Iliad.* 19. loquens, dixit: Patroclum sua ignavia non intercidisse, sed Deorum voluntate ac fato, quibus nullo pacto sui corporis dotibus obviam ire poterat. Puer infans semestris in foro boario triumphum proclamavit, C. Hostilio Mancino in Hispaniam ituro, talis vox sine authore ullo pervenit ad aures, Mancine mane. Ante paulo quam Augustus Imperator factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locutus est, frustra se urgeri, non enim frumenta, sed homines brevi defuturos. Hæc & id genus divina auguria putavit antiquitas. Viri autem vita atque doctrina sanctissimi, si aliqua essent, quæ divina auguria fas esset dicere, ea signa, divina auguria afferent, quæcunque divinam causam habere possunt, ceu columba, quæ apparuit discipulis Domini, augurium fuit eis ad futurum bonum, & Magis stella, quæ apparuit, augurium fuit ad tutum iter, atque rectum. Petro quoque binus galli cantus augurium fuit ad conversionem in salutem, & quamplurima hujus-

A modi (si ea fas est auguria nuncupare) hæc enim numine fieri concedimus, cum pro communi aut privato bono futura prænoscere necessarium est. Innuitur autem hæc fieri numine per illud quod dicitur libro *Sapientiæ* cap. 7. *Attingit a fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: numine etiam non solum corpora, sed hominum mentes ad proprias actiones moventur, per illud quod in *Psalmis* dicitur: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*. Numine etiam voluntates ad desiderandum, atque ad agendum accenduntur, veluti magister gentium tradit ad *Philippenses* cap. 2. cum inquit: *Deus est, qui operatur in nobis, & velle ac perficere bona voluntate*. Et apud *Esaiam*

B cap. 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis*: quæ ratio docet divina auguria esse (si fas est divina auguria appellare) non ea quæ apud Romanos divina dicebantur, quoniam illa fortasse a dæmonibus erant, sed ea, quorum causa est numen, de quibus in sacris literis quærendum est. Naturalia vero, quibus Medici aut Philosophi naturales utuntur ad aliquid futuri significandum, & dicuntur naturalia, quoniam eorum assignari potest aut humana aut naturalis causa, humana quidem, ut si esset subitarius avium volatus ex aliquo loco, hoc enim augurium esse posset ad significandum nobis eo loco latere insidias, e quo aves subito volaverunt, cujus causa est assignata ex nostra humana industria. *Naturalis vero, ut si quis glocitante frequen-*

C *ter cornicula mox futuram prænunciet pluviam, ex naturali causa potest auspicari, quoniam naturali quodam instinctu ex impressione corporum cœlestium producto moventur pro ratione dispositionis aeris ad temporum cognitionem, ut necessarium est suis naturis, secundum illud Hieremiæ cap. 8. Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui*. Præterea si Medicus binum sternutamentum pro augurio accipiat, dicatque ægrotum a mortis periculo liberari, ex naturali causa hoc dicere potest, unum enim casu esse potest: plura vero duobus rheumatis impulsum, duo autem virtutis robur arguunt. Ad hæc

D in iram assuetam ægrotum redire pro augurio bono a Medicis accipiuntur, in ægrotis: *Præsagit enim ægrotos ad naturales dispositiones reverti*. Insuper si Medicus saltum pro augurio sumat ad significandum accidentia animæ, ut gaudium, iram, vel tristitiam, & id genus, non est præter rationem naturalem, quoniam, ut Avicenna inquit lib. 3. Fen. 3. tract. 1. cap. 18. Saltus aliquando evenit ex animalibus accidentibus, nam motus spirituum, qui est in animalibus passionibus, interdum convertit humores in ventositates, quibus fit saltus membri. Saltus etiam propter hanc causam enunciat apoplexiam, & cum perseveraverit in membrana

E cooperiente ventrem, præsagit melancholiam, & epilepsiam. Cum vero perseveraverit in facie, torturam, cum & in hypochondriis, apostema præsagit. Quare si quis tremorem pro augurio sumat ad significandum hæc, non præter naturalem rationem, accipiet. Si etiam Meteorologicus tres soles sumat pro augurio ad significandum pluvias ingentes, non præter rationem naturalem facit: simili ratione si tres Lunas, clypeumque ardentem in cœlo, armorum crepitus, tubarum sonitum audiri, lacte pluere & sanguine, ut M. Actilio, & C. Portio, Consulibus. Item carne, ut L. Volumnio, & Servio Sulpi-

F tio, Consulibus. Rursum ferro in Lucanis paulo ante quam M. Crassus occideretur a Parthis, ad significandum effectus naturales, Meteorologicus pro augurio accipiat, non errat, quoniam naturales causas habere potest. Præterea si quis vultures biduo aut triduo volare in exercitu in augurio accipiat ad significandam exercitus interemptionem, non errat, si verum

verum est quod Plinius inquit lib. 10. Vultures A cadavera futura & præsentia præsentire. Sunt tertio auguria, quæ & nugatoria, & superstitiosa, & casualia dicuntur, verbi causa, si quis sternutamentum acceperit pro augurio ad significandum veritatem eorum, quæ quis dicit, aut evasionem parati periculi, superstitiose, nugatorie, & casu verum prædicit. Augures enim sternutamentum pro augurio accipiunt, ad multa significandum, præsertim (ut Albertus inquit) ad significandum duo, veritatem videlicet ejus dicti, cui sternutamentum intervenit, & evasionem parati periculi, ut puta cum aliquis sustinet insidias ab aliquo, præsertim si bis sternutaverit. Binum enim sternu- B tamentum magnitudinem virtutis significat, quæ non esset, nisi homo, qui bis sternutat, cœlestibus virtutibus esset adjutus, veluti critica dies non esset, nisi virtute cœlesti esset roborata. Virtute vero cœlesti fovente, dictum expletur, reique adæquatur, & sic erit verum. Simili ratione augurium est ad significandam evasionem parati periculi: *Nam qui virtutibus cœlorum roboratur, non potest a terrenis & sublunaribus devinci*. Ego vero arbitror omne illud, quod significat sternutamentum præter evasionem infirmi, esse nugatorium, superstitiosum, & casuale. Casuale quidem, quoniam casu est, aliquo sternutante, ut evadat a C periculo parato per insidias, quoniam præter intentionem sternutantis, & eorum qui paraverunt insidias. Nugatorium vero, quoniam si quis accipiat sternutamentum, ad significandam veritatem dicti, vel evasionem parati periculi, re utitur ad significandum id, ad quod virtus rei non se extendit, non enim virtus sternutamenti potest ad hæc se ostendere. Tale autem dicitur nugatorium, ut Augustinus inquit lib. 2. *de doctrina Christiana*. Superstitiosum denique, quoniam importuna ineptaque, & non vera religione observatum; nam (ut Gellius inquit) *omnis importuna* D *ineptaque religio superstitio dici potest*; propter hanc causam *Deut.* 18. dicitur: *Non inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, aut incantator, nec Pythones consulat, nec divinos, & quærat a mortuis veritatem*. Simili ratione dicendum est de saltu, & volatibus & cantibus avium, cum enim accipiuntur ad significandum aliquid ultra virtutes proprias, superstitiose, nugatorie & casu accipiuntur. Ex iis perspicuum est, quibus auguriis sit credendum, quibus vero non. Divinis enim ac naturalibus si quis crediderit, nec vanus, E nec nugatorius, nec superstitiosus est, at qui auguriis credit, quæ non nisi casu significant, hic vanus est, superstitiosus & nugatorius.

## CAP. VIII.

*Dilucidatio veræ causæ auguriorum superstitiosorum.*

Ex iis patet veram causam superstitiosorum auguriorum esse dæmonem, nam ut Augustinus inquit lib. 2. quem de doctrina Chri- F stiana scripsit, omnes artifices hujus vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fugienda Christiano. Dæmones enim talibus rebus efficaciam aliquando præstant, ut vanitatibus animos hominum implicent, & propterea dicitur in Psalmis: *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas*. Hactenus de vera auguriorum causa.

## CAP. IX.

*Reprobatio causæ assignatæ a Plinio, per quam auguriis fidem præstabat.*

PATET insuper ex iis, intentionem nostram, qua augurium in bonum vel malum referimus, non esse causam auguriis, ut vera significent, quemadmodum putavit Plinius, nam sic & imaginatio esset causa salutis, vel damni, quod falsum est; non enim potest virtus accommodata uni corpori, secundum Peripateticos esse vera causa alicujus in altero corpore, nisi forte causa excitans, ut patet de equis, quorum altero mingente, alter mingit: imaginatio enim qua quis imaginatur adventum febris, & febris venit, non est causa, nisi per accidens illius; at imaginatio qua quis ambulando per angustum trabem imaginatur cadere, & cadit, causa est casus, nam casus ille proficiscitur ex timore, cujus causa est imaginatio casus. Sed timor res est in nobis. Cum igitur imaginaria vis nostra nec supra aves, nec supra belluas, nec supra id genus auguria, virtutem habeat, fit, ut nec illa ad auguria pertineat.

## CAP. X.

*Reprobatio causæ Plutarchi & juniorum, per quam auguriis fidem præstabant.*

PROPTER eandem causam patet vanitas causæ, per quam Plutarchus fidem præstabat auguriis: cum enim dextrum & sinistrum relationes sint, quibus augurium dicitur dextrum, aut sinistrum, non ex parte augurii, sed ex parte nostri, fit ut causa hæc vana, nugatoria & superstitiosa sit; non enim in relationibus virtus est, se extendens ad hujusmodi singnificationes, cum nec causæ talium sint, nec effectus. Præterea quod est in comparatione ad animal, non est in se dextrum, nec sinistrum, & quod non est in se dextrum, vel sinistrum, non potest esse in se bonum vel malum. Quare nullum augurium bonum, aut malum est, nisi per accidens, ac temere, quatenus accidit transire a dextro in sinistrum, ut negocia perficiam, quoniam plerunque oppositum observavimus, & per idem reprobatur juniorum causa, ut consideranti patet.

## CAP. XI.

*Reprobatio causæ eorum, qui ex sitibus cœli auguriis fidem præstant.*

PROPTER eandem rationem reprobatur eorum causa, qua ex situ cæli auguriis fidem præstabant. Nam auguria bona sunt, quoniam versus eandem partem cœli, in qua beneficæ stellæ vigent, proficiscuntur, & mala, quæ versus eandem partem, in qua maleficæ vim habent: omne igitur quod versus eandem partem moveretur, esset bonum, in qua beneficæ vim habent, malum vero versus eam, in qua maleficæ.

A At contrarium sæpius observavimus, quippe cum sæpissime vidimus beneficas motibus propriis inerrare ad partes, ubi prius maleficæ erant, & e contrario etiam, & tamen auguria, quæ vi cœli bona esse debebant, mala esse observavimus, & quæ debebant esse mala virtute cæli, vidimus bona esse. Quod non est ob aliud, nisi quia auguria nullam per se significationem habent, nisi temere, ac casu. Ex eisdem patet error eorum, qui auguriis fidem præstant propter stellas, quæ præsunt domo nonæ tempore augurii: nam, ut recte doctor sanctissimus putat, si stellæ non possunt agere in actus nostros, nec auguria, si ab eis dirigerentur,
B poterunt in actus nostros. Non enim major virtus esse poterit in sagitta, quam fuerit in projiciente. Quod vero stellæ non possint in actus nostros, nunc dicere supervacaneum est, quoniam alibi probavimus.

---

## CAP. XII.

*Reprobatio causæ assignatæ a Themistio, & Theophrasto, & a Mercurio, & a Varrone, & a cæteris aliis.*

C QUI vero dixerunt auguriis fidem esse præstandam, quia moventur a Deo, si de auguriis superstitiosis, & nugatoriis, & temerariis loquantur, deridendi sunt: simili ratione refutandi, qui dicunt auguria moveri a bonis geniis, qui intelligentiæ sive angeli dicuntur, nam nihil superstitiosi, nihil nugatorii, nihil vani esse potest a simpliciter bono. Varronici vero, & alii qui dicunt auguria moveri a Luna sola, vel a dæmone bono interventu Lunæ, sunt omnino explodendi. Si enim sola Luna per signa decurrens, causa movens esset, contingeret eidem eodem tempore bonum & malum significari: nam si Luna tenente Arietem bestia domum ingrederetur, malum portenderetur, quoniam præsagiret litem, & calumniam, quæ mala sunt. At si Luna tenente Arietem in domo sonitus audiretur, bonum præsagiretur, quia gaudium & lætitiam: sed cum eodem tempore hæc utraque esse possint, eodem etiam tempore Luna tenente idem cœli signum, bonum & malum augurium fieri contingeret, quod ridiculum puto. At si bonus dæmon auguria movet interventu Lunæ (ut juniores putant) hoc longe magis superstitiosum, nugatorium & vanum esse videtur: nam cum Luna & genius bonus ordinatissimæ res sint, omni nugatione, superstitione, & casu carentes, non videntur movere ea quæ veri nihil significant, nisi in superstitione intelligantur. Ad hæc actus nostri non proficiscuntur a Luna, nec ab ipso genio, cum in voluntatem nostram non possint; est tamen verum, dæmones certis stellis observatis, præsertim Luna, concurrere ad multa agenda, hoc enim agunt, ut homines ad eum errorem inducant, quo credant aliquod numen esse in stellis. Et de auguriis hactenus; finis. M.D.XXIV. Die II. Januarii.



# JULII CÆSARIS BULENGERI DOCTORIS THEOLOGI, *DE SORTIBUS* LIBER I.

## CAP. I.

*De Sortibus*.



SORTES pro Oraculis multis locis fuere, atque adeo pro vaticiniis ſæpe uſurpantur. Unde *Lyciæ ſortes*, Virgilio, & lib. 29. Ammiano, *An ex fide ſortium ea præſcierint, quæ ſuſtinerent*. Sortes proprie dictæ, quæ manu moverentur, ſive teſſeræ ex urna ducerentur; ſive tali in alveolum mitterentur, ſive in fontem jacerentur, modo fortuito, & caſu fieret. Quo pertinet illud Ciceronis lib. 2. *Divinat. Quid enim ſors eſt? Idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras, quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, & conſilium valet*. Juvenalis,

*Et ſortes ducet.* —

Cæritum ſortes, Præneſtinæ, Antiatinæ, Falerinæ, Aponinæ, tabellæ ligneæ fuere, literis inſcriptæ, quas Oraculi vice conſulebant. γραμματεία vocat Plutarchus in *Fabio*, de Falerinis agens. In vetere inſcriptione: *Sortibus ſublatis, ſacro ſuſcepto*. Sortes igitur erant tabellæ, aut taleolæ ligneæ, quibus literæ ad divinandum inſculptæ, ſive notæ. Interdum quatuor, aut quinque verba inſcripta, ut apud Livium lib. 22. & Plutarchum in *Marcel.* Τῦ δὲ ὑπὲρ Φαλερίυς ὀρανῦ ῥαγῆναι δόξαντος ἐκπίπτειν, καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ τύπων ἑνὶ γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν, Αρης τὰ ἑαυτῦ ὅπλα σαλεύει: *Cum cælum ſupra Falerios rumpi viſum eſſet, multas tabellas cecidiſſe, & ſparſas eſſe, in quarum una ſcriptum ad verbum, Mars ſua arma quatit*. Buraici Herculis ſortes talis in alveum miſſis commemorat Pauſanias in *Meſſeniac.* Βυραϊκὸς Ηρακλῆς ἐν Αχαΐᾳ, μαντείας δὲ ὑπὸ πίνακι, καὶ ἀςραγάλοις ἐςὶ λαβεῖν. Εὔχεται μὲν γὰρ πρὸ τῦ ἀγάλματος, λαβὼν δὲ ἀςραγάλυς τέσσαρας ἀφίησι ἐπὶ τῆς τραπέζης: *Buraicus Hercules in Achaja, ubi licet divinationem capere, talis in tabulam miſſis. Qui enim ſortes conſulit, precatur ante ſimulacrum, ſumptoſque talos quatuor mittit in menſam*. Numerius Suffetius Præneſte ſomnio monitus eſt ſilicem cædere, *Perfracto ſaxo ſortes erupere in robore inſculptæ priſcarum literarum notis. Is eſt hodie locus ſeptus religioſe, propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone, in gremio Fortunæ ſedens, mammam appetens, caſtiſſime colitur a matribus. Eodem*

A *tempore, illo loco, ubi nunc Fortunæ ſita ædes eſt, mel ex olea fluxiſſe dicunt, haruſpiceſque dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras, eorumque juſſu ex illa olea arcam eſſe factam, eaque conditas ſortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu pueri manu miſcentur, atque ducuntur?* &c. *Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis exploſit. Fani pulchritudo, & vetuſtas Præneſtinarum etiam nunc ſortium retinet nomen, atque id in vulgus*, ait Cicero lib. 2. *Divinat.* Plurimum autem auctoritatis eas ſortes habuiſſe indicat Suetonius cap. 63. B *Tiberius aruſpices ſecreto, ac ſine teſtibus conſuli vetuit; vicina vero Urbi oracula etiam diſjicere conatus eſt, ſed majeſtate Præneſtinarum ſortium territus deſtitit, cum obſignatas, devectaſque Romam non reperiſſet in arca, niſi relatas rurſus ad templum*. Ubi animadvertes, ſortes in arca clauſas. Ea arca ex olea, ut Cicero. Statius lib. 1. *Silvar.*

*Quod ni templa darent alias Tirynthia ſortes,*
*Et Præneſtinæ poterant migrare ſorores.*

Fortuna enim Præneſte colebatur, ſub imagine duarum ſororum, unde reſponſa data. Puer ſortes in urnam conjectas movebat, & ducebat. C Silius:

*— Sacriſque dicatum*
*Fortunæ Præneſte jugis.*

Martialis:

*Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores.*

Propertius lib. 2. eleg. 32.

*Nam quid Præneſtis dubias, o Cynthia, ſortes,*
*Quid petis Aeæi mœnia Telegoni?*

D Suetonius in *Domitiano* cap. 13. *Præneſtina fortuna toto Imperii ſpatio novum annum commendanti, lætam, eandemque ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit*. Strabo lib. 5. Πραίνεςος δ' ἐςὶν ὅπυ τὸ τῆς τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον, *Præneſte eſt, ubi fortunæ fanum, & oraculum eſt celebre*. Macrobius ait Fortunarum ſimulacra moveri, cum darent reſponſa. Valer. Max. lib. 1. cap. 3. *Lutatius, qui primum bellum Punicum confecit, a ſenatu prohibitus eſt ſortes Præneſtinæ Fortunæ adire*. Lamprid. in *Alex. Severo*. *Huic ſors in templo Præneſtinæ talis extitit, cum illi Heliogabalus inſidiaretur,*

*—— Si qua fata aspera rumpas,*
*Tu Marcellus eris. ——*

Unde conjicias Prænestinas sortes non modo manu pueri moveri, sed voce interdum responsa Præneste dari. Fuerunt & fortunæ Antii, de quibus Martialis:

*Seu tua veridicæ discunt responsa sorores.*

Horatius:

*O Diva gratum quæ regis Antium.*

Suetonius in *Caligula*, *Monuerunt & sortes Antiatinæ, ut a Cassio caveret.* Sortes interdum pro oraculis, & responsis, Tibullus lib. 2. eleg. 8.

*Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum,*
*Præcinit eventus, nec mihi cantus avis.*

Suetonius: Vespasianum *apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret, volveretque animo quantumlibet magnum id esse proventurum pollicerentur.* De Carmelo Tacitus lib. 2. *Hist. Est Judæam inter, Syriamque Carmelus, ita vocant montem, Deumque. Nec simulacrum Deo, aut templum, sic tradidere majores, aram tantum, & reverentiam. Illic sacrificanti Vespasiano cum spes occultas versaret animo, Basilides Sacerdos inspectis identidem extis, quicquid est, Vespasiane, quod paras, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.* Ammian. Marcel. lib. 15. *Athanasius dicebatur fatidicarum sortium fidem, quæve augurales portenderent alites scientissime callens, aliquoties prædixisse futura*, lib. 29. *motasque secretis artibus sortes, & nuncupationem principis optimi, & ipsis consultoribus luctuosos exitus prædixisse.* Ad sortes pertinet divinatio διὰ τῶν ψήφων, *per calculos*, cujus meminit Philostratus lib. 2. de vita Apollonii, & lib. 2. Græcorum Epigr.

Ο δὲ λαβὼν ψηφῖδας ὑπὲρ πίνακος δὲ πυκάζων,
Δάκτυλα δὲ γνάμπτων.

*Ille calculos sumens, & in tabula frequentes eos ponens, & digitos inflectens.* Ad sortes item pertinet cortina laurea, de qua Ammianus Marcell. lib. 29. *Instruxisse ad cortinæ similitudinem de laureis virgulis hanc mensulam.* Sozomenus mensam hanc *tripodem* vocat lib. 6. cap. 35. Mensæ per quam divinationes fiebant, meminit Tertullianus *Apologet. Si magi phantasmata edunt, si pueros in eloquium oraculi eliciunt,* &c. *Si dæmones eis assistunt per quos & capræ, & mensæ divinare consueverunt, producatur aliquis ex iis qui Deo pati existimantur, qui aeris maleficum numen de nidore concipiunt, qui ructando loquuntur, qui anhelando profantur.* Capras primas oraculum Delphis fecisse docet Diodor. Siculus lib. 16. Pausanias ad Parnassum tres Nymphas Apollinis fuisse nutrices ait, quæ per sortes divinarent, de quibus Proverbium,

Πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντεις ἄνδρες:

*Multi thrioboli, pauci autem vates.* Eæ Nymphæ dictæ *Thriæ*, ait Philochorus, unde *sortes Thriæ* apud Pausaniam. Ovidius libr. 7. *Metamorph.*

*Carmina Naiades non intellecta priorum,*
*Solvunt ingeniis.*

Didymus auctor est Minervam divinationem per sortes invenisse, quibus Juppiter derogarit fidem in gratiam Apollinis. Germani virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere spargebant. Sacerdos civitatis ter singulos tollebat, sublatos secundum impressam ante notam interpretabatur, ut Tacitus lib. *de moribus Germanor.* Rabdomantiæ quoddam genus est Oseæ cap. 4. *Populus meus in ligno interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei*; ubi Theophylactus, *virgas duas statuentes carmina quædam admurmurant, deinde virgis ministerio dæmonum cadentibus considerant, quonam utraque cadat, retrorsum, an antrorsum, ad lævam, aut dextram, sicque tandem responsa dant insipientibus, virgarum casu, pro signis usi.* In circo Vates erant, aruspices, genethliaci, quorum sortes consulebantur. Juvenalis Satyr. 6.

*Si mediocris erit spatium, lustrabit utrumque*
*Metaurum, & sortes ducet, frontemque, manumque*
*Præbebit vati crebrum poppysma petenti.*

Ovidius lib. 1. *Metamorph.*

*—— Et auxilium per sacras quærere sortes.*

Vetus Juvenalis Scholiastes scribit Aruspices de circo ex oris pressi sono quod *poppysma* dicitur, futura collegisse. Juvenalis Satyr. 6.

B *Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum*
*Consulit ante phalas, delphinorumque maniplos.*

Ea Græcis dicta est κληρομαντεία, *divinatio per sortes*, cujus una species fuit, cum Poetæ alicujus versus sorte consulerentur. Ραψῳδομαντείαν & ῥαψῳδομαντικὴν vocant, quam qui tenerent ῥαψῳδομάντεις dicti. Interdum Homericas, aut Virgilianas sortes consulebant, Christiani libros sacros, unde quædam quasi oracula sibi fingerent. Spartianus in *Adriano, cum sollicitus de Imperatoris erga se judicio Virgilianas sortes consuleret.* Apud Pollionem Clodius Virgilii sortibus hujusmodi illustratus est:

C *Tu regere Imperio populos Romane memento.*

Apud Spartianum *Adriano, cum Virgilianas sortes consuleret,*

*Quis procul ille autem ramis insignis olivæ*
*Sacra ferens. ——*

Sors excidit, quam alii ex Sibyllinis versibus ei provenisse dixerunt. Severus Alexander apud Lampridium, cum Virgilianas sortes consuleret, incidit in hæc verba,

*Tu regere Imperio populos Romane memento.*

De sortibus sacri instrumenti Gregorius Turonensis lib. 5. *Histor. Franc. Meroveus Chilperici filius tres libros supra sancti Martini sepulchrum posuit,* D id est, *Psalmorum* (ita lego) *Regum, Evangeliorum, & vigilans tota nocte petiit ut sibi ventura ostenderentur. Continuato triduo in vigiliis, & orationibus revolvit libros.* Nicephorus Gregoras lib. 8. Ανοίξειν ἔκρινε δεῖν ἐν ψαλτηρίῳ τὸ πρόβλημα τῶν οἰκείων ἀποριῶν, *existimavit e psalterio aperiendum esse problema suæ calamitatis.* Aliud genus est sortium in epist. Nicolai Papæ ad Bulgaros, *Græci codicem accipientes in manibus clausum, unus ex iis accipiens parvissimam particulam ligni hanc intra ipsum codicem condit, & si undicunque aliqua vertitur ambiguitas per hoc affirmant se scire posse quod cupiunt.* Interdum nobilis alicujus Poetæ selectos E versus tesseris ligneis inscriptos in situlam mittebant, tum ut sorte traherentur futura conjectabant, sortemque excidisse, extitisse, κλῆρον ἐκπεσεῖν dicebant. Interdum versus fatidicos in tabella describebant, & talorum jactu divinationem peragebant, qui πίναξ ἀγυρτικὸς, & ἀγυρτικὴ σανίς. Sanctus Augustinus lib. 4. *Confess.* cap. 3. *Si enim de paganis Poetæ cujuspiam longe aliud canentis, atque intendentis, cum sortem quis consuluit, mirabiliter consonus negotio sæpe versus exiret.* Dicitur & στοιχειομαντεία, qua Socrates usus mortis suæ diem conjecit. Cui successere sortes Apostolorum, quibus usus Heraclius apud Cedrenum: καὶ ἀνοίξας τὰ τοῦ Θεοῦ ἄ- F χραντα Εὐαγγέλια εὗρεν ἐπιπρέποντα ἐν Αλβανίᾳ παραχειμάσαι, *Heraclius cum aperuisset intemerata Evangelia, invenit ea sibi concedere ut in Albania hybernet.* Vetantur ejusmodi superstitiones c. *aliquanti* cap. *si quis clericus* 26. q. 5. Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 16. *Positis clerici tribus libris super altarium, id est, Prophetiæ, Apostoli, atque Evangeliorum, oraverunt ad dominum, ut Christiano quid eveniret ostenderet. Aperto igitur primo omnium*

*Prophetarum libro reperiunt*: Auferam maceriam ejus: lib. 5. cap. 49. *Mœstus turbatusque ingressus oratorium Davidici carminis sumo librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret, in quo ita repertum est; Eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare*. Interdum de voce Diaconi legentis in Ecclesia omen captabant, quod de sancto Antonio scriptum, qui ex verbis Diaconi Evangelium recitantis in Ecclesiam ingrediens omen captavit, *vade, vende quæ habes, & da Pauperibus*. Gregorius Turonensis lib. 8. cap. 4. *Nam in die Paschæ stante fratre meo Sigiberto in Ecclesia procedente Diacono cum sancto Evangeliorum libro nuncius Regi advenit, unaque vox fuit pronuntiantis lectionem Evangelicam, ac nuntii dicentis; Filius natus est tibi*. Hoc genere divinationis usus Andronicus apud Gregoram lib. 8. Sancta Theodora Alexandrina apud Metaphrast. in 11. Sept. Gundulphus apud Ranulphum lib. 7. *Polycron.* cap. 6. Metaphrastes in Octobri de sanct. Cypriano: εἰσιὼν τοίνυν εἰς τὸ κυριακὸν δεξιὸν ἐποιεῖτο σύμβολον τῆς εἰς τὸν ναὸν εἰσόδου, εἰ τῷ σκοπῷ αὐτοῦ, καὶ τὰ τῆς ἀκροάσεως ῥήματα συμβαίνοντα ἔξοι. εἶχε δὲ παραδόξως καὶ τὸν διάκονον ταῦτα δὴ τὰ τοῦ Ἀποστόλου διατρανοῦντα. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου, &c. *Ingrediens in Dominicum, sive Ecclesiam, dexterum & felix omen fecit ingressus sui in templum, si verba lectionis congruentia cogitationi suæ haberet. Habuit autem ex inopinato Diaconum hæc Apostoli verba expresse recitantem: Christus nos redemit ex maledicto legis, ipse pro nobis factus maledictum*. Per talos interdum sortes quæsitas ostendimus. Suetonius in *Tiberio* cap. 14. *Cum in Aponi fontem talos aureos jaceret, evenit ut summum numerum jacti ab eo ostenderent; hodieque sub aqua visuntur hi tali*. Sortes ex urna commemorat Horatius Satyr. 9. lib. 1. quas movebant aniculæ, ut futura prædicerent:

*Namque instat fatum mihi triste Sabella,*
*Quod puero cecinit divina mota anus urna.*

Fuere & vates viales, quos Æschylus in *Prometheo* εἰνοδίους συμβόλους vocat. Aruspices de circo trivio, & foro insectatur Artemidorus in proœmio: Σφόδρα διαβεβλημένων τῶν ἐν ἀγορᾷ μαντέων, οὓς δὴ προΐκτας τε καὶ γόητας, καὶ βωμολόχους καλοῦσι, οἱ σεμνοπροσωποῦντες, καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακότες: *Cum maxime improbentur vates e foro, quos mendicos, magos & scurras vocant, qui vultu gravitatem simulant contracto supercilio*. Tibullus eleg. 3. libro primo.

*Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi*
*Rettulit e triviis omina certa puer.*

*Tollere sortes* est κληδονίζειν: in veteribus inscriptionibus dicitur *Sortibus sublatis cognitum*. Sortes erant signa quæ dabantur alicui puero de trivio, quæ si convenerant ei signo, quod ille qui sortes dederat, habebat in animo, tunc bene secum agi putabant. Catullus, cum de via mulier alites ostendit oscitantes, Mulierem de via vocat. τὴν τυχοῦσαν, *alites oscitantes*, λάρους χάσκοντας, quia ii ejecti fame tabescunt. Ejusmodi mulieres quæ nactæ non essent de sortibus aut præstigiis consulere solebant. De sortibus per talos in templis, Scholiastes Pindari c. 4. Εἰώθασι διὰ κλήρων μαντεύεσθαι τὸ πρίν. καὶ ἦσαν ἐπὶ τῶν ἱερῶν τραπεζῶν οἱ ἀστράγαλοι, οὓς ῥίπτοντες ἐμαντεύοντο. οἷον ἐὰν ἐκβάλλοντος μου τὸ δὲ ἀναβῇ ἀποτελεσθήσεται τόδε, εἰ δὲ μή, οὐκ ἀποτελεσθήσεται: *Consueverant olim vaticinari per sortes. Et erant in sacris mensis tali, quos jacientes vaticinabantur. Verbi causa, si me jaciente hoc ceciderit, illud eveniet, sin minus, non eveniet*. Ἀστραγαλομάντεις apud Artemidorum lib. 2. qui de talorum jactu futura vaticinabantur, ut in Herculis Buraici specu apud Pausaniam in *Arcad.* κυβομαντεία fuit apud Propertium,

A *Me quoque per talos Venerem quærente secundos,*
*Damnosi semper subsiliere canes.*

Genus sortis fuit cum digitis micarent. Ptolemæus Hephæstionis apud Photium in *Bibliotheca* pag. 247. Ἑλένη πρώτη ἐπενόησε τὸν διὰ δακτύλων κλῆρον, καὶ Ἀλεξάνδρῳ λαχοῦσα ἐνίκησε: *Prima Helena reperit sortem per digitos, & cum Alexandro sortiens vicit*. Nonnus Panopolitanus in cap. 19. Joannis,

—— ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ
Δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες ἐκηβόλα σύμβολα νίκης
Λαχμῷ πάντες ἴδοιμεν ἀδηρίτῳ τίνος ἔσται.

*Ne discindamus Christi tunicam inconsutilem*, B ajunt milites, *sed super ea digitos manus emittentes procul jacta victoriæ signa sortitione videamus contentionis experte cujus ea erit*. Idem lib. 23. *Dionysiacon*:

—— Φιλακρίτων δὲ βολάων
Λαχμὸς ἔην μετέπων ἑτερότροπα δάκτυλα χειρῶν,
Καὶ τὰ μὲν ὀρθώσαντες ἀνέσχεθον, ἄλλα δὲ καρπῷ
Χειρὸς ἐπεσφήκωτο συνήορα σύζυγι δεσμῷ.

*Erat sortitio indiscretis manuum jactibus sequens varios digitorum modos, quos interdum sublatos erigebant, alios in pugnum includebant compressos in vinculum*. Olim in rebus emendis, si de pretio non convenirent, rem micantibus digitis permittebant, C quod vetitum ab Aproniano præfecto *urbis*, in veteribus inscriptionibus: *Ex auctoritate Turci Aproniani V. C. Præfecti urbis. Ratio docuit utilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus tradere*. Varro in *Parmenione*; *Micandum erit cum Græco utrum illius numerum, an ille meum sequatur*. Vetus verbum est, *dignus quicum in tenebris mices*: Cicero lib. 3. *de Officiis* & lib. 2. *de Divinatione*: *Quid enim sors est? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras*. Idem lib. 2. *de finibus*. Porro qui cum in tenebris mices, ei liberum est, si velit fallere. Proinde *dignus qui-* D *cum in tenebris mices*, dicitur, qui sit adeo certa fide, ut nec si tuto possit, velit quempiam mendacio fallere. Nonnunquam sortes dicebantur signa data consulentibus, quibus usus Vates. Euripid. in *Hippolyto*: καὶ δέλτος ἥδε κλῆρον οὐ δεχομένη. Et tabella *hæc sortem non admittens*. Scholiast. κλῆρός ἐστι τὸ σημεῖον τὸ διδόμενον τοῖς μαντευομένοις, ἀφ' ὧν οἱ μάντεις ὁρμώμενοι προφητεύουσι περί τινος μελλόντων. τῶν δὲ μάντεων οἱ μὲν ὄρνισι προσέχουσιν, οἱ δὲ κλήροις: *Sors est signum datum consulentibus oraculum, a quo exorsi vates prædicunt de futuris*. Lego ἀφ' οὗ. *Vatum autem alii avibus, alii sortibus attendunt*. Trebellius Pollio in *divo Claudio*: *Exprimenda est sors, quæ Claudio data esse perhibetur. Nam cum consu-* E *leret factus Imperator quandiu imperaturus esset, sors talis emerserit*:

*Tu qui nunc patrias gubernas oras*
*Et mundum regis arbiter Deorum,*
*Ibis in veteres tuis novellis,*
*Regnabunt etenim tui minores,*
*Et reges facient suo minores.*

Item cum in Apennino de se consuleret, responsum hujusmodi accepit:

*Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.*

Item cum de posteris suis quæreret,

*His ego nec metas regni, nec tempora pono.*

Item cum de fratre Quintillo, quem consortem F habere volebat Imperii,

*Ostendent Terris hunc tantum fata.*

Lampridius in *Alexandro Severo*: *Ipse cum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus, & primis quidem sortibus*:

*Te manet Imperium cœli, terræque, marisque.*
*Intellectum est, quod inter divos quoque referretur*:
*Te manet Imperium quod tenet Imperium.*

Vopiscus in *Firmo*, *Juppiter aureus*, *& gemmatus ponendus in templo Solis*, *Appenninis sortibus additis*, *quem appellari* Aurelianus *voluerat Jovem Consulem*, *vel consulentem*.

Pausanias in *Laconicis*; *Aqua Inus est in Laconibus*, *in quam si massa missa mergitur*, *auspicatum est*; *si respuitur*, *inauspicatum*. Itidem est de donis aureis, & argenteis, quæ in Æthnam mittuntur. A sortibus *sortilegi* dicti, de quibus Cicero lib. 1. *Divinat*. *Nunc illa testabor*, *non me sortilegos*, *neque eos qui quæstus causa ariolantur*, *ne psychomantea quidem agnoscere*. lib. 2. *Sors edita est opulentissimo regi*, *sors ipsa referenda est ad sortes*. *Sortilegi qui sortes interpretantur*. 27. q. 1. in decret. *Sortilegi*, *sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam*, *quas Sanctorum*, *seu Apostolorum*, *vocant*, *sortes*, *divinationis scientiam profitentur*, *aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt*. Cicero lib. 1 *Divinat*. *Oracula etiam habenda sunt*, *non ea*, *quæ æquatis sortibus ducuntur*, *sed illa quæ instinctu divino*, *afflatuque funduntur*, *& si ipsa sors contemnenda non est*, *si & auctoritatem habet vetustatis*, *ut eæ sunt sortes*, *quas e Terra editas accepimus*, *quæ tamen ductæ*, *ut in rem apte cadant fieri posse credo divinitus*. Cæsar lib. 1. *Belli Gallici*: *M. Valerius Procilius se præsente de se ter sortibus consultum dicebat*, *utrum igni statim necaretur*, *an in aliud tempus reservaretur*, *sortium beneficio se esse incolumem*. Sortem divinatoriam improbari nemo dubitat cap. *sortes* 26. q. 5. Salisberiensis lib. 1. c. 12. *Sortilegi sunt*, *qui sub nomine fictæ religionis superstitiosa quadam observatione rerum pollicentur eventus*, *quod genus sortes Apostolorum & Prophetarum & dividentium* (lego *divinantium*) *& inspectio tabulæ*, *quæ Pythagorica appellatur*, *observatio quoque cujusque casus in rei de qua quæritur significatione*. Aliæ sortes apud Lampridium in *Heliogabalo*: *Sortes sane convivales scriptis in cochlearibus tales habuit*, *ut alius exhiberet decem camelos*, *alius decem muscas*, *ut veræ sortes essent*, *& fata tentarentur*, id est, alius teneretur exhibere decem camelos. Cæritum Sortes nobiles fuere. Livius lib. 21. *Cære sortes extæniatas*. Sidonius carmine 4. *Non sortes Lyciæque Cæritumque responsa*. Lectisternium Cære ubi sortes extæniatæ erant imperatum lib. 22. *Fateris sortes sua sponte extæniatas*, *unamque excidisse ita scriptam*, *Mavors telum suum concutit*. Quod supra ex Plutarcho in vita Marcelli notavimus.

Sortes Circulatorum quæ fuerint, indicat vetus Scholiastes Juvenal. sat. 6. ad hæc verba, *Spatium lustrabit*: *Quod Circulatores hoc consueverint adhibere*, *ut delectis sibi locis duobus eos lustrent*, *id est*, *circumeant*, *deinde per eos sortes*, *id est*, *taxillos jactitent*, *quo exinde quod suæ geneseos signum se accommodaverit inspiciatur*, *nunquid vivet*, *& quando*, *& paucis ex verbis ibidem conscriptis sortes ducunt suas*. Patres in Conciliis sortes divinatorias damnant. Græci vocant ἀςραγαλομαντείαν, κληρομαντείαν, παλομαντείαν, πεσσομαντείαν, κυβομαντείαν, ῥαβδομαντείαν, quod talis, tesseris, virgis uterentur. Concilio Venetico anno Christi 453. in Britonibus habito cap. ult. *Clerici student auguriis*, *& sub nomine confictorum religionis*, *quas Sanctorum sortes vocant*, *divinationis scientiam profitentur*, *aut quarumcumque scripturarum inscriptione futura promittunt*. Idem vetatur Synodo Agath. sub Symmacho R. P. In sacris literis ῥαβδομαντείας quædam species esse videtur Ezechiel. cap. 21. *Stetit rex Babylonis in bivio*, *in capite duarum viarum*, *divinationem quærens*, *commiscens sagittas*, *interrogavit idola*, *exta consuluit*. *Ad dextram ejus facta est divinatio super Hierusalem*. ubi S. Hieronymus ait, *stabit in ipso compito*, *& ritu gentis suæ oraculum consulet*, *ut mittat sagittas suas in pharetram*, *& commisceat eas inscriptas*, *sive signatas nominibus singulorum*, *ut videat cujus sagitta exeat*, *& quam prius civitatem debeat oppugnare*. Polychronius *commiscere sagittas* interpretatur, ῥίψαι βέλη, *mittere jacula*. Septuaginta Interpretes dixerunt ἀναβράσαι ῥάβδον, *ebullire*, *aut in altum evibrare virgam*. S. Hieronymus eam vocat βελομαντείαν.

---

## CAP. II.

### *De Vatibus & Fatidicis.*

EXPLICATUM adhuc a nobis est de Diis, in quorum templis oracula reddita sunt, sive αὐτόφωνοι χρησμοὶ fuerint, cum Dii ipsi per se futura prædicerent; sive per interpretes, & ὑποφήτας. Proximum est, ut de hominibus agamus qui divinationis arte nobiles extitere. Multos numerat Clemens Alexandrinus lib. 1. *Stromat*. Divini fuere Amphilutes Atheniensis, Cometes Cretensis, Cinyras Cyprius, Admetus Thessalus, Aristæus Cyrenæus, Amphiaraus Atheniensis, Timoxenus Corcyræus, Demænetus Phocensis, Epigenes Thespius, Nicias Caristius, Aristo Thessalus, Dionysius Carthaginensis, Cleophon Corinthius, Hippo Chironis filia, Bœo, Manto, Sibylla, Calchas, Mopsus. Thebis fuit Omolois Pythia, quæ deinde Delphos missa est, ut Suidas. Strabo lib. 16. de Tiresia:

Τῷ κ̀ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια,
Οἴῳ πεπνῦσθαι τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.
*Cui dederat vita functo Proserpina mentem*,
*Ut saperet solus*, *reliquis errantibus umbris*.

Jamidæ vates in magno nomine apud Græcos fuere, qui orti a Jamo, filio Apollinis & Euadnes, a quo Jamidæ vates, δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν ἐθρέψαντο δράκοντες ἀμεμφεῖ ἰῷ μελισσᾶν, ut ait Pindarus *Olymp*. Od. 6. *duo dracones cæsiis oculis eum aluerunt succo salubri apum*. Tales fuere Amphiaraus, Trophonius, Orpheus, Musæus, & apud Getas olim Zamolxis Pythagoreus, ætate nostra Decineus, qui Byrebistæ vaticinatur, & apud Bosphoranos Achaicarus, apud Indos Gymnosophistæ, apud Persas Magi, Necyomantici, Lecanomantici, Hydromantes: apud Assyrios Chaldæi, apud Romanos Turrheni, extispices. Talis erat & Moses, ut Strabo l. 16. Idem l. 7. non Decineum, sed κένεον, qui Βοιρεβίςᾳ, Bœrebistæ, vaticinabantur lib. 16. καθ᾽ ἡμᾶς δὲ ὁ τῷ Βυρεβίςῳ θεσπίζων Δεκινέος. In alterutro mendum esse oportet. Mulieris, quæ sine furore vaticinaretur, ἡ δὲ ἔφη ἔχειν μαντικὴν ἐκ μητρὸς Θεῶν δεδομένην, χρῆσθαι δὲ αὐτῇ τούς τε νομεῖς πάντας τοὺς πλησίον: *Illa autem dixit divinationem se habere a Matre Deum datum*: *ut autem pastores omnes*, *& finitimos suis vaticiniis*. Nicetas lib. 3. fanaticum quendam scribit Basilio Isaacio excœcationem, & de solio dejectionem prædixisse, quæ mox consecuta est. Degebat fanaticus iste prope Rhadestum, & vulgo Propheta habebatur, ait Nicetas: sed immerito, cum nihil veri, aut prespicui de rebus futuris loqueretur, sed verba confusa, pugnantia, perplexa funderet, & suas divinationes discursationibus, & insanis gestibus perageret: *vaticinatorem* vocat Ovidius lib. 1. eleg. 1. *de Ponto*,

*Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ*,
*Unde tamen vivat vaticinator habet*.

Gallicenæ novem virgines in Britannico mari, in Sena nobili Gallici numinis oraculo fuere, cujus numinis novem illæ antistites perpetua virginitate sanctæ, quæ maria ventosque carminibus concita-

rent, ſeque in quæ vellent animalia verterent, ſanarent quæ ab aliis ſanari non poſſent, ventura ſcirent, & prædicerent iis qui dedita opera, ut ſe viſerent, veniſſent, non aliis. Legendus Pomponius Mela lib. 2. Xiphilinus, *Domitiano*, Λαργῖνός τις Πρόκλος δημοσίᾳ εἰπὼν ἐν Γερμανίᾳ ὅτι τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐν ᾗ ἀπέθανε, τελευτήσει, ἀνεπέμφθη ἐς τὴν Ῥώμην ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος: *Larginus Proclus cum in Germania dixiſſet* Domitianum *qua die mortuus eſt, necatum iri, miſſus eſt Romam ab eo qui provinciæ præerat*, introductuſque ad Domitianum, id ita etiam tunc confirmavit fore. Anchiſem vatem fuiſſe docet Ennius apud Varronem;

*Atque Anchiſes doctus, Venus quem pulchra Dearum*
*Fari donavit, divinum & pectus habere.*

Scythæ futura miro modo præſagiebant. Nam rectiores virgas fœminæ colligentes, eaſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis præſtituto tempore diſcernentes, aperte noverant quid portenderetur, ait Ammianus Marcellin. lib. 31. Telmiſſus vates nobilis fuit ex Hyperboreis ortus, qui in Caria urbe Apollinis Telmeſſii fanum, & oraculum poſuit, frater Galeotæ qui in Caria vaticinatus eſt, ut Stephanus, Τελμισσὸς πόλις Καρίας, ὡς δὲ Φίλων, καὶ Στράβων Λυκίας. ἔστι γὰρ ἀμφοτέρων ὅριον μετὰ Δαίδαλα, ὁ πολίτης Τελμισσεύς. Arnobius lib. 6. *Sub Apollinis arula, quæ Telmiſſi apud oppidum viſitur, Telmiſſum eſſe conditum vatem ſcriptis conſtantibus indicatur.* Clemens in *Protrept.* οὐ δὲ μὴν τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν μνῆμα εἶναι καὶ τοῦτο Τελμισσέως τοῦ μάντεως ἱστοροῦσι: *Neque ſane aram Apollinis in Telmiſſo, quam monumentum eſſe Telmiſſi vatis commemorant.* Herodotus lib. 1. Τελμισσεῖς, conjectores Telmiſſenſes vocat. Arianus in *Alex.* εἶναι γὰρ τοὺς Τελμισσέας σοφοὺς τὰ θεῖα ἐξηγεῖσθαι, καὶ σφίσιν ἀπὸ γένους δεδόσθαι αὐτοῖς, καὶ γυναιξὶ, καὶ παισὶ τὴν μαντείαν: *Telmiſſenſes eſſe qui divina interpretari ſciant, & ipſis uxoribus, ac liberis ab origine datam eſſe divinationem.* Plutarchus in *Alexandro*, Ἀρίστανδρος ὁ Τελμισσεὺς κύειν ἔφη τὴν ἄνθρωπον, οὐδὲν γὰρ ἀποσφραγίζεσθαι τῶν κενῶν: *Ariſtander Telmiſſenſis reſpondit Olympiadem prægnantem eſſe: nihil enim quod ſit vacuum, & inane obſignari.* Cicero, *Telmiſſus in Caria eſt, qua in urbe excelluit aruſpicum diſciplina*, lib. 1. *de Divinat.* Hermotimus anima carebat, quaſi per occaſionem vagaturi hominis proficiſcente de corpore. Crematus eſt ab uxore, & inimicis abſente anima. Clazomenii templo eum conſolantur, quo mulier non adit ob noxam uxoris, Plin. lib. 7. cap. 52. Plutarch. lib. *de dæmonio Socratis*, Ἑρμοτίμου ψυχὴ ἀπολείπουσα παντάπασι τὸ σῶμα, νύκτωρ καὶ καθ' ἡμέραν ἐπλανᾶτο πολὺν τόπον· εἶτα αὖθις ἐπανίει, πολλοῖς τῶν μακρὰν λεγομένων, καὶ πραττομένων ἐντυχοῦσα, καὶ παραγινομένη. *Hermotimi anima omnino a corpore avulſa de nocte, & de die varias gentes peragrabat, deinde redibat, cum multa eorum quæ in longinquis regionibus geſta & dicta eſſent, oculis & auribus uſurpaſſet.* Polyidus vates Glaucum Minois filium, qui in mellis dolium lapſus perierat, quadam vaticinandi arte reperit διά τινος μαντείας ἀνεῦρε ait Apollodorus lib. 3. *de Diis*. Oſtanes omnium primus apud homines dies ſingulos planetarum nominibus indigetavit, & ex aſtrorum aſpectu futura prævidit, ut ex oraculo Apollinis docet Euſebius lib. 4. *Præparat.* pag. 119. ἠδ' ἑξείης Ἀφροδίτην κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρε μάγων ἔχ' ἄριστος τῆς Ἑπταφθόγγου βασιλεύς, ὃν πάντες ἴσασι, καὶ σφόδρα, καὶ καθ' ἕκαστον ἀεὶ Θεὸν ἑπτακιφώνην. *Atque deinceps Venerem nominibus non dicendis, quæ invenit Magorum longe optimus Rex Heptaphthongi, quem omnes norunt, & valde ſecundum unumquemque Deum ſemper ſeptivocalem.* Ælianus lib. 8. *de Hiſt. Animant.* Tireſiam, Polydamantem, Polyi-

A dum, Theoclymenum, Silianos, Megiſtanas, Aclidas commemorat. Philoſtratus lib. 5. *Apollonii*, Jamidas, Clytiadas, Teleadas, Melampodidas. Fuit & Hyſtaſpes Rex Medorum antiquiſſimus, quem ante Trojana tempora vaticinatum Rom. Imperii excidium auctor eſt Lactantius lib. 7. c. 1. Hyſtaſpen vocat Juſtinus *Apolog.* 2. καὶ Σίβυλλα δὲ, καὶ Ὑστάσπις γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασαν: *Sibylla & Hyſtaſpes fore incendium quo mortalia omnia delerentur, pronuntiarunt.* Item θάνατος ὡρίσθη, κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, καὶ Σιβύλλης, τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων: *Mors denuntiata eſt, adverſus eos qui libros Hyſtaſpis, Sibyllæ, & Propbe-* B *tarum legunt.* Plutarchus lib. *de virtute mulier.* ἢ τὰ Σιβύλλης λόγια τοῖς Βάκιδος ἀντιπαραβάλλοιμεν. *aut Sibyllæ oracula comparabimus cum Bacidis reſponſis.* De Bacide vide Suidam in voce *Bacis*, Clementem lib. 1. *Stromat.* Dionem Chriſoſt. orat. 13. de exilio ejus oracula extant in carminibus Sibyllin. pag. 80. & 81. Æliano lib. 12. ποικίλ. cap. 35. Pauſania in *Bœoticis*, βάκιν κατάσχετον ἄνδρα ἐκ Νυμφῶν; in *Meſſeniac*: Βάκιδι μανέντι ἐκ Νυμφῶν, *Bacidem a Nymphis furentem*: Ariſtoph. in *Veſpis*, εἰ γὰρ μὴ Νύμφαι τε θεαὶ Βάκιν ἐξαπάτησκον, εἰ μὴ παύσαιο βακίζων: *Si Nymphæ Bacidem non decipiunt.* C *Si non deſinis vaticinari more Bacidis.* Marcii vatis carmen apud Livium lib. 7. *Romulidæ ſi perduelles expellere voltis.* Feſtus in verbo *negumate*: *In carmine Marcii vatis negumate ſignificat negate*, in verbo *ningulus*: *Marcius vates, ne ningulus mederi queat*, id eſt, nullus. Ammianus Marcell. lib. 14. *velut Amphiarao referente, aut Marcio vatibus quondam inclytis.* Marcii vatis meminit Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 17. Arnob. lib. 1. Iſidorus lib. 7. *Origin.* Symmachus lib. 4. eleg. 34. Cicero lib. 1. *Divinat.* *Marcius, & Publicius vates.* Scholiaſtes Ariſtophanis in *Equitibus*, *Bacis unus Athenienſis, alter Locrenſis, tertius Bœotius.* Legendus Plato in *Thea-* D *ge*, Ariſtides oratione Platonica ſecunda. Romæ Marcius vates, Faunus, & Carmenta in Latio, Bacides, & Lyſiſtratus Athenis, χρησμολόγοι οἱ Βάκιδες ὁ μὲν Βοιώτιος, ὁ δὲ Ἄρκας, πολλὰ πολλοῖς προαγορεύσαντες, *fatidici Bacides, alter Bœotius, alter Arcas, qui multa multis prædixerunt*, ait Herodot. lib. 8. Ælianus lib. 12. *Var.* cap. 35. *Bacides tres, primus Græcus, alter Athenienſis, tertius Arcas.* Bacidis oracula lege apud Herodot. lib. 8. Βάκιδι γὰρ ὧδε ἔχει περὶ τούτων ὁ χρησμός: *ita ſe habet oraculum Bacidis de hac re:*

E *Dum juga barbaricus canabacea jactat in æquor,*
*Eubœa capræ balantes fac procul abſint.*
Φράζεο βαρβαρόφωνον ὅταν ζυγὸν εἰς ἅλα βάλλῃ
Βύβλινον, Εὐβοίης ἀπέχειν πολυμηκάδας αἶγας.

Eodem libro, & ſequenti alia Bacidis oracula leges. Ariſtoph. *Avibus*, ὡς ἐστὶ Βάκιδος χρησμὸς ἄντικρυς λέγων, ἐκ δὲ καὶ ἐμῶν ἐπέων ἔλθῃ πρώτιστα προφήτης: *Oraculum eſt Bacidis diſerte dicens, ex meis verbis primum exiit Propheta.* Ubi Scholiaſtes: Βάκιδες ὁμοίως τρεῖς, ὁ μὲν ἐξ Ἐλεῶνος τῆς Βοιωτίας, ὁ δὲ Ἀθηναῖος, ὁ δὲ Ἀρκάς. *Bacides tres, Bœotius, Athenienſis, & tertius Arcas.* Melampus in Græcis no- F biliſſimus augur, de quo Statius lib. 3. *Thebaid.* & Apollodorus lib. 3. *de Diis*. Melampus Amythaonis filius *catulos ſerpentis alebat. Illi adulti facti dormienti ab utroque humero aſtantes aures linguis purgabant. Ipſe exſurgens territus voces avium ſupervolantium intelligebat; & ab iis doctus hominibus futura prædicebat.* Adjunxit & divinationem e victimis: Ad Alpheum autem cum incidiſſet in Apollinem in poſterum optimus augur fuit, τοὺς νεοσσοὺς τῶν ὄφεων ἔθρεψεν. οἱ δὲ γενόμενοι τέλειοι περιστάντες αὐτῷ κοιμωμένῳ τῶν ὤμων ἐξ ἑκατέρου τὰς ἀκοὰς ταῖς γλώσσαις ἐξεκάθαιρον, &c. Idem pene uſu venit

*Cassandræ, & Heleno*, apud Euripidis Scholiastem in *Hecuba*, *qui cum in templo Apollinis essent, serpentes aures eorum adlambentes adeo acuti auditus effecerunt, ut soli Deorum consilia audirent*, Ἑλένῳ καὶ Κασάνδρας ἐν ναῷ Ἀπόλλωνος ὄντων, ἐλθόντες ὄφεις, καὶ τὰ αὐτῶν περιλείξαντες ὦτα, οὕτως ὀξυκόους εἰργάσαντο, ὡς μόνους τὰς τῶν Θεῶν ἀκούειν βουλάς. Tiresiam a Jove divinandi artem accepisse secundum quem pronuntiaverat, cum a Junone oculis captus esset. Idem Apollodorus testatur lib. 3. Getæ Zamolxin, Cilices Mopsum, Acharnanes Amphilochum, cujus & meminit Eusebius lib. 2. *Præpar. Evangelicæ*, Thebani Amphiaraum, Lebadienses Trophonium vates templis, & simulacris colunt, ait Origines sub finem lib. 4. *in Celsum*. Galeotæ vates in Sicilia, de quibus Ælianus lib. 12. *Var. Hist.* cap. 46. Cum equus Dionysii in luto fluminis hæsisset, & Dionysius relicto equo in ripam evasisset, audivit equum hinnientem emersum e luto, in cujus juba apum examen consederat, *dixerunt Galeotæ ad Dionysium hac de re rogantem, monarchiam significari*, ἔφασαν οὖν οἱ Γαλεῶται πρὸς τὸν Διονύσιον ἐρόμενον ὑπὲρ τούτων, ὅτι ταῦτα μοναρχίαν δηλοῖ. Hesychius Galeos, id est, Galeotas, in Sicilia vates ponit. Dionysii mater cum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Satyriscum. Huic interpretes portentorum Galeotæ in Sicilia responderunt, eum quem illa peperisset, clarissimum Græciæ, diuturna cum fortuna fore. Stephanus Hyperboreum ait fuisse Galeotam, fratrem Telmissi vatis Amphilytus χρησμολόγος ἀνὴρ ὁ Ἀκαρνὰν Πεισιστράτῳ χρᾷ ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ τάδε λέγων, *vates Acarnan Pisistrato vaticinatur, exametro carmine, inquiens*,

*Verriculum jactum est, expansaque retia nocte:*
*Mox aderunt thynni claro sub sidere Lunæ.*

Apud Messenios, auctore Pausania, fuit vates cæcus Ophioneus, qui excidium Messenæ a Laconibus prænunciavit. Apollodorus lib. 2. *de Diis*, ἐφάνη δὲ αὐτοῖς μάντις χρησμοὺς λέγων, καὶ ἐνθεάζων, ὃν ἐνόμισαν μάγον εἶναι ἐπὶ λύμῃ τοῦ στρατοῦ πρὸς Πελοποννησίων ἀπεσταλμένον: *Apparuit ipsis vates futura prædicens, atque afflatus numine, quem magum esse, atque a Peloponnesiis in exercitus perniciem emissum existimarunt*. Polyidi vatis mentio fit lib. 5. Græcor. Epigramm.

Μαντίπολος πάλιν ἄλλος ἔην, Φοιβηΐδα δάφνην
Κοσμηθεὶς κελάδημα θεόφρονον.

*Vates rursus alius erat Phœbea lauro ornatus, vox fatidica*. Apud Maurusios, & Germanos fœminæ vaticinantur, non viri, narrante Tacito lib. 5. *Histor.* & lib. *de morib. Germanor.* & Procopio lib. 2. *Histor. Vandal.* Cæsare lib. 1. *de Bello Gallico*. Quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familias eorum sortibus, & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, necne. Eas ita dicere, *Non esse fas Germanos superare, si ante novam Lunam prælio contendissent*. Cassandræ Æschylus in *Agamemnone* tribuit μαντεῖα, στέφη, καὶ σκῆπτρον, *Oracula, infulas, & sceptrum*. Lampridius, *Mulier Druias Alexandro Severo eunti exclamavit Gallico sermone, Vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas*. Vopiscus de Aureliano, *Gallicas consuluit Druidas, sciscitans utrum apud ejus posteros Imperium permaneret, illæ responderunt, Nullius in Republica clarius nomen, quam Claudii posterorum futurum. Druias dixit, Diocletiane, jocari noli: nam Imperator eris, cum aprum occideris*. Diocletianus ut erat altus, risit, & tacuit. Cicero lib. 1. *Divinat*. *Druides partim auguriis, partim conjectura quæ essent futura prædicebant*. Lycus & Chimæreus apud Lycophronem vaticinio nobiles. Protheus in Ægypto vates, de quo Virgilius lib. 4. *Georgic.* ex Homero. Euseb. in *Chronico*, sub Troe, Melampo, Zetho, Amphione, apud Pythiam vates Phemonoe exametris versibus futura cecinit. Calchas & Mopsus fatidici nobiles inter se de artis gloria certarunt. Calchas petiit a Mopso, quot grossos ficus arbor haberet, Mopsus ex Calchante de sue quæsivit. Lycophron,

Τὸν μὲν συὸς παραπλαγχθέντα θηλείας τόκων,
Ὁ τε εἰς ὀλύνθων δῆριν ἑλκύσας σοφὴν,
Τὸν ἀνθάμιλλον αὐτὸς ἐκ μαντευμάτων
Σφαλεὶς ἰαύσει τὸν μεμορμένον πότμον.

*Mopsus Calchantem, qui in numero fœtum suis jacentis falsus erat, cum prius ipse adversarium in grossorum certamen traxisset, fato consopiet*. Luctatius ad librum tertium *Thebaid*. *Mopsus Apollinis & Himantis filius*. Lege *Mantus*, ut Tzetzes ad Lycophron. & Apollod. lib. 3. *de Diis*. Luctatius, *Mopsus in tantum magnus fuit in augurandi peritia, ut post mortem ei templa dicata sint, a quorum adytis sæpe homines responsa accipiunt*. Thrasius vates Cyprius, ἔφη τὴν ἀφορίαν παύσεσθαι, ἐὰν ξένον ἄνδρα τῷ Διῒ σφάξωσι κατ' ἔτος: *ait sterilitatem desituram, si hospitem Jovi quotannis mactarint*. Busiris, *Vate illo prius immolato*, &c. Apud Græcos gens quædam fuit fatidica, dicta μυστάδης, εἶδός τι καὶ φρατρία μάντεων, ut Hesychius. Cicero lib. 1. *Divinat*. *Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Jamidarum unam, alteram Clutidarum, aruspicinæ nobilitate præstantes*. Pindarus, ἐξ οὗ πολύκλειτον καθ' Ἕλλανας γένος Ἰαμιδᾶν, τὸ δ' ἱερογλώσσων Κλυτιδᾶν γένος εὔχομαι εἶναι: *Unde inclytum genus Jamidarum e gente Clutidarum, sacra esse glorior e genere Melampodis*, μάντις ἀπ' ἰσοθέων αἷμα Μελαμποδιδᾶν. Capitolinus, *Cum Sacerdos fœmina Trallibus ex more Proconsules semper hoc nomine salutaret, non dixit Antonino Pio*, Ave Proconsul, *sed*, Ave Imperator. Aruræa fatidica, Ἀρουραία μάτις, Theocrito Idyl. 10. Suidas, ἔστι δὲ ἀκρὶς δυσκίνητος, χλωρὰ καλουμένη μάντις ἧς τινες προσέχοντες τῇ κινήσει μαντεύονται: *Est autem locusta moveri difficilis, cujus motibus nonnulli attenti vaticinantur*. Clemens *Protrept*. *Calchas & Mopsus Trojano bello vixere, quorum Mopsus senior, qui cum Argonautis in Colchidem navigarit, cujus divinationem Cyrenæus Battus exposuit*, φασὶ δὲ τὴν Μόψου καλουμένην μαντικὴν συντάξαι τὸν Κυρηναῖον Βάττον. Dorotheus in primo Pandecta, Mopsum Alcyonis & Corones discipulum fuisse ait. Pythagoras divinationi studuit, & Abaris Hyperboreus, ut Clemens Alexandrinus, & Aristeas Proconnesius, & Epimenides Cretensis, qui Spartam venit. Item Zoroastres Medus, Empedocles Agrigentinus, Phormio Laco, Polyaratus Thuscus, Empedotimus Syracusius, Socrates dæmonio comitatus, Execestus Phocensium Tyrannus, cui duo annuli ferrei excantati, quorum strepitu moneretur, ex usune esset rem gerere, an abstinere. In Argo nave cum Jasone Idmon, cujus meminit Apollonius lib. 1. *Argonauticon*. Apud Ægyptios, ait Clemens Alexandrinus, Mercurius Thebanus, Æsculapius Memphites, in Græcia Tiresias, & Manto ejus filia, Thebis, Helenus, & Laocoon, Oenone, & Brenus apud Ilium. Crenus ex Heraclidis, Jamus in Elide, a quo Jamidæ, Argis Polyidus, Telemus apud Cyclopas, Athenis Onomacritus, Amphiaraus, Theoclymenus in Cephalenia, Telmissus in Caria, Galei in Sicilia, Phemenoe Delphis, Mopsus, & Mantus filius ejus in Pamphylia, Amphilochus Amphiarai filius in Cilicia, Alcmæon apud Acarnanes, Anius Deli, Aristander Telmisseus apud Alexandrum, Orpheus, Orthagoras, Romæ Cajus Julius nepos. Illi omnes a dæmonibus commoti, aut aquis, suffitibus, aere

aere turbati, prorsa, aut versa oratione responsa dabant, ut videre est ubique apud Herodotum, Pausaniam, Strabonem, Eusebium *Præparat.* lib. 5. Aristides in orat. de Serapi, *χωρὶς μέτρου ἡ πρόμαντις αὐτὴ ἡ ἐν Δελφοῖς, αἱ ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι, Τροφώνιος τὰ ἐξ Ἀσκληπιοῦ, καὶ Σαράπιδός ὀνείρατα*: *Sine versu antistes Delphica, Sacerdotes Dodonæ, Trophonius somnia, quæ Æsculapius, & Serapis immittunt*. Libyæ vates ad sepulcra patrum vaticinabantur, ait Herodotus. Dio Chrysost. lib. *de fuga*, *γυναῖκες μάντεις βωμόν τινα, ἢ λίθον ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπαίρουσαι σκοποῦσι ἐκ τούτου τοῦ πράγματος, οὗ πυνθάνονται. καὶ δὴ τὸν μὲν αὐτῶν φασι γίνεσθαι κοῦφον. τὸν δὲ βαρὺ μηδὲ κινῆσαι ῥαδίως*: *Mulieres divinatrices aram quamdam, aut lapidem in templis attollentes ex eo conjectant, quid de negotio futurum sit. Aliis lapidem levem, aliis gravem esse ajunt, ut vix commovere eum possint*. Pausanias idem pene narrat lib. 8 Philostratus de vita Apollonii, *ἐγένοντο μὲν γὰρ καὶ πρότερον σφαγίων μάντεις, ἀγαθοὶ τὴν τέχνην, καὶ οἷοι ὀνομάσαι, Μεγιστίας ἐξ Ἀκαρνανίας, Ἀρίστανδρος ἐκ Λυκίας, Ἀμπρακία δὲ Σιλιανὸν ἤνεγκε. καὶ ἐθύοντο ὁ μὲν Ἀκαρνὰν Λεωνίδᾳ βασιλεῖ Σπάρτης, ὁ δὲ Λύκιος Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι, Σιλιανὸς δὲ Κύρῳ βασιλείας ἐρῶντι*. *Fuerunt & olim aruspices periti extispicinæ artis, quos memorare promptum est, Megistias Acarnan, Aristander Lycius, Silianus Ampracioles. Megistias quidem Leonidæ Spartæ Regis aruspex erat, Aristander Alexandri Macedonis, Silianus Cyri minoris, qui ad regnum Persidis aspirabat*. Reges enim pene omnes, belli duces, & ipsæ civitates, ut & *Athenienses, omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam Sacerdotes, quos Mantes vocant, adhibuerunt, & Lacedæmonii Regibu suis augurem assessorem dederunt, itemque senibus, sic enim consilium publicum appellant, augurem interesse voluerunt*, ait Cicero lib. 1. *Divinat.* Plutarchus in *Crasso*, cum Crassus dixisset responsum se daturum Seleuciæ, Vagises unus ex Legatis Parthorum cæteris senior, arridens, *καὶ τῆς χειρὸς ὑπτίας δείξας τὸ μέσον ἐντεῦθεν, ὦ Κράσσε, φύσονται τρίχες ἢ σὺ ὄψει Σελεύκειαν*. *Et supinæ manus medium ostendens, Inde, inquit, prius pili orientur, quam tu Seleuciam videas*. Echecrates vates bello Persico Græcis victoriam denunciavit. Plutarchus, *ἐν μὲν οὖν τοῖς μηδικοῖς Ἐχεκράτους προφητεύοντος ἀνεῖλε νίκην, καὶ κράτος πολέμου τοῖς Ἕλλησιν ὁ Θεός*. Pausanias in *Phocicis*, *χρησμολόγους ἄνδρας*, *fatidicos*, Cyprium Eucloum, Musæum Athenienſem, Lycum Pandionis filium, *ἐκ Θεοῦ μαντεύσασθαι*, *Dei instinctu vaticinatos*. In nostris Annalibus Basina Childerico viro, e quo Chlodoveum suscepit, nocte surgere jusso, stirpem suam ostendit: primi, leones visi; secundi, lupi rapaces; tertii, canes, qui seipsos lacerarent. Cornelius Culleo Octaviano bello furens vaticinatus est, ut Cicero lib. 1. *Divinat.* Pythonissa quædam Meroveo Chilperici filio offucias fecit, ut Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 14. *Hist. Franc. Tunc direxit Guntheramnum puerum ad mulierem quamdam habentem spiritum Pythonis, ut ei, quæ erant eventura, narraret. Quæ hæc ei per pueros mandata remisit, Futurum est, ut Rex Chilpericus hoc anno deficiat, & Meroveus inclusis fratribus omne capiat regnum*. Item lib. 7. c. 44. *Fuit tunc temporis mulier, quæ spiritum Pythonis habens, multum præstabat dominis divinando quæstum*. Nazamones *divinant ad suorum accedentes monumenta, & illis, ubi preces peregerunt, indormiunt, ubi quodcumque per quietem insomnium viderunt, eo utuntur*. *μαντεύονται ἐπὶ τῶν προγόνων φοιτέοντες τὰ σήματα, καὶ κατευξάμενοι ἐπικατακοιμέωνται. τὸ δ' ἂν ἴδοιεν τῇ ὄψει ἐνύπνιον τούτῳ χρῶνται*. Herodotus lib. 4. *μάντεις δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοὶ οἳ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτεΐνοισι πολλῇσιν ὧδε, ἐπεὰν φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται, θέντες χαμαὶ διεξελίσσουσι αὐτούς*, &c. *Apud Scythas permulti sunt fatidici, qui pluribus virgis salignis divinant ad hunc modum: Grandes virgarum fasces humi positos dissolvunt, ac separatim singulis virgis positis vaticinantur; simulque dum hæc dicunt, virgas, quas evolverant, rursus convolvunt, & in unum componunt. Prylis vates augurio clarus fuit, filius Mercurii in Issa, seu Lesbo, qui per divinationem aperuit Græcis, qua ratione urbs capi posset per equum ligneum*. Tzetzes ad Lycophronis *Cassandram*, *Πρύλις υἱὸς τοῦ Ἑρμοῦ ἐν Ἴσσῃ, ἤτοι Λέσβῳ ὑπέθετο τὸν τρόπον τῆς τοῦ Ἰλίου ἁλώσεως διὰ μαντείας. εἶπε γὰρ κατασκευὴν τοῦ δουρείου ἵππου*. Æsacus filius Priami & Arisbes, vates optimus, qui postea in avem mutatus est, lugens uxorem mortuam Meropen, filiam Cebrenis. Is, cum Hecuba Alexandrum peperisset, & matrem, & partum tollendum dixit. Lycophron.

> *Μήδ' Αἰσακείων ὤμος ὤφειλε πατὴρ*
> *Χρησμῶν ἀπῶσαι νυκτίφοιτα δείματα.*

Tzetzes, *Ἐκέλευεν Αἴσακος ἀναιρεθῆναι τὸ τεχθὲν, καὶ τὴν τεκοῦσαν*. Mœon apud Statium lib. 4. *Thebaidos* vates fuit,

> *Et nostra præsignem Mœona lauro.*

In Epigrammatis Græc. lib. 1. tit. 53. Lapis quidam est fatidicus, ex quo futura aniculæ conjectabant,

> *Φοίβου τὸν πρὸ ποδῶν μάντιν ἄειρε λίθον*
> *Χείρεσι πειράζουσα, καὶ ἣν βαρὺς ἡνίκα μήτι*
> *Ἤθελεν.*

Clemens Romanus lib. 8. *Constitut. Apostol.* cap. 2. *Σίλας μὲν οὖν, καὶ Ἄγαβος ἐφ' ἡμῶν προφητεύσαντες, καὶ αἱ Φιλίππου θυγατέρες. Silas, & Agabus apud nos Prophetæ, & Philippi filiæ*. Fauni, Fatuelli, Faunæ, Fatuæ, Fatuellæ, Fontes, & Fates apud Marcianum Capellam, in Italia eo loco fuere, quo Druidæ, & Druiades in Gallia, Britannia, Germania; Magi in Perside; Chaldæi, & Gazareni in Assyria; Brachmanæ, & Gymnosophistæ in India: qui omnes futura præsagire existimati sunt. Virgilius,

> —— *Oracula Fauni*
> *Fatidici genitoris adit.*

Ctesias auctor est, cum Roxane Cambysi peperisset *ἀκέφαλον*, *infantem capite carentem*, magos advocatos respondisse, filium hæredem Cambysi non futurum. Agathias lib. 3. scribit, matrem Saporis, cum eo prægnans esset, Magis equam prægnantem proposuisse, & de illis quæsivisse, marem equum, an fœminam paritura esset, illos marem respondisse: quod vaticinium exitus probavit. Deinde quæsivisse de suo partu, magos marem parituram respondisse. Quare & Sapor in utero coronatus est. Cicero lib. 1. *Divinat. Remigem quemdam ex quinqueremi Rhodiorum vaticinatum madefactum iri minus triginta diebus Græciam sanguine. Rapinas Dyrrachii, & conscensionem in naves cum fuga, furentibus miserabilem respectum incendiorum fore. Sed Rhodiorum classi propinquum reditum, ac domum itionem dari*. Quid Polyidum Corinthium? Nonne Homerus, & alii multa, & filio ad Trojam proficiscenti mortem prædixisse commemorant? Apud Mauros fœminæ divinabant, non viri, quarum vaticinium fuit, fore ut Mauri vincerentur, cum dux Romanorum imberbis eos invaderet; viderunt Bellisarium barbatum, rebellarunt. A Solomone Eunucho imberbi victi sunt, ait Procopius. Apud fatidicas Mauras canebatur hoc *λογιον*, *G fugabit B; B fugabit* G; Gensericus fugavit Bonifacium; Bellisarius Gilimerem sub jugum misit, ut Procopius lib. 2. *Vandal. Histor.* Tzetzes ad Lycophronem, *Αἰγεὺς παραγίνεται εἰς Τροιζῆνα πρὸς Πιττέα τὸν χρησμολύτην*

*Ægeus venit Trœzenem ad Pitteum oraculorum interpretem*, ut Pythiæ responsum interpretaretur.

> Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα ποδεῶνα φέρτατε λαῶν
> Μὴ λύσῃς πρὶν ἐς ἄκρον Ἀθηναίων ἀφίκηαι,

*Ex utre prominentem pedem*, ( πόδ', ὦ ἀνα φέρτατε ) *o Rex optime populorum, ne solvas, priusquam veneris in arcem Atheniensium*. Morientes futura præsentire dicuntur, quia corpore pene solutus animus est. Ita apud Homerum Hector Achilli mortem prænunciat lib. 23. Apud Virgilium Orodes Mezentio. Apud Ovidium lib. 7. *Metamorphos.* Dryas ait,

> —— *Nympha sub hoc Cereri gratissima ligno,*
> *Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum*
> *Vaticinor moriens nostri solatia lethi.*

Apud Lucanum lib. 7. Domitius ait,

> *Non te funesta scelerum mercede potitum,*
> *Sed dubium fati Cæsar, generoque minorem*
> *Aspiciens, stygias magno duce liber ad undas,*
> *Et securus eo. Te sævo Marte subactum,*
> *Pompejoque graves pœnas nobisque daturum,*
> *Cum morior, sperare licet.*

*Calanus Indus, cum Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret*: Optime, *inquit*, propediem te videbo. *Quod ita contigit*, lib. 2. *Divinat.* Cicero. Ita & Socrates Anyti filio mortem prænuntiat apud Xenophontem in *Apolog. Socrat.* In Ægypto multi vates. *Apud Memphin in aurea columna Ægyptiis litteris scriptum erat, tum denique Ægyptum liberam fore, cum in eam venissent Romani fasces, & prætexta Romanorum*: Trebellius in *Aemiliano*. Apud Messenios fuit Neoclus vates. Pythia responderat, ait Pausanias, *quando* τράγος *bibet Nedam fontem, tunc Messeniorum urbs exscindetur*: abducunt τράγους, Capros ab eo loco; vates Neoclus animadvertit ficum quæ dicitur τράγος, inflexos ramos demittere in Nedam. Hoc Pythiam voluisse significavit Aristomeni, & tempus excidii venisse. Cicero, *In Persis augurantur & divinant Magi*, lib. 1. *Divinat.* Zonaras in *Irene*: *In Thracia quidam in lapideam cistam incidit, cum foderet, quæ hominis cadaver claudebat*, γράμματα ἐγκεκολαμμένα λέγοντα. Χριστὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ παρθένου, πιστεύω εἰς αὐτόν. ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου, καὶ Εἰρήνης πάλιν, Ἥλιε, ὄψει με. In Synodico Pappi Synodo 135. Cyrus Monachus ἔγκλειστος, *inclusus*, Justiniano Rhinotmeto τὴν ἑτέρας βασιλείας τὴν κατοχὴν ( lege, τὴν ἑτέραν βασιλείας κατοχὴν ) εὐαγγελισάμενος: *nuntiavit fore ut regnum iterum recuperaret*. Babylonii vates fuere, qui Cyrum monuerunt fore ut Babylonem vi caperet, cum mulus peperisset. Mulus Zopyri peperit, cepit Babylonem. Herodotus lib. 3. Procopius lib. 1. *Persico.* Amidæ cum prostibula e mœnibus Chabadi Persarum Regi pudenda ostenderent, & ille obsidionem solvere vellet; Magi auctores fuerunt, ne solveret: futurum enim esse, ut ei propediem ostenderent Amidenses, τά τε ἀπόρρητα, καὶ τὰ κρυπτόμενα, *occulta omnia, & non evulganda*. Miles extra urbem tubum aperuit, quo in urbem aditus patuit. De Tiresia Seneca *Oedipo*.

> —— *Sorte Phœbeja excitus*
> *Tiresias tremulo tardus accelerat gradu.*

Senecam ipsum inter vates numero, qui in *Medea* vaticinatus est, de novo orbe aperiendo,

> *Venient annis sæcula seris,*
> *Quibus Oceanus vincula rerum*
> *Laxet, & ingens pateat tellus,*
> *Typhisque novos detegat orbes,*
> *Nec sit Terris ultima Thule.*

Dio lib. 55. scribit sub Triumviris oracula Romæ vulgo decantata esse, quibus Democratiæ Romanæ interitus denuntiabatur, καὶ λόγια πρὸς κατάλυσιν τῆς δημοκρατίας φέροντα παντοῖα ᾔδετο. Quærat aliquis, an a Marcio vate, aut Sibyllis ea fuerant. Vates jam olim in Britannia fuere, qui vaticinati sunt Arturum aliquando fortissimum, ac rei bellicæ laude clarissimum fore. Cornelius Nepos in *Darete*:

> *Arturum expectant, expectabuntque futurum.*

Fuit Romæ Publicius quidam vates. Cic. lib. 2. *Divinat. Nec ego Publicio nescio cui, nec Marciis vatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo. Quid, inquies, Remex ille de classe Coponii, nonne ea prædixit, quæ facta sunt?* Helenus frater Cassandræ augur fuit, de quo Virgil. lib. 3. *Aeneid.*

> *Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,*
> *Qui tripodas, Clarii lauros, qui sydera sentis.*

Cassandra mentis incitatione divinat, ut Cic. lib. 1. *de Divinat.* Strabo lib. 12. In Ponto Lunæ templum, ubi τῶν ἱεροδούλων ἐνθουσιῶσι πολλοὶ, καὶ προφητεύουσιν. ὃς δ' ἂν αὐτῶν ἐπιπλέον κατάχετος γενόμενος, &c. *Sacrorum servorum plerique fanatici sunt, & futura prædicunt. Qui plurimum numine corripitur*, solus per sylvas errat. Hunc Sacerdos comprehensum sacra catena devincit, per annum sumptuose alens, postea ad Deæ sacrificium cum aliis hostiis mactandum producit. Sacrificii ritus est hujusmodi. Quidam hujus negotii gnarus sacram hastam tenens, qua mos est hominem mactari, ex turba progressus eam in cor per latus urget; illo cadente, quædam divinationis signa captant πεσόντος δὲ σημειοῦνται μαντεῖά τινα ἐκ τοῦ πτώματος, καὶ εἰς τὸ κοινὸν ἀποφαίνουσι: *Ex ipso casu victimæ cadentis divinationem aucupantur, & in commune proferunt*. In fanaticis istis sæpe repertæ sunt fraudes. Photius in *Bibliotheca* pag. 554. scribit, τὴν διὰ τῶν νεφῶν μαντικὴν οὐδαμῶς τοῖς παλαιοῖς οὐδ' ἀκοῇ ἐγνωσμένην Ἀνθοῦσάν τινα γυναῖκα ἐξευρεῖν ἐν ταῖς ἡμέραις Λέοντος τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως: *Anthusam quandam divinationem per nubes, quæ inaudita Veteribus fuit sub Leone Imperatore invenisse*, ηὔξατο δὲ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα, εἶτα πρὸς δυόμενον: *Orabat primum ad solem orientem, deinde ad occidentem*. Mox videbat per sudum nubem concrescere circa Solem, tum augeri & formari in speciem hominis. Aliam vero nubem æquali magnitudine a priori avelli, speciem Leonis induere, qui ore hianti formam hominis in priore nube expressam absorberet. Idem pag. 627. ex Diodoro Siculo, Eunus οἰκέτης Σύρος ἄνθρωπος μάγος καὶ τερατουργὸς τὸν τρόπον προσεποιεῖτο Θεῶν ἐπιφάσμασι καθ' ὕπνον προλέγειν τὰ μέλλοντα. οὐ μόνον ἐξ ὀνείρων ἐμαντεύετο, ἀλλὰ καὶ ἐγρηγορότως Θεοὺς ὁρᾷν ὑπεκρίνετο, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀκούειν τὰ μέλλοντα. τελευταῖον διά τινος μηχανῆς πῦρ μετά τινος ἐνθουσιασμοῦ καὶ φλόγα διὰ στόματος ἠφίει, καὶ οὕτω τὰ μέλλοντα ἀπεφοίβαζεν, &c. *Eunus servus Syrus magus & præstigiator simulabat Deorum visis monitum secundum quietem se futura prædicere. Non tantum autem ex somniis divinabat, verum & vigilans Deos se videre mentiebatur, ex quibus futura audiret. Denique quodam machinamento ignem cum enthusiasmo quodam emittebat, & ita futura canebat, cum nucem forutam sulphure & stupa plenam ore contineret*. Reperti tamen qui sine fraude, & fallacia vaticinarentur, ut Marcii fratres. Polybius Corinthius filio ad Trojam proficiscenti apud Homerum mortem prædixit. *Josephus unus ex nobilibus Judæorum captivis, cum in vincula conjiceretur* jussu Vespasiani, *constantissime asseveravit, fore ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore*, ait Suetonius in *Vespasiano* cap. 5.

## CAP. III.

### *De Vatum ornatu.*

JUDÆORUM & Chriſtianorum Prophetæ Dei veri interpretes nullam vaticiniis ſuam ſcenam addere ſoliti erant, ſed ſimplici ac vulgari cultu, quæ Deus ſubjiciebat, enuntiabant. Profani vates arti ſuæ pompam adſtruxerunt, & mendacio fucum. Quare a Leonida in Anthologia hoc carmine perſtringuntur:

Μάντιες ἀςερόεσσαν ὅσοι ζητεῖτε κέλευθον,
Ἔρροιτε εἰκαίας ψευδολόγοι σοφίης.

B Vates *qui aſtrorum viam quæritis, valete falſiloqui vanæ ſapientiæ profeſſores.* Eo tamen loco apud Veteres erant, ut ignis vatibus ut regibus præferretur. Seneca cap. 27. *de Beata vita, laurumque linteatus ſenex, & medio lucernam die præferens conclamat.* Alii fuere πυρφόροι, apud Suidam, πυρφόρυς ἔλεγον ἱερέας τὺς ἐπιβώμιον πῦρ ἀνάπτοντας: *Pyrforos dicebant Sacerdotes, & eos qui accenderent ignem in altari.* Vates igitur erant linteati, infulati, laureati. Statius lib. 2. *Thebaid.*

—— *Cucurrit*
*Infula per crines, glaucæque innexus olivæ*
*Vittarum provenit honos.*

Idem de Tireſia:

*Ramos, ac vellera fronti diripuit.*

C Vates item vittati, oliva redimiti erant. *Thebaid.* lib. 4.

*Vatem cultu Parnaſſia monſtrant*
*Vellera, frondenti crinitur caſſis oliva,*
*Albaque puniceas interplicat infula crines.*

De Amphiarao, lib. 8.

*Interea vittis, lauroque inſignis opima.*

Vates item albati. *Thebaid.* lib. 6. de Amphiarao:

*Ipſe habitus niveus, nivei dant colla jugales,*
*Concolor eſt albis, & caſſis & infula criſtis.*

D Lotionibus ſe comparabant ad vaticinia. Virgilius Ciri:

*Nec dum ſolemni lympha perfuſa Sacerdos,*
*Pallentis foliis caput exornarat olivæ,*
*Cum lapſa e manibus fugit pila.*

Græcorum epigramm. lib. 5.

Δάφνη μὲν πλοκαμῖδα παλαίφατος ἔπρεπε μάντις
Στεφόμενος, δόκεεν δὲ χέειν μαλώδεα φωνήν.
*Vates ſenex cincinnos capitis ornabat lauro;*
*Videbatur autem vocem fundere ovinam.*

E Valerius Flac. lib. 1. *Argon.* de Mopſo:

—— *Puniceo cui circumfuſa cothurno*
*Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem*
*Caſſis, & in ſummo laurus Peneja cono.*

Statius lib. 4. *Thebaid.*

*Non alacri penna, aut verum ſpirantibus extis,*
*Nec tripode implicito, numeriſque ſequentibus aſtra,*
*Thurea nec ſupra volitante altaria fumo.*

Ad hæc vates particulas e vulturum, corvorum, aliorumque animantium divinorum corporibus deſectas aſſervare ſolebant, aut deglutire corda, & jecinora, ut animas eorum divinatrices poſſiderent. Porphyrius lib. ἐπὶ τ ἀποχ. τ ἐμψύχ. Ὅτι γὰρ ὁλκὸς τ ψυχῆς ἡ τῆ συγγενῆς σώματος φύσις, ἡ πεῖρα ἐδίδαξεν. οἱ γοῦν ζώων μαντικῶν ψυχὰς δέξασθαι βυλόμενοι, εἰς ἑαυτὺς, τὰ κυριώτατα μόρια καταπιῶντες, οἷον καρδίας κοράκων, ἢ ἀσπαλάκων, ἢ ἱεράκων, ἔχουσι παροῦσαν τὴν ψυχὴν, καὶ χρηματίζουσιν ὡς Θεὸν εἰσιοῦσαν εἰς αὐτὺς ἅμα τῇ ἐνθέσει τῆ σώματος. *Experientia docuit naturam corporis congeniti animam ad ſe attrahere. Quare qui volunt animas attrahere animantium divinorum, deglutientes præcipuas eorum partes, ut corda corvorum, talparum, vulturum,*

F *habent animam præſentem, & reſpondent, quaſi Deus ingreſſus ſit in eos una cum bucella corporis.* Uſi ſunt nucibus avellanis Petron. *Satyr. Avellanas nuces cum precatione merſit in vinum, & ſive in ſummum redierant, ſive ſubſederant, ex hac conjecturam ducebat.* Quidam plani, ut fatidici haberentur, adhibitis verbis ſpumas ore ejiciebant, ut Alexander ille apud Lucianum, & Eunus ſervus Siculus apud Diodorum lib. 34. & Florum lib. 3. cap. 19. Is enim ut Deo pati videretur, ignem in nucem aut ſulphur includebat, apponebatque materiam quæ ignem aleret, deinde ori indens & afflans, modo ſcintillam, modo flammas accendebat. Procopius lib. 1. *Belli Gotthici* ait planum quendam triginta porcos tribus clauſiſſe haris, in ſingulis ſeptis decem, quibus nomina Romanorum, Gotthorum, & Conſtantinopolitani Imperatoris aſcripſerit; omnes mortui ſunt, quibus nomen Gotthicum aſcriptum, unde Gotthorum exitium deprehendit. Athenis certe fatidici victum habuerunt in Prytaneo, qui honos maximus. Ariſtoph. *Pace,*

Οὔποτε δειπνήσεις ἔτι τῦ λοιπῦγε ἐν Πρυτανείῳ.
*Non jam in poſterum comedes in Prytaneo.*

Vetus Scholiaſtes: χρησμολόγοι μετεῖχον τ ἐν Πρυτανείῳ σιτήσεως. λάμπων τύτυ ἠξίωτο. *Fatidici participes erant cibi, qui datus in Prytaneo.* Juvenalis vetus Scholiaſtes legendus. Euſtathius in Iſmenia de lauro fatidica loquens, καὶ δὴ καπακαγχλάζει τὸ ὕδωρ, ὁ τρίπυς ἠχεῖ, δάφνη μαντικὴ κατασείεται, καὶ οἷον ὅλη καταναμεῖσθαι δοκεῖ, ἐνθυσιῶσιν οἱ πρόσπολοι, καὶ Φοῖβος μαντεύεται. *Et ſane ſtrepit aqua, ſonat tripus, laurus fatidica commovetur, & tota conſumi videtur, famuli Deo incitantur, Phœbus ipſe vaticinatur.*

Lauro fatidici crebro coronati fuere. Eunapius in *Chryſantio*, ἡ δὲ πρὸς τὸ θεῖον οἰκειότης οὕτως ἦν ἀπραγμάτευτος, καὶ εὔκολος ὥςε ἐξήρκει τ ςέφανον ἐπιθεῖναι τῇ κεφαλῇ, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον ἀναβλέποντα χρησμὺς ἐκφέρειν, καὶ τύτυς ἀψευδεῖς. *Familiaritas cum Deo tam inelaborata & facilis erat, ut ad vaticinia vera efferenda ſatis eſſet, ſi laurea capiti impoſita ad ſolem oculos convertiſſet.* Ideo Aphthonius Progymaſ. Laurum μαντικῆς σύμβολον fuiſſe ait, & Lycophron λαιμὺς δαφνηφάγυς Caſſandræ appellat. Claudianus lib. 2. *de raptu,*

—— *Venturi præſcia laurus.*

Auctor Geoponicon lib. 11. ſcribit, ex quo tempore Apollo laurea caput ornavit, τὸ φυτὸν μαντικῆς σύμβολον γεγονέναι, *eam arborem divinationis notam fuiſſe.* Heſiodus ipſe guſtata lauro ſe Poetam factum prodit,

Καί μοι σκῆπτρον ἔδων δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
Δρέψασθαι θηητόν.

## CAP. IV.

### *De Vatum & Fanaticorum habitu.*

VATUM habitum, & Fanaticorum horrentem fuiſſe volunt, impexa barba, ſordido capillitio, veſte inculta. Julius Firmicus lib. 3. *Aſtron. Genitura hæc faciet in templis ſordide manere, & ſic ſemper incedere, & qui nunquam tondeant comam, & qui aliquid velint, quaſi a Diis dictum hominibus nuntiare, quales ſolent eſſe in templis, qui vaticinari conſueverunt.* Plautus *in Rudente*:

*Capillum promittam incipiamque ariolari.*

Laurum mordebant, cervices rotabant. Cornel. Nepos libro 3. belli Troici ex Darete, ſi tamen ejus libri auctor habendus eſt:

*Ad tripodas quæstura fugit, ramosque loquaces*
*Ore premit, poscensque Deum non irrita longum*
*Fatis plena redit: claret interprete vultu,*
*Extorti vindicta Dei, furiosa potestas*
*Imbelles vexat artus cervice rotata,*
*Crine umbrante humeros, oculis spargentibus ignem,*
*Et facie prodente fidem, nunc livida vitrum,*
*Nunc flammata facem superat, nunc pallida buxum.*

Euripides in *Troadibus*:
Ῥίπτε τέκνον ζαθέυς κλῄδας,
Καὶ ἀπὸ χροὸς ἐνδυτῶν στεφέων ἱερὺς στολμύς.

*Jacito filia divinas claves, & a corpore sacros cultus insularum quibus ornata es.* Helena vatem ἐπ' ἐμπύρυς ὀρθοστάτας καλεῖ, *ad ignitas placentas vocat.* Tibul. lib. 2.
*Hæc cecinit vates, & te sibi, Phœbe, vocavit,*
*Jactavit fusa sed caput ante coma.*
Euripides in *Helena* Theonem ita loquentem inducit:
Η γῦ μοὶ σὺ φέρυσα λαμπτήρων σέλας
Θεῖον δὲ σεμνῦ θεσμὸν αἰθέρος μυχῶν,
Σὺδ' αὖ κέλευθον εἴτις ἔβλαψε ποδὶ
Στείβων ἀνοσίῳ, δὸς καθαρσίῳ φλογὶ,
Κρῦσον δὲ πεύκην, ἵνα διεξέλθω πυρός.

*Ducito metu ferens lampadum lumen, & sulphur qui ritus est intimi sinus venerandi ætheris. Tu autem si forte quis profano viam pede violavit calcans, purgato igne, & moveto piceam, ut per ignem transeam.* Sed de hoc alibi agemus.

---

## CAP. V.

### *De Variis Aruspicinæ generibus.*

AD Divinaculos pertinent Arnobii verba lib. 1. *Haruspices has fabulas, Conjectores, Arioli, Vates, & nunquam non vani concinnavere Fanatici, qui a fanis, in quibus Deorum æstro aguntur, dicti.* Juvenalis sat. 4.

*—— Sed ut Fanaticus æstro*
*Percussus Bellona tuo divinat.*

Scholiast. Horatii *de arte Poet. Fanatici dicuntur qui lymphatico spiritu agitantur, & frenesim patiuntur, qui & Dæmoniaci vocantur.* Prudentius in *Apotheosi*:
*—— Non spumat anhelus*
*Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.*

Fanaticos Augustinus *arreptitios*, & *arreptos spiritu* vocat libro 11. *de Civitate*. θεοφορυμένυς Græci, ἱερατικὺς, *qui Deo patiuntur*, ut Tertullianus in *Apologet*. *Haruspices*, vel ut alii, *Aruspices*, ab *aris* dicti sunt, sicut *Arioli* ab *aruga* hostia, id est, ove mare, quam *arigam*, vel *aringuam* verius dixeris. Quia Græci ἄριχα, πρόβατον ἄῤῥεν vocant *ovem marem*. Vulcatius *æruscatores* vocat divinaculos in *Cassio*: *Audisse te arbitror, quod æruscatores de eo nuntiarent*. Ulpianus libro 7. *de offic. proconf. D. Marcus eum qui de motu Cassiano vaticinatus erat, & multa quasi instinctu Deorum dixerat, in insulam Scyron relegavit*. Modestin. lib. 1. *de pœnis*, *Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur, D. Marcus hujusmodi homines in insulam relegari rescripsit*. Quemadmodum autem Augures, auctore Festo, quinque genera signorum observabant, ex cœlo, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, ex diris, quamquam ab avium garritu, vel gestu dicti, ita & Arioli, quanquam ab aris indigetantur, etiam de cœlo servant. Marcellinus lib. 21. *Julianus faucem sereno cœlo vidit. Aruspices Hetrusci vetabant, quicquam tentandum, quia signum erat infelix*. Dionysius Halicarn. lib. 2. vult Aruspicem dici quasi ἱεροσκόπον, aitque Romulum e singulis tribubus, singulos Aruspices instituisse, Græci Aruspices θύτας, καὶ ἡπατοσκόπυς, vocant, *Extispices*. Julius Firmicus lib. 2. *Astronom.* Alii ab aris *Ariolos* dictos volunt, *qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt*, ut loquitur Tertul. *Apol.* cap. 23. Vetus glossa, *Ariolus*, βωμοσκόπος, φοιβίτης. Isidorus lib. 8. *Origin. Ariolos*, & *Aruspices* ab aris. Donatus ad *Phormion.* ab *hara*, quæ est hostia, ab *hara* in qua includitur, & asservatur. Lego, ab *haruga*, quæ est hostia. Glofs. *Ariolus* ἱεροσκόπος, σπλαγχνοσκόπος, θυοσκόπος. Alibi Donatus; Harioli *ab* halando: *nam halitu solent excludere mortalem animam, ut divinam recipiant*. Cicero lib. 1. *de Divinat.* Sibyllinorum versuum *decem interpretes disertos esse voluerunt, ex quo genere sæpe hariolorum, & vatum furibundæ prædictiones*. *Lymphatici* dicuntur νυμφόληπτοι, *Lymphare, oblucinare*, ἐνθυσιάζειν, *Furore corripi*, quia in lucis Nympharum occursus Lymphaticos faciebat. Hesychius, νυμφόληπτοι οἱ κατεχόμενοι νύμφαις, μάντεις δέ εἰσι, καὶ ἐπιθειαστικοί. *Lymphatici Nymphis obsessi, qui vates sunt, & fanatici*. Iidem dicuntur *superstitiosi, Eurycles, Ventriloqui, Fatidici, Divini* a Petronio, & Seneca. Apul. *Mile.* 1. *parce in fœminam divinam.* Sed de Auguribus audiendus Georgius Monachus in *Chronico*, Ἄραβες, καὶ Φρύγες οἰωνοσκοπίαν ἐπενόησαν πρῶτοι, καὶ θύειν Θεοῖς Χαλδαῖοι μὲν ἐξεῦρον, ἤτοι Κύπριοι. Τὴν δὲ ἀστρονομίαν Βαβυλώνιοι διὰ Ζωροάστρυ, ἐξ ὧν δεύτερον παρείληφον Αἰγύπτιοι. *Arabes & Phryges auguria repererunt, & auspicia: Chaldæi facere Diis, aut Cyprii. Astronomiam Babylonii auctore Zoroastre, a quibus didicerunt Ægyptii*. Plinius l. 7. c. 56. *Auguria ex avibus Car primus invenit, e cæteris animantibus Orpheus, Aruspicium Delphus, ignispicia Amphiaraus, auspicia avium Tiresias*. Ubi animadverte alia esse auguria Plinio ab Auspiciis, cum vulgo pro iisdem habeantur. Gregorii Nazianzeni Scholiastes cum Georgio Monacho sentit: Λέγονται Φρύγες εὑρεῖν πᾶσαν τὴν οἰωνιστικὴν, τῆς δὲ μαντικῆς τὸ μὲν ἐστιν ὀρνεοσκοπικὸν, ὃ Φρύγες εὗρον, τὸ δὲ οἰκοσκοπικὸν, τὸ δὲ ἐνόδιον, τὸ δὲ χειροσκοπικὸν, τὸ δὲ παλμοτικόν. Τηλέγονος πρῶτος ὀρνεοσκοπικὸν εὗρε πετομένης ὄρνιθος ἢ ἔμπροσθεν, ἢ ὀπίσω. οἰκοσκοπικόν ἐστιν ὅταν τὰ ἐν τῷ οἴκῳ συμβαίνοντα ἐφηγήσηται. ἐπειδὴ ἐν τῇ γῇ ἐφάνη γαλῆ, ὄφις, μῦς, ἢ ἐκενώθη ἔλαιον, ἢ μέλι, οἶνος, ὕδωρ, τέφρα, ἃ Ξενοκράτης συνεγράψατο. ἐνόδιον, τὰ ἐν ὁδῷ ὑπαντῶντα. χειροσκοπικὸν διὰ τῆς ἐκτάσεως τῆς χειρὸς, ἢ διὰ τῶν ῥυτίδων. παλτικὸν, ἢ παλμοτικὸν, διὰ σώματος πάλσεως. ἐπάλθη μηρὸς, ὦμος, ὃ συνεγράψατο Ποσειδώνιος. *Dicuntur Phryges reperisse auspiciorum disciplinam. Divinatio autem alia dicitur auguralis, quam Phryges repererunt, alia domispicina, quædam vialis, nonnulla aruspicina, alia salissationum. Telegonus primus reperit auguralem e volatu avis in antica, aut postica. Domispicina est, cum ea quæ domi accidunt interpretantur, quia forte in tecto* (lego ἐν στέγῃ) *apparuit mustela, serpens, mus; aut oleum exhaustum est, mel, vinum, aqua, cinis; de quibus Xenocrates scripsit. Vialis est, quæ conjicit ea quæ in via occurrunt. Manuspicina expansa manu, aut rugis perspectis. Salissatio, si pars aliqua corporis subito subsiliit, si femur, humerusve saliit, quod genus Posidonius conscripsit*. Legendus Suidas verbo Ἕλενος, & οἰωνιστική. Cedrino συμβολικὴ dicitur p. 19. quæ Martiano l. 9. & lib. 1. *Conjecturalis*. Cic. l. 1. *Divinat. Isiacos conjectores*. Clemens l. 8. *Constitut. Apost.* συμβολοδείκτας, παλμῶν ἑρμηνεῖς, ἢ παρακρυσμάτων συμβολικῶν. Vet. glof. collector, ὀρνιθοκρίτης. Cicero de Arusp. Respons. *Portentorum explanatores*. Pollux lib. 7. ἐξηγητὰς, τερατοσκόπυς, ὀρνιθοσκόπυς. Suidas συμβολὺς interpretatur τὺς διὰ τῶν

πταρμῶν οἰωνισμὸς. *Auguria per sternutationem*. Ariolus dicitur in vet. glos. *Pariolus*, προφήτης, θυοσκόπος. Quidam *Ariolum* quasi *Fariolum*, a *fando*. Eadem pene verba Georgius Monachus habet. Καὶ ὀρνεοσκοπικὸν μέν ἐστι ὅταν ὄρνιθος ἔμπροσθεν, ἢ ὄπισθεν, ἢ δεξιὰ, ἢ ἀριστερὰ νεύοντος εἴπωσι. τὸ δὲ σημαίνει. παλμοτικὸν, τὸ διὰ τῆς πάλσεως γνωριζόμενον, οἷον ἐπάλθη ὁ δεξιὸς, ἢ ἀριστερὸς, ὀφθαλμὸς, ἢ ὦμος, ἢ μηρὸς, ἢ κνισμὸς ἐν τῷ ποδὶ, ἢ πρὸς τὸ οὖς ἦχος ἐγένετο. οἰκοσκοπικὸν, ὅταν τὰ ἐν οἴκῳ σημαίνονται, οἷον ἐν τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ, ἢ ὄφις, ἢ μῦς, ἢ ἐκενώθη ἔλαιον, ἢ μέλι, ἢ οἶνος, ἢ τέφρα, ἢ τρισμὸς ἐγένετο ξύλων. ἐνόδιον, ὅταν ἐξηγήσηταί τις τὰ ἐν τῇ ὁδῷ ὑπαντῶντα, λέγων ἐάν σοι τοιοῦτός τις ἄνθρωπος, ἢ τόδε βαστάζων, τόδε σοὶ σημαίνεται, &c. *Auguralis disciplina, cum avis antrorsum, retrorsum, ad lævam, aut dexteram tendit, & augures interpretantur. Salissatio, quod salissatione corporis significatur, ut subsiliit lævus, aut dexter oculus, aut humerus, aut femur, aut pruritus fuit in pede aut aurium tinnitus. Domispicina, cum ea quæ domi fiunt interpretantur, ut in tecto apparuit mustela, serpens, mus; aut exhaustum est oleum, mel, vinum, cinis, aut stridor lignorum fuit: vialis, cum augur interpretatur ea, quæ in via occurrunt, dicens, si tibi vir ejusmodi, aut tale aliquid gerens occurrerit, hoc significatur*. Cedrinus pag. 29. Μαντεία τῶν ἀλευρομάντεων, κριθομάντεων. ἡ διὰ βροντῆς, μυῶν, γαλῆς, τρισμοῦ ξύλων, ὠτὸς ἤχων, παλμῶν σώματος, συμβολικὴ, καὶ οἰωνιστικὴ λεγομένη, ἧς τὸ μέν ἐστι ὀρνεοσκοπικὸν, τὸ δὲ παλμοτικὸν, τὸ δὲ οἰωνοσκοπικὸν (lego οἰκοσκοπικὸν) τὸ δὲ χειροσκοπικὸν, τὸ δὲ ἐνόδιον, ἢ κληδονιστικόν. οἷον ὅταν ἐκ τοῦ παρατυχόντος εἰρημένου τεκμαίρηταί τις τὸ ἐσόμενον, καὶ ὅταν δι' ὀνομάτων νεκρῶν ἐπικλήσεως, καὶ ὅταν δι' ἄστρων, ὑδάτων, ὀνείρων. Glycas parte 2. κληδονιστικὴν accipit pro ψυχαγωγία, a voce κλῶ, καλῶ, *evoco*, quia evocantur animæ. *Divinatio per farinam, per hordeum, per fulmina, mures, mustelas, stridorem lignorum, tinnitum auris, succussationem corporis: conjecturalis per signa: auguralis, cujus alia spectat aves, alia salissationem, quædam ea quæ domi contingunt, nonnulla manum: vialis ominalis, veluti cum eo quod forte dictum est, futura conjectantur. Aliud genus divinationis est ex nominibus, mortuorum invocatione, ex aquis, astris, somniis*. Clemens Rom. lib. 8. *Constit. Apos.* cap. 32. οἰωνιστὴς, συμβολοδείκτης, παλμῶν ἑρμηνεὺς φυλαττόμενος ἐν συναντήσει λώβας ὄψεως, ἢ ποδῶν, ἢ ὀρνίθων, ἢ γαλῶν, ἢ ἐπιφωνήσεων, ἢ παρακρουσμάτων συμβολικῶν: *Augur, Conjector, salissationem interpres observans in occursu dehonestamenta vultus, aut pedum, aut avium, aut mustelarum, aut exclamationum, aut auditionum conjecturalium* (malim legere παρακρουσμάτων *deliriorum*, aut *deceptionum conjecturalium*. Vulgo legitur παρακροαμάτων.) Martianus Capella lib. 2. de hoc toto genere scite agit: *At infra Solis meatum usque lunarem globum secundæ beatitatis numina, supparisque potentiæ, per quæ tamen vaticinia, somniaque, ac prodigia componuntur. Hæc aruspicio exta fissiculant, admonentia quædam, vocesque transmittunt, auguratisque loquuntur ominibus: plerumque enim quærentes admonent vel sideris cursu, vel fulminis jaculo, vel ostentatoria novitate*. Apulejus lib. *de Deo*: *Per hos eosdem dæmonas, ut Plato in* Symposio *autumat, cuncta denuntiata, & magorum varia miracula, omnesque præsagiorum species reguntur*, &c. vel *somniis confirmandis, vel extis fissiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel oscinibus erudiendis, vel vatibus inspirandis, vel fulminibus jaculandis, vel nubibus coruscandis*, &c. *Postremo cuncta ariolorum præsagia, fulgurum bidentalia, carmina Sibyllarum*, &c. ex quibus apparet, aruspices, ariolos, extispices, fissiculatores, καρδιουλκοῦντες, pro eodem accipi. Glossæ Isidori, *fissiculo, propitio Divo*. Fissiculator augur naturas in extis animantium quærens, Cicero lib. 2. *Divinat.* Vicanos aruspices commemorat. Aruspices autem prodigia, fulmina, quicquid vel in extis, vel in ara, vel in cœlo, vel uspiam locorum monstri existeret, interpretabantur. Q. Curtius lib. 5. *Mos erat Aruspicibus exta sine rege spectare, & quæ portenderent referre*. Julius Firmic. lib. 2. *Astron. Aruspices quotiescunque a privatis interrogati de statu Imperatoris fuerint, & respondere voluerint, exta semper, quæ ad hoc fuerint destinata, ac venarum ordines involuta confusione conturbent*. Lucan. lib. 1.

*Hæc propter placuit Thuscos de more vetusto*
*Acciri vates.* ——

De quorum disciplina Tarquitius libros scripsit, narrante Ammiano Marcellino lib. 25. Macrob. lib. 3. *Saturn. Liber Tarquitii transcriptus ex ostentario Thusco*. Hetrusci aruspices tanti fuerunt Romæ, ut ex urbe duodecim Principum filii singuli, singulis Hetruriæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traderentur, ait Valer. Maximus lib. 1. cap. 1. & Cicero lib. 1. *de Divinat.* Ejus disciplinæ Tages quidam auctor apud Hetruscos. Martianus Capella lib. 2. *Tages sulcis emicuit, & ritum statim genti, sypnumque monstravit*, (Lego *& ritum statim genti, aruspiciumque monstravit*) Ovid. lib. 15. *Metamorph.*

*Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator*
*Fatalem glebam motis aspexit in arvis*
*Sponte sua primum, nulloque agitante moveri,*
*Sumere mox hominis, terræque amittere formam,*
*Oraque venturis aperire recentia fatis,*
*Indigenæ dixere Tagem, qui primus Hetruscam*
*Edocuit gentem casus aperire futuros.*

Festus, *Tages nomine, genii filius, nepos Jovis, puer dicitur aruspicii disciplinam dedisse duodecim Hetruriæ populis*. Capitolinus in *Diocletiano*, *Tages aruspicum princeps, visum leonem exitialem pugnaturis putat*. Cicero lib. 2. *de Leg. prodigia, portenta ad Hetruscos, & aruspices, si senatus jusserit, deferunto, Hetruriæque principes disciplinam docento, quibus divis creverint procuranto, iidemque fulgura, atque obstita pianto*. Plutarchus in *Sylla*, οἱ λογιώτατοι Τυῤῥηνῶν τερατοσκόπον ὑφεωρῶντο στάσιν, *Hetrusci vates suspicabantur seditionem*. Vet. glos. *Fanatici*, ἱερατικοὶ, ἱερόδουλοι. Hesychius, νυμφόληπτοι, οἱ κατεχόμενοι νύμφαις· μάντεις δέ εἰσι, καὶ ἐπιθειαστικοί. Prudent.

*Cultrum in lacertos exerit fanaticus,*
*Sectisque matrem brachiis plorat Deam.*

Cujusmodi fuere apud Lampridium Bellonæ servientes. Lege Tibullum lib. 1. eleg. 7. Horatium in *arte Poet.* Lucianum *de Dea Syria*, Philostratum in *Hippodromo*. Sidonius lib. 8. epist. 7. *Lucumones* vocat Cicero lib. 1. *de Divinat. magna vis in impertiendis, consulendisque rebus, in monstris interpretandis, ac procurandis, in aruspicum disciplina*. Item, *quæ civitas, quæ non aut exta pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut Astrologorum, aut sortium (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moveatur?* Lucanus:

*Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruspex.*
*Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans,*
*Voces tristificas scriptis promebat Hetruscis?*

Item, *quid habet aruspex, cur pulmo incisus etiam in bonis dirimat tempus, & proferat diem?* Item, *quid fissum in extis, quid fibra valeat*, lib. 2. *Telmissus in Caria est, qua in urbe excellit aruspicum disciplina*, &c. *Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Jamidarum unam, alteram Elutidarum, aruspicina nobilitate præstantes*. Aruspices οἰκοσκοπικὴν faciebant, & quæ domi acciderent, interpretabantur.

Roscium enim dormientem, ait Cicero, circumplicatum serpentis amplexu, aruspices responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Eosdem tamen irridet lib. 1. *de Div. Mirabile videtur*, inquit, *quod non rideat aruspex, si aruspicem viderit, quia certe inter se suam artem rident inanem, & fallacem*. Hieronymus ad cap. 2. Daniel. *Nasrin*, id est, aruspices, Symmachus vertit θυάδας, vetus Scholiastes Persii verba solemnia esse ait Consulum ad Augures, *Mando tibi, ut maximum Jovem audias*, hoc dicitur aruspicibus, ut quemadmodum procurationis assertio fit, ita fiat & in sacris, & in prece. *Prodigiatores* item dicti sunt aruspices, prodigiorum interpretes, ait Festus; libri erant aruspicini, fulgurales, rituales, augurales, teste Cicerone lib. 1. *de Divinat.* Aliæque partes augurum, pontificum, aruspicum fuere, cum singuli proprium munus curarent. Cicero de Aruspic. resp. *Majores nostri statas, solemnesque cerimonias pontificatu, rerum bene gerendarum tempora augurio, fatorum veteres prædictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes Hetruscorum disciplina contineri*. Tacit. lib. 14. *Britanni cruore captivo adolere aras, & hominum fibris consulere Deos fas habebant*. lib. 2. *Histor.* de Venere Paphia, *fama recentior tradit a Cinara sacratum templum, sed scientiam, artemque aruspicum accitam, & Cilicem Thamyram intulisse*. *Hostiæ ut quisque vovisset, mares deliguntur. Certissima fides hœdorum fibris*. lib. *de Morib. German. Auspicia, sortesque ut qui maxime observant*. Plinius lib. 30. cap. 2. *Magi nullis æque credunt extis, atque talparum, nullum religionis capacius judicant animal*. Ex quibus apparet, Britannos, Cyprios, Cilices, Persas, Germanos aruspices habuisse. Portentum aruspices Syllæ interpretati sunt apud Ciceronem lib. 1. *de Divinat. Cum Sylla in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara subito anguis emergit. Cum quidam C. Posthumius aruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum deduceret, Sylla vicit*. Aruspex igitur proprie prodigiator: accipitur tamen pro extispice, & vate. Virgil. lib. 11. Æneid.

*—— Dum sacra secundus aruspex*
*Nunciet*.

Silius lib. 5. —— *Nam dum nos augur, & extis*
*Quæsitæ fibræ, vanusque moratur aruspex*.

Propertius lib. 3. eleg. 4. pro vate, & divinaculo:

*Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus aruspex,*
*Frangitur ipsa suis Roma superba bonis*.

De aruspice loquutus Lucan. lib. 1.

*—— Aruns*
*Fulminis edoctus motus, venasque calentes*
*Fibrarum, & monitus errantis in aere pennæ*.

Ammianus Marcell. lib. 21. *Volatus avium dirigit Deus, ut rostrum sonans, aut prætervolans pinna turbido meatu, vel tenui futura præmonstret*. De omni Aruspicinæ genere diligenter egit Tarquitius, de cujus libris Ammianus lib. 25. Ex Tarquitianis libris in titulo de Rebus divinis. Macrobius, ubi de ficuum generibus loquitur, *Tarquitius in ostentario arborario*. Item, *est super hoc liber Tarquitii transcriptus ex ostentario Thusco ubi reperitur, purpureo, aureone colore ovis, ariesque si aspergatur, principi ordinis & summa cum felicitate largitatem auget*. Lactantius meminit Tarquitii, sic enim ille libro primo cap. 10. de Aesculapio loquens, *Hunc*, inquit, *Tarquitius de illustribus viris disserens ait incertis parentibus natum, expositum, & a venatoribus inventum*. De Fanaticis Ovidius in Phædræ epist.

*Ut quos semideæ Dryades, Faunique bicornes,*
*Numine contactos attonuere suo*.

Athenagoras in legatione pro Christianis, τοὺς ἐν μαχαίραις, καὶ τοῖς ἀστραγάλοις αἰκιζομένους, *Fanticos qui se gladiis, & flagellis nodatis excruciant*. Acro ad hæc Horatii lib. 1. Satyr. 6. *Assisto divinis*, id est, *Samardicis, aut sortilegiis. Samardæ, divini*. Sed eleganter totam hanc divinandi rationem Ennius his verbis sugillat:

*Non habeo denique nauci Marsum Augurem,*
*Non vicanos aruspices, non de circo Astrologos,*
*Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium:*
*Non enim sunt ii aut arte divini, aut scientia,*
*Sed superstitiosi vates, impudentesque arioli,*
*Aut inertes, aut insani quibus egestas imp rat,*
*Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias,*
*Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,*
*Quibus divitias pollicentur ab his drachmam petant.*
*De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.*

Nec minus eleganter Accius:

*Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant*
*Alienas, suas ut auro locupletent domos*.

## CAP. VI.

### *De Aruspicinæ inventoribus, ac Præsidibus*.

MULTA in Veterum superstitione absurda, & inania fuere, nihil absurdius, & inanius, quam quod ex avium garritu, aut volatu, ex soricis occentu, ex serpentis, canis, aut mustelæ occursu bona, malave hominibus denuntiari existimarunt. Vel enim iis animantibus rerum futurarum præsentio e natura insita est, vel a Deo ad hos aut illos motus incitantur, vel a Dæmone impulsi, vel temere, & fortuna moventur. Si res futuras naturæ munere bruta præsentiant, cur insidias ipsa non cavent, cur laqueis & cassibus impediri se sinunt, cur sagittis aut pilis plumbeis confodiuntur? Si a Deo moventur, ut futura indicent, & longa observatione motus eorum notati disciplinam, & artem fecerunt, cur apud varias gentes in auguriis, extispiciis, & reliquis divinationum generibus tanta observationum varietas, & dissimilitudo fuit? Deinde oportuit Deum uni alicui hominum primo indicasse, eos se motus avibus, & bestiis injecisse, ut futura hominibus significarent. Eum autem cui indicaret virum aliquem sanctum, & Prophetam extitisse necesse est, qui eam artem posteris tradiderit. At in Judaica gente, ubi Prophetæ sanctissimi fuere, inanes istæ observationes damnantur. Si a Dæmone res fluxit, cui res futuræ ignotæ sunt, disciplina vana est, & inanis. Si temere aves, mures, canes, serpentes moventur, ex eorum motu nihil certi deprehendi potest. Fieri autem posse, ut subito ex opimæ bovis extis cor præreptum a Dæmone non compareat, nemini dubium est: potest ille exta florentia, aut marcida cito efficere: potest aves a læva aut dextra immittere, & inter se committere, potuit disciplinam quandam Auguribus, & Aruspicibus eorum quæ ipse faceret, tradere: artem vero divinationis certæ procudere non potuit. Sed ea de re sententiam Ammian. Marcellini lib. 21. proponamus: *Volatus avium*, ait ille, *dirigit Deus. Amat enim benignitas numinis his quoque artibus prodere quæ impendent. Extis item pecudum attenti fatidici, in species converti suetis innumeras, accidentia sciunt. Cujus disciplinæ Tages nomine monstrator (ut fabulantur) in Hetruriæ partibus emersisse subito visus e terra. Aperiunt quoque ventura, cum æstuant hominum corda, sed loquuntur divina. Sol enim, (ut ajunt Physici) mens mundi nostras men-*

*tes ex sese velut scintillas diffunditans, cum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddit. Unde Sibyllæ crebro se dicunt ardere torrente vi magna flammarum. Multa significant super his, crepitus vocum, & occurrentia signa, tonitrua quin etiam, & fulgura, & fulmina, itidemque siderum sulci. Somniorum autem rata fides, & indubitabilis foret, ni ratiocinantes conjectura fallerentur, interdumque, ut Aristoteles affirmat, infixa sunt, & stabilia, cum animantis altius quiescentis ocularis pupilla neutribi inclinata rectissime cernit. Et quia vanities aliquoties plebeja strepit, hæc imperite mussando, si esset præsentiendi notitia quædam: cur ille se casurum in bello, vel alius hoc se passurum ignoravit, aut illud? Sufficiet dici, quod & grammaticus loquutus interdum est barbare, & absurde cecinit Musicus, ignoravit remedium medicus; & non ideo, nec grammatica, nec musica subsistit: unde præclare hoc, ut alia, Tullius, signa ostenduntur a Diis rerum futurarum, in his si quis erraverit, non Deorum natura, sed hominum conjectura peccavit.* Pausanias in *Phocicis, divinationem ex avibus volantibus a Parnasso repertam* esse ait, qui Neptuni & Cleodoræ Nymphæ filius fuerit. Pythagoras auguralem disciplinam probavit, & divinationem per omina, sed cum abstineret ab animantium cæde, & extispicinam respuit. & cætera quæ igni admoventur, excepto thure. Pausanias: *εὕρημα Παρνάσσου ἀπὸ πετομένων ὀρνίθων μαντεία*. Diogen. Laertius de Pythagora, *μαντικῇ ἐχρῆτο διὰ τῶν κληδόνων τε οἰωνῶν, ἥκιστα δὲ διὰ τῶν ἐμπύρων ἔξω τοῦ Λιβάνου*. Megales Phryx docuit Hetruscos auspicia, ut Solinus cap. 1. Assyrii trajectiones stellarum, motusque observaverunt, propter planitiem regionum. Pamphylia volatus avium cantusque, ait Cicero. Auspicium quoddam Romæ fuit ex acuminibus totum militare, cum acumina pilorum, hastarum, telorum solito splendidius emicarent. Arnobius lib. 2. *aut Martium discrimen obeuntes, spem prælii sumitis, & ex acuminibus auspicatis*. Dionysius Halic. lib. 5. pugna Romanorum ad Eretum cum Sabinis *ἐκ τῶν καταπεπηγμένων παρὰ ταῖς σκηναῖς ὑσσῶν, ἐστὶ δὲ ταῦτα βέλη Ῥωμαίων, ἃ συνιόντες εἰς χεῖρας ἐξακοντίζουσι ξύλα προμήκη τε, καὶ χειροπληθῆ τριῶν οὐχ ἧττον ποδῶν σιδηροῦς ὀβελίσκους ἔχοντα προὔχοντας κατ' εὐθεῖαν ἑκατέρων τῶν ἄκρων μετρίοις ἀκοντίοις ἴσα σὺν τῷ σιδήρῳ:* Ex pilis defixis ad tabernacula circa summa verucula emicabant flammæ, totisque castris fulgore non aliter ac faculæ; sed multam noctem reddebant. Ex hoc ostento colligebant citam sibi, ac splendidam victoriam, quia igni cedunt omnia, & nihil est quod non ignis vi absumatur. Cicero lib. 2. *de Divinat. Quam multi anni sunt, cum bella a Proprætoribus & Proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec omnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur, nec ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est*, *θύειν τὰ διαβατήρια*, est amnes auspicato transire, immolare ad transitum amnis, aut maris. Idem lib. 2. *de Nat. Deor. Nulla perennia servantur, nulla ex acuminibus.* Tacitus lib. 15. *Annalium, pila militum arsere*. Qua de re aliquid attigimus in *Pyromantea*. Fuit item perenne auspicium, de quo Festus, *Perenne dicitur auspicari, qui amnem, aut aquam quæ ex sacro oritur, auspicato transit*. Perenne autem auspicium duplex; unum populi, cum Idibus Martiis amnem auspicato transirent ad Annam perennam; alterum magistratuum, cum auspicato amnem transirent, quoties quid in campo agere vellent. Cicero lib. 2. *de Divinat. Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur*. Sed & naves inscendentes, & maria tentantes Romani duces hostiam fluctibus immolabant, teste Cicerone lib. 3. *de Natura Deorum*. Virgil. lib. 3. *Aeneid.*

*Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo,*
*Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.*

Valer. Flac. lib. 1. *Argonaut.*

*Tum læti statuunt aras, tibi rector aquarum*
*Summus honor, tibi cæruleis in littore vittis*
*Et Zephyris, Glaucoque bovem Thetidique juvencam*
*Dejicit Ancæus.*

Sed ut ad Aruspices redeamus, Tages apud Hetruscos aruspicinam instituit, & libros rituales scripsit, quorum meminit Fulgentius Placiades, aitque Antistium Labeonem virum in jure Pontificio, & Veterum doctrina reliqua eruditissimum, libros Tagetis exposuisse quindecim voluminibus. Censorinus cap. 17. lib. *de die natali*. De ritualibus libris Hetruscorum, & de commentariis Quindecim virorum, ex quibus prodigia procurabantur, ut Julius Obsequens lib. *de prodigiis* ostendit, in hæc verba, *stipem ob prodigia Aruspicum responsis populus Cereri, & Proserpinæ tulit. Virgines viginti septem canentes dona tulerunt*. Erant Hetruscorum aruspicini, fulgurales, rituales libri; Augurum Augurales Cic. lib. 1. *Divinat. Quod Hetruscorum declarant & aruspicini, & fulgurales, & rituales libri, nostri etiam augurales*. Zozimus lib. 5. *in Honorio*, Thuscorum libros rituales vocat *ἱερατικούς*. Erant & libri fatales, de quibus Censorin. lib. 14. Hetruscis quoque libris fatalibus ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi Varro commemorat. Ex his libris aruspices prodigia interpretabantur, cum apud Græcos tum apud Romanos, quorum in exercitu greges ovium fuere, ut ante pugnam exta consulerent. Pausanias *Bœoticis*, *τοῖς βασιλεῦσιν αὐτῶν ἐς τὰς ἐξόδους πρόβατα εἵπετο*, reges Lacedæmoniorum sequebantur oves, cum expeditionem moverent, ut immolarent Diis, & ante prælium perlitarent. Capræ duces erant ovium in itinere. Dionysius lib. 3. *ὁρῶν οὔτε τὰ σφάγια, ὁπότε θύοιτο περὶ μάχης καλὰ γινόμενα: Extaque de pugnæ exitu consulta nihil fausti portendere videns*, *τὰ δαιμόνια σημεῖα, ὁπότε χρησαίμην σφαγίοις περὶ μάχης, χαλεπώτερα γινόμενα: divina signa cum exta consulerem super pugna, difficiliora erant*, *καὶ ὑπὸ τῶν ἱερῶν ὁπότε τὰ πολέμια θύοιμεν, ἐκωλυόμεθα: & quoties bellica peregimus sacrificia, exta nos pugnam auspicari vetuerunt*. Ideo Aurelianus vetat milites Aruspicibus qui erant in exercitu, quidquam dare, ne forte ad gratiam militum loquantur, aut mentiantur, apud Vopiscum in epistola Aureliani, *A medicis milites gratis curentur, aruspicibus nihil dent*. Extorum inspicia vocat Tertul. lib. 2. *in Marcion.*

*Turbam sibi fingere Divum*
*Sortes, auguria, stellarum nomina falsa,*
*Nascentum geneses constringere, postque videre*
*Extorum inspiciis, resque expectare futuras.*

Apud Gallos Aruspices erant Beleno Deo servientes. Capitolinus in duob. Maximin. *Dicens etiam Deum Belenum per Aruspices spopondisse Maximinum esse vincendum*. Ammianus Marcellin. lib. 25. *Julianus adulta excitus nocte flagrantissimam facem cadenti similem, aeris parte sulcata evanuisse existimavit*, &c. *Ante lucis primitias Hetrusci haruspices accersiti, consulti quid astri species portenderet nova, vitandum esse cautissime responderunt, ne quid tunc tentaretur, ex Tarquitianis libris, in titulo de rebus divinis id relatum esse monstrantes, quod face in cœlo visa committi prælium non oporteat*. Lib. 23. *Juliano offertur a militibus immanissimi corporis leo, cum aciem peteret, multiplici telorum jactu confossus. Hetrusci aruspices qui comitabantur, ignari prodigialium rerum, prolatis libris ritualibus ostendebant, signum hoc esse probitorium*. Verum & hoc ad Aruspices pertinuit, quod narrat Paulus Dia-

conus lib. 11. *Julianus cum ad terminos Illyrici accessisset, dicitur vindemia jam collecta circa occasum plejadum uvas denuo fuisse prolatas. Democritus certe censet sapienter instituisse Veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu, atque colore, tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percipi, nonnunquam etiam quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura*, ait Cicero lib. 1. *de Divinat.* Optime Democritus, ut Philosophum decuit; ideo moris fuisse ait Onosander in *strategicis*, ut exta victimæ consulerentur, priusquam locus castris caperetur, ex quibus aeris, aquarum, & pabuli ipsius constitutio exploraretur. Minus bene Cicero libro *de Divinat.* primo, *nam & ad hostiam deligendam potest esse dux vis quædam sentiens, quæ est toto confusa mundo, & tum, ipsam cum immolare velis, extorum mutatio fieri potest, ut aut absit aliquid, aut supersit.* Dæmonem tamen insita vi potuisse id præstare, dubium non est, itemque efficere, ut ante ictum hostia caderet, aut ab aris profugeret, aut duplicatum jecur esset, aut deesset cor in extis. Statius lib. 11. *Thebaid.*

*Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat*
*Taurus, & obstantum mediis e cœtibus exit,*
*Turbidus, insano feriens altaria cornu.*
*Admotus superis discussa fugit ab ara,*
*Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros,*
*Nullaque funestis inventa est victima sacris.*

Lampridius de Alexandro, *cum natalem diem commendaret hostia cruenta effugit, & ut se civiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam ejus vestem cum qua constiterat, cruentavit.* Virgilius:

—— *Fugit cum saucius aras*
*Taurus & incertam excussit cervice securim.*

Appianus 2. *Civil.* Αὐτῷ δὲ τῷ Πομπηΐῳ τῆς αὐτῆς νυκτός τινα τῶν ἱερείων ἐκφυγόντα οὐ συνελήφθη. Dio in *Cæsare*, Ὁ ταῦρος ἐκφυγὼν πρὶν τιτρώσκεσθαι πρὸς λίμνην τινὰ ἐλθὼν διενήξατο αὐτήν, *Taurus fugiens ante ictum ad quandam paludem, tranavit eam*, quod Cæsari lætum. Festus, *pestifera auspicia sunt cum cor in extis, aut caput non fuisset in jecinore.* Piacularia appellabant auspicia, id est, sacrificia, antiqua loquendi consuetudine, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam quam oportuit, corporis partem decideret. In Trœzeniis bovem feram vinctam in Ithoniæ templum ducunt, in quo quatuor vetulæ antistitæ, falce bovem jugulant, deinde tres alias mactant, quæ in idem latus cadunt, in quod prima prolapsa fuerit, ait Pausanias. Sueton. in *Galba*: *Magna & assidua monstra jam inde a principio exitum ei qualis evenit, portenderant. Cum per omne iter dextra, sinistraque oppidatim victimæ cæderentur, Taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo essedum ejus invasit, elatisque pedibus totum cruore perfudit, ac descendentem speculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit.* Idem in *Julio*: *Cum immolanti profugisset hostia, profectionem adversus Scipionem, & Jubam non distulit.* Si hostia non reluctaretur, auspicatum erat. Seneca in *Hercule Oetæo*,

*Ut stetit ad aras omne votivum pecus.*

In *Hercule Furente*,

*Stat ecce ad aras hostia, expectat manum*
*Cervice prona.* ——

Legendus Macrobius lib. 3. *Saturnal.* c. 5. Ovidius 1. *Fastor.*

*Rode caper vitem: Tamen hic cum stabis ad aram,*
*In tua quod fundi cornua possit, erit.*

Virgilius:

*Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.*

Ideoque probabant hostiam, si non stupuisset, cum vinum in frontem invergerent, & vellerent setas, quæ inter media cornua sitæ sunt, cadensque ferrum a fronte in caudam per dorsum ducerent; lib. 6. *Æneid.*

—— *Frontique invergit vina Sacerdos,*
*Et summas carpens media inter cornua setas,*
*Ignibus imponit sacris libamina prima.*

Servius ad lib. 2. *Æneid.* *mola salsa*, id est, *sale & farre, frons victimæ, & foci, & cultri aspergebantur.* Aquam item in aurem victimæ injiciebant, ut sacris adnueret. Myrtilus lib. 1. *Lesbicor.* Οἱ μὲν οὖν ἱερεῖς τὸ ὕδωρ εἰώθασιν ἐμβαλεῖν εἰς τὸ οὖς τοῦ ἱερείου ὡς ἐπινεύει ταῖς τελεταῖς. Seneca in *Oedipo*:

*Placidone vultu sacra, & admotas manus*
*Patiuntur.*

Servius ad hæc lib. 12. *Aeneid.*

*Dat fruges manibus salsas,* ——

*Etiam cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducere consueverant, & hoc est quod ait,*

—— *Et tempora ferro*
*Summa notant pecudum.*

Seneca *Oedipo* Act. 2. Sc. 2.

—— *Altum Taurus attollens caput*
*Primos ad ortus positus expavit diem,*
*Trepidusque vultum obliquat, & radios fugit.*

Ovidius,

—— *Dum vota Sacerdos*
*Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,*
*Haud expectato ceciderunt vulnere tauri.*

Virgilius,

—— *Stans victima ad aram*
*Inter cunctantes cecidit moribunda ministros:*
*Aut si quam ferro mactaverat ante Sacerdos,*
*Inde neque impositis ardent altaria fibris,*
*Nec responsa potest consultus reddere vates.*

Seneca:

*Colla tacturus steterat Sacerdos,*
*Dum manus certum parat alta vulnus,*
*Aureo Taurus rutilante cornu*
*Labitur segnis:*
*Unone terram vulnere afflicti petunt?*
*Juvenca ferro semet imposito induit,*
*Et vulnere uno cecidit, & taurus duos*
*Perpessus ictus huc & huc dubius ruit,*
*Animamque fessus vix reluctantem exprimit.*

Quoties Diis inferis facerent, capita terram spectantia, vel in terra reposita securi, aut secespita secabant: cum Diis superis, victimas jugulo ad cœlum obverso mactabant. Myrtilus lib. 1. *Lesbicorum*, Εἰώθασιν οἱ ἱερεῖς τὰ ἔντομα τοῖς κάτω θεοῖς ἐναγιζόμενοι ἐν τῇ γῇ ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. οὕτω γὰρ θύουσι τοῖς ὑποχθονίοις, τοῖς δ' οὐρανίοις ἄνω ἀναστρέφουσι τὸν τράχηλον σφάζοντες. Cum Diis superis fit, supina manu fundunt vinum, ut Servius ad librum sextum *Aeneid.* *Invergunt autem, cum manu in sinistram partem conversa ita fundunt, ut patera convertatur, quod in infernis sacris fit.* Aruspices igitur exta signari notis quibusdam a Diis putabant, aut varie commoveri. Tibul. lib. 2. eleg. 5.

*Tu procul eventura vides, tibi deditus augur*
*Scit bene, quid fati provida cantet avis.*
*Tuque regis sortes, per te præsentit aruspex,*
*Lubrica signavit cum Deus exta notis.*

Lege Lucianum lib. *de sacrific.* & Arnobium lib. 2. *Semicruda cœpistis, & leviter animata porricere.* Auspicatum erat, si exta leviter trepidarent. Zeno Veronensis de Jona, *Non aris fœtentibus funestos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexpectata morte rapti jecoris spirantes consulunt fibras.* Macrobius lib. 3. *Saturnal.* c. 2. *Exta porriciunto, Diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebunt.* Plutarchus in

in *Pyrrho*, ἐπεὶ δὲ κάπρου, καὶ ταύρου, καὶ κριοῦ προσαχθέντος ὁ κριὸς αὐτομάτως ἀπέθανε: *Postquam autem capro, tauro, hirco, adductis ad aram, hircus sponte mortuus est*. Aruspex Theodotus Pyrrhum jurare vetuit, dixitque uni e tribus Regibus mortem denunciari. Immo & signum in extis fuit, quod *Deus* appellaretur; quod si integrum apparuisset, propitium numen ostendebat; si dimidiatum, & mutilum, iratum, aut non præsens, ut Luctatius ad hæc verba Statii lib.5. *Thebaid.*

*Et in nullis spirat Deus integer extis.*

Cicero lib.1. *Divinat. Non placet Stoicis singulis jecorum fissis interesse Deum*. Tunc autem exta dicebantur reddi, cum inspecta, & probata aræ imponerentur, ut Servius docet ad hæc verba lib. 2. *Georgic.*

*Lancibus, & pandis fumantia reddimus exta.*

Lib.4. *Thebaid.* Statius,

*——Tunc innuba Manto*
*Exceptum pateris prælibat sanguinem, & omnes*
*Ter circum acta pyras sancti de more parentis,*
*Semineces fibras, & adhuc spirantia reddit*
*Viscera.*

Observabant & flammam Aruspices, quæ ex crematis prosectis edebatur; item fel, quomodo ejacularetur bilem; vesicam ore lana colligato igni imponebant, & quo illa pacto disrumperetur, & quam in partem lotium effunderet, adnotabant, ut docet Didymus. Et Scholiastes Eurip. in Phœnis. τῆς κύστεως τὸ στόμα ἐρίῳ δεσμοῦντες ἐπετίθεσαν τῷ πυρὶ, καὶ παρετήρουν πῶς ῥαγήσεται καὶ ποῦ τὸ οὖρον ἀκοντίζει. Sophocles, ἐν μάντεσι, τὰς μαλλοδετεῖς κύστεις, *vesicas lana involutas*. Salisberiensis lib. 1. *Polycratic.* de Aruspicibus agens, aliquid turbat, *Aruspices*, inquit, *sunt inspectores horarum, proscribentes quid quaque hora fieri oporteat*. (Aruspices pro Horoscopis videtur accepisse.) *Aruspicium quoque in extorum inspectione viget, quam artem Tages quidam dicitur invenisse: extorum vero nomine censentur omnia, quæ cutis extremitate teguntur*. Male hoc postremum, viscera enim dicuntur, non exta. Addit, *Aruspices sunt, qui vaticinantur in ossibus animalium, sive sanguine*. Græci sæpe Aruspices vocant vates, μάντεις. Herodotus, ἐκαλλιερέοντο μαντευομένου σφι Δηϊφόνου, *Perlitabant aruspice Deiphono*. Dionysius Halicarnass. lib. 2. Romulus ἔταξε μάντιν ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἕνα παρεῖναι, τὸν ἡμεῖς μὲν ἱεροσκόπον καλοῦμεν, Ῥωμαῖοι δὲ ὀλίγον τι τῆς ἀρχαίας φυλάττοντες ὀνομασίας ἁρούσπικα προσαγορεύουσι: *Constituit vatem ex quaque tribu unum, quem nos sacrorum inspectorem vocamus. Romani aliquid retinentes veteris appellationis aruspicem dicunt*. Vet. gloss. σημεῖόν ἐστιν ἐν θυτικῇ, unde extispices σημειωτικοὶ, θύται, ἱερεῖς, σπλαγχνομάντεις, ἐνωμομάντεις. Hesychius, τερατοσκόπος, μάντις, σημειωτικός. Signum est in extrispicina. Xiphilinus in *Galba* ἱερόπτην vocat sacra inspectantem, aut extispicem. Pausanias in *Bœoticis*, καθ᾽ ἑκάστην δὲ τῶν θυσιῶν ἀνὴρ μάντις παρὼν ἐς τοῦ ἱερείου τὰ σπλάγχνα ἐνορᾷ, *in singulis sacrificiis aruspex inspicit exta*: ἐνιδὼν δὲ προθεσπίζει, *& cum inspexerit, prædicit*. Zozimus lib. 3. Julianus μετὰ τῶν μάντεων τὸ πρακτέον ἐσκόπει, *cum aruspicibus quid agendum esset, dispiciebat*. Herodianus lib.4. θύτας vocat aruspices, sacrificos. Consulebantur autem, ut monuimus, Aruspices non tantum super extis, sed super ostentis, prodigiis: si lapidibus pluerat, si fax cælo visa, si natus androgynus, si puer factus ex virgine. Livius lib.26. *Matrem pro pupillo procurantem familiare ostentum, cum respondisset aruspex*. Plinius lib. 7. cap. 3. *Puerum factum ex virgine deportari in insulam jussu aruspicum*. Cicero Orat.3. in Catilin. *Ob prodigia cum aruspices tota Hetruria convenissent*. Julius Obsequens lib. *de prodigiis*, *Novemdiale sacrum fuit, quod lapidibus pluerat, urbs aruspicum jussu lustrata*. Varia signa in aruspicina ponit Hesychius, γλῶσσαι σημεῖα ἐπὶ τοῦ ὕδατος παρὰ τοῖς θύταις. δίψας σημεῖον ἐν θυτικῇ, δίοπτρα σημεῖον ἐν θυτικῇ, διόσκουροι, ἐγγύη, ἐπίθεος, κωλυτὴρ, ποταμὸς, τάφος, πύλαι, σημεῖα ἐν θυτικῇ. λόβος non erat σημεῖον: *Linguæ signa sunt in jecore apud extipices, item dipsas, dioptra, dioscuri, engye, epitheus, prohibitor, fluvius, tumulus, portæ. Lobus, seu fibra signum non est*. Cicero lib.1. *Divinat. Hetruria de cælo tacta scientissime animadvertit, eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris, atque portentis. Hetrusci, quod religione imbuti studiosius, & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt; quodque propter aeris crassitudinem de cælo apud eos multa fiebant, quod ob eamdem causam multa inusitata partim ex cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum, pecudumve conceptu, & satu, portentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos, & montes hyeme, & æstate peragrantes, propterea facilius cantus avium, & volatus notaverunt. Eademque & Pisidiæ causa fuit, & huic nostræ Umbriæ. Tum Caria tota, præcipueque Telmissenses, quod agros uberrimos incolunt, in quibus multa propter fœcunditatem fingi, gignique possunt, in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt*. Lusitani exta hominum consuluerunt, ut Strabo lib.3. Cyprii suum, Thrasybulus canum, quod ex ejus simulacro in Olympia colligebatur, per cujus humerum dextrum obrepere videtur mustelus, & canis bifariam dissectus, jecore nudato penes ipsum jacet. τόμια τοῦ ἵππου, *exta equi* consuluisse Tyndareum docet Pausanias in *Laconicis*. Idem in *Atticis*, σπλάγχνα ἱερῶν vocat exta. Dio Chrysost. *de regno*, ἔμπυρα, καὶ δι᾽ οἰωνῶν, καὶ δι᾽ ἐμπύρων, *ex avibus, & extis vaticinantes*. Pausanias *Eliacon* lib.2. *Thrasybulus Elæus erat e gente Jamidarum, cujus* Γαλεώτης πρὸς τὸν ὦμον προσέρπων, (legendum, γαλεός τις, *mustelus*) καὶ κύων ἱερεῖον παρ᾽ αὐτῷ κεῖται, διατετμημένος δίχα, καὶ φαίνων τὸ ἧπαρ. μαντικὴ δὲ ἡ μὲν ἐρίφων, καὶ ἀρνῶν τε, καὶ μόσχων ἐκ παλαιοῦ δήλη καθεστῶσά ἐστιν ἀνθρώποις. Vetus est, & ab antiquo instituta, ex hœdis, agnis, vitulis haruspicina. Cyprii suem primi omnium addidere. Equorum, & hostium extis usi Mysi. Florus lib.4. *Qui vos, inquit dux, Mysorum estis? Responsum invicem*, Romani gentium domini. *Et illi*, Ita, *inquiunt*, si nos viceritis. *Accepit omen M. Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, ut cæsorum extis ducum & litarent, & vescerentur*. Duo autem fuerunt genera hostiarum: alterum, in quo voluntas Dei per exta inquirebatur; alterum, quo sola anima Deo consecrabatur: unde *animales hostiæ*, & *consultatoriæ*, ut Trebatius lib. 1. *de Religionib.* apud Macrob. Festus *harugam* hostiam esse ait, cujus adhærentia inspiciebantur exta. Varro lib. 6. *de lingua Latina*, *Ambiegnam* bovem dictam apud augures, quam circum aliæ hostiæ constituuntur, quod circum ambæ agnæ essent. Bebius Macer, *ambiegnas* oves in sacris Junonis eas, quæ geminos cum peperissent, cum duobus agnis altrinsecus alligatis mactarentur. Aruspex exta manu capiebat, & cultro ferreo rimabatur præcordia, ut Plinius ait lib. 39. Apud Galatas non Aruspex, sed Philosophus sacrificio aderat, ut Strabo lib. 3. Polyb. lib. 7. ἐκ τῶν τυθέντων ἱερείων προσενεχθέντων αὐτῷ τῶν σπλάγχνων, δεξάμενος εἰς τὰς χεῖρας, καὶ βραχὺ διακλίνας ἤρετο προτείνων τοῖς περὶ τὸν Ἄρατον, τί δοκεῖ τὰ ἱερεῖα σημαίνειν:

*Cum mactatæ victimæ exta oblata* Philippo *fuissent, ille ea manibus suscepit, ac leniter se inclinans in alteram partem, Arato illa ostendens, quid exta significarent, interrogat.* Cicero eam artem alicubi vanam esse ait, alicubi veracem. Lib. 2. *de Natura Deorum*: *Atqui & nostrorum Augurum, & Hetruscorum, & aruspicum disciplinam P. Scipione, & C. Figulo Coss. res ipsa probavit. Quos cum Tiberius Consul iterum crearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem est repertus mortuus. Gracchus cum comitia nihilominus peregisset, remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad Senatum retulit. Senatus, quod adsolet, referendum censuit. Aruspices introducti responderunt non fuisse justum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus incensus ira*, Itane vero ego non justus, qui & Consul rogavi, & Augur, & auspicato? An vos Thusci, & Barbari, auspiciorum pop. Rom. jus tenetis, & interpretes comitiorum esse potestis? *Itaque tum illos exire jussit. Post autem ex provincia literas ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortis Scipionis; quod cum pomœrium postea intrasset, Senatus habendi causa, in redeundo cum idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus. Itaque vitio creatos esse Consules. Augures rem ad Senatum detulerunt. Senatus ut abdicarent jussit, Consules abdicaverunt.* Idem narrat Plutarchus in *Marcello*. Valerius Maximus lib. 1. cap. *de cultu Deorum*. Cicero lib. *Divinat. Cum Summanus in fastigio Jovis Opt. Max. qui tum erat fictilis, de cœlo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, aruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui est ab aruspicibus demonstratus.* Item, *Similis est aruspicum responsio, omnisque opinabilis divinatio. Conjectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. Ea fallit fortasse nonnunquam, sed tamen ad veritatem sæpissime dirigit, est enim ab omni æternitate repetita, in qua cum pene innumerabiles res eodem modo evenirent, iisdem signis antegressis ars est effecta, eadem sæpe animadvertendo, atque notando.* Sunt verba, & nihil aliud. Cum ea signa notentur in extis a dæmonibus, quibus futura fortuita ignota sunt, eadem signa incerta, & sæpe falsa esse necesse est. Apud Accium Agamemnon cum Achivi cœpissent inter se strepere, aperteque artem obterere extispicum, solvere imperat secundo rumore, adversaque avi. Pacuvius in *Chryse*. extispices, augurium, atque extorum interpretes vocat. Accius, *principio extispicum ex prodigiis congruens ars te arguit, prodigium horriferum, portentum, pavor.* Idem altispicem, seu alitispicem pro augure, vel aruspice posuit. *Altispicem regionum fac desistat, exercitum morari, Ne me ab domuitione arceat obscœno nomine.* Spartianus de Severo, qui reversus e Britannia cum rem divinam vellet facere, hostiæ furvæ sunt applicitæ, quæ usque ad limen domus Palatinæ Imperatorem secutæ sunt. Euripides in *supplicibus*, Aruspicinam vere videre ait,

Α᾽ δ᾽ ἐστιν ἄσημα, κ᾽ ȣ̓ σαφῆ γινώσκομεν,
Εἰς πῦρ βλέποντες, ϰ̀ κατὰ σπλάγχνων πτύχας
Μάντεις προσημαίνȣσιν, οἰωνῶν τ᾽ ἄπο.

*Cognoscimus obscura vates ignem, & flexus extorum inspicientes, & aves futura prædivinant.* Manil. lib. 4.

*Hinc in tanta fidem petimus, quam sæpe volucres*
*Accipiunt, trepidæque suo sub pectore fibræ.*

Lucanus:

——-- *quis noscere fibra*
*Facta queat, quid prodat avis, quis sydera cœli*
*Servet, & Assyria scrutetur sydera cura?*

Plutarchus in *Arato*; Λέγεται γὰρ ȣ̓ πρὸ πολλȣ̃ θύοντι τῷ Ἀράτῳ δύο χολὰς ἐν ἥπατι φανῆναι, μιᾷ πιμελῇ περιεχομένας, ϰ̀ τὸν μάντιν εἰπεῖν: *Dicitur sacris operantem paulo ante Aratum duplex Fel in jecinore vidisse, uno circumjectum adipe ac nunciasse Aruspicem, brevi eum cum hostibus in gratiam rediturum.* Quomodo in uno jecore δύο χολαὶ esse potuerint, quærant alii. Plinius certe geminum fel Augusto fuisse scribit, qua die apud Actium vicit l. 11. Plutarchus in *Marcello*: ϰ̀ λαβὼν τὸν μάντιν, ἔθυε, ϰ̀ τȣ̃ πρώτȣ πεσόντος ἱερείȣ δεικνύσιν αὐτῷ τὸ ἧπαρ ȣ̓κ ἔχον κεφαλὴν ὁ μάντις, ἐπιθυσαμένȣ δὲ τὸ δεύτερον ἥτε κεφαλὴ μέγεθος ὑπερφυὲς ἀνέσχεν, ϰ̀ τ᾽ ἄλλα φαιδρὰ θαυμαστῶς διεφάνη. Marcellus *accersito aruspice immolavit. Primæ hostiæ jecur sine capite fuit; secundæ caput supra modum auctum apparuit, & reliqua vehementer læta.* Capitolinus in *Pertin. Eadem tamen die immolante Pertinace negatur in hostia cor repertum, & quum id vellet procurare, caput extorum non deprehendit.* Apud Ciceronem tamen, caput est in jecore, cor in extis. Philostratus lib. 8. *Apollonii*, ἐν ἥπατί φασι τὸν τ αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα, *Periti ajunt in jecore Tripodem extispicinæ esse.* Celsus Medicus lib. . cap. 1. Pulmonis duas esse, jecoris quatuor Fibras autumat. Servius Fibras extremitates jecoris interpretatur. Seneca in *Oedipo* Act. 2. Scena 2.

*Nec alta cœli penna quæ levis secat,*
*Nec Fibra vivis rapta pectoribus potest*
*Ciere nomen.*

Viscera pro extis ponit, ibidem:

—— *Viscera effugiunt manu,*
*Nec ipsa quæ te pepulit armenti gravis*
*Vox est, nec usquam territi resonant greges.*

Tibul. lib. 1. eleg. 9. fibram Deorum consciam vocat. Statius 4. *Thebaid. Verum spirantibus extis.* Lib. 5. *Metamorph.*

*Fibra quoque ægra notas veri, monitusque Deorum*
*Prodiderat.*

Arrianus lib. 7. *Pythagoras aruspex. Alexandro mortem prænuntiavit*, ὅτι ἄλοβον οἱ τὸ ἧπαρ ἦν τȣ̃ ἱερείȣ, *quia jecur victimæ sine fibra fuit.* Suidas λοβὸν extremitatem auris, aut jecoris interpretatur. Hesychius, λόβαι, χεῖρες, ϰ̀ ἄκρον τȣ̃ ἥπατος, an legendum λαβαὶ, *capuli, manus, & extremitas jecoris*, λόβοι autem extrema omnia, & signum in hepate sunt, ait Dionysius Halicarn. lib. 7. οἵτε μάντεις ἤγγελον ἐπὶ τοῖς ἱερείοις προφαίνεσθαι Θεῶν μῆνιν: id est, *Vates nuntiabant in victimis apparere Deorum iram.* Seneca in *Oedipo*, *Solet ira certis numinis ostendi notis.* Virgilius, *extis fibræ apparere minaces.* Ibidem Dionysius ritum Romani sacrificii describit his verbis, ἐβȣθύτȣν οἵτε ὕπατοι, ϰ̀ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον, ϰ̀ τῶν θυηπόλων: *Sacrificabant consules, Sacerdotesque quibus fas erat, & victimarii*: Iotis enim manibus, & victimis aqua pura lustratis, inspersisque in earum capita frugibus cerealibus, conceptisque precibus ministros mactare jubebant, quorum alii stantem hostiam feriebant in tempora, alii suppositis cultris cadentem excipiebant, ac mox excoriatam concidebant membratim, delibatasque ex singulis extis, & membris primitias, (quæ *prosecta*, *prosicias*, *ablegmina*, *magmenta* vocant) farrea farina spargebant, & in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas succendebant, & vinum inter adolendum affundebant: quæ priusquam fierent, aruspices exta ferreo cultro rimabantur. Seneca lib. 2. c. 32. *Deum nimis otiosum, & pusillæ rei ministrum facis, si aliis somnia, aliis exta disponit. Ista nihilominus divina ope geruntur; sed non a Deo pennæ avium reguntur, nec pecudum viscera sub ipsa securi formantur.* Cap. 34. *Quicquid exta, quicquid aves minabantur, secundo fulmine adolebitur: quicquid fulmine denunciatum est, nec extis, nec ave contraria refellitur.* Immittebant manum per vulnus ut exta extraherent. Apulejus *Milesia* 1. *ne quid demutaret credo a victimæ*

*religione, immissa dextera per vulnus illud, ad viscera penitus cor miseri contubernalis mei, Meroe bona scrutata protulit.* Exta lustralia vocat pinguia Virgilius lib.8. *Æneid.* quia confecto lustro victimæ τέλειαι, & quinquennales immolantur. Homerus βοῦν πεντάετιον, *quinquennalem*. Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti pugnare placeret, negaba se audere, quod exta prohiberent. *An tu*, inquit, *carunculæ vitulinæ mavis, quam Imperatori veteri credere?* ait Cicero lib. 2. *Divinat.* Neglexit Hannibal aruspicinam, neglexit eandem Cæsar infausto exitu, neglexit Caracallus, & non meliore: Dirarum obtestationem Crassus, & idem Cicero lib. 1. *de Divinat. M. Crasso videmus quid acciderit Dirarum obnuntiatione neglecta.* Etenim Diræ sicut cætera auspicia, ut omina, ut signa, non causas afferunt, cur quid veniat; sed enuntiant eventura, nisi provideris. Diras observabant Aruspices, ut & signa quæ ex igne existebant. Statius l.4. *Thebaid.*

*—— Atque ipse sonantia flammis*
*Virgulta, & tristes crepuisse ut sensit acervos*
*Tiresias: illi nam plurimus ardor anhelat*
*Ante genas, impletque cavos vapor igneus orbes;*
*Exclamat, tremuere rogi, & vox impulit ignem.*

Ovidius in *Fastis:*
*Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis.*

De Diris Plin. lib.28. cap.2. *Utraque memoria insigni, quoties ipsæ Diræ obstrepentes nocuerint, quotiesve precatio erraverit, sic repente extis adimi capita, vel corda, aut geminari victima stante.* Horatius *Epod.*7.
*Dira detestatio nulla expiatur victima.*
*Diris agam vos.*

Tibullus:
*Tunc tibi, lena, precor diras; satis anxia vivas.*

Plinius lib.28. cap.2. *Diris detestationibus defigi nemo non metuit.* Appianus in *Parthico*, ὁ δὲ Ἀτήϊος προσδραμὼν πρὸς τὴν πύλην, ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην, καὶ τοῦ Κράσσου γενομένου κατ' αὐτὸν, ἐπιθυμιῶν, καὶ κατασπένδων ἀρὰς ἐπηρᾶτο δεινὰς μὲν αὐτῷ, καὶ φρικώδεις, &c. *Atejus ad portam accurrens posuit ibi ardentem foculum, & Crasso prætereunte, suffitum faciens, libansque insuper, diris eum devovebat exsecrationibus, nova & horrenda nomina Deorum invocans.* Eas exsecrationes secretas, & priscas Romani talem vim putant habere, ut nemo sic devotus possit evadere; imo nec illi qui devovet bene cedere. Diras describit Virgilius lib.12.
*Dicuntur geminæ pestes, cognomine Diræ,*
*Quas, & tartaream nox intempesta Megæram*
*Uno eodemque tulit partu, &c.*

Lib.2. Vellejus Patercul. *Merula, qui se sub adventum Cinnæ consulatu abdicaverat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute Reip. flamen Dialis precatus erat Deos, eos in exsecrationem Cinnæ, partiumque ejus tum precatus.* Tacitus lib.5. *Annal. compositas Diras imprecari.* Lysias in Eratosthenem, ἐπειδὰν ὤμοσεν ἐξώλειάν τε ἑαυτῷ, καὶ τοῖς παισὶ ἐπαρώμενος. Andocides de mysteriis, ἐπευχόμενοι ἐξορκοῦντι ἐξώλη αὐτὸν εἶναι, καὶ τὸ γένος: *Postquam juravit sibi exitium, & filiis imprecatus. Precati ut qui pejerasset, ipse, & genus ejus pessime perirent.* Livius lib.22. *Scipio ait, Si sciens fallo, tum me Juppiter letho afficiat.* Lib.39. de Annibale, *Exsecratus deinde in caput, regnumque Prusiæ, Deos fidei violatæ testes invocans.* Herodotus lib.1. ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας, καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν: *Se Diris devoverunt, & globum candentem ferreum in mare dejecerunt.* Scholiast. Sophoc. ὀμνύοντες μύδρους αἴροντες ἐπαρῶνται, *jurantes ferrum candens tollentes exsecrantur*, ἐνδατεῖσθαι Sophocles, *Diris de-*

*figere, devovere*, dixit. Sed ad exta redeamus. Plin. lib.11. c.37. *Cecinnæ Volaterrano dracones emicuisse de extis læto prodigio traduntur.* Antoninus Gordianus, *Africæ Proconsul Carthagine cum avertendis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem divinam sollicitus ageret* (vulgo *solitis*, male) *repente hostia partum edidit. Id haruspices atque ipse maxime, nam hujus scientiæ usu immodice prudens erat, ita accepere, illum quoque destinatum neci, verum liberis pariturum Imperium*, ut Aurelius Victor. Herodianus Aruspices eodem loco habet, quo Magos lib.4. χρηστηρίων τε πάντων ἐνεφορεῖτο, τούς τε πανταχόθεν μάγους, καὶ ἀστρονόμους, καὶ θύτας μετεπέμπετο, καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἐλάνθανε τῶν τὴν γοητείαν ταύτην ὑπισχνουμένων: *Oracula omnia* Caracallus *consulebat, & magos undique, astronomos, aruspices advocabat, & nullus eum latebat eorum qui has præstigias pollicerentur.* De capite quod in fundamentis Jovis Capitolini repertum est, quasi hominis recens occisi, deque senis Hetrusci interpretatione legendus est Dionys. Halicarnasseus lib.4. *Origin.* qui ait, μοῖρα δὲ οὐκ ἐλαχίστη τῶν ἐν μαντικῇ θεωρημάτων ἐρώτησις ὀρθή. *Non minima divinationis pars est recta interrogatio*, id est, si recte aruspex interrogetur. Is vates Plinio lib.28. c.2. dicitur Olenus Calenus, quo non inferior fuit aruspicinæ arte Thuscus ille, de quo agit Procopius lib.4. *Gotth. Cum*, inquit, *boves in forum boarium venissent, ubi erat Taurus æreus Myronis, ex eo armento Taurus quidam exsectus, ut biberet e fonte, inscendit Taurum æneum, & bibit. Quod vir Thuscus cum animadvertisset, Gotthos ab Eunucho debellatum iri dixit. Id causæ fuit, cur Narseti Eunucho Justinianus id negotii dederit, ut Gotthos Italia ejiceret.* Legendus Dionys. Halicarnasseus lib. 7. in anno ab urbe condita 264. Q. Sulpitio & Sp. Largio Cos. & lib. 9. in anno 274. Cos. Cneo Manlio, & M. Fabio secundum: Plinius lib.28. cap.2. Seneca in *Oedipo* Act.2. Scen 2. Aruspices hanc rationem in inspiciendis vaticiniis observarunt; Primo, an reluctaretur hostia, an placida sponte iret, staret, caderet; tum in proficiis jecur, an belle, aut secus haberet. Tertio cor, an palpitaret, exiliret, marceret. Quarto, fel, lienem, pulmones, membranas viscera ambientes, vesicam, an gemina esset. Pulmones bifidi, incisique moras rebus afferebant, simplices & solidi moras tollebant. Quinto, flammas sacrorum attendebant. Sexto, fumos. Septimo divinabant ex pice tædarum comminuta in pulverem, & in ignem conjecta. Octavo, ex thure incenso. Nono, ex vini inferii, & aquæ sacræ coloribus. De quibus & supra egimus, & infra pluribus agemus. Cicero lib.2. *Divinat. Tiberius Gracchus cum aruspices, propter mortem repentinam ejus qui in prærogativa ferenda subito concidisset, in Senatum introduxisset, non justum rogatorem comitiorum fuisse dixerunt.* Plutarchus in *Cæsare:* Ποιουμένῳ δὲ καθαρμὸν αὐτῷ τῆς δυνάμεως, καὶ θύσαντι τὸ πρῶτον ἱερεῖον, εὐθὺς ὁ μάντις ἔφρασε τριῶν ἡμερῶν μάχῃ κριθήσεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους. ἐρομένου δὲ τοῦ Καίσαρος εἰ καὶ περὶ τοῦ τέλους ἐνορᾷ τι τοῖς ἱερείοις εὔσημον. αὐτὸς ἂν, ἔφη, σὺ τοῦτο βέλτιον ὑποκρίναιο σαυτῷ. μεγάλην γὰρ οἱ Θεοὶ μεταβολὴν, καὶ μετάπτωσιν ἐπὶ τὰ ἐναντία τῶν καθεστώτων δηλοῦσιν, ὥστε εἰ μὲν εὖ πράττειν ἡγῇ, σεαυτὸν ἐπὶ τῷ παρόντι τὴν χείρονα προσδόκει τύχην, εἰ δὲ κακῶς τὴν ἀμείνονα.

---

## CAP. VII.

### *De Judiciis Aruspicinæ.*

ARUSPICINÆ Judicia fuere vana, & ridicula, in quibus nihil esset cui ratio inniteretur. Judicabant autem de omnibus, quæ vel victimis acciderent, vel in extis apparerent, vel ad altaria contingerent. Si victimæ ad aras sponte accederent, non autem invitæ traherentur; si

ultro starent; si cum probarentur, non se concuterent; si intrepidæ ictum exspectarent; quæ omnia auspicata fuere; si refugerent; calcitrarent; securim cervice excuterent; si ante ictum per se conciderent: quæ inauspicata habita sunt. Exta si læta, florentia, integri coloris; aut tristia, exilia, marcida, livida; si flamma liquida sursum exsisteret, si atro fumo involveretur. Si vesica gemina esset, si pulmones bifidi, si simplices & solidi; quomodo fel ejacularetur bilem; quam in partem vesica ore lana colligato lotium effunderet. Si aris niger ignis esset, si splendidus, si apices flammæ sanguinei, si prosiciæ extorum fissiculatæ. Hæc, inquam, omnia expendebant, & ex iis futura denuntiabant. Inspiciebant item, victima quomodo caderet; an fibris aliquid deesset, an venæ liverent; an cor marceret; an mersum lateret; an omnino abesset; an jecur duplicatum, an caput duplex; an caput domesticum floridum; an hostile languidum; an jecinora intrinsecus ab ima fibra replicata essent; quod auspicatum fuit, ut & vesica gemina, & fel geminum. Jecur sine capite inauspicatum; ut & si fibra pulmonis lateret, aut pulmo ipse suo loco non esset, quorum omnium exempla ex veteribus auctoribus afferenda sunt, ut res sit exploratior & artis ridiculæ vanitas magis appareat. Quare scite dixit Petrus Ravennas sermon. 18. *Non loquamur auguriis, non divinatione fallamur, non capiamur sortibus, non a manibus inducamur.* Hieronymus in Epitaphio Marcell. *Nec mirum si in plateis, & in foro rerum venalium fictus ariolus stultorum verberet nates, & obtorto fuste dentes mordentium quatiat*; fustem vocat laureum ramum, quem ad mordendum dabant Aruspices consulentibus. Appianus in *Parthico*, παρεδήλουν καὶ οἱ μάντεις ὡς ἀεὶ πονηρὰ σημεῖα, καὶ δυσέκθυτα προφαίνοιτο τῷ Κράσσῳ διὰ τῶν ἱερῶν. *Aruspices submonebant exta nihil læti portendere, nec posse Crassum litare.* Arioli laurum ferebant, cum per urbem incederent. Hesych. ἰθυντήριον, ὃ φέρουσιν οἱ μάντεις σκῆπτρον ἀπὸ δάφνης. Nonius *Fulguritores* aruspices interpretatur. Ammianus Marc. lib. 28. eosdem vocat *genitalium extorum interpretes controversos.* Servius Aruspicinæ libros, & fata Acherontia Tagetis commemorat. Seneca in *Troade*,

> —— *Arte qui reseras polum,*
> *Cui viscerum secreta, cui mundi fragor,*
> *Et stella longe semitam flamma trahens*
> *Dant signa fati.*

Zeno Veronensis, serm. de Jona, *Non thura cremant, nec pecudum inexspectata morte rapti jecoris spirantes consulunt fibras, nec per varios avium volatus conjecturis inanibus statum plumeæ salutis inquirunt.* Poeta lib. 10. *Æneid.*

> *Tertius ille hominum, divumque interpres Asylas,*
> *Cui pecudum fibræ, cæli cui sydera parent,*
> *Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.*

Statius lib. 3. *Thebaid.*

> —— *Niger omnibus aris*
> *Ignis.* ——

Lib. 10.

> *Sanguineos flammarum apices, geminumque per aras*
> *Ignem, & clara tamen mediæ fastigia lucis*
> *Orta docet.*

Aruspices velabantur cinctu Gabino, manicis brevibus, barba rasa, dextra lituum tenebant, ut est in veter. inscript. Erant & fœminæ aruspicæ, & hariolæ. Plautus in *Milite*:

> —— *Da quod dem quinquatribus*
> *Percantatrici, collectrici, ariolæ, atque aruspicæ.*

Fuere & aruspices in Perside, quos magos exaudio. Catullus:

> *Nascatur Magus ex Gelli, matrisque nefando*
> *Conjugio, & discat Persicum aruspicium.*

Hetrusci Aruspices dicti sunt *Thusci* a frequentia sacrificii, hoc est, ἀπὸ τοῦ θύειν, ut Servius ad lib. 2. *Æneid.* Constat enim illic a Tage aruspicinam repertam, ut Lucanus lib. 1.

> *Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis*
> *Finxerit ista Tages.*

Ad lib. 8. *Æneid. Sed sciendum secundum aruspicinæ libros, & sacra Acherontia, quæ Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri posse,* &c. *Nam fata differuntur tantum, nunquam penitus immutantur.* Cicero lib. 2. *de Divinat. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, exstitisse repente, & eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut est in libris Hetruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senilis fuisse prudentiæ,* &c. Martianus Capella lib. 1. eleganter ut omnia, *Ipse*, inquit, *pedibus talaria nectit aurea* (Mercurium intellige) *& nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denuntiata pecudum cæde fissiculatis extorum prosiciis viscera loquebantur, quibusque sortitus excedere* (lego *exedere solebant*) *vel logia personare sagaci eum* (Apollinem) *investigatione disquirit. Sed his adytorum fastigiis specubusque viduatis absque lauri arentis paucis admodum foliis, vittisque semivulsis, quas in Cumano antro post Sibyllam, tinearum morsus, cariesque carpebant, nihil ejus potuit inveniri. Per aerios etiam tractus, quibus formare solitus, & volucrum diversos meatus, & oscinum linguas, & præpetis omina pennæ, frustra incassumque disquiritur,* &c. Idem in ministerio vatum lauros, hederas, tripodem, crepidas numerat, quæ fortasse fuere Sibyllæ, aut Pythiæ. Verba ejus sic habent, *Sed alibi lauros primores, arentesque hederas, alibi cariantem tripodem, crepidasque situ marcidas, præsagiorumque interritam memoriam repererunt.* Romani certe sine extis nihil agere sueti, ut Cic. 1. lib. *de Divinat.* Nam ut nunc extis, tunc avibus magnæ res impertiri solebant. Onosander in *strateg.* Imperator *ne exercitum in expeditionem ducat, neque aciem instruat, quin prius victimas cædat, eumque Aruspices, & vates sequantur. Cum exta placebunt, duces omnes vocet ad spectaculum; milites enim quasi victoriam certo adepturi, & signa, & imperia pro virili parte observant.* Cumque pulchre litatum est, singuli etiam qui de suis rebus tristius aliquid ominabantur, fortiores fiunt. Μήτε δὲ εἰς πορείαν ἐξαγέτω τὸ στράτευμα, μήτε πρὸς μάχην ταττέτω, μὴ πρότερον θυσάμενος, ἀλλ' ἀκολουθούντων αὐτῷ θυταί, καὶ μάντεις. Porphyrius lib. περὶ τῆς ἀποχῆς ἐμψύχων ait *futura fidelius in extis hominum præsentiri, unde & multi ex barbaris exta humana fissiculabant.* τοῖς τῶν ἀνθρώπων σπλάγχνοις ἐπιφαίνονται μᾶλλον τὰ μέλλοντα, καὶ πολλοί γε τῶν βαρβάρων δι' ἀνθρώπων σπλαγχνεύονται. Galli *hominem mola salsa sparsum, & vino, in humerum ense feriunt, & e palpitatione vaticinantur.* ἄνθρωπον κατασπείσαντες παίσαντες εἰς νῶτον μαχαίρᾳ, ἐμαντεύοντο ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ. Ait Strabo lib. 7. Lusitani viscera non profecta inspiciunt, venas item in latere sitas, & palpantes, attrectantesque conjectant, καὶ ψηλαφῶντες τεκμαίρονται, ait idem lib. 3. Cimbros *vates fœminæ sequebantur canæ, alba veste, carbasinis supparis fibulatis, cinctu æreo, pedibus nudis*, lib. 7. παρηκολούθουν προμάντεις ἱέρειαι πολιότριχες, λευχείμονες, καρπασίνας, ἐφαπτίδας ἐπιπεπορπημέναι, ζῶσμα χαλκοῦν ἔχουσαι γυμνόποδες. Lusitani σπλαγχνεύονται, καὶ δι' ἀνθρώπων αἰχμαλώτων καλύπτοντες σάγοις: *exta inspiciunt captivorum, quos sagis operiunt, & divinant e casu victimæ primum*, καὶ μαντεύονται πρῶτον ἐκ τοῦ πτώματος. Aruspices non tantum jecur, cor, & pulmones, sed lumbos, & femora inspiciebant: Plutarchus *Erotico*: ἕτεροι μὲν καταγελῶσιν αὐτῶν εἰ

καθάπερ θύται, καὶ μάντεις εἰς τὰ μηρία, καὶ τὴν ὀσφὺν ἀποβλέπειν τοὺς ἐραστὰς κελεύουσι: *alii rident eos, si quemadmodum victimarii, & Aruspices femora & lumbos victimarum inspiciunt; ita & amatores eorum quos amant, femora & lumbos rimentur.* Exta autem fuere vel regalia, vel muta, vel adjutoria, vel arguta, id est, conspicuas notas habentia. Regalia, quæ potentibus insperatum honorem pollicentur, privatis humilioribus hæreditates, filio familias dominationem. Muta, quibus nihil divinationis, aut responsionis elicitur. Adjutoria, quæ certum aliquid indicant, aut ab incendio, aut a veneno, talique re certum instare periculum portendunt, aut finium denuntiationem. *Exta* vero dicta, quod ea Diis prosecentur, quæ maxime extant, eminentque. Vetus Scholiastes Martiani Capellæ notat exta vitalia fuisse septem, linguam, cor, hepar, lienem, pulmonem, & duos renes, quæ *singula inspiciebant Aruspices, ut ex unoquoque non minus atque de omnibus prædictiones facerent.* Artemidorus sub finem lib.3. θύται καθ' ἕκαστον τῶν σημείων ἐπίστανται πρὸς τί ἕκαστον ἁρμόζει, καὶ τὰς ἀποφάσεις οὐδέν τι μᾶλλον ἐξ ἑνὸς ἑκάστου, ἢ ἐκ πάντων ποιοῦνται. De lingua, Homerus *Odyss.* lib.1.

Ἀλλ' ἄγε τέμνετε μὲν γλώσσας, κεράασθε δ' οἶνον.
*Sed agite, scindite linguas, miscete vinum.*

Item,

—— Γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον.

*Linguas in ignem injecerunt.* Quæ verba referri possunt ad eum morem, quo ante somnum linguas igne assas Mercurio dicabant, ut somno facili uterentur. De corde, Seneca *Oedipo* Actu 2.

*Cor marcet ægrum penitus, ac mersum latet,*
*Liventque venæ, magna pars fibris abest.*

Lucian. *de sacrif.* τὰ ἔγκατα κἀξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ ἔλαιον τῷ βωμῷ περιχέων: *Intestina & cor extrahens, & oleum aræ infundens.* Petron. *Recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit.* Sueton. in *Julio* cap.77. *Ut Aruspice tristia, & sine corde exta, sacro quodam nuntiante, futura diceret lætiora, cum vellet; nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset. Si cor in extis victimæ non esset, inauspicatum habitum est.* Cic. lib.1. *Divinat. Cum Cæsar immolaret illo die, quo primum in aurea sella sedit, & cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit.* καρδιοῦσθαι apud Hesychium, καρδιουλκεῖν (non καρδιωργεῖν) ἐπὶ τῶν ἱερείων, *cor evellere victimis.* καρδιουλκεῖν, *fissiculare.* Tertullian. in *Apologet. Cur præcordia potius victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinantur.* De jecore Pacuvius,

*Nam istis qui linguam avium intelligunt,*
*Plusque ex alieno jecore sapiunt, quam suo.*

Certe jecur pars fuit, in qua pene omnis aruspicum disciplina versaretur. In eo δεξιὰς, ἑστίας, ἐπιβολὰς, *caput, familiare, hostile,* λοβοί. Hesychius, σημεῖον ἐν θυτικῇ ἐπὶ τοῦ ἥπατος ἐπιβολὶς μέρος τοῦ ἥπατος: *in Aruspicina signum in hepate epibolis pars jecinoris.* ἑστιάς, seu ἑστία, *focus*, pars jecoris in aruspicina. δεξὶς τῶν ἐν τῷ ἥπατι μερῶν ἀπὸ τοῖς θύταις καλουμένη δοχή. *Dexis receptaculum partium jecoris apud aruspices.* δεσμὸς σημεῖον παρὰ τοῖς θύταις, *vinculum desmus, signum in aruspicina.* Fuit & jecur duplicatum, caput duplex. Sueton. *Augusto* cap.95. *Jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra. Quod lætum.* Plin. lib. 11. cap.37. *Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suæ die sex victimarum jecinora, replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt, responsumque duplicaturum intra annum Imperium.* κύστις χοληδόχος, *vesica quæ bilem excipit*, gemina Augusto, qua die Antonium ad Actium vicit. Plin. lib. 11. *Geminum fel fuit Divo Augusto, qua die apud Actium vicit.* Valer. Max. lib.1. *Primæ hostiæ jecur sine capite inventum est, proxima caput jecinoris duplex habuit.* Plutarch. *Cimone*, καὶ παρὼν ὁ θύτης ἐπιδεικνύμενος αὐτῷ τὸν λοβὸν οὐκ ἔχοντα κεφαλήν, *aruspex aderat ei ostendens jecur sine capite.* Appian. lib.2. *Civilium*: Alexandro & Cæsari τὰ πρῶτα ἄλοβα ἐς κίνδυνον ἦλθε θανάτου, τὰ δεύτερα δ' ἐς τὸν θάνατον αὐτόν. *Priora exta fibris carentia periculum, secunda mortem denuntiarunt.* Hesychio ἐνωμοτεῖν dicuntur vates, ὅταν ἐπ' αὐτῶν τῶν σφαγίων μαντεύονται. *cum super ipsa cæsa, & porrecta vaticinantur.* Interdum in jecore ponitur cor, ut in extis caput, ut illud Ciceronis lib.2. *de Divinat.* perpetuum non sit, *cor in extis esse, caput in jecore.* Livius lib.41. *In jecinore alterius hostiæ cor non fuit.* Item, *bovis fescennaris jecur defluxisse.* Val. Max. lib.1. cap.6. *Quæ prima hostia ante foculum decidit, ejus jecur, sine capite inventum est: proxima caput jecinoris duplex habuit. Aruspex dixit* Marcello *non placere sibi exta, quia prima tam tristia, secunda nimis læta paruissent.* Cic. lib.2. *Divinat. Caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant. Cum enim tristissima exta sine capite fuerunt, quibus nihil videtur esse dirius, proxima hostia litatur sæpe pulcherrime.* Vet. Scholiast. Demosthenis ad Orat. *pro Corona*: πυλαία ἡ μέση τοῦ ἥπατος εὐρυχωρία τοῖς θύταις. *Pylæa media jecoris latitudo aruspicibus.* Unde ἐαρινὴ πυλαία: *verna pylæa* Amphictyonibus dicitur ἡμέρα ἑορτώδης: *dies festa.* Hesychius, & Suidas scribunt λόβους ἐν τῇ θυτικῇ: *fibras* nominari extremas jecinoris partes, quas extispices maxime attendunt. Silius Italic. lib.1.

*Scire ultra vetuit Juno, fibræque repente*
*Conticuere: latent casus, longique labores.*

Euripides in *Electra*:

Λοβὸς μὲν οὐ προσῆν σπλάγχνοις,
*Fibræ non erant extis.*
—— πύλαι καὶ δοχαὶ πέλας
Κακὰς ἔφαινον τῷ σκοποῦντι προσβολάς.

*Porta & receptacula prope, malos ostendebant incursus inspicienti.* Arrianus lib.7. ἧπαρ ἄλοβον: *jecur fibris carens*, mortem Ephæstionis, & Alexandri significat. Appianus ἄλοβα σημεῖα lib. 2. *Civilium*, Cæsari *signa fibris carentia* paruerunt in extis. Syllæ *fibra laureæ coronæ forma fuit, & duos quasi Lemniscos ex se nexos habuit.* Plutarch. in *Sylla*, δάφνης στεφάνου τύπον ἔχων ὁ λοβὸς, καὶ λημνίσκων δύο κατηρτημένων. Xenophon, ἄλοβα τὰ ἱερὰ, *fibris carentia exta.* De felle Gallinaceo sunt qui vel argutissima hæc exta esse dicant, ait Cic. lib. 2. *Divinat.* De pulmonibus id imprimis videbant, ut in dextra parte sederet, ut florens ac vividus esset. Seneca in *Oedipo* Act.2.

*Mutatus ordo est, sede nil propria manet,*
*Sed acta retro cuncta. Non animæ capax*
*In parte dextra pulmo sanguineus jacet,*
*Non læva cordis regio.*

Lucanus lib.1.

—— *Pulmonis anheli*
*Fibra latet.* ——

Servius ad hæc verba Virgilii,

*Tristibus aut extis fibræ apparere minaces.*

*Venæ*, inquit, *si apparerent in visceribus, malum omen fuit.* Seneca:

*Novisque prosilit venis cruor.*

Lucanus lib.1.

—— *Venasque minaces*
*Hostili de parte videt.*

Dio lib.46. τά τε ἱερὰ τὰ προπολέμια οἱ μάντεις οὐκ ἠδυνήθησαν ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ αἵματος διαγνῶναι: *antequam Pansa exiret ad bellum, in sacris exta ab Aruspicibus propter sanguinis copiam dijudicari nequivere.* Lib 42. καὶ πολλὰ τῶν ἱερείων αὐτοῖς ἤδη τοῖς βω-

μοῖς προσαγόμενα ἐξέδρα, *plures victimæ aris admotæ fugerunt*. Petrus Raven. ser. 5. *Occidebatur pecus, ut quod vivum nihil scierat, divinaret occisum, & loqueretur e fibris mortuum, quod nunquam loquutum fuerat ore*. Hesychius, οἱ θύται ἐπισκέπτοντες τὰς ἐκτροπὰς τοῦ ἥπατος, καὶ τὰς φλέβας. *Aruspices inspiciunt divortia hepatis, & venas; ideo vias jecoris, portas vocant*, διὸ καὶ τὰς ὁδοὺς πύλας λέγουσι. Jornandes, *nunc quasdam venas in abrasis ossibus intuentes*. Rufus Ephesius lib. *de humani corporis partibus*: καὶ ἐπὶ τοῦ μεγίστου λόβου χολῆς ἀγγεῖον. τούτου δὲ τὸ μέσον στενὸν, αὐχὴν, τὸ δὲ κάτω πυθμὴν, πύλη δὲ ἥπατος ἡ φλὲψ δι' ἧς ἡ τροφὴ εἰσέρχεται. *In fellis maxima fibra, vas medium angustum, collum infima pars, fundum. Porta jecinoris, vena per quam alimentum subit*. Dio in *Caracalla, Dixere Aruspices, ut illum diem caveret, his diserte verbis*, ὅτι αἱ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου πύλαι κέκλεινται, *quia jecoris victimæ portæ clausæ sunt. Mensa, ensis, unguis in Aruspicina numerabantur*, ἐν ἱεροσκοπίᾳ ἦν τράπεζα, ξίφος, ὄνυξ. De Fisso in extis Cicero lib. 1. *de Divinat. Quid fissum in extis, quid fibra valeat. Fissum jecoris* dicitur, cum in duo capita jecur finditur, quorum aliud domesticum, & vitale; aliud hostile, per lineam quandam, quæ jecur & fibras intersecat. *Caput* simpliciter dicitur initium fibrarum jecoris. Plin. l. 11. c. 37. l. 28. cap. 1. *Jecur in dextra parte est in eo quod caput extorum vocant magnæ varietatis. M. Marcello circa mortem cum periit ab Hannibale, defuit in extis, sequenti die geminum repertum est. Defuit & C. Mario, cum immolaret Uticæ. Item Cajo Principi Kal. Januariis, cum iniret consulatum, quo anno interfectus est. Claudio successori ejus, quo mense interemptus est veneno. Caput* dicitur fastigium fibrarum. Jecur in duas partes dividebant, familiarem & hostilem: suum cuique caput tribuebant, ex cujus colore, & habitudine futura portendebant: sic & fissum duplex fuit, id est, duæ partes lineæ quæ jecur finderet, quarum alia caput hostile, alia domesticum attingeret, ex cujus item colore, & habitu, bene aut male ominabantur. Cicero lib. 1. *Divinat. Non placet Stoicis singulis jecorum fissis interesse Deum*. Lib. 2. *Fissum familiare, & vitale* vocat: lib. 3. *de Natura Deor. fissum jecoris*: lib. 2. *Divinat. Si eadem hora, aliæ pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliæ horridum, & exile, fissum familiare, & vitale tractant*. Familiaris pars fuit interior, nempe cava, sive sima; hostilis exterior gibbera. Alii fissum jecoris rimam esse volunt, unde profertur vena, quæ partuum umbilico inseritur. Plin. l. 28. c. 1. scribit *jecinoris caput interdum geminum inveniri, quando scilicet ita excrevit, ut geminum videri possit*. Legendus est lib. 11. c. 37. Val. Max. lib. 1. c. 7. Lucan. lib. 1.

*Ecce videt capiti fibrarum increscere molem:*
*Alterius capitis pars ægra, & marcida pendet;*
*Pars micat, & venas celeri movet improba pulsu.*

Caput ipsum non modo aliquando cæsum erat, sed etiam in membranæ cujusdam involucris latens, ut vix potuerit inveniri. Ovid. lib. 15. *Metam.*

*—— magnosque instare tumultus*
*Fibra monet, cæsumque caput reperitur in extis.*

Livius l. 8. *Caput jecinoris a familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse*. Seneca in *Oedipo*:

*En capita paribus bina consurgunt toris,*
*Sed utrumque cæsum tenuis abscondit caput*
*Membrana, latebram rebus occultis negans:*
*Hostile valido robore insurgit latus,*
*Septemque venas tendit, has omnes retro*
*Prohibens reverti limes obliquus secat.*

Cic. 2. *Divinat. In extis quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset, quod fissum, periculum, quod commodum aliquod afferret*. Plin. lib. 11. cap. 37. *Caput extorum tristis ostenti cæsum quoque est, præterquam in sollicitudine & metu. Tunc enim perimit curas*. Lib. 28. c. 2. *Sic repente extis adimi capita, vel corda, aut geminari victima stante*. Cæsum illud quidam putant fuisse imaginarium. Male: quia re ipsa ostendebatur in extis ab aruspice, ut Livius lib. 8. Julius Obsequens lib. *de prodigiis*, Quinto Metello, & Tito Didio Consulibus apud ædem Apollinis Decemviris immolantibus caput jecinoris non apparuisse scribit. Lucan. libro 1.

*—— Tunc admovet aris*
*Electa cervice marem. Jam fundere Bacchum*
*Cœperat, obliquoque molas inducere cultro,*
*Impatiensque diu non grati victima sacri,*
*Cornua succincti premerent cum torva ministri,*
*Deposito victum præbebat poplite collum:*
*Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo*
*Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.*
*Palluit attonitus sacris feralibus Aruns,*
*Atque iram superum raptis quæsivit in extis.*
*Terruit ipse color vatem. Nam pallida tetris*
*Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore*
*Pluribus asperso variabat sanguine livor.*
*Cernit tabe jecur madidum, venasque minaces*
*Hostili de parte videt, pulmonis anheli*
*Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.*
*Cor jacet, & saniem per hiantes viscera rimas*
*Emittunt, produntque suas omenta latebras.*
*Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras*
*Invenit, & vocem moribundo in corpore quærit.*

Vocem eum quærere ait, quia fibræ loqui dicuntur apud Propertium. Si tacent sunt exta muta. Silius lib. 1. *fibræque repente Conticuere*. Romani post Pyrrhi tantum ex Italia discessum cor inspexere, ut Plin. lib. 11. cap. 37. Martianus Capella a *fisso* dixit *fissiculari*. Lib. 1. *Fissiculatis extorum proficiis viscera loquebantur*. Apulejus lib. *de Deo Socratis, exta fissiculari*. Appianus lib. 2. *Civil.* ἡ κεφαλὴ τοῖς σπλάγχνοις ἔλιπε: *caput in extis defuit*. Plutarch. *Marcello*, τοῦ πρώτου πεσόντος ἱερείου δείκνυσι αὐτῷ τὸ ἧπαρ οὐκ ἔχον κεφαλήν. ἐπιθυσαμένου δεύτερον, ἥτε κεφαλὴ μέγεθος ὑπερφυὲς ἀνέσχε. *Cum prior victima cecidisset, ostendit ei jecur sine capite; cum iterum victima cecidisset, caput jecori magnitudinem extulit insuetam*. Dionys. lib. 3. τὰ δαιμόνια σημεῖα, ὁπότε χρησαίμην σφαγίοις ἐπὶ μάχης χαλεπώτερα. *Divina signa quoties uterer victimis, ut de pugna cognoscerem, fuere tristiora*. De felle Hesychius in *Prometheo*:

Χολῆς λόβου τε ποικίλην εὐμορφίαν.
*Fellis, & fibræ ostendi varium formæ nitorem.*

Seneca in *Oedipo* Act. 2.

*Et felle nigro tabidum marcet jecur.*

Ibidem limes prohibens reverti dicitur, Ἀκέλευθος. Hesychius, ἀκέλευθα ἐν θυτικῇ σημεῖον ὅταν μὴ ᾖ κέλευθος. *Aceleutha in aruspicina dicuntur, & invia signa, quæ viam intercludunt*. Interpres Euripidis in *Phœnissis*, Caudam ad aruspicinam refert, ἡ οὐρὰ τοῦ ἱερείου καμπτομένη ὑπὸ τοῦ πυρὸς σημαίνει δυσχέρειαν, ἁπλωμένη δὲ καὶ κάτω νεύουσα ἧτταν, ἀνατεταμένη δὲ εἰς ὕψος νίκην. *Cauda victimæ igne flexa significat difficultatem, demissa, & deorsum nutans cladem, sursum erecta victoriam*, Euripid. *Phœnissis*:

Μάντεις μῆλ' ἔσφαζον, ἐμπύρους τ' ἀκμὰς,
Ῥήξεις τ' ἐνώμων ὑγρότητα ἐναντίων,
Ἄκραντε λαμπάδα, ἢ δυοῖν ὅρους ἔχει,
Νίκης τε σῆμα, καὶ τὸ τῶν ἡσσωμένων.

*Vates mactabant oves, & extorum robur, flatum, ac fissa inspiciebant fellis, qui liquor hostes notat, & summam lampadem, quæ duo indicat, signum victoris, & ejus qui vincitur*. Scholiastes, ῥήξεις χολῆς, *summam lampadem*, fel in jecore esse volunt summum

ſignum victoriæ. Scholiaſtes Euripid. in *Phœniſ.* οἱ δὲ ἄκραν λαμπάδα τὴν χολὴν λέγουσιν ἐν τῷ ἥπατι. σημεῖον γάρ ἐστι τῆς νίκης τε καὶ ἥττης. *Summam lampadem fel*, ἐμπύρους ἀκμὰς τὰς τοῦ πυρὸς ἀναδόσεις, καὶ τὰ φῶτα τὰ ἐκ τῶν ἐμπύρων ἀναφερόμενα ἀφ' ὧν σημειοῦνται οἱ μάντεις. τὰς τῆς χολῆς ῥήξεις ἐπεσκόπουν, ὑγρότητα δὲ λέγει αὐτὴν τὴν χολὴν τὰ περὶ τῶν ἐναντίων δηλοῦσαν, id eſt, *Ignis incrementa, & lumina ex extis ignitis emicantia, ex quibus vates divinant, inſpiciebant rupturas fellis, humorem vocat ipſum fel, quod res hoſtium indicat; quia hoſtes amari*, ἐχθροὶ πικροί, ἄκραν λαμπάδα τὸ ἄκρον τοῦ πυρὸς ὃ καλεῖται κέρκος ἐσκόπουν, *inſpiciebant ſummam lampadem, extremum ignis, quæ vocatur cauda. Alii* καρδίαν διὰ τὸ εἶναι πυρώδη, *cor, quia igneum. Exta pinguia læta*, Livius lib.7. Valer. lib.1. cap.6. *exta nimis læta*, & Plin. lib.11. cap. 37. *in corde ſummo pinguitudo eſt quædam lætis extis*. Æſchyl. *Prometheo*,

Κνίσσῃ τε κῶλα συγκάλυπτα.

*Nidore & adipe membra tecta*. Ammianus lib. 22. *exta operimento duplici tecta*. Seneca in *Oedipo* Act.2.

—— *Non molli ambitu*
*Omenta pingues viſcerum obtendunt ſinus.*

Color inprimis extorum inſpiciebatur. Æſchylus *Prometh.*

Σπλάγχνων τελειότητα, καὶ χροίαν τινὰ
Ἔχοντα, ἂν εἴη δαίμοσιν πρὸς ἡδονήν.

*Extorum perfectionem, & quonam colore diis placeant.* Fulgentius lib. *de vocibus antiquis, Fibræ jecoris Sandaracei ſi fuant, manales tum verrere opus eſt petras, quas antiqui ſolebant per limites trahere, pro commutanda pluviæ inopia.* Exta Græcis dicuntur ἔμπυρα. Heſychius, Πυρκόοι ὑπὸ Δελφῶν ἱερεῖς δι' ἐμπύρων μαντευόμενοι: *Pyrcoi Delphis dicuntur Sacerdotes, qui per exta vaticinantur.* Exta autem ſpirantia conſulebantur. Zeno Veronenſ. ſerm. de Jona: *Non aris fœtentibus funeſtos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexpectata morte rapti jecoris ſpirantes conſulunt fibras.* Ideo Arnob. lib.2. *leviter animata* vocat exta, quia auſpicatum fuit, ſi leviter exta rapta trepidarent. Poeta lib.3. *Æneid.*

—— *Pecudumque recluſis*
*Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.*

Ovidius lib.15. *Metamorph.*

*Protinus ereptas viventi pectore fibras*
*Inſpiciunt.* ——

*Æneid.* lib.12.

*Et viſcera vivis Eripiunt.*

Lucanus lib.1.

*Atque iram ſuperum raptis quæſivit in extis.*

Sueton. cap. 96. in *Auguſto*: *Circa Peruſiam ſacrificio non litante, cum augeri hoſtias imperaſſet, ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei divinæ apparatum abſtuliſſent, conſtitit inter aruſpices, quæ periculoſa, & adverſa ſacrificanti denuntiata eſſent, cuncta in ipſos recaſura, qui exta haberent, neque aliter evenit.* Ex pulſu maxime & palpitatione extorum divinabant. Seneca in *Oedipo*.

—— *Non levi motu, ut ſolent,*
*Agitata trepidant exta, ſed totas manus*
*Quatiunt, noviſque proſilit venis cruor.*

Gregor. Turon. lib.1. *miraculor.* hæc citat,

*Poſtremoſque animi pulſus in corde tepenti*
*Callidus interpres numeris, & fine notabat.*

Manibus enim exta vellebantur, & tenebantur. Plutarchus in *Arato*, *Philippus manibus exta cepit, & oſtendit Arato, poſt Sacerdoti.* Unde & extis imprimere, vel inſcribere quidvis licuit. Polyænus lib.4. ὁ Ἄτταλος Σουδίνου Χαλδαίου μάντεως θυσίαν κραδαίνοντος, &c. *Sudino Chaldæo aruſpice ſacrificium commovente, precante, libante, proſecante victimam, Attalus Rex gallam conterens inſcripſit in manum dexteram*, Regis victoria, *inſcriptione facta non a læva ad dexteram, ſed a dextra ad lævam; & viſcera cum extracta eſſent, manum ſuppoſuit in calidiorem, ac fungoſum locum, abſterſitque inſcriptionem. Aruſpex ordine fibras perluſtrans, & fel, portaſque, & menſam, & alia omnia ſigna conſiderans, convertit particulam, quæ erat inſcripta, quam militibus oſtendit.* Ariſtides in *Jericho*, ὡς ἐν αὐτῷ τῷ σώματι τῆς φιλουμένης, καὶ τοῖς ἐντὸς, ὥσπερ ἐν σπλάγχνοις ἱερείων ἐγγεγραμμένου παντὸς τοῦ περὶ αὐτὴν πράγματος, *ut in ipſo corpore dilectæ puellæ quæ obierat, & in viſceribus ipſis, & in extis victimarum inſcriptis iis quæ ei acciderant.* Aruſpices enim ſingula ſigna expendebant, ut ex Artemidoro ſupra docuimus. Inter ea ſigna fuit ἀντιστάτης, *contra ſtans.* Heſychius, ἀντιστάτης σημαίνει, καὶ ἐν θυτικῇ. Lætum fuit ſi victima ſecuri ſe feriendam ſponte ad aras præberet. Julius Obſequens lib. *de prodig. Ad immolandum bos ſacra injuſſa de montibus per Mithridatis claſſem adnatavit, ſeque ad aras percutiendam obtulit.* Item ſi jecur coronatum eſſet. Auguſtinus l. 2. *Civit.* cap. 24. *Cum Tarenti Syllæ in capite vitulini jecoris ſimilitudo coronæ laureæ extitiſſet, Poſthumius aruſpex reſpondit ei victoriam ſignificari, juſſitque ut ſolus ex illis extis veſceretur.* Plutarch. *Pyrrho*, τῶν δὲ βοῶν τεθυμένων αἱ κεφαλαὶ κείμεναι χωρὶς ἤδη, τάς τε γλώσσας ὤφθησαν προβάλλουσαι, καὶ περιλιχμώμεναι τὸν ἑαυτῶν φόνον, *cum boves mactatæ eſſent, capita jacentia ſeorſim viſa ſunt exerere linguam, & ſanguinem ac cædem ſuam adlambere.* Plin. lib. 11. cap. 37. Herodotus lib. 1. θύσαντος Ἱπποκράτεος τὰ ἱρὰ, οἱ λέβητες ἐπεστῶτες, καὶ κρεῶν τε ὄντες ἔμπλεοι, καὶ ὕδατος ἄνευ πυρὸς ἔζεσαν, καὶ ὑπερέβαλον. *Cum Hippocrates ſacrificaret, lebetes impoſiti carnium, & aquæ pleni ſine igne ferbuerunt, & exundarunt.* Filio Piſiſtrato portendebatur Imperium. Si duo jecora exiſterent, auſpicatum fuit. Dio lib. 36. θύοντι Αὐγούστῳ διττὰ ἥπατα ἐν πᾶσι τοῖς ἱερείοις δώδεκα οὖσιν εὑρέθη. *Sacrificanti Auguſto duplicia jecora in omnibus victimis, quæ duodecim erant, reperta ſunt.* Malo fuit omini, ſi victimæ ad aram admotæ inter ſe concurrerent; ſi canes tota nocte ulularent, quod ante urbis excidium Meſſenæ accidiſſe prodit Pauſanias in *Meſſeniacis*, οἱ κριοὶ ἐπὶ τὸν βωμὸν αὐτόματοι, καὶ βίᾳ τὰ κέρατα ἀναρρήξαντες ἀποθνήσκουσιν ὑπὸ τῆς πληγῆς. οἱ κύνες συνιόντες εἰς τὸ αὐτὸ κατὰ πᾶσαν νύκτα ὠρύοντο. *Arietes ad aram ſponte cornibus inter ſe violenter committentes moriuntur. Canes in unum convenientes tota nocte ulularunt.* Plin. Panegyr. Trajani, *Largus cruor hoſtiarum malum omen.* Poſtremum hoc addo: *Amphobola dici Sophocli, divinationes per exta.* Heſychius; ἀμφώβολα τῷ Σοφοκλεῖ, αἱ διὰ σπλάγχνων μαντεῖαι. Addo & hæc Gregorii Nazianzeni *Steliteutico* in Julianum, τὸ θύειν οὐ παρὰ Χαλδαίων, ἤγουν Κυπρίων; τὸ ἀστρονομεῖν οὐ Βαβυλωνίων ἐστί; τὸ δὲ γεωμετρεῖν οὐκ Αἰγυπτίων; τὸ δὲ μαγεύειν οὐ Περσικόν; *Sacrificare & exta inſpicere, an non a Chaldæis repertum eſt, aut Cypriis? Ex aſtris futura noſſe, an non a Babyloniis? Terram metiri Geometriæ arte, an non ab Ægyptiis? Magiam facere, an non a Perſis?* ubi Græcus Scholiaſtes, Χαλδαῖοι πρῶτον ἀστρονομεῖν, καὶ δεύτεροι Βαβυλώνιοι διὰ Ζωροάστρου. Αἰγύπτιοι τὴν γεωμετρίαν εὗρον ἐκ τοῦ ἀπλέτου τῆς γῆς, καὶ τῆς διαιρέσεως τῶν χωρῶν προδιδαχθέντες, καὶ οὕτω γράψαντες, καὶ διὰ τὸ τὸν Νεῖλον καταρδοντα τὴν αὐτῶν χώραν συγχέειν τὰ τῆς δεσποτείας ἑκάστου γνωρίσματα, διαιροῦντες πολλάκις τὴν γῆν, καὶ ποικίλοις σχηματισμοῖς χρώμενοι. *Chaldæi primi aſtronomiam, deinde Babylonii per Zoroaſtrem repererunt. Ægyptii Geometriam ob patentes agros, & terræ immenſitatem, & diviſionem locorum, & quia Nilus, quo regio rigatur,*

*perturbabat terminos possessionum, & agrorum, cogebantur sæpe dividere terram, & variis mensuris uti.* Nazianzenus ibidem, *ἐδὴ μάγων θυτικὴ, καὶ πρόγνωσις, καὶ ἔντομα; an non a magis est aruspicina, & prædictio & prosiciæ?* Vet. Scholiastes, *ἐκ τῶν μάγων ἡπατοσκόποι, a Magis aruspices orti.*

## CAP. VIII.

### *De Conjectoribus, & Fanaticis.*

DE Aruspicibus, & Extispicibus diximus; de Conjectoribus, & Fanaticis dicamus. Conjectores ἐξηγητὰς Theophrastus vocat in *characteribus*, καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν, ἐρωτᾷ τί χρὴ ποιεῖν; *Et si mus saccum farinæ arroserit, it ad Conjectorem, & rogat quid sit faciendum.* Tertullianus lib. *de pallio, Qui stellarem conjectat, & volaticam spectat.* Cedrenus συμβολικὴν *appellat.* Martianus Capella lib.9. *Genethliace propior astabat, quæ rationis, æthereæ conscia pensa Lachesis adoperte, atque instantium seculorum gerenda denunciat. Deinde symbolice quæ varietatibus ominatis ventura componens aruspiciorum proventus pensat viribus futurorum. Ojonistice tertia est, per quam tripus illa ventura denunciat, atque omnis eminuit nostra cortina.* Cicero lib.1. *Divinat. Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium, neque eos, qui quæstus causa ariolantur.* Plinius lib. 7. cap. 56. *Interpretationem ostentorum, & somniorum Amphictyon reperit.* Clemens lib.8. *Constitut. Apostolic.* συμβολοδείκτας, παλμῶν ἑρμηνεῖς, ἢ παρακρουσμάτων συμβολικῶν. *Signorum interpretes, aut salissationum, & pulsuum conjecturalium.* Veteris glossæ Collector, ὀρνιθοκρίτης. Cicero de Aruspic. responsis, *Portentum explanatores.* Pollux lib. 7. ἐξηγητὰς, *interpretes;* τερατοσκόπους, *prodigiorum inspectores;* ὀρνιθοσκόπους, *auspices;* χειρομάντεις, *manuspices;* κοσκινομάντεις, *vates per cribrum;* νυκτομάντεις, *nocturnos vates;* ἀστρομάντεις, *astrologos;* ἀλευρομάντεις, *per farinam divinatores;* μάγους, *magos;* γόντας, *excantatores.* Suidas συμβόλους interpretatur *auspicia, quæ fiunt sternutando,* καὶ διὰ τῶν πταρμῶν οἰωνισμοὺς, *qui Cereri sacri erant,* ἀνετίθεντο δὲ ἔτοι Δήμητρι. *Fanatici,* Vet. glos. ἱερατικοὶ, ἱερόδουλοι, *templis servientes,* qui furore correpti fata fantur. *Arreptitii* Lampridio *Bellonæ servientes.* Hesychius, νυμφόληπτοι, *a Nymphis arrepti.* Plauto *Cerriti,* οἱ κατεχόμενοι νύμφαις, μάντεις δ' εἰσὶ, καὶ ἐπιθειαστικοὶ, *vates autem Deo patientes.* Jul. Firmic. lib. 6. *Mathes.* cap. 31. *Faciet homines templorum obsequiis deputatos, qui latenti divinitatis instinctu mutato mentis ordine, & instantis religionis potestate possessi, petentibus hominibus futura prædicant, & sic illis ex ista conversatione quotidianæ vitæ alimenta quærantur.* Lib. 3. cap. 11. *Facient templorum servos.* Prudentius,

*—— Non spumat anhelus*
*Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.*

Quos Julius Firmicus non per umbram, ac recessum, sed in clarissima luce delineat lib. 3. c.7. *Faciet eum assidua cujusdam dæmonis interpellatione pulsari, faciet etiam in templis manere sordide, & sic semper incedere, & qui nunquam tondeat comam, & qui aliquid velit quasi a Diis dictum hominibus nunciare, quales solent esse in templis, qui vaticinari consueverunt.* Cap.13. *Faciet ex sacrificiis, aut feriatis actibus vitæ habere substantiam. Erunt autem hi tales, ut futura prædicant, & qui semper conversentur in templis.* Fanatici isti utplurimum in foro, circo, & vicis ad stipes corradendas vaticinabantur, ideo *vicanos Aruspices* Cicero vocat, Juvenalis *fallacem circum.* Augustinus tractatu 8. in Joannem, *Mathematici,* inquit, *tendunt ad capiendos homines, & hoc in plateis. Quam infeliciter vani sunt homines, quibus capiendis in foro tenditur.* Origenes lib.1. contra Celsum, *Ea, quæ fiunt in medio foro mediocris quæstus causa, a discipulis Ægyptiorum.* Τὰ ὑπὸ τῶν μαθόντων παρ' Αἰγυπτίων ἐπιτελούμενα ἐν μέσαις ἀγοραῖς ὀλίγων ὀβολῶν ἀποδομένων. *Videamus,* inquit, *eos, qui in foro præstigias, & nefaria patrant, & stipes colligunt,* ἀλλ' ὁρῶμεν δήπου καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐπιρρητότατα ἐπιδεικνυμένους, ἀγείροντας. Artemidorus procem. lib. 1. *de somn.* τοῦτο δὲ καὶ σφόδρα διαβεβλημένων τῶν ἐν ἀγορᾷ μάντεων, οὓς δὴ προίκτας τε, γόητας, καὶ βωμολόχους καλοῦσι οἱ σεμνοπροσωποῦντες, καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνεσπακότες. *Hoc autem cum maxime vituperentur vates illi forenses, & de trivio, quos mendicos, & scurras vocant, qui gravitatem vultu mentiuntur, & supercilia contrahunt.* Hesychius, ἐπίρρητον, αἰσχρὸν, ἐπίψογον, καταγνώσεως ἄξιον. *Turpe, vituperandum, damnandum.* Eustath. ad lib.1. *Odyss.* Τελχῖνες γόητες, φαρμακοί. ἐπίρρητον ἄρα τὸ θέλγειν, ἐξ ὅπερ οὗτοι παράγονται. *Telchines, magi, venenarii.* Verbum enim θέλγειν, a quo *Telchines* dicti, in malam partem accipitur. Tertullianus *Apologet. Sicarii, venenarii, magi.* Item, *Arioli, aruspices, mathematici, lenones, perductores, aquarioli.* Prudentius,

*Cultrum in lacertos exerit fanaticus,*
*Sectisque matrem brachiis plorat Deam.*

Dicuntur ἐνθουσιασταὶ, ἐνθεαστικοὶ, ἔνθεοι, *Deo afflati, numine afflati, Deo passi,* ἐκστατικοὶ, *arreptitii,* & *obsessi.* Galli Cybeles, Calvi Isidis, Sacerdotes Deæ Syriæ, & Bellonarii sibi brachia cultris incidebant. Tibullus lib.1. eleg.7.

*Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,*
*Et canit eventus, quos Dea magna monet.*

Horatius lib. *de Arte poetica,*

*Aut fanaticus error, & iracunda Diana.*

Euripides in *Hippolyto,*

Σὺ γὰρ ἔνθεος, ὦ κοῦρα, εἴτε ἐκ Πανὸς,
Εἴτ' Ἑκάτας, ἢ σεμνῶν Κορυβάντων,
Ἢ ματρὸς φοιταλέου.
*—— Tu enim fanatica es, o filia, sive a Pane,*
*Sive Hecate, aut venerandis Coribantibus,*
*Aut matre errabunda Cybele.*

Lucanus,

*—— Tunc quos sectis Bellona lacertis*
*Sæva movet, cecinere Deos, crinemque rotantes*
*Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.*

Pollux lib.1. θεόληπτος, νυμφόληπτος, φοιβόληπτος, πανόληπτος. Vet. glos. δημητριακὸς, *larvatus, lymphaticus.* Legendus Lucianus lib. *de Dea Syria.* Philostratus in *Hippodromo.* Vetus gloss. δαιμονᾷς, κορυβαντιᾷς, *syderati.* Lucumones a lucis, Sidonius lib. 5. cap. 7. vel ut Festus, *lucumones* a locis quæ infesta facerent: unde, *oblucinasse*, mente exerrasse, quasi in luco alicui Deo occurrisse, Plautus *Menæchmis, larvati, cerriti,* ἀστρόληπτοι, σεληνιακοί. Firmicus lib. 3. *Astronom. Lunaticos, sideratos,* Augustus apud Sueton. *vacerosos.* Basilius lib. *de spiritu,* σεληνιαζομένους. Ovid. epist. Phædræ:

*Aut quos semideæ Dryades, Faunique bicornes*
*Numine contactos attonuere suo.*

Lucian. in Alexandro plano, ἱερόδουλοι, θεόληπτοι τὴν κόμην ἄνετον ἔσειον, *templorum servi, fanatici comam solutam quatiebant,* ἐπίβλεπτος, καὶ λαμπρὸς τὴν μεμηνέναι προσποιούμενος ἐνίοτε, καὶ ἀφροῦ πιμπλανόμενος τὸ στόμα, *nobilis, & illustris, furere simulans, os habens spuma plenum,* δαιμονιῶντες, *Cerritos, cerere ictos,* δημητρολήπτους vocat Lucian. in *Philopseude.* Hippocrates *de sacro morbo,* Oedipus apud Sophocl. in *Antigone* de Tiresia, ὑφεὶς μάγον

τῆ

τ̃ δὲ μηχανοῤῥάφον δόλιον ἀγύρτlω, ὅςις ἐν τοῖς κέρδεσι μόνον δέδορκε, *submittens magnum hunc veteratorem dolosum præstigiatorem, qui ad lucra tantum oculatus est, cætera cæcus*. Donatus *Ariolum* quasi *fariolum* dici vult. Plautus, *Hariolus fiam, capillum promittam*. Tibul. lib. 2.

*Hæc cecinit vates, & te sibi, Phœbe, vocavit,*
*Jactavit fusa sed caput ante coma:*

Plutarchus in *Sylla* in Sylvinis servum Pontii narrat θεοφόρητον ἐντυχόντα τῷ Σύλλᾳ λέγοντα παρὰ τ̃ ἐνυοῦς κράτος πολέμου καὶ νίκlω ἀπαγγέλλειν; *Fanaticum convenisse Syllam, qui diceret se ei a Bellona robur belli & victoriam nunciare*.

---

# JULII CÆS. BULENGERI
## DOCTORIS THEOLOGI,
## *DE AUGURIIS, ET AUSPICIIS*
## LIBER II.

### CAP. I.

*De Auguriis & Auspiciis*.



SACRÆ Litteræ omnibus augurandi generibus interdicunt, quas secuti veteris Ecclesiæ Patres auguria oppugnant, & falsi damnant. Clemens Romanus lib. 7. *Constitut. Apostolicar.* μὴ γίνου οἰωνοσκόπος, ὅτι ὁδηγεῖ πρὸς εἰδωλολατρίαν, οἰώνισμα δὲ, φησὶν ὁ Σαμουὴλ, ἁμαρτία ἐςὶ. καὶ οὐκ ἔςαι οἰωνισμὸς ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ μαντεία ἐν Ἰσραὴλ. οὐκ ἔσῃ ἐπάδων, ἢ περικαθαίρων τ̃ υἱόν σου, οὐ κληδονιεῖς, οὐδὲ οἰωνισθήσῃ, οὐδὲ ὀρνεοσκοπήσεις, οὐδὲ μαθήσῃ μαθήματα πονηρά. *Ne Augur esto, quia id studium ducit ad idololatriam. Auguratio, ait Samuel, peccatum est, & non erit augurium in Jacob, neque divinatio in Israel, non eris incantans, aut circumferens filium tuum, non ominaberis, neque auguria captabis, neque aves inspicies, neque disces disciplinas malas*. Auguria autem & Babylonii, & Aegyptii, & Græci, & Romani, & reliquæ pene toto orbe gentes diligentissime observarunt, ut Cicero docet libris *de Divinatione*, & Celsus apud Origenem lib. 4. in Celsum. *Quotquot intendunt avium significationibus*, ait Celsus, *hi divini sunt. Quod si aves, quicquid ex Deo prætcognoscunt nobis per signa indicant, apparet tanto majorem familiaritatem his intercedere cum superis. Ajunt autem & homines sapientia clari, colloquia inter aves fieri dubio procul sacratiora nostris, & ipsas intelligere quæ inter se dicunt, & re ipsa ostendere, quia non ignorant abituræ, quæ de discessu dixerint, cum signo dato abeant, & ea opera impleant de quibus inter se locutæ erant*. Origenes Celso respondet in hanc sententiam: *Revera nemo sapiens unquam dixit colloquia brutorum inter se sacratiora esse quam hominum. Quod si ratio Celsi consentanea vero esset, sequeretur brutorum colloquia sacratiora esse Pherecydæ, Pythagoræ, Socratis, & Platonis, & aliorum Philosophorum colloquiis. Quod & maxime absurdum est, & ex ejus ratiocinatione omnino sequitur. Licet autem credamus quibusdam hominibus innotescere ex inarticulata, obscuraque avium voce eas aliquo discessuras, aut aliquid facturas, dicemus id hominibus per conjecturas a dæmonibus significari eo fine, ut eos decipiant, & mentem eorum a Deo ad terrestria traducant. Vide autem*, inquit Origenes, *quomodo Celsus quæ a Philosophis, non tantum Græcis, sed & barbaris, sive ea per se repererint, sive a Dæmonibus augurandi artem didicerint, disquiruntur, & in utramque partem disputantur quasi confessa, & certa ponat. Primum enim quæritur utrum sit aliqua augurandi ars, aut ex animantibus divinatio. Deinde apud eos qui divinationem per aves recipiunt, non convenit de modo divinationis. Alii enim dicunt a quibusdam dæmonibus, aut Diis divinandi præsidibus motus injici animantibus. Avibus quidem ad diversos volatus, diversasque voces, reliquis autem animantibus, ad hos aut illos motus. Nonnulli dicunt animas brutorum humanis diviniores, & ad divinationem magis aptas, quod absurdum, & a ratione alienum est. Imponunt item nobis, cum dicunt bruta hominibus sapientiora esse, quæ de Deo notiones habeant sacratiores, & sacra quædam inter se colloquia. Ita ex sententia Celsi aves augurales magis naturam Dei comprehendunt, quam Pythagoras, ut oporteat nos earum magisterio, ac doctrina uti*. Ibidem ostendit aves si futura præsentirent, sibi, & pullis suis consulturas, ne aucupibus, aut aliis prædæ essent. Citat versus Homeri de passere, aquila, & dracone, & subjungit, utrum aquila erat auguralis, Draco vero quo & augures ad auguria utuntur, non erat auguralis? Secundum quod signum Apollo utitur vulture nuntio? Circus, seu vultur dicitur esse Apollinis celer nuntius. Dæmones volutati circa corpora crassiora, & impuriora in terra, habentes aliquid quod futura prævideat, ut qui terrestribus corporibus nudati sint, & circa divinationem occupati, volentes abducere hominum genus a vero Deo, insinuant se in animantia rapacissima, & maxime agrestia, noxia, & astuta, & movent ea ad id quod volunt, quoties volunt, aut illorum animantium impetum vertunt ad volatus, & motus hos & illos, ut homines divinatione brutorum irretiti, Deum qui omnia continet non quærant, neque pietatem puram examinent, & animis ad terram cadant, & feritatem draconum, luporum, ac vulpium, aviumque rapacium imitentur. Verba Græca libro primo *de Divinatione* posui. (Hic mentem auctoris qua potui sequutus sum) observatum est enim a studiosis ejus artis, divinationes manifestiores per ejusmodi animantia fieri quod dæmones in mansuetioribus animanti-

bus tantum præſtare non poſſint, quantum in crudelioribus propter malitiæ ſimilitudinem. Ideo ſi quid aliud in Moyſe admiratione dignum eſt, hoc vel maxime mihi videtur, quod cum diverſas animantium naturas cognoſceret, ſive a Deo didiciſſet quæ cuique dæmoni animantia cognatione & natura reſponderent, ſive & ipſe ſapientia ſublimis per ſe cognoverit, in iis quæ de animantibus conſtituit, & dixit ea omnia impura eſſe quæ apud Aegyptios, & reliquos homines ad divinationem idonea eſſe putantur, cætera autem inter pura numeravit. Apud Moyſem enim lupus, vulpes, Draco, Aquila, vultur, & ſimilia inter impura reponuntur. Et ut plurimum in Lege, & in Prophetis reperies ejuſmodi animantia, ut exemplo peſſimorum ſint, aſſumi, nunquam autem in bonum aliquod opus lupum, aut vulpem nominari. Videtur igitur cuique dæmonum generi communicatio quædam, & quaſi cognatio eſſe cum aliquo animantium genere. Et ut inter homines alii aliis ſunt fortiores, non omnino propter mores, ita & alii dæmones aliis potentiores ſunt, & hi quidem his animantibus ad decipiendos homines utuntur ſecundum voluntatem ejus qui in libris noſtris vocatur princeps ſæculi hujus, alii autem per aliam formam præſignificantes: & vide quam ſint deſpicabiles & ſcelerati dæmones, uſque adeo ut muſtelæ & feles a quibuſdam ad prænuntianda futura ſumantur. Φασὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων οἱ συνετοὶ καὶ ὁμιλίας ἐκείνοις εἶναι, δῆλον ὅτι τῶν ἡμετέρων ἱερωτέρας. Vide verba Græca ſi te res ea ſollicitat.

---

## CAP. II.

### *De avibus Dextris & Siniſtris.*

PRIUSQUAM de Auguribus, & Auſpicibus dicam, pauca præmittam de avibus dextris & ſiniſtris ad hæc verba Plauti in *Oedipo*, *liquido exeo foras auſpicio ave ſiniſtra*. Avem ſiniſtram Plauto, & veteribus illis melioris notæ auctoribus, auſpicatam fuiſſe nemini dubium eſt, cum tamen recentioribus linguæ Latinæ auctoribus læva, ſcæva, ſiniſtra, auguria pro infauſtis habita ſint. Nonius *obſcævavit*, quaſi ſcævum, id eſt, malum omen attulit. Plautus ipſe *Aſinaria*:

*Metuo quod illic obſcævavit meæ fallaciæ.*

Arnobius lib. 3. *diſcordias, furias, & læva illa numina*. Donatus ad Terentii *Adelphos*: *Qui malam rem nuntiat obnuntiat*. ) *Nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis, ſcævumque viderint*. Iſidor. lib. 10. *Scævus, ſiniſter, atque perverſus*: *eſt enim peſſimi & crudelis ominis*. Arnob. lib. 1. *Cur duelles cum pereunt lævum augurium non ſunt?* Lib. 5. *ſcæva numina*; Imo & priſcis illis melioris ævi ſcriptoribus, *læva* non raro dicuntur triſtia. Horat. l. 1. c. 7.

*Puer hic non læve juſſa Philippi accipiebat*,
Epiſt. ad Piſon.
*O ego lævus, qui purgem bilem.*
Perſ. Sat. 5.
*Genioque ſiniſtro.*
Ovid. in Ibin,

*Evenient, dedit ipſe mihi modo ſigna futuri*
*Phœbus, & a læva mœſta volavit avis.*

Cicero lib. 2. *Divinat. quæ mala ſunt, ſiniſtra dicimus, etiamſi dextra ſint*. Seneca lib. 2. *de Benefic. exorari in perniciem rogantium ſcæva bonitas eſt*. Tertul. l. *de anima, ſcævus, & immaturus finis*. L. 3. de fide Ambroſ. *quod ſolent Arriani ſcæva interpretatione componere*. Ariſtoph. *Veſpis*: πολλάκις δ' ἔδοξα

A ἐμαυτῷ δεξιὸς πεφυκέναι, καὶ σκαιὸς οὐ πώποτε: *ſæpe viſus mihi ſum dexter fuiſſe, & nunquam lævus*. Horat. Sat. 4. l. 2. *Cum te ſic tempore lævo interpellarim*. Silius l. 8.

*Lævis conatibus Hanno Ductoris.*

Tzetzes *Chiliade* 8. σκαιὸν τὸ ἐπαρίστερον, καὶ μάταιον ὑπάρχει, ὅθεν ἡ σκαιωρία. *Scævum, ſiniſtrum & vanum eſt, unde ſcæoria ſtultitia, obſcævatio*. Contra *dextra* pro lætis, fauſtis, auſpicatis. Horatius Sat. 1. l. 1.

*Niſi dextro tempore Flacci*
*Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem.*
B Sat. 3. l. 2.
—— *Mihi dexter aſtitit.*
Perſius Sat. 6.
*Prætoribus, ac Jove dextro,*
Cic. lib. 1. *de Divinat.*
*Proſpera Juppiter his dextris fulgoribus edit.*
Homerus lib. 2. *Iliad.*
Ἀστράπτων ἐπιδέξι' ἐναίσιμα σήματα φαίνων.
*Fulgurans a dextra, auſpicata ſigna oſtendens.*
Propert. 4. cap. 1.
—— *Date candida cives*
*Omina, & inceptis dextera cantet avis.*
C Virgil. lib. 7. *Aeneidos*:
*Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.*

Fuerunt Auguribus antica, & poſtica, de quibus Feſtus, antica, poſticaque dividi in duas partes, orientem atque occidentem. Ubi vult partes Aquilonis & Auſtri quæ vergunt ad Ortum, pro Ortu accipi, quæ ad Occaſum pro Occaſu; quid hoc monſtri eſt? Veteres Romani ſiniſtra læta, dextera infauſta, iidem ſiniſtra infauſta, dextera auſpicata, & fauſta dixere. Unde hæc apud viros graves inconſtantia? uno verbo rem acu tango: & Græcis & Romanis quæ ab Ortu profecta tendunt in Meridiem & Occaſum, ea læta, quæ ab Oc- D caſu ad Ortum ea male ominata. Sed Græcis & Romanis non una auſpicandi ratio fuit. Augures enim Græci cum ſe ad Septentrionem obverterent, Ortum ad dexteram habuere, Romani cum Meridiem in auſpicando intuerentur, Ortum ad lævam. Itaque ſiniſtræ partes eædem ſunt Romanis, quæ Græcis dexteræ ad Ortum, contra dexteræ Romanis ad Occaſum, lævæ Græcis infelices. Itaque Romani cum ſiniſtra bene ominata, dextera triſtia vocant, more ſuo loquuntur, cum ſiniſtra mœſta, dextera læta, more Græc. auctor vetus τοῖς μὲν ἐξ ἀνατολῆς πρὸς δύσιν ὁρῶσι, δεξιὰ τοῦ κόσμου μέρη τὰ βόρεια, ἀριστερὰ δὲ τὰ νότεια ἐμπρόσθια μὲν τοῦ οὐρανοῦ τὰ Ἑσπέρια μέρη. πρὸς γὰρ ταῦτα φέρεται κινούμενος οὐ- E ραιός, ὀπίσθια δὲ τὰ ἑῷα, ἀπ' ἐκείνων γὰρ ὥρμηται: *Iis qui ab Ortu ad Occaſum ſpectant dexteræ mundi partes Septentrionales, lævæ ad notum, anticæ ſunt ad occaſum, ad quem fertur mundus, poſtica ſunt Orientalia, a quibus fit cæli motus*. Varro lib. 6. *epiſt. Quæſt. A Deorum ſede cum in meridiem ſpectes ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes, factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextera eſſe exiſtimentur*. Idem lib. 6. *de lingua Lat. Bonam ſcævam* dici vult *a ſcæva, id eſt, ſiniſtra, quod quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia exiſtimantur*. Feſtus: *ſiniſtræ aves, ſiniſtrum quod eſt ſiniſtimum auſpicium, id eſt, quod ſinat fieri*. Plaut. *Caninam ſcævam puto meliorem fore*. Varro, *ne quid abſit bonæ ſcævæ cauſa*. Feſt. *ſcæva bona*, σκαιά, Serv. F ad id l. 2. *Aeneid. Intonuit lævum: ſiniſtrum proſperum, quia cæleſte eſt*, ſiniſtrum *a* ſinendo *dicitur, quantum ad augurium pertinet, quod eos agere aliquid ſinat*, &c. Dionyſius Halicarn. lib. 2. *Origin.* paulo aliter. Τοῖς δὲ πρὸς ἀνατολὰς βλέπουσι, ἀριστερὰ μὲν γίνονται πρὸς τὴν ἄρκτον ἐπιστρέφοντα μέρη, δεξιὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν φέροντα. τιμιώτερα δὲ τὰ πρῶτα πέφυκε τῶν ὑστέρων. μετεωρίζεται γὰρ ἀπὸ τῶν βορείων μερῶν ὁ τοῦ ἄξονος πόλος, περὶ ὃν ἡ τοῦ κόσμου στροφὴ

γίνεται, καὶ τῶν πέντε κύκλων τῶν διεζωκότων τὴν σφαῖραν, ὁ καλούμενος ἀρκτικὸς ἀεί τῇ δὲ φανερός. *Iis qui orientem ſpectant, partes ad urſam & boream ſunt ſiniſtræ, ad meridiem dextræ, priores poſterioribus honoratiores, polus enim ad Boream attollitur, circa quem cæli fit converſio, & ex quinque circulis qui cingunt Sphæram arcticus ſemper nobis eſt aſpectabilis.*

*Hic vertex nobis ſemper ſublimis, at illum*
*Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.*

Plutarchus ex Ariſtotele, & Platone, δεξιὰ τοῦ κόσμου τὰ ἀνατολικὰ μέρη, ἀφ᾽ ὧν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, ἀριστερὰ δὲ τὰ δυτικά. *Dextras mundi partes ad ortum, unde motionis principium, ſiniſtras ad occaſum.* Empedocles docuit, δεξιὰ μὲν τὰ κατὰ τὸν θερινὸν τροπικὸν, ἀριστερὰ δὲ τὰ κατὰ τὸν χειμερινόν: *Dextras mundi partes ad æſtivum Tropicum, qui Cancri dicitur, ſiniſtras ad hybernum Capricorni.* Feſtus, *Dextras ad Meridiem, lævas ad Septentrionem.* Romanis igitur ſiniſtra, quia pertinent ad Ortum, ſalutaria, quia Ortus lucis index, & auctor; dextra, quia ſpectant Occaſum, triſtia. Plautus *Pſeudolo: Ave ſiniſtra, auſpicio liquido, atque ex ſententia.* Ennius,

*Cum tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.*

Virgilius *Aeneid.*

*Intonuit lævum, & de cælo lapſa per umbras*, &c.

Ennius,

*Et ſimul ex alto longe pulcherrima præpes*
*Læva volavit avis.*

Cicero lib. 1. *Divinat.*

*Seque obitu a Solis nitidos convertit ad ortus,*
*Partibus intonuit cæli pater ipſe ſiniſtris.*

Item,

*In cælo intueri maximum, ac mirificum*
*Facinus, dextrorſum orbem flammeum*
*Radiatum Solis linquier curſu novo.*

Item, *Nam quod ad dexteram cœpit, curſum ab læva ſignum præpotens, pulcherrime inauguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore.* Cicero lib 1. *de Divinat. Aliis avibus dextra, aliis læva datum eſt, ut ratum auſpicium faciant.* Cur a dextra corvus, a ſiniſtra cornix ratum faciat. Horatius,

*Teque nec lævus vetet ire picus,*
*Nec vaga cornix.*

Oſcines ſiniſtræ inauſpicatæ erant, niſi mane crocitarent, ut Servius ad lib. 4. *Aeneid. Augurium corvo, læva cornici omina.* Sidonius Apollinaris epiſt. 2. lib. 2. *Oſcines corvos voce triplicata puniceam ſurgentis auroræ facem conſalutantes.* Acron ad lib. 3. od. 27. Horat. *Ab ortu Solis corvi omina proſpera ſunt, adverſa ab occaſu.* Virgilius lib. 1. *Georgic.*

*Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces,*
*Aut quater ingeminant.*

Apulejus *Mileſ.* 1. *Sed ut fieri aſſolet, ſiniſtro pede profectum me ſpes compendii fruſtra adeſt.* Catullus in *Epithalamio*,

—— *omine dextro Dixit.*

Cicero lib. 2. *Divinat.* ad comitia negat bonum auſpicium, ſiniſtrum fulmen. Orpheus ait, Solem, cum dexter eſt, auroram; cum lævus, noctem gignere, id eſt, more Græco, ab Ortu diem, ab Occaſu noctem producere. Claudianus lib. 2. *de raptu Proſerp.* fingit a matre Phœbum dextro lacerto, Dianam ſiniſtro portari. Geographi dextram cæli partem Orienti, lævam Occidenti tribuunt, quod naturalis nutus viventium a dextra cœptus ad ſiniſtram fertur, quem curſum Sol diurno curriculo conficit, ut Hyginus, Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Ptolemæus, Plinius lib. 2. *Hiſtor.* quibus omnibus antica Septentrio, poſtica Meridies Aſtronomi, quia non ſpectant polarem ſtellam, ſed Meridiem, ut ſtellarum, planetarumque motus notent, lævam Orienti, dextram Occidenti, Septentrioni poſticam, Auſtro anticam tribuunt. Ita & Hetruſcis, & Romanis Borealis cæli pars dextra, Auſtralis ſiniſtra ob cæli ſitum. Judæis pars Auſtralis dicitur dextra. Pſalmo Davidis 88. *Aquilonem, & dexteram tu feciſti.* Hieronymus, *Aquilonem, & Meridiem tu feciſti.* Chaldæus, *Deſertum Aquilonis, habitatoreſque Auſtri.* Septuaginta Interpretes, *Aquilonem, & mare tu feciſti.* Mare vocat Auſtrum, ut & nos ventum marinum. Plutarchus in *Romaicis*, cap. 78. τὸ γὰρ ἀριστερὸν σίνιστρον ὀνομάζουσι, τὸ δὲ ἀφεῖναι σίνερε λέγουσιν, ὅταν ἀφεῖναι παρακαλῶσι: *Siniſtrum auſpicium proſperum* Romanis, *quia lævum ſiniſtrum vocant, ſinere eſt permittere, & ſine dicunt, cum hortantur ut dimittant.* Lucanus lib. 1.

*Et doctus volucres augur ſervare ſiniſtras.*

Ovidius 4. *Faſtor.*

—— *tonitru dedit omina lævo*
*Juppiter, & lævo fulmina miſſa polo.*

Plinius lib. 2. *Fulmina læva proſpera, quia ſacrificantis, vel precantis latus lævum, dextrum eſt ejus, qui poſtulata largitur. Siniſtras autem Septentrionales eſſe partes Augurum diſciplina conſentit.* Et ideo ex ipſa parte ſignificatur eſſe fulmina altiora, & viciniora domicilio Jovis, ait Servius ad hæc Virgilii,

—— *ſi quem*
*Numina læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.*

Fuere tamen Romanis Auguribus aves, quæ a dextra, aliæ, quæ a læva ratum facerent. Plautus *Aſinar.*

*Impetritum, inauguratum eſt, quovis amittunt aves,*
*Cornix eſt ab læva, corvos, parra ab dextera,*
*Conſuadent.*

Cicero lib. 1. *Divinat. Quid habet Augur, cur a dextra corvus, a ſiniſtra cornix faciat ratum.* Virgil. lib. 1. *Georgic.*

*Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.*

Plautus *Aulular.*

*Non temere eſt, quod corvus mihi nunc cantet ab*
*læva manu,*
*Simul radebat pedibus terram, & voce crocitabat ſua.*

Servius ad Eglogæ verba hæc,

*Quod niſi me quacumque novas incidere lites,*
*Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix.*

Anteſiniſtra, *indiviſe legendum, & dicendo monuiſſe oſcinem fuiſſe demonſtrat. Sane hoc ad auguralem pertinet diſciplinam. Augures enim deſignant ſpatia lituo, & eis dant nomina, ut prima pars dicatur antica, poſterior poſtica, ut eſt dextra, & ſiniſtra. Modo ergo cornicem de nulla harum parte veniſſe dicit, ſed ab antica ad ſiniſtram partem volaſſe.* Horatius lib. 3. Od. 27.

*Oſcinem corvum prece ſuſcitabo*
*Solis ab ortu.*

*Impetritum auſpicium eſt.* Perſis, & Græcis dextera læta, ſiniſtra triſtia. Xenophon lib. 2. *Inſt. Cyri*, δεξιοὺς ἀετοὺς, Perſæ fauſtas habent *dextras aquilas*. Apud Hom. δεξιὸς ὄρνις, *dextra avis* felix. Aeſchylus in *Prometh.*

Γαμψωνύχων τε πτῆσιν οἰωνῶν
Οἵτινές τε δεξιοὶ φύσιν, εὐώνυμοί τε.

Iliad. lib. 1. οἰωνὸν δεξιόν: Callimachus hymno Jovis,

—— —— ἀγγελιώτην
Σῶν τεράων, ἅτ᾽ ἐμοῖσι φίλοις ἐνδέξια φαίνοις.

*Avium curvis unguibus volatum, qui dextri natura, qui lævi, docui. Dextram avem, nuncium tuorum portentorum, quem meis caris Jupiter dextrum oſtendas.* Salomon Prov. ὁδοὺς γὰρ τὰς ἐκ δεξιῶν οἶδεν ὁ Θεὸς, διεστραμμέναι δ᾽ εἰσὶν αἱ ἐξ ἀριστερῶν, *Vias dextras novit Deus, depravatæ ſunt a læva.* Euſtat. ἀριστερὰ δυσοιωνιστὰ, *læva inauſpicata. Sternutationes a ſiniſtra*, ἐξ ἀριστερᾶς πταρμοί. ἀριστερὸν μέρος κόσμου τὸ δυτικὸν, *pars mundi læva ad occaſum.* Feſtus verbo *Poſticum, Quæ ante nos ſunt, antica; & quæ poſt nos, poſtica dicuntur: & dextram anticam, ſiniſtram poſticam dicimus. Sic*

*etiam ea cæli pars, quæ Sole illustratur ad Meridiem, antica utique nominatur; quæ ad Septentrionem est, postica: rursumque dividuntur in duas partes, Orientem, atque Occidentem.* Tzetzes Chilia 13. cap. 474. τὰς δεξιὰς δὲ βλέποντες, ἤτοι τὰς ἐκ τ̃ ἕω, κ̀ τὰς ἀπὸ τ̃ δύσεως ἂς λαιάς. *Dexteras, quæ ad Ortum, & lævas ad Occasum spectantes.* Callisthenes lib. de vita Alexandri, Alexander a Gymnosophistis petiit, *Quæ mundi partes meliores essent, sinistræ, an dextræ. Illi responderunt, sinistras. Etenim Sol ipse exoriens a sinistris orbem conficit. Mulier primum lactat infantem sinistra mamma, deinde dextra.* ποῖα κρείττονα μέρη, τὰ δεξιὰ, ἢ τὰ εὐώνυμα, οἱ δὲ εἶπον τὰ εὐώνυμα. κ̀ γὰ αὐτὸς ὁ ἥλιος ἀνατέλλων τοῖς εὐωνύμοις μέρεσι τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ περιπολεύει θηλάζει δὲ πρῶτον ἡ γυνὴ τῷ εὐωνύμῳ μαθῷ. Plutarchus lib. *de Iside* scribit Ægyptios censuisse, partes mundi ad Ortum esse pro vultu, quæ ad Boream dexteræ, quæ ad Meridiem lævæ: τὰ μὲν ἑῷα τȣ̃ κόσμȣ πρόσωπον εἶναι. Contra Thebani ad Boream sinistras mundi partes posuere. Idem in *Romaic.* cap. 78. Thebani a lævo cornu fugatis hostibus, victores Leuctrico prælio, deinde lævo lateri principem locum in præliis dederunt: ad lævam Boreas est iis, qui Orientem spectant. Statius lib. 3. *Thebaid.* in Auguribus Græcis lapsus est, quibus sinistra auspicia pro lætis esse voluerit.

*——signa feras, lævusque tones:*
*Si probibes, bic necte moras, dextrisque profundum*
*Alitibus prætexe diem.*

Ubi Luctatius vetus Scholiastes parum vidit. Peccavit item Valerius Flaccus lib. 1. de Græco augurio loquens,

*——lævum Jovis armiger æthra*
*Advenit.*

Arnobius lib. 4. dextras, & sinistras mundi partes inepte a Philosophis, & Auguribus constitui ostendit, cum in globo nihil proprie dextrum, aut sinistrum esse possit. Hector in Troicis,

Οἰωνῶν ȣ̓κ ἀλεγίζω, εἴτ' δέξι' ἴωσι,
Πρὸς ἠῶτ', ἠέλιόντ', εἴτ' ἐπ' ἀριστερά.

*Aves nibili facio, sive ad dextram eant, ad auroram, & Solem, sive ad sinistram.* Ibidem Arnobius dextram, lævamque ostendit esse positionis, & temporis, & prout nostri corporis habuerit situs rerum ad circumitantiam collocatus.

---

## C A P. III.

### *De Avibus lætis, & tristibus.*

DE Avibus dextris, & sinistris diximus; de lætis, & tristibus in genere dicamus. Luctatius ad librum tertium *Thebaid.* putat infelices aves dici fœminino genere, felices masculino: quod perpetuum non esse exemplis, quæ subjicientur, apparebit. Inauspicatæ dicuntur lugubres, funereæ, ferales, volsgræ, diræ, mœstæ, secilitræ, sucillantes, alteræ, aversæ, obscœnæ, inebræ, inhibæ, remoræ, incendiariæ, spinturnices, ambustaneæ, malæ, cliviæ, clivinæ, arculæ, arcivæ, sinistræ, ἀεικελίαι, ȣ̓κ αἴσιοι. Hesychius, ἐξώλαιμοι, ἔξεδροι. Bonæ, lætæ, admissivæ, præpetes, pulchræ, albæ, candidæ, augustæ, faustæ, auspicatæ, felices, αἴσιοι, αἴσιμοι. Volsgræ, quæ se unguibus, & rostris vellunt. Suetonius in Julio, *Regaliolum cum laureo ramo Pompejanæ curiæ se inferentem volucres varii generis discerpserunt.* Statius lib. 3. *Thebaid.*

*——simul ora recurvo*
*Urgue secant rabidæ, planctumque imitantibus alis.*

A Odyss. lib. 2.

Δρυψάμενοι δ' ὀνύχεσσι παρειὰς, ἀμφίτε δειρὰς
Δεξιοὶ ἤισαν.

*Vellentes sibi unguibus genas, & collum dexteræ ierunt.* Aeschylus,

Κίρκον πτεροῖς ἐφορμαίνοντα, κ̀ χήλαις κάρα
Τίλλοντα.

*Circum alis insultantem, & ungulis caput vellentem.* Dio, δύο κόρακας προσπεσόντας αὐτῷ τίλλειν τε τ̃ πτερῶν πειρωμένȣς. Suetonius *Augusto*, cap. 96. *Aquila tentorio ejus supersedens, duos corvos binc & inde infestantes afflixit, & ad terram dedit.* Plutarchus in *Bruto*, ὄρνεα σαρκοφάγα πολλὰ καθ' ἡμέραν ἐπεφαίνετο τῷ στρατοπέδῳ,

B

*Aves carnivoræ de die plures conspectæ supra castra* Cassii. *Mœstas* vocat Ovidius in Ibin.

*——& a læva mœsta volavit avis:*

*Remores* aves in auspicio dicuntur, quæ acturum aliquid remorari compellunt. Fest. Unde & *Remora*, seu *Remeligo* piscis, ἐχενηΐς, infelix habetur, si navim tardavit, ut in M. Antonio, prælio Actiaco, & Caligula paulo ante obitum deprehensum est. Plinius lib. 32. cap. 1. Suetonius in *Caligula*. Ambustaneas *incendiarias* vocant. Plinius lib. 10. cap. 13. *Inauspicata est, & incendiaria avis,*

C

*propter quam sæpenumero lustratam urbem in annalibus invenimus. Quidam interpretantur incendiariam esse, quæcumque apparuerit carbonem ferens ex aris, vel altaribus.* Alii spinturnicem. Julius Obsequens lib. *de prodigiis*, *Avis incendiaria visa, occisaque.* Lampridius in *Commodo*, aves vocat incendiarias, ac diras. Plinius nesciri ait, quæ sit avis. Putem corvum, aut bubonem esse, qui ex aris carbonem, aut carnes tostas aliquo detulerit. Plutarchus in *Tiberio*, σκηνὴ Ῥωμύλȣ ἐκαύθη, κοράκων κρέα ἐς αὐτὴν ἐκ βωμȣ̃ τινος ἐμβαλλόντων: *Scena Romuli usta est, seu casa, corvis carnes ignitas ex ara in eam projicientibus.* Servius, *Sane bubo, si cujus ædes insederit, & vocem miserit, mortem significare dicitur; si autem de busto sudem ad tectum detulerit, incendium ædibus portendere.* Spinturnicem vocant ἀπὸ τȣ̃ σπινθῆρος, id est, *a structura ignis*, Vet. glos. *Ambustaneus*, εἶδος ὀρνέȣ. Alteræ aves, quæ

D

priori auspicio vitium faciunt. Alter infelix. Festus, *Diræ aves, dira, vitiosa, inauspicata.* Claudianus lib. 2. in Eutropium, & Cicero lib. 1. *Divinat. Itaque sinistra dum non exquirimus, in dira, in vitiosa incidimus.* Inhibæ aves, quæ prohibent. Isidorus lib. 10. *Origin. Obscœnæ volucres*, Virgilius. Accius,

*Obscœni interpres, funestique ominis auctor.*

Ovidius lib. 2. *Amor.* Eleg. 6. *Obscœnas aves.* Est in auguriis Negritis infelix vox, qua ægritudo significatur. Clivinæ, cliviæ a clivo, prohibitoriæ. Plinius lib. 10. cap. 14. Paulus, *Clivia auspicia, quæ probibent.* Statius 3. *Thebaid.*

E

*Si probibes, bic necte moras.*

Inebræ, enebræ, inhibæ prohibent, ut Festus. Arcula, arciva, arcina avis, ab arcendo. Græci arculas aves ἀποθυμίȣς vocant. Lævus corvus Horatio est arculus, Od. 23. lib. 3.

*Teque nec lævus vetet ire corvus,*
*Nec vaga cornix.*

Festus Vet. glos. εἰρκτικός. Malæ aves infelices. Horatius Ep. 11.

*Mala soluta navis exit alite.*

Ἀεικελίη *infausta*, Apollon. *Argonaut.* μήδ' ὄρνις ἀεικελίη πέλε νηΐ. Deviæ aves, Ovidio. epist. 2. Heroidum, *Incœstæ aves.* Statio lib. 9. *Thebaid. Nigræ, tristes aves.*

F

Ovidius. lib. 3. *Amor* epist. 11.

*——quo tristia semper amanti*
*Omina non albæ concinuistis aves.*

Alteræ aves Festo dicuntur inauspicatæ, quia augures in templo sedentes ad augurium, abstinebant vocibus male ominatis: *alteras* pro adversis dicebant, quæ priori auspicio vitium facerent, cum & fulmen secundum prius perimeret, quod dictum *peremtale*. *Milesiis* 2. Apulejus, *fuscis avibus Larissam accessi*. Felices autem dicuntur ὅσιοι οἰωνοὶ, αἴσιοι, Hesychius, *læti*. Vetus Poeta:

*Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales.*

*Secundas aves*, Ennius:

*Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam*
*Solus avem servat.*

Livius lib. 6. *Deos esse qui secundis avibus Romanos in prælium miserint*, lib. 1. *Tristium* Ovid.

*Hoc mihi non avium fibræ, tonitrusque secundi,*
*Linguave servatæ, pennave dixit avis.*

Idem *Augustum augurium:*

*Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est*. Festus, *admissivæ aves dicuntur auguribus, quæ consulentem jubent*. Homerus in hymno Mercurii, τελειέντας οἰωνὺς, *perfecta aves*. Plaut. *Pseudolo*, *liquidum auspicium*: Euripides in *Hecuba*,

Ορνιν ἰδών τινα ὐκ ἐν αἰσίαις ἕδραις.

*Videns avem inauspicato loco*. Dio lib. 35. ἔξεδροι γάρτινες ὄρνιθες ἐπέπταντο, καὶ διὰ τῦτο ἀνεμαντεύσατο, *infaustæ quædam aves volarunt, & ideo obnuntiavit*. Homerus ἐναισίμυς, *aves lætas*, quas Æschylus in *Agamemnone* παμπρέποις ἐν ἕδραισι, *in sedibus opportunis ait esse*. Propertius lib. 4. eleg. 6.

*æquam avem,*
*Nec remis æqua favebat avis.*

Ovid. lib. 1. *Fastor.*

*Este bonis avibus visi.*

Petron. *Satyrico*:

*— De cælo Delphicus ales*
*Omina læta dedit, pepulitque e montibus auras.*

---

## Cap. IV.

### *De Oscinibus & Præpetibus.*

Oscines Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciunt auspicium, ut cornix, noctua: aut quæ alis ac volatu, ut Buteo, Sanqualis, &c. Festus. Servius ad hæc verba lib. 3. *Aeneid.*

*Et volucrum pennas, & præpetis omnia pennæ.*

*Certa avium*, inquit, *genera ab auguribus appellantur, quæ pinnis, vel volatu omnia possunt facere, quæ si fuerint prospera, præpetes; si adversa, inferæ dicuntur. Præpetes sunt quæ secundo auspicio ante eum volant qui auspicatur. Aves autem aut oscines sunt, aut præpetes: oscines, quæ ore futura prædicunt. Præpetes quæ volatu augurium significant, cum sunt prospera. Sed Præpetes aut superiora tenent, & Præpetes vocantur; aut inferiora, & dicuntur inferæ. Præpetes autem ideo, quia omnes aves priora petunt volando*. Festus: *oscinum tripudium est, quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit cornix, corvus, noctua, parra, picus*. Servius ad lib. 1. *Aeneid. In auguriis considerandæ sunt non solum aves, sed etiam volatus, ut in Præpetibus; & cantus, ut in oscinibus, quia nec omnes, nec omnibus dant auguria: ut columbæ, non nisi regibus dant, quia nunquam singulæ volant, sicut Rex nunquam solus incedit*. Item *cygni nullis dant nisi nautis, sicut lectum est in* ὀρτυγονίᾳ.

*Cygnus in auguriis nautis gratissimus ales,*
*Hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis.*

Val. Max. lib. 1. cap. 6. *Aves Præpetes voraces* vocat, dici videntur a voce Græca πτῶμα, quasi προπετεῖς.

A Livius lib. 7. *lætus augurium de cœlo missum accepit, precatusque est, ut qui sibi Præpetem miserat Deus*. Justinus lib. 12. *Qua die natus est Alexander, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen patris ejus sederunt*. Festus, *præpetes sunt quæ se ante auspicantem ferunt*. Item præpetes aves sunt quæ opportune prævolant, aut idoneas sedes capiunt, dicuntur τανυπτέρυγες, ut aquilæ, vultures. Apud Gellium lib. 6. cap. 7. ait figulus, *discrepat dextra sinistræ, præpes inferæ*. Præpetem esse vult quæ superiora teneat. Inter oscines est apud Festum supervaganea avis, quæ ex summo cacumine vocem emisit, quia super omnia vagatur, aut canit. Virgil. lib. 5. *Aeneid.*

B *—— Quem præpes ab Ida*
*Sublimem rapuit pedibus Jovis armiger uncis.*

A Præpetibus avibus *locus præpes*, & *portus*, item *victoria præpes*, ante posita, & quasi præcurrens dicitur. Mattius,

*Dum det vincenti præpes victoria Palmam.*

Gellius lib. 6. cap. 6. *locos præpetes vocabant, quos aves præpetes capiebant*. Ennius:

*Brundusium pulchro præcinctum præpete portu.*

Item,

*Præpetibus sese, pulchrisque locis dant.*

C *Aves autem non garritu tantum, & volatu, verum & alis, gestu, rostro auspicium faciebant*. Salisberiensis lib. 1. cap. 12. *Augurium in voce avium proditum est, aut volatu. Est autem secundum traditionem eorum volatus tam alarum, quam pedum vola, siquidem est interior palmæ vel pedis; unde apud Macronem in sexto volantes, pro gradientibus describuntur: hoc enim ad hominis pertinet felicitatem, si columbæ gradientes, dum tamen in pastu itinerantes præcedant*. Idem cap. 13. *cum processerint abscondita futurorum, aves quas ominales vocant, tibi prænuntiabant, quas scilicet de natura hominum in* D *formam avium Poetæ asserunt esse conversas*. Cornelius Nepos quisquis ille est lib. 4. Daretis Phrygii;

*—— Balearicus augur*
*Gentiles distinguit aves vel voce, vel alis,*
*Vel gestu vario, venturis omina poscens.*

Item,

*—— Augure plausu*
*Pieriæ volucris, aut indice nuntiat aure*
*Hospitibus numerum, discessurisve recessum.*

Augures enim sollicite observabant prono, obliquo, supinove motu corporis avis ferretur, quo flecteret, contorqueret, porrigeret, contraheret membra, an hac, vel in illa parte se occultaret, a dextra, sinistrave volarent, aut canerent oscines. Ammianus Marcellinus, E *Auguria, & auspicia non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur, sed volatus avium dirigit Deus, ut rostrum sonans, aut prætervolans; pinna turbido meatu, vel leni futura præmonstret*. Lib. 23. *Certe divina mens*, ait Cicero lib. 1. *Divinat. in avibus efficit ut tum huc, tum illuc volent alites, tum in hac, tum in illa parte se occultent, tum a læva, tum a dextra parte canant oscines*. Statius lib. 3. *Thebaid.*

*—— Mirum unde, sed olim*
*Hic honor alitibus, superæ seu conditor aulæ*
*Sic dedit, effusum chaos in nova semina texens*
*Seu quia mutatæ, nostraque ab origine versis,*
F *Corporibus subiere nothos, seu purior axis,*
*Amotumque nefas, & rarum insistere terris*
*Vera docent. ——*

Seneca lib. 2. *Natural. Quæs. Quomodo aves uno in hoc motæ ut nobis occurrerent, dextrum auspicium, sinistrumve fecerunt, & illas Deus movit*, quod ridet Pacuvius. *Nam istis qui linguam avium intelligunt, plusque ex alieno jecore sapiunt, quam suo,*

*magis audiendum*, *quam auscultandum censeo*. Seneca in *Troade*:

*Auspicia metuant qui nihil majus timent.*

Linguam avium vocant, quia aves inter se loqui, & sermonem eorum ab auguribus quibusdam intelligi putant. Martianus Capella, *& volucrum diversos meatus, & oscinum linguas, & præpetis omina pennæ*. Philostrat. lib. I. *Apollon.* c. 14. τῇ σοφίᾳ τῶ Ἀράβιον τρόπον εἰς ξύνεσιν τῆς τῶν ζώων φωνῆς ἦλθεν: *Eo sapientiæ processerat, ut Arabum more voces animantium intelligeret.* Est enim hoc commune Arabibus, ut aves intelligant divinantes, quæ oracula monere solent. ξυμβάλλονται δὲ τῶν ἀλόγων σιτούμενοι τῶν δρακόντων οἱ μὲν καρδίαν φασὶν, οἱ δὲ ἧπαρ: *conjiciunt autem brutorum voces, cum draconum cor, aut hepar comederint.* Plin. lib. 10. c. 49. *qui credit ista, & Melampodi profecto aures lambendo, dedisse intellectum avium sermonis dracones non abnuet, vel quæ Democritus tradit nominando aves, quarum confuso sanguine serpens gignatur, quem quisquis ederit intellecturus sit avium colloquia.* C. 4. lib. 28. *Democritus monstrat, quædam effici ex anguibus, ut possint avium sermones intelligi.* Heleni & Cassandræ aures in luco Apollinis angues adlambendo id effecerunt, ut voces avium & Deorum audirent, ait Eustathius.

## CAP. V.

### *De Avibus Auguralibus.*

MULTÆ augurales aves fuere, in primis aquila, de qua Q. Calaber lib. I.

—— τῷ δ' ἀετὸς ὀξὺ κεκληγὼς
Ἤδη ἀποπνείουσαν ἔχων ὀνύχεσσι πέλειαν,
Εσσύμενος οἴμησεν ἀριστερός.

*Illi aquila acute stridens, tenens ungibus columbam exspirantem incitatus venit sinister.* Plutarchus nullam avem augurio opportunam fuisse ait, in qua ulcus esset, in *Rom.* capit. 27. ἢ κατὰ λόγον ἐστὶ, εἰ μή τις ἱερείῳ χρήσαιτο ἄν τις ἕλκος ἔχοντι πρὸς θυσίαν, μήτε ὄρνισι πρὸς οἰωνισμόν: *an rationi consentaneum est ut is sine ulcere sit ipse, qui nolit uti victima ad sacrificium, aut ave ad augurium in qua sit ulcus.* Plinius capit. 8. lib. 10. Triorchen a numero testium cui principatum in auguriis Phemonoe dedit. Buteonem hunc appellant Romani, familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in navi ducis sedisset. Festus, *Buteo genus avis, quæ ex eo se alit, quod accipitri eripuerit, vastitatisque causa est locis quæ intraverit, ut bubo, a quo etiam appellatur buteo.* Aquila certe divina Jovis avis dicitur ab Aristide oratione Platonica I. pro Rhet. μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίαι κόρακες ὡς ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιθα θεῖον: *discipuli garrulitate vehementes instar corvorum frustra adversus divinam Jovis avem clamant.* Aquila fuit auspicata, & regni omen. Capitolin. in *Gordiano*: *Nato maximo cujus pater faber ferrarius, carnem bubulam multam in eorum cellam aquila projecit quæ augusto patebat impluvio, eamque cum nemo auderet attingere, in sacellum proximum Jovis præstitis intulit.* Tacitus lib. 2. *Ann. Interea pulcherrimum augurium octo aquilæ petere sylvas intrare visæ Imperatorem advertere.* Vopiscus in *Aureliano*, *vinctum fasciolis Aurelianum aquila innoxie de cunis levaverat, & in aram posuerat, quæ circa sacellum forte sine ignibus erat.* Xiphilin. in *Severo*, ἀετός τ' ἐπ' ἄγαλμα στρατιωτικὸν ἱζήσας, ἐπὶ τοσοῦτον ἔμεινε, ὥσπερ καὶ ἁλῶναι: *Aquila simulacro militari insidens tandiu mansit, donec caperetur.* Dionys. Halycarnas. lib. 3. *Origin. Aquila Tarquinio pileum de capite rapit, & apte reponit: omen regni Tanaquil interpretata est.* Lib. 4. *Tarquinio Superbo omen exitii fuit par aquilarum propter regiam, vere, nido exstructo in palmæ vertice, quarum pulli implumes a vulturibus necati, ipsæque redeuntes rostris, & crebro alarum verbere de palma depulsæ.* Plutarch. in *Dione*, καὶ τῷ Διονυσίῳ πολλὰ τεραπώδη παρὰ τοῦ δαιμονίου γενέσθαι σημεῖα, ἀετὸς μὲν ἁρπάσας δοράτιόν τινος τῶν δορυφόρων ἀράμενος ὑψοῦ, καὶ φέρων ἀφῆκεν εἰς τὸν βυθόν: *Dionysio multa prodigia a Deo fuere. Aquila raptam satellitis hastam in sublime tulit, inde demisit in profundum.* Mare qua alluit arcem, aquam uno die dulcem & potabilem præbuit: porcelli ei editi sunt auribus mutili, cætera integri, quod defectionis ostentum esse vates prodiderunt. Mare dulce Syracusanis res lætiores, Jovem, cujus minister est aquila, lanceam & dominatum ejus eversurum. Appianus lib. I. *Civil.* παιδὶ γὰρ ὄντι Μαρίῳ φασὶν ἀετοῦ νεοττοὺς ἑπτὰ καταῤῥυῆναι ἐς τὸν κόλπον, καὶ τοὺς μάντεις εἰπεῖν, ὅτι ἑπτάκις ἐπὶ τῆς μεγίστης ἀρχῆς ἔσοιτο: *Mario puero ferunt in sinum septem aquilæ pullos defluxisse, & aruspices dixisse eum septies ad summum magistratum evehendum.* Sueton. in *Tiberio*, *per Macedoniam ducente exercitum in Syriam accidit, ut apud Philippos sacratæ olim victricium legionum aræ sponte subitis collucerent ignibus. Ante paucos dies quam revocaretur, aquila nunquam antea Rhodi conspecta in culmine domus ejus assedit, & pridie quam de reditu certior fieret.* Dionys. Halycarn. lib. I. *Dum Lavinium conditur, oblata sunt Trojanis quædam prodigia. In nemore accenso sua sponte igni, lupus ore aggessit fomitem aridum, Aquila advolans alis ventilatis flammam excitavit, vulpes cauda in flumen intincta ignem extinguere conata, sed a lupo, & aquila pulsa est.* Plutarch. *Alexandro*, vates Aristander ἐπεδείκνυτο παριππεύων ἀετὸν ὑπὲρ κεφαλῆς Ἀλεξάνδρου συνεπαιωρούμενον, καὶ κατευθύνοντα τῇ πτήσει ὀρθιον ἐπὶ τοὺς πολεμίους: *Adequitans ostendit aquilam imminentem capiti Alexandri, quæ recto volatu ferebatur in hostes.* Justinus lib. 23. de Hierone puero sub finem, scribit eum ab apibus educatum. Lupum ei tabulam eripuisse e manibus, ne casu auditorii cum aliis obtereretur, aquilam in clypeo ejus insedisse, noctuam in hasta. Zonaras, *Basilium infantem dormientem sub sole aquila prope terram circumvolitans expansis alis obumbrat, abigitur a matre, redit ad idem officium, cum jaceret ante ædem S. Diomedis, ter somnio monetur æditus, ut Imperatorem domo excipiat.* Salisber. lib. I. *Polycrat.* cap. 13. *Aquila namque sicut Rex avium est, si Alarionem excipias, quæ forte aquilarum species potentissima est, regni sui majestate, si contra loquatur, fidem evacuat*: cætera ex eo require. Locris adversus Crotonienses dimicantibus, aquila dum pugnabatur supervolans dicitur contulisse, cum pauci numero deleverint infinitos. Hoc tamen validiori signo dicitur coloratum, eo quod duo juvenes procerioris staturæ, elegantioris formæ, in candido habitu ab utroque latere Locros processerint, scilicet ut erat communis opinio, Castor & Pollux, omnia ejusmodi cum geminantur potentiora sunt. Dum Hiero prima bella iniret, aquila ex improviso resedit in clypeo progredientis, manu promptum regemque futurum significans. Sueton. *Augusto*: *Cum lustrum in campo Martio conderet, aquila eum sæpius circumvolavit, transgressaque in vicinam ædem super nomen Agrippæ ad primam litteram sedit, Mors ei denuntiata*; & cap. 94. *Ad quartum lapidem Campanæ viæ in nemore prandenti ex improviso aquila panem ei manu rapuit, & cum altissime volasset rursus ex improviso leniter delapsa reddidit.* Lampridius *Diadumeno*:

*Eadem die qua hic natus est, aquilam ei constat sensim palumbum regium parvulum attulisse, & posuisse in cunis dormienti, ac recessisse sine noxa. Pantagathi in domo patris ejus nidum posuerunt. Huic eidem aquila pileum in agro ambulanti tulit, & cum comitum infantis clamor esset factus; in monumento regio quod juxta villam esset in qua tum pater agebat, supra statuam regis posuit, ita ut capiti ejus aptaret, quod multi ominosum putarunt, & morti accommodum. Clarum autem eventus ostendit:* l. 4. Appian. *Aquilæ duæ superne demissæ argenteas signiferorum Cassii & Bruti aquilas insederunt, tundentes rostris, vel ut quidam ajunt, alis protegentes, permanseruntque in exercitu alentibus Imperatoribus ex publico, donec pridie quam pugnatum est avolarunt. Item aquilæ duæ pugnare cœperunt inter utramque aciem. Fugata est quæ a Bruto steterat.* Spartianus in *Albino*, *cum rarum esset aquilas in his locis videri, septem aquilæ parvulæ allatæ sunt de nidis ad cunas ejus convivio, cum ei fierent nomina.* Sueton. in *Vespas. Acie Bebriacensi duæ aquilæ certant, altera supervenit ab ortu quæ utramque vicit, Julii statua ad orientem sponte conversa.* Idem in *Domitiano*, *quo die Antonius cæsus, qui in Germania rebellarat in Domitianum, Domitiani statuam aquila alis circumplexa ingentes clangores edidit.* Plin. sub finem lib. 15. *Liviæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam, rostro tenentem laureum ramum onustum suis baccis.* Lactantius Firmianus Aquilam Jovi sacram esse ait, quia cum Juppiter ex insula Naxo contra Titanas pergeret, & sacrificium faceret in littore, ad eum aquila advolavit, & auspicium fuit, tum quia in capite Jovis considens ei regnum portendit. Procop. lib. 1. *Vandal. Gensericus videt aquilam Martiani militis Rom. bello capti caput cum in sole meridiano dormiret obumbrantem, imperium ei portendi interpretatur.* Cic. lib. 1. *Divinat.*

*Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles*
*Arboris e trunco serpentis saucia morsu,*
*Subjicit ipsa feris transfigens unguibus anguem,*
*Semianimum, & varia graviter cervice micantem,*
*Hanc ubi præpetibus pennis, lapsuque volantem,*
*Conspexit Marius divini numinis augur.*

De Aquilis quæ Bruti exercitum ad Philippos sequutæ, legendi Plutarchus in *Bruto*, & Dio in *Augusto*. Sueton. in *Galba* cap. 4. *Avo ejus fulgur procuranti, cum exta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum, sed serum Imperium portendi, familiæ responsum est.* Zonaras: *Marcianus Gregorius miles in Lycia morbo languens duorum fratrum Julii & Tatiani hospitio usus est. Ubi convaluit cum hospitibus venatum exiit, fatigati procumbunt humi, & obdormiscunt circa meridiem, ibi Tatianus cum evigilasset videt aquilam* διαπεπετασμέναις ταῖς πτέρυξι κατασκιάζοντα τὸν Μαρκιανὸν, καὶ τὸν ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος κωλύοντα καύσωνα: *alis expansis Marcianum obumbrantem, ut solis æstum defenderet, putat ei Imperium portendi.* Zonaras de Romano Lacapeno, qui cum Symeone Bulgaro colloquutus re infecta abit, ὃ καὶ δυὰς ἔδοξε δηλῶσαι ἀετῶν. φασὶ γὰρ ἄνωθεν ἀετῶν διαπτῆναι τούτους, καὶ ἀλλήλοις συμμῖξαι, καὶ εὐθὺς διαστῆναι ἀλλήλων, τοῦ μὲν ἐπὶ τὴν πόλιν ἀποπτάντος, τοῦ δ' ἐπὶ Θρᾴκην κινήσαντος τὸ πτερόν: *Quod & duæ aquilæ videntur significasse. Ajunt enim aquilas duas supra eorum capita volasse, & inter se garritum miscuisse, & statim a se invicem separatas esse, alia in urbem revolante, alia in Thraciam movente alias.* Plura alia de Aquilis in idem argumentum congerere possem, nisi hæc abunde esse existimarem.

---

## C A P. VI.

### *De Leucis, Pico, Bubonibus & aliis avibus Auguralibus.*

LEUCI e genere ardeolarum optimi sunt augurii, cum ad austrum volant, Septemtrionemve. Solvi enim pericula, & metus narrant, ait Plinius lib. 11. cap. 37. Arnob. lib. 2. *Quid in mundo faciunt bubones, immussuli, buteones?* Immussulum vulturis pullum Plinius lib. 10. cap. 8. esse ait. Buteones sunt de genere accipitrum, ibidem Plinius. Salisberiensis *Polycrat.* lib. 1. *ardea rerum arduarum auspicium est.* Plin. lib. 10. *Ardeola quam* λευκὸν πέλλον *vocant, si ad Austrum volat, aut Septentrionem auspicata.* Item Picus Martius, & Luscinia, lib. 10 cap. 2. *Milvi diri semper, inauspicatique fuere ominis*, Plin. lib. 10. cap. 13. Basilius *Homil.* 8. in *examer.* pag. 37. νυκτερίδες, γλαῦκες, καὶ νυκτικόρακες τῶν νυκτινόμων εἰσί: *noctuæ, nycticoraces, nocturnæ sunt aves.* Salisberiensis lib. 1. cap. 12. *Quid cornix loquatur diligenter ausculta, situmque ejus sedentis, aut volantis nullo modo contemnas; refert enim plurimum a dextris sit, an sinistris, qua positione respiciat cubitum gradientis. Loquax sit, an clamosa, an silens, omnino præcedat, an sequatur. Transeuntis exspectet adventum, an fugiat, quove discedat non negligenter attende.* Delphis palladium stabat aureum in palma ærea, donarium Atheniensium de manubiis Medicis, τοῦτο ἔκοπτον ἐφ' ἡμέρας πολλὰς προσπετόμενοι κόρακες, καὶ τὸν καρπὸν ὄντα χρυσοῦν τοῦ φοίνικος ἀπέτρωγον, καὶ κατέβαλλον: *hoc per multos dies advolantes corvi rostris adpetiverunt, & palmæ aureum fructum arrosum, dejecerunt*, ait Pausanias. *Milvi ex accipitrum genere, nihil esculenti rapiunt ex ferentium manibus, nisi lugubri municipiorum immolantium ostento.* Plin. lib. 10. cap. 10. Dio lib. 41. καὶ αὐτοῦ τὰ τῆς ἐκ στρατείας ποιοῦντος, ἴκτινος ἐν τῇ ἀγορᾷ κλώνιον δάφνης ἑνὶ τῶν συμπαρόντων οἱ ἐπέρριψε: *Cæsare expeditionem jam moliente milvus in foro frondem lauri in unum assistentium injecit, quod lætum.* Cornix *est inauspicatæ garrulitatis, a quibusdam tamen laudata*, ut Plin. lib. 10. cap. 12. Solitariæ occursus ominosus, nuptiis auspicatæ si duæ occurrerint, quia in eo genere mira concordia maris & fœminæ, unde accini solitum, ἐκκόρει κορὶ κορώνην, ut Ælian. lib. 3. *de Animalib.* Virgilius:

*Quod nisi me quacunque novas incidere lites*
*Sæpe sinistra cava monuisset ab ilice cornix.*

Sueton. in *Domitiano*: *Cornix in Capitolio loquuta dixit*, ἔσται πάντα καλῶς, *bene omnia habebunt*, paulo ante necem Domitiani. Martialis:

*Nuper Tarpejo quæ sedit culmine cornix,*
*Est bene, non potuit dicere, dixit, erit.*

De corvis Valer. Max. lib. 1. c. 4. *Tiberius Gracchus cum ad res novas pararetur, auspicia domi prima luce petiit: quæ illi perquam tristia responderunt. Nam janua egressus ita pedem offendit ut digitus ei decuteretur. Tres deinde corvi in eum adversum occinentes partem tegulæ decussam ante ipsum propulerunt. Cum Metellus Pontifex Max. Tusculanum peteret, corvi duo in os ejus adversum veluti iter impedientes advolaverunt, vixque extuderunt, ut domum rediret. Cicero cum in villa Cajetana esset corvus in conspectu ejus horologii, ferrum loco motum excussit, & protinus ad ipsum tetendit, ac laciniam togæ eo usque*

*morsu tenuit, donec servus ad occidendum eum milites venisse nuntiaret. Corvi in auspiciis soli videntur intellectum habere significationum suarum. Nam cum Mediæ hospites occisi sunt, omnes e Peloponneso, & Attica regione evolaverunt*, ut Plin. lib. 10. cap. 12. *Corvorum significatio pessima cum glutiunt vocem strangulati*. Aristotel. lib. 9. *Histor. Animal.* Ideo Corvus dicitur *Phœbejus oscen* ab Ausonio, quanquam Phurnutus negat corvum alitem esse Phœbi, quia niger est, sed Cygnum, quia candidus. Horat. Od. 23. lib. 3.

> *Oscinem corvum prece suscitabo*
> *Solis ab ortu.*

Livius lib. 24. Lavinii in æde Junonis Sospitæ corvos nidificasse ait, quod triste. Plautus:

> *Simul radebat pedibus terram, & voce crocitabat sua.*

Statius lib. 3. *Theb.*

> *Non comes obscurus tripodum.*

ubi Luctatius, *Apollo cum Coronidem gravidam fecisset, corvum ei custodem apposuit, nequis ad eam occulte temerator accederet. Cum hac Lycus occulte concubuit, quem Juppiter fulmine extinxit, ipsam Coronidem Apollo sagittis occidit, cujus mortuæ exsecto utero Æsculapium produxit in lucem*. Corvum autem ex albo nigrum fecit. Plutarch. in *Gracchis*, Tiberio egresso ex ædibus ὤφθησαν ὑπὲρ κεράμου μαχόμενοι κόρακες ἐν ἀριστερᾷ, καὶ πολλῶν ἀνθρώπων παρερχομένων, καὶ αὐτὸν Τιβέριον λίθος ἀπωσθεὶς ὑπὸ θατέρου τῶν κοράκων ἔπεσε παρὰ τὸν πόδα: *Visi sunt corvi pugnantes super imbrices ad lævam, & cum multi eum sepirent comitatu suo, lapis disjectus ab altero corvo ad pedes ejus cecidit*. Sidonius, *Oscines corvos voce triplicata puniceam auroræ surgentis faciem consalutantes*. Ælian. lib. 1. cap. 48. *Corvus sacer est Apollini, & famulus, ideoque divinandi vim habet*, & clangorem ejus spectant, qui avium sedes & voces dextra vel sinistra cognoscunt, τὸν κόρακα ὄρνιν φασὶν ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ ἀκόλουθον, καὶ μαντικοῖς συμβόλοις ἀγαθόν. Salisberiensis lib. 1. cap. 12. *Corvus usquequaque cornici præjudicat. Bubo funebris & maxime abominatus publicis præcipue auspiciis deserta incolit*. Plin. lib. 10. cap. 12. *In urbibus, aut omnino in luco visus dirum ostentum est. Capitolii cellam ipsam intravit, Sp. Papellio Istro, Lu. Pedanio Coss. propter quod urbs lustrata est Nonis Martiis eo anno*. 4. *Æneid.*

> *Solaque culminibus ferali carmine bubo.*

Horat. lib. *epod.* 7.

> *Mœstique cor bubonis.*

Quia non est cantu aliquo vocalis, sed gemitu, ut Plin. Ovid. lib. 10. *Metamorph.*

> *Funereus bubo ferali carmine dixit.*

Ammian. lib. 30. de morte Valentis, *apud Sabariam bubo culminibus regii lavacri considens, occentansque funebria, nulla, jacientium sagittas, & lapides, contemptibili dextera cadere potuit*. Plin. lib. 10. c. 13. *L. Cassio, C. Mario Coss. bubone viso urbs lustrata est*. Bubones, noctuæ, ululæ, γαμψώνυχες, unguibus curvis sunt inauspicatæ. Xiphilin. in *Augusto: Cumque senatus decrevisset ut publice supplicaretur propter ejus valetudinem, curia clausa reperta est, & βύας, bubo, qui super eam consederat cecinit*. Plutarch. in *Alexandro: Ad Ammonem eunti cum erraret agmen*, κόρακες ἐκφανέντες ὑπελάμβανον τὴν ἡγεμονίαν τῆς πορείας: *corvi se duces præbuerunt. Si agmen sequebatur, incitatis pennis præibant, si tardius incederet, operiebantur, si noctu aberraret, crocitando eos revocabant*: qui Apulejo est bubo, Luciano est κόραξ νυκτερινός. *Noctis monstrum* vocat Plinius. *Nycticorax* Symmacho est *Upupa*, Hieronymo *noctua*. Statius lib. 3. *Theb.*

> *Monstra volant, diræ stridunt in nocte volucres,*
> *Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo*
> *Damna canens.*

Ovid. lib. 5. *Metamorph.*

> *Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus,*
> *Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.*

Noctua Atheniensibus auspicata fuit: Pyrrho regi contra Argivos eunti hastæ insidens exitium significavit. Ælianus lib. 10. cap. 34. *de Animal.* & cap. 37. *Noctua inauspicata, ideo Minerva ardeam, seu herodium, non noctuam, ad Diomedem mittit, cum iret exploratum castra Græcorum*. Zozimus libro primo, γλαῦκες ἀπείρῳ πλήθει καταπτᾶσαι τὸ τεῖχος ἐπλήρωσαν: *muri priusquam ruerent, noctuæ innumeræ multitudine advolantes eos replerunt*. Statius lib. 3. *Thebaid.*

> *Non comes obscurus tripodum, non fulminis ardens*
> *Vector adest, flavæque sonans avis unca Minervæ.*

Homil. 17. in Numer. Origenes: *Pythonibus Dracones aliique serpentes ministrare dicuntur Auguribus & aliis qui ex incidentibus divinandi dicuntur captare auspicia, ut lupi fuerint omina, aut vulpes, aut accipitres, aut corvi, aut aquilæ quæ in lege Moysi sint immunda*. Salisberiensis lib. primo, *Polycrat. Noctua eo quod noctis tenebris non cæcatur diligentis hominis vigilantiam significat, ut in portento quo in hasta Hieronis, cum primum progrederetur ad bellum, noctua dicitur consedisse, significans eum fore diligentissimum*. Legatur Justinus, & Plutarchus in *Themistocle*. Themistocli γλαῦκα ὀφθῆναι διαπετομένην ἐπὶ τὰ δεξιὰ τῶν νεῶν, καὶ τοῖς καρχησίοις ἐπικαθίζουσαν: *noctuam visam volantem ad dextram classis, atque in antennis considentem*. Quod lætum, & auspicatum fuit. Eniber Picus in veteri glossa, ὄρνις πονηρὰ, *mala avis*. Plin. lib. 10. cap. 18. *Sunt & parvæ aves uncorum unguium, ut pici, Martio cognomine insignes, & in auspiciis magni. Ipsi principales Latio sunt in auguriis a rege qui nomen huic avi dedit. In capite prætoris urbani Lucii Tuberonis in foro jura pro tribunali reddentis sedit ita placide, ut manu prehenderetur. Responderunt vates exitium imperio portendi si dimitteretur, at si exanimaretur, prætori. Et ille avem protinus concerpsit*. Frontinus in *stratagemat*. hoc Cajo Lælio tribuit. Sanqualis dicitur ossifraga, eadem in commentariis auguralibus Saga, quia in Dei Sangi tutela est. Aquilam barbatam Thusci ossifragam vocant. Festus: *Oscines aves Appius Claudius esse ait, quæ ore canentes faciant auspicium, ut corvus, cornix, noctua, aut quæ alis, ac volatu, ut buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius*. Item, alites volatu auspicia facientes istæ putantur, buteo, sanqualis, immusculus, aquila, vulturius: vultur felix habitus, triduo ante, aut biduo volat, ubi cadavera futura sunt. Plin. lib. 10. cap. 6. Plautus in *Truculen. quasi volturii triduo prius prædivinant quo die esuri sient*. Origines lib. 4. in Celsum, καὶ δὲ τί σημεῖον καὶ Ἀπόλλων ἀγγέλῳ χρῆται ἱέρακι κίρκος Ἀπόλλωνος λέγεται εἶναι ταχὺς ἄγγελος: *secundum signum Apollo nuntio vulture utitur. Circus dicitur Apollinis esse celer nuntius*. Herodotus lib. 3. auctor est septem ἴρηκας, *accipitres* persecutos esse septem αἰγυπιοὺς, *vulturios*, cum septem Persæ duos Magos occiderunt. Dio lib. 46. *Augustus Cæsar prima comitiorum die in campum Martium progressus sex vultures, ac postea concionem habens ad milites alios duodecim vidit*, πρός τε γὰρ τὸν Ῥωμύλον, καὶ πρὸς τὸ οἰώνισμα τὸ ἐκείνῳ γενόμενον ἀναφέρων καὶ τὴν μοναρχίαν αὐτοῦ λήψεσθαι προσεδόκησεν; *cum enim id referrent ad Romu-*

*Romulum & auspicium quod ei factum erat, Monarchiam ac imperium Romuli spe præcepit.* Salisberiensis lib. 1. *Vultures difficultatem portant, duritiem, rapacitatem, sicut habes in origine urbis condendæ.* Circus felix. Plinius lib. 10. cap. 8. *Circus claudus altero pede prosperrimi auspicii nuptialibus negotiis, & pecuniariæ rei.* Parræ diri semper, inauspicatique fuere ominis. Horat. Od. 27. lib. 3. A

*Impios parræ recinentis omen ducat.*

Festus voce *oscines*: *Picus autem Martius, Feroniusque, & parra, & in oscinibus, & in alitibus habentur.* Horat. Od. 27. lib. 3.

B

*Teque nec lævus vetet ire picus,*
*Nec vaga cornix.*

Plutarch. in *Cicerone*: *Agmen corvorum crocitantium ad navem Ciceronis, dum remis terræ appellitur, volavit,* ὑπὸ κλαγγῆς προσεφέροντο τῷ πλοίῳ ἐπὶ γῆν ἐρεσσομένῳ: *qui consederant utrimque in antennæ cornibus crocitantes, & capita funium* τὰς τῶν μηρυμάτων ἀρχὰς *tundentes, quod ostentum dirum cum esset, in villa corvus in grabatum demisit se, togamque qua opertus erat Cicero, paulatim rostro a facie detraxit.* Plin. lib. 10. cap. 7. *Sanqualem avem atque immussulum Augures Romani in magna quæstione habent. Immussulum aliqui vulturis pullum arbitrantur esse, & sanqualem ossifragæ. Massarius sanqualem ossifragam esse dicit, immussulum pullum aquilæ prius quam albicet cauda.* Livius lib. 4. *Avem sanqualem quam vocant, saccum, lapidem arrosisse.* Plutarch. *Romulo*: καὶ τὸν Ἡρακλέα χαίρειν γυπὸς ἐπὶ πράξει φανέντος: *Herculem gavisum viso vulture in re agenda,* quia nec satis, nec plantis, aut pecori noxius est: cadaveribus vescitur, nihil quod vivat perimit. Volucribus etiam mortuis abstinet. Florus cap. 1. lib. 1. *Uter auspicaretur, & regeret, adhibere placuit Deos. Remus montem Aventinum, hic palatinum occupavit: prior ille sex vultures, hic postea, sed duodecim vidit. Sic victor augurio urbem excitat plenus spei bellatricem fore. Ita illi assuetæ sanguini, & prædæ aves pollicebantur.* Id ipsum Dionysius, Livius, Plutarchus, Aurelius Victor commemorant, sex vultures pariter volantes a sinistra Remo prius visos. Lucanus: C D

*Vulturis ut primum lævo fundata volatu*
*Roma.*

Statius lib. 3. *Thebaid.*
*Non venit auguriis melior quam vultur.*

Sueton. *Augusto* cap. 95. *Primo consulatu ei augurium capienti duodecim se vultures ut Romulo ostenderunt.* Plutarch. *Mario*, γῦπες ἐφαίνοντο πρὸ τῶν κατορθωμάτων ἀεὶ περὶ τὰς στρατείας: *duo Vultures Mario ante victoriam ostendebant se,* comitabanturque agmen ex æneis collaribus noti quos milites addiderant. Eos milites salutabant, ut lætum ostentum. Ausonius: E

*Si confers fulicas cygnis & aedona parræ.*

Plutarch. *Romaicis*, διὰ τί γυψὶ χρῶνται μάλιστα πρὸς τὰς οἰωνισμούς; *Cur Romani vulturibus utuntur maxime ad auspicia?* Hirundo nidificans in Alexandri tabernaculo, qui Pyrrhi Epirotarum Regis filius fuit, inauspicata, ut & Antiocho in ejus ædibus nidum construens cum in Medos pergeret, ubi re male gesta e loco superiore se præcipitavit. Dionysio tamen arcem relinquenti Hirundines quæ in ea nidificarant, simul avolantes reditum præmonstrarunt. Ælian. libro 10. *de Animalib.* cap. 34. Dio in *Augusto* pagina 289. χελιδόνες τε περὶ τὴν σκηνὴν Κλεοπάτρας ἐνεόττευσαν: *Hirundines circa tabernaculum Cleopatræ nidificarunt.* Accipiter inominatus est. Statius libro 3. *Thebaid.* F

—— *Et altis*
*Desuper accipitres exultavere rapinis,*
*Monstra volant.*

Varro lib. 4. *ling. Latin.* Titias aves in auguriis certis Titios sodales observare solitos ait. Vetus interpres Persii ad hæc verba,

*Ingentes trepidare Titos,*

a Titiis avibus *Titos* dici ait. Cicero lib. 1. *Divinat. Platoni cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent responsum est, singulari illum suavitate orationis fore.* Apum examen male ominatum fuit. *Apum examen insedit,* καὶ μελισσῶν ἑσμὸς ἐπὶ τοῖς βωμοῖς ἐκάθισε ζῴου νωχελοῦς, *altaribus* Pompeii ante prœlium, *quod genus animalculi per se tardum est, & pigrum,* ait Appianus lib. 2. *Civil.* Juvenal. satyr. 13.

*Examenque apium longa consederat uva*
*Culmine delubri.*

Virgil. 7. *Æneid.* de lauro Latini:

*Hujus apes summum densæ, mirabile dictu,*
*Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ*
*Obsedere apicem, & pedibus per mutua nexis*
*Examen subitum ramo frondente pependit.*

Hirundines item inauspicatæ fuere. Plutarchus in *Antonio*, ἡ δὲ Κλεοπάτρας ναυαρχὶς ἐκαλεῖτο μὲν Ἀντωνιάς, σημεῖον δὲ περὶ αὐτὴν δεινὸν ἐφάνη. χελιδόνες γὰρ ὑπὸ τὴν πρύμναν ἐνεόττευσαν, ἕτεραι δὲ ἐπελθοῦσαι, καὶ ταύτας ἐξήλασαν, καὶ τὰ νεόττια διέφθειραν: *Cleopatræ navis prætoria dicebatur Antonias, ad quam dirum omen extitit. Hirundines enim sub puppe nidos fecere, aliæ adventantes has ejecerunt, & nidos perdiderunt.* Plutarchus in *Dione*: τὸ δὲ τῶν μελισσῶν αἱ περὶ τὰ πλοῖα τοῦ Δίωνος ὤφθησαν, ἑσμὸν λαμβάνουσαι κατὰ πρύμναν: *Apum ostentum, quarum in Dionis navigiis conspexerunt ad puppim examen consedisse.* Miltas vates timere se dixit, ne res ejus gestæ cum floruissent, paulisper emarcescerent: in *Bruto*, *Apum examina glomerata intra vallum visa, quem locum* οἱ μάντεις ἐξέκλεισαν, *Aruspices excluserunt,* ἀφοσιούμενοι τὴν δεισιδαιμονίαν. Clemens Alexandrin. libro 7. *stromat.* ἀλεκτρύων τρεφόμενος ἐὰν ἀπὸ ἑσπέρας ᾄσῃ, τιθέμενοι τοῦτο σημεῖόν τινος: *Gallus altilis si vespere cecinerit, signum id esse rei alicujus statuentes.* Sueton. in *Vitellio*, *Gallinaceus supra humerum, ac deinde in capite Vitellii astitit infaustum.* Plutarchus in *Bruto*. μελισσῶν τὸν πρῶτον ἀετὸν ἀνάπλεων γενέσθαι: *primam aquilam Bruti apibus obtectam fuisse.* Cicer. 1. *Divin.* examen apum in juba equi Dionysii, lætum. In Ariminensi agro in villa Galerii Gallus gallinaceus semel loquutus, Plin. libro 10. cap. 21. Galli cantus spem, iter, vel opus inchoatum promovet, ut Salisberiens. libro 1. *Polycrat.* Plinius, *habent ostenta & præposteri eorum cantus, & vespertini. Namque totis noctibus canendo Bœotiis nobilem illam adversus Lacedæmonios præsagivere victoriam, ita conjecta interpretatione, quoniam victa ales non caneret.* Cicer. libro 1. *de Divinat.* & Plin. libro 10. cap. 21. Attagen cum pestis grassaretur in Ægypto τρανώτατα, disertissime dixit, τρὶς τοῖς κακηργοῖς τὰ κακά, *ter maleficis mala.* Ciconia fuit in auspiciis. Procop. *Vandal.* 1. Salisberiens. libro 1. *Polycrat.* Ciconia quoniam avis concordiæ est, aut concordiam invenit, aut concordiam facit: cum Aquilejæ Attila obsidionem solvere vellet, animadvertit diluculo Ciconiam quæ in turre nidificarat nidos humeris imponentem, & avolantem: bene sperat, turris ubi nidus erat, sponte delapsa, urbs capta. Striges ominosæ. Seneca in *Medea*:

*Mœstique cor bubonis, & raucæ strigis.*

Horat. *epod.* 5.

*Et uncta turpis ova ranæ sanguine,*
*Plumamque nocturnæ strigis.*

Plin. lib. 11. cap. 39. *esse in maledictis jam antiquis strigem convenit, sed quæ sit avium, constare non arbitror.* Propertius lib.3.

*Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ.*

Statius lib.3. *Thebaid.*

*Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo*
*Damna canens.*

Strigas læstrigones esse ait Schol. Horatii quia pueros vorant. Quint. Serenus:

*Præterea si forte rapit Strix atra puellos*
*Virosa immulgens exertis ubera labris.*

Vide Festum in verbo *Strix.* Seneca in *Hercule furente*:

*Omenque triste resonat infaustæ strigis.*

Ovid.6. *Fastor.*

*Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinis,*
*Canicies pennis, unguibus hamus inest.*
*Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,*
*Et vitiant cunis corpora rapta suis.*
*Carpere dicuntur lactentia corpora rostris,*
*Et plenum poto sanguine guttur habent.*
*Est illis strigibus nomen, sed nominis hujus*
*Causa, quod horrenda stridere nocte solent.*

Caprimulgus esse videtur, quem Græci *αἰγοθήλαν* vocant. *στρίγξ, κέρχνη, κερχνηΐς*, pro eadem ave, quam cuculi magnitudine resupinam volare ajunt, putantque sagas in has aves se induere. Cygnus est auspicatus: vetus Poeta apud Isidorum lib. 12. *Orig.*

*Cygnus in auspiciis semper lætissimus ales,*
*Hunc optant nautæ, quia nunquam mergitur undis.*

Virgil. lib.1. *Æneid.*

*Aspice bis senos lætantes aere cygnos.*

Eorum hilaritas non modo nautis, sed & quibusque peregrinantibus felicium eventuum gratiam spondet, nisi fortioris superetur adventu. Salisberiensis lib.1. apud Statium lib.3. *Thebaid.*

*Innumeri statuerunt agmina cygni,*
*Septem ordine fulvo*
*Armigeras summi Jovis exultante caterva*
*Dilacerant.*

Phœnix singularis felicitatis successum pollicetur, quale est, quod nova Roma visa Phœnice melioribus auspiciis condita est. Joan. Salisber. lib.1. *Polycrat.* Grus semper affert quod expedit: unde *gruere* verbum antiquum, a quo *congruere*. Ibidem, *Pica ad successionem hospitum te facit cautiorem, si avis quæ vulgo vocatur albanellus prætervolans viam, a sinistris feratur ad dexteram, de hospitii hilaritate ne dubites.* Ibidem, *Si accipiter quodpiamve generis hujus sub oculis proficiscentis solitam rapinam exerceat, inter eundum rapacitas imminebit. Regulus quoque & ipse qui & bitriscus dicitur, vera quandoque portendere non dedignatur. Minutæ etiam aves adventu suo, vel recessu significant familiam nunc augeri, nunc minui, omnium vero volatus quanto superior, tanto laudabilior est. Unde Melampus augur conqueritur stragem Græcam conjiciens ex volatu:*

*Vides ut nulla serenos*
*Ales agat cursus.*

ait Salisberiensis lib.1.

---

## CAP. VII.

*De Nationibus, & Viris Augurandi peritis.*

ZENO Veronensis Augurem his verbis designavit, qui per varios avium volatus conjecturis A inanibus statum plumeæ salutis inquirit. Sophocl. in *Oed. tyran.* *ὁ πάντα νωμῶν Τειρεσία διδακτά τε, ἄῤῥητά τ᾽, οὐράνιά τε, καὶ χθονοστιβῆ*, & ab avibus scientiam vocat *ἀπ᾽ οἰωνῶν φάτιν*. Idem *οἰωνοθέταν* augurem, *ὁ τὰς πτήσεις τῶν οἰωνῶν διατιθείς*: *O Tiresia qui omnia versas quæ doceri, aut taceri debent, cælestiaque, & terrestria. Idem Oeonotheten vocat qui volatus avium disponat augurem. Cilicum autem, & Pisidarum gens, & his finitima Pamphylia volatibus avium, cantibusque certissimis signis res futuras declarari putant*, ait Cicero libro 1. *Divinat.* Dionysius Halicar. libro 3. *οἰωνοσκοπίαν τυῤῥηνικὴν*, *auspicandi artem* Hetruscorum comme- B morat. Pater Attium Navium tradidit Hetruscorum doctissimo, *τὴν οἰωνοσκοπικὴν τέχνην διδαχθησόμενον*, *ut auguralem artem disceret.* In exercitu Alexandri fuere augures. Cum enim Alexandriæ condendæ locus caperetur & creta designandis spatiis deesset, *τῶν ἀλφίτων λαμβάνοντες ἐν μελαγγείῳ κυκλοτερῆ κόλπον ἦγον*: *farina in solio nigro sinum orbiculatum duxerunt*: advolantes aves ne tantillum quidem polentæ reliquerunt, *τῶν μάντεων παραινούντων πολυαρκεστάτην οἰκίζεσθαι πόλιν*: *auguribus animos addentibus, urbem fore copiosam, multarumque gentium alumnam.* Plutarchus in *A-* C *lexandro.* In Annalibus Bojorum libro 5. Bavari ex Turturibus auspicabantur, Romani etiam ex Passerculis, ut Plutarchus in *Sylla.* Pythagoras augur fuit apud Diogenem Laertium. Deiotarus nihil nisi auspicato gessit, qui cum ex itinere quodam proposito, & jam constituto revertisset, aquilæ admonitus volatu, conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Auspicia nunc a Romanis auguribus ignorantur, a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur, ait Cicero. Lampridius, *Alexander Severus ὀρνεοσκόπος magnus, ut & Vascones, & Hispanorum, & Pannoniorum augures vicerit.* Proco- D pius *Gotthico.* primo, Hirlandos, seu Varnos augurandi peritos facit *Hermegelisus inter Germaniam & Angliam Rex Varnorum, avem ex arbore canentem, crocitantemque cum audisset, sibi mortem in quadragesimum diem denuntiari intellexit.* Marsi augures fuere. Ennius, *Non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos aruspices, non de circo Astrologos, non Isiacos conjectores, non interpretes somnium, non enim sunt ii, aut arte divini, aut scientia, sed superstitiosi vates, &c.* libro primo *de Divinat.* Cicer. Amphilochus, & Mopsus Argivorum Reges fuerunt, sed iidem augures. Apud Veteres qui rerum potiebantur, E iidem auguria tenebant: Phryges, Pisidæ, & Cilices, & Arabum natio, avium significationibus plurimum obtemperat: quod idem factitatum in Umbria accepimus. De Attio Navio augure legendus Livius libro primo, Cicero libro primo *Divinat.* item de Augurio Romuli & Remi, quorum hic sex vultures, ille duodecim se vidisse confirmavit. Attius, *nihil credo auguribus qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domos.* Salisberiens. libro primo cap. 12. *Augurium quod est in avium observatione Phryges invenisse traduntur, quod in voce proditum, aut volatu.* Scholiastes Gregorii Nazianzeni Ste- F liteutico in Julianum, ait Velegonum primum auspicia reperisse ave volante in antica, aut postica, quod a nobis supra pluribus ostensum est. Plinius libro septimo cap. 55. Auguria ex avibus Car invenit, a quo Caria appellata, adjecit ex cæteris animalibus Orpheus. Auspicia avium Tiresias Thebanus. Nonnulli ab Apolline volunt Auguralem artem repertam, quare & Apollo augur ab Horatio vocatur, & ad ædem Portumni Apollo cœlispex positus in undecima regione urbis, ut Publius Victor in urbis descriptione Porphyrius

cum audisset hirundinem cum multis vociferantem, sodalibus suis dixisse, eam avem cæteris indicare asellum frumento onustum ante urbem cecidisse, frumentumque humi fusum esse. Eunapius passerem fuisse ait, non hirundinem. Ipsi Imperatores auguralis disciplinæ fuere studiosi. Lampridius in *Alex. Severo*: *Matheseos peritus fuit, & ita quidem ut ex ejus jussu Mathematici publice proposuerint Romæ, ac sint professi ut docerent*. Aruspicinæ quoque peritissimus fuit, ὀρνεοσκόπος magnus. Spartianus in *Severo* Pannonios augures commemorat. Porphyrius lib.3. περὶ ἀποχῆς scribit quasdam gentes cognationem quandam habuisse cum certis avibus, quarum auspiciis regerentur, cum illarum cantus intelligerent, ut aquilarum Hetrusci, corvorum Arabes.

---

## CAP. VIII.

### *Quid sit* Ὄρνις *Græcis?*

ARISTOPHANES in *Avibus* quasdam aves μαντικὰς vocat: σὺ δὲ τὰ πτερὰ πρῶτον διάθες, τά τε κόσμῳ, τά τε μουσικὰ ὁμοῦ, τά τε μαντικὰ, καὶ τὰ θαλάσσια: *Tu autem dispone ordine has pennas musicarum avium, divinatricum, & marinarum*. Ubi Scholiastes, μαντικὰ δὲ κοράκων, καὶ ἀετῶν, καὶ τῶν λοιπῶν ὅσοις οἰωνίζεται: *Aves divinaculæ, corvi, aquilæ, & aliæ, quibus augurantur*. Idem, ὄρνιν τε νομίζετε πάνθ' ὅσαπερ περὶ μαντείας διακρίνει. φήμη γὰρ ὑμῖν ὄρνις ἐστὶ, πταρμόντε ὄρνιθα καλεῖτε, ξύμβολον ὄρνιν, φωνὴν ὄρνιν, θεράποντα ὄρνιν, ὄνον ὄρνιν. Ubi Scholiastes, οἰωνοὺς καλοῦσι καὶ τὰ μὴ ὄρνεα. *Existimatis aves, & auguria, omnia quæ de divinatione discernunt: omen vobis est avis, sternutamentum avem dicitis, servum, & asinum avem*. Scholiastes, *Aves vocant etiam, quæ non sunt aves*. Item, πᾶν σύμβολον ἐκφοβητικὸν, ἢ προτρεπτικὸν λέγεται ὄρνις: *Omne signum, quod probibet, aut incitat, dicitur avis*. Aristophanes in *Avibus*: ἐσμὲν δ' ὑμῖν δαίμων, Δελφοὶ, Δωδώνη, Φοῖβος, Ἀπόλλων· ἐλθόντες γὰρ πρῶτον ἐπ' ὄρνεις οὕτω πρὸς ἅπαντα τρέπεσθε. πρὸς ἐμπορίαν καὶ πρὸς γάμον ἀνδρός. Irridet Atheniensium superstitionem Aristophanes, apud quem aves dicunt, *Vobis sumus genius, Delphi, Dodona, Phœbus, Apollo: non enim ante ad opus acceditis, quam aves consulueritis. Ita mercaturam, & nuptias auspicamini*. Pro voce δαίμων melius legeretur ἄμμων, quia oracula numerat. Apud Demosthenem in orat. de legatione, εἰς ὄρνεις εἰσιέναι, *Ad aves accedere*, id est, ad oracula, aut vates.

---

## CAP. IX.

### *De vocibus Auguralibus.*

MULTÆ fuere voces Auguribus propriæ, *Avem canere*, vel *occinere* dicebant, quæ cantu daret auspicium: Livius libro 6. *Avem* ait *malum occinere*. *Avis monitus* Lucano libro 1.

*Et monitus errantis in aere pennæ.*

*Spicere*, *videre*, verba sunt Augurum. Cicero lib.2. *de Legibus*: *Interpretes autem Jovis optimi maximi, publici Augures signis, & auspiciis postea vidento, disciplinam tenento*. *Spicere* est videre, unde *Auspices* primum dicti, quia e volatu tantum per initia, non item e garritu avium auspicabantur. Plutarchus *Romaic*. cap. 72. τῶν ἐπ' οἰωνοῖς ἱερέων οὓς αὐσπικας πρότερον, νῦν δὲ αὔγουρας καλοῦσι. Consulere aves dicebantur Augures. Festus, *Admissivæ aves dicuntur ab Auguribus, quæ consulem juberent*. Symmachus libro 3. epist. 44. *In verba prisca redeamus, quibus & Salii canunt, & Augures avem consulunt*. Ovidius lib.1. *Fastor*.

*Et primus visam consulit Augur avem.*

Plinius *Panegyr*. *Cæteros Principes, aut largus cruor hostiarum, aut sinister volatus avium consulentibus nunciavit*. Ita & aves dicebantur consulere auspicanti, Cicero lib.1. *Divinat*. *Sibique eas aves, quibus auctoribus officium, & fidem sequutus esset bene consuluisse*. Item, *Avium voces interrogare*. Tacitus lib. de moribus Germanor. *Avium voces, volatusque interrogare*. *Aves suspicere*. Ammianus Marcellinus lib.22. *Julianus exta rimabatur assidue, avesque suspiciens præscire festinabat accidentium finem, sed responsis ambiguis, & obscuris hærebat futurorum incertus*. *Augurium accipere*. Livius lib.7. *Silentium*, *Templa*, *Tesca*, *auguralia verba fuere*. Item, *Nunciare*, *obnunciare*, *servare*. *Addicunt*, *abdicunt aves*, ut Cicero lib.1. *Divinat*. *Augurium aliud impetritum fuit, quod necessario agnoscendum; aliud oblatum, quod accipi, agnoscique poterat, vel repudiari*. Servius ad lib. 6. *Æneid*. *Auguria aut oblativa sunt, quæ non poscuntur; aut impetrativa, quæ optata veniunt*. Deinde ad hæc verba,

*Este duces, o, si qua via est.*

*Jam ex hoc loco incipit esse impetritum, quod fuerat oblativum.*

*Alio die*, verbum augurale est, cum res suscepta dirimeretur. *Philippic*. 2. Cicero: *Confecto negotio bonus augur, Lælium diceres, alio die, inquit*. Lib. 2. *de Legibus*, *Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus Augur, alio die, dixerit*. Livius lib. 8. *Nec quemquam mortalium extare, qui se vidisse, aut audivisse quid dicat, quod auspicium dirimeret*. Donatus ad hæc verba Prologi *Hecyræ*, *Vitium, & calamitas*.) *Bene*, ait, *secundum Augures, vitium enim est, si tonet tantum; vitium, & calamitas, si tonet, & grandinet simul, & etiam fulminet*. Liv. lib.23. *Augures vitio creatum videri pronunciarunt*. *Addicere* verbum fuit augurale. Seneca lib. *de brevitate vitæ*, *Quod Remo auspicante, illo loco aves non addixissent*. Liv. lib.27. *Aves semel, atque iterum non addixerunt*. *Ratum facere*, verbum item Augurum. Lib. 1. *de Divinat*. *Quid augur habeat, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum*. Augurum verba solennia Varro lib.5. *de lingua Latina*, *Jovis pater, si mihi es auctor urbi, populoque Romano Quiritium, hæc sane, sarteque esse, uti tu nunc mihi bene sponsis beneque volueris*. Idem lib. 3. *de ling. Latin*. *Effata dicuntur, quod Augures finem auspiciorum cælestium extra urbem agris sunt effati*. Hinc *effari* templa dicuntur ab Auguribus, *adfatus* cum in his fines fiunt. Liv. lib.10. *Sed fanum tantum, id est, locus templo effatus, jam sacratus fuerat*. Paulus, *Auspicium ab ave spicienda. Nam quod nos cum præpositione dicimus* Auspicio, *apud Veteres sine præpositione* Spicio *dicebatur*. Servius ad hæc lib.3. *Æneid*. *Tertia lux*, *Hoc idem*, ait, *juxta auguralem speciem positum tradunt, quæ appellatur conditio, id est, denunciatio, ut ante diem certum quis ad inaugurandum adsit*. Varro lib.5. *de ling. Lat.* supremum augurii tempus, *Tempestatem* in Augurum libris vocari scribit. Servius ad illa verba,

*—— nec maximus omen Abnuit,*

*Nam secundum Augurum disciplinam tunc arbitrii est, visa omnino vel improbare, vel recipere, cum sunt oblativa*. Idem ad hæc lib.3. *Æneid*.

*Templa Dei saxo,*

*Hoc juxta augurii genus, quod* stativum *dicitur, retulit,*

*in quo consideratur, quo in loco auguria peragi debeant.* Pacuvius, *Repudio auspicium, regrediendum est ilico.* Plinius lib.28. cap.2. *In Augurum certe disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes observare se ea negaverint.* Impetritum describitur a Statio lib.3. *Thebaid.*

*Huc gemini vates sanctam canentis olivæ*
*Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis*
*Evadunt pariter, madidos ubi lucidus agros*
*Ortus, & algentes laxavit Sole pruinas.*
*Ac prior Aetides solita prece numen amicat.*
*Postquam rite diu partiti sidera cunctas*
*Perlegere animis, oculisque sequacibus auras,*
*Tunc Amythaonius longo post tempore vates,*
*Nonne sub excelso spirantis lumine cæli,*
*Amphiarae, vides cursus ut nulla serenos*
*Ales agat, liquidoque polum complexa meatu*
*Pendeat, aut fugiens placabile plauserit omen?*

*Inaugurari, exaugurari*, voces augurales. Varro lib. 4. *de ling. Latin.* Suetonius in *Caligula*, cap. 12. Caducum auspicium, cum inter sacrificandum aliquid cadit, Festo. De spectione Festus, *Spectio in auguralibus ponitur pro aspectione, & nuntiatio, quia omne jus sacrorum habent. Auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent Magistratus, non ut possent impedire nunciando, quæ cum vidissent satis, spectio sine nunciatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nunciando.* Scaliger hunc locum ita restituit, *Spectio, & nunciatio data erat iis Magistratibus, qui omne jus auspiciorum haberent, Auguribus spectio dumtaxat, quorum consilio rem gererent Magistratus, non ut possent impedire nunciando quæcumque vidissent: at iis spectio sine nunciatione data est.* Duplex enim nunciatio fuit: Nunciatio augurii, quam habet solum, cui spectio est: Nunciatio avocandæ concionis, seu obnunciatio, quam solus habet, qui omne jus auspiciorum habet, hoc est, major Magistratus. Cicero *Philippic.2.* Augures habent tantum nunciationem. Consules habent spectionem, quam & Augures, & obnunciationem, quam Augures non habent. Lib.1. *de Divinat. Non in eo est culpa, qui obnunciavit;* (lego, *nunciavit*) *sed in eo, qui non paruit.* Aliæ sunt voces, ut *Tabernaculum vitio capere, Auguraculum, Pomœrium*, & cætera, de quibus infra. Luctatius ad hæc verba Statii lib.8. *Thebaid.*

*—— & Elysias dedit inservare volucres.*

*Proprio usus est augurii verbo, quod dum capiunt auguria, dicuntur cœlum servare.* Lucanus.

*Nec cælum servare.*

Dicunt item *servare* simpliciter, & *de cælo servare*. Augurum certe, & Magistratuum auspicia diversa fuere. Augures auspicabantur, ut ex quibusdam signis vel probarent aliquid, vel improbarent. Magistratus in comitiis auspicabantur, ut vetarent, ut Cicero lib. 1. *de Divinat.* item lib. 2. *de Legib.* Appianus lib. 2. & 3. Deinde Augures nunciationem solam habebant sine spectione, Magistratus utramque. Augures necessario adhibebantur, Magistratus, nisi cum vellent, non auspicabantur. Augures nunciabant vel institutis comitiis, vel jam habitis, vel futuris; Magistratus futuris tantum. Augures nunciabant, cum auspicati essent, Magistratus & post auspicium, & ante. In ferenda lege curiata tres Augures auspicabantur, in comitiis Magistratuum unus tantum. Magistratus autem vel unus, qui de cælo servaret, comitia impedire poterat. Immo & si auguralis scientiæ rudis esset, Magistratus solo auspicio vetare potuit. Cicero pro domo sua, *Negant Augures fas esse agi cum populo, cum de cælo servatur.* Ipsa igitur actio, non ea, quæ agentes vidissent, impediendi vim habebat. *Philippic.2. Confecto negotio bonus Augur alio die, inquit. o impudentiam singularem! Quid videras, quid senseras, quid audieras? Nec enim te de cælo servasse dixisti, neque hodie dicis.* Pro Sextio, *Victa est Reipublicæ causa, non auspiciis, non intercessione, non suffragiis, sed vi, manu, ferro. Cum Reipublicæ causam suscepisset, cumque auspiciis, religionique parens obnunciaret quod senserat.* In Vatinium, *quem post urbem conditam scis Tribunum plebis egisse cum plebe, cum constaret servatum esse de cælo?* Dio lib.39. legendus. Cicero lib.2. ad Atticum, *Bibulus de cælo servasset, necne, sibi quærendum non fuisse.* Lib. 4. epist. 3. *Proscripsit se per omnes dies de cælo servaturum.* Philippic. 2. *Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi quis de cælo servare constituerit? Quod neque licet comitiis per leges, & si quis servavit, non habitis comitiis, sed priusquam habeantur, debet nunciare. Quia autem Tribuni plebis legibus interdum neglectis comitia impedire cupientes, de cælo servabant.* Ut epist. 3. lib 4. ad Atticum, *Ideo Consules in edicto, quo significabant, quis comitiis centuriatis dies futurus esset, hoc addebant ex vetere formula, ne quis Magistratus minor de cælo servasse vellet*, ut docet Gellius lib. 13. Cicero *Philippic. 2. Nos enim* (Augures) *nunciationem solam habemus, Consules, & reliqui Magistratus etiam & spectionem.* Varro apud Nonium, *Eo die cis Tiberim redeundum est, quod de cælo auspicari jus sit nemini præter Magistratum.* Cicero lib.2. *de Divinat.* de Magistratibus loquens, *De cælo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur. Nunc imperat pullario, ille renunciat.* Extra urbem Proconsules, & Proprætores non auspicantur, quia auspicia non habent. Dejotarus auspiciis semper utebatur, ait Cicero, *Nos nisi cum a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur.* Lib.2. *de Divinat. Auspicia, quibus utimur, sive tripudio, sive de cælo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. Q. Fabi, te volo mihi in auspicio esse. Volo, respondet, audivi hæc. Apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit intelligat. Id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere perfecti Auguris est. Ille autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur, dicito, si silentium esse videtur, nec suspicit, nec circumspicit; statim respondet, silentium esse videri.* Dio lib. 39. προεπήγγελον, ὡς καὶ ἐκ τοῦ ἀρχαίου [illegible] ἐκείνῳ μαντευσάμενοι. Cicero lib. 2. *de Legib. Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, unus si Augur alio die dixerit?* Lib.4. ad Atticum, epist. ultim. *Ostendit, cum lex curiata ferretur, tres Augures adhibendos fuisse.* Cæterum Augures, qui in collegium asciti erant, publicos dictos esse ostendit vetus inscriptio: *M. Mæcio Memmio, Furio Balburio, Cæciliano Placido clariss. V. Pontif. majori Auguri publico, P. R. Quiritium, quindecim viro sacris faciundis, Correctori Venetiarum, & Istriæ, Præfecto annonæ urbis sacræ cum jure gladii, comiti ordinis primi, comiti Orientis, Ægypti, & Mesopotamiæ, Judici sacrarum cognitionum, tertio Judici iterum ex delegationibus sacris, Præfecto prætorio, & Judici tertio Consuli ordinario, patrono præstantissimo regio Palatina posuit.* Augures cum augurarentur, capite velato fuisse ostendit Livius lib. 1. *Augur ad lævam ejus capite velato sedem capit.* Qui autem omina, vel auspicia captabant, non continuo, si ostentum dextrum fuisset, aut semel aves addixissent, acquiescebant, nisi accideret secundum aliquid, quo primum firmaretur. Virgilius,

*Adsis o tandem & propius tua numina firma.*

Lego,

*Adſis o tandem propius, tuaque omina firma.*

Ita poſt repentem flammam quæ Juli comas corripuerat Anchiſes dixit,

*Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.*

Mox ſubjicit,

*Intonuit lævum, & de cælo lapſa per umbras*
*Stella facem ducens*, &c.

Sic oſtentum Mario datum apud Ciceronem aquilæ pullis ſeptem repertis tonitru firmatum eſt:

*Sic aquilæ clarum firmavit Juppiter omen.*

Statius:

*Aſſiſtas operi, tuaque omina firmes.*

Ita & omen dormienti Æneæ a Tiberino datum firmatum eſt inventa ſue triginta capitum fœtus enixa. Sed tamen cuicuimodi tandem ſint auguria, veteres patres ea merito irrident. Minutius in *Octavio*: *Aſſyrii, Medii, & Perſæ regna tenuerunt, cum augures non haberent, nec pullos cavea recluſos, quorum cibo vel faſtidio res ſumma gereretur. Clodius ſcilicet & Flaminius & Junius ideo exercitus perdiderunt, quod pullorum tripudium ſoliſtimum non expectandum putaverunt. Quid Regulus? Nonne auguria ſervavit, & captus eſt? Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt, & deditus? Pullos edaces habuit & Paulus, apud Cannas, tamen cum majore Pop. Romani parte proſtratus eſt.* Veteres omnes prophani auguriis plurimum arrogant. Cicero lib.2 *de Divinatione, omni ſupplicio digni Clodius & Junius Coſ. qui contra auſpicia navigarunt. Parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Flaminius non paruit auſpiciis, ideoque periit cum exercitu.* Apud Barbaros etiam ſua auguria fuere.

## CAP. X.

### *De Augurii & Ominis vocibus.*

AUGURIUM & *Auguſtum* Suetonius ab avium geſtu, guſtatu, garrituve, dici vult: Feſtus, *aves ab adventu earum dicuntur, quod inde veniant unde quis non ſuſpicetur.* Auguſtus *locus ſanctus ab avium geſtu, quia ab avibus ſignificatus eſt, ſic dictus, ſive ab avium guſtatu, quia aves paſtæ id ratum fecere.* Servius ad hæc lib.3. *Da Pater Augurium.) Augurium*, inquit, *eſt exquiſita Deorum voluntas per conſulitionem avium aut ſignorum, quod tunc peti debet, cum id quod animo agitamus per augurium a Diis volumus impetratum, ut in hoc loco Aeneas poſtquam omnia quæ volvebat animo, petiit*, ait, *da pater augurium. Et eſt ſpecies iſta augurii, quæ* legum dictio *appellatur. Legum dictio autem eſt, cum conditio ipſius augurii certa nuncupatione verborum dicitur, quali conditione augurium peracturus ſit, quod hic facit exſequens formas petitionis verſibus ſupradictis: tunc enim quaſi legitimo jure legem adſcribit*, da pater augurium.

Idem conſulatur lib.2. *Æneidos* ad id:

*Veſtrum hoc augurium.*

Ariſtides orat. 1. pro Rhetor. ex Platone, ἐπεὶ τίωγε τῶν ἐμφρόνων ζήτησιν τοῦ μέλλοντος διά τε ὀρνίθων ποιουμένων, καὶ τῶν ἄλλων σημείων (lego, ποιουμένην) ἅτε ἐκ νοῦ, καὶ διανοίας πορίζομένην ἀνθρωπίνῃ οἰήσει, οἰονοιστικὴν ἐπωνόμασαν, ἣν νῦν οἰωνιστικὴν τὸ Ω σεμνύνοντες οἱ νέοι καλοῦσι. *Nam & artem eam qua prudentes homines de futuris per aves, & alia ſigna inquirunt, quia mentis opera humanæ opinioni ſuppeditatur* Oeonoiſticem *appellarunt*; a vocibus οἴο-

A *μαι, opinor*, & νοῦς, *mens*, *quam Juniores* Oeoniſticen *ab avibus litteram ω magni facientes dixerunt.* *Augurii* vox non tantum de avibus accipitur, verum & de aliis animantibus. Plinius lib.32.cap.11. *In Lyciæ Miris fiſtula evocati piſces veniunt ad Augurium. Diripere carnes objectas lætum eſt auſpicantibus, abigere caudis, dirum.* Lib.7. cap.47. *Sunt gemina Api Ægyptiorum delubra, thalamos vocant, auguria populorum, alterum intraſſe lætum eſt, in altero dira portendi.* Lib.8 cap.22. *inter auguria ad dexteram commeantium præciſo itinere, ſi pleno id ore lupus fecerit, nullum omnium præſtantius.* Ut

B autem *augurium* non de avibus tantum, ſed etiam de aliis animantibus accipitur, ita *omen* de avibus. Silius Ital. lib.4.

*Adſis o, firmeſque tuæ pater alitis omen.*

## CAP. XI.

### *De Collegio Augurum Romæ.*

AUGURIA *artem fecere apud Romanos, & Sacerdotum collegium vel maxime ſolemne*, Plinius lib.8. cap.28. *Claudius nullo præter auguralis Sacerdotii honore impertitus eſt*, ut Sueton.

C in *Claudio* cap.4. Certe olim Augures in magna dignatione fuerunt, cum apud Veteres qui rerum potirentur, iidem auguria tenerent. Romæ Augures a Romulo inſtituti ſunt, qui & ipſe nobilis augur fuit, ut Livius lib.1. Sublati ſunt a Conſtantio Auguſto lib.5. & 7. cap. *de maleſic. & Mathemat.* poſtea tamen viguiſſe in Italia teſtatur Symmachus lib. 3. epiſt. 44. Redeamus in priſca verba, quibus augures avem conſulunt. Romulus trium augurum collegium inſtituit, ſingulos ex ſingulis tribubus, Rhamnenſium, Lucerum, Tatienſium, quorum Sacerdotium confirmavit Numa, Livius lib.1. Dio-

D nyſ. lib.2. Τὴν δὲ τετάρτην τῶν ἱερουργιῶν διάταξιν ὁ Νουμᾶς ἀπέδωκε τοῖς ἐξηγουμένοις τὰ θεόπεμπτα σημεῖα, οἳ διαιροῦσι τίνων εἰσὶ πραγμάτων, ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ· οὓς ἀφ' ἑνὸς εἴδους τῆς τέχνης τῶν θεωρημάτων Ῥωμαῖοι καλοῦσιν αὔγουρας, ἡμεῖς δ' εἴποιμεν οἰωνοπόλους, ἁπάσης τῆς μαντικῆς παρ' αὐτοῖς ὄντας ἐπιστήμονας, τῆς τε περὶ τὰ οὐράνια, καὶ τὰ μετάρσια, καὶ τὰ ἐπίγεια: *Quartam ſacrorum deſcriptionem Numa iis attribuit qui ſigna a Deo miſſa interpretantur, & diſcernunt, quarum rerum ſigna ſint publice, & privatim, quos ab una ſpecie artis Romani vocant* augures, *nos* œonopolos, *qui apud eos totius divinationis ſcientiam habent, quæ verſatur in ſignis de cælo, aere, & terra.* Unde Roma-

E nis ſacer auguratus ſit indicat Liv. lib.1. Tarquinius Priſcus Senatus majeſtatem numero ampliavit, & centuriis tribus auxit, quamvis Attius Navius numerum augeri prohiberet, ſummus augurio, quem Rex experimentum rogavit, fierine poſſet quod ipſe mente conceperat. Ille rem expertus augurio, poſſe reſpondit. *Atqui hoc*, inquit, *agitabam an cotem illam ſecare novacula poſſem.* Augur, *potes ergo*, inquit, & ſecuit. Inde Romanis ſacer auguratus. Deinde quartus augur additus. Anno enim ab urbe condita 454. quatuor augures fuiſſe patricios omnes obſcurum non eſt, quibus ut quinque ex plebe adderentur, & nomen augurum collegium fieret,

F Quint. & Cn. Ogulnii Tribuni plebis ad populum tulerunt, & magnis contentionibus tandem obtinuerunt, ait Livius. Sylla quindecim augures eſſe voluit, apud Florum lib 89. Qui inter augures ætate antecellebat *magiſter collegii* dictus eſt. Creabantur autem augures ab augurum Collegio, quod jus a Collegio ad populum tranſtulit Tribunus plebis Cn. Domitius Ahenobarbus anno urbis 651. Mario tertium, & L. Aurelio Oreſte Cos. Sulla Collegio reſtituit, ut Aſconius ad *Divinat.* Ciceron. in Verrem. Deinde Cicerone Coſſ. Tit. Attius La-

bienus Tribunus plebis jus subrogandorum augurum ad populum retulit. Marc. Antonius post mortem J. Cæsaris iterum Collegio restituit. Sed Pansa, & Hirtio Cos. denuo ad populum translatum est, narrante Dione, Augustus Collegio restituit. Demum Imperatores sibi jus illud vindicarunt, ad ætatem usque Theodosii Majoris. Auguribus autem quamvis gravissimi criminis convictis quandiu viverent Sacerdotium eripi non potuit, quod auguris vocabulum non honoris, nec magistratus, sed scientiæ, atque artis cujusdam sit. Eorum partes fuerunt, ut aves inspicerent, de cælo servarent, nuntiarent, de prodigiis, somniis, oraculis, portentis, responsa darent, procurationes portentorum edicerent. Augures coronatos fuisse ostendit Plutarchus in *Cæsare*. Patavii Cornelius augur cum vicisse Pharsalico prælio Cæsarem renuntiasset, *περιελὼν τὸν στέφανον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐνωμότως ἔφη, μὴ πρὶν ἐπιθήσεσθαι πάλιν, ἢ τῇδε τῇ τέχνῃ μαρτυρήσαιτο ἔργον*: *Detracta capiti corona juravit non prius coronam in caput repositurum, quam arti fides constitisset*. Priscianus lib.6. & 8. C. Julium Cæsarem auguralium libros scripsisse ait. Macrob. lib. 1. *Saturnal.* auspiciorum decimum sextum librum citat, Dionysius Halicarnasseus Pontificalium libros. Augurales libros jam olim fuisse indicat Plutarchus in *Marcello*, *στρατηγικοῖς ὑπομνήμασιν ἐντυχὼν* (lego, *ἱερατικοῖς*) cum Tiberius Gracchus incidisset in libros rituales. Val. Maximus lib.1. cap.1. *Gracchus significabat se cum libros ad sacra populi pertinentes legeret*. Festus, *Quinque genera signorum observant augures publici, ex cælo, ex avibus, ex quadrupedibus, ex tripudiis, ex diris, ut est in Auguralibus*. Livius lib.1. *Inde ab Augure, cui deinde honoris gratia publicum id, perpetuumque Sacerdotium fuit*. Qui augur creabatur, jusjurandum dabat, se nihil sacrorum enuntiaturum. Plutarchus *Romaic.* *Κατειλημμένον ὅρκοις τὸν αὔγουρα μηδενὶ φράσειν τὰ τῶν ἱερῶν*. *Jurejurando adactum augurem, nemini enuntiaturum, quæ ad sacra pertinerent*. Dionysius lib.2. supra, & Cicero lib.2. *de Legibus*: *Interpretes Jovis opt. Max. publici augures signis & prodigiis postea vidento, disciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaque, & salutem populi auguranto, quique agent rem duelli, quique popularem, auspicium præmonento, ollisque obtemperanto, divorumque iras providento, iisque apparento, cælique fulgura regionibus ratis temperanto, urbemque, & agros, & templa libera, & effata habento, quæque augur injusta, nefasta, vitiosa dixerit, irrita, infectaque sunto, quique non paruerit capital esto*. Item ipsique auguriis, auspiciisque captandis interesse debent, eaque notare, ac inspicere, & referre, & an egregie esset litatum declarare, quibusque hostiis, & quibus sacris, & supplicationibus, & quæ ad pulvinaria tetra prodigia procurarentur, aut expiarentur, enuntiare. Augures autem ante augurandum precabantur in hæc fere verba, *Jovis pater, si mihi es auctor, urbi populoque Rom. Quiritium, hæc sane, sarteque esse, ut tu nunc mihi bene sponsis, beneque volueris*. Preces eorum dicebantur *effata*. Servius ad id Virgilii,

*—— & sic effatus ad undam*
*Processit, summoque hausit de gurgite lympham*.

*Proprie* effata *sunt augurum preces, unde ager post pomœria, unde captabantur auguria, dicebatur* effatus. *Sedisse aut stetisse augures ostendimus*. Servius ad hæc Virgilii,

*—— Sacrata valle sedebat*.

*Secundum augures*, *ait*, sedere *est augurium captare. Namque post designatas cæli partes a sedentibus captantur auguria, quod & supra ipse ostendit latenter inducens picum solum sedentem*. Plutarch. in *Marcello*, *ἄρχων ἐπ᾽ ὄρνισι καθεζόμενος*, *magistratus ad auguria sedens*. Plutarchus *Romaicis*, *διὰ τί ἀπείρητο τοῖς ἕλκος ἔχουσιν ἱερεῦσιν ἐπ᾽ οἰωνῶν καθέζεσθαι*; *Cur interdictum erat auguribus ulcus habentibus ad auspicia sedere*. Augurium aliud esse diximus impetritum, cujusmodi est apud Horatium,

*Oscinem corvum prece suscitabo*.

Aliud oblatum, quod forte objicitur. In impetrito augures sibi ipsi regiones definiebant, in oblato manum suam respexere, lævam, aut dextram. Augur considebat velato capite, & duplici amictus toga augurali, quæ *læsa* dicta est, vel trabea ex purpura, & cocco, fixisque in cælum oculis, & attente, solliciteque circumspectis cardinibus omnibus expectabat, nunquid alicunde ostenderet sese, & unde nasceretur, ac prodiret. Servius ad id lib.6. *Æneid.*

*—— Sic effatus vestigia pressit,*
*Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant*
*Pascentes, illæ tantum prodire volando,*
*Quantum oculi possent acie servare sequentum*.

*Quia ad captanda auguria post preces immobiles vel stare, vel sedere consuerant*. Apud Statium lib. 3. Melampus ita preces concipit:

*Juppiter omnipotent, nam te pernicibus alis*
*Addere consilium, volucresque implere futuri,*
*Ominaque, & causas cælo deferre latentes*
*Accipimus.*
*Sic fatus & alto*
*Membra locat scopulo*.

---

## CAP. XII.

### *De Templo Augurum, Auguraculo, Pomœrio, Silentio*.

AUGURES cum auspicari vellent in loco puro sub mediam noctem, cælo non turbido, nec procelloso, sed silenti, placido, sereno, & sudo aere, patentique ac libero, in hemicyclo se collocabant, templumque, ac circulum sibi lituo definiebant, tum fines, ac regiones qua involarent aves a dextera, & læva in aere describebant. Servius ad lib.1. *Æneid*. *Extemplo, ilico, statim, est augurum sermo*, templum *enim dicitur locus manu designatus in aere, post quem factum ilico captantur auguria*. Lituus baculus erat, sine nodo a summo inflexus, insigne augurum quo regiones cælis describebant. Manu enim hæc spatia quæ templa vocabantur, definire salvis auspiciis non licebat. Cicero lib.1. *Divinat*. *Quid lituus iste vester quod clarissimum est insigne auguratus? Nempe eo Romulus regiones direxit, tunc cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, cum situs esset in Curia Saliorum, quæ est in palatio, eaque deflagrasset, inventus est integer*. Plutarchus in *Camillo*: Gallis pulsis cum Martis *καλιάς*, casa usta esset, *ἐντυγχάνουσι τῷ μαντικῷ ξύλῳ τοῦ Ῥωμύλου, ὃ ἐπικαμπὲς ἐκ θατέρου πέρατος καλεῖται λίτυον. χρῶνται δὲ αὐτῷ πρὸς τὰς τῶν πλινθίων ὑπογραφὰς, ὅταν ἐπ᾽ ὄρνισι διαμαντευόμενοι καθέζωνται, ᾧ καὶ ἐκεῖνος ἐχρῆτο μαντικώτατος ὤν*. *Incidunt in lignum augurales Romuli, quod a summo inflexum dicitur* lituus, *utuntur eo augures ad regiones definiendas cum ad auguria sedent, quo usus Romulus optimus augur*. Statius lib.3. *Thebaid.*

*Postquam rite diu partiti sidera cunctas*
*Perlegere animis, oculisque sequacibus auras*.

Dionysius lib.3. *Attius Nævius*, vel *Næbius augur cum in vinea maximam uvam reperire vellet*, *τοὺς θεοὺς ἠξίου δι᾽ οἰωνῶν φανερὸν αὐτῷ ποιῆσαι τὸ ζητούμενον*: *precatus est Deos, ut sibi per aves ostenderent quod quærebat, descripsit vineam in duas partes, alteram a dextra, alteram a læva, conspectisque in altera avibus quales*

*ipse vellet, rursus eum quoque locum divisit, & aves eodem delatas discrevit, reperitque uvam miræ magnitudinis*. Auspicia non nisi loco publico capi poterant. Ideo Dio libro 41. scribit cum Antiochiæ consules, & ducenti Senatores agerent, *eos locum ad auspicia capienda publicum fecisse*, χωρίον ἐς τὰ οἰωνίσματα δημοσιώσαντες. Varro libro 6. *ling. Latin. Concipitur templum non iisdem verbis usquequaque. In arce autem sic: Templa, Tesquaque incita sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero: olla veter arbor quisquis est quam me sentio dixisse, Templum Tesquumque esto in sinistrum, olla veter arbor quisquis est quam me sentio dixisse, Templum, Tesquumque esto in dextrum, intra ea conrectione, conspitione, cortumione, uti rectissime sensi*. Sic enim hæc lego. Captato igitur prospectu in agros, atque urbem, & conversa facie in ortum, regiones ab oriente in occasum terminabat limite decumano, & cardine extransverso signo metato, quo oculi ferrent longissime. Ex descriptis regionibus antica in ortum vergebat, postica a tergo in occasum, dextera meridiem, Boream sinistra respiciebat. Dein cæsa victima præfatus carmen preces fundebat, quibus signa poscebat aliquo præeunte, ne aliquid omitteret. Josephus Scaliger ita legit: *Tesca dumeta sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero, olla veter arbor quisquis est, quam me sentio dixisse templum, tectumque esto, in sinisterum, olla veter arbor quisquis est, quicquid est quod me sentio dixisse templum, tectumque esto in dexterum intra ea, conregione, conspitione, cortumione, utique ea rectissime sensi*. Constituit autem fines templi sui dumeta, qui & *velpices* vocantur. *Templi*, inquit, *mei fines sunto tesca dumeta, quoad ego eos nuncupavero*. Festus, *Tesca Verrius ait loca augurio designata, quo termino finis in terra augurii*. Opilius Aurelius, *loca consecrata Deo alicui, non ut templum sit, sed sancta loca undique septa, ut ajunt Pontificii libri, in quibus scriptum est, locumque, sedemque, tescumque alicui Deo dedicaverit, ubi eos accipias volentes, propitiosque*. Hostius belli Histrici lib. 3.

*Per gentes alte æthereas, ac Tesca volabit,*
*Templa antiqua Deum.*

Quidam explicavere aspera, difficilia aditu. Attius,

*Loca aspera, saxa tesca tuor.*

Et in *Philocteta*: *Quis tu es mortalis qui in Lemni tesca te adportas loca?* gloss. *Tesqua*, κατάκρημνοι, καὶ ῥάχεις, καὶ ἔρημοι τόποι: *Præcipitia, dorsa rupium, loca sola*. Festus. *Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis, aut lineis sepiuntur, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita*. Augures in templo sedentes ad augurium captandum abstinebant vocibus male ominatis, ideoque potius alteram avem, quam adversam dicebant. Pomœrium est ager post muros ubi auspicabantur. Cato, olim quidem omnes auspicabantur extra Aventinum, nunc etiam intra ædificia. *Pomœrium* Pontificale quasi *ponemurium*, ubi Pontifices auspicabantur. Pomœrium cum locus sit, qui finem urbani auspicii faciat, intra agrum effatum certis regionibus terminatur ad captanda auguria. *Pontificale pomœrium*, ait Festus, *appellabant locum illum pone murum in quo Pontifices sua constituerent hospitia. Cum autem pomœrium proferretur, Augures publicos populi Rom. hæc verba præire solitos. Dii tutelares urbis pomœrium hoc ne minus, majusve faxitis, sed iis quibus terminatum est regionibus effereatis*, (pro *efferatis*.) *Dictum autem videtur* pomœrium *veluti* post mœros, *quod esset retro, & intro muros urbis*. Libro 2. *Divinat. Quid scire potuerunt Hetrusci aruspices aut de tabernaculo rite capto,*

A *aut de pomœrii jure?* Libro 1. *Tiberius Gracchus cum tabernaculum vitio cepisset, quod inauspicato pomœrium transgressus esset, Comitia consulibus rogandis habuit*. Locus item ubi augures publice augurabantur dictus *auguraculum*, & *arx*, ut Festus docet. Livius libro 1. Tacitus libro 2. *Germanicus egressus augurali*. *Augurale* vocat auguraculum quod in castris Romanis ad dexteram Prætorii fuit, ubi duces auspicarentur, & ex pullis auguria captarent, quod οἰωνιστήριον Græcis. Hyginus manuscriptus, *Auguratorium parte dextra prætoriatura principalem agnovimus, ut dixi, ne & augurium recte capere potest*. Locus corruptus est, quem ita restituo, B *Auguratorium parte dextra Prætorii ad principia agnovimus, ubi & augurium recte capere potest*. Parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat ad exercitum, & felici auspicio alloquatur. Augustale est tabernaculum ducis, apud Quintilianum libro 8. *Instit.* Auspicia erant Imperatorum, non legatorum qui vicissent. Dio pagina 194. libro 41. Thessalonicæ erant ducenti Senatores, καί τοι καὶ χωρίον εἰς τὰ οἰωνίσματα δημοσιώσαντες: *& locum quendam ad auspicia publicum fecerunt*, ut jam universus ibi populus, & urbs ipsa videri posset. Dionysius libro primo, ἦν δὲ Ῥωμύλῳ C μὲν οἰωνιστήριον, ἔνθα ἠξίου τὴν ἀποικίαν ἱδρύσαι, τὸ παλάτιον. Ῥώμῳ δὲ προσεχὴς ἐκείνῳ λόφος, Αὐεντῖνος καλούμενος. ὡς δὲ τὰς προσηκούσας ἕδρας ἔλαβον. *Erat autem Romulo templum observandis alitibus palatium, ubi coloniam condere animus erat. Remo collis Aventinus ei contiguus: ut autem sedes idoneas ceperunt*. Publius Victor lib. *de regionibus urbis* in regione decima ubi palatium fuit, ponit auguratorium. Augur templum constituebat versus orientem, velato capite sedebat, lituum manu dextra tenens, quo in cælo regiones describebat. Romulus negat se assumpturum regium nomen, ἐὰν μὴ τὸ δαιμόνιον ἐπιθεσπίσῃ δι' οἰωνῶν αἰσίων: *nisi* D *Deus auspicio fausto addixerit*. ἀναστὰς περὶ τὸν ὄρθρον ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθεν. στὰς δὲ ὑπαίθριος ἐν καθαρῷ χωρίῳ, καὶ προθύσας ἃ νόμος ἦν, ηὔχετο Διΐ τε βασιλεῖ, &c. σημεῖα οὐράνια φανῆναι καλά. μετὰ δὲ τὴν εὐχὴν ἀστραπὴ διῆλθε, &c. *Surgens diluculo exiit e tentorio, stansque sub dio in loco puro, immolatis rite victimis, precatus est Jovem, ut cælestia signa fausta apparerent: post precationem fulgur a sinistris ad dextram emicuit*. Scenam, tabernaculum, arcem, tentorium, auguraculum idem significare certum est. Dionysius libro 2. *origin.* & libro 3. Statua Navio a Tarquinio posita τὴν περιβολὴν ἔχουσα κατὰ τῆς κεφαλῆς, *velato capite, veste amictum caput habens*: E ibidem, ἐπαυλίζονται οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν, καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνταί τινας εὐχὰς ὑπαίθριοι. *Candidati qui Magistratus ambiunt, sub dio extra urbem cubant, & mane surgentes sub dio quasdam precationes faciunt*. ἐπαυλίζεσθαι est extra urbem pernoctare, σκηνὴ, est templum, ut Seneca interpretatur epist. 118. Val. Max. libro 3. cap. 5. Festus, *cubans auspicatur qui in lecto quærit augurium*. Plutarchus *Marcello*. ὅταν ἄρχων ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως οἶκον, καὶ σκηνὴν μεμισθωμένην ὑπ' αἰτίας ἀναγκασθῇ μήπω γεγονότων σημείων βεβαίων ἐπανελθεῖν εἰς πόλιν, ἀφεῖναι ἔχρῆν τὸ προμεμισθωμένον οἴκημα, καὶ λαβεῖν ἕτερον ἐξ οὗ ποιήσεται F τὴν θέαν αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς. *Cum Magistratus sedens in sella solida ad auspicia extra urbem in tabernaculo conducto, aliqua de causa coactus fuerit redire in urbem, signis nondum certis datis, oportuit eum dimittere tabernaculum, quod prius conduxerat; & aliud capere de integro unde spectaret aves*, quod Tiberium Gracchum fugit. Augures templum non capiebant, nisi liquidus esset aer, & a ventis liberrimus, ut accensa lucerna vento non extingueretur. Plutarchus *Romaic.* capit. 72. ᾤοντο δεῖν ἀεὶ τὰς λαμπτῆρας ἀνεῳγμένας

εἶναι, ϰὴ τὸ πῶμα μὴ ἐπικεῖσθαι. *Augures putabant* A *lampades apertas, & libero aeri expoſitas eſſe oportere*, nec operculum imponi, quia vento flante *non conſiſtunt aves*, ὐκ ἐϛαθῦσιν ὄρνιθες. Idem tempus auſpiciis aptum eſt, quo poſſunt uti *lampadibus apertis*, τοῖς λαμπτῆρσι ἀνεῳγμένοις. *Silentio ſurgere. Verrius ait dici, ubi quis poſt mediam noctem auſpicandi cauſa ex lectulo ſuo ſurgit, & liberatus a lecto in ſolido ſedet, ſiletque, nequid eo tempore dejiciat, inde ſe in lectum repoſuit*, ait Feſtus. Solidum vocat ſolidam ſellam ut ſtabilior eſſet, ne forte, quid in ſedendo, aut dum vellet ſedere, motu ſellæ dejiceret, & ſtrepitu vitium auſpicio faceret. B Cic. lib.2. *Divinat.* Augurum ſilentium cum vitium non eſt in augurio, ſed omnia auſpicata. Feſtus, *ſilentium dicitur in auſpiciis omnis vitii vacuitas*. Sedebant & augures in Græcia. Sophocl. in *Antigone*, εἰς γὸ παλαιὸν ὀρνιθοσκόπουν ἵζων, ἵν ἦν μοι παντὸς οἰωνῦ λιμὴν ἀγνῶτ᾽ ἀκύω φθόγγον ὀρνίθων κακῷ κλάζοντας οἴϛρῳ, ϰὴ βεβαρβαρωμένῳ, ϰὴ σπῶντας ἐν χηλαῖσιν ἀλλήλων φόνοις. *In loco antiquo ſedens auſpicabar, ubi erat omnium avium portus, ignotam audio vocem avium clangentium malo œſtro, & barbaro, cum ſe vellerent, & ungulis occiderent.* Augur cum aves conſuluiſſet e templo ſurgebat, ſi prius augurium poſteriori confirmatum eſſet. Non enim ſatis erat C augurium unum, niſi & ſimili confirmaretur. Servius ad Eclog. nonam: *Minora auguria majoribus cedunt, nec ullarum ſunt virium, niſi majora ſint* Item ad hæc verba lib.9. *Æneid.*

*Et ſic effatus ad undam*
*Proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas,*

*Locus iſte dictus eſt ſecundum augurum morem, apud quos fuerat conſuetudo, ut ſi poſt acceptum augurium ad aquam veniſſent inclinati, aquas haurirent, exinde & manibus, & fuſis precibus vota promitterent, ut viſum proſperaret augurium, quod aquæ interceſſu diſrumpitur, unde etiam in duodecimo viſum augurium non procedit, nec ſortitur exitum firmum, quia cygnus dimiſſus ab aquila in fluvium cecidit.* Tabernaculum ſi recte captum non eſſet, vitio magiſtratus creatos pronuntiabant augures. Livius lib. 4. *Quod Cn. Curiatius qui comitiis eorum præfuerat, non recte tabernaculum cepiſſet.* Lib 45. *Jam primum cum legionibus ad conveniendum diem dixit non auſpicato templum intravit, vitio diem dictam eſſe augures, cum ad eos eſſet relatum, decreverunt.* Feſtus, *templum eſt locus ita effatus, aut ita ſeptus, ut ex una parte pateat, anguloſque habeat adfixos ad terram.* Servius, *Alii templum dicunt non ſolum quod poteſt claudi, verum etiam quod palis, aut haſtis ſuſtentatum, aut aliqua tali re, aut lineis, aut loris, & ſimili re ſeptum eſt, quod effatum eſt, amplius uno exitu eſſe non oportet, cum ibi ſit cubiturus auſpicans.* Auguraculum Feſtus arcem dictam ait, *quod ibi augures publice augurarentur*. Livius lib.1. *verbenas ex arce vellere*, id eſt, loco ab auguribus conſecrato. Augurale, ut oſtendimus, in caſtris prope Imperatoris prætorium fuit, ubi auſpicari, & ſacrificare moris eſſet. Tacit. lib. 2. *Annal. Nocte cœpta egreſſus augurali per occulta, & vigilibus ignara.* Item, *ſtructam ante augurale aram ſubdita face accendi.* Lib.9. Dionyſ. κεραυνὸς εἰς τὸ ϛρατήγιον ἐμπεσὼν τήν τε σκηνὴν διέσπασε, ϰὴ τὴν ἑϛίαν ἀνέτρεψε: *fulmen in prætorium delapſum & tabernaculum disjecit, & focum evertit.* Feſtus, *arcanus ſermo a genere ſacrificii, quod in arce fit ab auguribus adeo remotum a notitia vulgari, ut ne litteris quidem mandetur, ſed per memoriam ſucceſſorum celebretur.*

CAP. VIII.

*De iis quæ auſpicato gererentur.*

SERVIUS ad lib.1. *Æneidos* ait Romanos nihil niſi captatis feciſſe auguriis. In nuptiis augures adhibiti. Juvenalis:

*Veniet cum ſignatoribus auſpex.*

Seneca *Troade* Act.4.

—— *Hymen auſpice Helena dignus.*

Claudius:

—— *Hac auſpice tæda*
*Oedipodem matri natæ junxere Thyeſten.*

Cicero lib. 1. *Divinat. nihil fere quondam majoris rei ne privatim quidem niſi auſpicato gerebatur, quod etiam nunc nuptiarum auſpices declarant, qui re amiſſa nomen tamen tenent. Nam ut nunc extis, ſic tum avibus magnæ res impetriri ſolebant.* Val. Max. lib.1. Servius ad hæc lib.1. *Æneid.*

*Primiſque jugarat ominibus.*

Item ad hæc lib.4. *Æneid.*

*Diis equidem auſpicibus reor, & Junone ſecunda.*
*In nuptiis maxime captata omina, & auſpicia.*

Symmachus lib.6. epiſt.3. *Sororem Pompejam olim viro maturam te auſpice in manum optat accipere*: lib.10. epiſt.6. auſpices nuptiarum Deos vocat. L.4. auſpicium jugalis fœderis a Stilicone ſe ſumpſiſſe ait. Sixtus tertius Papa lib. *de caſtitate*: *Nefandorum Idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, initium, & finis. Hæc in matrimoniorum celebratur auſpiciis, quando certus auſpicatur dies, quando conjunctionis hora ſignatur, quando nequid infauſti ominis incurrat, ſollicita, & diligenti cura ſervatur, & cum ſcriptum ſit*, non augurabimini, *auguriis & auſpiciis omnia digeruntur.* Bella non niſi auſpicato gerebantur. Cicero libro 1. *Divinat.* D *Bellicam rem adminiſtrari majores noſtri niſi auſpicato noluerunt. Quam multi anni ſunt cum bella a proprætoribus & proconſulibus adminiſtrantur, qui auſpicia non habent? Itaque nec amnes tranſeunt auſpicato, nec tripudio auſpicantur.* Frontin. libro 4. *ad auſpicia repetenda Meſſanam tranſiens Aurelius Cotta.* Apud Livium, *Cajus Flaminius ſecundum Conſul neglectis auſpiciis cum ſe Hannibali ad lacum Thraſymenum obtuliſſet, collatis ſignis, exercitu amiſſo occiſus eſt.* Cicero in *Catone*: *Q. Fabius Maximus augur cum eſſet auſus dicere optimis auſpiciis ea geri, quæ pro ſalute Reip. gererentur, quæ contra Remp. fierent contra auſpicia fieri.* Eutrop. in *Breviario*, Claudius E *non defungens religione ut debuit, neglexit auſpicia, quæ ſigna erant divinitus data iis qui in bellum exirent.* ὐκ ἀφοσιωσάμενος ᾗ νόμος, ἐνεανιεύσατο κατὰ τῶν συμβόλων. αὐσπίκια καλῦσιν αὐτὰ οἱ Ῥωμαῖοι, σύμβολα δ᾽ ἦν ταῦτα δαιμονίως διδόμενα τοῖς ἐπὶ πόλεμον ἐξιῦσι. De Craſſo, μετὰ φαυλοτέρων συμμίξας τῶν συμβόλων, *manum conſerens cum hoſtibus infauſtis auſpiciis.* Magiſtratus item auſpicato creabantur. Livius in anno 356. *Magiſtratus vitio creatos Latinas, ſacrumque in Albano monte non rite concepiſſe: unam expiationem eorum eſſe ut tribuni militum ſe Magiſtratu abdicarent, auſpicia de integro repeterentur, & in*- F *terregnum iniretur.* Plutarchus in *Marcello*, cum augures conſulti vitio creatos videri conſules reſpondiſſent, Senatus eos ſubito ab exercitu literis revocavit. Eas acceptas Flaminius non prius aperuit, quam collatis ſignis barbaros fuderit. Livius libro 21. & Oroſius, *Flaminius conſul contemptis auſpiciis quibus pugnare prohibebatur, adverſus Gallos conflixit, & vicit.* Dionyſius libro ſecundo ϰὴ κατεϛήσατο ἐν ἔθει τοῖς μετ᾽ αὐτὸν ἅπασι μήτε βασιλείας, μήτε ἀρχὰς λαμβάνειν, ἐὰν μὴ ϰαὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς θεσπίσῃ: *& morem inſtituit in poſterum ne quis regnum aſſumeret, Magiſtratumve iniret,*

*ret, niſi ut Deus addiceret*. Eſtque hæc auſpicii lex apud Romanos longo tempore obſervata ſub regibus, & conſulibus in Magiſtratuum comitiis, noſtra ætate imago tantum quædam hujus juris remanet *dicis cauſa*, τῆς ὁσίας ταύτης ἕνεκα: Candidati enim e templo diluculo prodeuntes preces quaſdam ſub divo peragunt. *Ibi aliqui ex auguribus qui ære publico* ad hujuſmodi negotia adhibentur, τῶν δὲ παρόντων τινὲς ὀρνιθοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι, fulguris ſignum a ſiniſtris datum pronuntiant etiam ſi nullum ſit datum. *At illi vocis omine contenti*, τὸν ἐκ τῆς φωνῆς οἰωνὸν λαβόντες ad ſumendum Magiſtratum abeunt, Κράσσος στρατιὰν ἦγεν ἐπὶ τὸ Πάρθων ἔθνος ἐναντιουμένου τοῦ δαιμονίου, πολλὰ χαίρειν φράσας τοῖς ἀποτρέπουσι τὴν ἔξοδον οἰωνοῖς μυρίοις ὅσοις γινομένοις. *Craſſus exercitum duxit in Parthos Deo renuente, vale dicens ſignis innumeris quibus expeditio hæc probibebatur*. Idem libro 3. Tarquinius οἰωνομάντεις ἐκέλευσε περὶ αὐτοῦ πρῶτον διαμαντεύσασθαι τοῦ τόπου, *augures juſſit Deos conſulere de eo loco* qui templo ædificando eſſet aptiſſimus, cumque oſtendiſſent collem Tarpejum, juſſit iterum conſultis auſpiciis reſpondere, qua collis parte fundamenta jaceret. Lib.10. cum lex ferenda eſſet, ἱεροφάντων παρόντων, καὶ οἰωνοσκόπων, καὶ ἱεροποιῶν δυοῖν, καὶ ποιησαμένων τὰς νομίμους εὐχάς τε καὶ ἀράς. *Pontifices, augures, & duo ſacrificuli aderant qui ſolemnes preces, & exſecrationes facerent*. Lib. 5. Scævola λαβὼν οἰωνοὺς ἀξίους τῆς πράξεως διαβαίνει ποταμὸν, cum Porſennam manu ſua trucidare conſtituiſſet *acceptis fauſtis de re gerenda auſpiciis, tranſmittit fluvium*. Eorum qui ſacramento dixerunt nemo excuſatur, ait Livius libro 6. Polybius cauſam ſubjicit, ὡς ἂν μηδεμιᾶς ἄλλης συγχωρουμένης προφάσεως τοῖς ἐξορκισθεῖσι, πλὴν ὀρνιθείας: *cum nulla alia ſit excuſatio iis qui ſacramento adacti ſunt, quam ſi vitio conſul creatus eſt*, id eſt, *contraria auſpicia*. Plutarchus in *Marcello*, οἱ δὲ περὶ τὰς ὑπατικὰς ψηφοφορίας παραφυλάττοντες οἰωνοὺς ἱερεῖς διεβεβαιοῦντο μοχθηρὰς, καὶ δυσόρνιθας αὐτοῖς γεγονέναι τὰς τῶν ὑπάτων ἀναγορεύσεις: *Augures qui ſervan aves conſularibus Comitiis vitio creatos conſules affirmarunt*.

---

## C A P XIV.

### *De Caduco Auſpicio*.

MULTA & varia præterquam ab avibus fuere auſpicia, Caduca, Perennia, Cæleſtia, ſalutis augurium, juge auſpicium, & alia de quibus ſupra egimus. Caducum auſpicium fuiſſe Feſtus ait, ſi virga quæ *commentaculum* dicitur e manu flaminis excidit. Sed Caducum auſpicium latius patuiſſe dubium non eſt, cum in omni caſu inopinato acciperetur, ſi pileus, ſi corona, ſi tunica decideret, ſi equus ephippia dejiceret, aut prolaberetur, denique ſi quæ prolapſio eſſet, ſi qui caſus, auſpicium caducum eſſe dicebatur. Plutarchus in *Bruto*, τὸν στέφανον τῷ Κασσίῳ κατεστραμμένον ὁ ῥαβδοῦχος προσήνεγκεν. ἐν πομπῇ χρυσῆν Κασσίου νίκην διαφερομένην πεσεῖν ὀλισθόντος τοῦ φέροντος. *Inauſpicatum fuit quod lictor coronam Caſſio inverſam attulit. In pompa aurea Caſſii victoria quæ ferebatur cecidit, cum is qui ferebat prolapſus eſſet*. Appianus lib.4. *Civilium* Caſſio exercitum luſtranti id accidiſſe ait, & victoriam illam quæ cecidit χρύσεον Κασσίου ἀνάθημα, *aureum Caſſii donarium* vocat: addit alia pleraque inauſpicata, ὄρνεά τε πολλὰ ὑπὲρ τὸ στρατόπεδον αὐτοῦ καθήμενα κλαγγὴν οὐδεμίαν ἠφίει, καὶ μελισσῶν ἐπεκάθηντο συνεχεῖς ἑσμοί. *Aves multæ ſuper ejus caſtra ſedentes, nullum clangorem edebant, & apum frequentia inſidebant examina*. Dio libro 54. Paulus Æmilius Lepidus, & L. Munacius Plancus poſtremi cenſores ex privatis fuere, quod ſtatim eis oſtenſum eſt, τὸ γὰρ βῆμα, ἀφ᾽ οὗ τι πράξειν τῶν προσηκόντων σφίσιν ἔμελλον συνέπεσεν, ἀναβάντων αὐτῶν ἐν τῇ πρώτῃ τῆς ἀρχῆς ἡμέρᾳ, καὶ συνετρίβη. *Tribunal unde aliquid ſui muneris acturi erant prima imperii die aſcendentibus ipſis cecidit, & contritum eſt*. Lib.57. Ante mortem Germanici τὸ τοῦ Ἰανοῦ ἄγαλμα κατέπεσε, *Jani ſimulacrum cecidit*. Plutarchus de Craſſo, cui exercitum luſtranti *porrecta ab aruſpice e manibus exta exciderunt*, τὰ σπλάγχνα τοῦ μάντεως αὐτῷ προσδόντος ἐξέβαλε τῶν χειρῶν. Idem de Camillo, *cum adoraret ad dexteram ſe circumegiſſe, & in circumagendo prolapſum eſſe*, προσκυνήσαντα ἐπὶ δεξιὰ ἐξελίττειν. ἐσφάλη περιστρεφόμενος. Appianus in *Parthico*, ἐξιόντων ἐκ τοῦ ἱεροῦ πρῶτος ἐσφάλη κατὰ τὰς θύρας ὁ νεανίας ὁ Κράσσος, εἶτα ἐπ᾽ αὐτῷ περιπεσὼν ὁ πρεσβύτερος. *Cum exirent e templo Veneris, ſeu Junonis Hierapolitanæ primus junior Craſſus procidit in foribus, & mox ſuper eum ſenior*. Julius Cæſar exſcendens nave cum prolapſus eſſet, omen in melius vertit, dixitque; *Amplector te Africa*, narrante Suetonio. Contra Auguſtus *cum exſcendens nave prolapſus eſſet, pedem retulit*, apud Appianum, τῆς νεὼς ἐκβαίνων ὤλισθε, καὶ ἔπεσε, καὶ ἀνέδραμε δι᾽ αὐτοῦ. Plutarchus in *Fabio*, ſub initium, Flaminius ἐκτρόμου ἵππου γενομένου, *equo perterrito cecidit*. Suetonius *Galba* cap. 18. *Obſervatum etiam eſt Kalen. Januariis ſacrificanti coronam de capite excidiſſe, auſpicanti pullos evolaſſe, ſellam curulem in Senatu perverſe collocatam*. Theophraſtus *Characteribus*: *Sæpe etiam dum vota, libationeſque fiunt, pateram ſibi e manibus elabi ſinit, & ſimul riſum tollit*, ὡς τεράστιόν τι πεποιηκώς, *quaſi aliquid fecerit portentoſum*. Pauſanias in *Meſſeniacis*, τό, τε γὰρ τῆς Ἀρτέμιδος ἄγαλμα ὂν χαλκοῦν καὶ αὐτὸ, καὶ τὰ ὅπλα παρῆκε τὴν ἀσπίδα. *Tunc Dianæ ſimulacrum æreum remiſit clypeum qui cecidit*. Cicero libro 1. *Divinat. Stellæ aureæ quæ Delphis erant a Lacedæmoniis poſitæ, quia Caſtor & Pollux cum Lacedæmoniorum claſſe viſi eſſe dicebantur, eorum inſignia Deorum, paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque ſunt repertæ. Cajus Flaminius Conſul iterum & ipſe, & equus ejus ante ſignum Jovis Statoris ſine cauſa repente concidit, cum legiones contra Hannibalem duceret*. Feſtus, *caduca auſpicia cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu*. Item ſi vitta e capite ſacrificantis exciderit. Cicero *de Aruſpicum reſponſis* ludos ſcribit non eſſe rite factos, ſi puer patrimus matrimus tenſam, aut lorum omitteret. Suetonius, Octavio ſumenti virilem togam tunica laticlavia reſuta ex utraque parte ad pedes decidit. Imperium in ordinem laticlavium ei portendebatur. Seneca in *Thyeſte*,

> *—— Regium capiti decus*
> *Bis terque lapſum eſt*.

Ante mortem Caracallæ ludis Circenſibus κατέπεσε τὸ τοῦ Ἄρεος ἄγαλμα πομπεῦον: *Martis ſimulacrum quod in pompa præferebatur decidit*. Non video cur Guilielm. Blanus πομπεῦον interpretatus ſit, quod erat triumphali habitu, apud Xiphilinum. Suetonius in *Othone* cap.7. de Piſone, *Poſtridie quoque in augurando tempeſtate orta graviter prolapſum identidem obmurmuraſſe*, τί γάρ μοι, καὶ μακροῖς αὐλοῖς; Piſonem qui a Galba erat adoptatus dixiſſe, *quid mihi, & longis tibiis?* Spartianus in *Severo*: *Die Circenſium cum tres victoriæ more ſolito eſſent locatæ gypſeæ cum palmis mediæ, quæ ipſius nomine aſcriptum orbem palmis tenebat, vento iſta de podio ſtans decidit, & humi conſtitit, eaque quæ Getæ nomine inſcripta erat corruit, & omnis comminuta eſt. Illa vero quæ Baſſiani titulum præferebat amiſſa palma venti turbine vix conſtitit*. Spartianus in *Adriano*: *Ante mortem*

*annulus in quo imago ipsius sculpta erat sponte de digitis delapsus est*. Silius lib.16. de Siphace,

*Vittaque majorum decoramen fronte sine ullo*
*Delapsa attactu, nudavit tempora Regis.*
*Talia Cælicolæ casuro tristia regno*
*Signa dabant, sævique aderant gravia omina fati.*

Suetonius lib.7. sacrificanti ait Domitiano coronam de capite excidisse. Dio lib. 45. Μειρακιωθέντος δὲ Αὐγούστου, καὶ ἐς τοὺς ἐφήβους ἐσιόντος τήν τε ἐσθῆτα τὴν ἀνδρικὴν ἐνδύντος ὁ χιτὼν περιερρήγνυτο ἑκατέρωθεν ἀπὸ τῶν ἐπωμίδων, καὶ μέχρι τῶν ποδῶν κατερρύη. *Octavius adultior factus, cum virilem togam assumeret, tunica utrinque rupta ad pedes ei decidit cum lato clavo. Dignitatem, inquit Octavius, senatoriam sub meis pedibus habebo*. Libro 46. in ultima concione Vibii Pansæ, vir quidam *morbo comitiali concidit*, τὴν νόσον τὴν ἱερὰν ἔχων κατέπεσε. Statua ærea in vestibulo domus posita sponte eversa est. Quidam puniceam ei vestem afferens, in effuso cruore lapsus casu suo vestem contaminavit. Zonaras in Michaele filio Theophili, Καίσαρος τῷ θυσιαστηρίῳ τῆς θεομήτορος τῆς ὁδηγῶν κεκλημένης προσεγγίσαντος ἐξ οὐδεμιᾶς ἐμφανοῦς αἰτίας ἡ χλαμὺς τῶν ὤμων αὐτοῦ ἐξώλισθεν. Plutarch. *Tiberius Gracchus priusquam necaretur, domo progrediens*. προσέπταισε πρὸς τὸν οὐδὸν σφοδρᾶς οὕτω πληγῆς γενομένης, ὥστε τὸν μὲν ὄνυχα τοῦ μεγάλου δακτύλου ῥαγῆναι, τὸ δὲ αἷμα διὰ τοῦ ὑποδήματος ἔξω φέρεσθαι. Si pes ad limen offenderet, dirum fuit. Tibullus lib.1. Eleg.3.

*O quoties ingressus iter mihi tristia dixi*
*Offensum in porta signa dedisse pedem.*
*Aut ego sum causatus aves, aut omina dira*
*Saturni sacra me tenuisse die.*

Cornelius Nepos in Darete,

*Inque ipso trepidus ter limine gressus*
*Fixit, ter redit.*

Ideo Catullus dixit in *Hymeneo*,

*Transfer aureolos pedes prætextate puellule.*

Ovidius de Myrrha.

*Ter pedis offensi signo est revocata, ter omen*
*Funereus dixit ferali carmine bubo.*

Plutarchus in *Demetrio*, Antigonus ἐξιὼν προσέπταισε ὥστε πεσεῖν ὅλως ἐπὶ στόμα, καὶ διατεθῆναι χαλεπῶς. Ἀναστὰς δὲ καὶ τὰς χεῖρας ἐκτείνων πρὸς τὸν οὐρανόν. *domo progrediens offendit ad limen, ita ut omnino in faciem collapsus sit, & graviter affectus sit, cum exsurrexisset manibus ad cælum sublatis*. De casu supra egimus in Auspicio caduco. Dio libro 42. Ἐπειδὰν ἅμα τῷ τῆς γῆς ἐπιβῆναι προσέπταισε, καὶ αὐτὸν πεσόντα ἐπὶ στόμα οἱ στρατιῶται ἰδόντες ἠθύμησαν, &c. ἐκτείνας χεῖρα τήν τε γῆν, ὡς καὶ ἑκὼν δὴ πεσὼν περιέλαβε, καὶ κατεφίλησε, καὶ ἀναβοήσας εἶπεν, ἔχω σε Ἀφρική. *Quia Cæsar e nave egressus terram attigit, offendit, & milites eum in os collapsum videntes terrore affecti sunt, extensa manu, quasi sponte cecidisset, terram amplexus est, & osculatus, exclamavitque, Teneo te, Africa*. Zonaras de Michaele: *Abiit*, inquit, *in templum matris Dei, & prope altare nulla de causa, quæ appareret, chlamys ex ejus humeris excidit*. ὅπερ σημεῖον καὶ τῷ Καίσαρι, καὶ τοῖς ἰδοῦσι ἀπαίσιον ἔδοξε: *quod signum Bardæ Cæsari, & spectantibus inauspicatum visum. Tiberius Gracchus domo egrediens offendit ad limen tam vehementer, ut unguis majoris digiti rumperetur, & sanguis e calceo exiret*, scribente Plutarcho. Dio libro 43 ἐν τῇ πρώτῃ τῶν νικητηρίων, τέρας οὐκ ἀγαθὸν ἐγένετο. ὁ γὰρ ἄξων τοῦ ἅρματος τοῦ πομπικοῦ παρ' αὐτῷ τῷ τυχαίῳ τῷ ὑπὸ τοῦ Λουκούλλου οἰκοδομηθέντι συνετρίβη: *Prima die triumphi Cæsari omen adversum fuit. Axis enim currus triumphalis confractus est apud fanum Fortunæ, quod Lucullus exstruxerat, ut al. opus fuerit ad triumphum*. Pompejus Consul τότε σκέλος ἐπλήγη, καὶ μετ' αὐτοῦ φοράδην ἀνεκομίσθη, καὶ βύας ὑπὲρ τοῦ συνεδρίου ἱδρύθη: *Offenso crure in Urbem per manus portatus est, & bubo Curiæ insidens feralem cantum edidit.*

## CAP. XV.

### *De Cælestibus Auguriis.*

CÆLESTIA auguria Paulus esse ait cum fulminaret, aut tonaret. Græci διοσημίας vocant. Augures ideo de cælo servabant.

## CAP. XVI.

### *De jugi Auspicio.*

JUGE auspicium dictum si jumenta juncta occurrerent. Cicero libro 2. *de Divinat. Nos Augures præcipimus, ne juge auspicium obveniat ut jubeant jumenta disjungere*. Servius ad hæc verba Virgilii,

*Primum omen equos in gramine vidi.*

*Multi de libris augurum tractum tradunt. Observatur enim ne prodituro magistratui disjunctis bubus plaustrum obviam veniat*. Festus, *Juge Auspicium est, cum junctum jumentum stercus fecit.*

## CAP. XVII.

### *De Salutis Augurio.*

SALUTIS augurium fuisse indicat Suetonius in *Augusto* cap.31. *Salutis Augurium restituit Augustus intermissum per annos* 44. a Ciceronis & Antonii Consulatu ad Quintum Consulem Augustum & Sextum Apulejum, ut scribit Dio lib. 37. & libro 51. Cicero libro 2. *de Divin. Tibi Pub. Claudius augur Consuli nuntiavit addubitato salutis augurio bellum domesticum triste ac turbulentum fore*. Dio lib. 47. Τότε δὲ οἱ Ῥωμαῖοι πολέμων ἀνάπαυσιν τὸν τοῦ ἔτους χρόνον ἔσχον, ὥστε καὶ τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας ὠνομασμένον διὰ πάνυ πολλοῦ ποιῆσαι: debuit dicere, σωτηρίας. *Annuo tunc spatio Romani bellis vacarunt, ita ut longo tempore intermissum salutis augurium repeterent*. Est autem quoddam divinationis genus quo probatur, concedantne ipsis Dii, ut populo salutem postulent, quasi nefas esset eam priusquam concedatur, petere. Ad id dies destinatur quotannis, ad quam diem nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem prodierit, nullum prælium commissum sit. Ideoque si internecina mala sunt, augurio salutis abstinent, & vix dies ulla toto anno reperitur, quæ ab his omnibus pura sit. Atqui tunc videbatur id augurium capi posse, οὐ μέν τοι καὶ καθαρὸν ἐγένετο. ἔξεδροι γάρ τινες ὄρνιθες ἐπέπταντο: *Non tamen purum fuit: inauspicatæ enim aves advolarunt*, auguriumque dirum effecerunt. Alia quoque infesta signa fuerunt fulmina cœlo sereno delapsa, terra ingenti motu concussa, ante bellum Catilinarium. Suetonius in *Augusto*: *Nonnulla etiam ex antiquis cerimoniis paulatim abolita restituit, ut salutis augurium*: quod idem scribit Dio libro 58. Salutis augurium annis quinque & viginti intermissum placuisse continuari sub Claudio Tacitus auctor est libro 12. *Annal. neque Janus claudi, neque salutis augurium fieri nisi quieto Imperio potuit*, quod utrumque fecit Augustus, ut Dio libro 58. libro 51. Festus, *Pro collegio augurum decretum est, quod in salutis au-*

*gurio prætores majores & minores appellentur, non ad ætatem, sed ad vim imperii pertinere*. Auspicia piacularia, & pestifera quædam fuisse supra ostendimus, *Pedestria auspicia quæ a vulpe, lupo, serpente, equo, cæterisque animalibus quadrupedibus dabantur*, ait Festus. *Piacularia auspicia dicta tristia, ut si hostia ab ara profugisset*, apud Festum. Auspicium *Prætermine* dictum, cum Romani de fine Romano in agrum peregrinum transibant. Victorinus Afer in *Orthographia*, *Prætermine dicitur auspicium, quia fit cum de fine Romani in agrum peregrinum transgrediuntur*.

## CAP. XVIII.

*Quorum essent Romæ auspicia?*

AUSPICIA Romæ penes Patres fuere, & in bello gerendo penes Imperatorem, sive is proconsul, sive prætor esset, quo absente si a legato res feliciter gesta, triumphabat Impera- A tor, cujus auspiciis res erat gesta, non legatus. Apud Livium lib. 10. Publius Decius Plebejus apud Patres ita loquutus est: *Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse*. Lib. 6. Appius Patricius sic dixit, *penes quos sunt auspicia more majorum. Nempe penes Patres. Nam Plebejus quidem magistratus nullus auspicato creatur. Nobis adeo sunt propria auspicia, ut non solum quos populus creat Patricios magistratus, non aliter quam auspicato creet; Sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato Interregem prodamus, & privatis auspiciis habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent*. Lib. 4. *plebs ad id maxima indignatione exarsit, quod auspicari tanquam invisi Diis immortalibus negarentur* B *posse*. Plutarchus *Marcello*, καὶ πάσαις μὲν ἀπεδείχθη τῶν ψήφοις ὕπατος. ἐπιβροντήσαντος δὲ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν ἱερέων οὐκ αἴσιον τιθεμένων τὸ σημεῖον, ἐμφανῶς δὲ κωλύειν ὀκνούντων, αὐτὸς ἐξωμόσατο τὴν ἀρχήν: Marcellus *omnibus suffragiis Consul renuntiatus est. Cum autem tonuisset, & augures vitio creatum consulem dicerent, nec palam probibere auderent, ipse magistratu se abdicavit*.

---

# JULII CÆS. BULENGERI
## DOCTORIS THEOLOGI
## *DE OMINIBUS*
## LIBER III.

### CAP. I.

*De Ominibus.*



OMEN ab ore hominis dictum volunt, Græci φήμην, κληδόνα vocant, interdum οἰωνόν. Divinationem per omina Cererem reperisse censent nonnulli. Hesychius, τινὲς δὲ τὰς διὰ τῆς φήμης γενομένας μαντείας Δήμητρα εὑρεῖν φασί. Hoc genus ominum traducit, ac ridet Sanct. Chrysostomus Homil. 5. in Epistol. 1. ad Corinth. πολλοὶ καὶ γένεσιν ἑαυτοῖς ἐπιτειχίζουσι, πολλοὶ καὶ παρατηρήσεις φυλάττουσι, καὶ κληδονισμοῖς, καὶ οἰωνισμοῖς, καὶ συμβόλοις, οἱ δὲ καὶ περιάπτοις, καὶ ἐπῳδαῖς κέχρηνται. Hom. 12. τὰς τῶν ἡμερῶν παρατηρήσεις, τῶν εἰσόδων, καὶ ἐξόδων. *Multi genituram sibi construunt, multi observant inanes superstitiones, & ominibus, auguriis, signis serviunt, alii amuletis, & excantationibus utuntur: multi dies observant, ingressus, egressus, si pes offendit*. Cicero lib. 1. *Divinat. Pythagorei non solum voces Deorum observarunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina, quæ majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, felix, fortunatumque sit præfabantur, rebusque divinis, quæ publice fierent, ut faverent linguis imperabatur, inque feriis imperandis, ut litibus, & jurgiis abstinerent, itemque in lustranda colonia ab eo qui eam deduceret, & cum Imperator exercitum, Censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur: quod item in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine*. Plato libro 7. *de Legib.* κακὴν ὄτταν, καὶ μαντείαν, *malum omen*. Apulejus *Miles.* 1. *meliora ominare, dic* C *quæso meliora verba*. Macrobius, *bona verba quæso*. Pomponius, *ita sit, & tibi bene, qui recte ominas*. Dionysius libro 9. ὀττείας τινὸς ἡ πόλις ἐπληρώθη, καὶ φόβου δαιμονίου, τεράτων τε, καὶ σημείων πολλῶν γινομένων, *Superstitioso metu urbs repleta est, ob signa, & prodigia. Bonis ominibus* Suetonius in *Augusto* cap. 57. *læta omina* Seneca in *Octavio* Actu 4. Scena 1. *optima omina* Cicer. *Philipp.* 12. *Mala omina* pro Sextio. Athenæus lib. 1. dixit πρὸς οἰωνοῦ τίθεσθαι, οἰωνὸν ποιεῖσθαι, οἰωνίζεσθαι *omini ducere*. Tacit. libro 20. *Cum dedicaretur Capitolium ingressi milites, quibus fausta nomina*. Caracalla ante mortem scripsit ad Senatum, παύσασθε εὐχόμε- D νοί με ἑκατὸν ἔτεσι μοναρχῆσαι: *desinite vota nuncupare, ut centum annis imperem*, ait Dio. Festus, *Nomen Cajæ Cæciliæ, quæ antea Tanaquil dicta erat, uxoris Tarquinii Prisci, ominis boni causa frequentare ait nubentes, quia summæ probitatis, & lanifica fuit*. Omina principiis omnibus inesse putabant: lib. 1. *Fastor.*

*Omina principiis, inquit, inesse solent.*
*Ad primam vocem timidas advertimus aures,*
*Et primum visam consulit augur avem.*

*Quod bonum, felix faustumque sit*, dixit Apulejus *Milesia* 2. Brutus Sami natalem suum celebrans E ante cladem, ἀλόγως τόδε τὸ ἔπος παρὰ τὸν πότον ἀνεβόησε,

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοή, καὶ Φοίβου ἔκτανεν υἱός.

*Sine ulla evidente causa in vino hunc versum protulit,*

*Sed me sors misera, & Latonæ perdidit infans.*

Apud Homerum *Odyſſ.* lib.20. Ulyſſes a Jove petit omen domeſticum, foris tonitru.

Φήμην τίς μοι φάσθω ἐγειρομένων ἀνθρώπων,
Ἔνδοθεν, ἔκτοθεν δὲ Διὸς τέρας ἄλλο φάνητω;

*Omen mihi domi aliquis eorum qui vigilant præbeat, foris autem aliud Jovis oſtentum fiat.* *Odyſſ.* lib.1.

Ὣς φάτο, χαῖρε δὲ φήμῃ Ὀδυσσῆος φίλος υἱός.
*Sic loquutus eſt, accepit omen Ulyſſis carus filius.*

Spartianus in *Didio Juliano*: *Tunc omen quod ſibi Julianus cum Imperium acciperet fecerat, omnibus venit in mentem: Nam cum conſul deſignatus de eo ſententiam dicens, ita pronuntiaſſet, Didium Julianum Imperatorem appellandum eſſe cenſeo, Julianus ſuggeſſit. Adde & Severum.* Omina non tantum de vocibus bene, vel male nominatis, verum & de omnibus auguriis ſæpe accipiuntur. Tacit. lib.14. de ominibus Britannicæ cladis ſub Nerone, *Delapſum ſimulacrum victoriæ, ac retro converſum quaſi cederet hoſtibus.* Idem lib.15. *Pætus Armeniam intrat triſti omine. Nam in tranſgreſſu Euphratis quem ponte tranſmittebat, nulla palam cauſa turbatus equus qui conſularia inſignia geſtabat retro evaſit, hoſtiaque quæ muniebantur, hibernaculis aſſiſtens ſemifacta opera fuga perrupit, ſeque vallo extulit, & pila militum arſere, magis inſigni prodigio, quia Parthus hoſtis miſſilibus telis decertat.* Valerius lib. 1. *Mancino Conſuli in Hiſpaniam ituro hæc prodigia acciderunt. Cum Lavinii ſacrificium facere vellet, pulli cavea emiſſi in proximam ſylvam fugerunt, cumque ab Herculis portu navem conſcenderet audivit, Mancine mane.* Non abſimilis fuit vox illa apud Plin. lib.15. cap.19. quæ Craſſo in Parthos moventi cecinit, *venales cauneas*, quaſi ei denuntiaretur, *Cave ne eas*. Capitolinus in *Pertinace*: *Pertinax omen de Juliano ſucceſſore dediſſe dicitur. Nam cum ei Didius Julianus fratris filium obtuliſſet cui deſponderat filiam ſuam, adhortatus juvenem ad patrui obſervationem adjecit, Collegam, & ſucceſſorem meum. Nam ante ei Julianus & in conſulatu collega fuerat, & in proconſulatu ſucceſſerat.* Lamprid. in *Heliogabalo*; *Salambonem etiam omni plauſu, & jactatione Syriaci cultus exhibuit omen ſibi faciens imminentis exitii.* Ammianus lib. 22. *Et viſum eſt triſte, quod Antiochiam ineunte Juliano ululabiles undique planctus audiebant ob Adonia.* Inter omina ſunt imprecationes, aut bene ominata vota, quibus alios proſequimur. Lucian. in Dialog. Deor. μὴ ὥραισιν ἵκοιτο τῶν ὑπὲρ αὐτῶν ἐπιθυμῶν, *Pereat ante annum qui altiora ſe concupiſcit.* Lib. *de ſaltatione*, μὴ ὥραισιν ἱκοίμην ἔτι τοιοῦτον ἀναχοίμην ποτε. *Ne ad annum vivam ſi tale aliquid ſuſtinuero.* Theocrit.

Κ' εἰς ὥρας κ' ἤπειτα φίλ' ἀνδρῶν ἐν καλῷ εἴης:

*Et in annum, & diutius amice ſis felix.* Arnobius lib.1. *Nec adverſus res bonas mali ominis obſcænitate traducor.* Spart. in Severo: *Cum Romam Severus veniſſet, hoſpitem nactus qui Hadriani vitam Imperatoriam eadem hora legeret, ſibi omen futuræ felicitatis arripuit.* Suet. in *Auguſto* c.92. *Obſervabat dies quoſdam, ne aut poſtridie nundinas quoquam proficiſceretur, aut Nonis quicquam rei ſeriæ incboaret, nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium ſcribit, quam δυσφημίαν ominis.* Pauſanias lib.2. *Eliacon, Thebis eſt Apollinis Spondii ara,* μαντικὴ δὲ καθέστηκεν αὐτόθι ἀπὸ κληδόνων. Σμυρναίοις ὑπὲρ τὴν πόλιν κατὰ τὸ ἐκτὸς τοῦ τείχους κληδόνων ἱερόν ἐστι. *Divinatio ibi erat ex ominibus. Et Smyrnæis ſupra urbem extra murum omnium eſt ſacellum.* Cicer. *Luc. Paulus conſul iterum cum ei bellum ut cum Rege Perſa gereret obtigiſſet, ut ea ipſa die domum ad veſperam rediit, filiolam ſuam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, oſculans animadvertit triſticulam.* Quid eſt, *inquit*, mea Tertia? quid triſtis es? Mihi pater, *inquit*, Perſa periit. *Tum ille arctius puellam complexus*, accipio omen, *inquit*; mea filia. *Erat autem mortua catella eo nomine. Luc. Flaccum Flaminem Martialem ego audivi cum diceret Cæciliam Metelli, cum vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum ominis capiendi cauſa, quod fieri more veterum ſolebat. Cum virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox extitiſſet, puellam defatigatam petiiſſe a matertera ut ſibi concederet pauliſper, ut in ejus ſella requieſceret, illam autem dixiſſe, vere mea puella tibi concedo meas ſedes. Quod omen res conſecuta eſt, ipſa enim brevi mortua eſt, virgo autem ei nupſit, cui Cæcilia nupta fuerat.* S. Chryſoſtomus Homil. 12. in Epiſt.1. ad Corinth. *Puero nato cum ei nomen indendum eſt, accenſis lucernis nomina imponunt, efficiuntque ut ea quæ diutiſſime duraverit eodem nomine appelletur, quo infans, inde longam ei vitam ominantes,* λύχνους ἅψαντες, καὶ ὄνομα αὐτοῖς ἐπιτιθέντες τὸν διαρκέσαντα μεχρὶ πολλοῦ τοῦ παιδίου ποιοῦσιν ὁμώνυμον, ἐντεῦθεν πολὺν αὐτὸν στοχαζόμενοι βιώσεσθαι χρόνον. Ex hac ominandi conſuetudine in ſacris ut faverent admonebant. Propertius:

*Dicamus bona verba, venit natalis ad aras,*
*Quiſquis ades, lingua vir mulierque fave.*

*Faventia* bonum omen, *favere* εὐφημεῖν. Horat.

*Male nominatis parcite verbis.*

*Male ominari*, βλασφημεῖν, δυσφημεῖν, *obſcæna verba, ominis obſcænitas.* Attius, *ore obſcæna verba ſegregent.* Theophraſtus *Charact.* εἰς ὀρνιθοσκόπου τῆς μητρὸς ἐξελθούσης βλασφημῆσαι. *Matre eunte ad augurium male ominari.* Plautus *Aſinaria*, *obſcænare* dixit, in *Caſina*, *omen alicui vituperare.* Ibidem *benedicere.* Accius in *Oenomao*: *Vos ite actutum atque opere magno edicite per urbem, ut omnes qui arcem, aſtuque accolunt cives ominibus fauſtis auguſtam adhibeant faventiam, ore obſcæna verba ſegregent.* Feſtus auctor eſt Veteres δυσφημίας verba vitare ſuetos. Ideo lethum pro morte dictum οἴχεται. Cicero in Piſonem, *vixit, abiit, obiit, fuit.* Plutarch. in *Cicerone*. Feſtus: *Abitio*, pro morte, defungi. Valerius lib.1. cap. 5. *Arripuit igitur omen Paulus.* Templis quicquid bonæ ſcævæ cauſa olim referrent, ſanitatem vocabant. Heſychius, ὑγίεια ἄλφιτα οἴνῳ, καὶ ἐλαίῳ πεφυραμένα, καὶ πᾶν τὸ ἐκ Θεοῦ φερόμενον εἴτε θαλλός. *Sanitas, farinæ vino & oleo maceratæ, & omne quod e templo vel a Deo referretur, ſive unguentum, ſive ramus.* Apud Athenæum lib.3. oſtendit Mazam quæ in ſacrificiis deguſtanda daretur dictam *ſanitatem*. Xiphilinus in *Caracalla*, ludis Circenſibus Praſini victi ut viderunt in ſummo obeliſco gracculum garrientem, eum omnes ſpectare, ac repente uno ore quaſi ex compoſito exclamare cœperunt, *Martialis ave, Martialis opportune te vidimus*: id enim factum eſt non gracculi cauſa, cui Martialis nomen olim fuit, ſed quod in eo tanquam divino quodam afflatu Martialem percuſſorem Antonini ſalutarent. Μαρτιάλιε διὰ χρόνου σε ἑωράκαμεν. Plutarchus in *Paulo Æmilio* eadem de re, ἀγαθῇ τύχῃ φάναι, ὦ θύγατερ, καὶ δέχομαι τὸν οἰωνόν, Æmilium dixiſſe, *quod fauſtum, fortunatumque ſiet, o filia, omen accipio.* Livius lib.9. *accipere omen*, & Ovid. lib.7. *Metamorphoſ.*

*Accipio, ſintque iſta precor felicia mentis*
*Signa tuæ dixi, quæ das mihi pignoris omen.*

Saliſberienſ. lib.2. c. 1. *Omina omnia tantum poſſunt, quantum excipientis fides permittit, unde & Julius Cæſar nullo augurio, nullave ſuperſtitione a quocunque incepto potuit abſterreri. Auguſtus vero avunculo diſſimilis, mollior ad omina fuit.* Sueton. libro 2 de Auguſto, *Nam pumilos, atque diſtortos, & omnes generis ejuſdem, ut ludibria naturæ, malique ominis abhorrebat.* Claudi inauſpicati, & ominoſi erant. Cicero lib. 1. epiſt. ad Atticum, *Lurco autem Tribunus Pleb. qui Magiſtratum ſimul cum lege Aelia iniit, ſolutus eſt & Aelia, &*

*Fusia, ut legem de Ambitu ferret, quam bono auspicio claudus homo promulgavit.* Malo omini Niciæ Atheniensi duci fuit, quod per Adonia festa lugubria expeditionem movit. Plutarchus in *Nicia*, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ τὰ τῶν ἡμερῶν ἐν αἷς τὸν στόλον ἐξέπεμπον ὑπέθραττον. Ἀδώνεια γὰρ εἶχον αἱ γυναῖκες τότε, καὶ προὔκειτο πολλαχόσε τῆς πόλεως εἴδωλα, καὶ ταφαὶ περὶ αὐτὰ, καὶ κοπετοὶ γυναικῶν ἦσαν. De Adoniis Ovidius lib.10. *Metam.*

*Questaque cum fatis, & non tamen omnia vestri*
*Juris erunt, dixit, luctus monimenta manebunt*
*Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago*
*Annua plangoris peraget simulamina nostri.*

Tristia omina belli Civilis Lucanus lib. 3. commemorat,

*—— Non omina festa,*
*Non fictas læto voces simulare tumultu.*
*Vix odisse vacat.*

Omen malæ indolis Juliano fuit, quod scribit Sozomenus lib.5. cap.2. *Cum Gallus, & Julianus fratres sepulchrum Mamæ Martyris muro ambire vellent* Γάλλου μέρος ἐπεδίδου, καὶ κατὰ γνώμην προὐχώρει, τῶν μὲν Ἰουλιανοῦ ποιημάτων τὰ μὲν ἠρείπωτο, τὰ δὲ ἐκ τῆς γῆς ἀνεδίδοτο; *pars quæ exstruebatur a Gallo in majus augebatur, & ex sententia procedebat, eorum vero quæ fiebant a Juliano quædam sponte ruebant, quædam terra respuebat.* Barbarum illud ominis, vel potius augurii genus fuit, quod commemorat Tacitus lib. *de Morib. German. Proprium gentis esse*, ait, *equorum præsagia, ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru Sacerdos, ac rex, vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud Sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscios putant. Est alia observatio auspiciorum qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis cum qua bellum est captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum patriis quemque armis committunt, victoria hujus, vel illius pro præjudicio accipitur.* Nec minus admirabile illud fuit, quod prodit Heliodorus *Æthiop.* lib.3. Αὐτοὶ δὲ ἄρα τῆς κώμης ἐκτὸς γεγονότες, καὶ τὰς ὄχθας τοῦ Νείλου παραμείβοντες, κροκόδειλον ὁρῶσιν ἀπὸ δεξιῶν ἐπὶ θάτερα διερπίζοντα, καὶ τῷ ῥεύθρῳ τοῦ ποταμοῦ σὺν ὀξείᾳ τῇ ῥύμῃ καταδυόμενον. οἱ μὲν δὴ ἄλλοι συνήθως τε καὶ ἀθορύβως τὸ ὀφθὲν ἦγον, πλὴν ὅσον ὁ Καλάσιρις κωλύματι τῆς καθ' ὁδὸν ἐπισημαίνεσθαι προὔλεγεν: *Ipsi pago egressi, ripas Nili prætereuntes vident crocodilum a dextris, ad sinistrum serpentem, & cum impetu vehementi in fluvium se immergentem. Alii quidem visum imperturbate, & ut aliquid vulgare acceperunt, sed Calasiris prædixit aliquod per viam impedimentum fore.* Superstitiosi imprimis fuere Athenienses, de quibus Xenophon lib.1. *Hellenic.* Ὁ Ἀλκιβιάδης κατέπλευσε εἰς τὸν πειραιᾶ ἡμέρᾳ ᾗ πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις, τοῦ ἔδους κατακεκαλυμμένου τῆς Ἀθηνᾶς, ὅ τινες οἰωνίζοντο ἀνεπιτήδειον εἶναι καὶ αὐτῷ, καὶ τῇ πόλει: *Alcibiades navi descendit in Peræum die qua civitas Plynteria festa agebat, velato Minervæ simulacro, quod augurabantur infelix esse tum ipsi, tum urbi.* Ea enim dies erat inter nefastas. Pollux, περιχοινίσαι τὰ ἱερὰ ἔλεγον ἐν ταῖς ἀποφράσι, καὶ τὸ παραφράξαι οἷον πλυντηρίοις: *Claudere, & funiculo sepire templa dicebant diebus nefastis, ut in plynteriis.* Germani certe ex clamore militum in concursu cum hostibus omen victoriæ captabant. Tacit. lib. *de Morib. German. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barritum vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipsa etiam augurantur.* Marcell. Donatus in suis dilucidationibus ad Tacitum legit *Barditum* a Bardis Gallis. Nimis barde. *Barritus* a barris, id est, Elephantis apud Ammianum lib. 16. est Græcorum ἀλαλαγμός, quem Festus *Barbaricum* dictum esse scribit, quia eo maxime Barbari usi. Verum & Romani hoc omine usi. Livius libro 4. *Clamor indicio fuit quo res inclinatura esset, excitatior, crebriorque ab hoste sublatus, ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpe iteratus, incerto tempore.* Idem libro 30. libro 40. Cæsar libro 7. *belli Gallici.* Inter infausta omina numerabant si quis occurreret eunucho vel Æthiopi. S. Chrysostomus οἷον ὁ δεῖνά μοι πρῶτος ἐνέτυχεν ἐξιόντι τῆς οἰκίας, πάντως μυρία δεῖ κακὰ συμπεσεῖν. νῦν ὁ οἰκέτης ὁ μιαρὸς τὰ ὑποδήματα ἐπιδοὺς πρῶτον ὤρεξε τὸ ἀριστερόν: *veluti iste primus mihi occurrit exeunti, omnino mihi mala infinita evenient: famulus meus perditus, mihi calceos inducens primum sinistrum præbuit.* Vide Suetonium in *Augusto* cap.92. Lucianus περὶ ἀποφράδος, κἂν εἴ τις βάκηλον, ἢ εὐνοῦχον ἴδοι, ἢ πίθηκον εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας, ἐπὶ πόδα ἀναστρέφει, ἢ ἐπανέρχεται, οὐκ ἀγαθὰς μαντευόμενος τὰς ἐφημέρους ἐκείνας πράξεις ἔσεσθαι αὐτῷ, ὑπὸ πονηρῷ τῷ πρώτῳ, καὶ δυσφήμῳ τῷ κληδονίσματι: *Si quis eviratum, aut eunuchum viderit, aut simiam, statim ut exit domo, refert pedem & redit, malas sibi ominans illius diei actiones fore, quod habuerit inauspicatum illud omen primum.* In *Timone* Lucianus vocat δυσάντητον, καὶ ἀποτρόπαιον θέαμα, *spectaculum infaustum, & aversandum*, δυσοιώνιστον, *inauspicatum.* S. Basilius κακὸν συνάντημα τῆς ἑορτῆς, *infaustum occursaculum.* Seneca, *Sacerdos non integri corporis quasi mali ominis res vitanda est.* Adrianus Mauri occursum infelicem sibi existimavit. Cicero in Vatin. *Cum viderint tanquam auspicium malum detestantur.* Ammianus libro 31. *Hæc velut ab usu communi discreta sepulcra declinant.* Omina inauspicata Mauricio, priusquam imperio a Phoca pelleretur, hæc facta sunt apud Paulum Diaconum libro 17. *Exeunte Imperatore ad septimum solis eclipsis facta est. Cumque esset apud Rhegium multitudines pecuniis animavit. Cum autem venatum pergeret sus sylvestris valde grandis impetum contra Cæsarem fecit. Equus autem ob terrorem miraculi Cæsarem ejicere nitebatur. Diutius ergo tumultuatus Cæsarem jactare nequivit. Itaque sus a nemine actus abscessit. In Perinthum navigio iter faciens ventis vehementibus, & pluvia facta, nautisque desperantibus scapha Imperatoris asportabatur, ita ut inopinate salvus ad locum qui dicitur* Daonium *vix veniret. Nocte vero illa muliercula pariebat, & voces miserabiles emittebat. Cumque mane factum fuisset, misit Imperator videre quod acciderat. Et invenerunt puerum natum oculorum, & palpebrarum exsortem, manusque, ac brachia non habentem, a lumbo autem erat ei ut cauda piscis naturaliter hærens: quo viso Imperator præcepit ut occideretur. Hac die Imperatoris equus, qui aureo erat circundatus ornatu repente scissus est cadens. At Imperator his omnibus auguriis tristis erat. In suburbanis Byzantii puer natus est quadrupes, & alter duos vertices habens. Eodem anno vir monachico circumamictus habitu, & religione clarus, spatha nudata a foro usque ad æneam gladiatoris statuam discurrens Imperatorem omnibus in occidione gladii moriturum prædixit.* Similiter & Herodianus Mauricio manifeste quæ sibi fuerant ventura prædixit. Sed supra alios Romani omina servarunt. Valer. Max. lib. 1. cap. 5. *urbe a Gallis disjecta deliberantibus P. C. utrum Vejos migrarent, an sua mœnia restituerent, Centurio in Comitio exclamavit*, signifer statue signum, hic optime manebimus. *Ea voce audita Senatus se accipere omen respondit.* Romæ ut sibi totius anni cursum felicem ominarentur, Annæ perennæ faciebant. Macrobius lib.1. *Saturn.* c.12. *Mense Martio & publice & privatim ad Annam perennam sacrificatum itur, ut annare, perennareque commode liceat.* Ovid.l.3. *Fastor.*

*Sole hilares, vinoque calent, annosque precantur*
*Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.*
*Invenies illic qui Nestoris ebibat annos.*

Varro,

*Ted' Anna perenna, Panda, te Lato, Pales,*
*Neriennes, & Minerva, Fortuna ac Ceres.*

Omen Imperii factum Juliano Cæsari prodit Paulus Diaconus lib. 11. *Fertur quod dum in quandam civitatem fuisset ingressus corona laurea quibus solenne civitates ornari inter columnas pendens rupto fune super caput ejus decidit, eumque aptissime coronavit. Quo facto cuncti clamavere, quia ei signum foret Imperii.* Aliud ominis genus fuit quod ex Athenæo commemorat Eustathius his verbis, ἰστέον ὅτι τὸ οὕτω τοὺς κρατῆρας ἐπιστέφεσθαι, ὡς διὰ τοῦ ποτοῦ ἐπιστεφανοῦσθαι, καθά φησιν Ἀθήναιος, ἔπραττον οἱ παλαιοὶ πρὸς οἰωνοῦ φησι τιθέμενοι. ἦν δὲ ἴσως τὸ οἰώνισμα εἰς ἐντελὲς εὐδαιμονίας σύμβολον, καὶ πληρέστατον. ὅπερ ἀπ' ἐναντίας τῇ κενεαγγίᾳ ἐστί. τὸ γὰρ ὡς ἐρρέθη ἐπιστεφὲς κυκλώματι ἔοικε σφαιροειδεῖ. τὰ δὲ τοιαῦτα σχήματα καὶ τέλειά ἐστι καὶ πολυχώρητα, καὶ διὰ τοῦτο προσφυῆ τῷ εἰρημένῳ οἰωνίσματι τῷ ἐπὶ βίῳ εὐδαίμονι: *Sciendum quod ita crateras coronari, ut vino, seu potu coronentur, a Veteribus boni ominis causa id usurpatum est. Quod omen ad plenam, perfectamque felicitatem trahebatur, sicut vas inane in malam scævam erat. Quod enim coronatum est circulo orbiculato non est absimile. Ejusmodi autem figuræ perfectæ sunt, & capacissimæ, ideoque opportunæ & quasi cognatæ omini, quo vitam felicem auguramur.* Huc respexit Virgilius,

*Et vina coronant,*
*Pateramque corona induit.*

Origenes lib. 4. contra Celsum, Εἴπερ δὲ θεία ἐστὶν ἡ τῶν ὀρνίθων ψυχὴ, διὰ τὸ δι' αὐτῶν προλέγεσθαι τὰ μέλλοντα, πῶς οὐχὶ μᾶλλον ὅπου κληδόνες ἀπὸ ἀνθρώπου λαμβάνονται, θείαν εἶναι φήσομεν τὴν ψυχὴν ἐκείνην, δι' ὧν αἱ κληδόνες ἀκούονται; θεία οὖν τις ἦν κατὰ τοὺς τοιούσδε ἡ παρὰ τῷ Ὁμήρῳ ἀλετρὶς, περὶ τῶν μνηστήρων εἰποῦσα.

Χαῖρε δὲ κληδόνι δῖος Ὀδυσσεύς.

ἤδη δὲ ὅρα, εἴπερ οἱ ὄρνιθες θείαν ἔχουσι ψυχὴν, καὶ αἰσθάνονται τοῦ Θεοῦ, ἢ (ὡς ὁ Κέλσος ὀνομάζει) τῶν Θεῶν, δηλονότι καὶ ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι πταρνύμενοι, ἀπό τινος ἐν ἡμῖν οὔσης ποιότητος, καὶ μαντικῆς περὶ τὴν ψυχὴν ἡμῶν πταρνύμεθα· καὶ γὰρ τοῦτο μαρτυρεῖται ὑπὸ πολλῶν, διὸ καὶ ὁ ποιητὴς λέγει τὸ,

Ὁ δὲ ἔπταρεν εὐχομένοιο.

Διὸ καὶ ἡ Πηνελόπη φησὶν,

Οὐχ ὁράας ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε οἷσιν ἔπεσσι.

τὸ δ' ἀληθὲς θεῖον εἰς τὴν τῶν περὶ μελλόντων γνῶσιν οὔτε τοῖς ἀλόγοις χρῆται ζώοις, οὔτε τοῖς τυγχάνουσι τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ ψυχαῖς ἀνθρώπων ἱερωτάταις, καὶ καθαρωτάταις· ἅς τινας θεοφορεῖ τε, καὶ προφήτας ποιεῖ. *Si divina est avium anima, quod per eas augures futura prædicant, quid ni hominis animam diviniorem esse dixerimus, per quos omina accipimus? Divina igitur erat, si illi audiendi sunt, apud Homerum ancilla quæ farinam molebat, & de procis dicebat,*

*Postremam hanc cœnam capiant nunc ædibus istis. Et illa quidem divina erat, Ulysses autem vir tantus, Homericæ Minervæ amicus non erat divinus, sed intelligens omina quæ a divina molitrice dicebantur, ut Poeta ait,*

*Omine gaudebat læto consultus Ulysses.*

*Jam vide si aves divinam animam habent, & sentiunt Deum, vel ut Celsus loquitur, Deos, certe & nos homines sternutantes ab aliqua affectione quæ in nobis est, & divinatione quæ in anima nostra est, sternutamus. Etenim & huic rei multi testimonio sunt; Ideo Poeta dicit,*

*Ille autem sternuit eo precante Deos.*
*Et Penelope ait,*

*Non vides filium meum mihi verbis suis adsternutasse? Omnino verus Deus nec brutis animantibus ad futuri prænotionem utitur, neque hominibus e Circo, sed animis hominum purissimis, & sanctissimis, quos suo numine implet, & Prophetas, ac divinos facit.* Auguria sunt potius quam omina quæ commemorat Photius in *Bibliotheca* ex Ptolemæo Hephæstionis, Ταῦρον θύοντι τῷ πατρὶ ἀπηγγέλται τεχθῆναι Θεμιστοκλῆς, καὶ ταύρου πιὼν αἷμα ἀπεβίω. Ὑστάσπου Δαρεῖος εκτεθεὶς ὑπὸ τῆς μητρὸς ἵππου θηλείας ἀνετράφη, καὶ ἵππου χρεμετισμῷ ἐβασίλευσεν. Ἰβύκου τοῦ μελοποιοῦ θεράπων τοὔνομα Ἡρακλῆς ζῶν ἐκαύθη. Ὀρέστης κατὰ τὴν ἑορτὴν ἐτέχθη τῆς Δήμητρος τῆς καλουμένης Ἐριννύος. Φίλιππος ἔτι παῖς ὢν τοὺς ἀφαλλομένους τῆς κινήσεως ἀστέρας ἐπειρᾶτο καθ' ἑσπέραν τοξεύειν, ἀστὴρ δ' ἦν ὄνομα καὶ τῷ ἐκκόψαντι αὐτοῦ βέλει τὸν ὀφθαλμόν. Μαρσύας αὐλητὴς ἐν ἑορτῇ Ἀπόλλωνος ἐτέχθη, ἐν ᾗ πάντων τῶν θυομένων ζώων τὰ δέρματα αὐτῷ ἐκδερόμενα ἀνατίθεται, καὶ αὐτὸς ἐξεδάρη. Κλαύδιον κύουσα ἡ μήτηρ βολήτων τοὺς μύκητας ἐπιθυμήσασα ἔφαγε, καὶ Κλαύδιος μύκητας πεφαρμακευμένους φαγὼν, ἀπεβίω. *Taurum sacrificanti Themistoclis patri nuntiatum, filium sibi Themistoclem natum, qui epoto sanguine tauri mortuus est. Darius Hystaspis filius a matre expositus equæ ubere educatus est, & hinnitu equæ Rex factus est. Ibyci Lyrici servus Hercules nomine vivus exustus est. Orestes exiit in lucem die festo Cereris cognomento Furiæ, & furiis actus est. Philippus puer stellas deciduas sub vesperam sagitta figere tentabat, Stellæ cognomento fuit is a quo oculus ei sagitta erutus est. Marsyas natus est die festo Apollinis, quo omnium victimarum pelles Apollini dicantur, & Marsyæ pellis detracta est. Claudii prægnans mater boletorum avida erat, & Claudius boleto periit.* Imperium Romanum ab Augusto institutum sub Augusto desiit, Constantinopolitanum a Constantino sub Constantino eversum est. Ad omina merito revocantur vota quæ Kalend. Januariis pro salute Imperatoris quotannis concipiebantur. Item strena quam apud Athenæum libro 3. ἐπινομίδα vocat Ulpianus. Alii vocant εὐαρχισμόν. Vide Symmachum libro 10. epist. Et ad omina pertinet quod Veteres rerum male ominatarum mentionem super cœnam fieri nollent, aut factam abominarentur. Athenæus libro 5. πάλιν Ἐπίκουρος ἐν τῷ συμποσίῳ ζητεῖ περὶ δυσπεψίας, ὥστε οἰωνίζεσθαι, εἶτα ἑξῆς περὶ πυρετῶν: *Rursus quærit Epicurus in convivio suo de cruditate, ut ex eo liceat ominari: deinde quærit de febribus.* Plinius libro 28. *Incendia inter epulas nominata effusis subter mensam aquis abominamur.* Spartianus de Adriano, *In tribunatu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asserit, quod penulas amiserit, quibus uti tribuni plebis pluviæ tempore solebant, Imperatores autem nunquam.* Apud Photium in *Bibliotheca* pag. 874. ex Elladio, τὸ μὴ λέγειν δύσφημα πᾶσι τοῖς παλαιοῖς μὲν φροντὶς ἦν, μάλιστα δὲ τοῖς Ἀθηναίοις. διὸ καὶ τὸ δεσμωτήριον οἴκημα ἐκάλουν, καὶ τὸν δήμιον κοινὸν, τὰς δὲ ἐριννύας, εὐμενίδας, ἢ σεμνὰς Θεὰς, τὸ δὲ μύσος ἄγος, τὸ δὲ ὄξος μέλι, καὶ τὴν χολὴν γλυκεῖαν, τὸν δὲ βόρβορον ὀχετὸν, καὶ τὸν πίθηκον καλλίαν, καὶ τὸν κλέπτην φιλήτην: *Priscis omnibus maxime Atheniensibus id imprimis curæ fuit, ut verbis male ominatis abstinerent. Quare & carcerem domum vocarunt, & carnificem communem, Erinnyas placabiles, seu verecundas Deas, detestationem puram, acetum mel, fel dulce, lutum canalem, simiam pulcrum, furem amicum.* Verum ut ad omina redeamus. Plutarchus in *Crasso*, *concionanti vox excidit, quæ exercitum mirum in modum consternavit.* ἔφη γὰρ τὸ ζεῦγμα τοῦ ποταμοῦ διαλύειν ὅπως μηδεὶς αὐτῶν ἐπανέλθῃ: *dixit enim se dissoluturum pontem, ne quis eorum reverteretur.* Plutarchus in *Alexandro*: *Ante ultimum prælium, quo Darius deletus est, caculæ qui erant in impedimentis in duas par-*

*tes se dividunt, duces creant, alterum Darium, alterum Alexandrum vocant: pugnant utrinque pertinacissime, Alexander sistit pugnam, duces solos inter se committit*, ἐθεᾶτο δὲ ὁ στρατὸς ἐν οἰωνῷ τινι τοῦ μέλλοντος τιθέμενος τὸ γιγνόμενον. ἐνίκησεν ὁ καλούμενος Ἀλέξανδρος: *spectabat exercitus omen ex eventu capturus, vicit Alexander*. Socrates lib. 2. *Eccl. Histor.* cap. 32. ὁ Μαγνέντιος ὑπὸ τῆς ἥττης καταπεπτωκότας τοὺς ἑαυτοῦ στρατιώτας ἀνερρῶσθαι σπουδάζων ὑψηλοῦ βήματος ἐπέβη. οἱ δὲ τὴν συνήθη τοῖς βασιλεῦσιν εὐφημίαν ἐπιβοῆσαι βουλόμενοι, Κωνστάντιον Αὔγουστον κοινῇ πάντες παρὰ γνώμην ἐβόησαν: *Magnentius volens confirmare milites ob cladem animis consternatos ascendit in sublimem suggestum. Illi consuetam Imperatoribus acclamationem dare volentes, Constantium Augustum uno ore omnes in commune acclamarunt*. Plato libro 7. *de Legibus*, θυσίας γενομένης, καὶ ἱερῶν καυθέντων κατὰ νόμον, εἰ τῷ τις βλασφημεῖ πᾶσαν βλασφημίαν: *cum fit sacrificium, & exta rite adolentur, si aliquis male precatur, & obscœna verba dicit*. Demosthenes in Leptinem, δεῖ δὲ οὕτω λέγειν, καὶ μὴ βλασφημεῖν: *Ita oportet dicere, & non obscœnare*. Terentius, *unde dem recte; Nam non habere me religio est dicere*. Apud Lindios Herculi cum obscœnis verbis, & exsecratione fiebat, ait Pausanias. Plinius lib. 28. cap. 2. *Præco*, hoc age, *exclamabat, virgaque populum summovebat, quæ* commentaculum *dicebatur, & silentium indicebat, ne mala aliqua vox obstreperet, neve quid triste audiretur, & sacris favere jubebat*. Festus, *pascere linguam, favere*. In Achaja fuit divinatio quædam *per omina*, διὰ κληδόνων. Qui moneri de re aliqua vellet in templum inibat, & Deo in aurem insusurrabat postulatum suum, tum *exibat e foro obturatis auribus*, cum foras prodisset, manus ab auribus amovebat, & quam primum vocem audisset, oraculum accipiebat, ut scribit Pausanias de Mercurio forensi, ἄπεισι ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐπιφραξάμενος τὰ ὦτα. In sacris Litteris omina captata esse animadvertimus lib. 1. Regum cap. 4. Jonathas armigerum monet, si quis ex hostibus dixerit, ἀνάβητε πρὸς ἡμᾶς, *ascendite ad nos*, Deus hostes potestati nostræ tradidit. Romani, ait Plinius libro 28. cap. 2. primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominabantur, publicis lustris nomina victimas ducentium prospera legebant: ad primitias pomorum, hæc vetera esse dicebant, alia nova optabant. Nomine salutare melius esse putabant: Ad mentionem mortuorum testabantur eorum memoriam a se non sollicitari. Ovidius 1. *Fastorum*:

*At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis,*
*Et damus alternis, accipimusque preces?*
*Quisque suas artes ob idem delibat agendo,*
*Nec plusquam solitum testificatur opus.*

Scorpione viso si quis diceret duo, eum non lædi putabant, ait Plinius. In Pithœgiis cum nova vina gustarent dicebant, *novum vetus vinum bibo, veteri novo morbo medeor*. In Michaele filio Theophili Zonaras, *Amer*, inquit, *ante pugnam rogat captivum qui locus vocaretur*. Respondit, *regio Lalacoon* (lego λαοκακῶν) *vallis* πτῶσας, ποταμὸς γύρης. Amer ait, οὐκ αἴσιοι κλήσεις, λαοκακῶν, κακώσεις λαοῦ, πτῶσας πτῶσιν, γύρη γυρωθῆναι ὑπὸ τῶν ἐναντίων αὐτῆς: appellationes istæ sunt inauspicatæ, *Laocakon*, populi afflictio, *ptosas*, est casus & ruina, *gyre* significat nos circumventum iri ab hostibus. Solebant ideo Veteres, ut monui, mala omina deprecari. Cicero *Philip.* 4. *o Dii immortales avertite, & detestamini quæso hoc omen*. Ovid. epist. 13 Heroid.

*Dii, precor, a nobis omen removete sinistrum.*

Plautus *Rudente*, act. 2. *Melius ominare*. *Omina dira* Tibul. libro 1. eleg. 3. vocat, cujusmodi fuit il-

A lud Quinti Petilii, qui milites pro concione alloquens dixit, *hodie Letum capiam*, collem intelligebat, cui nomen Leto, sed sibi leti omen fuit, ait Valer. libro 1. cap. 6. *tristia* Ovid. libro 6. *Metamorph. adversa* Sueton. *Vitellio*, *funesta* Tacitus lib. 18. *bona, fausta, candida, secunda, dextra, læta*, Catullus in *epithalam*. Horat. lib. 3. *carm.* Od. 2. Silius lib. 13. Seneca in *Octav.* Act. 4. Scena 1. mala omina abominabantur. Ovid. libro 3. *de Ponto* eleg. 1.

*Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset.*

Dio lib. 55. ὃ μὴ γένοιτο. Livius lib. 28. *Quod omnes Dii omen avertant*. Cicero lib. 9. ad Attic. *Dii averruncent*. Ovid. lib. 1. *Amor.* eleg. 13.

——*procul omen abesto.*

B Terent. *Andria: quod Dii prohibeant.*

Virgil. lib. 3. *Georgic.*

*Dii meliora piis, erroremque hostibus illum.*

Lucan. libro 2. *Dii melius*. Herodian. libro 1. de Kal. Januar. ταύτης δὲ τῆς ἑορτῆς προϊούσης ἐν ᾗ μάλιστα Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους: *Procedente festo illo die, quo Romani maxime se invicem excipiunt, & salutant*, καὶ προσαγορεύουσι. Festus *strenam die religioso ominis boni gratia dari* ait libro 4. *de Ponto* eleg. 4.

*Utque solet, tulerit prospera verba dies.*

Lucian. libro ψευδολογιστής, Ἦν μὲν ἡ τοῦ ἔτους ἀρχή, μᾶλλον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς μεγάλης νουμηνίας τρίτη, ἐν ᾗ οἱ

C Ῥωμαῖοι, κατά τι ἀρχαῖον, εὔχονταί τε αὐτοὶ ὑπὲρ ἅπαντος τοῦ ἔτους εὐχάς τινας: *Erat anni initium, aut magis tertia dies a magnis Kalend. qua die Romani more majorum sibi bene precantur in annum sequentem*. Cap. 92. Sueton. in Augusto, *auspicia quidem, & omina pro certissimis observabat. Si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextero induceretur, ut dirum, si terra, marive ingrediente se longinquam profectionem, forte rorasset, ut lætum, maturique, & prosperi reditus*. Apud Græcos maximus ominum usus. Leotychides cum a Samio rogaretur, ut Persis bellum inferret, nomen ejus requisivit. Respon-

D dit Samius, se Hegesistratum vocari: cum Leotychides, *omen* ἡγησιστράτη, *ductoris exercitus accipio*. δέχομαι τὸν οἰωνόν, ait Herodotus. Accepit, inquam, quia oportuit & auguria, & omina ut juvarent, accipi, & agnosci, quemadmodum neque nocere putabantur iis qui rem ingredientes ea se observasse negassent, ut Plin. lib. 28. Valer. Maximus libro 1. cap. 8. *accepit omen, arripuit omen*. Livius libro 26. *accipere se omen dixit*. Pacuvius, *Repudio auspicium, regrediendum est ilico*. Sueton. in *Augusto* cap. 96. *Apud Actium descendenti in aciem asellus cum asinario occurrit, Eutychus homini, bestiæ Nicon nomen erat: utriusque simulacrum*

E *æneum victor posuit in templo in quo castrorum suorum locum vertit*. *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locabatur fruendus, ut in delectu, censuve primi nominabantur Valerius, Salvius*, ait Festus. Græci boni ominis causa dicebant, εὖ πάθωμεν, ut Lucianus ait. In testamentis ἀγαθῇ τύχῃ, *bono eventu*, apud Theophrastum *Charact.* titulo *de stupidit.* ἔσται μὲν εὖ, in Aristotelis testamento. In edictis prætoris *bonum factum*. Persius, *hoc bene sit*. Cicero lib. 7. epist. ad Atticum, *bene eveniat*. Ovidius in Ibin:

*Evenient, dedit ipse modo mihi signa futuri*
*Phœbus.*——

F Eustat. ad lib. 2. *Iliad.* ***Inter initia Veteres dicebant***, Θεός, Θεός, *Deus, Deus*. ***Beneventum*** boni ominis causa dictum est, cum prius ob mare procellosum, *Maleventum* diceretur. Plinius libro 3. cap. 11. Secunda vocant ἀριστερά, bonæ scævæ causa. Fidicines, & Citharœdi in Græcia cum proluderent, boni ominis causa ab Apolline ordiebantur: ἀμφί μοι αὖθις ἄνακτα, ut Suidas. Aristophanes in *Nubi-*

*bus* , ἀμφί μοι αὖτε Φοῖβε ἄναξ Δήλιε : *Phœbe Rex Delie mihi præſens eſto*. ἀμφιανακτίζειν ᾄδειν τὸν Τερπάνδρου νόμον τὸν καλούμενον ὄρθιον : *Eſt canere Terpandri modum orthium* . ἀμφί μοι αὐτὸν ἄνακθ' ἑκατηβόλον ἀδέτω φρήν : *Mens mihi canat ipſum Regem longe jaculantem* . Plutarchus *Sympoſ.* 4. τοῦ νέου Ἀθήνησι μὲν ἑνδεκάτῃ μηνὸς κατάρχονται, πιθοιγίαν τὴν ἡμέραν καλοῦντες , &c. *Undecima die menſis Athenis novi vini primitias deguſtant , Pithœgiam qua dolia aperirentur vocantes diem illam , & olim quidem , ut videtur , antequam guſtarent vinum libantes precabantur , ut ſibi ſalutare , & innoxium medicamenti uſum præberet* . Vide Varronem libro 5. *de ling. Latin.* & Feſtum in voce *meditrinalia* . Macrob. libro 1. *Saturn. mane* dici vult *al omine boni nominis , quia Lanuvini* mane *pro bono dicunt* : ſic Græci ἀριστερὰ, *ſiniſtra* boni ominis cauſa, quaſi meliora. Prima anni die boni ominis cauſa ſtipes dabant, accipiebant, ſtrenuæ ut videtur nomine. Ovid. lib.1. *Faſtor.*

*Tu tamen auſpicium cur ſit ſtipis utile quæris ,*
*Curque juvent noſtras æra vetuſta manus?*
*Æra dabant olim. Sed cur navalis in ære ,*
*Altera ſignata eſt , altera forma biceps?*

Philippus cum Flaminio prœlio decreturus, ut milites hortaretur, *imprudens ſepulchrum quod erat extra caſtra conſcendit* , πολυάνδριον ὑψηλὸν ἔξω τοῦ χάρακος . ἀθυμίας δὲ δεινῆς πρὸς τὸν οἰωνὸν ἐμπεσούσης , *militibus eo nomine perculſis* . Plutarchus in *Flaminio* . Sueton. in *Calig. læta omina* vocat, fauſta nomina. *Epidamnum* Dio lib. 4. Dyrrachium dictum ait ὅτι ἡ τῆς Ἐπιδάμνου πρόσρησις ζημιώδη δήλωσιν ἔχουσα, *quod Epidamni appellatio Latina lingua detrimentum ſignificat* . *Omen* dicitur & de avibus , & oſtentis. Silius Italicus:

*Noſco te ſumme Deorum ,*
*Adſis , o , firmeſque tuæ pater alitis omen* .

Ammianus Marcel. libro 23. *Quo oſtento lætior clamavit , plaudentibus omnibus , Babylona humi procidiſſe , ornamentis omnibus ſpoliatam , & pauliſper detentus , ut omen per hoſtias litando firmaret* . Priora omina ut ſecundis firmarent Deos venerabantur. Pauſanias *Achaic.* de Mercurio, ὁ ἀφικόμενος ἐρωτᾷ πρὸς τὸ οὖς τὸν Θεὸν ὁποῖόν τι , καὶ ἑκάστῳ τὸ ἐρώτημά ἐστι, τὸ ἀπὸ τούτου δὲ ἄπεισι ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἐπιφραξάμενος τὰ ὦτα· προελθὼν δὲ ἐς τὸ ἐκτὸς τὰς χεῖρας ἀπέχει ἀπὸ τῶν ὤτων , καὶ ἧς τινὸς ἂν ἐπακούσῃ φωνῆς μάντευμα ἡγεῖται . Plinius , *ex hoc genere ſunt Cotonea , & Carices , quæque conſcendenti navim adverſus Parthos omen fecere M. Craſſo , venales prædicantis voce Cauneæ* . Cicer. libro 2. *Divinat. Cum M. Craſſus exercitum Brundusii imponeret , quidam in porticu caricas Cauno advectas vendens Cauneas , clamibat , dicamus ſi placet monitum ab eo Craſſum , caveret ne iret* . Attilius hiſtoriarum ſcriptor *Talaſſium nomine virum rapta virgine unicæ pulchritudinis , quod id ei conjugium fuerit felix ominis gratia nunc redintegrari ait , in Nuptiis boni ominis cauſa hæc verba ſolemnia* , ſi tu mihi Cajus , ego Caja . *Ob Cajæ Cæciliæ fauſtum conjugium* . Sueton. in *Auguſto* cap.97. *Tiberium in Illyricum dimiſſurus , & Beneventum uſque proſecuturus , cum interpellatores aliis , atque aliis cauſis in jure dicendo detinerent , exclamavit , quod & ipſum mox inter omina relatum eſt , non ſi omnes morarentur amplius ſe poſtbac Romæ futurum* . Sueton. in *Tiber.* cap. 13. *Prægnans Livia tum an marem editura eſſet variis captaret ominibus , ovum incubanti gallinæ ſubductum nunc ſua , nunc miniſtrarum manu per vices uſque eo fovit , quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt* . Lampridius in *Alexandro Severo* , *Tribunal aſcendenti ut concionaretur , & fauſtum aliquid diceret , ita cœpit* , occiſo imperatore Heliogabalo , *hoc tamen omini fuit , quod iturus ad bellum milites alloqui minus fauſta oratione cœptaverat*. Lib. 23. Ammian. de Juliano Auguſto , *Jumentum quo veheretur ex uſu popoſcit , oblatuſque ei equus , Babylonius nomine , ictu torminis conſternatus , dum dolorum impatientia volvitur , auro , lapilliſque ornamenta diſtincta conſperſit , quo oſtento lætior clamavit plaudentibus proximis , Babylona humi procidiſſe , ornamentis omnibus ſpoliatam , & pauliſper detentus , ut omen per hoſtias litando firmaret* . Sueton. in *Nerone* cap.46. *Auſpicanti Sporus annulum muneri dedit , cujus gemmæ ſculptura erat* , Proſerpinæ raptus . *Cum ex oratione ejus qua in vindicem perorabat , recitaretur in Senatu , daturos pœnas ſceleratos , ac brevi dignum exitium facturos , conclamatum eſt univerſis* , ut facies Auguſte : *obſervatum etiam fuerat , noviſſimam fabulam cantaſſe eum publice , Oedipodem exſulem , atque in hoc decidiſſe verſu* ,

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος μήτηρ , πατήρ.

Pomp. Mela lib.2. *Epidamnos Dyrrachium dictum eſt , quia velut in damnum ituris omen id viſum eſt* . *Superſtitio enim vetus minima quæque obſervabat velut ominoſa* . Tacit. lib.4. *Hiſtor. ut virorum cantu , fœminarum ululatu ſonuit acies Batavorum , nequaquam par a legionibus , cohortibuſque redditur clamor* . Ibid. *Veſpaſianus quia ingreſſus templum Serapidis , intentuſque numini reſpexit pone tergum Baſilidem , ex nomine omen regni cepit* . Lamprid. in *Alexand. Severo* : *Nutrix ei Olympia data eſt ; quo nomine mater Alexandri appellata eſt , nutritor Philippus provenit caſu , unus ex ruſticis , quod nomen patri Alexandri Magni fuit , ipſe Alexandri nomen accepit* . Conſule Valer. Maxim. lib.1. c.5. Theophraſt. in *Characteribus* , titulo *De ſuperſtit.* lib.3. *Regum* , cap. 20. Syri omina obſervabant : apud Virgil. *viſi equi bellum minantur Anchiſæ* .

Apulejus *de Deo Socratis* ; *Videmus pleroſque , qui non ſuopte corde , ſed alterius verbo reguntur , qui ex angiportu reptantes conſilia ex alienis vocibus colligunt , & ut ita dixerim , non animo , ſed auribus cogitant* . Dio lib 59. Caligula ἐκέλευσε πῆλον εἰς τὸ τοῦ Οὐεσπασιανοῦ ἱμάτιον ἐμβληθῆναι . τοῦ Οὐεσπασιανοῦ τὰ πράγματα πεπραγμένα , καὶ ἐπιφυρμένα παραλαβόντος τε καὶ καταστησαμένου ἔδοξεν οὐκ ἀθεεὶ γεγονέναι . Apud Petronium ,

*Epidauria mœnia quære* .
legendum *Epidamni nomina quære* .

Plautus in *Menæchmis* ,

*Ne mihi damnum in Epidamno duas* .

Ovidius ,

*Ire per hanc* ( viam ) *noli , quiſquis es , omen habet* .

Id eſt , inauſpicata via eſt .

## CAP. II.

*De Cledoniſticæ , ſeu Ominalis ſcientiæ generibus* .

CLEDONISTICÆ genera plura eſſe arbitror, tinnitum aurium, ſaliſſationem, ſternutationem, crepitum ventris, & alia id genus. Tinnitum aurium obſervari ſolitum indicat Ariſtænet. libro 2. epiſt. οὐκ ἐβόμβει σοι τὰ ὦτα , ὅτε σου μετὰ δακρύων ἐμνήσθην ; *Non tibi tinniebant aures cum tui lacrymans meminiſſem* ? Catullus epiſt.52.

*Lingua ſed torpet , tenuis ſub artus*
*Flamma dimanat , ſonitu ſuopte*
*Tintinant aures* . vel *tinniunt* .

Sappho :

—— ὀμμάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημι , βομβεῦσιν δ' ἀκοαί μοι .

*Nihil oculis video , mihi aures tinniunt* . Plin.lib.28. c.1. *Aurium tinnitu abſentium ſermones præſentiri* ait. Georgius Monachus, ἢ πρὸς τὸ οὖς ἦχος ἐγένετο . Cedrenus p.29. ὠτὸς ἦχος vocat. Homer. *Iliad.* κ.

Ψεύσομαι , ἢ ἔτυμον ἐρέω , κέλεται δέ με θυμὸς
Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει .

Κορυ-

Κορυβαντιασμὸς somnum oculis eripit, auribus indit vitium, quo sibi audire sonitus, & tinnitus videntur. Varro in *Prometheo*: *Levisomna mens sonorinas imagines affatur, non umbrantur somno pupulæ*. Huc pertinet illa Veterum superstitio, quam μυκὴν ἀγαλμάτων dixerunt, *mugitum imaginum*, cum imaginum voces sibi audire viderentur. Apollonius lib. 4. *Argonaut*.

Ἠ' ὅταν αὐτόματα ξόανα ῥέῃ ἱδρώοντα
Αἵματι, ᾗ μυκαὶ σηκοῖς ἐνὶ φαντάζονται.

*Aut cum sponte sua simulacra sanguine sudant, aut mugitus audire in templis nobis videmur*. Si auris sinistra tintinat, inimicum, si dextra, amicum putant nostri meminisse. In Catal. Virgilii,

*Garrula quid totis resonans mihi noctibus auris,*
*Nescio quem dicis, nunc meminisse mei?*

Seneca *Oedipo*:

*Resonant aures, stillatque niger naris aduncæ cruor*.

Lucret.

*Sollicitæ porro, plenæque sonoribus aures*.

Augustinus lib. 2. *de Doct. Christ.* cap. 20. his adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit, atque illud, quod lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit, canem qui medius intervenerit feriunt. Hinc sunt etiam illa, limen suum calcare, cum ante domum suam transit, redire ad lectum, si dum quis se calceat, sternutaverit, redire domum, si procedens offenderit. Plautus *Milite*:

*Præcantatrici, collectrici, ariolæ, aruspicæ flagitium est,*
*Si nihil mitteretur, quæ supercilio spicit*.

*Spatulomantia*, a nuda spatularum inspectione dicta est. Glycas parte 2. *Annal.* ait κληδόνα vocari geniorum per excantationes certas attractionem, & e sublimi deductionem, κλῶ, καλῶ. Omina mortis Spartianus in *Adriano* pag. 18. commemorat: *Natali suo ultimo cum Antoninum commendaret prætexta sponte delapsa caput ei operuit. Annulus in quo imago ipsius sculpta erat sponte de digito delapsus est. Ante diem natalem ejus nescio quis ad Senatum ululans venit, contra quem Adrianus ita motus est, quasi de sua morte loqueretur, quum verba ejus nullus agnosceret. Idem quum vellet in Senatu dicere, post filii mei mortem, post mortem meam dixit. Somniavit præterea se a patre potionem soporiferam impetrasse, item somniavit a leone se oppressum esse*. Salissatio vero, & palpitatio, παλμὸς, fuit cum membrum aliquod saliret. Justinus, aut si quis alius auctor quæst. ad Orthod. quæst. 19. εἰ ἐν τοῖς ἀπηγορευμένοις ὑπὸ τῶν εὐσεβῶν ἡ τῶν παλμῶν ἐστι παρατήρησις, &c. *An inter res veritas a piis viris sit palpitationum observatio*. Idem ὁ δὲ παλμὸς πάθος ἐστὶ σωματικὸν ἐκ τῆς ἐκδρομῆς τοῦ φυσικοῦ πνεύματος, ἐν τῷ σώματι ὑφισαμένου πάντων τῶν ζώων. διὸ ἀνάξιον ἐκεῖνον οἱ ἅγιοι εἶναι κριτήριον τῶν μελλόντων τὸ τοιοῦτον σωματικὸν κίνημα: *Palpitatio, affectio est corporis ex discursu spiritus naturalis qui subsistit in ore omnium animantium. Ideo sancti omnes hunc motum corporeum indignum judicarunt, qui res futuras indicaret*. Georgius Monachus παλμοτικὸν vocat, Scholiastes Gregorii Nazianzeni παλτικὸν, a πάλλω, *succutio, vibro*, Isidorus *salissationem, salissatores*. *Salitores* S. Augustinus lib. *de natura dæmonum*, *Salitores vocati sunt, qui dum eis membrorum quæcumque partes saltarint, aliquid sibi exinde prosperum, sive triste significari prædicunt*. Melampus in Hierogrammatis, *unguis minimi digiti* ἐὰν πάλλεται ἢ μυρμηκιᾷ κακὸν πείσῃ: *Si salit, aut verminat, malum patieris. Pollex sinistræ manus si salit*, παλαιὰν ἀπώλειαν σημαίνει κομίζεσθαι, *veterem perniciem insta-*A *re significat*. Ungues manus sinistræ salientes utilitatem cum aliqua difficultate. Plautus in *Epidico*.

*Quid est quod digitus titubat tuus?*

*Pseudolo*: *Ita supercilium salit*. Theocrit. Idyl. 3.

Ἄλλεται ὀφθαλμός μοι ὁ δεξιός.

*Salit mihi oculus dexter*. Apud Athenæum lib. 15. Sophocl. θυμῷ δ' ἔτι, Φαίδρα, χορεύει θάρσους θυγάτηρ: *o Phædra, non amplius in animo saltat palpitatio timoris filia*. Plato pavorem vocat πήδησιν καρδίας, *saltationem cordis*. Alia mente dixit Persius,

*Cor tibi rite salit. Lævaque in parte mamillæ*
*Nil salit Arcadico juveni*.

B Isid. lib. 8. *Salissatores dicuntur ii quibus membrorum quælibet partes cum salierint, futura conjiciunt*. Theocrit. Idyllio 19. παλλομένη κραδίῃ, *cum cor ei subsiliret*. Melamp. lib. *de Divinat.* καρδία παλλομένη ἐπιβουλὴν φίλου δηλοῖ: *Cor palpitans insidias ab amico significat*. In *Hercule Oetæo* Seneca, act. 3.

*Cor attonitum salit,*
*Pavidumque trepidis palpitat venis jecur*.

Plaut. *Cor lienosum est: artem facit histrioniam. Divinatio salitoria* quibusdam dicitur, melius *salissatio*. Salisberiens. *Polycrat.* lib. 1. cap. 12. *qui ex saltu membrorum, aut inopinato motu prosperum aliquid futurum autumant, aut adversum*. Plaut. in *Captiv.*

*Quin quiescis directum cor meum, I, ac suspende te.*
C *Tu sussultas. Ego miser vix adsto præ formidine*.

Ab Anaxandride mutuatus est, ὦ πονηρὰ καρδία, ἐπιχαιρέκακον ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος. ὀρχῇ γὰρ εὐθὺς, ἣν ἴδῃς δεδοικότα: *o cor improbum, ut unum ex toto corpore gaudes malis, salis enim simul ac timentem videris*. Ubi Athenæus, μετὰ γὰρ ἐν τοῖς φόβοις γενομένας ἀγωνίας πάλλεσθαι τὴν καρδίαν ἐπιδηλότατα συμβαίνει.

## CAP. III.

### *De Sternutatione*.

D STERNUTATIONEM inter omina fuisse ostendit Plutarch. lib. *de dæmonio Socratis*: μαντείας ἔργον εἰς πταρμὸς, ᾗ κληδόνας, οἷς ᾗ οἱ πολλοὶ, ᾗ ἰδιῶται περὶ μικρὰ προσχρῶνται, ᾗ παίζοντες: *Divinationis opus ad sternutamenta, & omina, quibus multi etiam de vulgo in minimis utuntur etiam ludentes*. Athenæus lib. 2. *Veteres caput sacrum esse putabant propter* πταρμὸν, *ideo nec comedunt, nec nominant* ἐγκέφαλον, *sed* λευκὸν, *cerebrum, sed medullam albam vocant*. Matutina sternutatio infausta, meridiana auspicata. Arist. sect. 33. Probl. cap. 11. maxime si a dextro latere. Xenophon *Anabaseos* l. 6. Petron. *collectione spiritus plenus, ter continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum salvere Gytona jubet*. Theodor. l. 6. *de curand. Græc. affect.* Philemon Comicus, ὅταν ἴδω παρατηροῦντα τίς ἔπταρεν, ἢ τίς ἐστι ὁ προσιὼν σκοποῦντα, ὁ

E Μένανδρος, ἀγαθὸν μοί τι γένοιτο, ὦ πολυτίμητοι Θεοί. ὑποδούμενος τὸν ἱμάντα τῆς δεξιᾶς ἐμβάδος διέρρηξα: *Cum videro aliquem observantem quis sternuit, aut quis est is qui adventat. Menander, bene mihi fit, o Dii multum honorati, cum calcearem lorum dextri calcei rupi*. Aristot. lib. 1. *de Animal. hist.* sternutamentum ait signum esse augurale. Sternutamenta matutina prohibent, meridiana sunt auspicata. Telemacho apud Homerum sternutamentum facit omen felicitatis. Plutarch. in *Themistocle*: *Themistocli sacrificanti oblati sunt tres captivi forma regia: quos contuitus vates Euphrantides, ὡς ἅμα μὲν ἀνέ-*

F λαμψεν μέγα, ᾗ περιφανὲς πῦρ, ἅμα δὲ πταρμὸς ἐκ δεξιῶν ἐσήμηνε, τὸν Θεμιστοκλέα δεξιωσάμενος: *postquam ignis magnus & fulgentissimus eluxit, & simul a dextra sternutatio facta est, Themistoclem complexus*. Catullus.

*Hæc ut dixit amor sinistra, ut ante*
*Dextra, sternuit adprobatione*.

In sternutamentis dicebant, Ζεῦ σῶσον, *Juppiter ser-*

*vato*. lib. 2. Græcor. epig. οὐδὲ λέγειν, Ζεῦ σῶσον, ὅταν πταρῇ: *Neque dicere Juppiter servato cum sternuerit*. Plinius lib. 28. cap. 2. *Cur sternutamentis salutamur? Quod etiam Tiberium Cæsarem tristissimum, ut constat, hominum, in vehiculo exegisse tradunt. Nomine salutare religiosius est*. Dæmonium Socratis fuit alterius πταρμὸς, sternutatio, læva cohibens, a dextra incitans. Si dubitaret de re agenda, sui ipsius πταρμός. Si jam agere occœpisset revocabat. Plutarch. lib. *de Dæmon. Socratis*: ἑτέρου μὲν πταρόντος ἐκ δεξιᾶς, εἴτ' ὄπισθεν, εἴτ' ἔμπροσθεν: *sive ante, sive pone*, ὁρμᾷν αὐτὸν ἐπὶ τὴν πρᾶξιν, εἰ δὲ ἐξ ἀριστερᾶς ἀποτρέπεσθαι. τῶ δ' αὐτοῦ πταρμῶν τὸν μὲν ἔτι μέλλοντος βεβαιοῦν, τὸν δ' ἤδη πράσσοντος ἐπέχειν, καὶ κωλύειν ὁρμήν. Salisberiens. lib. 2. cap. 1 *Quid refert ad consequentiam rerum, si quis semel, aut amplius sternutaverit, quid si oscitaverit, quid denique si undecunque sonitum emiserit?* Intelligit crepitum ventris. Aristot. sect. 33. c. 9. in Problematis quærit διὰ τί τῶν μὲν ἄλλων πνευμάτων αἱ ἔξοδοι, οἷον φύσης, καὶ ἐρυγμοῦ, οὐχ ἱερά, ἡ δὲ τοῦ πταρμοῦ ἱερά. *cur exitus aliorum flatuum, ut vesicæ, aut ructationis non sunt sacri, exitus sternutamenti sacer est*. τὸν πταρμὸν τῆς κεφαλῆς πνεῦμα εἶναι, *sternutamentum capitis flatum esse*, διὰ τὸ ἱερώτατον εἶναι τὸν τόπον, καὶ τὸ πνεῦμα, ὡς ἱερὸν, προσκυνοῦσι. *Quia maxime sacer locus est caput, ideo flatum e capite ut sacrum salutant*. δεῦγε ὡς σημεῖον ὑγιείας τοῦ ἀῤῥώστου, καὶ ἱερωτάτου τόπου προσκυνοῦσιν ὡς ἱερὸν, καὶ φήμην ἀγαθὴν ποιοῦνται: *bene ut signum sanitatis, infirmi, & maxime sacri loci, salutant sternutamentum ut sacrum, & bonum omen faciunt*. Scholiastes Theocriti ad Thalisia, sternutationem medium omen vocat, ideo sternutante aliquo, bona verba dicebant astantes, ut si quid mali portenderetur, fausta precatione averterent. Theocritus, σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον. Scholiastes, τῶν πταρμῶν οἱ μέν εἰσιν ὠφέλιμοι, οἱ δὲ βλαβεροί. ὁ δὲ Ὅμηρος ἐπ' ἀγαθῷ τὸν πταρμὸν φησι: *Sternutamentorum alii sunt utiles, alii noxii. Homerus sternutamentum in bono ponit*. Apulejus *Miles*. 2. *Oculo perfricto sternutamenta desistunt*. Plin. lib. 28. cap. 2. *Sternutamento revocari ferculum, mensamve, si non postea gustetur inter diras habetur, aut omnino non esse*, id est, comedere. Propert. lib. 2. eleg. 3.

*Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus*
*Aridus argutum sternuit omen amor?*

Xenophon lib. 3. & lib. *Expedit. Cyri*, sternutationem πταρμὸν, Deum vocat, & Jovis Servatoris avem, *quia oritur e capite, ubi ratio*, διότι γίνεται ἐκ τοῦ ἁγιωτάτου τῶν περὶ ἡμᾶς τῆς κεφαλῆς, ὅπου ὁ λογισμός ἐστι, caput locus in homine maxime divinus. Aristoteles Problemat. sect. 33. c. 7. τὸν πταρμὸν Θεὸν ἡγούμεθα: *sternutamentum Deum putamus*. Xenophon lib. 3. *Expedit*. ἀκούσαντες δὲ οἱ στρατιῶται πάντες μιᾷ ὁρμῇ προσεκύνησαν τὸν Θεόν: *Audientes milites omnes uno impetu salutarunt Deum*. Idque omen arripiens Xenophon, *mihi videtur, o viri, quando nobis de salute vestra loquentibus omen Jovis*, οἰωνὸς τοῦ σωτῆρος, *Servatoris apparuit, votum nuncupandum esse Deo, fore ut ei soteria persolvamus*. Lib. 1. Græcor. epig.

Ἔπταρον ἄγχι τάφοιο, καὶ ἤθελον αὐτὸς ἀκοῦσαι,
Οἷάπερ ἤλπιζον μοῖραν ἐμῆς ἀλόχου
Ἔπταρον εἰς ἀνέμους.

*Prope tumulum uxoris meæ sternui, & volui audire ut sperabam fatum ejus. Sternui frustra in vento*. Aristoteles sect. 10. Problem. c. 11. ἄνθρωπος πτάρνυται τῶν ζώων μάλιστα, *Homo maxime omnium animantium sternutat*. Homeri ætate sternutamenta observabantur. *Odyss*. ρ.

Ὣς φάτο, Τηλέμαχος δὲ μέγ' ἔπταρεν.
*Sic locutus est, Telemachus autem magnum sternuit*.

Macedonius, ἤδη σίλπατε λύχνε τρὶς ἔπταρες: *Jam*

A *amica lucerna ter sternuisti*. Origin. lib. 3. in Job. *Quidam sternutamentis adhuc serviunt, & invocationibus, revocationibus, & occursibus, atque volucrum vocibus*. Apulejus lib. 9. *Miles*. *Pone tergum ejus maritus acceperat sonum sternutationis, quod cum putaret ab ea profectum, solito sermone salutem ei fuerat imprecatus, & iterato rursum, & frequenter & sæpius*. Sternutatio a dextra felix. ἅμα δὲ πταρμὸς ἐκ τῶν δεξιῶν ἐσήμηνε, *simul sternutatio a dextra signum dabat*, ait Plutarchus in *Themistocle*. Aristotel. in Problematis quærit *cur a media nocte ad mediam diem sternutatio non est bona*, διὰ τί οἱ ἀπὸ μέσων νυκτῶν ἄχρι μέσης ἡμέρας οὐκ ἀγαθοὶ πταρμοί. Legendi Hesychius & Suidas in voce συμβόλους.

B Nonnus lib. 7. *Dionysiac*.

—— ἀμφὶ δὲ μύθῳ
Ἐσσομένων κήρυκες ἐπέπταρον εὔποδες ὧραι.

*Et ad hunc sermonem horæ pedibus valentes futurorum nunciæ sternutarunt*. Theocrit. Idyl. 17.

Ὄλβιε γάμβρ', ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
Ἐς Σπάρταν.
*O felix gener, bonus aliquis sternuit tibi Spartam adventanti*.

*Hippiæ aciem instruenti contigit ut sternutaret, & tussiret vehementius quam solitus esset. Dentem præ vehementia exspuit, nec reperire potuit*, dens hic

C meus, *inquit*, Athenas pro me possidet. ἐπῆλθε πταρεῖν τε καὶ βῆξαι μεζόνως ἢ ὡς ἐώθεε, ait Herodotus lib. 6. Hesychius, συμβόλους τοὺς διὰ τῶν πταρμῶν οἰωνισμούς. ἀνετίθεντο δὲ οὗτοι Δήμητρι: *Signa per sternutationes omina; sacra erant Cereri sternutamenta*. Polyænus lib. 3. *Timotheus sternutationem nihili fecit; Naves enim inscendens cum universo exercitu sternutantem unum aliquem audivit gubernator, & morari jussit. Nautæ naves inire non ausi. Timotheus ridens*, quid mirum, *inquit*, si ex tanto numero unus sternuit? *Nautæ cum risu solvunt portu*, παύσαντος τὸν οἰωνισμὸν ἐν τοσούτοις πεπταρκότων εἷς ἔπταρε. Aristophanes *Avibus*, πταρμὸν ὄρνιθα καλεῖτε, *sternutamentum avem vocatis*. Suidas, οἱ

D θιγόντες τοῦ μυκτῆρος λεπτῷ κάρφει πταρνύνται. Ad idem genus Cledonistices revocari potest crepitus ventris, quod *peditum* Catullus vocat. Vet. gloss. *Peditus peditum*, πορδὴ, *cum sonitu*: βδεσμὸς, *sine sonitu*. Vet. gloss. βδέσμα, βδεσμὸς, *visum*, βδεῖν, *visire*. Cicero ad Pætum: *Nam honestum verbum divisio. At inest obscœnum, cui respondet intercapedo. Visire*, pedere. Herodotus, ἄρας τὸ σκέλος ἀπεματάισε: *sublato crure pepedit*. Athenæus lib. 3. glycasiden ficui similem esse ait, cujus esu feminæ abstinent, quia pedere facit; διὰ τὸ ποιεῖν ματαισμὸς, *quia excitat pedita*. Apud Ciceronem alia etiam de causa verbum *divisio* aliquid obscœnum ha-

E bere potest, ob pulli premos. Sed de pedito Cato, *domi cum auspicamur, servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit, si cui ibidem servo, aut ancillæ dormienti evenit, quod comitia probibere solet, ne is quidem mihi vitium facit*. Origenes lib. 4. in Celsum, prodit Ægyptios crepitum ventris adorasse. Aristophanes *Equitibus* ταῦτα φροντίζοντί μοι ἐκ δεξιᾶς ἀπέπαρδε καταπύγων ἀνὴρ, κἀγὼ προσεκύνησα ὥσπερ σημείου τινὸς δοθέντος. *Hæc mihi cogitanti vir Pathicus crepuit, & ego adoravi quasi signum mihi datum esset*. Minutius in *Octavio*, *nec Serapidem*

F *magis quam crepitus per pudenda corporis expressos extremiscunt*. Clemens *Recognition*. lib. 5. fol. 93. *Ægyptii crepitus ventris pro numinibus habent*. Hieronym. in Esaiam cap. 46. *de crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est*. Malum omen fuisse indicat Homerus in hymno Mercurii,

Οἰωνὸν προέηκε ἀειρόμενος μετὰ χερσὶ
Τλήμονα γαστρὸς ἔριθον ἀτασθαλον ἀγγελιώτην
Ἐσσυμένως δὲ μετ' αὐτὸν ἀπέπταρε.

*Mercurius projecit augurium in aerem ab Apolline sublatus, infelicem ventris crepitum malum nuntium, post quem ilico sternutavit*. Scaliger ad Ausonium ex hoc Homeri loco defendit crepitum ventris, & sternutamentum boni ominis fuisse, quia in eodem hymno subjungit Apollo ibidem,

Εὑρήσω κὴ ἔπειτα βοῶν ἴφθιμα κάρηνα
Τούτοις οἰωνοῖς,
*Inveniam fortia deinceps boum capita bis auguriis.*

Sed Homerus ipse mihi adversari videtur huic sententiæ, qui crepitum ventris vocet infelicem famulum, malum nuntium, nisi quis ob fœtorem id dici putet, qui crepitum ventris sequi solet.

---

# JULII CÆS. BULENGERI
## DOCTORIS THEOLOGI,
# *DE PRODIGIIS*
## LIBER IV.

### CAP. I.

*De Prodigiis.*



De Prodigiis Julius Obsequens ex professo agit, quem adeat qui volet. Nos, quia Prodigiatorum, Aruspicum, imo etiam Augurum fuit, signa de cælo, fulmina, fulgura, tonitrua, prodigia, portenta, ostenta, monstra non servare, & interpretari modo, verum & procurare, pauca quædam ex aliis auctoribus adnotabimus, quæ Julio Obsequenti lucem faciant. Livius lib. 43. cap. 13. *Non sum nescius ab eadem negligentia qua nihil Deos portendere vulgo nunc credunt, neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Cæterum & mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus, & quædam religio tenet, quæ illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint ea pro dignis habere quæ in meos annales referam. Anagniæ duo prodigia eo anno sunt nuntiata*. Ubi animadverto prodigia Romæ licet nuntiarentur non suscepta fuisse, si vel in privato loco, vel in peregrino facta essent, ut ibidem docet Livius: quod tamen perpetuum non fuisse ex eodem facile cognosces. Romæ enim sæpe expiata prodigia quæ vel Cumis, vel alibi in Italia facta essent. Duumviri ex libris Sibyllinis prodigia interpretabantur, & pericula denuntiabant, lib. 3. cap. 10. lib. 2. cap. 42. *Prodigia cælestia ostentantia minas, motique ira numinis causam nullam aliam vates canebant publice, privatimque, nunc extis, nunc per aves consulti, quam haud rite sacra fieri. Oppia virgo Vestalis damnata incesti*. Lucanus lib. 7.

*Euganeo, si vera fides memorantibus, augur*
*Colle sedens*, &c.
*Venit summa dies, geritur res maxima, dixit,*
*Impia concurrunt Pompeii, & Cæsaris arma*
*Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit*
*Aera seu totum discordi obsistere cælo,*
*Prospexitque polos, seu numen in æthere mœstum*
*Solis in obscuro pugnam pallore notavit.*
*Pompejus stat corde gelato*
*Attonitus, tantique ducis sic arma timere*
*Omen erat, premit inde metus.*

Portenti, ostenti, monstri etymon explicat Cic. lib. 1. *Divinat. Quorum quidem vim verba ipsa prudenter a majoribus posita declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstra, prodigia dicuntur*. Ostentum Labeo definit *esse contra naturam cujusque rei genitum, factumque. Duo autem sunt*, ut inquit Ulpianus, *genera ostentorum, unum quoties quid contra naturam nascitur, ut tribus manibus, aut pedibus, alterum quod prodigiosum videtur*. Aristotel. lib. 2. *Physic.* cap. 8. monstra naturæ errores esse ait non valentis efficere quod destinarat: lib. *de generat. animal.* cap. 4. *Monstra peccata naturæ sunt, & casu nascuntur* τὰ τέρατα ἁμαρτήματά ἐστι ἐκείνου τοῦ ἕνεκα τοῦ. Festus *portenta esse* ait, *quæ indicant quid porro tendant, ostenta quæ tantummodo indicant. Monstra quæ præcipiunt remedia. Portenta cum insolita corpora raro se ostendunt, ut cometæ, turbines, barathra, sereno cælo facta tonitrua*. Fronto, *in ostento*, inquit, *raritas admirationem facit præter consuetudinem, & raro offertur. In monstro rectus ordo naturæ vertitur. In portentis differtur eventus, in prodigio detrimentum significatur*. Sueton. in *Augusto* cap. 92. *Sed & ostentis præcipue movebatur. Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium Deorum Penatium transtulit, utque coalesceret magnopere curavit. Apud insulam Capreas veterrimæ ilicis dimissos jam ad terram, langues centesque ramos convaluisse adventu suo adeo lætatus est, ut eas cum Repub. Neapolitanorum commutaverit, Ænaria data*. Contra Julius Cæsar ostenta neglexit, cui cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem, & Jubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis verso ad melius omine; *teneo te*, inquit, *Africa*. Prodigialis fuit Juppiter, cui portentis averruncandis mola salsa facerent. Plautus *Amphit. Postquam experrecta es prodigiali Jovi, aut mola salsa hodie, aut thure comprecatam oportuit*. Romæ *forum fuit quo itabant curiosi, ut homines tibiis carentes, cubitis felium, tres oculos habentes, passerino capite perquirerent*. Plutarchus: Ἀγορὰ τεράτων, περὶ ἣν ἀναστρέφονται περίεργοι τοὺς ἀκνήμους, καὶ τοὺς γαλεάγκωνας, τριοφθάλμους, στρουθοκεφάλους ἐπιζητοῦντες. Herodian. lib. 2. *portenta* vocat σημεῖα θείᾳ προνοίᾳ δόξαντα πολλάκις φανῆναι. Xiphilin. in *Augusto*, πρὸ μὲν τοῦ χρόνου τῆς μάχης σημεῖα τινὰ γεγονότα τότε τοῦ πολέμου τέλος ὑπέφαινον. τὰ πολλὰ τῶν σημείων τοῖς τερατολόγοις παρήσω. *Signa quæ Divina providentia sæpe evenire videntur. Ante pugnam prodigia quædam belli finem denuntiabant. Plurima prodigia quæ facta sunt relinquam portentorum interpretibus*. Plutarchus in *Alcibiade*: Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκείνας καθηκόντων, εἴδωλα πανταχοῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξί, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι, καὶ θρήνους ᾖδον: *Cum Adonia in eos dies incidissent Athenis, simulacra ubique similia mortuis qui efferuntur incurrebant in mulierum oculos, quæ exequias planctibus repræsentabant, & nænias canebant*. In *Paulo Æmilio*: Ἐπεὶ δὲ νὺξ ἐγεγόνει αἰφνίδιον ἡ

σελήνη πλήρης οὖσα, καὶ μετέωρος ἐμελαίνετο, καὶ τοῦ φωτὸς ἀπολιπόντος αὐτὴν, χροὰς ἀμείψασα παντοδαπὰς ἠφανίσθη. *Prima nocte subito Luna plena, & sublimis nigra facta est, & luce deficiente mutans colores omnis generis apparere desiit. Macedones regni occasum portendi putant.* Idem in *Nicia* ait Lunam plenilunio defecisse. Solent autem portenta & prodigia præmitti Dei voluntate ante excidium provinciarum & urbium, ut Josephus scribit lib. 6. *de Bello Judaico* cap. 7. Apollonius lib. 1. *Excid. Hierosol.*

*Nam cladem ostenta futuram*
*Haud dubio terrore dabant; pia cura tonanti*
*Scilicet in magnis semper fuit ista ruinis*
*Humanum monuisse genus.*

Cedrenus, λέγεται δὲ μὴ σημαίνειν ἀγαθὰ ταῖς πόλεσιν, ἐν αἷς γίνεται ταῦτα τὰ τέρατα. *Prodigia dicuntur sinistri aliquid, & adversi significare iis urbibus ubi fuerint.* Arnob. lib. 1. *prodigiosas formidines* vocat, quia prodigia terrorem hominibus injiciant. Lucan. lib. 1. ait ante bellum civile Cæsaris & Pompeii de nocte stellas ignotas visas, in aere ignes, & faces volantes, sydera crinita, & comata, tonitrua die sereno, jacula ignea, lampades, caput Jovis Latialis de cœlo ictum, stellas deciduas de die, defectionem Lunæ plenæ:

*Spes saltem trepidas mentes levet addita fati*
*Pejoris manifesta fides, superique minaces*
*Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.*
*Ignota obscuræ viderunt sydera noctes,*
*Ardentemque polum flammis, cœloque volantes*
*Obliquas per inane faces, crinemque timendi*
*Syderis, & terris mutantem regna cometen.*
*Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,*
*Et varias ignis denso dedit aere formas,*
*Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas*
*Emicuit, cœlo tacitum sine nubibus illis*
*Fulmen, & Arctois rapiens de partibus ignem*
*Percussit Latiale caput, stellæque minores*
*Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus*
*In medium venere diem, cornuque coacto*
*Jam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe*
*Terrarum subita percussa expalluit umbra.*

Virgil. lib. 1. *Georg.*

*—— Solem quis dicere falsum*
*Audeat? ille etiam cœcos instare tumultus*
*Sæpe monet, fraudemque, & operta tumescere bella.*
*Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,*
*Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,*
*Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.*

Plutarchus in *Cæsare*, quo cæso ὁ μέγας κομήτης ἐπὶ νύκτας ἑπτὰ διαπρεπὴς ἐφάνη, καὶ τὸ περὶ τὸν ἥλιον ἀμαύρωμα τῆς αὐγῆς, ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος, καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν, ἀδρανὲς δὲ, καὶ λεπτὸν ἀπ' αὐτοῦ κατῄει τὸ θερμόν. *Ingens cometa septem noctes clarus effulsit, & obscuratus est Sol: toto enim illo anno circulus ejus pallidus sine jubare exortus, misit exiguum, & imbecillum calorem.* Itaque nubilus aer, & gravis extitit imbecillitate eum tenuantis teporis, *unde fructus crudi, immaturique elanguerunt, ob cæli rigorem, & flaccidi fuere.* Idem in *Lysandro*: Navali prælio quo Conon victus a Lysandro lapis de cælo delapsus hujus cladis ostentum fuit, κατηνέχθη γὰρ ἐξ οὐρανοῦ παμμεγέθης λίθος ὡς αἰγὸς ποταμοὺς, ( ποταμὸν lege ) καὶ δείκνυται μὲν ἔτι, *ingens lapis de cælo decidit ad fluvium Ægos, qui nunc ostenditur.* Anaxagoram prænuntiasse perhibent. Idem defecisse Solem in *Pericle*, in *Pelopida* & pluribus aliis locis ostendit, & in *Agesilao* Solem lunata forma fuisse. Virgilius lib. 1. *Georg.* signa cladis esse ait insolitos canum latratus, dirarum avium cantus, Ætnæ incendia, voces terrificas per lucos, simulacra horrentia de nocte, bruta hominis voce loquuta, fluviorum defectiones,

A terræ hiatus, simulacrorum lacrymas, & sudores:

*Tempore quanquam illo tellus quoque, & æquora ponti,*
*Obscænique canes, importunæque volucres*
*Signa dabant: quoties Cyclopum effervere in agros*
*Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,*
*Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa?*
*Armorum sonitum toto Germania cælo*
*Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes.*
*Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes*
*Ingens, & simulacra modis pallentia miris*
*Visa sub obscurum noctis, pecudesque loquutæ,*
*Infandum: sistunt amnes, terræque dehiscunt,*
B *Et mœstum illacrymat templis ebur, æraque sudant.*

Qu. Calaber lib. 12. scribit ante excidium Trojæ hæc portenta contigisse:

Ἱερὰ δ' οὐ καίοντο, πυρὸς δ' ἐσβέννυτ' ἀϋτμὴ
Ὄμβρου ὅπως καθύπερθε δυσηχέος ἐσσυμένοιο.
Καπνὸς δ' αἱματόεις ἀνεκήκιε, μῆρα δὲ πάντα
Πίπτε χαμαὶ τρομέοντα· κατηρείποντο δὲ βωμοὶ,
Σπονδαὶ δ' αἷμα γένοντο, Θεῶν δ' ἐξέρρεε δάκρυ,
Καὶ νηοὶ δεύοντο λύθρῳ, στοναχαὶ δ' ἐφέροντο
Ἐκπόθεν ἀπροφάτοιο, περισσείοντο δὲ μακρὰ
Τείχεα, καὶ πύργοι μεγάλ' ἔκτυπον, ὡς ἐτεόν περ
Αὐτόματοι δὲ ὀχῆες ἀνωΐγνυντο πυλάων
Αἰνὸν κεκληγῶτες, ἐπεστενάχοντο δὲ λυγρὸν,
C Ἐννύχιοι ὄρνιθες ἐρημαῖον βοόωντες.

*Victimæ adoleri, & sacra uri non poterant, ignis vis extinguebatur, quasi imber cum sonitu desuper rueret, fumus sanguine lentus sursum ferebatur, femora, & carnes omnes cadebant humi trepidantes, aræ sponte corruebant, libationes vertebantur in sanguinem, e simulacris Deum fluebant lacrymæ, templa rigabantur tabo, suspiria ex inopinato referebantur, mœnia urbis longa succutiebantur, & turres ingentem sonitum dabant, quasi ruinam vere minarentur, vectes, repagula, & seræ portarum aperiebantur cum tristi clangore, dirum autem lamentabantur nocturnæ aves*
D *solitarium clamantes.* Plutarchus in *Pyrrho*: Τῶν γὰρ βοῶν τεθυμένων αἱ κεφαλαὶ κείμεναι χωρὶς ἤδη τὰς γλώττας ὤφθησαν προβάλλουσαι, καὶ περιλιχμώμεναι τὸν ἑαυτῶν φόνον. τὸν δ' ἀετὸν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα χωροῦντα φροῦδον εἶναι. *Cum boves mactatæ essent, earum capita jacentia visa sunt linguas seorsim protendere, & allambere suum vulnus. Aquila autem quæ in prælia cum Pyrrho ire consueverat evanuit: ei mors denuntiata.* Lucanus inter prodigia numerat Ætnæi ignis jaculationes, maris fœdas procellas, feriis Latinis ad aras ignes ex igne Vestæ sumptos in diversa scissos, terræ motus, eluviones maris:

*Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo*
*Condidit ardentes atra caligine currus,*
*Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit*
E *Desperare diem, qualem fugiente per ortus*
*Sole Thyesteæ noctem duxere Mycenæ.*
*Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ,*
*Nec tulit in cœlum flammas, sed vertice prono*
*Ignis in Hesperium cecidit latus, atra Charybdis*
*Sanguineum fundo torsit mare, flebile sævi*
*Latravere canes, Vestali raptus ab ara*
*Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas*
*Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit*
*Thebanos imitata rogos, tum cardine tellus*
*Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes*
*Discussere nivem, Tethys majoribus undis*
*Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta.*

F Virgil. lib. 1. *Georgic.* prodigia esse ait fluviorum eluviones, puteorum aquas sanguinolentas, exta tristia, luporum per urbes ululatus:

*Proluit insano contorquens vortice sylvas*
*Fluviorum Rex Eridanus, camposque per omnes*
*Cum stabulis armenta tulit, nec tempore eodem*
*Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,*
*Aut puteis manare cruor cessavit, & altæ*

*Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.*
*Non alias cœlo ceciderunt plura sereno*
*Fulgura, nec diri toties arsere cometæ.*

Plutarchus in *Timoleonte*, *Adranitæ nuntiarunt Timoleonti quod instante prœlio* οἱ μὲν ἱεροὶ τοῦ νεὼ πυλῶνες αὐτόματοι διανοιχθεῖεν, ὀφθείη δὲ τοῦ Θεοῦ τὸ μὲν δόρυ σειόμενον ἐκ τῆς αἰχμῆς ἄκρας, τὸ δὲ πρόσωπον ἱδρῶτι πολλῷ ῥεόμενον. *Sacra vestibula templi sua sponte patefacta, visam Dei hastam summa cuspide vibrare, faciem ejus largo sudore fluere.* Idem in *Coriolano*, ἱδρώοντα γὰρ ἀγάλματα φανῆναι δακρυῤῥοοῦντα καί τινας μεθιέντα νοτίδας αἱματώδεις, *sudantia simulacra visa, lacrymantia, & sanguine fluentia.* Silius Italicus lib. 8. sub finem, prodigiis quod pila militum arserunt, castrorum pinnæ sponte collapsæ sunt, Ceraunia igne de cælo accensa sunt, aquilæ castrorum nubeculis obsessæ sunt:

*Nec tanta miseris jamque impendente ruina*
*Cessarunt superi vicinas prodere clades,*
*Per subitum attonitis pila exarsere maniplis,*
*Et celsæ toto ceciderunt aggere pinnæ,*
*Nutantique ruens prostravit vertice sylvas*
*Garganus, fundoque imo mugivit anhelans*
*Aufidus, & magno late distantia fundo*
*Terruerunt pavidos accensa Ceraunia nautas.*

De repentina per diem caligine ibidem,

*Quæsivit Calaber subducta luce repente*
*Immensis tenebris & terram & littora Sipus.*

De bubone, & nebulis,

*Obseditque frequens castrorum limina bubo,*
*Nec densæ trepidis absunt se involvere nubes,*
*Cessaruntque aquilis.*

Fuit dirum omen si reliquis castris aere liquido, & puro, aquilæ solæ nebulis obducerentur. De Cometa,

*Non unus crine corusco*
*Regnorum eversor rubuit lethale Cometes.*

De lupis in castra irrumpentibus,

*Castra quoque, & vallum rabidæ sub nocte silenti*
*Irrupere feræ, raptique ante ora paventum*
*Adjunctos vigilis sparserunt membra per agros.*

Manes e sepulchris erumpere visos ostendit,

*Ludificant etiam terroris imagine somnos*
*Gallorum visi bustis erumpere manes.*

De terræ motu, & templis sanguine fluentibus,

*Terque, quaterque solo penitus tremuere revulsæ*
*Tarpejæ rupes, atque atro sanguine flumen*
*Manavit Jovis in templis, lacrymæque vetusta*
*Effigie patris large fluxere Quirini,*
*Horrificis se se extulit Allia ripis.*

De facibus volantibus,

*Axe super medio Libyes a parte coruscæ*
*In Latium venere faces, ruptusque fragore*
*Horrisono potus, & vultus patuere tonantis.*
*Aetnæos quoque contorquens e cautibus ignes*
*Lemnius intonuit, scopulisque in nubila jactis*
*Phlegræus tetigit trepidantia sydera vertex.*

Ipsa etiam militum repentina consternatio malo omini fuit;

*Ecce inter medios belli præsagus, & ore*
*Attonito, sensuque simul, clamoribus implet*
*Miles castra feris, & anhelat clade futura.*

Idem libro 5. alia cladis omina exsequitur, de pullis non pascentibus, nec tripudium sonivium facientibus, de tauris ad aras lugubre mugientibus, ante Saguntinum excidium:

*Tunc ales priscum populis de more Latinis*
*Auspicium, cum bella parant, mentesque Deorum*
*Explorant super eventu, ceu præscia luctu*
*Damnavit vesci, planctuque alimenta refugit.*
*Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras*
*Immugire sono, pressamque ad colla bipennem*
*Incerta cervice ferens altaria liquit.*

De sanguine cum vellerentur signa e terra erumpente:

A *Signa etiam effusa certant dum vellere mole*
*Teter humo lacera nitentum erupit in ora*
*Exsultans cruor, & cædis documenta futuræ*
*Ipsa parens miseris gremio dedit atra cruento.*

De fulminibus inauspicatis:

*Ac super hæc Divum genitor terrasque, fretumque*
*Concutiens tonitru, Cyclopum rapta caminis*
*Fulmina Tyrrhenas Thrasymeni torsit in undas,*
*Ictusque ætherea per stagna patentia flamma*
*Fumavit lacus, atque arserunt fluctibus ignes.*

De signis quæ velluntur:

*——Tum signa sequentur*
*Nulla vulsa manu, vescique interritus ales*
B *Gaudebit, nullosque vomet pia terra cruores.*

Lucanus,

*Indigetes flevisse Deos, urbisque laborem*
*Testatos sudore lares, delapsaque templis*
*Dona suis, dirasque diem fœdasse volucres*
*Accipimus, sylvisque feras sub nocte relictis*
*Audaces media posuisse cubilia Roma.*
*Tunc pecudum faciles humana ad murmura linguæ,*
*Monstrosique hominum partus, numeroque modoque*
*Membrorum, matremque suus conterruit infans.*

Dio lib. 43. Καί τοι τοῦ δαιμονίου τὴν ἧτταν ἐναργέστατα προσημήναντος. οἱ μὲν γὰρ ἱδρῶτες τῶν ἀγαλμάτων καὶ αἱ ἠχαὶ τῶν στρατοπέδων, &c. *Ante pugnam Mundensem*
C *Deus cladem Pompejo clarissime prænuntiavit. Nam & sudores simulacrorum, & sonitus in aere exercituum, multi animalium monstrosi partus, faces a cæli facie in occiduam partem percurrentes, quæ eo tempore per Hispaniam prodigia edebantur, non aperte utri minarentur exitium sciri poterat. Verum Aquilæ exercitus Pompejani alas suas concutientes, fulminaque quæ aurea nonnullæ pedibus gestabant, projicientes, Pompejo perniciem palam prænuntiabant, ipsæque ad Cæsarem avolabant.* Lucanus:

*Diraque per populum Cumanæ carmina vatis*
*Vulgantur, tunc quos sectis Bellona lacertis*
*Sæva movet, cecinere Deos, crimenque rotantes*
*Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.*
D *Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ,*
*Tunc fragor armorum, magnæque per avia voces.*
*Auditæ nemorum, & venientes cominus umbræ,*
*Quique colunt junctos extremis mœnibus agros*
*Diffugiunt.*
*Insonuere tubæ, & quanto clamore cohortes*
*Miscentur, tantum nox atra silentibus umbris*
*Edidit, & medio visi consurgere campo.*
*Tristia Syllani cecinere oracula manes,*
*Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas,*
*Agricolæ fracto Marium fugere sepulcro.*

Appianus lib. 4. antequam Triumviri proscriberent, τέρατα, καὶ σημεῖα ἐν Ῥώμῃ πολλὰ, καὶ φοβερὰ ἦν,
E κύνες τε γὰρ ὠρύοντο ὁμαλῶς οἷα λύκοι σύμβολον ἀηδὲς, καὶ λύκοι τὴν ἀγορὰν διέθεον, &c. *Multa horrenda in urbe visa sunt prodigia. Nam & canes ululabant ut lupi, signum ingratum, & lupi per forum discurrebant animal inassuetum urbibus, bos humana voce loquutus est: exauditi sunt magni clamores virorum, & armorum crepitus, strepitusque equorum currentium,* ἀμφί τε τὸν ἥλιον ἀηδῆ σημεῖα πολλὰ, καὶ λιθώδεις ἐγίγνοντο ὑετοὶ, καὶ κεραυνοὶ συνεχεῖς εἰς ἱερὰ, καὶ ἀγάλματα ἔπιπτον, *& circa Solem multa signa inauspicata, & pluviæ lapidum, & fulmina continua in templa & simulacra incubuerunt. His procurandis Senatus aruspices ac vates accivit ex Hetruria, quorum natu maximus rediturum ait regnum quale*
F *priscis temporibus fuerat, cunctosque servituros se uno excepto,* τὸ στόμα κατεῖχε, καὶ τὸ πνεῦμα ἕως ἀπέθανε, *os & spiritum compressit donec exanimis fieret.* Plutarch. in *Fabio*, Σημεῖα δὲ τὰ μὲν συνήθη Ῥωμαίοις, ἀπὸ κεραυνῶν, τὰ δ᾽ ὅλως ἐξηλλαγμένα, καὶ πολλὴν ἀτοπίαν ἔχοντα προσέπιπτε. θυρεούς τε γὰρ ἀφ᾽ αὑτῶν αἵματι γενέσθαι διαβρόχους ἐλέχθη, καὶ θέρη στάχυων περὶ Ἄντιον ἐναι-

μα κείρεσθαι, καὶ λίθους μὲν ἐκ τοῦ ἀέρος διαπύρους, καὶ φλεγομένους φέρεσθαι, τοῦ δ' ὑπὲρ φαλερίους οὐρανοῦ ῥαγῆναι δόξαντος ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ τούτων ἑνὶ, γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν, Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει. *Signa quidem consueta Romanis e fulminibus erant, alia autem omnino mutata, & aliena contigerunt. Clypei sponte sanguine madidi deprehensi, circa Antium segetes quæ metebantur sanguinolentæ, lapides igniti, & ardentes ex aere cecidere, supra Falerios cum cœlum discessisset, multæ tabellæ dilapsæ, ac sparsæ sunt, & harum uni inscriptum diserte, Mars sua arma movet.* Sueton. in *Galba* cap. 10. *in munitione oppidi quo sedem bello delegerat repertus est annulus opere antiquo, scalptura gemmæ victoriam cum trophæo exprimente, ac subinde* (lege *sub id*) *Alexandrina navis Dertosam appulit armis onusta sine gubernatore, sine nauta, ac vectore ullo, antequam Galba imperium sumeret.* Plutarch. in *Marcello*, καὶ γὰρ ἄλλα πολλὰ σημεῖα διετάραττεν αὐτὸν, ἱερῶν τινῶν κεραυνώσεις, καὶ μύες τὸν ἐν Διὸς χρυσὸν διαφαγόντες. ἐλέχθη δὲ καὶ βοῦν ἀνθρώπου φωνὴν ἀφεῖναι, καὶ παιδίον ἐκ κεφαλῆς ἐλέφαντος γενέσθαι, καὶ περιγενέσθαι περὶ τὰς ἐκχύσεις, καὶ ἀποτροπὰς δυσιεροῦντας. οἱ δὲ μάντεις κατεῖχον αὐτὸν ἐν Ῥώμῃ. *Multa alia signa Marcellum turbabant: quædam templa de cœlo icta sunt, mures aurum in templo Jovis comederunt. Bos hominis voce loquutus dicitur, puer natus capite elephanti, & superstes fuisse, cum in prodigiis averruncandis aruspices adversa sacra experirentur: vates autem eum Romæ morabantur.* Locum illum corruptum esse arbitror. Quid enim sibi volunt illa verba, καὶ περιγενέσθαι περὶ τὰς ἐκχέσεις, vel ἐκχύσεις, καὶ ἀποτροπὰς δυσιεροῦντας? Legendum, τῶν μάντεων περὶ τὰς ἐκχύσεις, καὶ ἀποτροπὰς δυσιερούντων Idem in *Sylla*, Lucullus ad Fidentiam, sexdecim cohortes contra quinquaginta hostium cohortes ducens cum multos inermes haberet, subdubitabat, ἀπὸ τοῦ πλησίον πεδίου λειμῶνα ἔχοντος αὔρα φέρουσα μαλακὴ πολλὰ τῶν ἀνθέων ἐπέβαλε τῇ στρατιᾷ, καὶ κατέσπειρεν αὐτομάτως ἐπιμένοντα, καὶ περιπίπτοντα τοῖς θυρεοῖς, καὶ τοῖς κράνεσιν αὐτῶν, ὡς φαίνεσθαι τοῖς πολεμίοις ἐστεφανωμένους, *aura mollis e campo vicino in quo pratum fuit multos flores injecit in exercitum, & sparsit sponte insidentes clypeis, & galeis, ut hostibus viderentur Syllæ milites coronati.* Cum missus esset ad bellum sociale Sylla scribit, χάσμα μέγα γενέσθαι περὶ Λαβέρνιν, ἐκ δὲ τούτου πῦρ ἀναβλύσαι πολὺ, καὶ φλόγα λαμπρὰν στηρίσαι πρὸς τὸν οὐρανὸν, εἰπεῖν δὲ καὶ τοὺς μάντεις, ὡς ἀνὴρ ἀγαθὸς ὄψει διάφορος, καὶ περιττὸς ἄρξας, ἀπαλλάξει τῇ πόλει ταραχὰς τὰς παρούσας. τοῦτον δὲ αὐτὸν φησιν εἶναι ὁ Σύλλας, *labem factam esse, & hiatum ad Lavernum, unde ignis multus eruperit, & flammam lucidam ad cœlum sustulerit, vates autem dixisse, fore ut vir fortis aspectu conspicuus, & excellens imperans liberaret urbem præsenti tumultu, seque hunc ait esse Sylla, de quo vates prædixerant.* Dionys. lib. 7. οἱ παρὰ τὰ στρατόπεδα ῥέοντες αὐτῶν ποταμοὶ Οὐολτοῦρνος ὄνομα θατέρῳ, τῷ δὲ ἑτέρῳ Γλάνις ἀφέντες τὰς κατὰ φύσιν ὁδοὺς, ἀνέστρεψαν τὰ νάματα, καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἀπὸ τῶν στομίων ἀναχωροῦντες ἐπὶ τὰς πηγάς. *Fluvii Cumanorum qui ad eorum urbem fluebant, Vulturnus, & Glanis, relicto ordinario, & naturali alveo sursum verterunt cursum, & diu perseverarunt ab ostiis suis refluere ad fontes suos.* Plutarchus in *Cæsare*, Nocte ante prœlium Pharsalicum cum custodias obiret Cæsar περὶ τὸ μεσονύκτιον ὤφθη λαμπὰς οὐρανίου πυρὸς, ἣν ὑπερενεχθεῖσαν τὸ Καίσαρος στρατόπεδον λαμπρὰν, καὶ φλογώδη γενομένην ἔδοξεν εἰς τὸ Πομπηΐου καταπεσεῖν, *media nocte visa est lampas cœlestis ignis, quæ cum supra exercitum Cæsaris clara & inflammata ferretur, visa est in exercitum Pompeii cadere.* Ante mortem Cæsaris σέλα μὲν οὖν οὐράνια, καὶ κτύπους νύκτωρ διαφερομένους πολλαχοῦ, καὶ καταίροντας εἰς ἀγορὰν ἐρήμους ὄρνιθας, πολλοὺς μὲν ἀνθρώπους διαπύρους ἐπιφερομένους φανῆναι. στρατιώτου δὲ ἀνδρὸς οἰκέτην ἐκ τῆς χειρὸς ἐκβαλεῖν πολλὴν φλόγα, καὶ δοκεῖν καίεσθαι τοῖς ὁρῶσιν. ὡς δὲ ἐπαύσατο μηδὲν ἔχειν κακὸν τὸν ἄνθρωπον. *Fulgura cœlestia, & sonitus noctu multas in partes differri, & aves solitarias in forum involasse, multos homines in igne ferri visos esse & militis famulum manu ejecisse multam flammam, ita ut spectantibus uri videretur: ut quievit flamma, vir ille nihil mali passus est.* Idem in *Antonio*: *Pisaura urbs Antonii hereditaria ad Adriam hiatu absorpta est. Apud Albam statua una Antonii multos dies sudore fluxit, nec multis detergentibus quievit. Apud Patras cum ageret, Herculeum fulmine conflagravit, & Athenis Dionysius e gigantum prœlio vi ventorum excussus in theatrum delatus est. Antonius autem ad Herculem genus suum referebat, Dionysio vitæ instituto similem se esse dicebat, novus Dionysius dictus. Eadem procella Eumenis, & Attali Colossos, quibus Antonii nomen inscriptum erat, illapsa solos ex multis evertit.*

---

## CAP. II.

### *De Prodigiosis eluvionibus.*

ELUVIONES repentinæ præter consuetudinem in prodigiis habitæ sunt. Horatius lib. 1. Od. 2. ante bella civilia.

*Vidimus flavum Tiberim retortis*
*Littore Hetrusco violenter undis*
*Ire dejectum monimenta regis,*
*Templaque Vestæ.*

Anastasius Biblioth. in vita Gregor. 2. *Signum in Luna factum est, & visa est cruentata usque ad mediam noctem. Tiberis alveum suum egressus sese per campestria dedit, & per portam Flaminiam in urbem ingressus est. Transcendit & aliquibus in locis muros urbis, atque ultra basilicam Sancti Marci per plateas se extendit, ita ut in via lata ad unam & semis staturam aqua ejusdem fluminis excrevisset. Domos itaque evertit, agros dissipavit eradicans arbusta, & segetes. Per dies septem aqua Romam tenebat pervasam.* Dio lib. 57. τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τιβέριδος πολλὰ τῆς πόλεως κατασχόντος, ὥστε πλευσθῆναι, οἱ μὲν ἄλλοι ἐν τέρατος λόγῳ, καὶ τοῦτο, ὥσπερ που τότε μέγεθος τῶν σεισμῶν. *Fluvio Tiberi multa urbis loca obsidente, ut navigaretur, alii prodigium putarunt, ut & frequentes terræ motus.* Tertullianus in *Apologet.*. *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Milus non ascendit in arva, si cœlum stetit, si terra movit.* Cicero lib. 1. *Divinat. Vejenti bello cum lacus Albanus præter modum crevisset, Vejentem quendam ad nos profugisse, eumque dixisse, ex fatis quæ Vejentes scripta haberent, Vejos capi non posse, dum lacus is redundaret, & si lacus emissus lapsu, & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Romano, sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio est.* Alladius Albæ Rex post Tiberinum & Agrippam imbribus & fulminibus in ejus ædes irruentibus, τῆς τε λίμνης παρ' ἧς οἰκῶν ἐτύγχανε πλημμύραν οὐκ εἰωθυῖαν λαβούσης κατακλυσθεὶς πανοίκιος ἀπόλλυται. *Stagnoque juxta quod habitabat præter solitum exundante diluvio cum tota domo absorptus est*, ait Dionysius Halycarn. lib. 1. Livius libro 24. *Et in vico Istrico fontem sub terra tanta vi fluxisse ut serias, doliaque quæ in loco erant provoluta veluti impetus torrentis tulerit.* Dio lib. 47. Ante pugnam Philippensem ποταμοί τε ἐν τῇ χώρᾳ αὐτῶν οἱ μὲν παντάπασιν ἐξέλιπον, οἱ δ' ἀνάπαλιν ῥεῖν ἤρξαντο. Idem in *Augusto*, Cornelio & Valerio Messala Consulibus σεισμοί τε ἐξαίσιοι συνέβησαν, καὶ ὁ Τίβερις τήν τε γέφυραν κατέσυρε, καὶ πλωτὴν τὴν πόλιν ἐπὶ ἑπτὰ

ἡμέρας ἐποίησε. Lib. 53. Cum Octavius dictus esset Augustus, ὁ Τίβερις πελαγίσας πᾶσαν τὴν ἐν τοῖς πεδίοις Ῥώμην κατέκλυσεν, ὥστε πλεῖσθαι, ϗ ἀπ' αὐτοῦ οἱ μάντεις ὅτι ἐπὶ μέγα αὐξήσει, ϗ ὅτι πᾶσαν τὴν πόλιν ὑποχειρίαν ἕξει προέγνωσαν. Socrates lib. 3. cap. 4. σεισμὸς ἐπιγενόμενος πολλὰς τῶν πόλεων ἔβλαψεν, ἥτε θάλασσα τοὺς οἰκείους ὅρους ἐνήλλαξεν. ἐν τισὶ γὰρ τόποις τοιοῦτον ἐπέκλυσεν, ὡς τοὺς πρώην βασίμους τόπους πλεῖσθαι, ἑτέρων δὲ τόπων τοσοῦτον ἀπέστη, ὡς ἐν ξηρᾷ εὑρεθῆναι. Plutarchus in *Camillo* de bello Vejenti, lacus Albanus initium habens in se, & finem pinguibus clausus montibus ἀπ' οὐδενὸς αἰτίου πλὴν εἴτι θεῖον αὐξόμενον ἐπίδηλος διωγκοῦτο, ϗ προσίστατο ταῖς ὑπωρείαις, *nulla de causa nisi si qua divina, auctus, manifesto intumuit, & astitit dorsis montium, & summos undequaque tumulos attigit, sine æstu, & fluctu insurgens. Id pastoribus erat primum, ac bubulcis miraculo. Verum ubi repagulo, quod veluti vallo, & cervis, a subjectis campis arcebat lacum præ copia refracto, magno jam impetu per saxa, & arbusta in mare defluxit, tum non Romanos modo consternavit, verum & omnibus Italiam incolentibus visum est magni quid portendere.* Idem in *Alex.* Ἐστὶ δὲ τῆς Λυκίας κρήνη περὶ τὴν Ξανθίων πόλιν, ἧς τότε λέγουσιν αὐτομάτως περιτραπείσης, ϗ ὑπερβαλούσης, ἐκ βυθοῦ δέλτον ἐκπεσεῖν χαλκῆν, τύπους ἔχουσαν ἀρχαίων γραμμάτων ἐν οἷς ἐδηλοῦτο παύσεσθαι τὴν Περσῶν ἀρχὴν ὑπὸ Ἑλλήνων καταλυθεῖσαν. *Fons est Lyciæ propter Xanthiorum urbem, qui cum id temporis sponte aversus exundasset, e fundo tabulam æream ejecit litteris priscis inscriptam, quibus Persarum Imperium a Græcis evertendum denuntiabatur.* Livius lib. 30. cap. 38. *Inter quæ etiam aquarum insolita magnitudo in religionem versa. Nam ita abundavit Tiberis, ut ludi Apollinares Circo inundato extra portam Collinam ad ædem Erycinæ Veneris parati sint.*

---

## CAP. III.

### *De Prodigiis sudore, aut sanguine manantibus.*

PER initia belli Gallici, ut Plutarchus in *Marcello* scribit ὤφθη μὲν αἵματι ῥέων ὁ διὰ τῆς Πικηνίδος χώρας ποταμός. ἐλέχθη δὲ τρεῖς σελήνας φανῆναι περὶ πόλιν Ἀρίμινον, *Fluvius per Picentinum agrum fluere sanguine visus est, sermo fuit tres Lunas propter Ariminum urbem visas esse.* Silius lib. 1.

> *Vultusque in marmore sudat Elisæ.*

Dio: Cn. Calvino, & Valer. Messala Coss. τὰ ἀγάλματα τὰ μὲν ἵδρωσε, τὰ δ' ἐκεραυνώθη. Lib. 43. Ante pugnam Mutinensem, τοὺς τῶν ἀγαλμάτων ἱδρῶτας. Cicero lib. 1. *de Divinat. Apollo Cumanus sudavit.* Scholiastes Apoll. ὅταν μέλλῃ τὶ συμβαίνειν χαλεπὸν εἴωθε τὰ ἀγάλματα ἱδροῦν. Quod factum Athenis ante pugnam ad Cherronæam. Plutarchus in *Alexandro*, ϗ τὸ περὶ λέβηθρα τοῦ Ὀρφέως ξόανον κυπαρίττινον ἱδρῶτα πολὺν ὑπὸ τὰς ἡμέρας ἐκείνας ἀφῆκεν. *Simulacrum Cupressinum Orphei ad lebethra multo sudore id temporis fluxit cum instrueret Alexander exercitum in Persas.* In *Coriolano*: *Ligna, & lapides subinde situm contrahunt unde gignitur mador. Varios enim edunt sua sponte colores, & accipiunt tincturas ex aere, quibus divinitus aliquid nihil prohibeat portendi. Jam fieri queat, ut stridori, & gemitui signa similem vocem reddant ex ruptura, vel distractione partium interiorum violenta.* In *Camillo*: Ἱδρῶτας ἀγαλμάτων πολλάκις ἐκχυθέντας, στεναγμοὺς ἀκουσθέντας, ἀποστροφάς τε δεικνῦντας, ϗ καταμύσεις ξοάνων. *Simulacra sæpe sudores effudisse, audita suspiria, & gemitus, avertisse se, & nictasse conniventia.* Livius lib. 28. cap. 11. *Ab Antio nuntiatum est cruentas spicas metentibus visas esse. Cære porcus biceps, & agnus mas, idemque fœmina natus erat, & Albæ duos Soles visos referebant, & nocte Fregellis lucem obortam. Et bos in agro Romano loquutus, & ara Neptuni multo sudore manasse in Circo Flaminio.* Lib. 27. cap. 13. *Albana aqua cruenta fluxit.* Lib. 24. cap. 44. *Amiterni flumen cruentum fluxit.* Appianus lib. 4. Antequam triumviri proscriberent inimicos, βρέφος ἀρτίτοκον ἐφθέγξατο, ϗ τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρου, τὰ δὲ ϗ αἷμα ἵδρου; *infans recens natus loquutus est, & simulacra alia sudore, alia sanguine fluxerunt.* Dio lib. 40. post cædem Clodii βύας ἐν τῇ πόλει ὤφθη, ἄγαλμά τέ τι ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἵδρωσε, ϗ λαμπὰς ἐκ νοτίου πρὸς ἀνατολὰς διέδραμε, *bubo in urbe visus, simulacrum quoddam tres dies sudavit, fax a meridie ad ortum transcurrit, multa quoque fulmina deciderant, sanguine, glebis, lapidibus, testis pluerat.* Herodotus lib. 7. oraculum πολλοὺς δ' ἀθανάτων νηοὺς μαλερῷ πυρὶ δώσει, οἵ που νῦν ἱδρῶτι ῥεόμενοι ἑστήκασι δείματι παλλόμενοι. *Multa immortalium templa igni ardenti tradet, qui nunc sudore fluentes stant agitati metu.* Cicero lib. 1. *Divination. Lacedæmoniis paulo ante Leuctricam calamitatem, quæ significatio facta est cum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit.*

Virgilius:

> *Et mœstum illacrymat templis ebur, æraque sudant.*

Apollonius lib. 4.

> Ἢ ὅταν αὐτόματα ξόανα ῥέῃ ἱδρώοντα.
> Αἵματι, ϗ μυκαὶ σηκοῖς ἔνι φαντάζονται.

*Aut cum sponte simulacra sanguine sudantia fluunt, aut mugitus audire nos in templis arbitramur.*

---

## CAP. IV.

### *De Simulacris Deum.*

SIMULACRA Deum, & vexilla interdum se non sine prodigio ad ortum, aut austrum sponte converterunt. Dio lib. 41. sub finem. *Terra movit in foris publiciis, ubi lectisternium erat Deorum, capita quæ in lectis erant averterunt se, lanaque cum integumentis, quæ Jovi apposita fuit, decidit. De mensa quoque oleas prægustasse mures in prodigium versum est. Ad ea expianda nihil ultra quam ut ludi instaurarentur actum est*, τὸ μητρὸς θεῶν ἄγαλμα πρὸς τὰς τοῦ ἡλίου ἀνατολὰς πρότερον βλέπον πρὸς δυσμὰς ἀπ' αὐτομάτου μετεστράφη, ait Dio lib. 46. *Matris Deum simulacrum de cœlo delapsum quod prius ad ortum spectabat ad occasum sponte conversum est. Præneste lana volitavit.* Valerius Max. lib. 1. cap. 8. *Veiis simulacrum Junonis Monetæ per jocum interrogatum an Romam migrare vellet, velle se respondit. Fortunæ item muliebris simulacrum quod est via Latina ad quartum milliarium non semel, sed bis loquutum constitit, his pene verbis*, bene me matronæ vidistis, riteque dedicastis. Apud Ammianum, *Cadaver contra occiduum latus extensum malo omini fuit.* Lib. 25. *Nam & Maximiani statua Cæsaris locata in vestibulo Regiæ amisit repente sphæram æream formatam in speciem poli quam gestabat, & cum horrendo stridore sonuerunt in consistorio trabes.* Suetonius in *Caligula* cap. 57. *Futuræ cædis multa prodigia extiterunt. Olympiæ simulacrum Jovis tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint.* Lib. 1. *Divinat. Ante Leuctricam cladem Lysandri statuæ quæ Delphis stabat in capite corona subito extitit ex asperis herbis, & agrestibus. Quid cum Cumis Apollo sudavit, Capuæ victoria? quid ortus Androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid quod fluvius atratus sanguine fluxit? Sisenna exponit initio belli Marsici, & Deorum simulacra sudavisse, & sanguine fluxisse.*

## CAP. V.

### *De Anguibus.*

EX anguibus in malam, & bonam Scævam auguria capiebantur. Plutarchus in *Gracchis*: Antequam Tiberius in Senatu laceraretur, εἰς κράνος αὐτοῦ ᾧ πρὸς τὰς μάχας ἐχρῆτο καταδύντες ὄφεις ἔλαθον ἐντεκόντες ὠά, καὶ ταῦτα ἐξεγλύψαντο, *angues in galeam ejus qua in prœliis utebatur subeuntes clam ova posuerunt, & excluserunt, dirum fuit omen.* Livius lib. 28. cap. 11. *Satricanos haud minus terrebant in ædem Jovis foribus ipsis duo prolapsi angues.* Lib. 41. cap. 21. *Cæritesque anguem in oppido suo jubatum aureis maculis sparsum apparuisse, & in agro Cumano bovem locutum esse.* Lib. 1. cap. 56. *Anguis ex columna lignea elapsus cum terrorem, fugamque in regiam fecisset, ipsius Regis (* Tarquinii Superbi *) non tam subito pavore perculit pectus, quam anxiis implevit curis.* Valerius libro primo: *Mancinus consul in Hispaniam iturus cum Genuæ scapham esset ingressus anguis eximiæ magnitudinis visus e conspectu abiit: dirum ostentum fuit.* In Epiro lucus Apollini sacer est intra quem dracones sunt Deo sacri: ἡ δὲ τούτων ἱέρεια γυμνὴ παρθένος πρόσεισι μόνη, καὶ τροφὴν τοῖς δράκουσι κομίζει, &c. *Antistita nuda Virgo sola adest, & dat cibum draconibus, quam si accedentem placide aspexerint, annum uberem, & salubrem significant. Si respuunt cibos, aut feri videntur, inauspicatum est.* Ælianus lib. 11. *Histor. Animant.* cap. 2. Plutarchus *in Agi*, *qui Cleomenis corpus cruci suffixum custodiebant, draconem ingentem conspexerunt*, τῇ κεφαλῇ περιπεπλεγμένον, καὶ ἀποκρύπτοντα τὸ πρόσωπον, ὥστε μηδὲν ὄρνεον ἐφίπτασθαι σαρκοφάγον, *ejus capiti circumplicatum faciem ejus tegentem, ita ut nulla avis carnivora attingeret.* Deus habitus est ab Ægyptiis. In *Gracchis*, λέγεται δέ ποτε συλλαβεῖν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης ζεῦγος δρακόντων. τοὺς δὲ μάντεις σκεψαμένους τὸ τέρας, ἄμφω μὲν οὐκ ἐᾶν ἀνελεῖν, οὐδὲ ἀφεῖναι. Tiberius *dicitur aliquando in lecto par draconum comprehendisse, aruspices perpenso prodigio vetuisse ne utrumque occideret, vel dimitteret, de altero asseverasse, si necatus mas foret, funestum Tiberio esse, Corneliæ vero, si fæmina. Tiberius marem sustulit, emisit fæminam.* Plautus *Amphitr. Devolant angues jubatæ deorsum in impluvium duo.* Theophrast. *de superstit.* καὶ ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι. *Si viderint serpentem domi sacellum ibi ponere.* Terent. *Phorm.* act. 4. scen. 4.

*Post illa monstra evenerunt mihi.*
*Introiit in ædes ater alienus canis,*
*Anguis per impluvium decidit, de tegulis*
*Gallina cecinit: interdixit ariolus,*
*Aruspex vetuit, ante brumam aliquid novi*
*Negotii incipere.* ——

Dio lib 45. ὅτε Ἠριδανὸς περὶ πολὺ τῆς περὶξ γῆς πελαγίσας ἐξαίφνης ἀνεθώρησε, καὶ παμπληθεῖς ἐν τῷ ξηρῷ ὄφεις ἐγκατέλιπε, καὶ ἰχθῦς ἐκ τῆς θαλάσσης ἀμύθητοι κατὰ τὰς Τιβέριδος ἐκβολὰς ἐς τὴν ἤπειρον ἐξέπεσον. *Eridanus cum longe lateque exundasset, repente in alveum se recepit, reliquitque quam plures angues in sicco, & pisces innumeri e mari ad ostia Tiberis in continentem ejecti sunt.* Cic. lib. 1. *Divinat. ut apud Homerum Calchas qui ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est.* Homerus lib. 2. *Iliad.*

*Sub platano umbrifera fons unde emanat aquai,*
*Vidimus immani specie, torvaque draconem,*
*Qui platani in ramo foliorum tegmine septos*
*Corripuit pullos, quos cum consumeret octo*
*Nona super tremulo genitrix clangore volabat.*

Serpens ex ara lapsus faustus. Virgil. l. 5. *Æneid.*

A *Dixerat hæc, adytis cum lubricus anguis ab imis*
*Septem ingens gyros, septena volumina traxit,*
*Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras.*

Idem nota Imperii. Vopiscus *Aureliano*: *Pueri pelvem serpentem plerumque cinxisse, neque umquam occidi potuisse.* Cic. lib. 2. *de Divinat. Roscius infans serpentis amplexu circumplicatus, responderunt aruspices illo nihil clarius fore.* Livius lib. 25. cap. 16. *Angues duo ex occulto allapsi edere ejecur, conspectique repente ex oculis abierunt.* Spartianus, *Severo dormienti in stabulo serpens caput cinxit, & sine noxa expergefactis, & acclamantibus familiaribus abiit.* Capitolin. in *Maximo*: *Maximino juniori serpens dormienti caput circumdedit.* Occursus serpentis B in itinere inauspicatus est. Horat. lib. 3. Od. 27.

*Rumpat & serpens iter institutum,*
*Si per obliquum similis sagittæ*
*Terruit mannos.* ——

Valerius Maxim. lib. 1. cap. 6. & Cicero lib. 1. *Divinat. Cum Sylla in agro Nolano immolaret ante prætorium ab infima ara subito anguis emersit. Cum quidam Posthumius aruspex oraret illum ut in expeditionem exercitum educeret, id cum Sylla fecisset tum ante oppidum Nolam, florentissima Samnitum castra cepit. Cum ad interpretem portentorum quidam retulisset quasi ostentum quod anguis domi vectem circumnexus fuisset; respondit ille, tum esset* C *ostentum si anguem vectis circumplicasset.* Dio lib. 41. ἐκβάντος δὲ τῆς νεὼς αὐτοῦ ὄφεις τὸν στίβον ἐπισπώμενοι συνέχεον; *cum Dyrrachium Pompejus adnavigaret, fulminibus aliquot milites exanimati sunt, signa militaria araneæ insederunt, ipsius Pompeii e navi egressi vestigium serpentes advoluti confuderunt.* Dio lib. 50. Ante prœlium Actiacum ἐν τῇ Τυρσηνίδι δράκων δικέφαλος μέγας: ὥστε καὶ ἐς πέντε καὶ ὀγδοήκοντα πόδας ἐξικνεῖσθαι αἰφνίδιον ἀνεφάνη, καὶ πολλὰ κακώσας ἐκεραυνώθη, *in Hetruria draco biceps longus pedes 85. subito apparuit. Qui cum multa vastasset, de cælo ictus est.* Lib. 58. ante Sejani cædem *capite ejus statuæ sublato ut posset inspici quidnam rei esset, serpens ingens exsiluerat, rursusque alio capi-* D *te imposito, cum propter hæc sacrificare vellet, inventus est funis capiti statuæ circumjectus: & ipse cum litare cuperet simulacrum fortunæ sese avertere viderat.* Xiphilinus in *Nerone*, λεβηρὶς περὶ τὸν αὐχένα τοῦ Νέρωνος παιδὸς ἔτι ὄντος εὑρεθεῖσα παρέδωκε τοῖς μάντεσι λέγειν ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος μεγάλην λήψεται. Capitolin. de Maximino, *omina Imperii sane hæc fuerunt. Serpens dormienti caput circumdedit. Scutum ejus sub Sole arsit.* Herodotus lib. 1. Priusquam Sardes a Cyro expugnarentur ἐνεπλήσθη τὸ προάστειον ὀφίων. οἱ δὲ ἵπποι μετιέντες τὰς νομὰς νέμεσθαι φοιτέοντες κατήσθιον; *suburbium impletum est serpentibus. Equi autem pro pabulo serpentes co-* E *mederunt, quo augurio captæ sunt Sardes.* Suetonius in *Nerone*, *Messalina misit qui puerum Neronem occideret in lecto ejus, circum cervicalia pueri deprehensis serpentis exuviis territi sunt qui venerant, ut puerum occiderent. Illud spolium a matre aureæ armillæ inclusum est, quod dextro brachio gessit.* Seneca in *Oedipo*:

*Tempore ex illo nova monstra*
*Semper protulit tellus, aut anguis imis*
*Vallibus annosa supra*
*Robora sibilat, supraque pinus,*
*Supra chaonias celsior arbores*
F *Cæruleum erexit caput,*
*Cum majore sui parte recumberet:*
*Aut fœta tellus impio partu*
*Effudit arma,*
*Sonuit reflexo classicum cornu,* &c.

Dio lib. 47. τῷ Λεπίδῳ ὄφις τέ τις ξίφει ἑκατοντάρχου περιπλακείς, καὶ λύκος ἔς τε τὸ στρατόπεδον, καὶ ἐς τὴν σκηνὴν δειπνοποιουμένου αὐτοῦ ἐσελθὼν, καὶ τὴν τράπεζαν

κατα-

*καταβαλών. Lepido ſerpens enſi centurionis circumplicatus viſus eſt, & in caſtra, ipſumque tentorium prandentis Lepidi ingreſſus lupus, menſam dejecit, quo oſtento & potentia Lepido, & difficultates in ea ſignificari viſæ.*

---

### CAP. VI.

#### *De Prodigio Unguenti, vel Olei.*

IN exercitu Bruti antequam ab Antonio deleretur, *τῶν ταξιαρχῶν τινὸς ἀπ' αὐτομάτου τὸν βραχίονα μύρον ῥοδινὸν ἐξανθεῖν, καὶ πολλάκις ἐξαλείφοντας, καὶ ἀπομάττοντας μηδὲν περαίνειν. Cuidam ordinum ductori ſponte unguentum roſeum e brachio efflorviſſe, & nihil egiſſe, qui ſæpius abſterſerant. Ante conflictum duas aquilas, medio inter utramque aciem ſpatio concurrentes dimicaſſe, & εἶξαι, καὶ φυγεῖν τὸν κατὰ Βροῦτον, pulſam fugiſſe eam quæ a Bruto ſteterat.* Plutarch. in *Bruto*. Idem in *Alex. Præfectus eorum qui ſtragulis erant præpoſiti, ὁ ἐπὶ τῶν στρωματοφυλάκων τεταγμένος, dum tabernaculo regio locum fodit, juxta Oxum amnem fontem olei aperuit.* Idem narrat & Arrianus. Monſtri loco eſt quod Zonaras tom. 2. pag. 40. commemorat, in Capitolio ex ara Jovis tribus diebus, *μιᾷ μὲν αἷμα, μιᾷ δὲ μέλι, καὶ ἐν ἑτέρᾳ γάλα ἀναδοθῆναι, una ſanguinem, altera mel, tertia lac fluxiſſe.* Dio l. 48. circa annum Urbis 716. *Ἔλαιόν τι παρὰ τῷ Τιβέριδι ἀνέβλυσε, oleum apud Tiberim ſcaturierat.* Plinius: *Auguſti Cæſaris principatu Romæ trans Tiberim e taberna meritoria oleum terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione.* Pauſanias in *Corinthiacis*, Epopeus cum Minervæ templum perfeciſſet, expetiit a diva ut teſtaretur aliquo ſigno, an opus ei acceptum eſſet, *μετὰ δὲ τὴν εὐχὴν ἔλαιον λέγουσι ῥυῆναι πρὸ τοῦ ναοῦ.*

---

### CAP. VII.

#### *De Petris.*

PETRAS augurium dediſſe docet Dionyſ. lib. *de ſitu orbis* apud Illyricos,

*——— ἀμφὶ γὰρ αἶαν*
*Κείνην ἀμφοτέρωθεν ἐρηρέδαται δύο πέτραι,*
*Αἵτ' ἄμφω συνίασι δονεύμεναι, εἴτε τις ἀρχὴ*
*Γίνεται ἐνναέτῃσι κυλινδομένοιο κακοῖο.*

*Circum terram illam utrinque duæ petræ firmantur, quæ concurrunt agitatæ, quando aliquod initium incolis cladis imminentis accidit.* Plin. lib. 2. cap. 83. *In agro Mutinenſi montes duo inter ſe concurrerunt crepitu maximo aſſultantes, recedenteſque anno ante ſociale bellum.*

---

### CAP. VIII.

#### *De Prodigiis in Vexillis, & Equis.*

DIO lib. 43. de pugna Pompeii ad Mundam, *οἵτε ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτοῦ τάς τε πτέρυγας σείσαντες, καὶ τοὺς κεραυνούς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τινες χρυσοῦς ἔφερον ἐκβαλόντες. Aquilæ legionum Pompeii commoventes alas, & fulmina aurea quæ erant in pedibus abjicientes, Pompejo cladem denuntiabant.* Florus lib. 2. cap. 6. *imminentem temerario duci cladem prædixerant inſidentia ſignis examina, & Aquilæ prodire nolentes, & commiſſam aciem ſequutus ingens terræ tremor.* Sueton. in *Claudio*: *Furius Camillus Scribonianus contra Claudium Imperator dictus a militibus ab iiſdem oppreſſus eſt, poſtquam denuntiato ad novum Imperatorem itinere, caſu quodam, an divinitus, neque Aquila ornari, neque ſigna convelli potuerunt.* Procop. lib. 2. *Antequam Antiochia a Choſroe expugnaretur, ſigna militaria, quæ occaſum ſpectabant, ſua ſponte militibus ſpectantibus converſa ſunt ad ortum, & ab ortu in occaſum. Craſſo exercitum traducente juxta Zeugma crebra & atrocia tonitrua eruperunt, frequentia fulmina exercitui ex adverſo emicuere, ventus cum atra nube, & preſtere procelloſus in pontem ejus temporarium incumbens magna ex parte dirupit, locus caſtrorum bis fulmine ictus eſt. Ἵππος δὲ τῶν στρατηγικῶν ἐπιφανῶς κεκοσμημένος βίᾳ συνεπισπάσας τὸν ἡνίοχον εἰς τὸ ῥεῖθρον ὑποβρύχιος ἠφανίσθη. λέγεται δὲ καὶ τῶν ἀετῶν ὁ πρῶτος ἀρθεὶς ἀπὸ ταὐτομάτου μεταστραφῆναι. πρὸς δὲ τούτοις συνέπεσε μετὰ τὴν διάβασιν μετρουμένοις τὰ ἐπιτήδεια τοῖς στρατιώταις πρῶτα πάντων δοθῆναι φακοὺς, καὶ ἅλας, ἃ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πένθιμα, καὶ προτίθενται τοῖς νέκυσι,* &c. *Equus ex prætoriis magnifice ornatus per vim abripiens rectorem in fluentum merſus non comparuit: prima Aquila ſublata ſponte converſa eſt. Ad hæc accidit poſtquam tranſmiſit amnem, militibus quæ ad victum pertinent admetientibus, dari prima omnium lentes, & ſalem, quæ Romanis ſunt lugubria, & defunctis apponuntur. Jam ipſi Craſſo excidit concionanti vox quæ graviter conſternavit exercitum, ſiquidem dixit, τὸ ζεῦγμα τοῦ ποταμοῦ διαλύειν, ὅπως μηδεὶς αὐτῶν ἐπανέλθῃ, ſe reſciſſurum pontem, ne quis eorum regrederetur.* Plutarch. in *Craſſo*. Idem in *Sylla*: Mario ſeditionem movente *πῦρ αὐτόματον ἐκ τῶν τὰ σημεῖα δοράτων ὑποφερόντων ἀνέλαμψε, καὶ κατεσβέσθη μόλις, ignis ſponte eluxit ex haſtis quibus ſigna ferebantur, & vix exſtinctus eſt.* In *Gracchis*: *ἥτε γὰρ πρώτη σημαία πνεύματος ἀφαρπάζοντος αὐτὴν, τοῦ δὲ φέροντος ἐγκρατῶς ἀντεχομένου συνετρίβη. Primum ſignum vento rapiente, & ſignifero ſumma vi renitente defractum eſt. Victimas aris impoſitas disjecit procella, ultra terminos deſcriptionis, quæ facta erat urbis condendæ, ipſos terminos irruentes lupi longe abſtulere.* Lucan. lib. 7.

*Necnon innumero cooperta examine ſigna,*
*Vixque revulſa ſolo majori pondere preſſum*
*Signiferi merſere caput, rorantia fletu,*
*Uſque ad Theſſaliam Romana & publica ſigna.*

Antequam a Turcis Conſtantinopolis expugnaretur, equus æreus D. Georgii bis hinnitu cives de nocte terruit, ut Choniates, & Gregoras. Dio lib. 40. Ex Aquilis una cum Craſſo Euphratem tranſire noluit, *ἀλλὰ ἐν τῇ γῇ ἐνέχετο, ὥσπερ ἐμπεφυκὼς, πρὶν δὴ πολλοὶ περιστάντες βίᾳ αὐτὸν ἀνέσπασαν, ſed terræ, ac ſi adnata eſſet, infixa hæſit, donec multi circumſtantes per vim avulſerunt.* Si velli ſigna non poſſent a ſigniferis cum in prælium exeundum eſſet, inauſpicatum habebatur. Silius,

*Signa etiam effuſa certant dum vellere mole*
*Teter humo latera nitentum erupit in ora*
*Exultans cruor.*

Idem lib. 5.

*——tum ſigna ſequentur*
*Nulla vulſa manu, veſcique interritus ales*
*Gaudebit.*

Cic. lib. 1. *Divinat.* Dionyſius: *Cum per agrum Leontinum iter faciens equum ipſe dimiſiſſet in flumen, ſummerſus equus voraginibus non extitit, quem cum maxima contentione non potuiſſet extrahere, diſceſſit ægre ferens. Cum autem aliquantulum progreſſus eſſet, ſubito exaudivit, hinnitumque reſpexit, & equum alacrem lætus aſpexit, cujus in juba examen apum conſederat. Cum ſignifer primi haſtati ſignum non poſſet movere loco, nec quiſquam proficeret, plures cum accederent, Flaminius profectus adverſus Hannibalem neglexit.* Capitolin. in *Pertinace*: *Equi pullus ea hora qua natus eſt in tegula aſcendit, atque ibi breviter*

*commoratus decidit, atque stellæ juxta Solem visæ sunt clarissimæ ante diem quam obiret.* Sueton. in *Julio* cap. 8. *Julius Cæsar equorum greges quot in trajiciendo Rubicone fluvio consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere.* Nonnus *Dionysiac.* sub finem lib. ult. Dio lib. 40. ante cladem Crassi σημεῖόν τι τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτοῖς πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ, καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων, *vexillum e majoribus quæ similia sunt velis navium puniceis litteris inscripta ad notitiam exercitus, & Imperatoris inversum vi venti vehementis in flumen decidit. Crassus reliquis vexillis ejusdem longitudinis præcisis ut breviora atque ad ferendum aptiora essent numerum prodigiorum auxit.*

## CAP. IX.

### *De Prodigiis ex Bove, Ariete, Capris, Porco.*

FIEBANT & prodigia in bubus, & porcis. Livius lib. 21. cap. 62. *Bos in foro Boario in tertiam contignationem sua sponte scandit.* Lib. 23. cap. 31. *Bos ad Sinvessam equuleum peperit.* Plutarchus in *Dione*, βοῦς ἁμαξεὺς οὐκ ἀηθὴς, οὐδ' ἄπειρος ὄχλων, &c. *Bos domitus non insolens, neque insuetus multitudinis forte tunc in rectorem irritatus, jugum fugiens cursu in theatrum contendit, populumque ilico excitavit, & sparsit fugientem effuse, inde in aliam civitatis partem incurrit subsiliens, & turbans quantam post occupaverunt hostes.* Dirum omen fuit in *Phocione*, αἱ ταινίαι μὲν αἷς περιελίττουσι τὰς μυστικὰς κοίτας βαπτόμεναι, θάψινον ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα, καὶ νεκρῶδες ἀνήνεγκαν, *vicesimo die mensis Boedromionis mysteriorum solemnibus, quo die Bacchum ex Eleusine deducunt, fasciæ quibus mystica pulvinaria circumvolvunt tinctæ, luridum pro puniceo colorem & pallidum retulerunt, & quod durius est, privata omnia quæ tincta erant, eundem colorem induerunt. Mystam porcellum lavantem cetus in Pyræi portu corripuit, imasque corporis partes ad ventrem usque devoravit.* In *Lucullo*, ἡ δὲ ἱερὰ βοῦς καὶ τρεφομένη τῇ θεῷ νομὴν μὲν εἶχεν ἐν τῇ περαίᾳ, κατ' ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν ἀποκριθεῖσα τῆς ἀγέλης μόνη διενήξατο πρὸς τὴν πόλιν, καὶ κατέστησεν ἐπὶ τὴν θυσίαν αὑτήν. *Bos sacra quæ alebatur Proserpinæ trans fretum pascebat cum reliquo armento Cyzicenorum. Illa autem die derelicto armento sola tranavit ad urbem, & se ipsam ad aram statuit.* Procopius in *bello Gotthico*, *Judæum* ait *e porcis quos in tria septa incluserat Justiniani victoriam prædivinasse.* Sueton. *Cœnante Vespasiano bos arator demisso jugo triclinium irrupit, ac fugatis ministris quasi repente defessus procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque submisit.* Tzetzes Chil. 1. Rhodi in monte Attaburio *æreæ boves mugitum edebant cum malum immineret*, χαλκαῖ βοῦς μυκηθμὸν ἐξέπεμπον. Plin. lib. 9. cap. 43. *Est frequens in prodigiis priscorum bovem loquutum, quo nuntiato Senatum sub dio haberi solitum.* Gregoras *Annal.* lib. 8. *Constantinopoli sub Andronico antequam urbs caperetur, cum sacri hymni decantarentur sus cœnosus in Ecclesiam irrumpens religionis in pejus mutationem portendit.* Solin. cap. 45. Ex bubus ortum prodigium narrat. De Ariete Macrob. lib. 3. *Saturn.* cap. 7. *Traditur in libro Hetruscorum, si hoc animal insolito fuerit indutum, portendi Imperatori rerum omnium felicitatem. Est super hoc liber Tarquitii transcriptus ex ostentario Thusco.* De prodigio ex capris vide Pausaniam in *Bœoticis*.

## CAP. X.

### *De Prodigiis Quadrigarum, & Panum crescentium.*

TARQUINIUS currum figlinum Thuscis opificibus Jovis Capitolini fastigio imponendum locavit, qui in fornace in tantam molem excrevit, ὥστε μόλις ἐξαιρεθῆναι τὴν ὀροφὴν ἀποσκεδασαμένων τῆς καμίνου, καὶ τῶν τοίχων περιαιρεθέντων, *ita ut fornacis culmine ablato, & parietibus dejectis ægre educeretur. Id quia visum est vatibus cæleste felicitatis prodigium penes quos ea quadriga foret, statuerunt eam Romanis repetentibus non tradere Vejentes*, ait Plutarchus in *Poblicola*. Plin. lib. 28. cap. 2. *Multi magnarum rerum fata, & ostenta verbis permutari prodiderunt, quod accidit cum in fastigium delubri Capitolini præparatæ quadrigæ figlinæ in fornace crevissent.* Ita & panis quem regina Macedoniæ coquebat famulo Perdiccæ, cum cresceret in furno, regnum ei portendit, ut docet Herodot. διπλήσιος ἐγένετο αὐτὸς ἑαυτοῦ.

## CAP. XI.

### *De Carnibus humanis & sanguine.*

QUO tempore Milo cæsus est, μέλισσαι ἐν τῷ Καπιτωλίῳ παρὰ τὸν Ἡρακλέα ἱδρύθησαν, *apes in Capitolio juxta Herculis statuam consederunt, cum Isidi sacra fierent. Aruspices omnia templa Isidis, & Serapidis demoliri jusserunt: quod dum fit, Bellonæ quoque ædes inscientibus illis dejecta est*, καὶ ἐν αὐτῷ κεράμεια ἀνθρωπείων σαρκῶν μεστὰ εὑρέθη. Τῷ ἐχομένῳ σεισμὸς ἰσχυρὸς ἐγένετο, *in eaque vasa figulina carnibus humanis plena reperta sunt. Anno insequenti terræ motus ingens accidit, buboque visus est*, πρὸς δὲ τούτοις αἷμά τε ἐξ ἐργαστηρίου σιτοποιοῦ προχυθὲν ἀφίκετο πρὸς νεὼν ἕτερον τύχης, καὶ βρέφη τινὰ τὰς ἀριστερὰς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς χεῖρας ἔχοντα ἐγεννήθη. *Adhæc sanguis e pistrino effusus profluxit ad alteram fortunæ, quam Antevortam, & Postvortam dicunt, quod omnia quæ ante, & pone sunt cernat.* Interpres primigeniam esse vult, male meo animo, ἣν ἐκ τοῦ πάντα τά τε ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τὰ κατόπιν καὶ ἐφορᾷν καὶ ἐκλογίζεσθαι. Dionys. lib. 10. νιφετὸς ἐξ οὐρανοῦ κατέσκηψεν εἰς γῆν πολὺς, οὐ χιόνα καταφέρων, ἀλλὰ σαρκῶν θραύσματα ἐλάττω τε, καὶ μείζω, &c. *Nix de cœlo incubuit, frusta carnis majora minoraque deferens, quorum bonam partem advolantes omnis generis volucrum greges rostris diripiebant: reliquum quod in terram deciderat in urbe, agrisque sparsum multo tempore nec colorem, nec odorem mutavit, nec computruit contra morem veterascentium carnium.* Sueton. in *Calig.* cap. 57. *Sacrificans respersus est Phœnicopteri sanguine, & Pantomimus Mnester tragœdiam saltavit, quam olim Neptolemus tragœdus ludis quibus Rex Macedonum Philippus occisus est, egerat, & cum in laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruinæ sanguinem vomuit, ut plures secundum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit.* Dio lib. 46. ante prælium ad Mutinam τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τὸ πρὸς τῇ Μουτίνῃ τιμώμενον αἷμά τε πολὺ, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ γάλα ἀνῆκε, *simulacrum Minervæ quod Mutinæ colitur, sanguinem, & postea lac emisit. Milesia.* 9. Apul. *longe majus ostentum, & quod merito perhorrescerent, exoritur. Sub ipsa enim mensa quæ reliquias prandii gerebat, terra dehiscens imitus largissimus emicuit fons sanguinis: hinc resultantes uberrimæ guttæ mensam cruore respergunt.* Q. Curtius lib. 4.

*Cum forte panem militum quidam frangeret, manantis sanguinis guttas notaverunt, territoque Rege Alexandro, Aristander peritissimus vatum respondit, si extrinsecus cruor fluxisset, Macedonibus id triste futurum, contra cum ab interiore parte manaverit, urbi quam obsidere destinassent, exitium portendi.* Suetonius: *Icarus primo conatu volans juxta cubiculum Neronis cecidit, ipsumque sanguine aspersit.*

## Cap. XII.

### *De Omine ex Lucerna.*

Omina captabant & e lucernæ fulgore. Macedonius in *Antholog.*

> Ἤδη φίλτατε λύχνε τρὶς ἔπταρες.
> *Jam lucerna carissima ter sternutasti.*

Virgilius in *Georgic.*

> *Nec nocturna etiam ducentes pensa ministræ*
> *Nescivere hyemem, testa cum ardente viderent*
> *Scintillare oleum, & putres concrescere fungos.*

Apulejus *Miles.* 2. *Sibyllæ lucerna, quæ cœli negotia, & Solem ipsum de candelabri specula contuetur.* Merum instillabant in lucernam, ut sibi ominarentur. Propert. lib. 4. eleg. 3.

> *Seu voluit tangi parca lucerna mero.*

Item,

> *Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes.*

Lib. 7. *Antholog.*

> ——καὶ φιλάγρυπνον
> Λύχνον ἐμῶν κώμων πολλὰ πίοντα μέλη.

*Amantem vigilias lucernam quæ multa carmina meorum bibit lusuum.* Apulejus *Miles.* 2. *Cum ecce jam vespera lucernam intuens*, Pamphile quam largus, *inquit*, imber aderit crastino. *Et percontanti marito qui comperisset istud, respondit sibi lucernam prædicere.* Ovidius Epist. Cydippes:

> *Vixque manu pigra toties infusa resurgunt*
> *Lumina, vix moto corripit igne faces.*

Sueton. *Tiberio*: *Quoties lucubrante se, subito ac nullo propellente decideret lumen & extingueretur, confidens, ut dicebat, ostento sibi ac majoribus suis in omni ducatu expertissimo, prælia inibat.*

## Cap. XIII.

### *De Offensione Pedis.*

Si exeuntes domo ad limen offenderent, inauspicatum erat. Tibul. libro 1. eleg. 3.

> *O quoties ingressus iter mihi tristia dixi*
> *Offensum in porta signa dedisse pedem.*

Lucanus lib. 1.

> *Nec limine quisquam hæsit.*

Janum & Vestam iratos dutabant, si pes ad limen offendisset. Ovidius in *Amoribus.*

> *Omina sunt aliquid, modo cum discedere vellet,*
> *Ad limen digitos restitit icta Nape.*

In Laodamia,

> *Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,*
> *Pes tuus offenso limine signa dedit.*

Cicero 2. *Divinat. Quæ si suscipimus, pedis offensio nobis, abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda.* Salisberiens. lib. 1. *Polycrat. Si egrediens limen calcaveris, aut in via offenderis, pedem contine.* Lib. 2. cap. 8. *Marcus evangelizandi causa Alexandriam proficiscens, cum navim egressus rupisset calceum, gratias agens iter suum expeditum esse protestatus est.* Plin. lib. 7. *Obiere Æmilius Lepidus incusso pollice limini cubiculi, & Aufidius cum egressus in Senatum iret offenso pede in Comitio.* Apulejus *Miles.* 2. *e tribus junior offenso pede atque obtunsis digitis terræ prosternitur.* Apud Plutarchum Tiberius Gracchus prius quam necaretur, domo egrediens tam violenter offendit ad limen, ut unguis majoris digiti rumperetur, & sanguis e calceo flueret. Cornelius Nepos in *Darete*,

> *Inque ipso trepidus ter limine gressus*
> *Fixit, ter rediit.*——

Ovidius de Myrrha,

> *Ter pedis offensi signo est revocata.*

Apud Plutarchum in *Demetrio*, Antigonus domo egrediens offendit ad limen ut in faciem ceciderit, & unguem excusserit.

## Cap. XIV.

### *De Sonitu foliorum.*

Amantes sibi ludos faciebant in Sicilia, & bene ominabantur amori suo foliis complosis ex fragore & sonitu. Theocrit. Idyl. 3.

> Οὐδὲ τὸ Τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
> Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ παχέει ἐξεμαράνθη
> Μεῦ μεμναμένῳ εἰ φιλέοις με.

*Neque Telefilon manu complosum fragorem reddidit, sed emarcuit ad tenerum cubitum me experiente an tibi carus essem.*

> Ὡς δάφνη λακέει μέγα καππυρίσασα,
> Κἠξαπίνης ἄφθη, κ'οὐδὲ σποδὸν εἴδομες αὐτῆς.

*Ut laurus arida magnum strepit, & statim accensa est, neque cinerem ejus vidimus.* Tibullus lib. 2. eleg. 5.

> *Ut succensa sacris crepitet bene laurea flammis,*
> *Omine quo felix & sacer annus erat.*
> *At laurus bona signa dedit.*

Crepitu lauri cum adureretur omina captarunt: explorabant item amorem puellarum, semina pomorum summis digitis expressa in altum vibrantes. Horatius sat. 3. lib. 2.

> *Quid cum Picenis excerpens semina pomis*
> *Gaudes si cameram percusti forte?*

Pollux lib. 8. *Onomast.* τὸ σπέρμα τῶν μήλων ἄκροις τοῖς πρώτοις τῆς δεξιᾶς δακτύλοις συμπιέζοντες, εἰ πρὸς ὕψος πηδήσειε, διεσημαίνετο τὴν εὔνοιαν παρὰ τῶν παιδικῶν. *Semen malorum summis digitis primis dextræ manus comprimentes si in altum exsiliret, hoc significabat benevolentiam ab iis quos amarent.*

## Cap. XV.

### *De Muribus, Leporibus, Soricibus, Formicis.*

Mures etiam & formicæ auspicium fecere Mario seditionem moventi, ait Plutarch. in *Sylla*, Κόρακες τρεῖς τοὺς νεοσσοὺς προσαγαγόντες κατέφαγον, τὰ δὲ λείψανα πάλιν εἰς τὴν νεοσσίαν ἀνήνεγκαν, καὶ μυῶν δ' ἐν ἱερῷ χρυσὸν ἀνακείμενον διαφαγόντων, μίαν οἱ ζάκοροι πάγῃ θήλειαν λαμβάνουσιν. ἡ δὲ ἐν αὐτῇ τῇ πάγῃ τεκοῦσα πέντε, κατέφαγε τὰ τρία, &c. *Corvi tres nidos in conspectum hominum delatos comederunt, & reliquias rursum in nidum detulerunt, & cum mures aurum in templo repositum arroderent unam æditui fœminam muscipula capiunt, quæ in ipsa muscipula quinque editis tres devoravit, & quod omnium fuit teterrimum, ex claro, & sereno cœlo vox increpuit tubæ acuta, & lugubris, ut obstupescerent, & cohorrescerent ejus magnitudine omnes.* Livius lib. 30. cap. 2. *Aurum in Capitolio corvi non lacerasse tantum rostris crediti, sed etiam edisse. Mures Latii coronam auream arroserunt. Circa Capuam omnem agrum locustarum vis ingens, ita ut unde advenissent parum*

*constaret*, *complevit*. *Arpini terra campestri agro in ingentem sinum consedit*. Ammianus Marcell. in *Constantio*: *Constantius severior fuit in divinaculos. Nam si super occentu soricis, vel occursu mustelæ consuluisset aliquis peritum, rapiebatur in judicium*. Plutarch. in *Sylla*; Εν τῷ ναῷ τῆς ἐνυοῦς στρουθὸς εἰσέπτη πάντων ὁρώντων, τέττιγα φέρων τῷ στόματι, καὶ τὸ μὲν ἐκβαλὼν μέρος αὐτοῦ κατέλιπε, τὸ δὲ ἔχων ἀπῆλθεν, *In templo Bellonæ passer in omnium oculis cicadam ferens ore, & partem ejiciens ibidem reliquit, alteram abstulit signum seditionis*. In *Cimone*: Μάντις ἀπέτεμε τὸ ἱερεῖον. τοῦ δ' αἵματος τὸ πηγνύμενον ἤδη μύρμηκες πολλοὶ λαμβάνοντες κατὰ μικρὸν ἔφερον πρὸς τὸν Κίμωνα, καὶ τοῦ ποδὸς περὶ τὸν μέγαν δάκτυλον περιέπλαττον. *Cum Libero patri sacrificaret, & victimam aruspex prosecuisset, quod sanguinis concreverat, id examen formicarum rapuit, paulatimque ad Cimonem detulit, atque ejus pollici pedis circumjecit*. Cicero lib. 1. *Divinat*. *Sisenna exponit initio belli Marsici Lanuvii clypeos, quod aruspicibus tristissimum esset visum a muribus esse derosos*. Ælianus lib. 1. *Var. Hist.* Murium aliquod præsagium esse ait, quia ruini imminentibus præmigrare solent. Plin. lib. 8. cap. 28. Cicero Epist. ad Attic. *Tabernæ duæ mihi corruerunt, reliquæ rimas agunt. Itaque non solum inquilini, sed mures etiam migraverunt*. Ælian. οἰκίας μελλούσης ὀλισθάνειν. Plinius, *ruinis imminentibus*. Xiphilin. in *Nerone*, Bunduncа λαγὼν μὲν ἐκ τοῦ κόλπου προήκατο, μαντείᾳ τινὶ χρωμένη, &c. *leporem ex sinu emisit divinatione quadam usa, qui postquam prospere processit, universa multitudo lætitia exclamavit*.

---

## CAP. XVI.

### *Monstrosi Partus*.

MONSTROSI partus inominati habentur. Philostratus lib. 3. *Ibi mulieri cuidam accidit, ut a capite ad ubera nigra, ab uberibus ad pedes omnia alba essent, quod ut dirum, & metuendum fugiebant*, ἐνταῦθα καὶ γυναῖκα φασὶ ἐντετυχηκέναι τὰ μὲν ἐκ κεφαλῆς ἐς μαζοὺς μέλανα, τὰ δὲ ἐκ μαζῶν ἐς πόδας λευκὰ πάντα, καὶ αὐτὰ μὲν ὡς δεῖμα φυγεῖν. Manilius,

> —— *Permiscet sæpe ferarum*
> *Corpora cum membris hominum, non seminis ille*
> *Partus erit, quid enim nobis commune, ferisque,*
> *Quisve in peccati noxam peccavit adulter?*
> *Astra novant formas, cœlumque interserit ora.*

Cedrenus in *Valentiniano*, *in suburbiis Antiochiæ natam puellam mortuam* ait, *cui duo capita collo divisa essent*. *Natus* item *Antiochiæ puer reliquo corpore integer, oculum habens unum in media fronte, quatuor manus, totidem pedes, barbatus*. τούτῳ τῷ ἔτει ἐγεννήθη παιδίον νεκρὸν θηλυκὸν ἔξω τῆς πόλεως Ἀντιοχείας ἔχον δύο κεφαλὰς διωρισμένας ἀπὸ τοῦ τραχήλου, &c. Portenta apud Zonar. in *Mauricio*, γυνή τις ἐν Θράκῃ παιδίον ἔτεκεν οὔτε ὀφθαλμοὺς, οὔτε βλέφαρα ἔχον, οὔτε χεῖρας, οὔτε βραχίονας, ἰχθύος δὲ οὐραῖον πρὸς τὸ ἰσχίον ἄνω προβεβλημένον. Sub Lacapeno, ἀφίκετο ἐξ Ἀρμενίας μειρακίσκων δυάς συμφυῶν. τοῦ ἑνὸς δὲ θανόντος ἐτμήθη ἡ συμφυΐα παρὰ τῶν ἰατρῶν. In Michaele Ducæ filio, ἐτέχθη δὲ ποτε ἐν τῷ Βυζαντίῳ παιδίον ἕνα ἔχον κατὰ τὸ μέτωπον ὀφθαλμὸν τραγοσκελές. *Mulier quædam in Thracia infantem peperit sine oculis, palpebris, manibus, brachiis, qui caudam piscis ad coxendices promitteret. Sub Lacapeno duo infantes corporibus conjunctis ex Armenia Byzantium deportati sunt, quorum cum alter mortuus esset, conjunctio secta est a Medicis, alter brevi mortuus est. Puer natus Byzantii uno in fronte oculo, caprinis pedibus*. Paulus Diaconus lib. 13. *Apud Palestinam sub Theodosio magno in Castello Emaus natus est puer perfectus ab umbilico, & sursum divisus, ita ut haberet duo pectora, & duo capita, & unusquisque suos sensus. Unus edebat, & bibebat, & alter non edebat, unus dormiebat, & alter vigilabat, nonnunquam insimul dormiebant, insimul ludebant ad alterutrum, & flebat uterque, & percutiebant invicem. Vixerunt annis duobus: altero mortuo, alter supervixit diebus quatuor*. Livius l. 30. c. 2. *Equuleus Reate cum quinque pedibus natus*. L. 35. c. 21. *Capra sex hœdos uno partu edidit*. L. 36. c. 23. *Mula Reate peperit*. L. 41. *In Vejenti agro biceps natus puer, & Sinvessæ unimanus, & Oxymi puella cum dentibus*. L. 31. c. 12. *Agnus cum suillo capite natus*. Lib. 32. c. 9. *Agnus cum duobus capitibus natus*. Lib. 27. cap. 19. *Agnus biceps cum quinque pedibus in Asculo natus*. Cap. 39. *Infans natus Frusinone quadrimo par*. Plutarchus in *Alexandro*, προβάτου δὲ τεκόντος ἄρνα περὶ τῇ κεφαλῇ σχῆμα, καὶ χρῶμα τιάρας ἔχοντα, καὶ διδύμους ἑκατέρωθεν αὐτῆς, βδελυχθεὶς τὸ σημεῖον ἐκαθάρθη μὲν ὑπὸ τῶν Βαβυλωνίων. *Cum ovis peperisset agnum in capite speciem & colorem tiaræ habentem, & utrinque testiculos, abominatus portentum expiari jussit per Babylonios*. Appianus lib. 1. *Civil*. Prodigia multa fuisse ait ante bellum Syllanum. *Mula peperit, mulier prægnans anguem pro homine edidit. Terra movit, quo motu quædam Romæ templa prostrata. Capitolium conflagravit*. γυνὴ κύουσα ἔχιν ἀντὶ βρέφους ἐξέδωκε, *pro infante*. Dio lib. 41. Ante bella civilia Cæsaris, & Pompeii, *multa animalia monstrosos partus ediderunt, quædam oracula ut Sibyllæ canebantur, & fanatici furore divino correpti futura prædixerunt*, ζῶά τε πολλὰ ἔξω τῆς ἑαυτῶν φύσεως ἐγέννησέ τινα, καὶ οὐδὲν ἐξέθυσαν, *omnis expiatio omissa est*. Xiphilinus in *Galba*, τὴν τε γὰρ τύχην ἔδοξεν αὐτῷ λέγειν ὅτι χρόνον ἤδη συχνὸν αὐτῷ παραμένει, καὶ οὐδεὶς αὐτὴν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ εἰσδέχοιτο, καὶ πλοῖα ὅπλων μεστὰ πρὸς Ἰβηρίαν αὐτόματα προσωρμίσθη, ἡμίονος τε ἔτεκεν ὅπερ αὐτῷ σύμβολος τοῦ κράτους ἔσεσθαι ἐτεθέσπιστο. *Sibi visus est audire fortunam dicentem, se jamdudum ante fores stare, nec dum tamen domum recipi, proinde si arceretur diutius ad alium migraturam: ad hæc navigia per eosdem dies plena armis sua sponte in Hispaniam sine nautis appulerunt. Insuper mula peperit, quam rem vates ei prædixerant signum futuri principatus*. Dio lib. 43. Bellis civilibus J. Cæsaris λύκος ἐν τῇ Ῥώμῃ ὤφθη, καὶ χοῖρος ἐλέφαντι πλὴν τῶν ποδῶν ὅμοιος ἐγεννήθη. *Lupus Romæ visus. Sus fœtum elephanti præter pedes similem edidit*. Capitolin. in *Antonino Pio*: *Natus est biceps puer: hordeum in Mœsia in culminibus arborum natum est*. Lib. 8. Herodotus, cum in Europam trajecisset Xerxes ἵππος ἔτεκε λαγών.

---

## CAP. XVII.

### *De Androgynis, & Monstris*.

ANDROGYNOS omnes pene gentes abominatæ sunt, & inter monstra per Haruspices expiandos esse putarunt. Oros. lib. 5. cap. 4. *Puer androgynus quadripes, quadrimanus, quatuor oculis natus est*. Cap. 17. & lib. 4. c. 13. 14. Juvenal. Sat. 13.

> *Prodigiosa fides, & Thuscis digna libellis,*
> *Quæque coronata lustrari debeat agna.*
> *Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri*
> *Hoc monstrum puero, & miranti jam sub aratro*
> *Piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ.*
> *Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,*
> *Examenque apium longa consedit in uva*
> *Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis*
> *Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.*

Cic. lib. I. *Divinat. Et si puella nulla esset, seditionem in populo fore, corruptelam, & adulterium domi, & si mulier leonem peperisse visa esset, fore ut ab exteris gentibus vinceretur ea respub. in qua id contigisset*. Dio lib. 47. Ante pugnam Philippensem κύων κυνὸς σῶμα πρὸς τὸ δημήτειον προσελκύσας, τήν τε γῆν τοῖς ποσὶν ὤρυξε, καὶ κατέχωσεν αὐτὸ, καί τι παιδάριον δέκα δακτύλους χεῖρας ἔχον ἐγεννήθη, ἡμιόνος τε διφυὲς τέρας ἔτεκε. τὰ μὲν πρόσθια ἵππῳ, τὰ δὲ λοιπὰ ἡμιόνῳ ἐῴκει, &c. *canis caninum cadaver ad Cereris templum proripuit, terraque effossa, ibi sepeliit. Infans denos in utraque manu digitos habens, natus est: mula monstrum biforme peperit, anteriori parte equo, posteriori mulo simile; & Minervæ currus e quodam certamine circensi revectus confractus est, & simulacrum Jovis in Albano ipsis feriis ex humero dextro & dextra manu sanguinem misit*. Zonaras, sub Mauricio *mulier in Thracia puerum peperit sine oculis, palpebris, manibus, brachiis, cauda piscis usque ad coxendices sursum porrecta*. Sub Michaele Ducæ filio *Bizantii natus puer caprinis pedibus, uno oculo in fronte*. Plutarchus *Pericle*, λέγεται δέ ποτε κριοῦ μονόκερω κεφαλὴν ἐξ ἀγροῦ τῷ περικλεῖ κομισθῆναι, καὶ λάμπωνα μὲν τὸν μάντιν ὡς εἶδε τὸ κέρας ἰσχυρὸν, καὶ στερεὸν ἐκ μέσου τοῦ μετώπου πεφυκὸς, *duarum dixisse factionum quæ tunc in urbe erant potentiam ad unum delatum iri*. Cic. lib. I. *Divinat. Quid partus hic mulæ? nonne quia fœtus existit in sterilitate naturæ prædictus est ab aruspicibus incredibilis partus malorum?* Sueton. in *Galba*: *Summum, sed serum Imperium portendi familiæ responsum est*. Sane, *inquit*, cum mula pepererit. *Mula peperit, & Galba confirmatus*. Livius lib. 27. cap. 13. *Cruentam fluxisse aquam Albanam quidam auctores erant. Et Priverni satis constabat bovem loquutum, vulturemque frequenti foro in tabernam devolasse; & Sinuessæ natum ambiguo inter marem & fœminam sexu infantem, quos Androgynos vulgus, ut pleraque faciliore ad duplicanda verba Græco sermone appellat; & lacte pluisse, & cum Elephanti capite puerum natum. Ea prodigia hostiis majoribus procurata, & supplicatio circa omnia pulvinaria, & obsecratio in unum diem indicta*. Libro 31. cap. 12. *In Lucanis cœlum arsisse ferebant. Priverni sereno per diem totum rubrum Solem fuisse. Lanuvii templo Sospitæ Junonis nocte strepitum ingentem exortum. Jam animalium obscœni cœtus pluribus locis nuntiabantur. In Sabinis incertus infans natus masculus, an fœmina esset, alter sexdecim jam annorum, item ambiguo sexu inventus. Frusinone agnus cum suillo capite, Sinuessæ porcus cum capite humano natus, in Lucanis in agro publico equuleus cum quinque pedibus. Fœda omnia, & deformia, errantisque in alienos fœtus naturæ visa. Ante omnia abominati semimares, jussique in mare extemplo deportari, sicut proxime Cn. Clodio, Mar. Livio Coss. deportatus similis prodigii fœtus erat*. Lib. 39. *Novendiale sacrum tenuit, quod in Piceno per triduum lapidibus pluerat, ignesque cœlestes multifariam orti adussisse complurium levi afflatu vestimenta maxime dicebantur. Addita & unum diem supplicatio est, ex decreto Ponticum, quod ædes Opis in Capitolio de cœlo tacta erat, hostiis majoribus Consules procurarunt, urbemque lustraverunt. Sub idem tempus & ex Umbria nuntiatum est semimarem duodecim ferme annos natum inventum. Id prodigium abominantes, arceri Romano agro, necarique quamprimum jusserunt*. Androgynis subjiciam de iis qui sexum mutaverunt. Livius lib. 24. cap. 10. ex muliere Spoleti virum factum esse scribit. Tiresias ex muliere vir factus. Lib. 22. cap. 1. Livius ait, Gallinam in marem versam esse. Hyænis utramque esse naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas, scribit Plinius lib. 8. cap. 30. lib. 7. cap. 4. *Publ. Licinio Crasso, Cajo Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque aruspicum deportatum in insulam desertam. Argis Arescula nupsit, mox Aresconti barba & virilitas provenit, uxoremque duxit*. Apud Photium in *Bibliotheca* pag. 616. 617. Diodorus Siculus scribit in Abis Arabiæ Eraida puellam, quæ jam annum integrum viro nupserat, in virum mutatam Diophanti nomen sumpsisse, Epidauri Callonem puellam in virum versam esse. Idem agens de Alexandro Cœlesyriæ & Antiochiæ Rege χρηστηριαζομένου μετά τινων Κιλικίαν ἔνθα φασὶν Ἀπόλλωνος Σαρπηδονίου ἱερὸν εἶναι ἀνελεῖν αὐτῷ λέγεται τὸν Θεὸν φυλάξασθαι τὸν τόπον τὸν ἐνέγκοντα θέαν δίμορφον: *Cum consuleret oraculum Apollinis Sarpedonii in Cilicia ubi templum habet, respondisse Deum sibi caveret ab eo loco qui spectaculum biforme portaret. In Abis Arabiæ Erais puella mutata in virum Diophanti nomen sumpsit, & Alexandro isti militavit, quod spectaculum biforme fuit*. Tacitus lib. 12. *Marco Asinio, M. Acilio Coss. mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis. Signa enim ac tentoria militum igne cœlesti arsere. Fastigio Capitolii examen apum insedit. Biformes hominum partus, & suis fœtus editus, cui accipitrum ungues erant. Numerabatur & inter ostenta deminutus omnium Magistratuum numerus, Quæstore, Ædili, Tribuno ac Prætore, ac Consule, paucos intra menses defunctis*. Silius Italicus lib. 8. de pugna Cannensi,

*Obseditque frequens castrorum limina bubo,*
*Nec densæ trepidis apium se involvere nubes*
*Cessarunt aquilis, non unus crine corusco*
*Regnorum eversor rubuit lethale Cometes.*

Apud Phlegontem Trallianum *Polycritus Locride uxore ducta tertio post die mortuus eam gravidam reliquit, quæ peperit androgynum, qui cum in concionem populi delatus esset, derepente extitit Polycritus, & futuram Ætolis, ac Locrensibus cladem prædixit, filiumque monstrosum dempto capite devoravit, & evanuit, mox & caput eandem cladem eloquutum est*. Dionys. lib. 2. Romulus nullam prolem necari permisit minorem triennio, *nisi infans esset mutilus, aut portentosus a nativitate*, πλὴν εἴ τι γένοιτο παιδίον ἀνάπηρον, ἢ τέρας εὐθὺς ἀπὸ γονῆς. Ammianus lib. 19. *Tunc apud Daphnen horrendum natum est monstrum, infans ore gemino, cum dentibus binis, & barba, quatuorque oculis, & brevissimis duabus auriculis, qui partus ita distortus præmonebat Remp. in statum verti deformem. Nascuntur hujusmodi sæpe portenta indicantia rerum variarum eventus; quæ quoniam non expiantur publice, ut apud Veteres, inaudita prætereunt, & incognita*. Philostratus lib. 5. *Apollonii*, γυνὴ τῶν οὐκ ἀφανῶν τέρας ἀπεκύησεν, οἷον οὔπω ἐμαιεύθη, τρεῖς γὰρ τῷ βρέφει κεφαλαὶ ἦσαν ἐξ οἰκείας ἑκάστη δέρης, *& eorum singulis singula colla*, τῇ δὲ ἐπ᾽ αὐτῷ ἑνὸς πάντα, *inferius unum duntaxat corpus cernebatur: monstrum triceps, & masculum*, τρικέφαλον, καὶ ἄρρεν. Apollonius τρεῖς ἔφη Ῥωμαίων αὐτοκράτορες, τελειώσει δὲ οὐδεὶς τὸ ἄρχειν: *Tres dixit Romanorum Imperatores fore, quorum nullus firmiter imperium ac perfecte teneret*. Galba, Vitellius, Otho prænuntiati. Herodot. lib. 7. cum Xerxes in Græciam duxit ἵππος ἔτεκε λαγών, *equa peperit leporem*. Plin. lib. 6. cap. 3. varias hominum effigies monstriferas commemorat. Lib. 9. cap. 44. *Est in Annalibus nostris mulas sæpe peperisse, verum prodigii loco habitum est*. Lib. 7. cap. 3. *Alcippe peperit Elephantum, quanquam id inter ostenta est. Namque & serpentem peperit inter initia belli Marsici ancilla. Est inter exempla in uterum protinus reversus infans Sagunti, quo anno ab Hannibale deleta est*.

## CAP. XVIII.

*Prodigioſi Nuntii.*

MONSTRI loco fuere nuntii prodigioſi apud Plutarchum in *P. Æmilio*. Quarto die quam deletus erat Perſeus apud Pydnam Romæ ludis Circenſibus murmur repente primam partem theatri pervaſit, Paulum ingenti prælio Perſea viciſſe, totamque Macedoniam ſub ditionem mittere; mox cum apud vulgus increbuiſſet hic rumor, mixta cum plauſu & clamore lætitia tota urbe fuit. Paucis poſt diebus certis auctoribus res comperta eſt. Fama item prælii ad Sagram amnem ab Italis commiſſi eodem die Peloponneſum delata eſt. Item prælii apud Mycalem contra Medos Plateis fama audita. Duo viri ſpecioſi & proceri victos a Romanis Tarquinios & Latinos Romæ nuntiarunt. Nuntios Tyndaridas eſſe putant, quorum attactu Ahenobarbus *χαλκοπώγων* effectus eſt. Cum a Domitiano Antonius in Germania defeciſſet, ejus & militum cædes eodem die quo patrata erat, Romæ nuntiata. Dio lib. 42. quo die pugna Pharſalica commiſſa eſt, *στρατοπέδων συνόδους, καὶ ὅπλων κτύπους συμβῆναι, τοῖς τε Σύροις δύο τινὰς νεανίσκους τὸ τέλος τῆς μάχης ἀγγείλαντας ἀφανεῖς γενέσθαι: exercituum conflictus, armorumque ſonitus exauditi ſunt. Duo adoleſcentes Syris exitum pugnæ nuntiarunt.* Suetonius, *In Philippis*, inquit, *Theſſalus quidam de futura victoria nuntiavit auctore Divo Cæſare, cujus ſibi ſpecies in itinere avio occurriſſet.*

## CAP. XIX.

*De Vocibus & Cantibus Nocturnis.*

INTERDUM voces, cantuſque de nocte audiuntur, quos ſuperſtitioſa antiquitas in religionem duxit. Plutarchus in *Camillo*, *vocem humana majorem auditam eſſe*. Livius, *vocem humana clariorem*. Julius Obſequens lib. *de Prodig. Hoſtilius Mancinus Conſul in portu Herculis cum conſcenderet navem, vox improviſo audita*, mane Mancine. *Cumque egreſſus poſtea navem Genuæ conſcendiſſet, anguis in navi inventus e manibus effugit.* Suetonius in *Nerone* cap. 45. *De Mauſoleo ſponte foribus patefactis exaudita vox eſt nomine eum cientis.* Tacitus lib. 5. *Hiſtor. In templo Hieroſolym. exaudita vox eſt excedere Deos.* Pauſanias in *Meſſeniacis*: Cum Lacones Meſſenium qui Delphis redibat inſidiis appeterent, vox e cœlo audita, *τὸν χρησμοφόρον μέθες, ab oraculo redeuntem dimitte*. Dionyſ. Halic. lib. 7. in anno 264. ſcribit: *Romæ multa viſa inſolita multis apparuiſſe, & voces auditas nemine loquente qui cerni poſſet, fœtuſque hominum aut pecudum portentoſos editos, oracula vulgo multis locis jactata, mulieres fanaticas dira urbi præcinuiſſe*, *ὄψεις τε γὰρ οὐκ εἰωθυῖαι ἐφαίνοντο πολλοῖς, καὶ φωναὶ ἠκούοντο οὐδενὸς ὄντος τοῦ φθεγγομένου, γοναί τε ἀνθρώπων καὶ βοσκημάτων πολὺ ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν ἐκβεβηκυῖαι εἰς τὸ ἄπιστον, καὶ τεραπόδες ἐφέροντο*, &c. Item l. 8. *Multa Romæ a Deo ſigna data, quæ iram Deorum denuntiarent per voces ignotas, & viſa inſolentia. πολλὰ δαιμόνια σημεῖα ἐφαίνετο δηλωτικὰ θείου χόλου, κατά τε φωνάς, καὶ ὄψεις ἀήθεις.* Plutarchus in *Antonio*: *ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ λέγεται μεσούσης σχεδὸν ἐν ἡσυχίᾳ καὶ κατηφείᾳ τῆς πόλεως διὰ φόβον, καὶ προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος οὔσης, αἰφνίδιον ὀργάνων τε παντοδαπῶν ἐμμελεῖς φωνὰς ἀκουσθῆναι, καὶ βοὴν ὄχλου μετ' εὐασμῶν, καὶ πηδήσεων σατυρικῶν*, &c. *Circa noctis illius conticinium, cum ſilentium, & mæſtitia ex metu & exſpectatione eventus teneret civitatem, repente omnis generis ferunt exauditam ſymphoniam, ſtrepitumque turbæ, cum clamore Bacchico, & tripudiis Satyricis, velut ſacris Liberi patris, choro non ſine ingenti tumultu erumpente, conceſſiſſe hanc turbam, quæ ingens eſſet, media ferme urbe ad portam quæ foras ad hoſtes ducebat, atque ea evaſiſſe, ante Antonii exitium.* Cicero lib. 1. *de Divinat. Initio belli Marſici ſanguinem fluxiſſe, & diſceſſiſſe cœlum, & ex occulto auditas eſſe voces, quæ pericula belli nuntiarent. Sæpe etiam & in præliis Fauni auditi, & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto miſſæ eſſe dicuntur. Non multo ante urbem captam a Gallis exaudita vox eſt a luco Veſtæ, qui a palatii radice in novam viam devexus eſt, ut muri, & portæ reficerentur, futurum eſſe ni proviſum eſſet, ut Roma caperetur. Ara Ajo loquenti quam ſeptam videmus, adverſus eum locum conſecrata eſt. Atque etiam ſcriptum a multis eſt cum terræ motus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret, vocem ab æde Junonis ex arce extitiſſe. Quocirca Junonem illam appellatam Monetam.* Crœſi filium cum eſſet infans loquutum, quo oſtento regnum patris, & domum funditus concidiſſe ſcribit Herodotus. Dio lib. 47. Norbanus Conſul *σάλπιγγι ἀεὶ προσκείμενος, καὶ ἐρρωμένως τὸ πρᾶγμα ἀσκῶν, ἠθέλησε καὶ τότε ὑπὸ τὸν ὄρθρον πολλῶν ἤδη πρὸς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ παρόντων σαλπίσαι*, &c *tubæ inſpirandæ ſtudioſiſſimus, diluculo cum multi jam ad ejus ædes conveniſſent, tuba cecinit, omniumque animos perturbavit, quaſi ſignum belli conſul incinuiſſet.* Sub Tiberio ante mortem Germanici.

## CAP. XX.

*De varia ſpecie Simulacrorum.*

SIMULACRA larvaſque Aruſpices diligenter obſervarunt. Ammianus lib. 31. *Super his larvale ſimulacrum Armeniæ regis, & miſerabiles umbræ paulo ante in negotio Theodorici cæſorum per quietem ſtridendo carmina quædam nimium horrenda, multos diris terroribus agitabant.* Cic. lib. 1. *de Divinat. Objiciuntur etiam ſæpe formæ, quæ reapſe nullæ ſunt, ſpeciem autem afferunt, quod contigiſſe Brenno dicitur, ejuſque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intuliſſet. Tum enim ferunt ex oraculo hæc fatam eſſe Pythiam*: Ego providebo rem iſtam, & albæ virgines. *Ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contra, & nive Gallorum obruere exercitus.* Pauſanias in *Atticis*: *Cum Brennus Delphos oppugnaret fulmina, & fulgura ἐπέσκηπτον, incumbebant, & tres Heroes cataphracti ὁπλῖται in aere viſi, Pyrrhus filius Achillis, Hyperochus, & Amadochus ex Hyperboreis venere, a quibus Galli deleti. Marathonio prælio vir agreſtis interfuit, qui aratro Perſas plures cum oppreſſiſſet evanuit. Oraculo juſſi Athenienſes τιμᾶν ἐχετλαῖον.* Interdum viſa læta & auſpicata fuere. Livius libro 24. cap. 10. *Adriæ aram in cœlo, ſpecieſque hominum circum eam cum candida veſte viſas eſſe. Affirmantes quidam legiones armatas ſe in Janiculo videre, concitaverunt civitatem ad arma.* Lib. 22. cap. 1. *Arpis palmas in cœlo viſas.* Xiphilin. in *Tito*: *ἄνδρες πολλοὶ καὶ μεγάλοι πᾶσαν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ὑπερβεβηκότες, οἷοι οἱ γίγαντες γράφονται, τοῦτο μὲν ἐν τῷ ὄρει, τοῦτο δὲ ἐν τῇ περὶ αὐτὸ χώρᾳ, ταῖς τε πόλεσι μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ ἐν τῇ γῇ περινοστοῦντες, καὶ ἐν τῷ ἀέρι διαφοιτῶντες ἐφαντάζοντο. Viri multi proceri ſupra naturæ modum quales pingi ſolent gigantes, cum in monte, tum in planicie circa montem & urbibus diu noctuque in terra vel aere diſcurſantes objiciebantur.* Dio lib. 55.

Cum Drusus Albim fluvium in Cheruscis trajicere vellet, *quædam mulier humana specie major occurrit ei, dixitque*, quo properas Druse insatiabilis? Non est in fatis ut hæc omnia videas, sed abi, nam tibi & operum, & vitæ finis adest. *γυνή τις μείζων ἢ κατ' ἄνθρωπον ἀπαντήσασα αὐτῷ ἔφη, ποῖ δῆτα ἐπείγῃ, Δροῦσε ἀκόρεστε*, &c. Herodotus libr. 8. Dicæus narrabat se vidisse pulverem triginta fere millium virorum procedentem ab Eleusi, & vocem Jacchi Mystici audivisse, *τὸ θεῖον τὸ φθεγγόμενον ἀπ' Ἐλευσῖνος ἰὸν ἐς τιμωρίαν Ἀθηναίοις*, *Numen loquens ab Eleusine opem Atheniensibus ferens*, ex illo autem pulvere, ac voce factam esse nubem, eamque in sublime elatam Salaminem ad Græcos perrexisse. Dionysius lib. 10. *Originum*, *ὅσα μὲν γὰρ ἐν οὐρανῷ σέλατα φερόμενα, καὶ πυρὸς ἀνάψεις ἐφ' ἑνὸς μένουσαι τόπου, γῆς τε μυκήματα, καὶ τρόμοι συνεχεῖς ἐγίνοντο, μορφαί τε εἰδώλων ἄλλο τ' ἀλλοῖαι δι' ἀέρος φερόμεναι, καὶ φωναὶ ταράττουσαι διάνοιαν ἀνθρώπων*: *fulgores per cœlum discursantes, ignisque incendia eodem loco consistentia, terræ mugitus, tremoresque continuos, spectraque mutatis subinde formis per aerem se ostentantia, voces hominum animos terrentes*. Dio lib. 37. Ante conjurationem Catilinæ *ἔξεδροί τινες ὄρνιθες ἐπέπταντο, καὶ διὰ τοῦτ' ἀνεμαντεύσαντο*, *aves auspicatæ volarunt, ideoque obnuntiarunt. Multa fulmina sereno ceciderunt, terra movit*. *εἴδωλα πολλαχόθι ἀνθρώπων ἐφαντάσθη, καὶ λαμπάδες ἀνεκὰς ἐς τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν δυσμῶν ἀνέδραμον*: *simulacra hominum multis locis visa, lampades in sublime ab occasu ad cœlum recurrerunt*. Ante mortem Clodii *ἐν τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινὸς πρὸς ἀνατολῶν ἱδρυμένος πρὸς τὴν ἄρκτον μετεστράφη*: *sacellum quoddam Junonis exiguum quod in Albano super mensa dedicatum ortum spectabat ad Septemtrionem conversum erat, faxque a Meridie ad Aquilonem perrexerat, lupus in urbem inierat, terra moverat, aliquot cives de cœlo tacti, mugitus sub terra in monte Latino exauditus*. Lib 39. Dio lib. 48. Sub Augusto antequam duceret Liviam, cum simulacrum matris Deum ad mare ferretur, *Dea cum longe adhuc a mari abesset, a terra in mare progressa est, ibique diu morata, vix tandem rediit*, *καὶ ἐν αὐτῷ ἐνεχρόνισε*.

---

## Cap. XXI.

### *De Arboribus.*

Arbores derepente natæ, marcentes, reviviscentes, emortuæ prodigium sæpe fecere. Plutarchus in *Cæsare*: *Trallibus erat in templo Victoriæ Cæsaris statua, solum rigidum, & duro lapide stratum, unde palma ad statuæ ejus basin extitit*. Sueton. in *Domitiano*: *Arbor quæ privato adhuc Vespasiano surrexerat ante mortem Domitiani repente corruit*. Dio lib. 48. *Romani non ante animum receperunt πρὶν φοίνικας τέσσαρας περί τε τὸν νεὼν αὐτῆς, καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀναφῦναι*: *priusquam palmæ quatuor circa delubrum matris Deum, & in foro enatæ essent. C. Cornelius augur, qui Patavii agebat, cum Cæsar apud Pharsalum rem gereret, monuit amicos prælium id tempore committi, cum iterum aves servasset*, *ἀνήλατο μετ' ἐνθουσιασμοῦ βοῶν, νικᾷς ὦ Καῖσαρ*: *exsiluit quasi fanaticus exclamans, vincis Cæsar*. Apud Plin. lib. 16. cap. 32. *Est in exemplis & sine tempestate, ullave causa alia quam prodigii cecidisse arbores multas, ac sua sponte resurrexisse: factum hoc Populo Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis, Nuceriæ, in luco Junonis ulmo postquam etiam cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita ut protinus floreret, a quo deinde tempore majestas populi Rom. resurrexit, quæ antea vastata cladibus fuerat. Idem factum in Philippis salice procidua atque detruncata, & Stagiris in Musæo, populo alba: omnia fausti ominis. Antandri platanus circumdolatis lateribus restibilis sponte facta, vitæque reddita*. Laodiceæ sub Xerxis adventum platanus in oleam mutata, arbores loquutæ. Plinius libro 17. cap. 25. *Sub Nerone olivetum universum equitis Rom. viam transgressum est, arvis inde e contrario in locum oliveti transgressis*. Lampridius in *Alexandro*: *Laurus in palatio cujusdam civitatis a qua proficiscebatur ad bellum, ingens & antiqua tota subito decidit, arbores fici tres quæ ficus eas ferrent, quibus Alexandrinarum nomen est, subito ante illius tentorium deciderunt, cum tentoria Imperatoria bis adversa essent. In ea urbe exibat laurus ingens, & antiqua tota subito decidit. In suburbano Flaviorum quercus antiqua quæ erat Marti sacra per tres Vespasiæ partus singulos repente ramos a frutice dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati, primum exilem, & cito arefactum, ideoque puella nata non perennavit, secundum prævalidum, ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet; tertium vero instar arboris, quare patrem Sabinum ferunt aruspicio insuper confirmatum renuntiasse matri nepotem ei Cæsarem genitum*. Sueton. cap. 5. Vesp. *Inter antiquissima delubra Quirini duæ fuere myrti, altera patricia, altera plebeja. Patricia multis annis prævaluit, flaccente plebeja. Marsico bello consenuit, reviruit plebeja, cum plebs revaluisset*, ait Plin. lib. 15. cap. 20. *Apud Mundam D. Julius castris locum capiens cum sylvam cæderet, arborem palmæ repertam conservari ut omen victoriæ jussit. Ex ea continuo enata soboles adeo in paucis diebus adolevit, ut matricem obtegeret*, narrante Suetonio in *Julio* cap. 94. *Liviæ Drusillæ cum pacta esset Cæsari Gallinam conspicui candoris, sedenti aquila ex alto abjecit illæsam, quæ rostro teneret laureum ramum onustum suis baccis: conservari alitem, & sobolem jussere aruspices, ramumque seri unde mire sylva provenit, quæ stirpitus cum stirpe Cæsarum exaruit*, Plin. cap. ult. lib. 15. *Quo anno Hannibal a Romanis victus est in arboribus frumenta nata*. Plin. lib. 18. cap. 18. *Arbor cupressus in agro Vespasiani avito sine ulla vi tempestatis evulsa radicitus insequenti die viridior ac firmior resurrexit*. Lamprid. *Alexandro*: *Nata in domo laurus juxta Persici arborem intra annum unum Persici arborem vicit, unde etiam conjectores dixerunt Persas ab eo esse vincendos*. Lib. 17. cap. 25. Plin. *Subsedit in Cumano arbor gravi ostento paulo ante Pompeii Magni bella civilia paucis ramis eminentibus. Inventum Sybillinis libris internecionem hominum fore. Ficus in lauro nata est Cyzici ante obsidionem. Trallibus palma in basi Cæsaris Dictatoris circa bella civilia ejus. Romæ in Capitolio in capite Jovis bello Persei enata palma. Hac tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est*. Sueton. *Novissimo Neronis anno sylva omnis laurea a Livia sata, & gallinæ quæ erant in villa ad gallinas elanguerunt. Observatum sub cujusque obitum arborem ab eo institutam elanguisse*. Pausan. in *Atticis*, *olea Minervæ a Persis excisa, & cremata, eadem die ad duos cubitos e terra excitata est*. Suetonius: Augustus Cæsar *enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam in compluvium Deorum penatium transtulit. Apud insulam Capreas veterrimæ ilicis demissos jam ad terram, languescentesque ramos convaluisse adventu suo adeo lætatus, ut Neapolitanis Ænarias dederit, Capreas ipse retineret*. Festus: *M. Valerius Messala, Cajus Cassius Longinus Censores, quorum in Magistratu subversa Pudicitia fuerat, famosi extiterunt. Nam palmam, quæ in Capitolio in ara ipsa Jovis Opt. Max. bello Persico nata fuerat,*

*prostratam ferunt & ibi natam ficum*. Plin. lib. 17. A cap. 25. *Inter vitia arborum est & prodigiis locus. Invenimus enim sine foliis natas vitem & malum Punicum stirpe fructum tulisse, non palmite, aut ramis, vitem uvas sine foliis, oleas quoque amisisse folia, baccis hærentibus. Sunt & miracula fortuita: nam & oliva in totum ambusta revixit, & in Bœotia derosæ a locustis ficus item germinavere.*

---

## CAP. XXII.

B

### *De Brutis quæ loquuta.*

SI bruta loquuta essent, monstra procurari oportuit. Plutarchus in *Coriolano*, *signum fortunæ femineæ* φθέγξασθαί τι τοιοῦτον, θεοφιλεῖ μὲ θεσμῷ γυναῖκες δεδώκατε: *dicunt vocem hujusmodi misisse*, PIA ME RELIGIONE FÆMINÆ DEDICASTIS. *In Camillo, Camillus Ajo Loquutio novum exstruxit templum, quo loco nuntiam barbarorum cœlitus adventus vocem audierat*, αὐτὸς δὲ ἱδρύσατο νεὼν φήμης, καὶ κληδόνος, &c. Item, *Camillus Veiis captis precatus est Junonem, ut volens, ac propitia Romam commigraret. Signum respondisse ferunt, velle, & annuere, ac se-* C *qui libenter*, ἀποκρίνασθαι, ὅτι καὶ βούλεται, καὶ συγκαταινεῖ, καὶ συνακολουθεῖ προθύμως. Livius lib. 43. cap. 13. *Anagniæ facem in cœlo conspectam, & bovem fæminam loquutam publice ali: Minturnis quoque per eos dies cœli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit, Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrymavit. Romæ in æde fortunæ anguem jubatum a compluribus visum esse, in æde primigeniæ fortunæ quæ in colle est, palmam in area enatam, & sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum quod in privato loco factum esset. Palmam enatam in impluvio suo T Marcius figulus nunciabat, alterum, quod in loco pe-* D *regrino*. Lib. 22. epist. 62. *Infantem* ait *semestrem in foro olitorio triumphum clamasse, quod non minus prodigiosum quam cum bruta loquuntur*. Suidas: ἀρνίον σοι λέλακεν. ἐν Αἰγύπτῳ ἀνθρωπείᾳ φωνῇ ἐλάλησεν. εὑρέθη δὲ ἔχον βασίλειον δράκοντα ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτοῦ πτερωτὸν ἔχοντα μῆκος πηχέων δ, καί τινι λέλακεν τὰ μέλλοντα: *Agnus tibi sonuit. In Aegypto agnus hominis voce loquutus est. Inventus est habens & regium draconem super capite elatum longum 4. cubitos, & cuidam futura loquutus est*. Asinus Balaam loquutus *Num*. 22. Spiridionis filia Irene mortua depositi locum indicat, apud Ruffin. lib. 1. *Eccles. Histor.* cap. 5. Socrates lib. 1. cap. 12. lib. 1. cap. *de offic. præfect. prætor.* Africæ confes- E sores loquuti excisis linguis. Procop. lib. 1. *Vandal.* Aristotel. lib. 3. *de partub. Animal.* cap. 10. præcisum caput homicidam Tercydam indicat. Orphei caput prædixit Cyro Persarum Regi eum a muliere necandum, ut Philostratus in *imaginibus*. Columbæ geminæ Dodonæ, quercus Dodonæa, Argus carina, ulmus Gymnosophistarum loquuta, ut supra ostendimus: equus Achillis apud Homer. *Iliad.* 19. Causus fluvius dixit, *Salve Pythagora*, ut Porphyrius in vita Pythagoræ. Apud Eusebium lib. 9. *Histor. Evang.* simulacrum Jovis a Theotecno Mago Antiochiæ fictum oracula fundebat: canem Simo- F nis Petrum salutasse alibi ostendimus. Cyril. Alexand. lib. 3. in Julian. consulendus.

## CAP. XXIII.

### *De Prodigiis ante Hierosolymarum excidium.*

JOSEPHUS lib. 6. de Gentilibus suis conqueritur ὅτι τοῖς ἐναργέσι, καὶ προσημαίνουσι τὴν μέλλουσαν ἐρημίαν τέρασιν οὔτε προσεῖχον, οὔτε ἐπίστευον, ἀλλ' ὡς ἐμβεβροντημένοι, καὶ μήτε ὄμματα, μήτε ψυχὴν ἔχοντες τῶν τοῦ Θεοῦ κηρυγμάτων παρήκουσαν, &c. *Quia prodigiis evidentibus futuram solitudinem significantibus animum non adjecerint, nec fidem habuerint, sed quasi attoniti, neque oculos, neque mentem habentes, Dei nuntiis non auscultarint: sidus supra urbem fuit romphææ non absimile, & cometa toto anno perseverans. Die azymorum octava Aprilis, hora noctis nona, cum populus convenisset, tantum lumen circa templum, & altare emicuit, ut dies clara esse videretur, quod per dimidium horæ perduravit. Eodem festo bos ad sacrificium ducta, agnum in medio templo peperit. Porta orientalis interior ærea, & firma, quæ sub vesperam ægre a viginti viris claudi poterat, vectibus fulta, ferro vinctis, & altissimos habens demissos in limen*, καταπῆγας δ' ἔχουσα βαθυτάτους, *quod e perpetuo ac solido lapide fuit, hora noctis sexta sponte aperta est. Templi custodes propero cursu rem nuntiarunt duci, qui cum ascendisset, vix eam claudere potuit. Post festum azymorum vicesima prima Maii, spectrum divinum fide majus visum est. Ante Solis occasum per omnem in ambitum regionem in aere visi currus, phalanges armatæ exsilientes e nubibus ambientes urbem. Die festo Pentecostes, de nocte Sacerdotes in interius sacrarium de more progressi ad ministeria sacra, primum motum, & sonitum perceperunt, tum vox frequens audita*; abeamus hinc. *Et quod terribilius est, Jesus quidam filius Ananiæ rusticus quatuor annis ante bellum, summa urbis pace & felicitate cum adfestum venisset, quia moris est ut omnes tabernacula Deo faciant, derepente in templo exclamare cœpit*, vox ab ortu, vox ab occasu, vox a quatuor ventis, vox super Hierosolyma, & templum, vox super sponsos, & sponsas, vox super universum populum. *Hoc interdiu, & noctu per omnes angiportus circumibat vociferans; cum a viris aliquot illustribus flagris cæsus est, ille neque quicquam pro se dixit, neque privatim ad cædentes, sed easdem quas prius voces clamare pergebat. Ductus a magistratibus ad Præsidem, flagellis usque ad ossa sectus, neque supplex fuit, neque collacrymatus est, sed voce quam maxime miserabili ad singula verbera respondebat*, AE, AE Hierosolymis. *Albino interrogante qui Præses erat, quis esset, unde domo, cur ista loqueretur: ad postulata nihil respondit, sed complorare urbem, ac lamentari non destitit, donec Albinus eum insaniæ damnans absolvit. Ille autem belli tempore neque quenquam civium adiit, neque visus est loqui, sed de die quasi preces meditans lamentabatur* AE, AE Hierosolymis: *neque alicui eorum a quibus vapulabat quotidie quicquam imprecabatur, neque bene precabatur iis a quibus cibum accipiebat, unum autem ad omnes asperi ominis responsum maxime diebus festis exclamabat, idque per septem annos, & quinque menses, neque vox ejus hebetata est, neque labefactata, donec urbe obsessa videns omnia re compleri quievit. Circumiens enim in muris* væ, væ, *rursus urbi, & populo, & templo enixe vociferabatur: ut autem tandem addidit*, VÆ, VÆ etiam mihi, *lapis e catapulta missus*, λίθος ἐκ τοῦ πετροβόλου χωσθεὶς, καὶ πλήξας αὐτὸν, *eum percussum subito oppressit, animamque emisit omina illa infausta murmurantem. Hæc si quis reputaverit, inveniet Deum curare homines, & omni ratione iis salutis viam aperire, qui tamen præ amentia, & malitia volunta-*

ria

*ria pereunt. Cum autem inter oracula scriptum esset urbem captum iri, & templum, cum sacrarium foret quadrangulum, eversa Antonia turre templum quadrangulum effecerunt. Ad bellum autem maxime eos incendit oraculum ambiguum in sacris Litteris deprehensum, fore, ut sub id tempus quidam ex eorum regione orbi imperaret: quod de Vespasiano fuit accipiendum, qui salutatus est in Judæa Imperator.* De signis ante excidium Hierosolymitanum lege Salisberiensem lib. 2. cap. 4. *Polycrat.* & Apollonium *de excid. Hieros.*

## CAP. XXIV.

### *Omina Belli, ac Cladis.*

DEUS signis quibusdam cladem hominibus impendentem denuntiare solet. Lucanus lib. 7.

*Classica nulla sonant, injussaque tela vagantur,*
*Et fit sæpe nefas jaculum tentante lacerto.*

Lib. 7.

*——Trepido confusa tumultu*
*Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant*
*Ictibus incertis, multorum pallor in ore*
*Mortis venturæ est, faciesque simillima fato.*

De Pompeii militibus loquitur,

*Non tamen abstinuit venturos prodere casus*
*Per varias natura notas. Nam Thessala rura*
*Cum peterent, totus venientibus obstitit æther,*
*Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes,*
*Adversasque faces, immensoque igne columnas,*
*Et trabibus mistis avidos Typhonas aquarum*
*Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit,*
*Excussit cristas galeis, capulosque solutis*
*Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit,*
*Æthereoque nocens fumavit sulphure ferrum.*
*—— Multis concurrere visus Olympo*
*Pindus, & abruptis mergi convallibus Æmus,*
*Edere nocturnas belli Pharsalia voces,*
*Ire per ossæam rapidus Bœbeida sanguis,*
*Inque vicem vultus tenebris mirantur opertos,*
*Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,*
*Defunctosque patres, & cunctas sanguinis umbras*
*Ante oculos volitare suos.*
*——Tyriis qui Gadibus hospes*
*Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxem,*
*Sub quocunque die, quocunque est sidere mundi,*
*Mœret, & ignorat causas, animumque dolentem*
*Corripit, Emathiis quid perdat nescit in arvis.*

Igitur vetus superstitio varia cladis, aut mortis omina observavit. Apud Dionem omen mortis Commodo fuit, ὅτι τὸ κράνος αὐτοῦ τῇ τελευταίᾳ τῶν ἀγώνων ἡμέρᾳ διὰ τῶν πυλῶν ἐξεκομίσθη, δι᾽ ὧν οἱ τελευτῶντες ἐξεφέροντο, ait Zonaras, *quia galea ejus ultimo die ludorum per portam elata est qua efferebantur mortui.* Idem de Juliano desertore, φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὄντα ὄναρ ἰδεῖν, ξανθὸν τὴν κόμην νεανίαν εἰρηκότα τε αὐτῷ, ὡς ἐν Φρυγίᾳ τελευτῆσαί σε δεῖ: *Ajunt eum Antiochiæ per quietem vidisse juvenem coma flava, qui ei mortem in Phrygia denuntiarit. Ictus igitur, quod nomen esset loco in quo erat quæsiit, ut audivit Phrygiam vocari, exclamavit,* O SOL JULIANUM PERDIDISTI. *Antiochiæ quidam Ethnicus, & Græcus* διανυκτερεύων περὶ τὴν φυλακὴν τοῦ ἀρχείου συνθήκην ἀστέρων ἐν οὐρανῷ ἐθεάσατο γράμματα ἐκτυπούσαν λέγοντα, σήμερον ἐν Περσίδι Ἰουλιανὸς ἀναιρεῖται, *vigilans nocte proxime prætorium judiciale positum astrorum in cœlo vidit, in quo expressa erant hæc verba,* HODIE IN PERSIDE JULIANUS OCCIDITUR. In *Mauricio*, μοναχὸς δέ τις ξίφος κατέχων γυμνὸν ἀπὸ τοῦ φόρου μέχρι τῆς χαλκῆς προελήλυθεν ἐν φόνῳ μαχαίρας λέγων τεθνήξεσθαι τὸν Μαυρίκιον. In *Leone Armenio*, λέγεται προεγνῶσθαι αὐτῷ παρὰ τοῦ χρησμοδοτηθὲν, ὅτι κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς γεννήσεως τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς ἀρχῆς ἐκπεσεῖται, καὶ τῆς ζωῆς. Ἀλλὰ καὶ τί φασι τῇ τῶν ἀνακτόρων βιβλίον ἐναποκεῖσθαι ἐν ᾧ καὶ χρησμοὶ περὶ τῶν βασιλέων ἦσαν, &c. ὡς ἐδόκει Σιβύλλεια χρησματῳδήματα. Tacit. lib. 1. *Histor.* de Othone: *Prodigia insuper terrebant diversis auctoribus vulgata. In vestibulo Capitolii omissas habenas bigæ cui victoria institerat, erupisse cella Junonis majorem humana speciem, statuam D. Julii in insula Tiberini amnis sereno & immoto die ab occidente in orientem conversam, prolocutum in Hetruria bovem, insolitos animalium partus & plura alia rudibus sæculis etiam in pace observata, quæ nunc in metu audiuntur. Sed præcipuus & cum præsenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis qui immenso auctu prorupto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modo jacentia ac plana urbis loca, sed secura hujusmodi casuum implevit.* Certe apud Plinium Tiberis vates quodammodo intelligitur ac monitor, auctu semper religiosus. Prosper in *Chronico*: *Terribile in cœlo signum columnæ per omnia simile apparuit sub Theodosio magno. Constantinopolis sub Arcadio eminentem iram Dei igne super nubem terribiliter fulgente formidans toto ad pœnitentiam animo conversa subterfugit. Uticæ in foro Trajani terra diebus septem mugitum dedit.* Tacit. l. 3. *Histor.* de Vitellio, *Concionanti, prodigiosum dictu, tantum fœdarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disjecto sacrificii apparatu, longe, nec ubi feriri hostias mos, est confossus.* Idem prodigia ante excidium Judæorum lib. 5. *Histor. Evenerant prodigia quæ neque prodigiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religioni adversa. Visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere templum,* &c. Zonaras in *Dicoro*, Ῥωμαίων φθορὰν κομήτης ἀστὴρ προεμήνυσε, καὶ κόρακες προπορευομένων αὐτῶν ὑπερϊπτάμενοι, καὶ προηγούμενοι, καὶ οἱ σαλπιγκταὶ ἀντὶ ἐνυαλίου ἠχῆς περιπαθές τι, καὶ θρηνῶδες ἠχήσαντες. In Michaele filio Theophili, λέγεται δὲ πρὸ τοῦ πολέμου τούτου ὁ Ἀμὲρ τῶν αἰχμαλώτων πυθέσθαι τινὸς, πῶς ὁ τόπος ἐν ᾧ ἡ παρεμβολὴ, καλοῖτο, καὶ ὅπως ὁ παραῤῥέων λέγεται ποταμὸς, καὶ τίνος ἡ ὅλη ἐκείνη χώρα ἔτυχε κλήσεως. ὡς δὲ τὴν μὲν χώραν λαλακάωνα εἶπεν ἐκεῖνος κεκλῆσθαι, πτώσαντα δὲ τὸν τόπον τοῦ χάρακος, καὶ γύρην τὸν ποταμὸν, ἔφη τὰς κλήσεις ταύτας οὐκ αἴσιον αὐτῷ τὸ τοῦ πολέμου τέλος παραδηλοῦν. forte χώραν λαοκάκωνα, &c. In Romano Diogene de expeditione orientali, ἐπεὶ δὲ τὸ ἔαρ ἐπέλαμπεν, ἐμβεβήκει μὲν Diogenes τῇ τριήρει τῇ αὐτοκρατορικῇ. διαπεραιουμένου δὲ ἄρτι, περιστερὰ οὐ πάνυ μὲν μέλαινα τὴν χροιὰν, πρὸς δὲ μελάντερον ἀποκλίνουσα τὴν τριήρη αὐτοῦ περιΐπταται, καὶ οὐκ ἀπέστη πτερυσσομένη περὶ αὐτὸν ἕως ἐκεῖνος ταῖς χερσὶν αὐτῆς ἀπελάβετο. ὁ δὲ ταύτην τῇ βασιλίσσῃ ἐκπέπομφεν. ἐκρίθη δὲ τὸ τῆς περιστερᾶς οὐκ ἀγαθόν τι τεκμήριον, οὔτε τῷ ταύτην ἑλόντι. οὔτε μὴν τῇ πρὸς ἣν ἐστάλτο, ἀλλὰ καὶ τοῦ ξύλου, ᾧ μέσον ἱσταμένῳ ἡ βασίλειος σκηνὴ ἐπερείδετο, αὐτομάτως κατεαγέντος κατέπεσεν ἡ σκηνὴ, καὶ τοῦτο δὲ σύμβολον ἐνομίσθαι ἀπαίσιον. Zonaras de Anastasio Dicoro, *Romanorum cladem significarat cometa, & corvi procedentibus supervolitantes, & tubæ non classicum, sed lessum lamentabilem cecinerunt. Amer ante prælium rogavit captivos nomen loci, & præterfluentis fluvii, ut audivit regionem dici Cacolaonem* (κακολάονα, ita malo) *& prolapsionem locum castrorum, & Gyren fluvium, voces istas dixit inauspicatum ei belli exitum significare.* Prodigia malorum nuntia Petronius exsequitur his verbis,

*Continuo clades hominum, venturaque damna*
*Auspiciis patuere Deum, namque ore cruento*
*Deformes Titan vultus caligine texit.*

*Parte alia plenos exstinxit Cynthia vultus,*
*Et lucem sceleri subduxit: rapta tonabant*
*Verticibus lapsis montis juga, nec vaga passim*
*Flumina per notas ibant orientia ripas,*
*Armorum strepitu cœlum furit, & tuba Martem*
*Sideribus tremefacta ciet. Jamque Aetna voratur*
*Ignibus insolitis, & in æthera fulmina mittit.*
*Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis*
*Umbrarum facies diro stridore minantur,*
*Fax stellis comitata novis incendia ducit,*
*Sanguineoque recens descendit Juppiter imbre.*

## CAP. XXV.

### *De omine Imperii.*

IMPERII omina viris etiam humilibus, & infimæ fortis sæpe facta esse Zonaras ostendit in *Basilio*, νήπιον ὑπνῶττον ὑπὸ τὸν ἥλιον ἔκειτο. ἀετὸς δὲ περιπετόμενος προσγειος ἡπλωμέναις ταῖς πτέρυξι ἐσχεδίασε τῷ βρέφει σκιὰν, &c. νυκτὸς δὲ τῷ τοῦ ναοῦ νεωκόρῳ ὄναρ ὁ μάρτυρ Διομήδης ἐφίστατ', καὶ τὸν βασιλέα ἐντὸς εἰσαγαγεῖν ἐγκελεύεται, &c. καὶ ἡ βασίλισσα τῷ Βασιλείῳ συνεχῶς ἐνητένιζε, καὶ ἀπεφαίνετο τοῦτον εἶναι τὸν ὀλετῆρα τοῦ γένους αὐτῆς ἔκ τινων σημείων τοῦτο γνοῦσα πάλαι αὐτῇ γνωρισθέντων ἐκ τοῦ οἰκείου ἀνδρός. De Theodora Theophili uxore, Michaelis matre intellige. Peloponnesi in S. Andreæ templo μοναχός τις αἰτιπολούμενος ἀρετῆς τὸν Βασίλειον ὑπηρετοῦντα τότε, θεασάμενος καὶ ὑπεξανέστη, καὶ προσεκύνησε, καὶ φιλοφρόνως ἐδεξιώσατο, ὡς βασιλέα: *Basilius infans cum dormiret sub Sole, aquila circum volans proxime terram alis expansis umbram ei præbebat.* Cum venisset Constantinopolim, *& in vestibulo templi S. Diomedis nocte cubaret, Martyr in quiete astitit æedituo jubens, ut Imperatorem intra templum introduceret. Imperatrix oculos continue in Basilium regiæ mensæ accumbentem intendebat, & prædixit, hunc esse qui suam stirpem exstingueret, ex quibusdam signis edocta quæ jam pridem a viro didicerat.* De ominibus quæ facta Augusto Cæsari, & aliis Imperatoribus, lege Suetonium, Lampridium, Vopiscum, Capitolinum, & alios. Omina Imperii hæc fuisse Juliano scribit Sozomenus lib. 5. cap. 1. *Eccles. Histor.* λέγεται δὲ ἡνίκα πρὸ τῆς τῇ δὲ ὅρων ἐπέβη (cum attigit fines Illyrici) τὰς μὲν ἀμπέλους μετὰ τρυγὴν ἀμφὶ τὴν τῶν Πλειάδων δύσιν ὀμφάκων πλήρεις φανῆναι, τὴν δὲ ἀπὸ τοῦ ἀέρος δρόσον διαχυθεῖσαν κατὰ τῆς αὐτοῦ ἐσθῆτος, καὶ τῶν ἑπομένων καθ' ἑκάστην σταγόνα σταυροῦ σημεῖον ἐκτυπῶσαι. Evagrius lib. 5. cap. 21. de Mauricio, γεγόνασι δὲ καὶ θεοσημεῖαι τὴν βασιλείαν αὐτῷ προφητεύουσαι. Πόρρω γὰρ τῶν νυκτῶν ἐπιθυμιῶν τί γε αὐτῷ τῶν ἀνακτόρων τοῦ ἱεροῦ οἴκου τῆς ἁγίας Θεοτόκου, τὸ ἀνὰ τὴν ἱερὰν τράπεζαν παραπέτασμα πυρίφλεκτον γέγονεν, &c. ἐφάνη γὰρ κατὰ τὴν ἕω αὐτῷ ὁ Χριστὸς ὁ Θεὸς ὕπαρ ἐκδίκησιν ζητῶν, ὅπερ ἄντικρυς βασιλείαν ἐδίδου. Ὁ μὲν φύσας ἔλεγεν ἄμπελον μεγίστην ὄναρ ἰδεῖν κατὰ τὸν καιρὸν τῆς αὐτοῦ συλλήψεως ἐκ τῆς σφετέρας κοίτης ἐκφῦσαι, καὶ βότρυς παμπληθεῖς, καὶ ὡραίους αὐτῆς ἠρωρῆσθαι. Jul. cum attigisset fines Illyrici, *vites post vindemiam factam iterum uvas edidisse dicuntur quo tempore Plejades occidunt. Ros autem ex aere stillans in vestibus ejus & comitum per singulas stillas Crucis signum expressit. Mauricio vero hæc omina Imperii facta sunt. Nocte adulta cum incensum daret in sacra domo sanctæ & intemeratæ Virginis Mariæ* (quæ Justiniani appellatur a Theopolitanis) *velum quo sacra mensa tegebatur ignem concepit, quæ res in stuporem Mauricium ipsum rapuit, ita ut viso terreretur. Cui assistens Gregorius urbis Patriarcha, dixit rem a Deo esse, & magna ei portendere. Sub auroram ei Christus Deus manifeste apparuit vindictam petens, quod omen erat Imperii. Pater ejus dixit sibi visum esse videre quo tempore Mauricius conceptus est, vitem magnam ex suo lecto exiisse, unde multæ & pulchræ uvæ suspensæ essent. Mater dicebat* (lego κατ' αὐτὴν τὴν ἀπότεξιν) *quo tempore partu soluta est, terram efflasse novum & mirificum odorem.* Apud Zonaram Severo hæc Imperii auguria fuere; ἔδοξέ ποτε ὄναρ λύκαιναν θηλάζειν, ὡς περὶ Ῥωμύλου ἱστόρηται, καὶ ὕδωρ καθεύδοντος ὥσπερ ἐκ πηγῆς ἀνεδόθη, καὶ κατ' ὕπνους αὐτῷ ἡ τῶν Ῥωμαίων σύμπασα βουλὴ, καὶ ὁ δῆμος προσῄει τε καὶ ἠσπάζετο, καὶ αὖθις ἐδόκει ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ Ῥωμαίᾳ ἱππεύοντα τὸν Περτίνακα τοῦ ἵππου ἀπορριφθῆναι, αὐτὸς δὲ τοῦτο ἑκόντος ἐπιλαβέσθαι: *visus est sibi in quiete lupam sugere, quod de Romulo dicitur, ex eo dormiente aqua velut e fonte fluxit, somniavit Senatum P. Q. R. ad se salutatum venire, item Pertinacem in Romano foro equitantem equo dejectum, quem ille volentem apprehenderit, & insiluerit.* Idem de Joviano, qui ὀπίσω τοῦ Ἰουλιανοῦ προϊόμενος ὡς χιλίαρχος ἐν τόπῳ κατάντει προϊόντος ἐπάτησε τὸ κράσπεδον τῆς πορφυρίδος αὐτοῦ, ὁ δὲ ἐκ τούτου διάδοχον αὐτοῦ τὸν Ἰοβιανὸν ἐτεκμήρατο: *cum aliquando tribunus pone Julianum in loco declivi procederet, calcavit fimbriam purpuræ ejus. Unde ille Jovianum successorem sibi fore auguratus est.* Idem de Marciano, qui θηρεύων γεγονὼς κατάκοπος κατὰ γῆς ἀνεκλίθη περὶ μεσημβρίαν. Ὁ Τατιανὸς ἀετὸν ὁρᾷ διαπεπετασμέναις ταῖς πτέρυξι κατασκιάζοντα τὸν Μαρκιανὸν, καὶ τὴν ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος κωλύοντα καύσωνα: Martianus *venando fessus meridie humi ad somnum decubuit. Tatianus videt Aquilam expansis alis obumbrantem eum, & æstum Solis defendentem.* Alia vice Rex Vandalorum videt κοιμώμενον τὸν Μαρκιανὸν, καὶ ἀετὸν ἄνωθεν ἐστρωμέναις ταῖς πτέρυξι σκιὰν αὐτῷ ἐργαζόμενον, *Aquilam dormienti Martiano expansis alis umbram facientem.* Zonaras in *Leone Armenio*, ὁ δὲ Λέων εἰς τὰ βασίλεια εἰσελθὼν αὐτίκα ἐκδυσάμενος ὃ περιέκειτο φᾶρος, τῷ τραυλῷ Μιχαὴλ ἐνεχείρισε, κἀκεῖνος εὐθὺς αὐτὸ ἠμφιάσατο ὃ πολλοῖς σημεῖον ἐκρίθη τοῦ τοῦτον μέλλειν ἔσεσθαι τῷ Λέοντι τῆς βασιλείας διάδοχον. Ἀλλὰ καὶ ὄπισθεν τοῦ Λέοντος προϊόμενος βασιλικῷ ἔθει μεταμφιασαμένου τὸ ταύτης πεπάτηκε κράσπεδον: *Leo in aulam ingressus statim exutam chlamydem tradit Michaeli Balbo, quam ille induit, quod ei in omen Imperii fuit ut Leoni succederet. Sed & pone Leonem incedens regiæ vestis fimbriam calcavit.*

## CAP. XXVI.

### *De Omine Victoriæ.*

OMINA Victoriæ Constantino magno hæc fuisse scribit Zonaras, λέγεται δὲ ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν μάχαις, ἢ τῇ πρὸς Μαξέντιον θεάσασθαί τινα τὸν Κωνσταντῖνον ἱππότην, καὶ ὡπλισμένον τὸ τοῦ σταυροῦ τύπον ἀντὶ σημαίας ἐπιφερόμενον, καὶ τῆς αὐτοῦ προπορευόμενον παρατάξεως, καὶ αὖθις δύο ὤφθησαν αὐτῷ νεανίαι ἐν Ἀδριανοῦ πόλει τὰς τῶν ἐναντίων συγκόπτοντες φάλαγγας, καὶ περὶ Βυζάντιον δὲ νυκτὸς καθευδόντων ἁπάντων φῶς ὤφθη αὐτῷ περιαστράψαν, τὸν τοῦ οἰκείου στρατεύματος χάρακα. ἐκ τούτων εἰς ἔννοιαν ἐνήγετο τοῦ θεόθεν αὐτῷ τὰς εὐτυχίας, καὶ τὰς νίκας προσγίνεσθαι: *Dicitur in pugnis adversus Licinium, & Maxentium Constantinus vidisse cataphractum equitem, qui Crucis signum pro vexillo ferret, præeuntem in fronte exercitus. Iterum duo juvenes ei visi sunt Adrianopoli hostium copias concidere, ad Byzantium de nocte omnibus stertentibus, lux ei se videndam præbuit vallum sui exercitus illustrans, ex hoc sibi persuasit victorias suas a Deo proficisci.* Cum Joannes Tzimisces in Scythas impetum fecit, θύελλα κατὰ πρόσωπον τοῖς Σκύθαις προσέβαλλε, καί τις ἔφιππος ὁρᾶτο πολλοῖς τῶν Ῥωμαίων ὑπεραγωνιζόμενος, καὶ συγκλονῶν τῶν βαρβάρων τὰς φάλαγγας· ἣν δὲ κατὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην τῆς μάχης ἡ τοῦ στρα-

τηλάτε ἁγίε Θεοδώρε τελεμένη μνήμη. *Santa quadam fœmina in quiete ſibi audire viſa eſt S. Dei matrem dicentem*, κύριε Θεόδωρε ὁ ἐμὸς καὶ σὸς Ἰωάννης ἀγῶνας ἔχει βαρεῖς. ϖοδῦσον ἐν αὐτῷ ἐπικέρησον. μοναχὸς Βαρδάνῃ φησὶ, σοὶ μὲν ἐ δίδωσιν ὁ Θεὸς τῆς βασιλείας τυχεῖν, τ. δὲ τὸν ἵππον σοι παραςησάντων τὲς δύο, τὸν Λέοντα, καὶ τὸν Μιχαὴλ ἴσθι καὶ ἄμφω κατὰ καιρὲς ἰδίες τῆς βασιλείας κρατήσαντας. ὁ δὲ Θωμᾶς ἐπιχειρήσει μὲν καὶ ἑαυτῷ περιθήσειν διάδημα, ἐ τεύξεται δὲ τοῦ κατὰ σκοπὸν, ἀλλ' ἀπολεῖται κακῶς. In Michaele Balbo qui miles τῷ ταγματάρχῃ ϖροσελθὼν περὶ τε ἐδέετο. τῷ δὲ ἔτυχέ τις ἀθίγγανος παρεςὼς, καί φησι ϖρὸς τὸν ςρατηγὸν ὡς βασιλεύσει Ῥωμαίων ἔτος, ὅς σε δέεται νῦν, καὶ ὃς αὐτίκα τῷ μαντεύματι θέμενος οἰκειεῖται, τῷ Μιχαὴλ, καὶ κηδεςὴν ποιεῖται ἐπὶ θυγατρί. Socrates lib. 3. cap. 1. εἰς ἓν τῶν πολυχνίων εἰσελθόντος τε Ἰελιανε ςέφανος ἀφ' ὧν τὰς πόλεις κοσμεσιν ἐν μέσῳ τῶν κιόνων ἠρτημένος τῇ κεφαλῇ κατενεχθεὶς ἥρμοσεν. Tacit lib. 2. *Hiſtor.* de Veſpaſiano, *quem hortari, reſponſa vatum, & ſyderum motus referre. Nec erat intactu. tali ſuperſtitione, ut qui mox rerum Dominus Seleucum quendam Mathematicum rectorem & præſcium palam habuerit. Recurſabant animo vetera omina. Cupreſſus arbor in agris ejus conſpicua altitudine repente prociderat; ac poſtera die eodem veſtigio reſurgens procera & lætior virebat. Grande id proſperumque conſenſu aruſpicum.*

---

## CAP. XXVII.

### *De Omine Victoriæ ex Ubertate.*

UBERTAS frugum, aut uvarum repentina, & inſolita auſpicata fuit, & victoriæ aſtipulatrix. Procopius lib. 3. *Gotthico*, Antequam Beliſarius moveret in Vitigem Gotthorum in Italia Regem in vinea quam in Pantechio ſuburbio Conſtantinopolitano habuit, tanta vini fuit ubertas, ut dolia omnia implerentur, quæ in agro ſervi defoderunt pice tecta ne effluerent. Μησὶ δὲ ὀκτὼ ὕςερον ἐν πίθοις τισὶν ἀναβράσσων ὁ οἶνος διεσπάσατο μὲν τὸν πηλὸν ὥπερ ἐπέφρακτο αὐτῶν ἕκαςος, ὑπερβλύσας δὲ, &c *Octo poſtea menſibus vinum in doliis quibuſdam efferveſcens disjecit picem qua obſtructa erant dolia, & ſuperebulliens, ac multum fluens, tam large terram qua incluſum erat inundavit, ut in pavimento lacunam effecerit, quod cum ſæpius fieret & dolia implerentur, felicitas ingens portendi viſa eſt.* Idem lib. 4. *Quinto & vigeſimo anno Imperii Juſtiniani per autumnum, cum jam uvæ lectæ, & expreſſæ eſſent, tantus æſtus per unum aut alterum menſem extitit, ut roſæ, poma, nuces, & fructus omnis generis ex arboribus prorumperent. Quod magnæ cujuſdam felicitatis omen fuit.*

---

## CAP. XXVIII.

### *De Omine Regni ex ſeſſione.*

INOPINATA in Solio Regio ſeſſio Regni omen dedit Severo apud Xiphilin. ὕπαρ δὲ ἐς τε τὸν βασιλικὸν δίφρον ἔφηβος ὢν ἔτι ἀγνοίᾳ ἐνιδρύνθη. Apud Spartianum *Severus cum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat, togam præſidiariam ipſius Imperatoris accepit. Sedit & in ſella Imperatoria temere a miniſtro poſita, ignarus quod non liceret.* Apud Appianum in *Syriaco*, Cum Alexander Babylonem ex India reverſus navigio paludes luſtraret, abreptumque Diadema ventus ad ſepulcrum priſci cujuſdam Regis detuliſſet, Seleucus ad Diadema enatavit, quod receptum ut ab aquæ injuria tueretur capiti impoſuit, quo facto Regi mors, Seleuco Regnum denuntiatum, ἐπὶ τὸ διάδημα ἐκκολυμβῆσαι, καὶ περιθέσθαι τῇ κεφαλῇ ἵνα ἄβροχον εἴη.

---

## CAP. XXIX.

### *De Procellis, Tonitruis, Fulminibus.*

PROCELLAS, & fulmina cladis ſigna fuiſſe, oſtendit Appianus in *Parthico*, τῷ δὲ Κράσσῳ διαβιβάζοντι τὴν ςρατιὰν, κατὰ τὸ ζεῦγμα πολλαὶ μὲν ὑπερφυεῖς βρονταὶ περιερρήγνυντο, πολλὰ δὲ κατήςραπτεν ἐναντία τῷ ςρατῷ. *Craſſo per pontem exercitum traducenti obſtrepebant immaniter multa tonitrua mixtis fulminibus in oculos militum fulgurantibus, ventus quoque procelloſus in pontem incubuit, & bonam ejus partem perfregit. Locus caſtris deſignatus bis de cœlo tactus eſt.* Idem lib. *de bello Mithridat.* cum Triarius vellet confligere cum Mithridate, πνεῦμα, οἷον ἐκ ἐμνημονεύετο γεγενῆσθαι τάς τε σκηνὰς ἀμφοτέρων διέρριψε καὶ τὰ ὑποζύγια παρέσυρε, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐςιν ἐς κατεκρήμνισε. *Ventus, quantum nemo fuiſſe meminerat, tabernacula utriuſque exercitus dejecit, & jumenta, equoſque abripuit, & homines aliquot præcipites tulit.* Dio lib. 45. *Ante cædem Ciceronis multa fulmina cecidere, quædam etiam in cellam Jovis Capitolini, quæ in templo Victoriæ fuit.* ἐς τὸν νεὼν τὸν τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίῳ ἐν τῷ νικαίῳ ὄντα κατέσκηψαν. *Et ventus vehemens ſequutus ſtatuas ad templa Saturni, & Fidei poſitas abrupit.* Τάς τε ςήλας τὰς περὶ τὸ κρόνιον, καὶ περὶ τὸν τῆς πίςεως νεὼν ϖροσπεπηγυίας ἀπέρρηξε, καὶ διεσκέδασε, *& ſimulacrum Minervæ cuſtodis*, φυλακίδος, *quod ante exſilium Cicero in Capitolio dicaverat, dejecit, & rupit.* Apianus lib. 1. *Civil.* ἀπαισίε δὲ τῆς ἡμέρας γενομένης ἑτέραν ϖρεγραφε Carbo, κἀν ταύτῃ κεραυνε πεσόντος εἰς τὸ τῆς σελήνης, καὶ τὸ τῆς δήμητρος ἱερὸν οἱ μάντεις ὑπὲρ τὰς θερινὰς τροπὰς ἀνετίθεντο τὰς χειροτονίας. Carbo, *cum dies innominata eſſet, comitia in aliam diem diſtulit, & in ea cum fulmen in templum Lunæ, & Cereris decidiſſet, Augures comitia diſtulerunt ultra ſolſtitium æſtivum.* Suetonius *Auguſto*, cap. 95. *Ingrediente eo urbem liquido, ac puro ſereno circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem Solis ambiit, ac ſubinde Juliæ Cæſaris filiæ monumentum fulmine ictum eſt.* Virgilius 7. *Æneid.*

*——Ter cœlo clarus ab alto*
*Intonuit, radiiſque ardentem lucis, & auro*
*Ipſe manu quatiens oſtendit ab æthere nubem.*

Suetonius in *Auguſto* cap. 95. *Ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ ejus prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt centum ſolos dies poſt hanc victurum, quem numerum C litera notaret.* Ariſtophanes in *Nubibus*, βροντὴ δ' ἐρράγη δι' ἀςραπῆς, ἡ σελήνη δ' ἐξέλιπε τὰς ὁδὲς, ὁ δ' ἥλιος τὴν θρυαλλίδα εἰς ἑαυτὸν συνελκύσας ἐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν. *Tonitru ruptum eſt cum fulgure, Luna reliquit vias, Sol autem ellychnium ad ſe contrahens dixit ſe nolle lucere.* Ubi vetus Scholiaſtes, οἱ γὰρ ἐπὶ πόλεμον ἐξιόντες ἐπετήρεν τὰς διοσημίας, *qui in bella exibant, ſervabant de cœlo.* Arnobius lib. 2. *Servatis de cœlo, aut otioſas obnunciationibus facitis Actiones.* Dio lib. 50. ante pugnam Actiacam συχνὰ μὲν ὑπὸ χειμῶνος ἐπόνησεν, ὥςε καὶ τρόπαιόν τι ἐν τῷ Αὐεντίνῳ ἑςὸς, καὶ νίκης ἄγαλμα ἀπὸ τῆς τε θεάτρε σκηνῆς πεσεῖν, τήν τε γέφυραν τὴν ξυλίνην πᾶσαν καταρραγῆναι, *multa tempeſtate afflicta ſunt, ita ut trophæum quoddam in Aventino ſtans, & Victoriæ ſimulacrum e ſcena theatri ceciderit, & pons ligneus tactus confractus ſit.* Plutarchus in *Dione*, ἐξαίσιοι βρονταὶ, καὶ διοσημίαι πονηραὶ, ante exilium Ciceronis fuere inauſpicata tonitrua, & ſigna de cœlo mala. Dio lib. 37. in fine, χειμὼν τοιῶτος

ἐξαίφνης τὴν τε πόλιν ὅλην καὶ τὴν χώραν ἅπασαν κατέσχεν, ὥστε πάμπολλα δένδρα πρόῤῥιζα ἀνατραπῆναι, πολλὰς δὲ οἰκίας καταῤῥαγῆναι, τά τε μὲν πλοῖα τὰ ἐν τῷ Τιβέρι, καὶ πρὸς τὸ ἄστυ, καὶ πρὸ τῆς ἐκβολῆς αὐτοῦ ναυλοχοῦντα βαπτισθῆναι, καὶ τὴν γέφυραν τὴν ξυλίνην διαφθαρῆναι. *Talis procella derepente urbem omnem, & regionem perculsit, ut multæ arbores radicitus everterentur, multæ domus dejicerentur, & navigia in Tiberi, & ad urbem, & ad ostia fluvii stantia mergerentur, & pons Sublicius deturbaretur.* Cicero lib. 1. *Divinat. Quid cum in Capitolio ictus centaurus ex cœlo est? In Aventino portæ, & homines, Tusculi ædes Castoris, & Pollucis, Romæque Pietatis?* Dio lib. 50. Augustus victoriæ spe concepta ὅτι ὑετός τε ἐν τούτῳ λάβρος καὶ χάλαζα πολλὴ, ἐς τε τὸ τοῦ Ἀντωνίου ναυτικὸν μόνον ἐσέπεσε, καὶ πᾶν αὐτὸ συνετάραξε, *quod imber cum impetu interim, & multa grando in classem Antonii decidit, & universam perturbavit ante prælium Actiacum.* Lib. 40. *Ante cladem Crassi tanta in fluminis transitu coorta est nebula, ut milites ipsi invicem impingentes corruerent, nec prius hostilem agrum cernerent, quam in eo pedem posuissent: itaque & transgressi sunt Euphratem summa cum difficultate, & de ponte in terram non minori descenderunt. Sub hæc ventus incubuit validus, fulminaque deciderunt; ponsque, antequam omnes transivissent, disruptus est.* ἄνεμός τε πολὺς ἐπέπεσε, καὶ κεραυνοὶ κατέσκηψαν. Addidit Crassus, οὐδεὶς ἡμῶν ἐντεῦθεν ἐπανήξει, *nemo ex nobis hinc revertetur.* Dio lib. 41. Ante Pompeii cladem *lupi, & bubones frequentes in urbe visi, terræ motus crebri cum mugitibus editi sunt, ignis ab Occasu in Ortum delatus, alius ignis cum alia ædificia, tum Quirini ædem exussit, Sol totus deliquium pertulit. Sceptrum Jovis, galeaque Martis in Capitolio reposita.* Item, *columnæ, in quibus leges extabant, de cœlo tactæ sunt: multa animalia partus monstrosos ediderunt, multi fanatici furore correpti futura prædixerunt.* Lib. 45. κεραυνοί τε γὰρ παμπληθεῖς ἔπεσον, καί τινες αὐτῶν, καὶ ἐς τὸν νεὼν τοῦ τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίνῳ ἐν τῷ νικηίῳ ὄντα κατέσκηψαν, &c. *Fulmina innumera ceciderant, & quædam ex iis in cellam Jovis Capitolini, quæ erat in templo Victoriæ, incubuerant, & ventus vehemens columnas circa fanum Saturni, & Fidei evulserat, ac dissipaverat. Statuam quoque Minervæ custodis, quam ante exilium suum Cicero in Capitolio posuerat, dejecerat, ac confregerat.*

## CAP. XXX.

### *Nimbi.*

INAUSPICATUM fuit sereno nimbos, aut fulmina extitisse, ut Livius lib. 37. Tertull. lib. 3. in Marcion. *Constat in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis de cœlo nimbos pependisse omni mœniorum habitu evanescente de profectu diei, sub Severo.* Procopius 2. *Gotthico*: Barbaris aciem instruentibus dirum omen, si a sua parte cœlum nitesceret, ab hostibus pluvium ac tenebricosum esset. Aristophanes *Acharnanens.* Ἀλλ' ἀπαγορεύω μὴ ποιεῖν ἐκκλησίαν τοῖς Θρᾳξὶ περὶ μισθοῦ. λέγω δ' ὑμῖν, ὅτι διοσημία ἐστὶ, καὶ ῥανὶς βέβληκέ με. *Sed interdico Thracibus de mercede ne concionem advocent, dico vobis, quia servatum est de cœlo, & stilla me percussit.* Plautus *Mercatore*:

*Respice huc ad dextram, Carine nonne ex adverso*
*Vides? Nubis ater, imberque instat,*
*Aspice nunc ad sinistrum cœlum, ut splendore*
*Est coruscum ex adverso vides.*

Lib. 9. *Æneidos* Virgilius,

*—— & ingens*
*Visus ab aurora cœlum transcurrere nimbus.*

A Xiphilin. *Severo*, pag. 305. καὶ πῦρ αἰφνίδιον νυκτὸς ἐν τῷ ἀέρι τῷ πρὸς βοῤῥᾶν τοσοῦτον ὤφθη, ὥστε τοὺς μὲν τὴν πόλιν ὅλην, τοὺς δὲ καὶ τὸν οὐρανὸν αὐτὸν καίεσθαι δοκεῖν. ὃ δὲ δὴ μάλιστα θαυμάσας ἔχω, ψεκὰς ἐν αἰθρίᾳ ἀργυροειδὴς ἐς τὴν τοῦ Αὐγούστου ἀγορὰν κατεῤῥύη. *Et ignis subitaneus nocte in aere ad boream tantus emicuit, ut alii universam civitatem, alii cœlum ipsum ardere putarent: quod maxime omnium me in admirationem rapit, pluvia rori similis argentea cœlo sereno in Augusti forum decidit, quam ut ceciderat collegi, eaque minuta aliquot æra colore argenteo, & candido tinxi, mansitque is color tres dies.* Athenis fuit Ζεὺς ὑέτιος, *Juppiter imbricitor*, B quem his appellabant precibus, εὐχὴ Ἀθηναίων ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων, καὶ τῶν πεδίων, ut Marcus Antonius Imperator lib. 5. de vita sua. Tibullus:

*Te propter nullos tellus tua sustinet imbres,*
*Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.*

Lib. 2. *Gotth.* Procop. Heruli cum per injuriam Languobardos bello vexarent, bellum per legatos deprecantes, & utræque acies in armis starent, supra Languobardos nubes obscura stetit, supra Herulos purum serenum & limpidum, quod inauspicatum habetur.

C

## CAP. XXXI.

### *Defectiones Lunæ, Solisque.*

DEFECTIONES Lunæ, & Solis multis locis a nobis hic adnotatæ sunt. Xiphilinus in *Vitellio*, in cujus exercitu ἐπηύξησε τὴν ταραχὴν ἡ σελήνη τῆς νυκτὸς ἐκλιποῦσα, οὐχ ὅτι καὶ ἐσκιάσθη, ἀλλ' ὅτι καὶ αἱματώδης, καὶ μέλαινα, ἄλλα τέ τινα χρώματα φοβερὰ ἀφιεῖσα ὤφθη. *Tumultum auxit Lunæ defectio noctu non obumbratæ modo, sed sangui*D*nolentæ, & nigræ, aliosque colores terribiles præferentis.* Dio lib. 60. καὶ ἐπειδὰν ὁ ἥλιος ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ ἐκλείψειν ἔμελλεν, *quia natali Claudii Solis defectio futura erat, causas defectionis publice proposuit hujusmodi; Luna si respectu nostri aspectus recta sub Solem veniat, & infra ejus radios currat, splendorem ejus magis, minusve occultat. Luna vero deficit quoties e regione opposita Soli* (quod ei in plenilunio, sicut Soli in coitu Lunæ contingit) *in umbram terræ turbinatam incidit*, ἐς τὸ τῆς γῆς σκίασμα κωνοειδὲς ὂν ἐμπέσῃ. Lib. 45. εἰς γὰρ τὴν Ῥώμην εἰσιόντος αὐτοῦ ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ, καὶ ποικίλη περιέσχεν. *Augusto intrante Romam Iris omnem So-* E *lis ambitum ingens, & varia complexa est.* Cicero lib. 1. *Divinat. Si Luna paulo ante Solis ortum defecisset in signo Leonis, fore ut armis Darius & Persæ ab Alexandro & Macedonibus prælio vincerentur, Dariusque moreretur.* Xiphilin. *Nerone*, ὁ μὲν τοι ἥλιος σύμπας ἐν μέσαις τῆς θυσίαις τῆς ἐπὶ τῇ Ἀγριππίνῃ κατὰ τὸ ψήφισμα γενομέναις ἐξέλιπεν, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐκφῆναι. Polybius lib. 5. οὐ γενομένης ἐκλείψεως σελήνης οἱ Γαλάται σημειωσάμενοι τὸ γεγονὸς, *tunc loco ostenti, quod acciderat de Luna ducentes.* Vetus Poeta de eclipsi,

*—— quippe per æthram,*
*Qua citimus limes dispescit turbida puris,*
F *Inviolata meat, sed vasto corpore tellus*
*Quæ medium tenet ima polum, dum lumina fratris*
*Detinet umbriferis metis, dum sidere claro*
*Pallescit teres umbra rotæ, dum transeat axem*
*Aggerei velox tumuli, speculoque rosanti*
*Fraternasve pares per cœlum libera flammas.*

Fuere sæpe & pluviæ prodigiosæ, si carnibus, lana, cineribus, sanguine plueret. P. Diaconus lib. 12. *Histor. Miscel.* Sub Valentiniano *primo apud Atrebatas vera lana de nubibus pluviæ mixta defluxit. Constantinopoli grando miræ magnitudinis decidens nonnullos ho-*

*mines extinxit*. Apud Julium Obsequentem libro *de prodigiis*, *sanguine pluit*, *carnibus pluit*. Sub Leone primo *cineres de cœlo Constantinopoli ceciderе*: apud Zonaram, ὗσθῆναι δὲ καὶ σποδὸν ἐν τῇ Βυζαντίδι πολλὴν, ὥστε καὶ εἰς παλαιστὴν αὐτὴν ὑψωθῆναι, *cinerem pluisse multum Byzantii*, *ita ut ad palmum exsurgeret*. Livius lib. 3. cap. 10. *Inter alia prodigia & carne pluit*, *quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur*: *quod intercidit sparsum ita jacuisse per aliquot dies*, *ut nihil odor mutaret*. *Libri per Duumviros sacrorum aditi*, *pericula a conventu alienigenarum prædicta*. Lib 22. cap. 1. *Solis orbem minus visum*, *& Præneste ardentes lapides cœlo cecidisse*, *& Arpis palmas in cœlo visas*, *pugnantemque cum Luna Solem*, *& Capenæ duas interdiu Lunas ortas*, *& aquas Cærete sanguine mistas fluxisse*, *fontemque ipsum Herculis cruentis manasse sparsum maculis*, *& in Antii agro metentibus cruentas in corbem spicas cecidisse pluisse*. Lib. 23. cap. 31. *Mare arsit eo anno*. *Ad Sinvessam bos equuleum peperit*, *signa Lanuvii ad Junonis Sospitæ cruore manavere*, *lapidibusque circa id templum pluit*, *ob quem imbrem Novendiale*, *ut assolet*, *sacrum fuit*, *cæteraque prodigia cum cura expiata*. Lib. 26. cap. 23. *Nuntiatum est in foro Tudertano sanguinis rivos per diem totum fluxisse*, *& Ereti lapidibus pluisse*, *& Reate mulam peperisse*. *Ea prodigia hostiis majoribus sunt procurata*, *& obsecratio in unum diem populo indicta*, *& Novendiale sacrum*. Lib. 30. cap. 38. *Cumis Solis orbis minui visus*, *& pluit lapideo imbri*, *& in palatio lapidibus pluit*. *Id prodigium more patrio Novendiali sacro*, *cætera hostiis majoribus expiata*. Lib. 34. cap. 44. *In foro*, *& comitio*, *& Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt*. *Et terra aliquoties pluit*, *& caput Vulcani arsit*. *Interamnæ lac fluxisse nunciatum*, *pueros ingenuos Arimini sine oculis ac naso*, *& in Piceno agro*, *non manus*, *non pedes habentem natum*. *Ea prodigia ex Pontificum decreto procurata*, *& sacrificium Novendiale factum*, *quod Adriani nunciarant in agro suo lapidibus pluisse*. Lib. 27. cap. 13. *Sinvessæ lacte pluisse*, *& cum elephanti capite puerum natum*. Lib. 41. cap. 9. *Lapidem in agro Crustumio in lacum Martis de cœlo cecidisse*, *puerum trunci corporis in agro Romano natum*, *& quadrupedem anguem visum*. *Cineres pluviæ instar sæpe ex aere lapsi sunt*. Cedrenus sub Leone I. Aug. ἀθρόον ἐν εἴδει νιφετοῦ ὤφθη κόνις πεπυρακτωμένων τῶν νεφῶν προφανέντων, ὡς νομίζειν πάντας, ὅτι πῦρ βρέχει, καὶ ἐπὶ παλαιστὴν ἐτέθη ἡ κόνις. *Confertim in specie nivis pluit cinis*, *cum nubes ignitæ viderentur*, *ut omnes putarent ignem pluere*. Idem in Constante nepote Heraclii, τῷ ια ἔτει Κώνσταντος κόνις ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατηνέχθη, *undecimo anno Constantis cinis ex cœlo delatus est*.

## CAP. XXXII.

### *De Cœli & Terræ Prodigiis*, *& de Igni*.

MULTA in cœlo, & terra prodigia Hetrusci annotarunt. Dio lib. 47. Ante pugnam Philippensem ἐν τῷ ἄστει ὅτε ἥλιος ποτὲ μὲν ἠλαττοῦτο, καὶ ἐλάχιστος ἐγίγνετο, ποτὲ δὲ καὶ μέγας καὶ τρίτος ἐξεφαίνετο, καὶ ποτὲ καὶ νυκτὸς ἐξέλαμψε, *& in urbe Sol alias minor factus est*, *alias major cum duobus aliis conspectus est*, *alias nocte effulsit*. *De cœlo multa loca tacta*, *inter quæ & Jovis Victoris ara*, *faces hic & illic accensæ*. Lib. 50. *Bubo in templum Concordiæ*, *deinde in reliqua etiam fere omnia quæ sanctissima habebantur delubra devolavit*, *ac cum undique exigeretur in æde genii populi consedit*, *ac neque captus est*, *& tarde omnino avolavit*. *Currus Jovis equestribus ludis Romanis confractus est*, καὶ λαμπὰς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὑπὲρ τῆς Ἑλληνικῆς θαλάσσης αἰωρηθεῖσα ἐς τὸν αἰθέρα ἀνέδραμε. Livius lib. 41. cap. 21. *Arcus interdiu sereno cœlo super ædem Saturni in foro Romano intentus*, *& tres simul Soles effulserunt*, *& faces eadem nocte plures per cœlum lapsæ sunt in Lanuvino*. Lib. 43. cap. 13. *Fregellis in domo L. Atrei hasta quam filio militi emerat interdiu plus duas horas arsisse*, *ita ut nihil ejus amburеret ignis*, *dicebatur*. Lib. 3. cap. 5. *Cœlum visum est ardere plurimo igni*. Item lib. 30. cap. 12. lib. 32. cap. 9. lib. 43. cap. 13. *Cœlum Faleriis findi visum*. Lib. 22. cap. 1. *Lunæ duæ interdiu Capenæ ortæ*. Ibidem lib. 28. cap. 11. *Lux nocte Fregellis orta*. Lib. 32. cap. 29. *Lux inter noctem Frusinone orta*. Lib. 23. cap. 31. *Mare arsit*. Dio lib. 56. ante obitum Augusti, *Sol totus defecerat*, *magna pars cœli arsit*, *ignita ligna de cœlo cadere visa*, *crinitæ & sanguinolentæ stellæ fulserant*. τοῦ οὐρανοῦ τὸ πολὺ καίεσθαι ἔδοξε, ξύλα τε διάπυρα ἀπ' αὐτοῦ πίπτοντα ἐφαντάσθη. Suidas de Constantino, ἐν τοιαύτῃ ὢν φροντίδι τῆς ἐπὶ μεσημβρίας ἡλίου ὥρας εἶδεν ἐν τῷ οὐρανῷ στῦλον πυρὸς στροφοειδῶς. Lego, σταυροειδῶς γράφοντα, ἐν τούτῳ νίκα. Arrian lib. 3. καὶ τῆς σελήνης τὸ πολὺ ἐκλιπὲς ἐγένετο, καὶ Ἀλέξανδρος ἔθυε τῇ τε σελήνῃ, καὶ τῷ ἡλίῳ, καὶ τῇ γῇ. Seneca in *Thyeste*,

—— *lucus tremiscit*
*Tota succusso solo nutavit aula*.

In *Oedipo*:

*Mugisse solum*.

In *Thyeste*:

*Solum mugit*.

In *Oedipo*:

*Terra se retro dedit*,
—— *gemuitque penitus*.

In *Troadibus*:

*Cui viscerum secreta*, *cui mundi fragor*,
*Et stella longe semitam flamma trahens*
*Dant signa fati*.
*Cum subito cœco terra mugitum fremens*
*Concussa cœcos traxit ex imo sonos*.

Claudianus:

—— *Ecce repens mugire fragor*.

Virgilius:

—— *Magno cum murmure montis*
*Circum claustra fremunt*.

Aristoteles lib. 2. *Meteor*. cap. 8. sub terra omnes vocum differentias emitti scribit, ut potes μυκᾶσθαι τὴν γῆν, ὥσπερ οἱ τερατολογοῦντες λέγουσι. In *Problemat*. In paludibus quæ sunt propter fluvios fieri sonitus qui vocantur *Bomugi*, quos sacros Dei tauros esse fabulantur. Plinius lib. 2. *Præcedit terræ motum*, *& comitatur terribilis sonus*: *alias murmur simile mugitibus*, *aut clamori humano*, *armorumve pulsantium fragori*.

## CAP. XXXIII.

### *De Araneis*.

ARANEÆ signis insidentes triste augurium fecere. Dio lib. 41. Pompejus εὐθὺς καταίρων εἰς τὸ Δυρράχιον στρατιώτας κεραυνοὶ ἐν αὐτῷ πρόσπλῳ ἔφθειραν, καὶ τὰ σημεῖα τὰ στρατιωτικὰ ἀράχναι κατέσχον, *ut Dyrrachium appulit*, *fulmina milites exanimarunt*, *& signa militaria araneæ obsederunt*, *ipsiusque Pompeii e nave egressi vestigium serpentes advoluti confuderunt*, ὄφεις τὸ στίβον ἐπισπώμενοι συνέχεον, Pausanias in *Bœoticis*: Thebis τοῦ ἱεροῦ τὰς θύρας ἀράχναι ὑφάσματι λευκῷ, κατὰ δὲ τὴν Ἀλεξάνδρου ἔφοδον μέλανι ἐξύφηναν, *fores templi araneæ texto candido ante prælium Leuctricum prætexuerunt*, *cum irrupit Alexander nigro*, ἐν δήμητρος ἱερῷ θεσμοφόρου, *in Cereris legiferæ delubro*. Diodorus Siculus lib. 17. Thebis, antequam ab Alexandro everterentur, ἐν τῷ τῆς δήμητρος ἱερῷ λεπτὸν ἀράχνης ὕφασμά τι διαπεπετασμένον ὤφθη, τὸ μὲν μέγεθος ἔχον ἱματίου, κύκλῳ δὲ περιφαῖνον ἶριν τῇ κατ' οὐρανὸν ἐοικυῖαν.

*In Cereris templo araneæ tenue textum extensum visum est, magnitudine pallii, in ambitum ostendens Iridis speciem, quæ in cœlo cernitur, oraculum editum.* ἱςὸς ὑφαινόμενος ἄλλῳ κακὸν, ἄλλῳ ἄμεινον, *tela texta alii malum, alii melius*. Ælianus lib. 12. *Variar.* c. 57. ἀράχνη κατὰ τοῦ προσώπου ἀγάλματος. *Aranea in facie simulacri*. Dio lib. 47. τὰ σημεῖα τοῦ ςρατεύματος τοῦ τὴν πόλιν φυλάττοντος ἀραχνίων ἀνεπλήσθη, καὶ ἐν τοῖς Ἀσκληπιείοις μέλισσαι ἐς τὴν ἄκραν πολλαὶ συνεςράφησαν, γῦπες ἐπί τε τοῦ νεὼ τοῦ γενίου τοῦ δήμου, &c. *Signa militum urbem custodientium araneis repleta sunt; arma visa sunt e terra in cœlum ascendentia, & sonitus eorum multus auditus, in culmen ædis Æsculapii multæ apes confluxerant, vultures complures templum genii P. R. & concordiæ insederant.*

## CAP. XXXIV.

### *Apes.*

DE Apibus supra egimus: hoc adjungamus ex Ammiano lib. 18. *In domo Barbationis pedestris militiæ tunc rectoris examen apes fecere perspicuum. Superque hoc prodigiorum gnaros sollicite consulenti discrimen magnum portendi responsum est, conjectura videlicet tali, quod hæ volucres post compositas sedes, opesque congestas fumo pelluntur, & turbulento sonitu cymbalorum.* Lycophron:

Ὡς μέλισσαι συμπεφυρμέναι καπνῷ.
*Ut apes infestatæ fumo*. Apollon. lib. 2. *Argon.*
Ὡς δὲ μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες
Ἠὲ μελισσοκόμοι πέτρῃ ἔνι καπνιόωσι.

*Ut examen apum pastores fumo pellunt e saxo*. Xiphilin. in *Severo*: Αετὸς ἐπ' ἄγαλμα ςρατιωτικὸν ἱζήσας ἐπὶ τοσοῦτον ἐπέμεινε, καίπερ ἀποσοβούμενος, ὥςε καὶ ἁλῶναι, καὶ μέλισσαι κηρία περὶ τὰ σημεῖα τὰ ςρατιωτικὰ τάς τε εἰκόνας αὐτοῦ μάλιςα περιέπλασσον. Pescennino Nigro *Aquila, quæ in statua militari consederat, in ea licet abigeretur constitit, quousque capta est: apesque in signis militaribus, & maxime in statuis ipsius favos finxerunt*. Salisberiensis lib. 1. *Apes Platonis infantis labiis mel inserebant, Hieronem parvulum, indigentem opis humanæ apes circa eum melle conjecto pluribus aluere diebus, & sic consilio aruspicum regnum ei portendi canentium*, &c. Onesyli Ducis Cypriorum a Persis victi ad portam urbis Amathusiæ caput suspenditur, in quo cum apes mella, & favos fecissent, ut Deus ab Amathusiis cultus est, ait Herodotus. Dio lib. 42. antequam vinceretur Pompejus, κεραυνοὶ ἐς τὸ ςρατόπεδον αὐτοῦ ἐσέπεσον, καὶ πῦρ ἀέριον ὑπὲρ τῆς τοῦ Καίσαρος παρεμβολῆς φανὲν ἐς τὴν ἐκείνου κατέσκηψε, τά τε σημεῖα αὐτοῦ τὰ ςρατιωτικὰ μέλισσαι περιέσχον, *fulmina in castra Pompeii ceciderunt, & ignis aerius super Cæsaris vallo visus in vallum Pompeii incubuit, & signa ejus militaria apes amplexæ sunt*. Livius lib. 24. cap. 10. *Romæ quoque in ipsa urbe secundum apum examen in foro visum*. Lib. 27. cap. 25. *Apum examen Cassini in foro visum*.

## CAP. XXXV.

### *Lupi.*

SED & Lupi ominosi fuere. Ante bella civilia inter Cæsarem, & Pompejum λύκοι τε καὶ βύαι πολλοὶ ἐν αὐτῷ τῷ ἄςει ὤφθησαν, καὶ σεισμοὶ συνεχεῖς μετὰ μυκηθμῶν, *in ipsa urbe lupi & bubones frequentes extiterunt, & terræ motus cum mugitibus. Ignis ab occidua cœli parte in orientalem perlatus est: alius ignis cum alia ædificia, tum Quirini ædem exussit. Sol totus deliquium pertulit. Sceptrum Jovis galeaque Martis in Capitolio reposita, itemque columnæ in quibus leges extabant de cœlo tactæ sunt*. Dio lib. 41. Lupus bono omini fuit, apud Livium lib. 10. Dio lib. 48. Δείσας ὅτι λύκος ἐς τὸ ςρατηγικὸν αὐτοῦ ἐσῆλθε, *territus quia lupus in ejus prætorium introierat*. λύκος ἐν Ῥώμῃ ὤφθη, *lupus Romæ visus*. Horat. Od. 27. lib. 3.

*Impios Parræ recinentis omen*
*Ducas, aut prægnans canis, aut ab agro*
*Rava decurrens lupa Lanuvino,*
*Fœtaque vulpes.*

Zonaras pag. 41. tit. 2. Pausanias in *Arcadicis*, cum Cleombrotus Rex Lacones duceret ad Leuctra, sequebantur eum capræ ducentes gregem ovium, lupi in capras ovium duces involant, gregem non attingunt. Lupus Apollini sacer, ideo Homerus λυκηγενέτην Apollinem vocat, ut Ælianus ait, quod Latona paritura induit lupæ speciem, ideoque in Delphico templo lupi specie Apollinis simulacrum est. Dio lib. 48. Antonius territus ὅτι λύκος ἐς τε τὸ ςρατηγικὸν αὐτοῦ ἐσῆλθε, καὶ ςρατιώτας ἔφθειρε, *quod lupus in prætorium ejus intrasset, & milites aliquot occidisset*. Plin. lib. 8. cap. 22. *Inter auguria ad dexteram commeantium præciso itinere, si pleno id ore lupus fecerit, nullum ominum præstantius*. Antequam ab Adriano Augusto Hierosolymæ everterentur, τὸ μνημεῖον τοῦ Σολομῶντος ἀπὸ ταυτομάτου διελύθη τε καὶ συνέπεσε, καὶ λύκοι, ὕαιναί τε πολλαὶ ἐς τὰς πόλεις αὐτῶν ἐσέπιπτον ὠρυόμεναι, *monumentum Salomonis sponte dissolutum & collapsum est, & lupi, ac hyænæ in eorum urbes rugientes, atque ululantes irruperunt*, ait Zonaras. Ante pugnam Actiacam apud Dionem lib. 50. *Quidam mente captus cum ludi essent in theatrum insiluit, coronamque superioris Cæsaris rapuit, ac sibi imposuit, estque a circumstantibus discerptus, lupus in ædem fortunæ ingressus, deprehensus, occisusque est. Canis canem in circo*, παρ' αὐτὴν τὴν ἅμιλλαν τῶν ἵππων κατειργάσατο, καὶ κατέφαγε. Lib. 55. ante mortem Drusi λύκοι περὶ τὸ ςρατόπεδον ὑπὸ τὸν θάνατον αὐτοῦ περινοςοῦντες ὠρύοντο, καὶ νεανίσκοι δύο διὰ μέσου τοῦ παρρεύματος διιππεύοντες ὤφθησαν, θρῆνός τέ τις γυναικεῖος ἠκούσθη καὶ ἀςέρων διαδρομαὶ ἐγίνοντο. Capitolin. in *Maximo*: *Lupi urbem quingenti simul ingressi sunt, in quam se Maximus receperat*. Manasses in *Politicis*, cum Lavinium conderetur, πρῶτον μὲν πῦρ αὐτόματον τῇ νάπαις ἀνεδόθη, ἔπειτα λύκος ἐκπηδῶν ποθὲν ἀπὸ δρυμῶνος ὕλην ξηρὰν τῷ ςόματι λαμβάνων ἐπετίθει· ἀετὸς δὲ πτερυσσόμενος ὄρνις μεγαλοπτέρυξ ταῖς πτέρυξι ἀνέκαιε τὸ πῦρ ἀναρριπίζων. ἀλώπηξ δέ τις δολερὰ τούτοις ἀντιζηλοῦσα, καὶ τοῖς ἀνάπτουσι τὸ πῦρ ἀντιπαλαιομένη σβεννύειν ἐσπούδαζεν αὐτὸ, καὶ μαρτυρεῖν ἐπάγειν τὴν κέρκον διαβρέχουσα λιβάσι ποταμίοις. Hæc desumpta sunt ex lib. 1. *Origin.* Dionys. Halicarnassei: *primum ignis spontaneus e nemore exsiliit, postea lupus e querceto egressus ligna sicca ore sumens admovebat, aquila ingentibus alis ventilans accendebat ignem: vulpes subdola æmula, adversata illis qui ignem accendebant, extinguere properabat caudam aquæ immergens, & flammam aqua spargens: aliquando igitur qui accendere volebant, prævalebant, interdum vulpes erat superior: demum aquila & lupus vicere, vulpes fuga elapsa est*. Pausanias in *Corinthiacis* scribit Argivos lupis ad auguria uti.

## CAP. XXXVI.

### *De Sorice, & Mure.*

SORICIS occentus, aut si mus arroderet aliquid, inauspicatum fuit. Plin. lib. 8. cap. 57. *Soricis occentu dirimuntur auspicia*. Ausonius:

*Quadrupes auſpiciis qui jungitur oſcinibus? Mus.* Plinius lib. 8. cap. 57. *Mures cum candidi provenere lætum faciunt oſtentum.* Plutarchus in *Sylla*, καὶ μυῶν ἐν ἱερῷ χρυσὸν διαφαγόντων: *cum mures in templo aurum arroſiſſent.* Clemens lib. 4. *Stromat.* Ἐὰν μῦς διορύξῃ βωμὸν, κἂν μηδὲν ἄλλο ἔχων διαφάγῃ ληκύθιον. *ſi mus ſuffoderit aram, & nihil aliud habens arroſerit ampullam.* Cic. 1. *Divinat. Siſenna exponit initio belli Marſici, & Deorum ſimulacra ſudaviſſe, & ſanguinem fluxiſſe, & diſceſſiſſe cælum, & ex occulto auditas eſſe voces, quæ pericula belli nuntiarent, & Lanuvii clypeos, quod aruſpicibus triſtiſſimum viſum eſſet, a muribus eſſe deroſos.* Lib. 2. *Nos autem ita leves atque inconſiderati ſumus, ut ſi mures corroſerint aliquid quorum eſt opus, hoc unum monſtrum putemus. Nam ſi iſta ſequimur, quod Platonis politiam nuper apud me mures corroſerint, de Rep. debui pertimeſcere.* Bion dixit, τί θαυμαστὸν εἰ καὶ ὁ μῦς τὸν θύλακον διέτρωγεν, οὐκ ἔχων ὅ τι φάγῃ; *quid mirum ſi mus ſaccum arroſit, non habens aliud quod corroderet?* Livius lib. 30. *Mures Antii coronam auream corroſerunt.* Lib. 27. *Mures in æde Jovis aurum roſiſſe.* Plutarchus in *Marcello*, *Minutius dictator, & Flaminius Magiſter equitum abierunt magiſtratu,* ἐπὶ τετριγμὸς ἠκούσθη μυὸς, *quia ſoricis occentus auditus fuerat.* Ammian. Marcell. *ſuper ſoricis occentu, vel occurſu muſtelæ conſulens.* Salisberienſ. lib. 1. *Polycrat. Sulpicio Sacerdoti lapſus apex de capite Sacerdotium abſtulit, occentus ſoricis auditus M. Fabio præfecturam. Si veſtem in operis tui initio a ſoricibus corroſam ſenſeris, tempera ab inceptis. Mures haud ſpernendum in oſtentis etiam publicis animal. Arroſis Lavinii clypeis argenteis mures Marſicum portendere bellum, Carboni Imperatori apud Cluſium faſciis quibus in calceatu utebatur exitium.* Valer. Maximus lib. 1. *Audito ſoricis occentu Fabius Max. dictatura, C. Flaminius magiſterio equitum ſe abdicarunt. Mures in fundamentis urbis, quæ ad Strymonem ædificabatur, pugnantes reperti cives oſtenderunt feroces ac bellicoſos fore.*

## CAP. XXXVII.

### *De Canibus, & Muribus.*

CANES inauſpicati ut plurimum fuere. Dio lib. 45. Κόρακές τε ἐς τὸ διοσκούρειον ἐσπτάμενοι τὰ τῶν ὑπάτων, τοῦ τε Ἀντωνίου, καὶ τοῦ Δολαβέλλου ὀνόματα ἐνταῦθα ἐν πινακίῳ ἐγγεγραμμένα ἐξεκόλαψαν, καὶ κύνες πολλοὶ νυκτὸς κατὰ τὴν ἄλλην πόλιν, καὶ πρὸς τῇ τοῦ ἀρχιερέως τοῦ Λεπίδου οἰκίᾳ μάλιστα συστρεφόμενοι ὠρύοντο, &c. *Corvi in Caſtorum templum involantes nomina Antonii & Dolabellæ Coſ. ibidem in tabula inſcripta eroſerunt, & multi canes nocte cum in aliis urbis locis, tum ad domum Lepidi Pontificis ulularunt. Padus cum in adjacentes terras admodum exundaſſet repente ſe recepit in alveum, magnamque ſerpentium vim in ſicco deſtituit. Innumeri piſces ex mari per oſtia Tiberis in continenti ejecti ſunt.* Seneca in *Oedipo*:

*Quin Tænarii vincula ferri rupiſſe canem*
*Fama, & noſtris erraſſe locis, mugiſſe ſolum,*
*Vaga per lucos ſimulacra virum, majora viris,*
*Bis Cadmæum nive diſcuſſa tremuiſſe nemus,*
*Bis turbatam ſanguine Dircen nocte ſilenti*
*Amphioneos ululaſſe canes.*

Heſychius: ἑκάτης ἀγάλματα, τὰς κύνας οὕτω φασὶ διὰ τὸ ἐκφέρεσθαι ἑκάτῃ κύνας. Canis inopinatus concurſus, vel occurſus, ominoſus. Terent. *Phorm.*

*Introiit in ædes ater alienus canis.*

Horat. lib. 3.

*Impios Parræ recinentis omen*
*Ducat, & prægnans canis.*

De muribus arrodentibus apud Aſſyrios etiam Herodot. lib. 2. *Cum Sennacherib in Ægyptum expeditionem moviſſet, & de nocte mures pharetras & ſcuta militum arroſiſſent, ei clades portendi viſa.* Lib. 30. Livius cap. 2. *Mures Antii coronam arrodunt.* Lib. 40. cap. 58. *Mures de menſa oleas prægustant.* Auguſtinus lib. 2. *doct. Chriſt.* cap. 20. *Superſtitioſum, cum veſtis a ſoricibus roditur, plus timere ſuſpicionem futuri mali, quam præſens damnum dolere, unde illud eleganter dictum eſt Catonis, qui cum eſſet conſultus a quodam qui ſibi deroſas eſſe caligas diceret a ſoricibus, reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed vere monſtrum habendum fuiſſe ſi ſorices a caligis roderentur.* Theophraſtus in *Charact.* καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ, πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾶν, τί χρὴ ποιεῖν. Plin. lib. 8. cap. 58. Plutarchus in *Sylla*.

## CAP. XXXVIII.

### *Muſtela, Felis, Canis.*

MUSTELÆ & feles in malam Scævam trahuntur. Xiphilinus, προϊόντος αὐτοῦ ἐκ τῆς οἰκίας γαλῆ διὰ μέσων σφῶν διῇξεν: *Exeunte eo ex ædibus muſtela inter medios tranſiit.* Apulejus lib. 9. *Metamorph. Viſæ muſtelæ mortuum ſerpentem forinſecus mordicus attrahentes.* Ammianus Marcellin. *De occurſu muſtelæ conſulens.* Theophraſt. in *Charact.* de Superſtitione. καὶ τὴν ὁδὸν ἐὰν παραδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι ἕως διεξέλθῃ τις, ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαβάλῃ· *Si muſtela viam tranſcurrit, non ante progredi, quam alius prior tranſierit, aut ipſe tres lapides trans viam miſerit.* Dicitur illud *auſpicium viale*, ut ſupra ex Georgio Monacho, Cedreno, & Scholiaſte Gregor. Nazianzeni oſtendimus, ἐνόδιον σύμβολον. De muſtela Plaut. in *Sticho*. De fele Terentius. Apud Ariſtophanem in *Concion.* muſtelæ tranſcurſus dirimit comitia. Artemidorus, γαλῆν ὁρᾷν πράττουσάν τι ἡδὺ, *felem videre facientem aliquid jucundum*, fauſtum eſſe ait, τὶ ἀηδὲς, *facientem aliquid triſte*, inauſpicatum. Πάσχουσαν, *patientem*, dirum. Ariſtoph. in *Concionantib.* σεισμὸς εἰ γένοιτο, ἢ πῦρ ἀποτρόπαιον, ἢ διάξειε γαλῆ: *ſi terra moverit, aut ignis averſandus extiterit, aut muſtela tranſcurrerit, comitia dirimuntur.* Plutarchus lib. *de fratrum amicit.* διαδρομὴ κυνὸς, *tranſcurſus canis inauſpicatus.* Plautus:

*Caninam ſcævam meliorem fore.*

Virgilius:

*Obſcœnæque canes, importunæque volucres.*

*Prandente Veſpaſiano quondam canis extrarius triclinio manum humanam intulit, menſæque ſubjecit, Imperium portendebatur*, ait Suetonius. Capitolinus in *Maximino*: *Canes circum tentorium ejus in ſecunda manſione ultra duodecim ulularunt, & animam quaſi flendo poſuerunt.* Ammian. lib. 31. *Mœſtos eventus adventare præſagiorum fides clara monebat, & portentorum. Poſt multa enim quæ vates, augureſque prædixere veridice, reſultabant canes ululantibus lupis, & querulum quiddam nocturnæ volucres gemebant, & flebile, & ſqualidi Solis exortus hebetarunt matutinos Solis candores.* Pauſan. in *Meſſeniac.* τοῖς δὲ Μεσσηνίοις παρείχετο τοῦ παρόντος κακοῦ, καὶ ἄλλα αἴσθησιν, μάλιστα δὲ οἱ κύνες οὐ κατὰ εἰωθότα ὑλακτοῦντες, ἀλλὰ συνεχέστερα, καὶ βιαιότερα τῇ κραυγῇ χρώμενοι: *Meſſeniis alia pleraque mali præſentis ſenſum dabant, maxime canes præter ſolitum latrantes, & magis continuo, violentoque clamore uſi*, οἱ κύνες συνιόντες ἐς τὸ αὐτὸ κατὰ πᾶσαν νύκτα ὠρύοντο, τέλος δὲ καὶ ἀπεχώρησαν ἀθρόοι πρὸς τὸ τῶν Λακεδαιμονίων στρατόπεδον. Dio, *Ante cædem Sejani, Kalendis quibuſdam frequentibus in ejus domum convenientibus lectus in*

*aula in quam salutantes admittebat, multitudine insidentium totus confractus est, progredienteque ipso ex domo felis per medios discurrit, cumque in Capitolio sacrificasset, ac inde in forum descenderet, servi ejus stipatores cum propter turbam eum sequi non possent, in viam quæ in carcerem ducit diverterunt, ac per scalas gemonias descendentes ceciderunt. Auspicanti nulla avis secunda apparuit, sed corvi circumvolitantes, obstrepentesque confertim ad carcerem devolarunt, & super eum consederunt.* Apulejus *Miles.* 9. *visa est mustela mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahens, & de ore pastoritii canis virens exilivit ranula, ipsumque canem qui proximus consistebat aries appetitum unico morsu strangulavit.* Plaut. *Sticho*:

*Auspicium est quod mustela murem abstulit.*

Pausan. in *Phocicis*, Ὀρεσθεῖ τοῦ Δευκαλίωνος βασιλεύοντι ἐν τῇ χώρᾳ, κύων ἔτεκεν ἀντὶ σκύλακος ξύλον. Κατορύξαντος δὲ τοῦ Ὀρεσθέως τὸ ξύλον ἅμα τῷ ἦρι φῦναι ἄμπελον ἀπ' αὐτοῦ λέγουσι, καὶ ἀπὸ τοῦ ξύλου τῶν ὄζων γενέσθαι τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις, qui dicuntur *Ozoli*. *Orestheo filio Deucalionis in eo tractu regnanti canis peperit pro catulo lignum, quod terræ mandatum ab Orestheo vere vitem produxit, ab eo ligno Ozoli dicti, quia* ὄζος *Græcis ramum significat.* Julius Obsequens lib. *de prodig.* *In sacro novendiali, cœna Deæ posita a cane adesa antequam delibaretur. Junonis Sospitæ templa fœdata matronarum sordidis, obscœnisque corporis ministeriis, cum etiam sub simulacro Deæ cubile canis confœtuisset, commundata supplicationibus habitis.* Plin. lib. 8. cap. 41. *Canem loquutum in prodigiis accepimus, & serpentem latrasse, cum pulsus est regno Tarquinius.*

## CAP. XXXIX.

*Simia, Formicæ, Muscæ.*

SIMIA si quid everteret inauspicatum fuit. Ὁ πίθηκος ἐς τὸ δημήτρειον ἐν ἱερουργίᾳ τινὶ εἰσελθὼν πάντα τὰ ἔνδον συνέχεε, καὶ βύας: *Simius in ædem Cereris quodam sacrificio ingressus, omnia intus perturbavit, & bubo.* Dio lib. 50. Cic. lib. 1. *Divinat. Maximum illud portentum Spartiatis fuit, quod cum oraculum ab Jove Dodonæo petivissent de victoria sciscitantes, legatique illud in quo inerant sortes collocavissent, Simia quam Rex Molossorum in deliciis habebat, & sortes ipsas, & cætera quæ erant ad sortem parata disturbavit, & aliud alio dissipavit. Tum ea quæ præposita oraculo erat Sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedæmoniis esse, non de victoria cogitandum.* Xiphilinus in *Trajano*, qui cum Agarenorum urbem obsedisset, ἐγένοντο βρονταὶ, καὶ ἴριδες ὑπεφαίνοντο, ἀστραπαί τε, καὶ ζάλη, χάλαζα, καὶ κεραυνοὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐνέπιπτον, ὁπότε προσβάλοιεν, καὶ ὁπότε οὖν δειπνοῖεν μυῖαι τοῖς βρώμασι, καὶ τοῖς πόμασι προσιζάνουσαι δυσχερείας ἅπαντα ἐνεπίμπλων: *acta sunt tonitrua, & irides, fulgura, tempestas, grando, fulminaque in Romanos missa, quoties in Arabas impetum facerent, & cum pranderent muscæ cibum, & pocula infestabant.* De formicis Sueton. in *Nerone*; *vidit per quietem se pennatarum formicarum multitudine oppleri.* In *Tiberio* cap. 72. *Erat ei in oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine sua cibaturus cum consumptum a formicis invenisset.* Cicero lib. 1. *de Divinat.* *Midæ illi Phrygio cum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt: ditissimum fore prædictum est.*

## CAP. XL.

*De Comitiali morbo.*

MORBUS Comitialis usque adeo inauspicatus habitus est, ut comitia dirimeret. *Is morbus sonticus, morbus Herculis, morbus sacer* εὐφήμως appellatus est. Aristoteles in Problematis sect. 30. ἱερὰν νόσον, ἐπιληψίαν. Isidorus lib. 4. *Originum* cap. 7. *Hos vulgus lunaticos vocat, quod per hunc Lunæ cursum* (ita lego) *comitetur eos insania dæmonum. Eadem & larvatio. Ipse morbus comitialis, id est, major, & divinus dicitur, quo caduci tenentur.* Divina Latini vocant *magna*, Græci ἱερα. Interpres Apollonii ad librum primum *Argonaut.* τὰ μεγάλα τῶν παθῶν ἱερὰ, καὶ καλά φασιν εὐφήμως. Celsus cap. 23. lib. 3. *Morbus qui comitialis, vel major nominatur.* Isidor. libro 9. *Originum*: *Caducus lunaticus eo quod certo tempore Lunæ patiatur.* Cedrenus κάτοχον νόσημα vocat, *morbum caducum. Zeno, inquit, tumulo inclusus exclamavit*; Aperite mihi, καὶ εὑρεθῆναι αὐτὸν ὑπὸ πείνης φαγόντα τοὺς βραχίονας, διὰ τὸ συχνῶς τῷ κατόχῳ νοσήματι κρατεῖσθαι, *& repertum esse eum præ fame comedentem brachia sua, quia crebro morbo comitiali corripiebatur.* Artemidorus lib. 1. cap. 12. φασὶ δὲ καὶ τὴν νόσον ταύτην οἱ παλαιοὶ ἀνακεῖσθαι τῇ σελήνῃ: *Dixere Veteres eum morbum Lunæ sacrum.* Larvati proprie, & lunatici, quos fanaticus error aut iracundia Dianæ exagitat: qui circa fana bacchantur & quasi dementes responsa reddunt, ait Ulpianus lib. 1. §. penult. D. *de Ædil. edicto*. Celsus lib. 3. cap. 3. *Sanguis recens interfecti hominis morbum caducum pellit*, &c. Vide Plinium lib. 20. cap. 17. Aretæum lib. 1. cap. 13. Galenum lib. 6. *de morbis vulgar.* Q. Serenus;

*Et subiti species morbi cui nomen ab illo*
*Quod fieri nobis suffragia justa recusat.*
*Sæpe etenim membris acri languore caducis*
*Concilium populi labes horrenda diremit.*

## CAP. XLI.

*Occursus inauspicatus.*

HUNC locum alibi jam, sed alia manu attigimus. Occursus Æthiopis, claudi, coclitis infaustus fuit, ut Appianus lib. 4. *Civilium*, qui Æthiopem Bruto occurrisse, & a militibus occisum ait. Chrysostom. orat. 2. ad Neophytos: Πολλάκις ἐξελθών τις τῆς οἰκίας τῆς ἑαυτοῦ εἶδεν ἄνθρωπον ἑτερόφθαλμον, ἢ χωλεύοντα καὶ οἰωνίσατο. Τοῦτο πομπὴ σατανική. οὐ γὰρ ἡ ἀπάντησις τοῦ ἀνθρώπου ποιεῖ πονηράν τὴν ἡμέραν γενέσθαι, ἐὰν ἀπαντήσῃ παρθένος, φησὶν, ἄπρακτος ἡμέρα γίνεται, ἐὰν δὲ ἀπαντήσῃ πόρνη, δεξιὰ, καὶ χρηστὴ, καὶ πολλῆς ἐμπορίας γέμουσα: *Sæpe aliquis domo progrediens vidit coclitem, aut claudum, & inauspicatum duxit. Hæc est pompa Satanica. Non enim hominis occursus diem infaustam facit. Si occurrit virgo, dies hic mihi erit inutilis, ait, si meretrix, dies erit commoda, & opportuna, & magni quæstus.* Lucianus ψευδ. τοὺς χωλοὺς τῷ ποδὶ ἐκτρεπόμεθα, καὶ μάλιστα εἰ ἕωθεν ἴδοιμεν αὐτούς. Κἂν εἴ τις ἢ βάκηλον, ἢ εὐνοῦχον ἴδοι, ἢ πίθηκον, εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας ἐπὶ πόδα ἀναστρέφει, καὶ εἴ τις ἴδοι κίναιδον, ἢ γόητα, &c. *Claudos dextro pede aversamur, maxime si mane viderimus eos. Si quis excisum, aut eunuchum viderit, aut cluram seu simium, ex ædibus egrediens statim revertitur, & si quis viderit cinædum, aut magum præstigiatorem.* Seneca lib. 1. *controversar.* *Occurrunt nuptiis omina dira, fatis publicis auspicia feralia, feriatis ac solemnibus isti greges debilium, cæcorum, claudorum oberrant.* Huc referri potest quod vetus auctor de Theodosio refert, Θεοδόσιος ὁ μέγας στήλην ἔξω τῆς χαραγῆς ἑστηκυῖαν θεασάμενος Ἰουλιανοῦ οὖσαν ἀκούσας, εἶπεν, ὅτι μέλανα ἄνθρωπον τὴν στήλην τεθέαμαι, καὶ κατέαξε ταύτην: *Theodosius magnus statuam videns extra Charugen locum Constantinopoleos stantem, quæ Julia-*

*Juliani erat*; Video, *inquit*, ſtatuam hanc hominem eſſe atrum, *eamque fregit*. Plutarch. *Bruto*, ὁ δὲ Αἰθίοψ περιβόητος γέγονε, ὃ τῆς πύλης ἀνοιχθείσης ἀπαντήσας τῷ φέροντι τὸν ἀετὸν, καὶ κατακοπεὶς ταῖς μαχαίραις στρατιωτῶν οἰωνισαμένων. *Multus ſermo fuit de Æthiope, qui ut porta aperta eſt occurrit Aquilifero, & gladiis militum malo omini vertentium conciſus eſt*. Plutarchus; *Timoleonti ſubeunti collem occurrunt muli apium portantes: unde in mentem venit militibus malum omen eſſe, quia mortuorum ſepulcra ſolemus apio coronare*. ἐμβάλλουσι ἡμίονοι σέλινα κομίζοντες: καὶ τοῖς στρατιώταις εἰσῆλθε πονηρὸν εἶναι τὸ σημεῖον, ὅτι τὰ μνήματα τῶν νεκρῶν εἰώθαμεν ἐπιεικῶς στεφανοῦν σελίνοις. Saliſberienſis lib. 1. *Polycrat. leporis timebis occurſum, ſi tamen evaſerit, lupo obvio congratulaberis, boni ſiquidem nuncius eſt*. Conſule eundem de ovis, bovis, locuſtæ, bufonis, aut etiam Sacerdotis occurſu. Scholiaſtes Ariſtoph. συμβόλους ἐποίουν τοὺς πρῶτα συναντῶντας, καὶ ἐξ ἀπαντήσεώς τι προσημαίνοντας. ξυμβόλους τε, καὶ τοὺς διὰ τῶν πταρμῶν οἰωνισμοὺς ἔλεγον, ἀνετίθεντο δὲ οὗτοι Δήμητρι· σύμβολος, καὶ σύμβολον λέγεται. Spartianus, *poſt murum, apud vallum miſſum in Britannia, Severus volvens animo quid ominis ſibi occurreret, Æthiops quidam e numero militari claræ inter ſcurras famæ, & celebratorum jocorum cum corona e cupreſſu facta eidem occurrit: quem cum ille iratus removeri ab oculis præcepiſſet, & coloris ejus tactus omine, & coronæ dixiſſe ille dicitur joci cauſa*; Totum fuiſti, totum viciſti, jam Deus eſto victor.

## CAP. XLII.

### *Color purpureus, aut novus.*

AGNUS, aries, & cætera quæ novo, & inſolenti colore oriuntur, regni omen facere putantur: apud Ciceronem lib. 3. *de Natura Deorum* Atreus:

*Addo huc quod mihi portento cœleſtium Pater*
*Prodigium miſit regni ſtabilimen mei,*
*Agnum inter pecudes aurea clarum coma.*

Lamprid. in *Diadumeno*: *In agro patris ejus oves purpureas 12. ferunt natas, quarum una tantum varia fuerit*. Capitolinus *Albino*: *Huic multa imperii ſigna cum eſſet natus facta dicuntur. Nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus eſt*. Idem in *Alexandro Severo*; *Mater ejus pridie quam pareret ſomniavit ſe purpureum dracunculum parere, omina imperii hæc habuit: ovum purpurei coloris eadem die natum, qua ille natus eſt, palumbinum, anicula quædam matri ejus obtulit, ex quo quidam aruſpices dixerunt, & Imperatorem quidem illum, ſed non diu futurum*. Spartianus in *Geta*: *Statim ut Geta natus eſt, nuntiatum eſt ovum gallinam in aula purpureum peperiſſe, quod cum allatum puer Baſſianus fregiſſet, Julia dixit*, MALEDICTE PARRICIDA FRATREM TUUM OCCIDISTI. *Cum in villa cujuſdam Antonini plebeii hominis agnus natus eſſet, qui vellus in fronte purpureum haberet, eadem die, & hora qua Geta natus eſt, ferro eum adegit Severus, quod audiſſet ab aruſpice Antoninum regnaturum poſt Severum*. Capitolinus in *Maximino*: *Poſita ab eodem* (Maximino Juniore) *vitis intra annum ingentes uvas purpureas attulit, & miræ magitudinis facta eſt. Lorica patris ejus, non ut ſolet ferragine, ſed tota purpureo colore infecta a pluribus viſa eſt*. Vopiſcus de Aureliano; *Vitulum matris ejus natum miræ magnitudinis candidum maculis purpurantibus, ita ut haberet in latere uno avem, in alio coronam*. Idem in *Floriano*; *Vinum quo libaturus fuerat Tacitus in templo Herculis Fundani ſubito purpureum factum eſt. Vitis quæ uvas Amineas albas ferebat purpura ſe induit*. Virgil. ecl. 4.

*Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti*
*Murice, jam croceo mutabit vellera luto.*

Servius, *Traditur in libris Hetruſcorum ſi aries miro, & inſolito colore fuerit infectus, omnium rerum felicitatem Imperatori portendi*. Capitolinus in *Maximino*; *Cujus filio hæc omina imperii fuerunt. Cum Grammatico daretur, quædam parens ſua libros Homericos omnes purpureos dedit aureis literis ſcriptos*.



## CAP. XLIII.

### *De Leone & Lupo.*

LEO Imperii omen fecit. Lampridius in *Diadumeno*: *Cum in cunis eſſet Diadumenus, & Leo ruptis vinculis, & quidem ferus effugiſſet, atque ad cunabula ejus veniſſet, puerum delinxit, & inviolatum reliquit, cum nutrix ſe in Leonem miſiſſet, atque ejus morſu affecta periiſſet*. Vetus verbum, λέοντας ἰδεῖν δυσμενῶν δηλοῖ μάχας. Ammianus lib. 23. Leo cum incidiſſet in exercitum Juliani, militum jaculi confoſſus, Juliano mortis omen dedit. *Quod Maximino*, ait idem, *antehac Cæſari, cum Narſe Perſarum Rege jam congreſſuro, itidem Leo, & aper ingens trucidati, ſimul oblati ſunt, & ſuperata gente diſceſſit incolumis*. Arrianus auctor eſt, Leonem in Sandrocottum Indum militem gregarium victore Alexandro ſomno conſopitum incidiſſe, quem adlambens regni auſpicium eidem fecit. Xiphilinus in *Caracalla*: ἀφ᾽ οὗ καὶ διὰ θύρας τινὸς ἐξῆλθε μηδὲ τοῦ λέοντος ὃν ἀκινάκην ὠνόμασε, καὶ ὁμοτράπεζον, ὁμόκλινόν τε ἐποιεῖτο φροντίσας, ὅτι καὶ ἐκράτησεν αὐτὸν ἐξιόντα, καὶ τὴν ἐσθῆτα αὐτοῦ προσκατέρρηξε, *ex quo & per quandam januam exiit, nulla habita ratione Leonis, quem acinacem appellabat: quemque in menſam, & lectum recipiebat, qui exeuntem retinuit, ejuſque veſtem fregit*. Herodot. lib. 1. Mele Sardium Regis pellex Leonem pepererat. Telmeſſenſes prædixerunt Sardes inexpugnabiles fore qua parte Leo circumferretur. Erat rupes prærupta inexpugnabilis, circa quam Leo circumlatus non eſt. Illa parte Sardes a Mardo Cyri milite captæ ſunt. Livius lib. 3. cap. 29. *Lupos viſos in Capitolio ferunt a canibus fugatos. Ob id prodigium luſtratum Capitolium eſſe*. Lib. 41. cap. 9. *Lupus etiam Romæ interdiu agitatus cum Collina porta intraſſet per Exquilinam magno conſectantium tumultu evaſit*. Lib. 10. cap. 2. *Lupus ad Romanos fugit*. Lib. 21. cap. 46. Lupus intrat caſtra, & intactus evadit. Lib. 32. cap. 29. lib. 33. cap. 12. lib. 41. cap. 9. lib. 21. cap. 62. lib. 27. cap. 39.

## CAP. XLIV.

### *De Aſino.*

ASINUS Mario & Auguſto auſpicatus, aliis ominoſus fuit. Ammianus lib. 27. *Nova portenti ſpecies per annonariam apparuit Thuſciam, idque quorſum evaderet prodigialium rerum periti penitus ignorarunt. In oppido enim Piſtorienſi aſinus tribunali aſcenſo audiebatur deſtinatius rudens* (ſic lego, non *rugiens*) *Terentius humili genere in urbe natus, & piſtor Corrector provinciæ factus tandem periit carnificis manu*. Lib. 42. Livius cap. 20. *Aſinus tripes Calatejæ natus*. Ariſtophanis Scholiaſt. in *Avibus*, συμβολικὸς ἐρωτώμενος περὶ ἀρρώστου εἶδεν ὄνον ἐκ πτώματος ἀναστάντα, ἠκηκόει δὲ ἑτέρου λέγοντος, βλέπε πῶς ὄνος ὢν ἀνέστη, ὁ δὲ ἔφη, ὁ νοσῶν ἀναστήσεται. Marius apud Valer. lib. 1.

cap. 5. *Minturnis animadvertit asellum cum ei pabulum objiceretur, neglecto eo ad aquam procurrentem. Quo spectaculo a multitudine impetravit, ut ad mare perduceretur.* Vide Plutarchum in *Lucullo*, de Persiis, & asino.

## CAP. XLV.

*De Apro.*

APRORUM incursus inauspicatus fuit. Dio lib. 47. καὶ αὐτοῖς καθ' ἓν μετὰ πάντων αὐτῶν αὐλιζομένοις ὕδωρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ αἰφνίδιον πολὺ ἐπεγένετο. κἀν τούτῳ σύες ἄγριοι ἐς τὸ στρατόπεδον κατὰ πάσας ἅμα τὰς πύλας ἐσπεσόντες, πάντα τὰ ἐν αὐτῷ ὄντα συνέχεαν, καὶ συνετάραξαν: *Cum uno loco cum his omnibus castra Cassius locasset, repente magna vis aquæ de cœlo decidit, aprique omnibus portis simul in castra irruentes, omnia quæ in ipsis erant confuderunt, ac conturbarunt.*

## CAP. XLVI.

*De Piscibus.*

DE piscibus egimus in *Ichthyomantea*. Sueton. cap. 96. in *Augusto*; *Pridie quam Siciliensem pugnam classe committeret, deambulanti in littore piscis e mari exsiluit, & ad pedes jacuit: maris imperium ei portendi visum.* Dio lib. 45. pag. 184. inter prodigia numerat quod ἰχθῦς ἐκ τῆς θαλάσσης ἀμύθητοι κατὰ τοῦ Τιβέριδος ἐκβολὰς ἐξέπεσον: *Pisces e mari innumeri in ostia Tiberis fluvii delati sunt.* Apud Oppianum Castorides pisces sunt vocales lib. 1 ἁλιευτικῶν, quorum vox audientibus mortem prænuntiat.

Ος δὲ καὶ γῆρυν ἐν οὔασιν ἀλγινόεσσαν
Δέξηται, στυγερῆς τ' ἐνοπῆς κωκυτὸν ἀκούσῃ,
Οὐ τηλοῦ θανάτοιο τάχ' ἔσσεται:

*Qui vocem tristem auribus percipit, & odiosum clangoris gemitum audit, non procul a morte brevi erit.* Dio l. 48. Romæ terror fuit, ὅτι δελφῖνες πολλοὶ περὶ τὴν ἀσπίδα τὴν τῆς Ἀφρικῆς πόλιν ἐμαχέσαντο τε ἀλλήλοις, καὶ διεφθάρησαν, καὶ τοί καὶ αὐτοῦ πρὸς τῷ ἄστει αἷμα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ῥυὲν ὄρνιθες διεφόρησαν: *quod Delphines plures circa Clupeam Africæ urbem inter se pugnarant, & perierant, & sane etiam ibi ad urbem sanguinem de cœlo fluentem aves diripuerant.* Herodotus lib. 9. In Chersoneso οἱ τάριχοι ἐπὶ τῷ πυρὶ κείμενοι ἐπάλλοντο, καὶ ἤσπαιρον, ὅκωσπερ ἰχθύες νεάλωτοι: *pisces saliti ad ignem admoti palpitarunt, & exsilierunt, ut solent pisces.* Athenæus lib. 8. *Athenienses sacrificant Deli. Puer urnam in puteum mittit, extrahit pisces cum aqua, & effundit utraque simul, vates respondent Athenienses maris Dominos fore. In Chersoneso ad tres dies ὗσαι τὸν Θεὸν ἰχθύας, καὶ πυρὸς, pisces & frumenta pluisse.*

## CAP. XLVII.

*De Bubalis.*

BUBALI quoque ad partes inter prodigia venere. Nicetas, servus in vita Ignatii Patriarchæ Constantinop. de octava Synodo, ταύτης ἐλπιζομένης βούβαλοι ἔξωθέν ποτε ἐλαυνόμενοι κατὰ μέσης διήγοντο τῆς πόλεως, ἀθρόως δὲ θορυβηθέντες ὧδε κἀκεῖσε διεσκορπίζοντο. Εἷς δὲ αὐτῶν κατὰ τῆς μεγάλης εἰσδραμὼν ἐκκλησίας, καὶ ἔνδον τοῦ ἱεροῦ γεγονὼς ἄχρις αὐτοῦ τρέχων τοῦ ἄμβωνος κατήντησεν: *Ea Synodus cum speraretur, bubali aliunde incitati per media penetrarunt urbem, & confertim huc illuc dissipabantur tumultuantes. Unus ex iis recta currens in Ecclesiam in templo ad ipsum usque umbonem, & suggestum processit.*

## CAP. XLVIII.

*De Templis, & eorum foribus.*

FORES templorum subito sine manu hominum sponte apertæ auspicium infaustum fecere. Ita & Josephus templi fores æreas ante excidium patuisse Hierosolymis ait, quæ vix a viginti valentibus viris claudi poterant. Xenophon, ὡς οἵτε νεὼ πάντες αὐτομάτως ἀνεῴγοντο. E stridore item portæ cum reseraretur omina captarunt. Claudian. lib. 2. *de Raptu Proserp.*

*——Tunc cardine verso*
*Præsagæ cecinere fores.*

Silius Italicus lib. 4.

*Sed dirum egressis omen scelerata minaci*
*Stridentis sonitu tonuerunt limina portæ.*

Cicero lib. 1. *Divinat. Ante Leuctricum prœlium Thebis in templo Herculis valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt, armaque quæ fixa in parietibus fuerant ea humi sunt inventa.* Xiphilin. in *Nerone*: Nero *nihil movebatur prodigiis, neque sollicitus erat quod ambæ fores, & Mausolæi Augustalis, & cubiculi ipsius eadem nocte sua sponte apertæ fuerant. Neque quod in Albano tanto sanguine pluerat, ut fluvii sanguine fluerent, aut quod mare longo intervallo retrocedens ab Ægypto magnam partem Lyciæ occupaverat.* οὐδὲ ἔμελεν αὐτῷ ὅτι αἱ θύραι ἀμφότεραι αἵ τε τοῦ μνημείου τοῦ αὐγουστείου, καὶ αἱ τοῦ κοιτῶνος τοῦ ἐκείνου αὐτόμαται ἐν τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἀνεῴχθησαν. οὐδ' ὅτι ἐν τῷ Ἀλβανῷ τοσούτῳ δή τινι αἵματι ὗσεν, ὥστε καὶ ποταμοὺς ῥυῆναι. Item in *Vitellio*, πράττοντι δ' αὐτῷ ταῦτα σημεῖα πονηρὰ ἐγένετο. ὅ τε γὰρ κομήτης ἀστὴρ ἐφαντάσθη, καὶ ἡ σελήνη παρὰ τὸ καθεστηκὸς δὶς ἐκλελοιπέναι ἔδοξε, καὶ γὰρ τετάρτῃ, καὶ ἑβδόμῃ ἐσκιάσθη, &c. *Dum hæc faceret extitere sinistra prodigia. Nam & cometes apparuit, & Luna contra rationem statuti temporis bis visa est deficere: quarto enim & septimo die obscurata est: præterea ad ortum, & occasum duo Soles visi eodem tempore, quorum hic imbecillis & pallidus, ille potens, & clarus erat. Inventa quoque sunt in Capitolio multa & magna vestigia Deorum excedentium, renuntiatumque est a vigilibus ea nocte templum Jovis sua sponte cum magno fragore apertum esse, unde & nonnulli custodes exanimati terrore*, καὶ ἔλεγον οἱ στρατιῶται οἱ τὴν νύκτα ἐκείνην αὐτῷ ἐγκεκοιτηκότες ὅτι ὁ τοῦ Διὸς ναὸς αὐτόματος σὺν πολλῷ κτύπῳ ἀνεῴχθαι. Dio lib. 56. ante mortem Augusti cum Senatus indictus esset ut pro salute ejus vota nuncuparentur, τότε συνέδριον κεκλεισμένον εὑρέθη, καὶ βύας ὑπὲρ αὐτοῦ καθήμενος ἔβυξε: *curia clausa reperta est, & super ea bubo cecinit, fulmen e statua ejus in Capitolio primam nominis Cæsaris literam deleverat, ideo vates eum centesima post die Deum futurum prædixerant, quia litera C* centum *Latinis*, *Æsar Hetruscis* Deum *significat.* Lib. 7. Statius:

*Nec monstra tenent, quæ plurima nectit*
*Prodigiale canens certi sors prævia fati.*
*Quippe ferunt diros monitus, volucresque, feræque,*
*Sideraque, aversique suis decursibus amnes,*
*Infestumque tonat pater, & mala fulgura lucent.*
*Terrificæque adytis voces, clausæque Deorum*
*Sponte fores, nunc sanguineus, nunc saxeus imber,*
*Et subiti manes, flentumque occursus avorum,*
*Tunc & Apollineæ tacuere oracula Cyrrhæ.*
*Et non assuetis pernox ululavit Eleusis*
*Mensibus, & templis Sparte præsaga reclusis*
*Vidit Amyclæos facinus concurrere fratres,*

*Arcadis insanas latrare Lycaonis umbras*
*Nocte ferunt tacita, sævo decurrere campo*
*Oenomaum sua Pisa refert.*

Pag. 257. Dio, Ante mortem Vespasiani Cometes diu visus fuit, *καὶ τὸ μνημεῖον τὸ τοῦ Αὐγούστου αὐτόματον ἀνοιχθὲν*, *& monumentum Augusti sponte apertum est*. Idem lib. 44. *ὅπλα τὰ ἄρεια παρ' αὐτῷ τότε ὡς καὶ παρὰ ἀρχιερεῖ κατά τι πάτριον κείμενα ψόφον τῆς νυκτὸς πολὺν ἐποίησε, καὶ αἱ θύραι τοῦ δωματίου ἐν ᾧ ἐκάθευδεν αὐτόμαται ἀνεῴχθησαν. Arma Martis quæ more majorum apud ipsum summum Pontificem asservabantur, noctu sonitum magnum ediderunt: fores cubiculi in quo dormiebat, sponte patuerunt*. Sueton. in *Julio* cap. 8. *& Calpurnia uxor imaginata est collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi, ac subito cubiculi fores sponte patuerunt*. Capitolin. *Floriano*: *Patris sepulcrum disruptis januis se aperuit, imago Apollinis ex summo fastigio sine hominis manu in lectum ejus devoluta est*. Lamprid. in *Commodo*: *Vestigia Deorum in foro visa sunt exeuntium. Janus geminus sua sponte apertus; Herculis signum æneum in Minutia sudavit per plures dies*. Zonaras in *Adriano*, antequam Hierosolymæ ab Adriano everterentur, *τὸ μνημεῖον τοῦ Σολομῶντος ἐξ οὐδεμίας δήλης αἰτίας διελύθη, καὶ συνέπεσε, καὶ λύκοι, καὶ ὕαιναι πλεῖσται εἰς τὰς πόλεις εἰσέπιπτον.*

## CAP. XLIX.

*Ex Hominis habitu omina.*

IN homine ipso varia eveniunt mali imminentis omina, pallor, cordis salissatio, genuum trepidatio, pupularum repentina defectio. Capitolin. in *Pertinace*: *Ea die qua occisus est, negabant in oculis ejus pupulas cum imaginibus quas reddunt spectantibus visas*. Xiphilinus: *Galbæ sacrificanti puer thus obtulit, ac subito canos misit, qua ex re dictum est ab aruspicibus imperium a minore natu ad senectutem ejus esse transiturum, καὶ παῖς λιβανωτὸν αὐτῷ θύοντι προσφέρων πολιὰς ἐξαίφνης ἔφυσε*. Plinius lib. 28. cap. 6. *Augurium ex homine ipso non est timendi mortem in ægritudine, quandiu oculorum pupillæ imaginem reddunt*. Sueton. in *Galba*: *Hispaniam ingressus cum sacrificaret, puero acerram tenenti capillus toto capite repente incanuit. Responsum juveni senem successurum*. Herodot. lib. 1. Pedasensibus cum aliquid mali eventurum esset, *Sacerdos Minervæ fœmina barbam prolixam edebat, quod ter illi contigit, τότε ἡ ἱερέη ἡ αὐτόθι τῆς Ἀθηναίης φύει πώγωνα. Die qua natus Antoninus Diadumenus, pater ejus purpuras tum forte procurator jam ærarii majoris inspexit, & quas claras probavit, in id conclave redigi præcepit in quo post duas horas Diadumenus natus est. Solent deinde pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, & advocatis credulis vendunt, si quidem caussidici hoc juvari dicuntur. At iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue; ita forte ut rumpi non potuerit venis intercedentibus specie nervi Sagittarii*, ait Lampridius. Parvuli Cæsarianæ domus in testudineis alveis lavantur, prodente Capitolino. Nato Albino testudo ingens patri ejus munere piscatoris allata est, quam infantulo ad excaldationes pueriles dicavit. Id omen Albino Imperii fuit, ut Diadumeno purpura, & nativum in capite diadema. *Semestris loquutus est Crœsi filius in crepundiis, quo prodigio totum id concidit regnum*, ait Plinius lib. 11. cap. 51.

## CAP. L.

*De prodigioso plantarum exortu.*

PRODIGII loco fuit si planta aliqua sponte in alia diversi generis nasceretur, ut terebinthus in olea, laurus in platano & quercu. Teophrastus lib. 2. *de causis plant.* cap. 4. *φασὶ δὲ καὶ αὐτομάτην τινὰ γίνεσθαι τῶν τοιούτων μεταβολήν, ὅτε μὲν τῶν καρπῶν, ὅτε δὲ καὶ ὅλως αὐτῶν τῶν δένδρων, ἃ καὶ σημεῖα νομίζουσιν οἱ μάντεις*, &c. *Fortuitam quoque mutationem fieri ajunt interdum fructuum, nonnunquam omnino & arborum ipsarum, quæ aruspices ostenta esse existimant. Exempli gratia si punicum acidum edat dulce, & dulce acidum. Si vitis fructum absque foliis producat, olea item foliis amissis fructum ferat. Quod & Thessalo Pisistrati filio accidisse proditum est*. Plinius lib. 17. cap. 25. *ficum in lauro sponte natam*. Aristoteles lib. 9. *de Histor. Animal.* visam in cornibus cervi virentem hederam. Plinius eodem capite prodit, Trallibus palmam in basi Cæsaris Dictatoris enatam circa bella civilia, & Romæ in Capitolio bello Persei bis palmam exortam quæ victoriam portenderet. Idem lib. 24. cap. 19. auctor est herbam in capite statuæ natam, collectamque alicujus in vestis panno, & alligatam in lino rufo capitis dolorem confestim sedare. Marcellus cap. 1. *Herba in capite cujuslibet statuæ nasci solet, ea decrescente Luna sublata, capitique circumligata dolorem tollit, hemicraniæ etiam efficaciter medetur, si in panno rufo, lino rufo ligata capiti, vel temporibus alligetur*. Theophrast. de olea quæ a Persis in Acropoli Athenis exusta eadem die repullulavit, *ἐλαία ποτὲ προκαυθεῖσα τελείως ἀνεβλάστησεν ὅλη καὶ αὐτὴ καὶ ἡ θάλεια. ἐν δὲ τῇ Βοιωτίᾳ καταβρωθέντων τῶν ἔργων ἐπὶ ἀττελέβων πάλιν ἀνεβλάστησε, olea penitus aliquando adusta regerminaverat tota, & surculi ejus. In Bœotia germinibus omnibus a locustis derosis iterum germinavit*.

## CAP. LI.

*De Incendio prodigioso.*

INCENDIA quoque ad auguria trahuntur si crebra sunt. Xiphilinus: Ante Commodi mortem *ἀετοί τε γὰρ περὶ τὸ Καπιτώλιον πολλοὶ καὶ ἔξεδροι ἐπλάνωντο προσεπιφθεγγόμενοι οὐδὲν εἰρηναῖον, καὶ βύας ἀπ' αὐτοῦ ἔβυξε. πῦρ τε νύκτωρ ἀρθὲν ἐξ οἰκίας τινὸς, καὶ εἰς τὸ εἰρηναῖον ἐμπεσὸν τὰς ἀποθήκας τῶν τε Αἰγυπτίων, καὶ τῶν Ἀραβίων φορτίων ἐπενείματο, ἔς τε τὸ παλάτιον μετεωρισθὲν εἰσῆλθε*, &c. *Aquilæ circa Capitolium multæ, & inauspicatæ errabant, pacem cantu suo nullam significantes fore; itemque bubo in eodem Capitolio cecinit. Præterea incendium de nocte excitatum in quibusdam ædibus ab templum pacis pervenit, consumptisque tabernis, in quibus erant merces Ægyptiorum, & Arabum, invasit in palatium, ubi adeo exusta sunt multa, ut libelli qui ad principatum pertinebant omnes fere conflagrarint*. Incendium mirabile commemorat cum terræ motu Cedrenus pag. 300. sub Justino Imperatore: *Edessa diluvio Scirti amnis, quo interluitur afflicta est: quarta die Octobris Antiochiæ incendium media nocte exortum duravit dies sex, multasque domos, & homines absumpsit. Tota pene urbs terræ motu prostrata cives obruit, obrutosque ignis e terra erumpens hausit*. Xiphilinus in *Caracalla*: Ante mortem Caracallæ Alexandriæ *πῦρ ἐξαίφνης πολὺ πάντα τὸν τοῦ Σεράπιδος ναὸν ἔνδοθεν καταχὸν, ἄλλο μὲν οὐδὲν*

λυμήνατο, τὸ δὲ δὴ ξίφος ἐκεῖνο ᾧ τὸν ἀδελφὸν ἀπεσφάκει, μόνον ἔφθειρε, *ignis derepente ingens omne Serapidis templum intus comprehendit, nec aliud quam ensem quo fratrem occiderat, corrupit*. Dio lib. 48. ἡ σκηνὴ ἡ τοῦ Ῥωμύλου ἐξ ἱερεργίας τινὸς, ἣν οἱ Ποντίφικες ἐν αὐτῇ ἐπεποιήκεσαν ἐκαύθη, καὶ ἀρετῆς ἄγαλμα πρὸ πυλῶν τινῶν ἑστὸς ἐνέπεσεν ἐπὶ στόμα. *Cella Romuli cum in ea Pontifices sacrificium fecissent conflagravit, & virtutis simulacrum pro foribus quibusdam erectum in os collapsum est, ac quidam furore matris Deum correpti*, κάτοχοί τινες ἐκ τῆς τῶν Θεῶν μητρὸς, *irasci populo Divam dixerunt*. Lib. 50. συχνὰ δὲ καὶ ἀπὸ πυρὸς ἐφθάρη, καὶ προσέτι καὶ ἐκ τῆς Αἴτνης πλεῖστον τε ἐῤῥύη, καὶ πόλεσι, καὶ χώραις ἐλυμήνατο. Item, καὶ πῦρ ἄλλα τε οὐκ ὀλίγα, καὶ αὐτοῦ τοῦ ἱπποδρόμου πολὺ τότε δημήτειον, καὶ ἕτερον ναὸν ἐλπίδος ἔφθειρεν; *multa igni consumpta sunt, ad hæc ex Aetna multus ignis fluxit, & urbes ac regiones vastavit*. Appianus lib. 1. *Civilium*; Antequam Sylla sæviret, ἡμίονος ἔτεκε, καὶ γυνὴ κύουσα ἔχιν ἀντὶ βρέφους ἐξέδωκε, τήν τε γῆν ὁ Θεὸς ἐπὶ μέγα ἔσεισε, καὶ νεώς τινας ἐν Ῥώμῃ κατήνεγκε. τότε Καπιτώλιον ἐνεπρήσθη, καὶ τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει. Herodianus l. 1. *Extitere ea tempestate etiam quædam* διοσημίαι, *de cœlo prodigia, stellæ enim perpetuo apparuerunt, aliæ in longum productæ quasi in medio aere suspensæ viderentur*. ζῶά τε παντοῖα, καὶ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν μὴ τηροῦντα σχήμασί τε ἀλλοδαποῖς, καὶ μέρεσι σώματος ἀναρμόστοις πολλάκις ἀπεκυήθη. οὔτε ὄμβρου πρὸ ὑπάρξαντος, οὔτε νεφῶν ἀθροισθέντων, σεισμοῦ δὲ ὀλίγου, προγενομένου γοῦν εἴτε σκηπτοῦ νύκτωρ κατενεχθέντος, εἴτε καὶ πυρὸς ποθὲν ἐκ τοῦ σεισμοῦ διαῤῥυέντος πᾶν τὸ τῆς εἰρήνης τέμενος κατεφλέχθη μέγιστον, καὶ κάλλιστον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων. καταφλέξαν δὲ τὸ πῦρ τόν τε νεὼν, καὶ πάντα τὸν περίβολον, ἐπενεμήθη, καὶ τὰ πλεῖστα τῆς πόλεως, καὶ κάλλιστα ἔργα. *Inter quæ etiam Vestæ templum, sicut Palladium quoque nudum conspicerent. Quippe raptum id Virgines Vestales media sacra via in aulam Imperatoris transtulerunt. Multæ aliæ urbis partes combustæ, nec prius sedatum incendium, quam repentinis imbribus extingueretur*. Herodianus lib. 8. *Animantia omnis generis naturam suam mentita, figuris alienis, & partibus corporis absurdis sæpe sunt edita. Cum autem neque imber ante fuisset, neque nubes densatæ essent, terræ tremore minimo præeunte, sive fulmine nocte ruente, sive igne, ex terræ motu, templum pacis arsit*.

C A P. LII.

*Feriæ Latinæ.*

FERIÆ Latinæ si alieno tempore fierent, ominosum fuit, aut si Consules ante eas in bellum exirent. Dio lib. 46. Ante cladem Pansæ ad Mutinam Consules ante ferias Latinas profecti sunt, quod quotiescunque factum fuit, cladem semper acceperunt. οὐ γάρ ἐστιν ὁπότε, τούτου γενομένου καλῶς ἀπηλλάξαν. Lib. 4. Ante Pompeii cladem πολίαρχος οὐδεὶς εἰς τὰς ἀνοχὰς, ὥσπερ εἴθιστο, ᾑρέθη, ἀλλ' οἱ στρατηγοὶ πάντα τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ διῴκησαν; *Præfectus urbis nullus feriis celebrandis eo anno constitutus fuit, ut more erat receptum, sed omnia quæ ejus officii erant prætores administrarunt*. Dio lib. 48. Romæ terror fuit ἐπειδὴ ἐν τῇ πανηγύρει τῇ τῶν Ῥωμαίων οὐδεὶς τῶν βουλευτῶν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ὥσπερ εἴθιστο, εἱστιάθη, ἐν τέρατος λόγῳ καὶ τοῦτο ἔλαβον. *Quia ludis Romanis nullus Senator in Capitolio, ut moris fuerat, convivio exceptus est, quod monstri loco fuit*. Lib. 45. καὶ ἐπειδὰν τοῦ Ιουλίου τὰ ἐστιτήρια τῇ νουμηνίᾳ θύοντος, ῥαβδοῦχός τις αὐτοῦ ἔπεσεν ἐξαίφνης, καὶ ἀπέθανε. *Et quia Julio Kalendis sacrificante lictor quidam ejus subito cecidit, atque expiravit*. Hic locus corruptus esse videtur. Julius enim jam aliquot ante annis necatus erat. Videtur pro Ἰουλίου, legendum, Ἱρτίου, *Irtii*, qui eo anno cum Cajo filio consul erat, ut ibidem docet Dio pag. 184. *Irtio igitur rem divinam Kalendis Januariis auspicalem faciente, subito lictor ejus concidit & mortuus est*. Lib. 47. ἔν τε γὰρ ταῖς ἀνοχαῖς ὁ πολολίαρχος τὰ λατινεῖα οὔτ' ἄλλως προσήκοντα αὐτῷ οὔτ' ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ γίγνεσθαι εἰωθότα ἐποίησε. *Cum essent feriæ, præfectus urbi Jovi Latiari solemne sacrum fecit, cum neque sui muneris id esset, neque eo tempore fieri consueverit. Aediles plebis Cereri pro ludis equestribus gladiatorios ediderunt*. Lucanus lib. 1.

*—— Vestali captus ab ara*
*Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas*
*Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit*
*Thebanos imitata rogos.*

C A P. LIII.

*Nundinæ.*

NUNDINÆ si alieno tempore agerentur, dirum fuit. Dio lib. 40. καὶ ἡ ἀγορὰ ἡ διὰ τῶν ἐννέα ἀεὶ ἡμερῶν ἀγομένη, ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Ιανουαρίου νουμηνίᾳ ἤχθη. καὶ τοῦτό τε αὐτοὺς ὡς οὐκ ἀπὸ ταυτομάτου συμβὰν. ἀλλ' ἐν τέρατος λόγῳ γενόμενον ἐθορύβει, καὶ ὅτι βύας ἐν τῇ πόλει καὶ ὤφθη, ἄγαλμά τέ τι ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἵδρωσε, καὶ λαμπὰς ἐκ τῶν νοτίων πρὸς ἀνατολὰς διέδραμε, καὶ πολλοὶ μὲν κεραυνοὶ, πολλοί τε καὶ βῶλοι, λίθοι τε καὶ ὄστρακα, καὶ αἷμα διὰ τοῦ ἀέρος ἠνέχθη. *Nundinæ quæ nono quovis die celebrantur ipsis Calendis Januariis actæ sunt. Cum hoc prodigii rationem haberet, Romani territi sunt, tum quod bubo visus erat, totoque triduo simulacrum quod sudaverat, faxque a meridie ad ortum transcurrerat, multa fulmina deciderant, sæpius glebis, lapidibusque & testis pluerat*. Ante cædem Clodii per Milonem lib. 45. τότε φῶς τοῦ ἡλίου ἐλαττοῦσθαι καὶ σβέννυσθαι, τότε δὲ ἐν τρισὶ κύκλοις φαντάζεσθαι ἐδόκει, καὶ ἕνα γε αὐτῶν στέφανος σταχύων πυρώδης περιεῖχεν ὥσπερ τι ἄλλο καὶ τοῦτο ἐναργέστατα αὐτοῖς ἐκβῆναι. *Lumen solis minui, extingui visum, & in tribus circulis existere, quorum unus coronam habuit ex spicis tritici. Quod res ipsæ manifesto paulo post probarunt, Octavius vicit.*

C A P. LIV.

*De Sonitu Armorum, Cymbalorum.*

DIO lib. 51. Antequam Ægyptus in provinciæ formam a Romanis redigeretur, prodigia multa facta. ὗσε γὰρ οὐχ ὅπως ὕδατι ἔνθα μηδὲ ἐψέκασέ ποτε, ἀλλὰ καὶ αἵματι. ταῦτα ἅμα ἐκ τῶν νεφῶν ἐξέπιπτε, καὶ ὅπλα παρεφαίνετο, κτυπήματά τέ τινα ἑτέρωθι καὶ τυμπάνων καὶ κυμβάλων, καὶ βοήματα, καὶ αὐλῶν, καὶ σαλπίγγων ἐγίγνετο. *Pluit non aqua ubi nunquam ros visus fuerat, aut stilla tenuis, sed sanguine, & simul arma in nubibus apparuerunt, & sonitus ab alia parte tympanorum, cymbalorum, & tibiarum, ac tubarum voces. Draco quidam immensæ magnitudinis, repente apud Aegyptios visus immensum sibilavit, apparueruntque eo tempore cometæ, &* εἴδωλα νεκρῶν, *mortuorum imagines, simulacraque tristitiam præ se tulerunt, & Apis lugubrem mugitum ac lacrymas edidit*. Lib. 42. Die prælii Pharsalici, ἐν Περγάμῳ τυμπάνων τέ τινα, καὶ κυμβάλων ψόφον ἐκ τοῦ Διονυσίου ἀρθέντα διὰ πάσης τῆς πόλεως χωρῆσαι. *Pergami tympanorum, cymbalorumque sonitus a fano Bacchi ortus totam urbem pe-*

ragravit. Trallibus in templo Victoriæ palma enata est, ipsaque Dea ad simulacrum Cæsaris, cui ex obliquo collata fuerat, se obvertit. L. 43. οἱ μὲν γὰρ ἱδρῶτες τῶν ἀγαλμάτων καὶ αἱ ἠχαὶ τῶν στρατοπέδων, τά τε ζῶα ἃ πολλὰ παρὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν ἐγεννήθη, sudores simulacrorum, sonitus in aere exercituum, & animalia multa præter naturam genita sunt, face ab ortu in occasum trajiciente. Ante Philippensem pugnam, ut Dio l. 47. σαλπίγγων ἠχαί, ὅπλων τε κτύποι καὶ στρατοπέδων βοαὶ νυκτὸς ἔκ τε τῆς τοῦ Καίσαρος, καὶ ἐκ τῆς τοῦ Ἀντωνίου κήπων ὁμοχώρων ἀλλήλοις παρὰ τῷ Τιβέριδι ὄντων, ἠκούοντο, tubarum sonitus & armorum, exercituum clamores nocte ex hortis Cæsaris, & Antonii qui erant ad Tiberim in eadem regione auditi. Tibul. lib. 2.

*Atque tubas, atque arma ferunt trepidantia cœlo*
*Audita, & lucos præcinuisse fugam.*

Virgilius:

*Armorum sonitus toto Germania cœlo*
*Audiit.*

Appian. 4. *Civil.* τέρατα, καὶ σημεῖα ἐν Ῥώμῃ πολλά, καὶ φοβερὰ ἦν. κύνες τε γὰρ ὠρύοντο ὁμαλῶς οἷα λύκοι, σύμβολον ἀηδές, καὶ λύκοι τὴν ἀγορὰν διέθεον οὐκ ἐπιχωριάζον ἐν πόλει ζῶον. βοῦς τε φωνὴν ἀφῆκεν ἀνθρώπου, καὶ βρέφος ἀρτίτοκον ἐφθέγξατο, καὶ τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρου, τὰ δὲ καὶ αἷμα ἵδρου, ἀνδρῶν τε μεγάλαι βοαί, καὶ κτύπος ὅπλων, καὶ δρόμος ἵππων οὐχ ὁρωμένων ἠκούετο, ἀμφί τε τὸν ἥλιον ἀηδῆ σημεῖα πολλά, καὶ λιθώδεις ἐγίγνοντο ὑετοί, καὶ κεραυνοὶ συνεχεῖς εἰς ἱερά, καὶ ἀγάλματα ἐπιπτον. *Portenta, & signa Romæ multa, & terribilia erant. Canes enim ululabant æquabiliter ut lupi, signum injucundum, & lupi per forum discurrebant, insolens in urbe animal. Bos vocem hominis edidit, & infans recens natus loquutus est, & simulacrorum quædam sudabant, quædam sanguine sudabant, & hominum ingentes clamores, & sonitus armorum, & cursus equorum qui non videbantur auditus, & circa Solem tristia multa, & pluviæ lapidum, & fulmina continua in templa, & simulacra Deorum ferebantur.* Dæmon Eurynomus apud Pausaniam in *Phocicis* apparet. Item pueri nigri cirrati apud Augustinum lib. *de Civitate* 22. cap. 8. Pausanias in *Atticis*, varias voces, & clamores, armorumque sonitus auditos Marathone post pugnam cum Persis ait. Ante pugnam Leuctricam in templo Herculis varia visa, variæ voces, apud Ciceronem lib. 1. *de Divinat.* Item ante pugnam cum Cimbris, apud Plinium lib. 2. cap. 59. Tum ante bellum Syllanum, apud Appianum lib. 1. *Civil.* Ante prælium Pharsalicum, apud Cæsarem lib. 1. *Civilium*. Ante mortem Cæsaris Dictatoris domi ejus, apud Dionem.

## CAP. LV.

### *De Omine mali imminentis.*

MALORUM imminentium frequentia esse omina putant. Claudianus lib. 3. *de raptu Proserpinæ*, de Cerere loquens,

*—Nullusque dies non triste minatur*
*Augurium, quoties flaventia serta comarum*
*Sponte cadunt, quoties exsudat ab ubere sanguis.*
*Larga vel invito prorumpunt lumina fletu,*
*Injussæque manus mirantia pectora tundunt.*
*Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt,*
*Tympana si quatiam, planctum mihi tympana reddunt,*
*At vereor ne quid portendant omina veri.*

In *Messeniacis* Pausanias, *Messenii taurum ferum* ἐναγίζοντες, *immolaturi, adducunt ad monimentum Aristomenis. & alligant ad columnam quæ ei posita est, quam si ita commoverit, ut contremiscat,* αἴσιον, *& auspicatum arbitrantur, si non concutiat, inauspicatum.*

## CAP. LVI.

### *De Pugnis.*

PUGNÆ ludicræ & insperatæ, sæpe omen fecere. Dio lib. 50. Pueri Romæ δίχα γενόμενοι συνέμιξαν ἀλλήλοις ἐπὶ δύο ἡμέρας, οἱ μὲν Ἀντωνεῖοι, οἱ δὲ Καισάρειοι σφᾶς ἐπικαλέσαντες, καὶ ἡττήθησαν οἱ τὸ Ἀντωνίου ὄνομα φέροντες, *in duas partes divisi inter se duos dies depugnarunt, alii Antonianos se appellantes, alii Cæsarianos, victi sunt Antoniani.* Plutarchus in *Sylla*, paulo ante quam Sylla trajiceret, in Campania propter Hephæsteum montem hirci duo interdiu visi confligere, omniaque facere & pati quæ viri in pugna solent, ἦν δὲ ἄρα φάσμα, καὶ κατὰ μικρὸν αἰρόμενον ἀπὸ γῆς διεσπείρετο πολλαχοῦ τοῦ ἀέρος εἰδώλοις ἀμαυροῖς ὅμοιον, εἶτα τέλος ἠφανίσθη, *erat autem visum, quod sensim a terra sublatum spargebatur in diversas aeris partes obscuris simulacris simile, demum evanuit.* Procopius l. 2. *Gotth. Duo pastores ut augurarentur victoriam, duos arietes inter se committunt; alteri Vittigis, alteri Bellisarii partes attribuunt. Aries Vittigis ab altero necatus, & ex arbore suspensus. Vitiges ipse ex arbore suspensus est.* Pausanias in *Messen.* Antequam Messena exscinderetur a Lacedæmoniis, *simulacrum æreum dimisit clypeum,* ἄγαλμα θέαμα χαλκοῦν παρῆκε τὴν ἀσπίδα, *canes ululantes egressi urbe ad Lacedæmonios se receperunt. Duo arietes ad aras sponte concurrentes inter se non exspectato sacrificio se mutuo vulnere confoderunt.* Appianus l. 2. *Civilium*, τὰ δ' οὖν ὁ Πομπήϊος προλαβεῖν ἐπειγόμενος ἐς μάχην διεσκευασμένος ἐπῄει, καὶ δύο αὐτοῦ στρατιωτῶν ἐν μέσῳ τοῦ ποταμοῦ ἐρευνωμένων ᾗ μάλιστα εἴη διάβατος, τις Καίσαρος εἰς τοὺς δύο ἀνεῖλε. *Hæc autem Pompejus ante capere festinans, ad pugnam instructus incedebat, & ex ejus militibus cum duo vadum fluvii tentarent, unus Cæsaris miles utrumque interemit. Pompejus non differendum ratus in Cæsarem instructam aciem ducebat.*

## CAP. LVII.

### *De Omine Mortis.*

MULTA omina mortes Principum præcurrere solent. Dio lib. 60. mors Claudio portendi visa, ὅτι ἐξ ἁπασῶν τῶν ἀρχῶν εἷς ἀφ' ἑκάστης ἐτελεύτησεν, *quod ex omnibus magistratibus unus aliquis eo anno mortuus est.* Capitolin. in *Maxim. Mortis hæc omina fuerunt: venienti contra Maximum & Balbinum Maximino cum filio mulier quædam crinibus passis occurrit lugubri habitu, & exclamavit*, Maximini, Maximini, *neque quicquam amplius dixit, & mortua est.* Herodot. lib. 6. φιλέει δέ πως προσημαίνειν εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλει, ἢ ἔθνεϊ ἔσεσθαι, καὶ γὰρ Χίοισι πρὸ τούτων σημήϊα μεγάλα ἐγένετο. τοῦτο μέν σφι πέμψασι ἐς Δελφοὺς χορὸν νεηνιέων ἑκατὸν δύο μοῦνοι τούτων ἀπενόστησαν, τοὺς δὲ ὀκτὼ καὶ ἐνενήκοντα αὐτέων λοιμὸς ὑπολαβὼν ἀπήνεικε. τοῦτο δὲ ἐν τῇ πόλει τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον ὀλίγον πρὸ τῆς ναυμαχίης παισὶ γράμματα διδασκομένοισι ἐνέπεσε ἡ στέγη ὥστε ἀπὸ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι παίδων εἷς μοῦνος ἀπέφυγε: *Solet autem Deus præsignificare quando urbi aut genti ingentia mala futura sunt. Chiis enim ante cladem magna signa fuere. Cum enim centum juvenes misissent ad oraculum, duo soli redierunt, pestis nonaginta octo abstulit. Paulo ante navale prælium in urbe tectum eodem tempore incidit in pueros in ludo literario occupatos, sicut ex centum & viginti unus tantum evaserit.* Vide ubique apud Suetonium, Tacitum, Capitolinum & alios signa Imperii, & mortis.

## CAP. LVIII.

### *De Simulacris.*

DE simulacris quæ sponte conversa sunt supra egimus. Ante pugnam Actiacam *εἰκών τις Αντωνίυ ἐν τῷ Αλβανῷ παρὰ τῷ Διὶ ἀνακειμένη λιθίνη ὖσα αἷμα πολὺ ἀνεῖκε. Statua Antonii in Albano juxta Jovem posita, multum sanguinem misit*: apud Dionem lib. 50. *Hirundines circa tentorium Cleopatræ, & in prætoria navi ipsius nidificarunt, ex cera lac, sanguisque profluxerant, τάς τε εἰκόνας αὐτῶν, ἃς οἱ Αθlωαῖοι ἐν τῇ ἀκροπόλει τὸ τῶν Θεῶν σχῆμα ἐχύσας, ἔςησαν, κεραυνοὶ ἐς τὸ θέατρον κατήραξαν, & statuas eorum, quas Athenienses in Acropoli habitu Deorum posuerant fulmina in theatrum dejecerant.* Lib. 56. Ante cladem Vari *Templum Martis in Campo Martio fulmine ictum fuerat, & locustæ multæ in ipsam urbem devolantes ab hirundinibus consumptæ. Alpium vertices inter se committere, tresque igneas columnas emisisse visi, cœlum sæpius arsit: multi simul Cometæ effulserant, hastæ a Sepentrione latæ in Romanorum castra decidere existimatæ. Circa aras eorum apes ceram finxerant, καὶ νίκης τι ἄγαλμα ἐν τε τῇ Γερμανίᾳ ὂν, καὶ πρὸς τlὼ πολεμίων βλέπων πρὸς τlὼ Ιταλίαν μετεςράφη.* Augustinus lib. 3. *de Civitate: Neque enim Apollo ille Cumanus cum adversus Achæos, regemque Aristonicum a Romanis bellaretur, quatriduo flevisse nuntiatus est.* Capitolinus in *Antonino Philosopho: In Saliatu omen accepit Imperii. Coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus, aliæ aliis locis hæserunt, hujus velut manu capiti Martis aptata est.* Sozomen. lib. 7. cap. 23. *Nocte quæ seditionem Antiochenorum præcessit, visa mulier ingens, & formidabili aspectu scutica tam fortiter se verberans, ut tota urbe sonus exaudiretur.* Theodor. Lector lib. 1. *collectaneor. Gennadio Patriarchæ Constantinop. noctu ad altare accedenti horrendum spectrum se obtulit, quod cum ille sacro ritu conjurasset se mortuo eo sævissime in Ecclesias grassaturum dixit.* Victor Uticensis lib. 2. *persecut. Vand. Priusquam Hunnericus vexaret orthodoxos Africæ super monte Ziqueno visus gigas clamans, egredimini, egredimini, & in æde Fausti Charthagine visi Aethiopes sanctos Ecclesiæ fugantes.*

---

## CAP. LIX.

### *De Tubicinibus.*

ZONARAS in *Anastasio*, sub quo *κόρακες προϊόντων* [sic: *προϊoμένων*] *αὐτῶ ὑπεριπτάμενοι, καὶ προηγύμενοι, καὶ οἱ σαλπικταὶ ἀντ' ἐνυαλίυ ἠχῆς περιπαθές τι, καὶ θρlωῶδες ἠχήσαντες, corvi militibus procedentibus supravolantes, & præeuntes, & tubicines cum bellicum canere vellent, lugubre quiddam & funebre canentes.*

---

## CAP. LX.

### *De Stellis cadentibus.*

STELLÆ cadentes sunt ignis ætherii *ἀπόρροιαι*, ac scintillæ, quos *διάττοντας, καὶ διαθέοντας ἀςέρας* vocant, *transilientes, & transcurrentes ignes*. Theocrit. Idyl. 3.

*Ως ὅτε πυῤῥὸς ἀπ' ὠρανῶ ἤριπεν ἀςήρ.*

*Ut quando rutilum e cœlo astrum cecidit.* Transversæ quæ dicuntur stellæ transvolant, & secant aera, ut Aristoteles lib. 1. *Meteor.* Seneca lib. 1. *Natur. quæstion.* Lucretius;

*Non cadere in terram stellas, non sidera cernis.*

Stellas cadentes inter prodigia fuisse docet Lucanus lib. 1.

A *——— lapsa per altum*
*Aera dispersos traxere cadentia sulcos*
*Sidera. ———*
*——— Summis etiam quæ fixa tenentur*
*Astra polis sunt visa quati. ———*

Aristot. lib. 1. cap. 4. 5. *Meteor. ἐὰν δὲ τὰ μήκη τῆς ἀναθυμιάσεως κατὰ μικρά τε καὶ πολλαχῆ διεσπαρμένα ᾖ, καὶ ὁμοίως κατὰ πλάτος, καὶ μέγεθος, οἱ δοκῦντες ἀςέρες διάττειν γίνονται.* Plinius lib. 2. cap. 8. Ammianus lib. 25. *flagrantissimam facem similem visam aeris parte sulcata evanuisse existimavit.* Philostrat. lib. 8. *Apollon.* cap. 9. *ἐπεῖχε τὸν ὐρανὸν διοσημία τοιαύτη, τὸν τῦ ἡλίυ κύκλον περιελθὼν ςέφανος ἐοικὼς ἴριδι τlὼ ἀκτῖνα ἠμαύρυ. ὅτι μὲν δὴ ἐς νεώτερον ἡ*
B *διοσημία ἔφερε δῆλα lὼ πᾶσιν.* Plinius lib. 2. cap. 36. *stellarum discursus* vocat. Signum de cœlo tale servatum, corona Solis circulum ambiens similis Iridi ejus radium obscuravit, quod novi aliquid portendere visum. Dio lib. 45. *τὺς δὲ ἄλλυς ἐτάραττε καὶ σεισμὸς μέγας γενόμενος. ταῦρος τέ τις τυθεὶς τε δι' αὐτῶν ἐν τῷ ἑςιαίῳ, καὶ ἀναπηδήσας μετὰ τlὼ ἱερυργίαν,* &c. *λαμπὰς ἀπ' ἀνίσχοντος ἡλίυ πρὸς δυσμὰς διέδραμε, καί τις ἀςὴρ καινὸς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὤφθη. Alios turbavit terræ tremor ingens, & taurus immolatus ab ipsis in æde Vestæ, & post sacrificium exsiliens lampas ab ortu occasum trajecit, & novum sidus multos dies fulsit. ἑςιαῖον est Vestæ templum.* Ovidius:

C *——— De cœlo lapsa sereno*
*Quæ si non cecidit potuit cecidisse videri.*

Plinius lib. 2. cap. 35. *Scintillam e stella cadere, & augeri terræ appropinquantem, ac postquam Lunæ magnitudine facta sit, illuxisse seu nubilo diei, dein cum in cœlum se reciperet lampadem factam semel unquam proditur, Cn. Octavio, C. Scribonio Consulibus.* Cicero lib. 1. *Divinat.*

*Nam primum astrorum volucres te Consule motus,*
*Concursusque graves stellarum ardere cometas,*
*Multaque misceri nocturna strage putasti,*
*Cum claram speciem concreto lumine Luna*
*Abdidit, & subito stellanti nocte perempta est.*
D *Quid vero Phœbi fax tristis nuntia belli,*
*Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat?*
*Præcipites cœli partes obitusque petisset.*

Plinius lib 2. *vulgus existimat aliquem exstingui cum stella decidua:* verum *non tanta cœlo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor. Cum decidere videntur, id fit nimio alimento tracti humoris, sicuti luminibus accensis id ex liquore olei notamus accidere.* Græci *ἀποῤῥοίας* vocant defluxus quosdam aerios qui ad terram delabentes stellarum casus imitantur. *Anagniæ sparsi primum ignes in cœlo, dein fax ingens arsit. Frusinone arcus Solem tenui linea amplexus, circulum deinde ipsum major Solis orbis extrinsecus inclusit,* ait Livius lib. 30. cap. 2. Eutropius, Constantini
E magni *τελεῦτlὼ πρὸ ἄλλυ τινὸς ἀγγέλυ τοῖς πανταχῦ κομήτης ἀςὴρ ἐμlώυσεν ἐπὶ πολλαῖς ἀνίσχων τῆς ἡμέραις, mortem ante alios nuntius omnibus enuntiavit Cometa per complures dies exoriens.* Plinius lib. 2. *Cometas crinitos, horrentes crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispidos, Pogonias, Acontias, Xiphias, Disceos, Pithetas, Lampadias, Ceratias, Hippeos. Cometes terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio Consule, iterumque Pompeii & Cæsaris bello. In nostro vero ævo circa veneficium quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde princi-*
F *patu ejus, assiduum prope, ac sævum. Cometes in uno totius orbis loco colitur, in templo Romæ, admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri genitrici, non multo post obitum patris Cæsaris, in collegio ab eo instituto.* Consulendus Seneca lib. 6. *Natural. quæstionum* cap. 17.

## CAP. LXI.

*De Avibus carnivoris.*

AVES carnivoras observatas inter prodigia ostendimus. Florus lib. 4. Ante pugnam Philippensem *omnes assuetæ cadaverum pabulo volucres castra, quasi jam sua, circumvolabant, & in aciem prodeuntibus Aethiops obvius nimis aperte ferale signum fuit, ipsique Bruto per noctem atra quædam imago se obtulit & quæ esset interrogata,* tuus, *inquit,* malus genius. *Hoc dixit, & sub oculos mirantis evanuit.*

## CAP. LXII.

*De Terrore, & Planctu.*

PANICUS terror, & planctus insperatus inauspicatus fuit. Florus lib. 4. *Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia: fuga victimarum, apum examina, insignes interdiu tenebræ, dux ipse, & nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circum sonare, & mane cum pullo amiculo nefas apud principia conspectus est.* Seneca in *Troade*:

*Omen tremisco misera feralis loci.*

In *Thyeste.*

*Modo inter illa quæ putant cuncti aspera*
*Fortis fui, lætusque, nunc contra in metu*
*Animus hæret, ac retro cupit corpus referre.*
*Moveo nolentem gradum, placet ire, pigris*
*Membra sed genibus labant, alioque quam quo*
*Nitor abductus feror.*

Tibullus:

*Et simulacra Deum lacrymas fudere.*

Silius lib. 8.

*—— lacrymæque vetusta*
*Effigie patris late fluxere Quirini.*

Julius Obseq. lib. *de Prodig. L. Aemilio Paulo, & Cn. Bæbeo Pamphilo Coss. Lanuvii Junonis Sospitæ simulacrum lacrimasse. Actio Claudio & M. Perpenna Coss. Apollinis effigiem per quatriduum flevisse.* Seneca *Thyeste.*

*Sed quid hoc? Non vult manus*
*Parere, crescit, pondus, & dextram gravat,*
*Admotus ipsis Bacchus a labris fugit.*

Idem in *Hercule furente*:

*—— post reditus quoque*
*Oberrat oculis turba feralis meis.*
*Pudet fateri, paveo, nescio quid mihi*
*Animus grande præsagit malum.*

In *Thyeste* act. 5.

*Quid flere jubes, nulla surrexit dolor*
*Ex causa, vernæ capiti fluxere rosæ.*

## CAP. LXIII.

*De Hastis Martiis, & Ancilibus motis.*

PRODIGII loco fuit si hastæ Martis commoverentur, sive id Romæ, sive in Municipiis fieret. Gellius lib. 4. cap. 6. *Senatusconsultum factum est Marco Antonio, Aulo Posthumio Consulibus, quod Julius Pontifex nuntiavit hastas Martias movisse, uti Marcus Consul hostiis majoribus Jovi, & Martii procuraret.* Livius lib. 24. cap. 10. *Hastam Martis sua sponte promotam: infantem in utero matris in Marrucinis,* Io Triumphe *clamasse.* Lib. 21. *Hastam Lanuvii se commovisse.* Sed & si Ancilia sponte moverentur inter prodigia est adnotatum. Livius in Epito. lib. 68. *Ante bellum Cimbricum Ancilia mota.* Julius Obsequens lib. *de Prodigiis, Ancilia cum crepitu sua sponte mota. Hastæ Martis in regia sua sponte motæ.*

## CAP. LXIV.

*De Nidis Corvorum & aliarum avium.*

AVES sicubi nidificarentur, vulgo dirum fuit. Livius lib. 34. cap. 10. *Lanuvii in æde intus Sospitæ Junonis corvos nidum fecisse. In Apulia palmam viridem arsisse. Mantuæ stagnum effusum Mincio amni cruentum visum, & Calibus creta, & Romæ in foro Boario sanguine pluisse.* Libro 27. cap. 4. *Aves in ludo Dianæ nidos in arboribus reliquerunt.* Lib. 21. cap. 62. *Corvos in ædem Junonis volasse.* Lib. 10. cap. 42. *Corvum ante Consulem Lucium Papirium occinuisse.*

# JULII CÆS. BULENGERI
## DOCTORIS THEOLOGI
# DE TERRÆ MOTU,
## ET FULMINIBUS
## LIBER V.

### CAPUT PRIMUM.

*De Terræ motu, & hiatu.*



TERRÆ motus & inauspicati, & urbibus ac provinciis sæpe exitiales fuere. Cicero libro 1. *Divinat. Prœlio ad Thrasymenum lacum tantos terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes facta sit, terræque desederint*, &c. Xiphilinus in *Trajano*, πρῶτον μὲν γὰρ μύκημα ἐξαπίνης μέγα ἐβρυχήσατο, ἔπειτα βρασμὸς ἐπ' αὐτῷ βιαιότατος ἐπεγίνετο, καὶ ἄνω μὲν ἡ γῆ πᾶσα ἀνεβάλλετο. *Primum omnium derepente mugitus ingens infremuit, deinde succussatio violenta, & sursum quidem omnis terra jactabatur, ex sublimi subsiliebant ædificia, & alia sublata ex alto concidebant, & disrumpebantur, alia huc & illuc agitata ut in tempestate evertebantur*, &c. Legendus Agathias libro 1. & 2. & Xiphilinus in *Trajano*. Certe Lacedæmonii cum terræ motus esset Deos placandos, maxime Neptunum, existimabant. Xenophon in *Repub. Lacedæm.* σεισμοῦ γενομένου οἱ Λακεδαιμόνιοι ὕμνησαν τὸν περὶ Ποσειδῶνος Παιᾶνα, καὶ Ἀγησίπολις τῇ ὑστεραίᾳ θυσάμενος Ποσειδῶνι. *Cum terra movisset Lacones Pæanem Neptuno cecinerunt, & postridie Agesipolis Neptuno re divina facta.* Ammianus lib. 17. quatuor terræ motus esse ait, Climatias, qui inclinent, Brasmatias, qui succutiant, Chasmatias cum hiatu, Mycematias cum mugitu. *Babyloniorum placita motus terræ, hiatusque, & cætera omnia vi siderum existimant fieri sed illorum trium, quibus fulmina assignant*, ait Plinius libro 2. cap. 79. *Anaximander Milesius Lacedæmonis terræ motum prædixit, & Pherecydes haustu aquæ e puteo præsensit ibi terræ motum. Ventos in causa esse non dubium reor. Neque enim unquam intremiscunt terræ, nisi sopito mari, cœloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeant sublato omni spiritu qui vehit, nec unquam nisi post ventos conditos scilicet in venas, & cavernas ejus occulto afflatu. Neque aliud est in terra tremor, quam in urbe tonitruum. Nec hiatus aliud, quam cum fulmen erumpit incluso spiritu luctante, & ad libertatem exire nitente. Varie itaque quatitur, alibi prostratis mœnibus, alibi hiatu profundo haustis, alibi egestis molibus, alibi emissis amnibus. Præcedit vero, comitaturque terribilis sonus, alias*

A *murmuri similis, alias mugitibus, aut clamori humano, armorumque pulsantium fragori*. Cap. 84. *Nunquam Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuntium esset*. Octava Synodo: πρὸς ἑσπέραν δὲ σεισμὸς γίνεται τῶν πώποτε γενομένων ὁ φρικωδέστατος. δι' ὅλης δὲ τῆς ἐπιούσης ἐπεκράτει νυκτὸς Constantinopoli. βοὴ δέ τις καὶ ἄσημος θροῦς ἔκ τε γῆς, ἔκ τε θαλάσσης σφοδρῶς ἀναδιδόμενος, πάντων ἀνθρώπων τῶν καρδίαις παράλυσιν ἐνεποίει. ὅτε δὴ καὶ ἡ στήλη Ἰουστίνου ἐκ τῶν γονάτων κοπεῖσα κατερράγη, Pag. 324. quod Ignatius Patriarcha vexaretur: vi-
B de alios teræ motus pag. 334. *Appetente nocte sub vesperam tremor terræ fuit omnium qui unquam fuerunt maximus, qui tota nocte quæ secuta est, invaluit Constantinopoli. Clamor autem quidam & obscurus strepitus ex terra, & mari vehementer redditus omnium animos dissolverat: quo tempore & statua Justini a genibus scissa confracta est*. Florus lib. 1. cap. 19. *Sempronius dux, tremente inter prælium campo Tellurem Deam promissa æde placavit*. Philostratus lib. 4. cum esset Apollonius in Creta, σεισμὸς ἄθρους τῇ Κρήτῃ προσέβαλε, βροντὴ δὲ οὐκ ἐκ νεφῶν ἀλλ' ἐκ τῆς γῆς ὑπήχησεν, ἡ θάλαττα δὲ ὑπενόστησε σταδία ἴσως ἑπτά. Apollonius ἔφη, θαρρεῖτε. ἡ γὰρ θάλασσα γῆν ἔτεκε, &c. *Motus ingens terræ fuit in Creta, & to-*
C *nitru non ex nubibus, sed e terra insonuit, mare retro cessit stadia circiter septem. Apollonius dixit, confidite; Mare enim peperit terram*. Nuntiatum est paulo post insulam e mari extitisse. *Cum chasma apud Celænas plures tum domos, tum mortales absumpsisset, Midas oraculo monitus pretiosa quæque irrito eventu conjecit. Anchurus vero regis filius, patre & uxore Timothea salutatis nihil pretiosius anima hominis cognoscens, cum equo in eam voraginem se conjecit, quo facto in priorem faciem terra rediit*, Stobæus serm. 1. κατὰ Κελαινὰς πόλιν τῆς Φρυγίας ἐξ ὄμβρων ἰδαίου Διὸς χάσμα μετ' ὕδατος γενόμενον, πολλὰς οἰκίας αὐτάνδρους εἰς τὸν βυθὸν καθείλκυσε, τοῦ δὲ δήμου κινδυνεύοντος, Μίδας ὁ βασιλεὺς χρησμὸν ἔλαβε συνελεύσεσθαι τὴν γῆν, ἐὰν εἰς τὸ βάραθρον βάλλῃ τὸ τιμιώτατον ἐν ἀνθρωπίνῳ βίῳ, &c. Ita &
D Romæ Curtius apud Festum in hiatum insiluit, unde lacus Curtius. Trebellius in *Gallienis*: *Hiatus terræ plurimis in locis fuerunt cum aqua salsa in fossis appareret*. Agathias libro 2. *In Co insula ætate Narsetis sub Clotario rege Galliæ tantus terræ motus fuit, ut omnia subverterentur, fontes dulces irrumpente mari salis amarore infecti sunt, ædificia calce & lapide facta* στερεμνώτερα τιτάνῳ καὶ λίθῳ πεποιημένα, *corruerunt*, μόνη δὲ τὰ ἐκ πλίνθου ἀπέφθου ἀγροικότερον πεποιημένα, *quæ ex latere non cocto rustico opere structa erant, steterunt*. Gregor. Nyssenus contra fatum, τίς οὐκ οἶδε τὴν μεγάλην τῆς Βιθυνίας;

θυνίας μητρόπολιν ταῖς ἐξεχέσαις τῶν πόλεων ἐναρίθμιον, ἣν ὁ σεισμὸς ἐν ἀκαρεῖ τοῦ χρόνου ἄρδην ἐξέτρεψε; πόσοι παῖδες ἐκεῖ, παρήλικες, πλούσιοι, &c. πάντας ἐπίσης τὸ πῦρ ἐνεμήθη. *Quis non vidit magnam Bithyniæ metropolim quæ numerabatur inter principes urbes? Eam terræ motus puncto temporis funditus evertit. Quot illic pueri, quot ſenes, divites, pauperes perierunt? Omnes ex æquo ignis abſumſit.* Vide Ariſtotelem lib. 2. *Meteor.* cap. 7. & libro *de Mundo*. Terræ motus dicuntur qui mugitu quodam terræ viſcera quatiunt, παρὰ τὸ μυκᾶν, *a mugitu*. Μυκητίαι σεισμοὶ σείοντες τὴν γῆν μετὰ βρόμου: *mycetiæ quatiunt terram cum mugitu.* Plinius libro 2. cap. 96. *Locris, & Critone peſtilentiam nunquam fuiſſe, nec ullo terræ motu laboratum annotatum eſt. In Lycia vero ſemper a terræ motu quadraginta dies ſerenos eſſe.* Philoſtratus libro 4. de vita Apollonii, *a Neptuno quati terram tremore* ait, μηδὲ αἰγαίωνα σεισίχθονα τινάξαι ποτὲ τὰς πόλεις. *Cum Veſuvii mugitus auditur magna annonæ ubertas futura eſt.* Procopius libro 2. *Gotth.* Xiphilinus in *Nerone*, σεισμὸς ἐξαίσιος ἐγένετο, ὥστε καὶ δόκησιν παρασχεῖν ὅτι ἥτε γῆ πᾶσα διαρρήγνυται, καὶ αὐτῶν πεφονευμένων ὑπ' αὐτοῦ ψυχαὶ πᾶσαι ἅμα ἐπ' αὐτὸν ἀναθορνύουσι. Sub Antonino Pio *horribilis terræ motus fuit, quo aliæ plures urbes, tum vero Cyzicum funditus concidit, ejuſque urbis templum maximum, & pulcherrimum. Præterea deducto montis vertice in continenti terra maritimus fluctus erupit, ſpuma puri & limpidi maris procul inde in terram projecta eſt.* Aurelius Victor, *ita Julianum cupido gloriæ flagrantia pervicerat, ut neque terræ motu, neque plerisque præſagiis, quibus vetabatur petere Perſidem, adductus ſit finem petere ardori, ac ne noctu quidem viſus ingens globus cœlo labi, Ducem belli cautum præſtiterit.* Pauſanias in *Meſſeniacis*, πρὸ τῶν σεισμῶν *ſunt magni imbres, aut ſiccitates, aer hyeme calidior, æſtate nubilus, Solis circulus vel in rubrum, vel in nigrum vergit, fontibus aqua deficit, venti evertunt arbores, flammæ per aerem diſcurrunt, & novæ ſtellæ horriferæ viſuntur.* Seneca *Thyeſte* act. 4. ſcen. 1.

*Lucus tremiſcit, tota ſuccuſſo ſolo*
*Nutavit aula.*

Plinius libro 2. cap. 8. *Maximus terræ memoria mortalium exſtitit motus Tiberii Cæſ. principatu tredecim urbibus Aſiæ una nocte proſtratis.* Tacit lib. 11. *Annal.* duodecim urbes proſtratas ait. Solin. cap. 43. urbes item duodecim ſimul una ruina cecidiſſe. Per terræ motus *Delos emerſit, & Hiera, & Anaphe, & Rhodus, & Ophiuſa, & Pelagia prioribus ſæculis dictitatæ.* Amm. Marcellinus lib. 17. *Tunc enim neceſſe eſt velut taurinis reboare mugitibus fragores, fremituſque terrenos.* Vide Senec. lib. 6. *Natur. quæſt.* Plin. lib. 2. cap. 79. Ariſtides in *Rhodiaco* ait, *Rhodum terræ motu ita deletam, ut nulla veſtigia priſtini decoris ſupereſſent.* Seneca in *Thyeſte*:

*Imo mugit e fundo ſolum.*

Plin. lib. 2. cap. 91. *Atque ut ſinus, & ſtagna præteream, ipſa ſe condens terra, devoravit Cibotum altiſſimum montem, cum oppido Curite, Sypilum in Magneſia, & prius in eodem loco clariſſimam urbem quæ Tantalus vocabatur,* &c. Procop. 4. *Gotth. Prope Daras urbem ab Anaſtaſio conditam in Colchide fons erat in prærupto colle, qui ingentem fluvium efficiebat, urbem ambientem. Poſt mortem Anaſtaſii facta eſt labes, & hiatus quo fluvius abſorptus evanuit.* Ita Stymphalus fluvius cum exundaret hiatu quodam cum venatore, & cerva eſt abſorptus, ait Pauſanias in *Arcadicis*. Feſtus: *Curtii lacus appellatur a Curtio qui eo loco in profundiſſimum ſe ob ſalutem populi Rom. projecit hiatum.* Plutarchus in *Cicerone*, λέγεται καὶ καταπλεύσαντος εἰς Δυρράχιον αὐτοῦ, καὶ μέλλοντος ἀποβαίνειν σεισμόν τε γῆς, καὶ σπασμὸν ἅμα γενέσθαι τῆς θαλάττης ἀφ' ὧν συνέβαλον οἱ μαντικοὶ: *Fama eſt cum Dyrrachium appuliſſet, & exiturus eſſet, terram moviſſe, & maris fuiſſe æſtum. Unde vates conjecerunt haud fore diuturnum ei exilium.* In *Cimone*, ſub Archelao maximus terræ motus Spartæ fuit. In *Fabio Maxim.* terræ motus ad Thraſymenum lacum factus eſt, quo averſi curſu ſuo amnes. Tertull. in *Apologet.* cap. 40. *Terræ motus mare Corinthium ebibit.* Item, *ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit.* Suetonius in *Galba* cap. 18. *Urbem quoque & deinde palatium ingreſſum excepit terra tremore, & aſſimilis quidam mugitui ſonus.* Dio lib. 45. Ἐτάραττε δὲ σεισμὸς μέγας γενόμενος ταῦρός τέ τις τυθεὶς δι' αὐτῶν ἐν τῷ ἑστιαίῳ, καὶ ἀναπηδήσας μετὰ τὴν ἱερουργίαν, λαμπάς ἀπ' ἀνίσχοντος ἡλίου πρὸς δυσμὰς διέδραμε, καί τις ἀστὴρ καινὸς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὤφθη: *Turbabat eos ingens terræ motus, & Taurus immolatus ab iis in fano Veſtæ poſt ſacrificium ſubſiliens, & fax ab ortu ad occaſum tranſcurrit, & aſtrum quoddam novum multis diebus emicuit*, τότε φῶς τοῦ ἡλίου ἐλαττοῦσθαί τε καὶ σβέννυσθαι, ποτὲ δὲ ἐν τρισὶ κύκλοις φαντάζεσθαι ἐδόκει, καὶ ἕνα γε αὐτῶν στέφανος σταχύων πυρώδης περιεῖχεν: *Lux Solis exſtingui, aliquando intra tres circulos effulgere, quorum unum corona ſpicarum ignita circumdaret, viſum fuerat.* Lege Ariſtotel. lib. 2. *Meteor.* cap. 7. 8. Senecam lib. 6. *Natur. quæſt.* Plinium lib. 2. cap. 22. Senec. in *Oedipo*, *Mugiſſe ſolum.* In *Thyeſte*:

*Imo mugiit e fundo ſolum.*

Virgilius *Æneid.* lib. 6.

*Sub pedibus mugire ſolum, & juga cœpta moveri*
*Sylvarum.* ——

Seneca in *Oedipo*:

*Bis Cadmeum tremuiſſe nemus.*

Dio in *Tito*, & *Severo* de mugitu terræ. Salisbarienſis lib. 1. *Polycrat.* in fine. Cicero lib. 1. *Divinat. Cum terræ ſæpe fremitus, ſæpe mugitus, ſæpe motus multa prædixerint.* Auctor vitæ S. Athanaſ. ſub Valente, Σεισμὸς ἐπισκήψας οἷον οὔτε ὁ παρελθὼν ἤνεγκε χρόνος, οὔτε ὁ μέλλων οἴσειν ἠλπίζετο, πολλάς τε ἄλλας ἀνέτρεψε τῶν πόλεων, καὶ ἡ Κρήτη πλείους τῶν ἑαυτῆς ἢ ἑκατὸν, χαλεπὸν οἶδε πτῶμα κατενεχθείσας. Τοῦτο καὶ ἡ θάλασσα τοὺς οἰκείους ὅρους ἀπολιποῦσα τινὰς μὲν τόπους οὕτως ἐπέκλυσεν, ὥστε πολλοὺς καὶ τῶν πρώην ἀροσίμων πλωΐμους θεῖναι, πρᾶγμα καινότατον, ἑτέρωθι δὲ τοσοῦτον ἀπέστη πάλιν, ὡς καὶ κατὰ μέσον τὸν πλοῦν ἐπὶ ξηροῦ τοῦ ἐδάφους ἀφεθῆναι τοὺς πλέοντας: *Terræ tremor, quantus nunquam antea fuit, neque in poſterum futurus eſt, multas alias urbes evertit, ſed Cretæ ſupra centum. Tum vero mare proprios terminos deſerens alia loca ſic inundavit, ut multa, quæ prius arabantur, navigarentur, res inſolens, alibi tantum receſſit a littore, ut in medio curſu navigantes in ſicco reperirentur.* Cedrenus in Valente, σεισμὸς γέγονε καθ' ὅλης τῆς γῆς μέγας ὡς καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πλοῖα προσωρμισμένα τῷ αἰγιαλῷ ἐπάνω γενέσθαι τῶν μεγάλων τειχῶν: *Terræmotus ingens fuit toto orbe, ut Alexandriæ navigia, quæ ad littus appulerant, ſupra magnos muros ſublata ſint.* Capitolinus in *Gordiano*; *Fuit terræmotus eo uſque gravis, imperante Gordiano, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, ſacrificia per totam urbem, totumque orbem terrarum ingentia celebrata ſunt.* Pollio in *Gall. Gallieno, & Fauſtino Coſſ. inter tot bellicas clades etiam terræmotus graviſſimus fuit, & tenebræ per multos dies. Auditum præterea tonitruum terra mugiente, non Jove tonante: quo motu multæ fabricæ devoratæ ſunt cum habitatoribus, multi terrore mortui: quod quidem malum triſtius in Aſiæ urbibus fuit. Mota eſt & Roma, mota & Libya: hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, quum aqua ſalſa in foſſis appareret. Maria etiam multas urbes occuparunt. Pax igitur Deum quæſita, inſpectis Sibyllæ libris, factumque Jovi Salutari, ut præceptum fuerat, ſacrificium. Nam & peſtilentia tanta extiterat, vel Romæ, vel in Achaicis urbibus, ut*

*uno die quinque millia hominum pari morbo perirent. Sæviente fortuna quum hinc terræmotus, inde hiatus soli ex diversis partibus, pestilentia orbem Romanum vastaret.* Xiphilinus in *Tito*, καὶ μετὰ ταῦτα αὐχμοί τε δεινοὶ, καὶ σεισμοὶ ἐξαίφνης σφοδροὶ ἐγίνοντο, ὥστε καὶ τὸ πεδίον ἐκεῖνο πᾶν αναβράττεσθαι, καὶ τὰ ἄκρα αναπηδᾷν. ἠχαί τε αἱ μὲν ὑπόγειοι βρονταῖς ἐοικυῖαι, αἱ δὲ ἐπίγειοι μυκηθμοῖς ὅμοιαι συνέβαινον, καὶ ἥ τε θάλασσα συνέβρεμε, καὶ ὁ ὀρανὸς συνεπήχει, κἀκ τούτων κτύπος τε ἐξαπιναίως, ὡς καὶ τῶν ὀρῶν συμπιπτόντων ἐξηκούσθη. &c. *Et postea siccitates diræ, & motus derepente vehementes fuere, ita ut solum illud omne quateretur, & promontoria subsilirent, sonitusque alii subterranei tonitruis similes, alii terrestres mugitibus non absimiles accidebant, & mare fremebat, & cœlum tonabat, & ex hoc sonitus inauspicatus repentinus, quasi montes simul caderent, auditus, & exsiliebant primum quidem lapides ingentes, ita ut & ad ipsa cacumina pervenirent, deinde multus ignis, & fumus infinitus, ita ut omnis aer obumbraretur, totus Sol absconderetur, quasi deficeret. Nox igitur de die, & tenebræ ex luce factæ sunt, & putabant alii gigantas exsurgere, multa enim tum spectra in fumo apparebant, & insuper tubarum sonitus quidam audiebatur; alii universum hoc in chaos, & ignem absumi arbitrabantur, ideo fugiebant alii ex ædibus in vias, alii ex viis in domos, aut ex mari in terram, aut ex terra in mare. Alii turbati omne quod abesset, tutius præsentibus existimabant. Hæc igitur fiebant, & cinis inenarrabilis expulsus mare, & aerem omnem obducebat, & multa alia, si quando alias contingere, & hominibus, regionibus, & pecoribus nocuere, piscesque, & aves corrupere, & hoc amplius duas urbes integras, Herculaneum, & Pompejos absorpsere, cum populus in theatro sederet. Tantus autem pulvis fuit, ut in Africam, Syriam, Ægyptum aliquid delatum sit, & Romam pervenerit, & aerem supra urbem impleverit, & Solem obumbrarit. Ingens metus ex eo multis diebus fuit, cum homines id quod fieret ignorarent, nec conjectare possent, sed omnia susque deque ferri censebant, & Solem quidem in terram delapsum deperire ac deleri, terram autem in cœlum ascendere. Cinis quidem iis nihil mali tunc attulit, postea gravem pestilitatem injecit. Alius ignis terrestris sequenti anno multa Romæ loca, Tito in Campaniam ad cladem sublevandam egresso, consumpsit; Serapium enim, Isium, Septa, Neptuni templum, Balneas, Agrippæ, Pantheum, Diribitorium, Theatrum Balbi, Scenam Pompeii, Octavia ædificia cum libris, templum Jovis Capitolini cum vicinis delubris cremavit. Ita malum divinitus immissum, non ab homine visum. Ex iis, quæ scripsi, licet cætera damna conjicere.* Alia terræmotuum dira ubique apud Historicos observabis, quæ hic attexere supervacaneum arbitror.

## CAP II.

### *De Fulmine.*

NON est instituti mei hoc tempore subtilius in ea inquirere, quæ ab Aristotele in *Meteor.* de tonitru, fulminibus, fulguribus disputantur. Hoc admonere satis fuerit e Cicerone, *tonitrua, & fulgura existere, cum anhelitus terræ, qui frigidi sunt, in nubem se induerint, ejusque tenuissimam quamque partem dividere, ac disrumpere cœperint. Fulmen non urit, quia tenuium est partium ejus substantia; quare celeriter penetrans corpora ob tenuitatem non exurit: dicitur* κεραυνὸς, *quia purus, & liquidus est. Album vocant, quia non inficit nigro, non urit propter celeritatem.* Ænes. Platonicus: Ὁ κεραυνὸς οὐκ ἔχει τὸ φλέγον, λεπτομερὴς γὰρ ἐστιν ἡ οὐσία αὐτοῦ, ὅθεν ταχέως διερχομένη τὰ σώματα διὰ τὴν λεπτότητα οὐ καταφλέγει αὐτά. κεραυνὸς λέγεται ἀπὸ τοῦ ἀκραὴς εἶναι, καὶ μὴ φλέγειν, ἀργῆτα κεραυνὸν καλοῦσιν· οὐ γὰρ μελαίνει, διὰ ταχύτητα, οὐ φλέγει. Lucretius,

*Tonitruum post fit, ut auribus accipiamus*
*Fulmina, quam cernant oculi, quia semper ad aures*
*Tardius adveniunt, quam visum quæ moveant res.*

Quia imagines quæ videri possunt, momento percipiuntur, soni simulacra quia per motum fiunt, successive & tractim ad aures perveniunt. Sanct. Basilius Homil. ad Psalm. 28. συνίσταται δὲ ἡ βροντὴ, ὅταν πνεῦμα ξηρὸν, καὶ βίαιον κοιλότησι νεφέλης ἐναπολειφθὲν, καὶ ὑπὸ συντονίας τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἐνστρεφόμενον ζητῇ διέξοδον πρὸς τὰ ἔξω, &c. *Tonitru fit quando spiritus siccus, & violentus cava nube conceptus, & ob intensionem ac impetum in ipso cavo nubis volutatus, quærit exitum foras: obsistentes enim ob condensationem nimiam nubes, asperum illum attritu spiritus efficiunt sonitum. Postquam autem quasi ampullæ circumextensæ spiritu, diutius obsistere, & continere non possunt, per vim ruptæ, & transmittentes spiritum ut foras exspirent, tonitrua efficiunt: rupta nube fit & fulgur.* Fulmen odore sulphuris est, ut Seneca lib. 2. cap. 53. Ideo Persius sat. 2. *sulphur sacrum*, fulmen vocat. *Quocunque decidit fulmen, ibi odorem sulphuris esse certum est*, ait Seneca. Plin. lib. 35. cap. 15. *fulmina, & fulgura quoque sulphuris odorem habent, & lux ipsa eorum sulphurea est.* Lucretius lib. 6. *balantes sulphuris auras.* Tzetzes Chil. 12. θειώδη γὰρ ὁ κεραυνὸς βαρεῖαν ὀδμὴν ἔχει, *fulmen sulphurati & gravis odoris est.* Ὁ κεραυνὸς τὸ θεῖον, *fulmen est sulphur.* Disertius & verius Aristoteles lib. 3. *Meteor.* ἐὰν ἐν αὐτῷ τῷ νέφει πολὺ, καὶ λεπτὸν ἐκθλιβῇ πνεῦμα τοῦτο γίνεται κεραυνὸς, &c. *Si e nube multus ac tenuis spiritus expressus fuerit, fulmen est, quod si admodum tenue fuerit, ut præ tenuitate non adurat, clarum,* ἀργῆτα *poetæ vocant, si minus adurat,* ψολόεντα, *fumidum, & fuliginosum: Nam illud ob essentiæ tenuitatem fertur, ob motus celeritatem ante penetrat, quam adurat, & mora facta infuscet. Hoc cum sit tardius, inficit quidem, non adurit, sed penetrare anticipat. Quocirca & quæ obsistunt, aliquid pati solent, quæ minime nihil.* Æs quo scutum tegebatur liquatum fuit, ἀσπίδος τὸ χάλκωμα ἐτάκη, τὸ δὲ ξύλον οὐδὲν ἔπαθε, *ligno inviolato. Nam propter ligni tenuitatem, prius spiritus percolatus fuit, atque transmissus, quam ut lignum affici ullo pacto potuerit. ita & per vestes transivit, quas non adussit, sed protrivit.* Legendus Aristoteles lib. *de Mundo* cap. 4. *Qui exhalationum alteram siccam ait in fumum conformatam quæ e terra manet, alteram humidam roscidam ab humida natura profectam: ex hac nebulas, rores, & gelu omne genus, nubes, pluvias, nives, grandines, a sicca ventos, flatus, tonitrua, fulgura, turbines, fulmina existere.* τῶν ἀναθυμιάσεων ἡ μέν ἐστι ξηρὰ, καὶ καπνώδης ἀπὸ τῆς γῆς ἀποῤῥέουσα, ἡ δὲ νοθερὰ, καὶ ἀτμώδης, ἀπὸ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιωμένη φύσεως. Cum Aristotele sentit Seneca lib. 2. *quæst. Natural.* cap. 54. *E terra*, inquit, *terrenisque omnibus pars humida afflatur, pars sicca & fumida remanet. Hæc fulminibus alimentum est, illa imbribus. Quicquid in aera sicci, fumosique pervenit, id includi se nubibus non fert, sed rumpit claudentia. Inde est sonus quem nos tonitruum vocamus. In ipso quoque aere quicquid attenuatur, simul siccatur, & calet. Hoc quoque si inclusum est, æque fugam quærit, & cum sono evadit: & modo universam eruptionem facit, eoque vehementius tonat, modo per partes & minutatim. Ergo tonitrua hic spiritus exprimit, dum aut rumpit nubes, aut pervolat: volutatio autem spiritus in nube conclusi valentissimum est accendendi genus.*

## CAP. III.

*De Attonitis.*

QUI fulmine afflati erant, *attoniti* dicebantur. Petronius, *Intremui post hoc fulmen attonitus*. Sallustius in *Jugurth. Sic vero quasi fulmine attonitus neque animo, neque auribus, aut lingua competere*. Apul. lib. 8. *Sed Charitate vocem nefandam & horruit, & detestata est, & velut grave tonitru, procellaque sideris, vel etiam ipso diali fulmine percussa corruit corpus, & obnubilavit animum*. Harpocration τυφωνικὰ πνεύματα ἐξίστησι ἀθρόως καταῤῥαγέντα. *Typhonici venti attonitos homines faciunt*. Alcæus, πάμπαν δὲ τύφως ἐξ δὲ λέγεται φρένας, *Omnino typhos ei mentem adimit*: unde τετύφωμαι, βεβρόντημαι, *attonitus sum*. Lucianus in *Icaromenippo*, εἱστήκει δ' ὅμως ἀχανὴς, καὶ ὑπὸ τῆς μεγαλοφωνίας ἐμβεβροντημένος. *Stabat simul ore ore bianti, & ex magno clamore attonitus*. Moschopulus, ὁ ἐμβεβροντημένος ὁ ἔξω φρενῶν ἀπὸ τῶν ἐπὶ τὸν τυφῶνα καταφερομένων σκηπτῶν. Hesychius, κεραυνίας, ὁ κεκεραυνωμένος, κεραύνιος, ἐμβρόντιστος. Cornelius Celsus, *Attoniti proprie quorum & corpus, & mens stupet, quod genus mali fit interdum ictu fulminis, interdum morbo, quem apoplexiam appellant*. Apud Servium *Attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis, & sonitus tonitruum dant stuporem*. Vide Senecam lib. 2. *quæst. Natur.* cap. 27. Pacatus in *Panegyr. hinc reorum usque ad damnationem metus, postea attonitus stupor*. Ammian. lib. 17. *In Tagetis Thusci libris legitur Vejovis fulmine tangendos adeo hebetari, ut nec tonitru, nec majores audire possint fragores*. Q. Curtius lib. 8. *Erat prope continuus cœli fragor, & passim cadentium fulminum species visebantur, attonitumque auribus stupens agmen nec progredi, nec consistere audebat*. Martial. lib. 7. epig. 93.

*Hoc opus est subito fias ut sydere mutus.*

Lib. 11.

*Sydere percussa est subito tibi Zoile lingua.*

Glossæ, *Syderosus*, ἀστρόπληξ. ἐπιληπτικός. Petronius, *velut pestilenti quodam sydere afflavit*. Celsus lib. 3. cap. 26. *Attonitus*, ἐμβρόντητος, ἐκτετυφωμένος, ἐμβροντηθείς. Xenophon, lib. 3. *Græcanic.* πίπτει κεραυνὸς εἰς τὸ στρατόπεδον, καὶ οἱ μὲν τινες πληγέντες, οἱ δὲ ἐμβροντηθέντες ἀπέθανον. Ovidius:

*Non secus obstupui, quam qui Jovis ignibus ustus*
*Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.*

Statius lib. 10. *Thebaid.*

*Qui tremor illicita cœli de lampade tactos*
*Hic juvenem fixit.*

## CAP. IV.

*De Fulgetro, & Tonitru.*

FULGETRUM, & *Fulgetram* Veteres dixere a *fulgendo*, quod apud Festum *ferire* est, quia fulgetræ feriunt oculos. Seneca lib. 2. *quæst. Nat.* cap. 56. Plin. l. 2. c. 54. *Fulgetrum prius cerni quam tonitrum audiri certum est, cum simul fiant. Nec mirum, quoniam lux sonitu velocior, sed sonitum profecti esse fulminis, non illati etiamnum spiritum ocyore fulmine. Ideo quati prius omne & afflari quam percuti, nec quemquam tangi qui prius viderit fulmen, aut tonitru audierit. Antiqui aut* tonitrum *dixerunt, aut* tonum. Fulgetra, item & *fulgetras*. Cap. 43. *Ignes stellarum in nubes incidunt, vaporemque dissonum gignunt, ut candente ferro in aquam demerso fumidus vortex volvitur, si in nube luctetur flatus, aut vapor tonitrua edit, si erumpat ardens, fulmina, si longiore tractu mittatur, fulgetra, bis findi nubes, illis rumpi*. De tonitru l. 2. *Natural.* c. 55. *Tonitrua nihil aliud sunt quam sicci aeris sonitus, qui fieri nisi dum terit aut rumpitur non potest, & si colliduntur nubes inter se, fit is quem desideras ictus, sed non universus, neque enim tota totis concurrunt, sed partibus partes, nec sonant mollia nisi illisa duris sint. Itaque non auditur fluctus nisi impactus*. Plaut. *Amphitr. Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus, ut subito, ut propere, ut tonuit valide.*

## CAP. V.

*De Fulmine.*

APUD Suidam κεραυνὸς ἐξαίφνης ἐστι σφοδρὰ μετὰ πολλῆς βίας πίπτουσα ἐπὶ γῆς νεφῶν παρατριβομένων ἢ ῥηγνυμένων. οἱ δὲ, συστροφὴ πυρώδους ἀέρος βιαίως καταφερομένου, οὐκ ἀναιρεῖ δὲ ὁ κεραυνὸς, ἀλλ' ἐπιφλέγει, *fulmen est incendium violentum quod nubibus allisis, aut perruptis in terram cadit. Alii ajunt turbinem ac vertiginem igniti aeris esse violenter delati. Non occidit autem fulmen, sed adurit*. Longe melius supra docuit Aristoteles. Fulminum autem genera quinque esse docet Tzetzes ad Lycophronem, πρηστὴρ, ὁ καὶ πυρόεις καλούμενος, ὃς καταφερομένου τοῦ πνεύματος, καὶ ἐκπυρωθῆναι, καὶ λεπτυνθῆναι, γίνεται. σκηπτὸς ὁ καὶ καταιβάτης, ὃς γίνεται παχυνθῆναι τοῦ πυρώδους πνεύματος. ἀργὴς, ὃς διὰ τὴν πάνυ λεπτοτάτην (forte ἀτμίδα, ἢ ὕλην) οὐ φλέγει, μελαίνει δέ. ψολόεις ὁ ἐν τῇ ψαύσει ὀλύων. ἑλικίας. ὁ συστροφάς, καὶ ἕλικας ποιῶν, διὰ μέσην ταχύτητα, καὶ ὑγρότητα τῇ πυκνότητι τοῦ ἀέρος ἀντωθούμενος. *Prester, qui & ignitus dicitur spiritu deorsum pulso ignescit & tenuatur. Sceptus aut catabates deorsum missus, qui ex spiritu ignito densatur, Arges qui propter tenuissimum vaporem non urit, sed denigrat, fuliginosus qui attactu perdit, Elicias qui turbines & vortices facit per mediam celeritatem, & humiditatem densitate aeris repulsus*. Nonnulli putant in imo aere nasci fulmina, ideoque Vulcanum e femore Jovis procreatum fingi. Lucanus,

*Fulminibus terræ propior succenditur aer,*
*Pacem summa tenent.* ——

Melius Aristoteles putat fulmen in media aeris regione fieri, cum exhalatio sicca, fumida, terrestris in nubem se induerit.

## CAP. VI

*A quo mittantur fulmina?*

FULMINA non nisi ab ipso Jove, aut Diis majorum gentium Jovis voluntate mitti putabantur. Horatius,

—— *Et rubente*
*Dextera sacras jaculatus arces*
*Terruit urbem.*

Et rursus:

*Sæpe diespiter nubila dividens*
*Per purum tonantes*
*Egit equos celeremque currum.*

Seneca lib. 2. *Nat. quæst. Certa sunt numina possidentia fulminum jactus, ut Jupiter, Vulcanus, Minerva, Hetruscis. Dium*, ἀστραπὴ, vet. Gloss. *Diumius*, Ζηνὸς κεραύνιος. Nonius Marc. *fulmen telum ipsum quod jacitur: fulgur ignis qui coruscat*. Aristotel. lib. 2. *Meteor*. cap. ultim. lib. 3. cap. 1. Stobæus lib. 1. *eclog. Physic.* cap. 29. Horatius Od. 16. lib. 1.

*Nec sævus ignis, & tremendo*
*Jupiter ipse ruens tumultu.*

Fulminans Jupiter, sic dictus κεραύνιος post Oenomai domum fulminatam, ut Pausan. ἀργικέραυνος Ζεὺς, ἐγχεικέραυνος, τερψικέραυνος, ἀστεροπαῖος Ζεὺς, ἀστεροπητής. Augustinus lib. 6. *de Civitate Dei*, Fulguram Deam factam ait, ne fulgura fierent. Seneca Fulgoram commemorat, aut Fulgoriam. Festus: *fulgere prisci ferire: fulmen a fulgore flammæ. Fulguritum fulgure ictum.* Renovativum fulgur *vocatur, cum ex aliquo fulgure functio fieri cœpit, si factum est simile fulgur, quod idem significet. Augures* postularia fulgura *vocant, quæ votorum, aut sacrificiorum spretam religionem designant.* Pestifera *quæ mortem, aut exitium ostendunt.* Peremtalia, *quæ superiora fulgura, aut portenta perimunt, & tollunt.* Sed ut ad Jovem redeamus, quoniam ab eo proprie fulmina mitti putabantur, fulmen ignis Jovis dicitur. Ovidius:

*Non secus obstupui, quam qui Jovis ignibus ustus.*

Virgil. lib. 1. *Æneid.*

*Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.*

Lib. 2.

*Fulminis afflavit pennis, & contigit igni.*

Quia nullum sine igne fulmen venit, ut Seneca lib. 2. *quæst. Natural.* c. 40. c. 42. *Utrum Jupiter cum emisit ignes, quibus innoxia capita percuteret.* Aquilam certe ad Jovem fulmina ferre fabulantur. Statius lib. 3. *Thebaid.*

*—— Fulminis ardens*
*Vector adest.*

Lib. 9.

*Utque feri vectorem fulminis albus*
*Cum supra respexit olor.*

Horatius:

*Qualem ministrum fulminis alitem.*

Plinius lib. 2. cap. 52. *Tusci novem Deos fulmina emittere existimant, eaque esse undecim generum. Jovem enim trina jaculari. Romani duo tantum servant, diurna Jovi, nocturna Summano. Infera fulmina terra erumpunt, sæva maxime & exsecrabilia per brumam.* Item, *omnia fulmina e cœlo superiore decidentia obliquos habent ictus*, quæ dicuntur terrena rectos, e terra exire dicuntur, quia & propiori materia cadunt, a sidere Saturni proficiscuntur, sicut cremantia a Martis. Arnobius lib. 3. *Deos novem Manilius esse ait, quibus solis potestatem Jupiter jaciendi sui permiserit fulminis, unde Jupiter* ἀστραπαῖος. Strabo lib. 9. τότε πεμπόντων τὴν θυσίαν ἐς Δελφοὺς ὅταν ἀστράψαντα ἴδωσι. ἐτήρουν δ' ἐπὶ τρεῖς μῆνας, καθ' ἕκαστον μῆνα ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας καὶ νύκτας ἀπὸ τῆς ἐσχάρας ἀστραπαίου Διός. *Cum id temporis sacrificium mittant Delphos, quo fulgura facta viderint. Servabant enim de cœlo tribus mensibus, per singulos menses triduum, & trinoctium, a foco Jovis fulgurantis.* Orpheus Ζῆνα ἀστραπέα, *Jovem fulgurantem* vocat. Festus, *fulgur Divum appellatur diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani.* Plin. lib. 2. cap. 20. *Superiorum trium siderum ignes sunt, qui decidui ad terras fulminum nomen habent.* Potissimum Jovis stellæ adscribuntur, quia e Saturni errone nimium humorem, e Marte nimium ardorem e vibratis fulminibus egerant, ideoque dicitur Jupiter fulmina jaculari: lib. 1. *Georgic.*

*Ipse pater media nimborum in nocte corusca*
*Fulmina molitur dextra,*

Item: *Ille flagranti*
*Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo*
*Dejicit.*

Arnob. l. 5. *An cum ipse jaculetur hos ignes.* Lycophron in *Cassandra.*

Ὃν γογγυλάτης εἷλε βουλαῖος μυλεὺς
Ἀγκύλαις μάστιγι συνθραύσας κάρα,

*Quem Jupiter consiliarius pistor per quem manus in pugnam rotundatæ moventur, violento flagello caput confringens.* Pindarus Od. 4. *Pythion:* αἴσιον δ' ἐπὶ οἱ Κρονίων Ζεὺς πατὴρ ἔκλαγξε βροντὰν, *auspicatum fulmen cum stridore Jupiter Saturnius ei misit.* Minutius in *Octavio: Illic Jovis fulmen cum Æneæ armis in incude fabricatur.* βέλος vocant, Herodot. βέλος ἐνέσκηψε θεός. Sophocles ἐγκατάσκηψον βέλος, πάτερ, κεραυνοῦ. Seneca in *Agamemnone, fulmine irati Jovis armata Pallas.* Euripid. *Troadib.* ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ πῦρ κεραύνιον, ait Pallas, βαλεῖν Ἀχαιούς. Servius ad id,

*Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,*

*In libris Hetruscorum scriptum fuit manubias, id est, fulminum jactus tres Deos possidere, Jovem, Palladem, Vulcanum.* Cic. lib. 2. *de Nat. Deor. Augures nostri cum dicunt Jovem fulgentem, tonantem,* ἐρίγδουπον Græci vocant, βρονταῖον. Romæ in lapide, *Jovi* βροντῶντι. βροντησικέραυνος. αἰολοβρόντης, ὑψιβρεμέτης. Servius ad hæc verba lib. 1. *Georg.*

*Ille flagranti, aut Athon,* &c.

*Secundum Epicureos per transitum loquitur, qui dicunt fulmina non judicio Deorum, sed ex nubibus fieri. Nam montes quid necesse fuerat fulminari?*

---

## CAP. VII.

### *De variis fulminum generibus.*

FULMINUM alia sunt deorsum tendentia, καταιβάται, quædam fuliginosa, ψολόεντες κεραυνοί. οἱ τῇ ψαύσει ὀλύντες, *quæ attactu necant*, nonnulla clara ἀργῆτες, ait Suidas. Lycophroni καταιβάτης σκηπτὸς, *fulmen deorsum missum*, καταιβάτης Ζεὺς διὰ τὸ καταβιβάζειν τοὺς κεραυνοὺς, *quod ex alto jaculetur fulmina.* Aristophanes in *Avibus.*

Καὶ τὰς χθονίας κλήσατε βροντὰς, τάς τε πυρώδεις Διὸς
ἀστεροπὰς, δεινόν τε ἀργῆτα κεραυνόν,
Ὦ μέγα χρύσεον ἀστεροπᾶς φάος, ὦ Διὸς ἄμβροτον
ἔγχος,
Πυρφόρον, βαρυηχέες, ὀμβροφόροι τε ἅμα βρονταὶ, αἷς
ὅδε νῦν χθόνα σείει.

*Et terrestria vocate tonitrua, & ignita Jovis fulgura, & horribile candidum fulmen: o magnum, & aureum fulguris lumen, o Jovis immortalis hastile igniferum, graviter sonantia, imbriferaque tonitrua, quibus ille nunc terram quatit.* Suidas χθονίας βροντὰς φοβερὰς. πάντα γὰρ τὰ δεινὰ γῆς γενεαλογοῦσιν, ἢ τὰς ὑπὸ τῆς γῆς γινομένας. ὅτε γὰρ ἠχεῖ ἡ γῆ ἀναπέμπει τὸν ἦχον ἐς τὸν οὐρανὸν, καὶ δοκοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἐξ οὐρανοῦ γίνεσθαι τὰς τοιαύτας βροντάς. βροντὴ νεφῶν ψόφος ἐκ παρατρίψεως, ἢ ῥήξεως. κατὰ τὴν τῶν νεφῶν ἔκρηξιν πυρωθὲν τὸ πνεῦμα καὶ λάμψαν ἀστραπὴ λέγεται. *Terrestria tonitrua tremenda: omnia enim dira terræ ascribunt, aut tonitrua quæ sub terra fiunt. Quando enim sonat terra, mittit sonitum in cœlum, & putant homines ex cœlo fieri ejusmodi tonitrua: tonitru sonitus est nubium ex attritu, aut ruptura. Spiritus ignitus per rupturam nubis, & lucens dicitur fulgur.* Aristoteles lib. *de mundo*, τῶν κεραυνῶν οἱ μετὰ αἰθαλώδεις, ψολόεντες λέγονται, οἱ δὲ ταχέως διάττοντες ἀργῆτες, ἑλικίαι δὲ οἱ γραμμοειδῶς φερόμενοι, σκηπτοὶ δὲ ὅσοι κατασκήπτουσι εἰς τι. *Fulmina alia fuliginosa dicuntur, Psoloentes, alia subito dissilientia, Argetes, Elicia quæ feruntur in lineam, aut lineari specie, scepta quæ in aliquid incumbunt, & impingunt.* Orpheus in hymnis, πρηστῆρος οὐράνιον ὀξὺ καταιβάτου αἰθαλόεντος, *presteris urentis cœleste jaculum deorsum missi flammantis.* Æschylus *Prometheo*, Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος καταιβάτης κεραυνός. *Jovis jaculum vigilans ex alto missum fulmen.* Pacifica fulmina sunt quæ pacem spondent. Claudian. lib. 2. *de raptu Proserpinæ:*

*—— ni Juppiter æthere summo*
*Pacificas rubri misisset fulminis alas.*

*Intonat, & testes firmant connubia flammæ.*

Ennius,

*Contremuit templum magnum Jovis altitonantis,*
*Fumida jam cœli scintillare omnia templa.*

Varro, *Tunc repente cœlitum altum tonitribus templum tonescit. Perpetua fulmina quorum significatio in totam vitam pertinet, nec unam rem idenuntiat, sed contextum rerum per omnem ætatem. Hæc sunt fulmina quæ prima accepto patrimonio, & in novo hominis & urbis statu fiunt. Secundo, finita ad diem utique respondent. Tertio, prorogativa quorum minæ differri, non averti possunt. Cæcinna ait esse postulatoria fulmina, quibus sacrificia intermissa, aut non rite facta repetuntur. Monitoria quibus docemur quid cavendum sit, pestifera quæ mortem, exitiumque portendunt*, ait Seneca lib. 2. *Natural. quæst.* cap. 46. Festus, *Pestiferum fulgur dicitur quo mors exitiumque significatur. Provorsum fulmen quod incertum erat, noctu an interdiu factum esset, quapropter Jovi fulguritori Summano sacrificabant*, ut Auguft. lib. 9. *Civit.* cap. 23. fulmina alba, aut nigra Dii alii jaculabantur, solus Jupiter rubra. Acro ad lib. 1. Od. Horat. Od. 2. *Omnes manubiæ albæ, & nigræ esse dicuntur. Jovis rubeæ, & sanguineæ, fulmen consiliarium quod suadet, aut dissuadet.* Ammianus lib. 23. *Fulmen consiliarium esse monstrantes. Ita enim appellantur quæ dissuadent aliquid fieri, vel suadent.* Plin. lib. 28. cap. 2. *Fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est.* Aristoph. *Acharnan.* κ᾽ ἂν ἀςράψω ποππύζουσι, κ᾽ ἂν κέχοδά με οἱ πλουτοῦντες, *si fulguraro divites me poppysmate adorant, & si cacavero.* Ctesias, *In India non sunt* ἀςραπαὶ, βρονταὶ, ὑετοὶ, *sed venti.* Seneca, *loculis integris conflatur argentum, manente vagina gladius liquescit, & inviolato ligno circa pila ferrum omne distillat. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat.* Plutarchus cap. 2. *Sympos.* 4. ὁ κεραυνὸς διαπτάμενος τῆς ζώνης χαλκοῦς διέτηξεν, *fulmen volans æra in zona dormientis liquefecit, ipsum hominem nihil læsit.* Seneca, *valentiora quia resistunt vehementius fulmen dissipat, cedentia nonnunquam sine injuria transit, cum lapide, ferroque, & durissimis quibusque confligit, teneris, & rarioribus parcit, loculis integris pecunia quæ in his fuerat conflata reperitur. Quicquid in ligno solidum invenit, ut contumax vincit.* Lucret. lib. 6.

*——Transit per saxa, per ignes,*
*Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.*

Curat item ut vasis integris vina repente diffugiant. Varro apud Nonium in voce *liquidum: Lucius Scipio cum aurum haberet in cista viminea, ita fulmine icta est, ut cista esset integra, aurum autem colliquisset:* Plutarch. *Sympos. cum calices argentei ligneis involucris inclusi essent, argentum liquatum ac conflatum esse ligno intacto, ac inviolato.* καὶ κυλιχνίων ἀργυρῶν ξυλίνοις ἐγκειμένων ἐλύτροις, τὸ μὲν ἄργυρον τακέντα, τὸ δὲ ξυλὸν ἄθικτον καὶ ἀπαθὲς εὑρεθῆναι. Servius ad lib. 1. *Georg. unum est fulmen quod colorat, aliud quod transfigit, aliud quod afflat, ut est,*

*——Ex quo me divum pater atque hominum Rex*
*Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.*

Seneca lib. 2. *Nat. quæst.* cap. 40. *Tertium illud genus quod urit multum terreni habet, igneum magis est, quam flammeum, quod aut urit, aut fuscat. Tribus modis urit: aut enim afflat, & levi injuria lædit, aut comburit, aut accendit,* &c. *fulmen quo icta fuscantur, aut decolorat, aut colorat. Decoloratur id cujus color vitiatur, non mutatur. Coloratur id cujus alia fit, quam fuit facies.* Plin. lib. 2. cap. 51. *Fulmina quæ sicca veniunt non adurunt, sed dissipant, quæ humida non urunt, sed infuscant. Tertium est quod clarum vocatur, mirificæ maxime naturæ, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto. Aurum, & æs, argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. Marcia princeps Romanarum icta gravida partu exanimato ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. In Catilianis prodigiis Pompejano ex municipio M. Herennius decurio sereno die fulmine ictus est. Genera fulminum tria esse* ait Cæcinna; *Consiliarium, auctoritatis, & quod status dicitur. Consiliarium ante rem fit, sed, post cogitationem, cum aliquid in animo versantibus, aut suadetur fulminis ictu, aut dissuadetur. Auctoritatis est, ubi post rem factam venit, quam futuram bono malove significat. Status est ubi quietis, nec agentibus quicquam, nec cogitantibus quidem fulmen intervenit. Hoc aut minatur, aut promittit, aut monet. Hoc* monitorium *vocat. Sed nescio quare non idem sit, quod consiliarium. Nam & qui monet, consilium dat*, ait Seneca cap. 39. lib. 2. *Natur. quæstion. Familiaria fulmina in totam vitam fatidica vocant, quæ prima fiunt familiam suam cuique indepto. Cæterum non existimant ultra decem annos portendere privata præterquam matrimonio primo facta, aut natali die, publica non ultra tricesimum annum præterquam in deductione oppidorum*, ut Plin. lib. 2. cap. 52. *Fulminum genera sunt illa, quod terebrat, quod discutit, quod urit. Quod terebrat subtile est, & flammeum, cui per angustissimum fuga est, ob synceram, & puram flammæ tenuitatem. Quod dissipat conglobatum est, & habet admixtam vim spiritus coacti, & procellosi. Itaque illud fulmen per id foramen quod ingressum est redit, & evadit*, ait Seneca. Fallacia *fulmina sunt quæ per speciem alicujus boni nocenti, dant Consulatum, malo futurum gerentibus.* Deprecanea *quæ speciem periculi sine periculo offerunt.* Peremtalia *quibus tolluntur priorum fulminum minæ.* Atteftata *quæ prioribus consentiunt.* Atteranea *quæ in concluso fiunt.* Obrupta *quibus jam prius percussa, nec procurata feriuntur.* Regalia *quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia urbis liberæ loca, quorum significatio regnum civitati minatur.* Inferna *cum e terra exsiliunt ignes.* Hospitalia *quæ sacrificiis ad nos Jovem arcessunt.* Auxiliaria *quæ advocata dicuntur, sed advocantium bono veniunt.* Lib. 2. *Natur. quæst.* cap. 49. Seneca; *Ex fulminibus quædam sunt quæ significant id quod ad nos pertinet, quædam aut nihil significant, aut id cujus intellectus ad nos non pervenit.* Item, *Interdum in eadem materia multa diversa ejusdem vis fulminis facit. Sicut in arboribus quod aridissimum est, urit, quod solidissimum & durissimum, terebrat, & frangit, summos cortices dissipat, interiores libros interioris arboris rumpit ac scindit, folia perstringit, ac tundit, vinum gelat, ferrum, & æs fundit: vinum fulmine gelatum cum ad priorem habitum redit potum aut exanimat, aut dementes facit.* Cap. 51. lib. 2. *Natur. quæst. Animantium quibus mortifera vis inest cum fulmine icta sunt, venenum omne consumitur. In venenatis corporibus vermis non nascitur, fulmine icta cito verminant.* Dio lib. 57. καὶ τὸ πλῆθος τῶν κεραυνῶν ὑφ᾽ ὧν καὶ οἶνος ἐξ ἀγγείων ἀθραύστων ἐξεπάνη, *multitudo fulminum quibus vinum etiam vasis illæsis absumptum est.* Servius ad lib. 8. *Æn sane fulmen triplici præditum potestate est: est ostentatorium, peremtorium, præsagum: ostentatorium est, quo terror incutitur, ut, Fulgores nunc horrificos. At cum dicit,*

*——flammis sequacibus iras,*

*Peremtorium dicit. Præsagi autem sic meminit,*

*——& præsagi fulminis ignes.*

Regale fulmen est apud Spartianum in *Anton. Pio: Et fulgur cœlo sereno sine noxa in ejus domum venit.* Item apud Vopiscum, *Interamnæ statuæ Taciti & Floriani dejectæ fulmine contritæ sunt. Aruspices responderunt ex eorum familia magnum Imperatorem fore post mille annos. Imago Probi Fulmine*

*icta, ut ejus prætexta colores mutaret. Aruſpices reſponderunt hujus familiæ poſteros claros fore*. De oſtentatorio quo terror incutitur, Lucretius lib. 5.

*Quoi non conrepunt membra pavore*
*Fulminis horribili cum plaga torrida tellus*
*Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum.*

De Regali Plin. lib. 2. *Magna hujus obſervationis vanitas tacta Junonis æde Romæ deprehenſa eſt Scauro Conſule, qui mox princeps Senatus fuit*. Sueton. *Auguſto* cap. 94. *Tacta de cœlo parte muri reſponſum eſt ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum*. Plin. lib. 7. cap. 47. *Euthymii Pyctæ Locrenſis eodem die ſtatuæ diverſis locis fulmine ictæ. Deus reſpondit ut ei etiam vivo ſacrificarent*. Feſtus, *Atteſtata dicuntur fulgura quæ iterato fiunt, id eſt, ſignificationes priorum atteſtantia*, quæ opponuntur peremtalibus, cum fulmen ſecundum prius perimit. Brutum antiqui gravem dicebant, unde bruta fulmina ex Hetruſcorum diſciplina. Plin. lib. 2. cap. 43. *Bruta fulmina & vana quæ fortuito, fatidica ex alto, ſtatiſque de cauſis ex ſuis venire ſideribus. Fulminis ſummam vim eſſe indicant, quia quicquid alia portendunt, interventus fulminis tollit. Quicquid ab hoc portenditur fixum eſt, nec alterius oſtenti ſignificatione mutatur. Quicquid exta, quicquid aves mimantur ſecundo fulmine tollitur*. Fulmen ipſum fati pars eſt, ait Seneca. Spartianus de Adriano, *in montem Caſſium cum ut Solem orientem cerneret de nocte aſcendiſſet, repente orto imbre fulmen hoſtiam & victimarium hauſit*. Cicero lib. 2. *Divinat. In noſtris commentariis ſcriptum habemus Jove tonante, fulgurante, Comitia populi habere nefas eſſe. Itaque Comitiorum ſolum vitium eſt fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus, ſi ſiniſtrum fuerit*. Fulmen item ſiniſtrum felix apud Dionyſium Halicar. pag. 80. & 81. Ennius tamen ore Græco dixit:

*Proſpera Juppiter his dextris fulgoribus edit.*

Virgilius:

*— qui fœdera fulmine ſancit.*

Plin. lib. 2. cap. 54. *Læva proſpera exiſtimantur, quoniam læva parte mundi ortus eſt*. Nonius *fulguritores* interpretatur extiſpices; nimis late: proprie ſunt fulminum interpretes. Cic. in Vatin. *Augures uſque a Romulo decreverunt Jove fulgente agi cum populo nefas eſſe*. Ariſtophanes in *Nebulis*, *βροντὴ δ' ἐρράγη διὰ ἀστραπῆς, ἡ σελήνη δὲ ἐξέλιπε τὰς ὁδούς, ὁ δὲ ἥλιος οὐ φανεῖν ἔφασκεν, εἰ στρατηγήσει Κλέων, tonitru ruptum eſt per fulgur, Luna reliquit vias, Sol negavit ſe lucere velle, ſi prætor fuiſſet Cleon. Hetruſci autem cœlum in ſexdecim partes diviſerunt: quatuor quas habemus duplicant. Poſt idem iterum faciunt, ut ex eo diſcerent fulmen qua ex parte veniſſet*, ait Cic. lib. 2. *Divinat*. Servius ad hæc verba lib. 8. *Æneid.*

*Fulmen erat, toto genitor quæ plurima cœlo*
*Dejicit in terras.*

Id eſt, *ab omni parte cœli*. Nam dicunt Phyſici de ſexdecim partibus cœli jaci fulmina. Plin. lib. 2. cap. 54. *Læva proſpera exiſtimantur, quoniam læva parte mundi ortus eſt. In ſedecim partes cælum in eo reſpectu diviſere Thuſci. Prima eſt a Septentrionibus ad æquinoctialem occaſum*, &c. Quam partitionem ridet Lucretius l. 6.

*Ne trepides cœli diviſis partibus amens*
*Unde volans ignis pervenerit, aut in utram ſe*
*Verterit hinc partem, quo pacto per loca ſepta,*
*Inſinuarit, & hinc dominatus ut extulerit ſe.*

Agnoſcit Appian. 1. *Civil.* ὁ δὲ πολιτικὸς ὄχλος ἐβόα, ὡς γενομένης ἐν ἐκκλησίᾳ βροντῆς, ὅθεν οὐ θέμις ἐστὶ Ῥωμαίοις οὐδὲν ἔτι κυροῦν. *Civilis turba clamabat tonuiſſe in concione, unde nefas Romanis aliquid decernere & firmare*. Ad rationem fulminum pertinent ecnephiæ, typhones, turbines, preſteres, de quibus conſule Plin. lib. 2. cap. 48.

## CAP VIII.

*De Manubiis.*

HETRUSCI *dicunt a Jove fulmina mitti, & tres illi dant manubias. Prima monet, & placata eſt, & ipſius conſilio Jovis mittitur. Secundam mittit quidem Juppiter, ſed ex conſilii ſententia, duodecim enim Deos advocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, ſed tunc quoque non aliter quam ut noceat, ne prodeſt quidem impune. Tertiam manubiam idem Juppiter mittit, ſed adhibitis in conſilium Diis, quos ſuperiores, & involutos vocant, quæ vaſtat, & includit, & mutat ſtatum privatum utique, & publicum quem invenit. Jactus certe fulminum manubiæ dicuntur in libris Hetruſcorum*, ait Seneca. Servius ad lib. 8. *Æneidos*: *Nonnulli vero manubias fulminis his numinibus, id eſt, Jovi, Junoni, Marti, & auſtro vento adſerunt attributas, quod hoc loco oſtendunt, nam cum dicit,*

*Tres imbris torti radios,*

*Jovem ſignificaſſe intelligitur, cum vero,* tres nubis aquoſæ, *Junonem, cum autem,* rutili tres ignis, *Martem*. Feſtus, *Manubiæ Jovis tres dicuntur eſſe, quarum unæ ſint minimæ, quæ moneant, placidæque ſint, alteræ quæ majores ſint ac veniant cum fragore, diſcutiantque aut divellant quæ a Jove ſint & conſilio Deorum mitti dicantur. Terræ his ampliores quæ cum igne veniant, & quanquam nullum ſine igne fulgur eſt, hæ propriam differentiam habeant, quod aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant, quæ ſtatum mutent, Deorum conſilio ſuperiorum*. Ideo *trifidos fulgores Jovis* Valerius lib. 6. *Argonaut.* dixit,

*Cuncta phalanx inſigne Jovis, cælataque geſtat*
*Tegmina, diſperſos trifidis ardoribus ignes.*
*Ne primus radios miles Romane coruſci*
*Fulminis, & rutilos ſcutis diffuderis alas.*

Servius fulmen quod afflat & levi injuria lædit, Jovi tribuit, quod punit, perimitque Saturno, quod incendit Martis ſideri: Fulmen triſulcum, quod terreat, afflet, puniat: quod colorat, transfigit, afflat: quod terebrat, diſcutit, urit. Eodem pertinet & triſulcum fulmen quod incendit, aut afflat, aut terebrat, ait Feſtus. Ammianus lib. 23. *Conſeruntur teſtudinis frontalibus triſulcæ cuſpides præacutæ, ponderibus ferreis graves, qualia nobis pictores oſtendunt fulmina, vel fictores*. Servius ad lib. 11. *Æneid.* manubias fulmina vocat. *Revera conſtat Græcos tempeſtate laboraſſe æquinoctio vernali, quando manubiæ Minervales, id eſt, fulmina tempeſtates graviſſimas commovent*, &c. *Hæc autem numina quæ inter ſidera non videmus, licet ſua ſigna propria non habeant, cum aliis poteſtate ſunt permiſta, ut Ophiucus ipſe eſt Æſculapii: Gemini, Apollinis, & Herculis eſſe dicuntur, ſic Minervæ aries eſſe dignoſcitur*. Acro, *pollutum fuit quicquid de cœlo tangeretur*. XII. Tab. *ſi hominem fulmen Jovis occiſit, eum ſupra genua ne tollito: homo ſi fulmine occiſus eſſet, ei juſta nulla fieri oporteto*. Plin. lib. 2. cap. 54. *Hominem ita exanimatum cremari fas non eſt, condi terra religio tradidit.*

## CAP. IX.

*De aliis generibus fulminum, & effectis.*

QUÆDAM fulmina graviora, alia leviora fuere. Ovidius. 3. *Metamor.*

*Eſt aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum*

*Sævitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ.*
*Tela secunda vocant superi.*

Horat. Od. 12. lib. 1.

*Tu gravi curru quaties Olympum,*
*Tu parum castis inimica mittes*
*Fulmina lucis.*

Acron, *id est, pollutis secundum Pontificum documenta, & aruspicum, qui dicunt nunquam fieri fulmina, nisi in locis pollutione aliqua alienis.* Vide Frontinum lib. 2. *Strateg.* Aristophanes apud Suidam, εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, πῶς οὐχὶ Σίμωνα ἐνέπρησεν, οὐδὲ Κλεώνυμον, οὐδὲ Θέωρον, καί τοι σφόδρα εἰσὶν ἐπίορκοι. Aristophan. in *Nubibus*, τοῦτον γὰρ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησι κεραυνὸν ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους: *Si ferit perjuros quomodo Simonem, Cleonymum, & Theorum non exussit? Hoc fulmen palam Jupiter mittit in perjuros.* Varro, *ut nos caduci naufragii ciconiæ, quarum bipennis fulminis plumas vapor perussit alte.* Seneca in *Hercule Oetæo*:

*——— Nec levi telo manus*
*Armetur, istud fulmen exsiliat Polo,*
*Quo, ni fuisset genitus Alcides tibi,*
*Hydram cremasses.*

Ovidius,

*Nec quo centaminum dejecerat igne Typhœa,*
*Nunc armatur eo, nimium feritatis in illo est.*

Seneca in *Thyeste*:

*Manuque non qua tecta, & immeritas domos*
*Telo petis minore, sed qua montium*
*Tergemina moles cecidit.*

Fulmina victoriæ omen esse putarunt. Nonnus in *Dionysiacis* pag. 606.

——— ὁππόθι σήματα νίκης
Ἠερόθεν πίπτοντες ἐπιστώσαντο κεραυνοὶ
Λείψανα θεσπεσίου πυρός.

*Ubi signa victoriæ firmarunt fulmina ex aere cadentia, reliquiæ cœlestis ignis.* Aristides fulmen a dextra gloriam significare docet Hierico quinto. Romanis sinistrum felix fuit. Dionysius l. 2. *Origin.* μετὰ τὴν εὐχὴν ἀστραπὴ διῆλθεν ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιά. Τίθενται δὲ Ῥωμαῖοι τὰς ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀστραπὰς αἰσίους: Romulo *post vota fulgur trajecit a sinistra ad dextram, quod Romani auspicatum putant. Cum a prima cœli parte venerint, & in eandem concesserint, summa felicitas portenditur*, ait Plin. lib 2. cap. 54. Titum tristiorem factum, quod tempestate serena tonuerat, indicat Sueton. cap. 10. lib. 3. *Fastor.*

*Ter tonuit sine nube Deus, tria fulmina misit.*

Lucanus: *Tacitum sine nubibus ullis fulmen.*

Cicero lib. 1. *Divinat.*

*Aut cum terribili percussus fulmine civis*
*Luce serenante tumulos, ac templa petivit.*

Item,

*Ipse suos quondam tumulos, ac templa petivit.*

In Imperio Romano sub Theodosio fulminum significatio per aruspices exquisita est, C. Theodos. tit. *de pagan. sacrif. Si quid de palatio nostro, aut cæteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantiæ quid portendant ab aruspicibus requiratur.* Imo & in Imperio Constantinopolitano non ita pridem fulgura servabantur, ut Nicetas p. 107. φύλαξ βίβλον ἀναπτύξας περὶ βροντῶν, καὶ σεισμῶν διεξιοῦσαν, καὶ τὰ περὶ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον καθ' ὃν ἐβρόντησεν ἐπελθὼν εὗρε οὕτως· πτῶσις σοφῶν: *Custos librum evolvens de tonitru, & terræmotibus, & ea quæ portenduntur tempore illo quo tonuit, reperit ita; Casus sapientum.* Athenienses fulmina servabant. Hesychius: Ἀθηναῖοι ὁπότε δι' ἅρματος αὐτοῖς ἀστράψειεν, ἔπεμπον εἰς Δελφοὺς θεωροὺς τοὺς λεγομένους Πυθιαστάς: *Athenienses quoties per currum fulsisset mittebant theoros Delphos qui dicti Pythiastæ.* Unde proverb. ἀστράπτει δι' ἅρματος, *fulgurat per currum.* Consule Strabon. lib. 9. Suidas, ὅταν δι' ἅρματος ἀστράψῃ, ἐπὶ τῶν χρονίως γενομένων: *de iis quæ tarde fiunt.* Fuit vicus Bœotiæ infrequens Arma. Significationes tonitruum Constantinus Imp. in *Geoponicis* sic edisserit: Ἐχρῆν χρὴ πρώτην βροντὴν ἡγεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τὴν μετὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ κυνὸς γενομένην. ἐν κριῷ τῆς σελήνης οὔσης ἐὰν πρώτη βροντὴ γένηται, σημαίνει πτοηθῆναί τινας κατὰ τὴν χώραν, καὶ γενέσθαι ἀγωνίαν, καὶ φυγὴν ἀνθρώπων, ὕστερον δὲ κατάστασιν. ἐν ταύρῳ τῆς σελήνης οὔσης ἐὰν βροντήσῃ, φθορὰν σίτου, καὶ κριθῆς, καὶ ἀκρίδων ἔφοδον, ἐν δὲ βασιλικῇ αὐλῇ χαρὰν, τοῖς δὲ πρὸς ἀνατολὰς θλίψιν, καὶ λιμὸν, &c. *Illud tonitru primum habendum est quoque anno, quod post exortum canis existit. Sed observandum in qua Zodiaci domo Luna est, cum tonitru primum auditur. Si tonuit in ariete, terror, trepidatio, & fuga hominum significatur, quam tamen illico tranquillum excipiat. Si Luna in Tauro, hordei pernicies, irruptio locustarum, in aula principis lætitia, iis qui sunt ad ortum calamitas, & fames denuntiatur.* De fulminis natura vide Aristot. lib. 2. *Meteor.* cap. ult. lib. 3. cap. 1. Senecam lib. 2. *Natural. quæst.* Plin. lib. 2. cap. 43. Stobæum lib. 1. *eclog. Physic.* cap. 29. Toto anno fulmina mitti ostendit Servius ad hæc verba lib. 8. *Æneid.*

*Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ,*
*Addiderant rutili tres ignis, & alitis austri,*
*Fulgores nunc terrificos.*

*Et sciendum*, inquit, *hoc eum velle ostendere toto anno jaci fulmen. Nam per has periphrases tempora ostendit, quæ & quatuor esse, & ternos menses habere manifestum est.* Imbrem tortum grandinem vocat, *quæ abundat per hyemem*: nubem aquosam, ver, *quo tempore nimiæ sunt pluviæ*,

*——— ruit imbriferum ver.*

Rutilum ignem, æstatem: alitem austrum, autumnum. *Et bene in materiam fulminis vertit ea ex quibus fulmen nascitur, nubem, imbrem, ventum, ignem. Nam ut Physici volunt, cum nubes ventis vehementer agitatæ sunt, sic incalescunt, ut accendantur.* Fulmine caret pars australis. Statius lib. 1.

*——— Et te plaga lucida cœli*
*Plejadum, Boreæque, & hiulci fulminis expers*
*Sollicitet. ———*

---

## CAP. X.

*De fulminum & fulgurum significatione.*

IN *fulgurum interpretatione eo profecit scientia, ut ventura alia finito die præcinat, & an peremptura sint factum, aut apertura potius alia fata, quæ lateant innumerabilibus in utroque publicis, privatisque experimentis.* Plin. lib. 2. cap. 53. Dio lib. 38. τῆς γὰρ μαντείας τῆς δημοσίας ἔκτε τοῦ οἰωνοῦ, καὶ ἐξ ἄλλων τινῶν ποιουμένης τὸ μέγιστον κῦρος ἡ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εἶχεν οὕτως, ὥστε τὰ μὲν ἄλλα οἰωνίσματα πολλὰ, καὶ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν, ἐκεῖνο δὲ εἰσάπαξ ἐπὶ πᾶσι τῇ ἡμέρᾳ γενέσθαι, &c. *Cum auspicia publica Romani & de cœlo, & aliis quibusdam ex rebus capiant, plurimum auctoritatis cœlestia auguria habuerunt: ita ut alia quidem auspicia multa, & in singulis actionibus capiantur, de cœlo autem semel tantum uno die servetur. Proprium ei fuit, ut præ cæteris permitteret aliquid agi nullo deinde amplius augurio observato, aut inhiberet omnino, & comitia dissolveret. Porro quoties populus in suffragia iret, de cœlo servabatur.* Sueton. *Calig.* cap. 5. *Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cœlo tactum est. Item Romæ cella Palatini Atriensis.* Ovid. ad Liviam,

*Juppiter ante dedit fati mala signa futuri,*
*Flammifera petiit cum tria templa manu.*

Ecloga 1. Virgilius:

*De cœlo tactas memini prædicere quercus.*

Valerius oppugnationem Æquorum aggressus pro-

hibitus est divinitus. Jam enim progresso, & rem incœptanti ζόφος ἐξ ἐρανοῦ γίνεται, καὶ ὄμβρος πολὺς, καὶ ἄστραπαί τε, καὶ βρονταὶ σκληραὶ: *caligo de cœlo facta, & imber multus, & fulgura, & tonitrua aspera: exercitu tempestate disperso, confestim & tempestas ipsa conquievit, & magna serenitas rediit.* Τοῦτο δὴ τὸ ἔργον ὀττευσάμενος ὁ ὕπατος, καὶ τῶν μάντεων κωλυόντων πολιορκεῖν τὸ χωρίον: *hac religione vatumque monitis deterritus obsidere locum.* Dionys. lib. 9. Origin. *C. Manlii Cons. prætorium de cœlo tactum fuit: laceratum est fulmine tentorium, eversus foculus, arma vel fœdata, vel ambusta, vel in totum absumpta: extinctus unus e Consulis equis pulcherrimus, quo in prœliis uti consueverat, & famuli aliquot: ubi cum vates monerent Deos castrorum expugnationem, & clarissimorum virorum interitum portendere*, &c. Οἵ τε μάντεις ἀκριβέστερον τῶν ἄλλοθί που δοκοῦντες ἐξητακέναι τὰ μετάρσια, πόθεν τε αὐτῶν κεραυνῶν γίνονται βολαὶ, καὶ τίνες αὐτοὺς ὑποδέχονται μετὰ τὰς πληγὰς ἀπιόντας τόποι Θεῶν, οἷς ἕκαστοι ἀποδίδονται, καὶ τίνων ἀγαθῶν, ἢ κακῶν μηνυταί: *vates Hetrusci qui videntur diligentius cæteris omnibus ubi gentium sint, rimati esse sublimia, unde mittantur fulmina, quibus Diis tribuantur, in quæ Deorum loca post ictum illatum se recipiant, quid boni malive portendant.* De Hetruscis Sidonius Paneg. Majoriani:

*——Recto si tramite servat*
*Sidera Chaldæus, si Thessalus elicit umbras,*
*Fulgura si Thuscus novit, si gramina Colchus,*
*Si Lyciæ sortes sapiunt, si nostra volatu*
*Fata loquuntur aves, doctis balatibus Hammon,*
*Si sanctum sub sorte gemit. Si denique verum*
*Phœbe, Themis, Dodona canit.——*

Lucret. lib. 6.

*Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra,*
*Indicia occultæ Divum perquirere mentis.*

## CAP. XI.

### *De Bidentalibus, & rebus fulgure ictis.*

NON modo fulmina ipsa, sed loca etiam, & corpora fulmine icta religionis aliquid possederunt, & in locis fulguritis sacella tecto aperto posita sunt, quia nefas fuit fulgur integi. Puteal imponebatur loco sacro fulguribus ibi conditis, quod & ara, & sacellum fuit: fulgur ipsum pro fulmine sæpe ponitur. *Fulgere*, ait Festus, *olim ferire, unde fulgur, fulguritum, id est, fulmine ictum, qui locus statim putabatur fieri religiosus, quod eum sibi Deus dicasse videretur.* Consule Plutarchum in *Romaicis* cap. 83. Idem cap. 2. *sympos.* τῶν ὑπὸ κεραυνοῦ διαφθαρέντων ἄσηπτα τὰ σώματα διαμένει. Πολλοὶ δὲ οὐ κατακαίουσι, οὐδὲ κατορύττουσι, ἀλλ' ἐῶσι περιφράξαντες. *Eorum qui de cœlo tacti sunt corpora non putrescunt. Multi ea nec cremant, nec terra obruunt, sed ita relinquunt cum locum sepiverint.* Male igitur Euripides dixit, Φαέθων ἐν φάραγξι σήπεται νέκυς: *Phaethon in valle putrescit mortuus fulminis ictu.* Veter. Glos. *fulgur dium* κεραυνοβόλιον ἡμερινὸν, *bidentale* κεραυνοβόλιον, *fulgur summanum* κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωὶ νυκτερινὸν, *fulminis tactus nocturnus ante diluculum.* Quintil. Declam. 264. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit eodem sepeliatur.* Artemidorus lib. 2. cap. 8. οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μετατίθενται, ἀλλ' ὅπου ἂν ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταληφθῶσιν ἐνταῦθα θάπτονται: *Fulminati loco non moventur, sed ibi sepeliuntur ubi igne contacti sunt. Non enim cremantur, sed terra conduntur.* Tertull. *Qui de cœlo tangitur salvus est, ut nullo igne cinerescat.* Loca fulmine tacta, & corpora religiosa erant, quæ tangi, aut adiri nefas esset. In iis aræ ponebantur, & res divina fiebat: res de cœlo tactæ majoribus victimis procurabantur. Consule Ciceronem lib. 2. *de Legib.* Plaut. *Trinummo*: *Nam fulguritæ hic sunt alternæ arbores.* Zosim. lib. 2. Τούτῳ πρὸ τῆς οἰκίας ἄλσος ἦν ἐκ δένδρων μεγίστων. Τούτων πεσόντος κεραυνοῦ καταφλεχθέντων ἠπόρει πρὸς τὸ σημαινόμενον. *Huic ante domum saltus erat ex arboribus maximis, quæ cum fulmine deflagrassent, dubius erat quid portenderetur. Tangi loca ubi fulminati jaceant non licet*, ait Luctatius ad l. 10. *Theb.* Statii. Artemid. cap. 8. lib. 2. οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς ἐνδιατρίβειν ἔτι θέλει: *nemo in eis amplius versari vult*, unde & *evitandum* a Persio dicitur Satyr. 2. Artemid. τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας: *in bidentalibus aras positas, & sacra facta.* Superstitiosus est Plinius lib. 28. cap. 1. *E ligno fulgure icto rejectis post terga manibus aliquid admorderi oportet, & ad dentem qui dolet admoveri.* Sueton. in *Augusto*, *cum lecticam ejus fulgur perstrinxisset.* In *Domitiano*, *tot fulgura facta, auditaque sunt.* Vetus Persii Scholiastes; *In usu fuit, ut augures vel aruspices adacti de Hetruria certis temporibus fulgura transfigurata in lapides infra terram absconderent, cujus impetratione rei* (forte, *cujus in patratione rei*) *oves immolabantur. Bidental locus est sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas.* Sidonius Panegyr. 4.

*Nec quæ fulmine Thuscus expiato*
*Septum numina quærit ad bidental.*

Fronto, *bidental locus fulmine tactus, & expiatus ove.* Bidentes enim oves appellantur. Cornutus ad Satyr. 2. Persii. *Loca de cœlo tacta funesta, & violata putabantur.* Festus, *Eapropter Aruspex expiatus, & expiata consecrabat, consecrataque nefas calcare erat.* Paulus Diaconus in glossis: *Bidental locus bis de cœlo tactus*: male. Seneca lib. 1. de Clementia: *Ecquis erit cujus membra non statim aruspices colligant si Dii puniant?* Ammianus Marcell. lib. 20. *In Tagetis Thusci libris legitur, Væjovis fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitruum nec majores aliquos possint audire fragores.* Loca de cœlo tacta nec calcari, nec intueri fas esse docent rituales libri. Varro l. 4. *de ling. Lat. Lacum Curtium esse fulguratum, ideo ex Senatusconsulto septum esse a Curtio.* Festus, fulmine ictæ arbores, ad quas qui sacra commovent *strufertarii, strue & ferto faciunt.* Horat. epist. ad Pison.

*—— Aut triste bidental*
*Moverit incestus.——*

Juvenal. Satyr. 6.

*Atque aliquis senior qui publica fulmina condit.*

Vetus Scholiastes: *Quoties Pontifex diversos ignes colligit, & ignota quadam tacita prece locum aggestione consecrat.* Apulejus *Flor.* 1. *colliculum sepimine consecratum vocat. Loca enim religiosa sepiebantur.* Sueton. *Nerone* cap. 33. *Bustum Claudii consepiri nisi humili levique materia neglexit.* C. 50. *In eo monumento solium circumseptum est lapide Thasio.* Lucan. lib. 1.

*—— Aruns dispersi fulminis ignes*
*Colligit, & terræ mœsto cum murmure condit,*
*Datque locis numen: sacris tunc admovet aris*
*Electa cervice marem.——*

Fulminati non putiscunt, jacent eo loci ubi tacti sunt, *& veste candida amiciuntur.* Artemid. l. 2. c. 8. λαμπρὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῖς περιτίθεται. ὡς ὑπὸ Διὸς τετιμημένοις, *ut qui a Jove honorati sint.* οὐδεὶς κεραυνωθεὶς ἄτιμός ἐστι, ὅθεν καὶ ὡς Θεὸς τιμᾶται: *nemo fulguritus non honoratur, unde & ut Deus honoratur.* Plut. in *Sympos.* ἀλλ' ἐῶσι περιφράξαντες, *sed sinunt sapientes locum illum ut religiosus sit.* Scholiastes Cornutus ad Persium ait fulminatos in plana terra aggestu pulveris humatos, non in effossa terra conditos, lapidem autem fulminalem adhibito fulguratore terra defossum, cujus in patratione rei oves immolabantur. Lucan. lib. 8.

*Tarpeiis qui sæpe Diis sua thura negarunt*
*Inclusum Thusco venerantur cespite fulmen.*

Persius Satyr. 2.

*Triste jaces lucis, evitandumque bidental.*

*Bidental* est omnis locus qui de cœlo tactus est: vetus Glos. *Bibental*, τόπος κεραυνοπλήξ. Persius hominem κεραυνοπλῆγα *bidental* vocat, Glos. *bidentes* διόδοντα πρόβατα, *oves*, quæ duos dentes eminulos ediderint. Quæ neque agnæ sunt, quia illæ nondum dentes ediderunt, neque adasiæ, quia jam ejecerunt. *Legio fulminatrix*, κεραυνοβόλος, Militensis. Xiphil. in *M. Antonino, quia ejus precibus Deus* τοὺς πολεμίους κεραυνῷ ἔβαλε, *hostes fulmine percussit*. Sueton. de Augusto cap. 29. *Tonanti Jovi ædem consecravit liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset*. Plin. lib. 28. cap. 4. *Fulmine percusso circumactum in vulnus hominem loqui protinus constat*. Gellius lib. 4. cap. 5. *Statua Romæ in Comitio posita coctilis, de cœlo tacta est, ob id fulgur piaculis luendum aruspices ex Etruria acciti dixerunt, ea statua in locum editum erat subducenda*. Apian. in *Syriacis, cum a Seleuco Seleucia urbs conderetur, fulgure icta est, unde & fulgur Deus habitus*. Dio, Augustus τόπον, ὃν ἐν τῷ παλατίῳ ὥστε οἰκοδομῆσαί τινα ἐώνητο, ἐδημίωσε, καὶ τῷ Ἀπόλλωνι καθιέρωσεν, ἐπειδὰν κεραυνὸς ἐγκατέσκηψε, *locum quem in palatio emerat, ut quædam ædificaret, publicavit, & Apollini consecravit, quia fulmen incubuerat*. Plin. lib. 17. *Ceraunia quædam est quæ alibi non invenitur, quam in loco fulmine icto*. Ammianus lib. 23. *Quod militem celsi nominis cum bellatoriis jumentis fulgur extinxit, & hoc modo contacta nec intueri, nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri*. Artemidorus, οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μετατίθενται, ἀλλ' ὅπου ἂν ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταληφθῶσιν ἐνταῦθα θάπτονται. *Fulmine icti in alium locum non transferuntur, sed ibi sepeliuntur ubi de cœlo tacti sunt*. Plin. lib. 2. *hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi terra religio tradit*. Sepeliebantur ab aruspicibus. Seneca lib. 1. *de Clementia: Eo quis regum erit tutus, cujus non membra aruspices colligant? Quod si Dii placabiles, & æqui delicta potentium non statim fulminibus persequuntur*. Dionysius Halic. lib. 1. *Puteus prope ficum Rominam fuerat, qui cum de cœlo tactus esset, procuratus est iis locus, postea que operculo imposito puteal vocatus*. Nam puteal est operculum putei, ut Jurisconsulti ajunt, πῶμα τοῦ φρέατος. Festus, *Sacellum quod puteal appellatur, ante atria fecit Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella, atque illud non consecravit, quia in eo loco fulguris sacellum fuit, quod ignorarent fulgur conditum, quod nefas est integi, semper foramine aperto cœlum patet*. Puteal Libonis conditum a Scribonio Libone: cum neglectam religionem bidentalium, & locorum fulguritorum iram Deorum vererentur incurrere Romani, ex relatione Pontificum; negotium datum Scribonio Liboni, ut sacella conquireret: erant autem & sacella fulguris. Plin. lib. 16. cap. 18. *Ficus Romina arbor in foro ipso sacra fulguribus ibi conditis. Puteal impositum loco sacro, fulguribus ibi conditis*. Acro tribunal Prætoris ad puteal fuisse ait, non puteal fuisse tribunal Prætoris. Dionys. lib. 1. *Orig.* ei loco aram impositam scribit. *Locis enim fulguritis aræ*. Artemidorus lib. 2. ὁ κεραυνὸς τὰ ἄσημα τῶν χωρίων ἐπίσημα ποιεῖ διὰ τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας. *Fulmen obscura loca illustria facit, quia ibi aræ ponuntur, & sacrificia fiunt*. Τὰ δὲ πολυτελῆ χωρία ἔρημα καὶ ἄβατα ποιεῖ. οὐδεὶς γὰρ ἐν αὐτοῖς διατρίβειν ἔτι θέλει. De cœlo tacti sacri. Euripides *Supplicib.*

Ἀδρ. Τὸν μὲν Διὸς πληγέντα Καπανέα πυρὶ
Θησ. Ἡ χωρὶς, ἱερὸν ὡς νεκρὸν θάψαι θέλεις.
Χορ. Πυρὰν Διὸς θησαυρὸν ἔνθεν ἐστί σος
Πόσις δαμαθεὶς λαμπάσι κεραυνίοις.

*Capaneum Jovis igne ictum mortuum certe seorsim ut sacrum humare vis: rogum Jovis thesaurum, ubi vir tuus igne fulmineo domitus est. Certe omnes alios eodem rogo cremare vis. Ubi pones monumentum Capaneo separatim*, ποῦ δῆτα θήσεις μνῆμα τῷδε χωρίσας. Plin. lib. 2. cap. 54. *Quædam fulgura enuntiare non putant fas, nec audire, nisi hospiti, aut parenti indicentur. Homines superne icti considunt, vigilans ictus conniventibus oculis dormiens patentibus reperitur*. Theophrast. in Scopeliano *qui gemellus natus, in cunis cum fratre, de cœlo ictus est, nec tamen ullo sensuum diminutus: quanquam ignis fulminis adeo acutus est, cum sit sulphureus, ut eorum qui prope sunt, alios præ stupore occidat, alios auribus, & oculis deminuat, alios dementes faciat, a quibus omnibus Scopelianus liber fuit*. ἐν σπαργάνοις ὢν μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ, ὃς κεραυνῷ ἐβλήθη. ὁ δὲ οὐδὲ μὲν ἐπηρώθη τῶν αἰσθήσεων συγκατακείμενος τῷ βληθέντι. Καίτοι τὸ σκηπτῶν πῦρ οὕτω δριμὺ, καὶ θειῶδες, ὡς τῶν ἀγροῦ τοὺς μὲν ἀποκτείνειν κατ' ἔκπληξιν, τοὺς δὲ ἀκοάς τε, καὶ ὀφθαλμοὺς σίνεσθαι, τῶν δὲ εἰς τὸν νοῦν ἀποσκήπτειν. ἀλλ' οὐδενὶ τούτων ὁ Σκοπελιανὸς ἥλω. Theodoret. lib. 2. *Hist. Ecclesiast.* σκηπτὸς γὰρ οὐρανόθεν καταπεμφθεὶς τὸν σηκὸν ἐνέπρησεν ἅπαντα, καὶ αὐτὸ τὸ τοῦ Πυθίου ἄγαλμα κόνιν λεπτοτάτην ἀπέφηνεν. ξύλινον γὰρ ἦν ἔξωθεν (lego ἔσωθεν) ἀλλ' ἠλειμμένον χρυσῷ. *Fulmen de cœlo missum fanum cremavit omne, & ipsum Pythii Apollinis simulacrum in minutissimum cinerem redegit. Ligneum enim intus erat, sed auro illitum foris*. Loca quædam fuere quæ sæpius aliis fulmine ferirentur. Plin. lib. 2. cap. 55. *In Italia inter Tarracinam, & ædem Feroniæ, turres bellicis temporibus desiere fieri, nulla non earum fulmine diruta*. Theophrast. in Scopeliano, ἐδείπνουν κατὰ τὴν Λῆμνον ὑπὸ δρυὶ μεγάλῃ θερισταὶ ὀκτὼ περὶ τὸ καλούμενον Πέρας τῆς νήσου, &c. *Messores octo prandebant prope Lemnum sub arbore procera ad locum insulæ qui dicitur Peras, quasi trans insulam. Cum nebula quercum involvisset fulmine arbor icta est. Messores præ stupore mortui sunt, quisque eo habitu & statu, quo deprehensus est, nigri omnes, ut æreæ statuæ circa fontes calidos*. Cato lib. *de re Rust.* c. 14. *Si de cœlo villa tacta fiet, de ea re verba divina fiant, procuret*. Festus, *fanatica dicitur arbor fulmine icta*. Varro lib. 1. *de re Rust.* cap. 40. *Ab aruspicibus proditum in singulis arboribus, quot genera insita sint, uno ictu tot fulmina fieri in illud quod fulmen concepit*. Strufertarii *homines conducti mercede ad arbores fulguritas piacularium commissarum causa, sacrificia quædam strue & ferto solennibus verbis faciebant*, ut ex Festo liquet. PRECOR TE JUPITER UT MIHI VOLENS PROPITIUS SIES, *quod & nullo etiam fiebat adbibito strufertario, a ferto quodam sacrificii genere*. Strues genera liborum sunt digitorum conjunctorum non dissimilia, qui superjecta panicula in transversum continentur. Isidorus eosdem *fertores* vocat, id est, ferto libantes. Festus, *fertum genus libi dictum, quod crebius ad sacra ferebatur, nec sine strue altero libi genere, quæ qui adferebant strufertarii dicti*. Herodotus lib. 7. ὁρᾷς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ Θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέ μιν κνίζει. ὁρᾷς δὲ, ὡς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ, καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτα, ἐπισκήπτει βέλεα. *Vides quod animalia eminentia fulminat Deus, neque sinit extolli inani imagine, parva ne vellicat quidem: vides quod jacula fulguris feriunt insania ædificia, & proceras arbores*. Idem lib. 8. cum Persæ ad diripiendum Delphicum templum accederent, ἐκ μὲν τοῦ οὐρανοῦ κεραυνοὶ αὐτοῖσιν ἐνέπιπτον, ἀπὸ δὲ τοῦ Παρνασσοῦ ἀπαρραγεῖσαι δύο κορυφαὶ ἐφέροντο

πολλῷ πατάγῳ ἐς αὐτοὺς, *ex cœlo fulmina in eos incubuerunt, a Parnasso autem abrupti duo vertices magno sonitu in Persas ruebant*. Item Zosimus lib. 5. in *Honorio*, τῇ πρὸς τὸ θεῖον εὐχῇ καὶ κατὰ πάτρια θεραπείᾳ, βροντῶν ἐξαισίων, καὶ πρηστήρων γενομένων τοὺς ἐπικειμένους βαρβάρους ἀποδιῶξαι. Urbem Narniam *precibus ad Deos factis, & patrio ritu sacrificiis, barbaros derepente exorto tonitru & turbinibus abegisse*.

## CAP. XII.

*Cur obstita fulgurita dicantur.*

CATO obstita loca, *fanatica*, de cœlo tacta dixit. Festus pura vestimenta, id est, non obstita: *obstitum* est fulguritum, ab eo quod obliquum, *obstitum* dicebant. Fulgura autem duplicia, cœlestia, terrestria. Cœlestium ictus semper obliquus, ut casus semper obliquus, ait Plinius lib. 2. cap. 52. *Quare oblique fertur? Quia spiritu constat. Spiritus autem obliquus est, flexuosusque, quia natura ignem sursum vocat, injuria deorsum premit, incipit obliquus esse*, ait Seneca. Lucanus lib. 1.

*Qualiter expressum ventis per nubila fulmen*
*Terruit obliqua perstringens lumina flamma,*
*In sua templa furit, nullaque exire vetante*
*Materia, magnamque cadens, magnamque revertens*
*Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.*

## CAP. XIII.

*De locis & rebus fulguritis.*

AD ea quæ supra de locis fulguritis diximus hæc accedant. Dio lib. 42. Anno qui Milonis mortem sequutus est, κεραυνοὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον, καὶ ἐς τὸν τῆς τύχης τῆς δαιμονίας καλουμένης ναὸν, ἔς τε τοὺς τοῦ Καίσαρος κήπους κατέσκηψαν. Κἀνταῦθα ἵππος τις τῶν οὐκ ἠμελημένων ἀπέθανεν ὑπ' αὐτῶν, καὶ τὸ τυχαῖον αὐτόματος ἀνοίχθη. *Fulmina in Capitolium, & in templum Fortunæ, quæ divina dicitur, & in Cæsaris hortos incubuerunt. Equus inter pretiosos habitus exanimatus, delubrum Fortunæ sponte sua apertum est*. Appianus, Σελεύκῳ τὴν Σελεύκειαν οἰκίζοντι φασὶ τὴν ἐπὶ θαλάσσῃ διοσημίαν ἡγήσασθαι κεραυνοῦ, καὶ διὰ τοῦτο θεὸν αὐτοῖς κεραυνὸν ἔθετο, καὶ θρησκεύουσι ὑμνοῦσι, καὶ νῦν κεραυνόν. *Seleuco in condenda ad mare Seleucia secutum augurium fulminis, ideoque ibi fulmen tanquam numen consecratum, hodieque coli hymnis, ac cerimoniis*. Plutarchus in *Paulo Æmilio*, fulmen θυσίαν ἐπέφλεγε, καὶ συγκαθήγισε, *sacrificium exussit, & sacravit*. Suetonius in *Domitiano* c. 15. *Continuis octo mensibus tot fulgura facta, nuntiataque sunt, ut exclamaverit*, feriat jam qui volet. *Tactum de cœlo Capitolium, templumque Flaviæ gentis. Item domus Palatina, & cubiculum ipsius, atque etiam e basi statuæ triumphalis titulus excussus vi procellæ, in monimentum proximum decidit*. Ammian. Marcel. lib. 30. *Apud Sirmium repentino fulgore nubium fulmen excussum Palatii & curiæ partem incendit, & fori*. Mors denuntiata Valentiniano. Vopiscus in *Caro*: *Carus, ut alii dicunt, morbo, ut plures, fulmine interemptus est. Negari non potest eo tempore quo periit tantum fuisse subito tonitruum, ut multi terrore ipso exanimati esse dicantur. Cum igitur ægrotaret, atque in tentorio jaceret, ingenti exorta tempestate immani coruscatione, immaniori, ut diximus tonitru exanimatus est*. Festus, *fanatica dicitur arbor fulmine icta*. Xiphilinus in *Nerone*: καὶ ὃ δὴ καὶ μάλιστα ἄν τις αὖθις ἐτεκμήρατο, ἐκ τοῦ δαιμονίου γεγονέναι, σκηπτός ποτε τὸ δεῖπνον αὐτοῦ πᾶν εἰσφερόμενον οἱ κατέφλεξε. *Et quod maxime quis divinitus factum autumet, fulmen ejus omne prandium quod in mensam inferebatur exussit*. Philostratus in *Palamede*: Æsculapius ἐβέβλητο κεραυνῷ. *Aesculapius fulmine percussus est*: Seneca in *Thyeste*;

*Quem non concutiet cadens*
*Obliqui via fulminis.*

Dio lib. 54. Βοαί τε γὰρ τῇ πόλει συνεφοίτησαν, καὶ κεραυνὸς ἐς τὴν ἐν τῷ Ἀλβανῷ οἰκίαν εἰς ἣν ὕπατοι ἐν ταῖς ἱερουργείαις καταλύουσι ἐνέσκηψε. *Cometa cum multos dies urbi imminens apparuisset*. ἐς λαμπάδας διελύθη, *in lampadas solutus est. Incendio multa ædificia, ac Romuli inter hæc tabernaculum conflagravit, cum in id corvi carnes ignitas ab ara quadam raptas conjecissent*. Idem lib. 55. *Cum Drusus adversus Cattos iret, multa & alia procella, & fulminibus, maxime vero templa corrupta sunt*, τόν τε σύνναον αὐτοῦ κακωθῆναι, *ita ut & templum Jovis Capitolini, & fanum ei adjunctum læderetur*.

## CAP. XIV.

*De Fulmine contactis, & eorum procuratione.*

FULMINE hominem tangi Romanæ Reip. inauspicatum, & triste fuit. Livius lib. 22. c. 26. *Ariciæ nuntiatum erat sub idem tempus lapidibus pluisse, & multo cruore, signa in Sabinis cædis, aquas e fonte calidas manasse, & in via fornicata quæ ad campum erat, aliquot homines de cœlo tacti, exanimatique fuerant. Ea prodigia ex libris procurata*. L. 28. c. 11. *Tarracinæ Jovis ædem Satrici matris Matutæ de cœlo tactam. Et ædes Cereris, Salutis, Quirini de cœlo tactæ. Prodigia Consules hostis majoribus procurare jussi, & supplicationem una die habere. Ea ex SC. facta*. L. 24. c. 44. *Murus ac portæ tactæ, & Ariciæ etiam Jovis ædes de cœlo tacta fuerat. Navium longarum species in flumine Tarracinæ, quæ nullæ erant visæ, & in Jovis Vicilini templo, quod in Compsano agro est arma concrepuisse, & flumen Amiterni cruentum fluxisse. His procuratis ex decreto Pontificum*. Libro 30. cap. 2. *Editi a Collegio Pontificum Dii quibus sacrificaretur*. Cap. 38. *Cumis Solis orbis minui visus, & pluit lapideo imbri, & in Veliterno agro terra ingentibus cavernis consedit, arboresque in profundum haustæ. Ariciæ forum & circa tabernæ, Frusinone murus aliquot locis, & porta de cœlo tacta, & in palatio lapidibus pluit. Id prodigium more patrio novendiali sacro, cætera hostiis majoribus expiata*. Lib. 32 c. 1. *Ab Suessa nunciatum est duas portas, quodque inter eas muri erat de cœlo tactum, & Formiani legati ædem Jovis*. Item, *Ostienses ædem Jovis, & Veliterni Apollinis, & Sangi ædes, & in Herculis æde capillum enatum, & ex Brutiis ab Q. Minutio Proprætore scriptum, equuleum cum quinque pedibus, pullos gallinaceos tres cum ternis pedibus natos esse. Lauream in puppi navis longæ enatam. Priorum prodigiorum causa Senatus censuerat, ut Consul majoribus hostiis quibus Diis videretur, sacrificaret. Ob hoc unum prodigium aruspices in Senatum vocati, atque ex responso eorum supplicatio populo in diem unum edicta, & ad omnia pulvinaria res divinæ factæ*. Cap. 9. *De cœlo tacta erant via publica Veiis, forum, & ædes Jovis Lanuvii, Herculis ædes Ardeæ, Capuæ murus, & turres, & ædes quæ alba dicitur. Cœlum ardere visum erat Arretii. Terra Velitris trium jugerum spatio caverna ingenti desederat. Suessæ Arumcæ nunciabant agnum cum duobus capitibus natum, & Sinvessæ porcum humano capite. Eorum prodigiorum causa supplicatio unum diem habita, & Consules rebus divinis operam dederunt*. Lib. 41. cap. 9. *Capuæ multa in foro ædificia de cœlo tacta, & Puteolis duas naves fulminis ictu concrematas esse*, &c. *Eorum prodigiorum causa Consules majores hostias immolarunt, & diem unam circa omnia pulvinaria supplicatio fuit*.

Lib. 43. cap. 13. *Publicorum prodigiorum causa libri a Decemviris aditi, quadraginta majoribus hostiis quibus Diis Consules sacrificarent, & addiderunt ut supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset.* Lib. 3. cap. 5. *His avertendis terroribus in triduum feriæ indictæ, per quas omnia delubra pacem Deum exposcentium virorum, mulierumque turba implebantur.* Capite 10. *Libri per Duumviros sacrorum aditi pericula a conventu alienigenarum prædicta.* Lib. 27. cap. 4. *Tusculi agnum cum ubere lactanti natum. Jovis ædis culmen fulmine ictum, ac prope omni tecto nudatum, Anagniæ terram ante portam ictam, diem ac noctem sine ullo ignis alimento arsisse, & aves ad compitum Anagnium in luco Dianæ nidos in arboribus reliquisse. Tarracinæ in mari haud procul angues magnitudinis miræ lascivientium piscium more exultasse. Tarquiniis porcum cum ore humano genitum, & in agro Capenate ad lucum Feroniæ quatuor signa sanguine multo diem ac noctem sudasse. Hæc prodigia hostiis majoribus procurata decreto Pontificum, & supplicatio diem unum Romæ ad omnia pulvinaria, alterum in Capenate agro ad Feroniæ lucum indicta.* Lib. 24. cap. 10. *Tacta de cœlo atrium publicum in Capitolio, ædem in campo Vulcani, nucem in Sabinis, publicaque viam, murum ac portam Gabiis. Hæc prodigia hostis majoribus procurata sunt ex Aruspicum responso, & supplicatio omnibus Diis quorum pulvinaria Romæ sint indicta.* Lib. 1. cap. 56. *Cum ad publica prodigia Etrusci tantum vates adhiberentur, Tarquinius Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum mittere statuit.*

## CAP. XIV.

### *De fulminibus eliciendis.*

AD fulmina elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio aram Numa in Aventino dicavit, ait Livius lib. 1. Plin. lib. 28. cap. 2. *Tullum Hostilium regem ex Numæ libris eodem quo illum sacrificio Jovem cœlo devocare conatum, quoniam parum rite quædam fecisset, fulmine ictum.* Lib. 2. cap. 52. *lucos, & sacra habemus, inter quæ, statores, & tonantes, & feretrios, Elicium quoque accepimus Jovem. Extat Annalium memoria sacris quibusdam, & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Hetruriæ est, impetratum Volsiniis, & urbe, & agris depopulatis subeunte monstro, quod vocavere Voltam. Evocatum est a Perpenna rege, & antem eum a Numa sæpius hoc factitatum,* &c. *Quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine.* De Tullo Hostilio Livius l. 1. Dionys. lib. 3. *Orig.* καταπρησθῆναι δὲ τὴν οἰκίαν οἱ μὲν ὑπὸ κεραυνοῦ λέγουσι, μηνίσαντος τοῦ Θεοῦ διʼ ὀλιγωρίαν τινῶν ἱερῶν. *Conflagrasse ejus domum fulmine quidam dicunt irato Deo, ob neglecta quædam sacra.* Servius ad hæc verba lib. 4.

*Qui fulmina fœdere sancit.*

*Apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Livius lib. 5. *Quæque prodigia fulminibus, aliove quovis modo missa susciperentur, atque curarentur ad ea elicienda ex mentibus divinis Jovi Elicio aram in Aventino dicavit.* Philostrat. lib. 3. cap. 3 Bacchus, & Hercules miserunt Panes, rusticos Deos, ut collem in quo morabantur sapientes Indiæ occuparent, ἐμβροντηθέντας δὲ αὐτοὺς ὑπὸ τῶν σοφῶν πεσεῖν, ἄλλον ἄλλως, *qui attoniti a sapientibus alius alibi cecidere.* Festus, *Aquælicium dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, ut quondam, si creditur, manali lapide in urbem ducto.* Tertull. *Aquælicia Jovi immolatis. Thuscus aquilex vulgo dictus, quia ex Hetruria Aquilices.* Plinius lib. 2. cap. 54. *Læva prospera existimantur, quo-*

A *niam læva parte mundi ortus est. Nec tamen adventus spectatur quam reditus, sive ab ictu resiliat ignis, sive opere confecto, aut igne consumpto spiritus remeet.* Sueton. in *Calig.* cap. 57. *Capitolium Capuæ idibus Martiis de cœlo tactum est. Item cella Palatini atriensis, nec defuerunt, qui conjectarent altero ostento periculum a custodibus domino portendi, altero cædem rursus insignem, qualis eodem die quondam facta fuisset.* Dionysius Halicarn. lib. 9. *Castra Aequorum obsidere probibitus est Consul, quia* προϊόντι αὐτῷ, καὶ ἤδη ἔργου ἐχομένῳ ζόφος ἐξ οὐρανοῦ γίνεται, καὶ ὄμβρος πολὺς, καὶ ἀστραπαί τε, καὶ βρονταὶ σκληραὶ διασκεδασθείσης δὲ τῆς στρατιᾶς, ὅτε χειμὼν εὐθὺς ἐπαύσατο, καὶ πολλὴ κατέσχε τὸν τόπον
B αἰθρία, *ei procedenti, & jam operi instanti caligo de cœlo facta est, & imber vehemens, & fulgura ac tonitrua dira. Cum autem exercitus distractus esset, procella subito quievit, & serenum ac sudum fuit.* Zozimus lib. 2. *Valeso Valesio inter Sabinos illustri pro foribus ædium saltus fuit ex arboribus maximis, quæ cum fulmine conflagrassent, anxie quærebat quid portenderetur: morbo autem correptis filiis ejus qui medicorum artem vinceret,* τούτῳ πρὸ τῆς οἰκίας ἄλσος ἦν ἐκ δένδρων μεγίστων. τούτων πεσόντος κεραυνοῦ καταφλεχθέντων ἠπόρει πρὸς τὸ σημαινόμενον. νόσου δὲ τοῖς αὐτοῦ παισὶ ἐνσκηψάσης ὑπὲρ τὴν ἰατρῶν τέχνην. Idem l. 4. τούτου τελευτήσαντος ἐμπεσὼν τῷ Σιρμίῳ σκηπτὸς τὰ βασίλεια κατέφλεξε, καὶ τὴν ἀγοράν. ἔδοξε δὲ
C τοῖς τὰ τοιαῦτα κρίνειν δυνατοῖς οὐκ αἴσιον τοῖς κοινοῖς πράγμασι εἶναι τὸ τέρας. ἐσείσθη δὲ καὶ Κρήτη σφοδρότερον. Valentiniano *mortuo fulmen Sirmio illapsum regiam exussit & forum: visum est peritis earum rerum portentum illud non auspicatum esse publico. Sed & Creta violentius mota est, & universa Græcia exceptis Athenis, quod Nestorius* ἱεροφανθεῖν τεταγμένος, *Sacerdotio inauguratus Achilli Heroi somnio monitus honorem habuisset.* Xiphilinus in *Severo,* ἀνδριάντι Σεβήρου πρὸς ταῖς πύλαις διʼ ὧν ἐκστρατεύσειν ἔμελλεν εἰς Βρεταννίαν ἑστῶτι καὶ πρὸς τὴν ὁδὸν ἐκεῖσε φέρουσαν ἀποβλέποντι σκηπτὸς ἐμπεσὼν τρία ἀπὸ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ γράμματα ἀπήλειψε, καὶ διὰ τοῦ-
D το, ὡς οἱ μάντεις ἀπεφήναντο, οὐκ ἐπανῆκεν. *Statuæ Severi ad portas quibus in Britanniam exiturus erat positæ, respicienti viam fulmen incidens tres literas ex ejus nomine delevit, ideo non rediit, ut aruspices interpretati sunt.* Herodotus l. 7. Ξέρξῃ ὑπὸ τῇ Ἴδῃ νύκτα ἀναμείναντι βρονταί, καὶ πρηστῆρες ἐπεισπίπτουσι, καί τινα αὐτοῦ ταύτῃ συχνὸν ὅμιλον διέφθειρεν. *Xerxi sub Ida noctem expectanti tonitrua & presteres incidunt, & frequentem cœtum eorum qui ibi erant perdidit.* L. 4. Σκύλου ἦν ἐν Βορυσθενειτῶν πόλει οἰκίας μεγάλης καὶ πολυτελείος περιβολὴ τὴν πέριξ λευκοῦ λίθου Σφίγγες τε καὶ Γρύπες ἕστασαν. ἐς ταύτην ὁ Θεὸς ἐπέσκηψε βέλος, καὶ ἡ μὲν κατεκάη πᾶσα. *Scyli erat in urbe Borystenica magnæ & super-*
E *bæ domus ambitus, quam circum ex albo lapide gryphes & sphinges stabant. In eam Deus fulmen misit, & omnis conflagravit. Is paulo post a suis interemptus est.* Seneca in *Octavio*:

*Qui sæpe terras fulmine infesto quatit,*
*Mentesque nostras ignibus terret sacris,*
*Novisque mostris. Vidimus cœlo jubar*
*Ardens, Cometam pandere infestam facem,*
*Qua plaustra tardus noctis æterna vice*
*Regit Bootes frigido arctoo rigens.*

Appianus lib. 1. *Civilium*, Carbone Comitia Consularia habente, κεραυνοῦ δὲ πεσόντος εἰς τὸ τῆς σελήνης, καὶ τὸ τῆς Δήμητρος ἱερὸν, οἱ μάντεις ὑπὲρ τὰς θερινὰς τροπὰς
F ἀνετίθεντο τὰς χειροτονίας, καὶ μόνος ἦρχεν ὁ Κάρβων, *fulmen cum decidisset in templum Lunæ & Cereris, augures rejecerunt Comitia, & suffragia post æstivum solstitium, & solus Carbo in Imperio fuit.* Virgil. 2. lib. 9.

*Audiit, & Cœli genitor de parte sinistra*
*Intonuit.*

Ita & Homer. *Odyss.* lib. υ

## CAP. XV.

### *Fulmen nuptiarum omen.*

QUÆDAM fulmina auſpicata fuiſſe oſtendimus; ut & regnum, aut nuptias interdum portendere putarentur. Virgil. 4. *Æneid.*

*—— Prima & tellus, & pronuba Juno*
*Dant ſignum, fulſere ignes, & conſcius æther*
*Connubii, ſummoque ulularunt vertice nymphæ.*

Claudianus lib. 2. *de Raptu.*

*—— Ni Juppiter æthere ſummo*
*Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas*
*Confeſſus generum, nimbis hymenæon hiulcis*
*Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.*

## CAP. XVI.

### *Fulmen pro calamitate.*

FULMEN interdum pro calamitate ponitur. Petronius, *fulminatus illa denuntiatione.* Artemidorus ait vulgo *fulminatos eos dici, qui ſententia judicis condemnati ſint.* Lib. 2. c. 3. Καὶ γὰρ τοὺς καταδικασθέντας κεραυνοῦσθαι φαμέν. Statius lib. 5. *Sylvar.* ad Criſpinum:

*—— ſuccinctaque judice multo*
*Surgeret, & caſtum vibraret Julia fulmen.*

Juvenal. Sat. 8.

*—— quam fulmine juſto,*
*Et Capito & Numitor ruerint damnante Senatu.*

Plin. lib. 2. cap. 20.

## CAP. XVII.

### *Fulmen regni omen.*

REGALIA fulmina ſupra poſuimus, quæ regnum portenderent. Capitolinus de Maximino, *lanceola ejus ſic fiſſa eſt fulmine, ut tota etiam per ferrum ſcinderetur, & duas partes faceret, unde dixerunt aruſpices, non diuturnos ex una domo iiſdem nominibus Imperatores futuros.* Idem in *Antonino Pio*: *Cyzici de ſimulacro Dei ad ſtatuam Antonini Pii corona tranſlata eſt, fulgur ſine noxa in ejus domum ſereno cœlo venit. Ejus ſtatuas in omni Hetruria examen apum replevit.* Vopiſcus *Probo*: *Cum imago Probi in agro Veronenſi fulmine icta eſſet, ita ut ejus purpura colores mutaret, aruſpices reſponderunt ejus poſteros magnæ claritudinis fore.*

## CAP. XVIII.

### *De Terræ mugitu.*

AD ea quæ de terræ mugitu ſupra dixi, hæc adjungo, mugitum terræ inter prodigia cenſeri. Seneca in *Thyeſte*:

*Imo mugit e fundo ſolum, tonat dies ſerenus.*

In *Oedipo*,

*Rupiſſe canem fama, & noſtris*
*Erraſſe locis, mugiſſe ſolum.*

Item,

*Terra ſe retro dedit, gemuitque penitus.*

Claudianus,

*Ecce repens mugire fragor.*

Virgil.

*Magno cum murmure montis*
*Circum clauſtra fremunt.*

Item l. 5.

*Sub pedibus mugire ſolum, & juga celſa moveri.*

Seneca in *Troadib.*

*Cum ſubito cæco terra mugitu fremens*
*Concuſſa cœcos traxit ex imo ſonos.*
*Movere ſylvæ capita, & excelſum nemus*
*Fragore vaſto tonuit.*

Ariſtotel. lib. 2. *Meteor.* ὥσπερ λέγουσιν οἱ τερατολογοῦντες μυκᾶσθαι τὴν γῆν, *ut portentorum narratores mugire terram ajunt.* Plin. l. 2. *Natural. Hiſtoriæ Terræ motum præcedit, & comitatur terribilis ſonus, alias murmur, ſimilis mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulſantium fragori.* Ariſtot. in Problemat. ſcribit *in paludibus juxta fluvios fieri ſonos qui vocantur* bomugi, *quos ſacros Dei tauros eſſe fabulantur.* Saliſberienſis l. 1. *Polycrat.* in fine terræ mugitum fieri ait. Legendus Dio in *Tito* & *Trajano*, & *Severo.* Ariſtot. l. 2. *Meteor.* c. 8. ἡ γῆ καθ' αὑτὴν μὲν ξηρὰ, διὰ τοὺς ὄμβρους ἔχουσα ἐν αὑτῇ νοτίδα πολλὴν, ὥστε ὑπό τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ ἐν αὑτῇ πυρὸς θερμενομένη, πολὺ μὲν ἔξω, πολὺ δ' ἐντὸς γίνεσθαι πνεῦμα, &c. *Terra per ſe ſicca eſt, ob imbres multum in ſe humidum habet, quæ cum igne inteſtino & Sole incaluerit, multum foris, multum intus ſpiritum fieri neceſſe eſt, qui interdum continuus foras erumpit, interdum intus fluit, interdum dividitur. Spiritus autem quia ſubtilis & penetrans per corpora, maximam movendi vim habet, maxime cum ſpiritus qui intus eſt, foras erumpit. Ideo cum venti ſilent, maximi terræ motus fiunt*, διὸ γίνονται νηνεμίᾳ οἱ πλεῖστοι καὶ μέγιστοι τῶν σεισμῶν, ἐν τῇ ἱερᾷ νήσῳ ἐξανῴδει τι τῆς γῆς, καὶ ἀνήει οἷον λοφώδης ὄγκος μετὰ ψόφου, *in ſacra inſula quæ una eſt ex Aeoliis intumeſcit aliquid terræ. & adſcendit quaſi tumor extuberans cum ſtrepitu.* Item, ποιεῖ δὲ καὶ τοὺς ψόφους τοὺς ὑπὸ τὴν γῆν γινομένους τὸ πνεῦμα, καὶ τοὺς πρὸ τῶν σεισμῶν, *ſpiritus etiam facis ſtrepitus ſub terra, maxime eos qui ſunt antequam terra moveat.* Καὶ ἄνευ σεισμῶν ἤδη πού γεγόνασι ὑπὸ γῆν· ὥσπερ γὰρ ῥαπιζόμενος ὁ ἀὴρ παντοδαπούς ἀφίησι ψόφους, οὕτω καὶ τύπτων αὐτός. τὸ γὰρ τύπτον ἅμα, καὶ αὐτὸ τύπτεται πᾶν, προέρχεται δὲ ὁ ψόφος τῆς κινήσεως· διὰ τὸ λεπτομερῆ εἶναι, καὶ μᾶλλον διὰ παντὸς ἰέναι τοῦ πνεύματος τὸν ψόφον. *Sæpe ſonitus fiunt ſine terræ motu ſub terra. Sicuti enim verberatus aer omne genus ſonitus emittit, ita & verberans ipſe ac impellens. Quod enim verberat & ipſum verberatur, progreditur autem ſonitus motionis, quia ſit tenuium partium, & quia ſonitus ſpiritus magis per omne corpus eat. Cum autem ſpiritus minor eſt, quam ut terram movere poſſit propter tenuitatem, quia facile tranſcolatur, movere non poteſt.* διὰ δὲ τὸ προσπίπτειν στεροῖς ὄγκοις, καὶ κοίλοις, καὶ παντοδαποῖς σχήμασι παντοδαπὰς ἀφίησι φωνὰς, *quia autem appellit ad tumores ſolidos, & cavos, & omnis formæ, voces omnis generis emittit.*

## CAP. XIX.

### *De Remediis fulminis.*

VETERES varia fulminis remedia reperere, laurum, vituli marini pellem, vitem albam Columella lib. 10.

*Utque Jovis magni prohiberet fulmina Tharchon,*
*Sæpe ſuas ſedes percinxit vitibus albis.*
*Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron*
*Nocturnas volucres crucibus ſuſpendet, & altis*
*Culminibus metuet feralia carmina flere.*

Plin. l. 10. c. 3. *Aquila fulmine non exanimatur, ideo armiger hujus teli fingitur.* Lib. 2. c. 55. *Aquila, vitulus marinus, & laurus fulmine non feriuntur.* Suet. in *Auguſt.* c. 90. *Tonitrua, & fulgura expaveſcebat, ut ſemper, & ubique pellem vituli marini cir-*

*cumferret pro remedio. Tiberius tonitrua præter modum expavescebat, & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream cervice gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis*, ait idem c. 69. Plutarchus lib. 5. *Sympos. problem.* 9. *Fulmini pellis vituli marini & ficus opponuntur*. Spartianus in *Severo* legendus. Libet hic quædam subjicere ex Constantini *Geoponicis* & Philostrato, φασὶ δέ τινες ὅτι κάτοπτρον ἐὰν ἐπιδείξῃς τῷ ἐπικειμένῳ νέφει παρελεύσεται ἡ χάλαζα. πάλιν ἐὰν τῷ χωρίῳ περιαγάγῃς ὑαίνης ἢ κροκοδείλου ἢ φώκης δέρμα, καὶ τοῦτο πρὸ πυλῶν τῆς οἰκήσεως ἀναρτήσῃς, οὐ πεσεῖται χάλαζα. εἰ δὲ κλειδία πολλὰ διαφόρων οἰκημάτων κύκλῳ τοῦ χωρίου ἐν χοινίοις ἀπαρτήσῃς, παρελεύσεται ἡ χάλαζα, &c. ἱπποποτάμου δέρμα κρύψον ἐντὸς τοῦ χωρίου καὶ οὐ πεσεῖται κεραυνός. Multa alia ibidem leges, quæ quia superstitiosa sunt, silentio damnanda judico.

---

## CAP. XX.

### *De Tuberibus & Conchis.*

TONITRUA facere ad generationem tuberum, & concharum vulgo creditum est, apud Athenæum lib. 2. Juvenalis:

—— *Post hunc radentur tubera, si ver*
*Tunc erit, aut facient optata tonitrua cœnas*
*Majores.* ——

Athenæus, καὶ μᾶλλον ὅταν αἱ βρονταὶ, ὡς ταύτης αἰτιωτέρας οὔσης. Idem lib. 3. docet frequentia tonitruum margaritarum adjuvari generationem, quod negat Plinius.

---

## CAP. XXI.

### *De significatione fulminis.*

AD ea quæ de significatione fulminis diximus hæc addo. Inter fulgurum interpretes Romulum principem locum tenuisse volunt. Sextus Aurel. Victor: *At ego, inquit Romulus, jam 12. tibi demonstrabo, ac repente 12. vultures apparuisse, subsequuto cœli fragore pariter tonitruque*. Plin. l. 18. c. 35. *Cum æstate vehementius tonuit, quam fulsit, ventos ex ea parte denuntiat, contra si minus tonuit, imbrem. Cum sereno cœlo fulget, pluviæ erunt, & tonitrua, & hyemabit, atrocissime autem, cum ex omnibus 4. partibus cœli fulgurabit*, &c. Vis fulminum supra auguria, &

A extispicia fuit. Seneca l. 2. *Nat. Q.* c. 34. *Quicquid exta, quicquid aves minabuntur, secundo fulmine abolebitur, quicquid fulmine denuntiatum est, nec extis, nec ave contraria refellitur*. Hesych. ἐχεσημία ὅτε θέρους ὄντος ψεκάσει, ἢ βροντήσει (lege διοσημία.) *signum Jovis est quando per æstatem ros fit, aut tonat*. διοσημίαν Dio vocat p. 74. διοσημεῖον ἐναίσιον ἐξαίσιον. *Fulmine tacta vite Diis libare nefas*. Plin. l. 14. c. 19. l. 16. c. 6. *Haliphloeos quercus fulmine sæpissime icitur, quamvis altitudine non excellat, ideo ligno ejus nec ad sacrificia uti fas habetur*. L. 15. c. 15. *Nec spinas inseri, quando fulgura expiari non queunt facile, quotque genera insita fuerint, tot fulgura uno ictu pronuntiantur, morum ramo seri*
B *religio fulgurum probibet*. Suetonius in *Tiberio* c. 69. *Tonitrua tum præter modum expavescebat, & turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis*. In India nulla fulmina, Ctesias, βρονταὶ, καὶ ἀστραπαὶ, καὶ ὑετοὶ οὐκ εἰσιν αὐτῇ Ἰνδίῃ, ἄνεμοι δὲ πολλοὶ, καὶ πρηστῆρες, καὶ ἁρπάζουσιν ὅτι ἂν λάβωσι. Philostrat. l. 8. de vita Apollonii, γεινομένης γὰρ ποτε ἐκλείψεως ἡλίου, καὶ βροντῆς ἐκδοθείσης, ὅπερ ἥκιστα ἐν ἐκλείψει δοκεῖ ξυμβαίνειν, ἀναβλέψας ἐς τὸν οὐρανὸν ἔσαι τι ἔφη. Apollonius, καὶ οὐκ ἔσαι. *Tertia die post defectionem Solis omnibus oraculum innotuit*. σιτουμένου γὰρ τοῦ Νέρωνος ἐμπεσὼν τῇ τραπέζῃ σκηπτὸς διήλασε
C τὴν κύλικος ἐν χεροῖν οὔσης, καὶ οὐ πολὺ ἀπεχούσης τοῦ στόματος. Polyænus l. 2. ad Onium cum Lacedæmonii castra loco minus opportuno posuissent, & tonitrua, fulguraque increbrescerent, concurrere cum hoste aruspices vetuerunt, quibus Epaminondas dixit, τοὺς πολεμίους ἐν τοιούτῳ πεδίῳ στρατοπεδεύσαντας ἐμβεβροντῆσθαι. Itaque cum hoste congressus vicit. Suetonius in *Nerone*: *Subinde tacta de cœlo Cæsarum æde capita omnibus simul statuis deciderunt*. In *Galba*: *Acciditque ut cum provinciam Tarraconensem ingressus significaret, intra ædem publicam puero e ministris acerram tenenti capillus repente toto capite canesceret. Nec multo post in Cantabriæ lacum fulmen decidit, repertæque sunt*
D *12. secures haud ambiguum summi Imperii signum*. Pausan. in *Eliacis*. Phidias cum Jovis Pisæi simulacrum perfecisset, ηὔξατο ἐπισημᾶναι τὸν Θεὸν εἰ τὸ ἔργον ἐστὶν αὐτῷ κατὰ γνώμην. αὐτίκα δὲ ἐς τοῦτο τοῦ ἐδάφους κατασκῆψαι τὸν κεραυνόν. Suetonius in *Augusto*: *Antiquitus tacta de cœlo parte muri responsum est, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum*. Cap. 95. *post. necem Cæsaris reverso ab Apollonia, & ingrediente eo urbem liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambiit, ac subinde Juliæ Cæsaris filiæ monimentum fulmine ictum est*.

# JOANN. BAPT.
# BELLI CAVARIS SALYI
## E SOCIETATE JESU
# DIATRIBA
## DE
## PARTIBUS TEMPLI
# AUGURALIS

---

*ILLUSTRISSIMO VIRO*

**D. D. PETRO POTERIO**

**TERRASSIO TOLOSANI**

SENATUS PRÆSIDI

*DIADEMATO*

**JOANNES BAPTISTA BELLUS**

e Societate Jesu S.



*EDILEM te huic templo noſtro* ( Præſes Illuſtriſſime ) *quam auſpicato præficiam; novit imprimis quiſquis ingenii tui acumen, morum facilitatem, eruditionem præcipuam non ignorat. Facit morum illa mirabilis facilitas ut auderem; ingenii & eruditionis felicitas ut vellem. Magni nominis auctoritatem & dignitatem muneris ut magna eſſet & tuæ non impar, tergeminæ illius laudis expertem ambirem fruſtra ad patrocinii ſecuritatem. Amicitiæ magnæ pallor, iners eſt & inutilis in publica luce pugnaturo. Apex ille dignitatis tuæ, quamquam ſublimis eſt & vulgi verticibus impoſitus, inacceſſus tamen non eſt, eorum more qui faſtigium ſuum aſperis in rupibus & humano niſu ſuperioribus collocatum, fulminibus & maligna luce circumſepiunt. Benignioribus radiis fulget ſplendor dignitatis tuæ & molliſſimos aditus quo illuſtrior eo explicat luculentius,*

— tu mitis & acri
Aſperitate carens, poſitoque per omnia faſtu
Inter & æquales unus numeraris amicos,
Obſequiumque doces & amorem quæris amando.
Mira ſubeſt gravitas inter fora, mirus omiſſa
Pauliſper gravitate lepos.

*Ingenii vero & eruditionis ſingularem præſtantiam publicis quotidie in foro judiciis*

*& fama communi pervulgatam , expertus ego ſæpius ſum & admiratus . Cum mutuis illis crebriſque congreſſionibus quibus mecum certare etiam voluiſti , facilitatem morum probaturus , ingenii ſolertiam incredibilem , & bonarum litterarum patricios cultus adprobaſti ; vel in hoc ipſo Augurali deſignando templo , cujus partes in hac Diatriba perſequimur . Quoties enim in confragoſo aliquo veterum auctorum loco , templo locum capiebamus , toties tu aſperitatem illam mira ingenii felicitate & eruditione æquabilem in planiciem molliebas . Cui rei teſtes laudare te meque magis idoneos non poſſum . Invenies hic de tuo , quod laudes , de meo , quod tuearis . Quare qui tuis auſpiciis ortus eſt liber , debuit is tuis quoque auſpiciis publici juris fieri . Neque enim ex veteris Augurii diſciplinâ , ratum eſſe cenſebatur auſpicium , quod altero deinde non confirmaretur auſpicio . Addixiſti olim dum eſſet in cunis & augurali & prætorio ritu , iterum in veſtigio hærentem auſpiciis & ſententiæ patrocinio proſequere . Vale . Toloſæ Id. Aug. M. DC. XXXVII.*

---

# PROPYLÆUM
## TEMPLI
# AUGURALIS
## ET LIBRI I.



UAMQUAM ex fronte judicium ferre neque ſapientis eſt, neque eruditi ; tamen placet integrum arbitrium Lectori permittere, non cuivis e trivio, ſed tibi ( Lector erudite ) hoc ex veſtibulo, ſeu mavis propylæum & frontem dicere :

*Auguſtam ſtudii viam*
*Dumos inter & aſpera*
*Scrupoſis ſequimur vadis .*
*Fronte exile negotium ,*
*Et dignum pueris putes*
*Ingreſſis labor arduus*
*Nec tractabile pondus eſt .*

Ad propylæum hoc tantiſper hære & inſtituti rationem lege . Arnobius libro quarto *contra Gentes* , exagitat ſuo more acriter Ethnicorum læva numina, & fuſe contendit ob perfectam orbis rerum omnium rotunditatem , partem nullam illius dextræ , ſiniſtræve nomine jure dici poſſe . Quem in locum eruditi auctoris cum veterum Philoſophorum , Aſtrologorum , Geographorum , Poetarum , Augurum , aliorumque placita congererem ; infinitam deprehendi , & rerum ſylvam & ſententiarum varietatem ; ex Heroicis vero illis diſciplinis natas eſſe tot recentiorum hac ipſa de re ſectas intellexi . Quare quod veterum quidem auctorum nullus admodum eſſet qui dextras ſiniſtraſve orbis non innueret , recentiorum pauci inter ſe, atque adeo ſecum ipſi propter rei difficultatem congruerent : publicæ utilitatis fore putavi , ſi ſtudioſæ juventuti lucem aliquam in his pene Cimmeriis tenebris afferrem , ut ne incerta Criticorum ſententia, certi ducis operam impoſterum negaret , in locis quam

obſcuris & ſalebroſis tam frequentibus iiſdem & neceſſario decurrendis. Placuit igitur ad fontes digitos intendere, & miſſis hac de partitione orbis Philoſophorum contentionibus, ex Ariſtotelis ſententia libris de cælo, facile componendis, Aſtrologorum, Geographorum, & Poetarum dextras indicare; tum Auguralis templi dextram lævamque anquirere, quod ex hac Tuſcorum diſciplina, derivatas ſuſpicarer haſce omnes nomenclaturas, quæ præcipuam humanioribus in litteris innexere difficultatem. Verum & hic hærendum fuit inter teſqua & rubos, quod tam perplexos incurrerem Augurii veteris locos, ut in nonnullos exclamarit Vir pereruditus Bulengerus, *Quid hoc monſtri eſt?* Cæteri eoſdem quaſi repreſſo pede taciti prætermiſerint. Ego quid in hanc rem publici commodi cauſa perfecerim, tum demum ſtatue (Lector erudite) cum totam hanc pellegeris Diatribam, hic ex *Fronte & Propylæo* quam implicatus labor & arduus ſit confice. Quippe qui Græcos, Romanos, Hebræos, Gallos, Hetruſcos, conſertis invicem dextris ignoto hactenus fœdere conciliaturus eſt.

---

# AD LIBRUM DE PARTIBUS TEMPLI AUGURALIS

### Qui nunc editur a Rev. Patre JOANNE BAPTISTA BELLO Societatis JESU

## SCAZON.



*ILERE poterat ſub tegente te gleba*
*Tages Hetruſcis exarate vervactis*
*Qui diſciplinæ primus auctor Auguſtæ*
*Quid exta pecudum, quid volucrium cantus,*
*Quid fulgur aut procella, quid tonans lævum*
*Monſtraret æther; diceris Italos myſtas*
*Docuiſſe in aurem: figit ecce cornicum*
*Oculos malignos; atque junior tanto*
*Nunc Auguralis*, Bellus, *oſtium templi*
*Adytaque pandit clauſa bis decem ſeclis*
*Hac invidorum vota voce confundens*
Myſteriorum conſcientiam vulgo
Communicare malo quam frui ſolus.
*Feret iſta dignum*, Belle, *præmium virtus*
*Quando nepotes inter audies feros*
*Epopta primus Auguralis arcani*
*Macte, euge*, Belle, *laus tuum ſibi eſt nomen.*

Famæ Magiſtri multo Chariſſimi ſacrabat diſcipulus obſequentiſſimus HECTOR DE POTIER DE LA TERRASSE.

DIA-

# DIATRIBA
## DE
# PARTIBUS TEMPLI AUGURALIS.

**Synopsis Capitis Primi.**

*Templum Augurale describitur explanatione vocum Auguralium.*

*§. 1 Templum tripliciter dictum ex Varrone. Inferi templum. Cœlum templum. Varronis versus digesti.*

*§. 2. Templum cœlum unde dictum? Nævii locus exponitur. Salmasii error de templi significatu. Arguitur Varronis testimonio. Templum esse debet & septum & ab Auguribus consecratum.*

*§. 3. Augures dicebantur effari templa cum designabant. Adfatus quid sit? Quid templa sistere, quid ponere?*

*§. 4. Pars antica templi cœlestis. Explicatur Varro contra Tiraquellum.*

*§. 5. Tem apud Salyos templum cœleste significat. Galli & Britanni voces Latinas detruncant. Catalecta Maronis & Beda id probant.*

*§. 6. Augurale templum in terra. Augures olim Auspices dicti. Augurium auspicii Plauto dictum.*

*§. 7. Impetritum vox Auguralis quid significet? ejus vocis originatio conjectura indagatur. Valerii M. de hac voce testimonium illustratur & defenditur.*

*§. 8. Aliter legitur idem locus cum Achille Statio. Partitum & partiri & arcanum voces sunt Augurales.*

*§. 9. Capitum sequentium ordo digeritur, & Diatribæ totius institutum indicatur.*

## Cap. I.

*Templi divisio & Auguralium aliquot vocum explanatio.*

§. 1. IMPERITE faceret omnino qui templi Auguralis partes inquisiturus, templi triplicem divisionem tacitus prætermitteret.

Templum Varroni triplex. *Templum*, inquit Varro lib. 6. *de Lat. lin. Tribus modis dicitur; ab natura, a similitudine, ab auspicio. Natura in Cœlo, ab auspiciis in terra, ab similitudine sub terra*. Tertiæ acceptioni per similitudinem qua & infera loca templum dicuntur, fidem facit ex *Andromacha* Ennii, *Acherusia templa alta Orci Salvete infera*. Hæc eadem, opinor, sed leviter immutata, refert M. Tullius, *Tusc.* 1.

*Acherusia templa Orci, pallida*
*Leti, obnubila, obsita tenebris loca.*

Priores acceptiones duæ ab auspiciis & na-

A tura, quia ad partes Augurales investigandas percommodæ sunt, earum etiam accuratior præmittenda est explanatio. *In cœlo* (ait) *templum dicitur, ut in* Hecuba: Versus Varronis restituti.

*O magna templa Cœlitum*
*Commista stellis splendidis*

Deorum nimirum domicilium describit: poteratque suo jure Varro versus suos laudare:

*Mundus domus est maxima rerum*
*Quam quinque altitonæ fragmine Zonæ*
*Cingunt, per quam limbus pictus*
*Bis sex signis stellimicantibus,*
B *Altus in obliquo æthere, lunæ*
*Bigas acceptat.*

§. 2. Nævii locus exponitur. Addit: *quaqua intuemur oculis, a tuendo primum* templum *dictum, sic; contremuit templum magnum Jovis altitonantis id est, ut ait Nævius in Hemisphærio,*

*Hoc ubi æthra cœrula septum stat hemisphærium.*

Vocat *Hemisphærium* superius æthra cœrula circumseptum *Jovis magnum templum*, ritu veteris superstitionis, quo templa non erant sacra loca quæ septa non essent. Neque tamen est quod animo quisquam inducat sacra quævis loca si septa essent, tem-
C pla esse, quo in errore versatur qui in Solino Plinium exercuit, dum ait, *locum omnem sacrum & conseptum dixere templum*. Quem tamen jugulat Aulus Gellius l. 14. c. 7. ubi Varro dicitur scriptum reliquisse, *non omnes ædes sacras templa esse, ac ne edem quidem Vestæ templum esse*. Ac nempe templa non erant, quæ ab Auguribus consecrata non essent, ut eodem ex Varrone idem docet Gellius. *Adscripsit de locis in quibus Senatusconsultum fieri jure posset: docuit confirmavitque nisi in loco per Augures constituto, quod templum appellare-*
D *tur, Senatusconsultum factum esset, justum id non fuisse: propterea & in curia Hostilia & in Pompejana & post in Julia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per Augures constituta, ut in iis Senatusconsulta more majorum justa fieri possent.* Salmasii de templo error. Quæ loca sacra templa dicenda?

§. 3. Effatum quid? Hinc *effatum* propria vox Augurum, qui dicebantur effari templa, cum Cœli regiones describebant: & *adfatus*, templi fines appellabantur. Unde *fana* a *fando* dicta vult Varro. *Hinc*, inquit, fana *nominata quod Pontifices in sacrando fati sunt finem*. l. 4. de L.L. Hoc etiam *sistere fana* dicebant.
E Festus, *sistere fana cum in urbe condenda dicitur, significat, loca in oppido futurorum fanorum constituere*. Fortasse quod ad certos terminos perducta designatio sisteretur, unde quod Sol sistatur, *solstitium* dictum asserit ipse Varro. Hinc etiam *templa ponere*, &c. Sistere fana quid sit?

§. 4. Pars antica templi Cœlestis. *Templum* itaque priori significatu Deorum sedes est. Subjungit Varro: *Ejus templi partes quatuor sinistra ab Oriente, dextra ab Occasu, antica ad Meridiem, postica ad Sep-*

*tentrionem*. Eandem ferme ſententiam & partitionem laudat ex Varrone Feſtus, in voce *ſcæva*. Quo ex utroque loco male conficit Tiraquellus Auguralis templi partes, cum de templo Cœleſti diſerte loquatur Varro, ut in *Epiſtolicis quæſtionibus* dixerat, ſi eidem Feſto fides; *A Deorum ſede cum in Meridiem ſpectes ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dextram occidentes, factum arbitror ut ſiniſtra meliora auſpicia quam dextra eſſe exiſtimentur*.

Explicatur Varro contra Tiraquellum.

§. 5. *Tem.* apud Salyos Cœlum denotat.

*Templi* porro vox etiamnum pro Cœlo uſurpatur in nonnullis Galliæ provinciis, apud Salyos Cavares præſertim, quibus *Ten.* Cœlum quoque ſonat avito Galliarum more ſeu vitio; ubi ſi Virgilio, Auſonio, & Scaligero credimus vulgus etiam Latinas voces detruncat. Auſonius:

*Dic quid ſignificent catalecta Maronis, in his, Al;*
*Et quod Celtarum poſuit non lucidius, Tau;*
*Et quod Germano mixtum male letiferum, Min.*

Unde in Maronis ſchediaſmo legit Scaliger,

*Tau Gallicum, Min ipſum, & Al ei illiſit*.

Scio αἰνιγματῶδες hoc Poematium alio trahi ab Samuele Petito. Hæc tamen interpretatio Scaligeri in rem noſtram paratior erat. Quod autem idem Scaliger Gallum pro Britanno dictum putat, & utramque nationem eodem oris vitio laboraſſe: docebit etiam Beda l. 2. c. 16. ex quo Henricus Huntindonienſis *Hiſtoriæ Anglicæ* l. 2. *Ubique*, inquit, *ante Regem Eduvinum vexilla geſtabantur, nec non per plateas illud genus vexilli quod Romani* Tuffam *vocant, Angli* Tuff *appellant, ante eum ubilibet ferri ſolebat*. De Tuffa Vegetius l. 3. c. 5.

Galli & Britanni Latinas voces detruncant.

§. 6. Augurum templum in terra.

Hæc in templum Cœleſte ſubnectit protinus Varro; *In terris dictum templum locus Augurii aut Auſpicii cauſa quibuſdam verbis finitus*: *Augurii* dixit *aut Auſpicii*, quia Auſpices & Augures dicti qui præerant, terreſtri templo deſcribendo, ὡς αὐσπικας πρότερον, αὔγουρας δὲ νῦν καλοῦσιν Plutarch. ἐν Ῥωμαϊκοῖς. Plautus act. 2. *Aſin.* utrumque conjungit:

Augures Auſpices

*Certe Hercle ego quantum ex augurio Auſpicii intelligo*
*Aut mihi in mundo ſunt virgæ, aut atrienſi Saureæ*.

Credidi olim illud (*in mundo*) ita explicandum, ut per mundum, ſive Cœlum, templum intelligeretur Augurale, cum verſus ii qui præmiſſi ſunt de Augurio, Auſpicioque lævo & dextro aperte commemorent: quibus verſibus hærentem animum unam in partem impellit, mox revocat Plautinus famulus:

*Unde ſumam? quem intervertam? quo hanc celocem conferam?*
*Impetritum, inauguratum eſt, quovis admittunt aves*, &c.

§. 7. Impetritum quid ſit?

Impetriti dictio propria eſt Auguralis diſciplinæ ut hic vides & apud Valerium M. ipſo initio primi libri: *Priſco*, ait, *etiam inſtituto rebus divinis opera datur: cum aliquid commendandum eſt, precatione: cum expoſcendum, voto: cum ſolvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis, vel ſortibus, vel impetrito: cum ſolemni ritu peragendum, ſacrificio*: Impetrito; an quod in ſaxo ſederet Augur? Equidem cum Scaliger, Dalecampius, & alii communiter, *Impetritum*, vocem Auguralem eſſe dicant, numnam opinione fallor qui putem ratum illud auſpicium, *impetritum*, quaſi in petra fixum dici ab ſaxo ſilice in quo Auguri de Cœlo ſervanti ſedendum erat. Apud Feſtum ex Verrio in voce *ſilere*, *Augur liberatus a lecto in ſolido ſolet*. Nam quod alii Valerii locum ita legunt: *cum inquirendum vel extis, vel ſortibus, impetrito*. Næ potiori parte ac pene capite imminutum volunt. Hæc enim eſſet Valerii ſententia: cum inquirendum eſt, cum quid occultum aut futurum inveſtigandum; rebus divinis opera datur, vel extis vel ſortibus; (*impetrito*) Hoc eſt rato auſpicio & fixo augurio, ſive litatione, ut exponit Scaliger, cui, *impetritum*, eſt καλλιέρησις. Tertia vero potiſſima inquirendi ratio per Augurium, omittitur. Quanto plenior eſt futura ſententia ſi ita mecum diſtincta concipiatur: *Cum quid occultum aut futurum inquiritur, vel extis inquiratur, vel ſortibus, vel impetrito*, id eſt, Augurali καλλιερήσει, *Litatione*, extorum enim inſpectione inquirere Haruſpicum erat, ſortitione Vatum, Impetrito tandem Augurum.

Originatio vocis illius.

Valerii M. locus exponitur.

§. 8. Valerii locus aliter legitur. Partitum & partiri voces Augurales.

Quanquam non illubenter acceſſerim ad Achillis Statii ſententiam, qui non *Impetrito*, ſed vel extis, vel ſortibus, vel *partito*, legit; *partitum* autem eſſe vult Augurale templum, ſeu Auguratorium & Auguraculum. *Partiri* quidem eſt Etruſcæ diſciplinæ, e teſquis enim, ſive jugis locisque eminentioribus, unde liber eſſet totius Cœli conſpectus, partiebatur Augur & deſignabat lituo Cœli regiones, & conceptis verbis, ut c. 7. dicturi ſumus, templum a terra ad Cœlum uſque deſcribebat, variaque rite in ſpatia diribebat. Papinius *Th.* 3.

——— *ſic fatur, & alto*
*Membra locat ſcopulo, tunc plura ignotaque jungit*
*Numina, & immenſi fruitur caligine mundi.*
*Poſtquam rite diu partiti ſidera, cunctas*
*Perlegere oculis animiſque ſequacibus auras*, &c.

Et octavo *Th.*

——— *Haud mora cuncti*
*Inſignem fama ſanctoque Melampode cretum.*
*Thiodamanta volunt; qui cum ipſe arcana Deorum*
*Partiri & viſas uni ſociare ſolebat Amphiaraus aves.*

Ego libenter *Arcana partita* legerem; Feſtus enim: *Arcanus ſermo, a genere ſacrificii quod in arce fit ab Auguribus adeo remotum a notitia vulgari; ut ne literis quidem mandetur, ſed per memoriam ſucceſſorum celebretur*.

Arcanum eſt Augurale.

§. 9.

Poſcebat inſtituti mei ratio ut Diatribam hanc intra fines & adſatus Auguralis templi coercerem, & dexteras Augurales ſiniſtraſque hactenus etiam apud eruditos quoſque incertas tandem conſtituerem

dumtaxat, nec ad communem orbis universi partitionem devolverer: Tamen quia ex mundi partibus varie descriptis aliqua lux ad Augurales stabiliendas adfulsit, eas quoque quatuor proximis designamus capitibus, quinto & deinceps templi nostri finibus continemur.

---

SYNOPSIS

CAPITIS SECUNDI.

*Ad hoc capite ad quatuor deinde ostenditur quadrupliciter apud probos auctores dextram sinistramque orbis collocari.*

*§. 1. In locum Arnobii luculentissimum.*

*§. 2. Læva orientalis ex Callisthene, Gymnosophistis, Varrone, Festo, Plinio.*

*§. 3. Claudianus Orientalem statuit in Eutropium v. 240. sinistram: an in 2. de raptu aliam sequatur sententiam? Orphei versus.*

*§. 4. Sancti Severiani locus pro Claudiani sinistra occidentali minus apposite laudatur a nonnullis.*

*§. 5. Locus Severiani ex 3. hom. describitur, in quo de solis & lunæ creatione agitur.*

*§. 6. Severiani sententia Claudiani locum non explicat, quam recte dixerit Severianus lunam productam esse pleno orbe. Concilii Palæstini testimonium.*

*§. 7. Vera Claudiani sententia.*

## CAP. II.

*Sinistra Orientalis.*

§. 1. Dextra quadrifariam constituta.

HUMANIORUM litterarum partem nullam esse puto quæ veteres auctores sæpius inter se & commiserit, & obscurior tamen hactenus hæserit tot inter digladiationes, illa una de dextris sinistrisque mundi controversia. Hic placet variis auctorum testimoniis ubilibet orbis quadripertiti, dextram lævamque, anteriorem & posteriorem constituere in locum illum Arnobii l. 4. *contra Gentes*: *Dii lævi sinistrarum tantum regionum sunt præsides; & inimici partium dexterarum. Quod quanam istud ratione dicatur, quove animi sensu, neque ipsi nos assequimur, nec a vobis confidimus posse in aliquam lucem communis intelligentiæ perduci. Jam primum enim mundus ipse neque superas regiones, neque imas, neque anticas habet, neque posticas. Quicquid enim teres est atque ex omni parte rotunditatis solidæ convexione conclusum, nullum habet initium, nullum finem: ubi finis & initium nullum est, esse aliqua portio sui nominis & initium non potest. Itaque cum dicimus* dextera hæc regio est & illa læva, *non ad mundi habitum dicimus, qui sui simillimus totus est, sed ad positionem nostram, situmque revocamus, qui formati sic sumus, ut alia dextera, alias in nos dicantur esse læva: quæ tamen hæc ipsa quæ læva appellamus, & dextra alia, in nobis nihil habent perpetuum nihil fixum, sed prout nos casus atque eventus collocaverit temporis, ita nostris sumunt ab lateribus figurationes. Si Orientem solem respexero, cardo mibi frigoris & Septentrio fit lævus: in quem si ora traduxero, erit mibi sinister occasus, qui a sole posterganeus habebitur. Rursus vero si jecero plagam in occiduam lumina, vocabulum sinistri auster & meridies trabit: in quam si me partem necessaria temporis circumegerit ratio, fit ut Oriens lævus immutata corporis conversione dicatur. Qua ex re poterit facillime recognosci, neque læva natura esse ulla, sed positionis & temporis, & prout nostri corporis habuerit se situs rerum ad circumstantiam collocatus. Quod cum ita se babeat quo pacto sinistrarum partium dii erunt, cum easdem constiterit regiones modo dexteras, modo fieri lævas? aut quid dexteræ meruerunt de immortalibus diis partes, ut sine ullis præsidibus degerent, quas esse faustas & semper prosperis cum ominibus ediderunt.* Hæc Arnobius.

Arnobii locus.

Unde sumitur dextræ denominatio & sinistræ.

Quadruplicem hanc orbis partium denominationem ab hominum situ natam esse, non ab ipsa rerum constitutione quæsitam, §. 2.
jure ne an secus dixerit Arnobius cap. 9. differimus. Hic quadrifariam Veterum sententias dividimus, ut constet variatis auctorum placitis quatuor cardinum cuilibet inditum esse nomen & lævi & dextri & antici & postici. Qui vero semel dextram, lævam, aliam partem uno aliquo ex auctore statuerit, cæteras quoque certa sede collatas agnoscet. Ac primum quia lævos exagitat Arnobius Deos & lævas orbis partes, Lævam Orientalem indagemus ex multorum sententia. Quorum prior occurrit Callisthenes in fragmentis libri *de rebus gestis Alexandri*, quem sciscitatum ait ex Indorum sapientibus, ecquæ meliores nobilioresque partes essent, *ποῖα κρείττονα μέρη τὰ δεξιὰ ἢ τὰ εὐώνυμα*. Audiisse autem tradit a nuda Barbarorum sapientia potiores longe videri sinistras quod a sinistris ortus sol diurnos orbes ducit; quod mulier infantes alumnos uberi sinistro primum, tum dextero admovet. *Οἱ δὲ εἶπον, τὰ εὐώνυμα, καὶ γὰρ αὐτὸς ἥλιος ἀνατέλλων τοῖς εὐωνύμοις μέρεσι τοῦ οὐρανοῦ περιπολεύει, θηλάζει δὲ πρῶτον ἡ γυνὴ τῷ εὐωνύμῳ μαζῷ, εἶτα τῷ δεξιῷ.* Varronis locum superiore capite dedimus, Festi quoque & Plinii luculenta testimonia Capite 7. explanaturi sumus. Plinius quidem l. 2. cap. 54. *Læva*, inquit, *parte mundi ortus est*. Et l. 2. cap. 8. *Certum est omnium errantium syderum meatus, interque ea solis & lunæ contrarium mundo agere cursum; id est lævum, illo semper in dextram præcipiti*. Subjungit rationem naturæ Mystes e veteri Philosophia: *Et quamvis assidua conversione immensæ celeritatis attollantur ab eo, rapianturque in occasum, adverso tamen ire motu per suos quoque passus: ita fieri ne convolutus aer eandem in partem æterna mundi vertigine, ignavo globo torpeat, sed findatur adverso siderum verbere discretus & digestus*: Non abludit Lucanus l. 10. v. 299.

Læva Orientalis.

Ex Callisthene.

Ex Gymnosophistis.

Ex Varrone, Festo, Plinio.

*Sideribus quæ ſola fugam moderantur Olympi*
*Occurruntque polo, diverſa potentia, prima*
*Mundi ſorte data eſt.*

Plinius igitur Latinorum ſententiam ſecutus ſiniſtram ſtatuit ad Orientem & planetas in lævam ferri aſſerit, Græci in dextram ire contendunt. Utrorumque opinionem ſectari viſus eſt Claudianus, quamquam in Græcorum ſcholam communi Criticorum calculo adlegitur. Etenim 2. in Eutrop. poematio, v. 240. ſatis indicat cum Tuſcoromanis & Italis ſentire ſe, dum lævam Phrygiæ partem *ortivam* nominat:

Claudiani ſententia.

Orientem ſtatuit lævum.

*Pars Phrygiæ Scythicis quæcumque trionibus alget*
*Proxima Bithynos; ſolem quæ condit, Jonas:*
*Quæ læva, attingit Galatas: utrimque propinqui*
*Finibus obliquis Lydi, Piſidæque feroces*
*Continuant auſtrale latus.*

Locus Claudiani de Orientali dextra male ex poſitus.

Idem tamen l. 2. *de Raptu* v. 49. Proſerpinæ veſtem acu Phrygia depictam ita deſcribit, ut Tethyn præferat dextra ſolem, lunam ſiniſtra geſtantem:

*Hic Hyperionio ſolem de ſemine naſci*
*Fecerat, & pariter lunam, ſed diſpare forma*
*Auroræ, noctiſque duces. Cunabula Tethys*
*Præbet, & Infantes gremio ſolatur anhelos,*
*Cæruleuſque ſinus roſeis radiatur alumnis.*
*Invalidum dextro portat Titona lacerto*
*Nondum luce gravem, nec pubeſcentibus alte*
*Criſtatum radiis, primo clementior ævo*
*Fingitur, & tenerum vagitu deſpuit ignem.*
*Læva parte ſoror vitrei libamina potat*
*Uberis, & parvo ſignantur tempora cornu.*

Quænam ſit illi ipſi qui quaſi vero Orpheus.

Quænam ſit elegantiſſimi Poetæ mens non videre fortaſſe illi ipſi qui ſunt hoc uſi loco in Orientali dextera aſſerenda: quaſi vero illud alluſerit Orphei ad ſolem:

Δεξιὲ μὲν γενέτωρ ἠοῦς, εὐώνυμε νυκτός.
*Auroræ genitor dexter, noctiſque ſiniſter.*

Non abſimili, inquiunt, ratione, Amphitrite complectitur utrumque adhuc in cunis vagientem, ſolem nimirum Orientem dextra, lunam primulo cornu inſignem ſiniſtra: illum ad ortum, hanc ad occaſum.

§. 4. Severiani locus Claudiano quám appoſite a nonnullis laudetur.

Quo confert etiam illuſtris ille S. Severiani Gabalorum Ep. locus κοσμοποιίας. γ. ὁ ἥλιος ἐπάγη εἰς ἀνατολὴν, ἡ σελήνη εἰς δύσιν. *Sol ad Orientem creatus eſt, luna ad Occidentem*; quem locum, quia luculentiſſimus eſt, integrum deinde appingam & explanabo. Verum eruditus Poeta qui ſenſerit primam & naſcentem lunam in Occidente lucere, oriente aurora, ceu naſcente ſole, cum conſtet renaſcentem lunam & verſis in ortum, ut cum Plinio omnes videre, cornibus, abeſſe a ſole perparum, utpote ἐκ τῆς συνόδου primum recedentem. Quid quod Severiani locus exhibet Πανσέληνον ceu plenilunium, non ut velle jubent Claudianum vel primulam vel μηνοειδῆ. Locum tua cauſa ſubjiciam ex 3. homil.

§. 5.

Ἔθετο, φησιν, ὁ θεὸς τοὺς φωστῆρας. Τὸν φωστῆρα τὸν μέγαν εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, καὶ τὸν φωστῆρα τὸν ἐλάσσω εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός. ὅτε ὁ ἥλιος ἐπάγη εἰς ἀνατολὴν, ἐπάγη ἡ σελήνη εἰς δύσιν· ἐπειδ' ἐκείνη μὲν ἄρχειν τῆς νυκτὸς ἐκελεύσθη, ὁ δὲ τῆς ἡμέρας· ἐγένετο οὖν ἡ σελήνη καὶ γεννᾶται τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ πανσέληνος· οὐ γὰρ ἔδει ἠκρωτηριάσθαι τὸ ἔργον εὐθέως, ἀλλὰ ἔδει δειχθῆναι τὸν φωστῆρα, οἷος ἐγένετο· μετὰ δὲ ταῦτα τῇ ἀλλοιώσει ἔδειξε χρόνους καὶ διαφορὰς ἡμερῶν· *Poſuit*, ut ajunt, *Deus luminaria. Majus quidem ut diei præeſſet, minus vero nocti. Dum ad Orientem Sol effictus eſt, ad Occidentem luna. Quoniam hæc quidem imperium in noctem exercere juſſa eſt, ille in diurnum tempus. Producta igitur olim eſt & etiamnum pleno orbe primo die produci dicenda eſt. Neque enim oportebat ipſo initio mutilum opus & imperfectum fieri; ſed vero perfecta luce exhiberi ſidus, quale nimirum genitum eſt, poſt hæc autem decrementis & incrementis indicavit tempora, & horas & dierum diſcrimina.* Addit, ποιεῖ οὖν αὐτὴν ὁ θεὸς ὡς πεντεκαιδεκαταίαν πεπληρωμένην ὁ ἥλιος ἀνέτειλεν ὄρθρου· ὅτε γὰρ ἐπάγη ἡ σελήνη ἐν τῷ ὄρθρῳ, ἐφαίνετο πρὸς δύσιν, ὡς οὖν ἔτρεχεν ὁ ἥλιος τὸν ἴδιον δρόμον πρὸς δύσιν, ἡ σελήνη ἤρχετο εὐθέως τοῦ ἀνατέλλειν ἵνα πληρωθῇ τὸ, Ἀρχέτωσαν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτός· λοιπὸν ζήτημα διὰ τί ὁ θεὸς πεπληρωμένην ἐποίησε τὴν σελήνην; πρόσεχε. τὸ γὰρ νόημα βαθύ, ἐχρῆν αὐτὴν τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ γενομένην, ὡς τεταρταίαν φαίνεσθαι, ἀλλὰ πάλιν εἰ ἦν τεταρταία, τὸ ἄκρον τῆς δύσεως οὐκ ἀντεῖχεν. εὑρέθη οὖν πλεονεκτοῦσα ἕνδεκα ἡμέρας, τεταρταία ἐγένετο, καὶ ἐφαίνετο ὡς πεντεκαιδεκαταία· ἕνδεκα ἡμέρας ἐπλεονέκτει σελήνη, ἀποδίδωσι τῷ ἡλίῳ. *Producit igitur lunam Deus quaſi decimam quintam & pleno circulo. Sol mane exortus eſt. Quando enim procreata luna eſt mane, apparuit ad Occidentem. Ut igitur percurrit proprium ſibi curſum ad Occidentem Sol, luna cœpit ſtatim exoriri. Ut impleretur illud,* Præſint diei & nocti. *Supereſt quærendum, qua de cauſa lunam in plenilunio creaverit. Sic habeto. Eſt enim occulta ratio. Par erat lunam quarto die productam, ut quartam apparere. Sed rurſum ſi quarta eſſet non obtinuiſſet e regione partem illam occaſus veri. Undecim igitur quaſi jam ſortita dies, quarta genita eſt & fulgere cœpit ut quinta decima, undenos dies præ ſole nacta, eoſdem opponit ſoli.*

§. 6. Severiani locus male affertur ad Claudianum interpretandum.

Vides quam longe abſit a Claudiano mens Severiani, qui afferat productam lunam eſſe eo lucis ſplendore, quo decima quinta lucere ſolet pleno perfectoque orbe, geminato coeunte cornu. Quæ ſententia ſi juvanda conjecturis eſt, non abſurde fortaſſe dixeris, ideo quintam decimam primo apparuiſſe ut ſexto κοσμοποιίας die, quo creatus eſt homo ſupra horizontem appareret utrumque aſtrum. Creditu enim pronum videtur cum de utroque a Deo dictum ſit aſtro, *ſint in ſigna & tempora & dies, & annos*, utrumque etiam ſimul recens nato Protoplaſtæ oſtenſum eſſe cum primum indita ſunt ei a Deo ſcientiarum omnium principia. Verum ſi producta luna eſſet τεταρταία, tertia circiter parte orbis illuſtris, ut quarta luna eſt: latuiſſet etiam tum cum generatus eſt parens ille humani generis, ſexto nati orbis die. Sive enim dicas Oriente ſole productum eundem; ſive, quod vero longe ſimilius eſt, ſecunda ab ortu ſolis hora: conficias neceſſe eſt hæſiſſe adhuc ſub terris lunæ ſidus, cum genitus eſt Adamus: luna ſiquidem, quibus diebus lumen auget, ſolem Orientem ſequitur; prævenit cum minuit: ſexto itaque ab orbe condito die, ſecunda a ſole hora ſupra horizontem exorto fulgebat

adhuc ad Occidentem luna ἀμφίκυρτος cum supereſſet ſemicirculi ſpatium illud quod una circiter hora decurrendum eſſet antequam occideret. Quo temporis etiam ſpatio credimus primogenitum mortalium Aſtrologiæ ſemina ſuſcepiſſe. Medius igitur inter utrumque ſidus ( *quippe qui in terræ medio, ſeu medio hoc hemiſphærio noſtro progenitus dicitur* ) facili contuitu utriuſque uſus eſt; & quod intra temperatioris zonæ borealem hanc partem noſtram ſitus eſt Paradiſus verſo in meridiem vultu ſolem vidit ſiniſtrum, dextram lunam.

Concilium Palæſtinum. Adde ſi lubet Concilii Palæſtini ſub Victore P. & Theophilo Cæſarienſi, affine Gabalenſi, teſtimonium: *Dixit Theophilus. Ecce de die & tempore probaſtis; de luna quid vobis videtur? utrum creſcentem ac jam plenam; an imminutam a Deo fuiſſe creatam? Epiſcopi reſponderunt, plenam; & ille, probate quod dicitis. Reſponderunt, & fecit Deus duo luminaria magna, & poſuit ea in firmamento cæli, ut luceant ſuper terram: luminare majus in inchoationem diei; luminare minus in inchoationem noctis. Non poterat aliter niſi eſſet plena. T. 1. Conc. p. 95.*

§. 7. Vera Claudiani interpretatio. Quam longe igitur abiit a Severiano Claudianus, ſi vera ſit viri eruditi interpretatio, non eſt quod pluribus diſputem. Hoc profecto ſtatuendum eſt, vel Claudianum hoc unum voluiſſe in Amphitrites ſive Tethyos ulnis nobiliori dextram conceſſam eſſe, minus nobili ſiniſtram: vel ſi dextram orientalem, & lævam occiduam eſſe voluerit, nullam novilunii rationem habuiſſe; nec utrumque inter ſe Aſtrologorum more compoſuiſſe, ſed poetice ortum & occaſum deſcripturum Græca conſuetudine ſolem vagientem ſive naſcentem dextrum collocaſſe; & lunam ex adverſo ſiniſtram.

---

## SYNOPSIS CAPITIS TERTII.

*Priore parte capitis dextra orientalis adſtruitur. Poſteriore explicatur Lucanus*

*§. 1. Locus ex Pindari Scholiaſte, ſtropha, antiſtropha, epodos quid?*

*§. 2. Pſeudotilpinus Rhemenſis de poſtulatione uxoris Zebedæi apud Chriſtum de dextra & ſiniſtra filiis afferenda. Codex ille falſo tribuitur Tilpino.*

*§. 3. Bapt. Mantuanus ex Augurio Romano occiduam celebrat dextram. Novus quoque Poeta Britannus.*

*§. 4. Lucani locus de dextra auſtrali non exponendus.*

*§. 5. Qua ratione explicandus, ex Seneca & Varrone, quinam venti ſuffecti?*

*§. 6. Lucano dextra eſt Septentrionalis, de Arabibus auxiliaribus in Pompejano exercitu & prælio Pharſalio qua ex Arabia profecti.*

## CAP. III.

§. 1.

*Dextera Græcorum.*

*Dextera Lucani.*

Ne nimium excreſceret ſuperius caput, alteram doctrinæ partem de Orientis dextera, in hujus priorem ſepoſuimus. Quod enim Plinius ſupra, morem ſecutus gentilitium, ſiderum errantium meatus contrarium mundo curſum agere dixit; contrarium Græcis curſum iniiſſe ipſe viſus eſt. Nam Græcis Aſtrologis mundus ſive cœleſtis machina in lævam circumvertitur, errones ſeptem in dextram procedunt. Pindari Scholiaſtes: Ἰστέον ὅτι οἱ λυρικοὶ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῶν ἐχρῶντο στροφῇ, ἀντιστροφῇ καὶ ἐπῳδῷ. στροφῇ μὲν ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐτρέποντο ἐπὶ τὰ ἀριστερά. ᾗ τινι ἀναλογεῖ ἡ τοῦ παντὸς κίνησις, ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν ἐπὶ τὰ δυτικά. δεξιὰ γὰρ καλεῖ ὁ Ομηρος τὰ ἀνατολικὰ, ἀριστερὰ δὲ τὰ δυτικά. Ἀντιστροφῇ δὲ, ὅτι ἐκινοῦντο ἀπὸ τῶν πλανητῶν κίνησις, ἢ ἀπὸ δύσεως εἰς ἀνατολάς. ἐπῳδῷ, δὲ ὅτι ἵσταντο ἐν ἑνὶ τόπῳ καὶ ἔλεγον τὰς ᾠδάς, ᾗ τινι ἀναλογεῖ ἡ στάσις τῆς γῆς. *Lyrici ( ut ſcire intereſt ) ſuis in poematiis ſtropha utuntur, antiſtropha, epodo. Stropha quidem quod a dextra in lævam converterentur. Et hic erat imitatione aliqua Cæli motus, ab ortu ſcilicet ad occaſum. Dextera enim vocat Homerus Orientalia; ſiniſtra vero Occidentalia. Utebantur & antiſtrophe, quod moverentur ab ſiniſtris ad dextera motu nimirum planetarum ab occaſu ad ortum. Epodon autem cum recitarent firmo hærebant veſtigio telluris aliqua æmulatione.* Vide cap. 9.

Græcis plerumque dextra eſt Oriens.

§. 2. Dextera Orientalis Tilpino. Dextram quoque in Oriente poſuit Pſeudotilpinus, qui Magni Caroli expeditionem tranſpyrenæam deſcripſit l. 1. *de temporibus Caroli Magni* c. 17. Non uſquequaque repulſam tuliſſe ait Zebedæi uxorem cum apud Chriſtum filiorum nomine dextram lævamque ambiret. Media enim Chriſti Sedes, Roma, dextram videt Epheſum, ſiniſtram Compoſtellam, hanc Jacobi, illam Joannis ſedem. Ejus ipſa hæc verba ſunt, ſi auctorem ſubleſtæ fidei tanti eſt audire vel exſcribere: *Conſtituit ( Carolus ) in die illa, ut Eccleſia illa vocetur Sedes Apoſtolica, & virgæ epiſcopales & regales coronæ per manus ejuſdem Epiſcopi, urbi ad honorem ſancti Jacobi præberentur, ſicut per B. Joannem fratrem ejus factum erat in Aſia apud Epheſum. Epheſus eſt ad dextram, Compoſtella ad ſiniſtram: & ita completa eſt petitio in Evangelio; & hæ tres principales ſedes in orbe, Romana, Gallæciana, & Epheſina, ſicut Petrus & Jacobus & Joannes præ omnibus Apoſtolis a Domino inſtituti ſunt, & ad ſecreta ejus vocati.*

Locus Tilpini ex codice M M.

Falſo Tilpino codex ille tribuitur. Hæc ille Pſeudotilpinus, neque Tilpinus ille ( quod nomen conſtanter præfert codex manuſcriptus perantiquus bibliothecæ eruditi Juriſconſulti D. Dominici Cadurcenſis, cum alii pene omnes *Turpinum* nominent) non eſt, inquam, Tilpinus ille Rhemenſis Caroli M. comes individuus, qui cum multis ante annis obierit diem, quam Venilo ceu Ganelo Rhotomagenſis Antiſtes proditionis damnatus, proditoribus commune nomen fecerit de ſuo, nihilo tamen minus in Pſeudotilpini codice illo *Ganelones* paſſim dicuntur

proditores. Verum hæc tam magnifica A Compostellanæ sedis prædicatio & Tilpini Rhemensis fabula jam pridem ab aliis explosa est. Mei certe instituti est duntaxat sententiam auctoris illius, quicunque tandem ille sit, de dextra Orientali producere.

§. 3. B. Mantuanus dextram statuit Compostellam.

Cui e regione adversatus est in illa eadem duorum fratrum postulatione Baptista Mantuanus, cum Latinorum Augurum more Ephesinam sinistram, Compostellanam dexteram statuit:

*Sicque duos inter studuit concludere natos*
*Regnantem in Latio Christum, Romæque tenentem* B
*Imperium, lævam tellus Asiatica, dextram*
*Gens Hispana tenet, regnum inter utrumque Latinum.*

Adde si lubet Cambrobritanni poetæ OWeni distichon,

*Floret dextra fides in mundi parte sinistra*
*In dextra mundi parte sinistra fides.*

Atque utinam in extrema sinistræ Occidentalis parte non emarcuisset Christiana fides! faxit ille qui se agricolæ filium olim dixit, C & hortorum cultorem redivivus induxit, ut pristino florum odore & decore in illo quoque orbis angulo reflorescat.

§. 4. Quam statuat Lucanus dexteram.

Alteram hujus capitis partem vendicat sibi geminata sententia, qua modo dextra dicta est borealis, modo meridionalis. Utramque fortasse secutus est qui uni tantum boreali dexteræ affixus credebatur, Lucanus, ut priori capite de Claudiano contendebamus. Lucanus igitur *Pharsaliæ* l. 9. v. 416. austro dextram concessisse existimabitur si minus attente legeris, ait enim de tribus orbis partibus:

——— *Major in unam* D
*Orbis abit Asiam, Boreæ latus ille sinistrum*
*Contingens, dextrumque Noti, discedis in ortus*
*Eurum sola tenens.*

Ecquid dextram statuit meridionalem? locum sic integrum lege:

*Tertia pars rerum Lybiæ (si credere famæ*
*Cuncta velis) at si ventis cælumque sequaris,*
*Pars erit Europæ, neque enim plus littora Nili*
*Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt,* E
*Unde Europa fugit Libyen, & littora flexu*
*Oceano fecere locum. Sed major in unam*
*Orbis abit Asiam. Nam cum communiter istæ*
*Effundant Zephyrum, Boreæ latus illa sinistrum*
*Contingens, dextrumque noti discedit in ortus*
*Eurum sola tenens*

§. 5. Lucanus ex Seneca & Varrone explicatur. Venti suffecti.

Ergo ut verum fatear non videtur Lucanus dexteram orbis ad Notum sive ad Meridiem collocasse hoc loci, sed ad Varronis F & aliorum sententiam allusisse, de qua Seneca *Quæst. nat.* l. 5. *Quidam* (inquit) *ventos duodecim faciunt; quatuor enim cœli partes in ternas dividunt, & singulis ventis binos, suffectos dant. Hac arte Varro vir diligens illos ordinat.* Hos itaque suffectos ad sinistram dextramque statuit Lucanus, & Asiam, Noti dextrum latus contingere asserit & Boreæ sinistrum. Suffecti autem utriusque sive collaterales ut vocant hi communiter enumerantur, Austro ad Orientem sufficitur Euroauster; ad Occidentem Austroafricus: Septentrioni vero sive Boreæ, ad ortum Aquilo; ad occasum Circius, de quibus minus opportuna esset disputatio.

Erudite porro sectatur Lucanus Nili meridianum, qui per ostium ejusdem Alexandrinum & Tanain ducitur & orbis partes dissecat. Cæsar *de bello Afric.* alteram partem quæ bifariam divisa est unius Europæ nomine dici posse confirmat, cæli divisionem & ventorum sequutus.

Idem tamen Lucanus l. 3. inter auxiliares Pompeii copias cum Arabas recenset vulgato disticho miratos ait umbra in sinistram sive in austrum non spargi; eo enim communis loci illius interpretatio inclinat:

§. 6. Lucano dextra Septentrionalis.

*Ignotum vobis Arabes venistis in orbem*
*Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*

Solinus c. 33. dum de Arabibus, *Umbræ quæ nobis dexteræ sunt, illis sinistræ.* Uterque porro de Fœlicis Arabiæ populis interpretandus. Nec vicini tantum Hebræis Arabes, ut videtur Dioni Cassio, ad Pharsalum convenere, sed & remotiores. Nam cum triplex Arabia sit, Petræa, Deserta, & Fœlix, Soli Arabes Fœlices intra circulum sive tropicum æstivum censentur, nec omnes tamen. Omnium enim maxime Septentrionalis civitas, *Onne*, ab Ptolemæo collocatur in gradu latitudinis Borealis 28. 40. minutis. Ultima vero ad meridiem pars Arabiæ Fœlicis, statuitur ab eodem, promontorium Ammonium ad gradum latitudinis Septentrionalis undecimum & 10. m. Funditur igitur Arabia Fœlix inter gradus septemdecim fere; quorum tamen quinque pene integri, extra eundem cæteri duntaxat. Locus vero situs sub tropico sive in gradu 23. & 30. min. vocatur Ptolemæo, sacra solis extrema, in sinu Persico, a qua civitate si Parallelus duceretur ad Arabicum sinum paulo supra vicum qui *Copar* eidem Geographo dictus in 23. & 15. m. statuitur æstivi circuli partem descripseris sive tropici Borealis nostri. Quicquid autem intercipitur parallelo illo & alio per Ammonium promontorium ducendo ad gradum scilicet, ut diximus, undecimum & 10. m. Lucani Arabes habitant, quos idem Poeta jure miratos ait ad Pharsalum æstivo trimestri umbras in meridianam partem non inclinare, ut in parte illa Arabiæ Fœlicis, quod in Diatriba *de mense & die Conflictus Parsalici* fusius enucleamus; in hac vero, quia sæpius Geodæten Hygenum laudaturi sumus, placet ejusdem sententia Lucani umbras illustrare; quamquam neque ipse Hygenus umbris caret, quas quod a nemine discussas video, proximo sequenti capite dispellam.

De Arabiæ situ.

---

SYNOPSIS CAPITIS QUARTI.

*Ut constet dextra Septentrionalis, locus de sphæra perobscurus exponitur ex Hygeno.*

§. 1. *Proponuntur Hygeni verba.*

§. 2. *Circuli sphæræ vel mobiles, vel fixi. Fixos spectavit Hygenus. Qua ratione dici potest Sol infra zodiacum ire. Fragmentum veteris Astrologi.*

*§. 3. Cursûs solis est zodiacus, quid ultra & citra cursum solis. Virgilii locus exponitur. Quid extra sidera. Servius defenditur. Lucani lucus de Æthiopibus. Sintne extra sidera solisque vias? Regiones signiferi.*

*§. 4. Quid Parallelus. Tropici dicti paralleli. Apud Hygenum paralleli nomine quid intelligatur.*

*§. 5. Tetartemorion universim quartam partem significat. Dodecatemorion duodecimam, sive unum signum Zodiaci. Tetartemorion τειζωδία.*

*§. 6. Tetartemorion Hygeno terræ quarta est portio, habitabilis terra & oceani rapina ex Plinio. Ex Macrobio terræ orbis universus ex quatuor insulis.*

*§. 7. Explicatur figura quæ Hygeni codicibus adjecta est, quid ex Hygeni codicibus mutatum sit.*

*§. 8. Paraphrasis Hygeniani loci.*

## Cap. IV.

### *Locus Hygeni de spæra & umbra dextra explicatur.*

§. 1. Hygeni locus perobscurus.

HYGENUS libro *de limitibus agrorum constituendis* pag. Rigaltianæ editionis 182. & 183. *Dubium fortasse* (inquit) *esset de parallelo nostri tetartemorii si secundum Zodiaci circuli cursum Oceanus meridianus interveniret. Nam totius terræ quatuor partes mari dividuntur, nec hominibus ultra quartam partem ire permittitur: sed quoniam Oceanus meridiano subjacet circulo, quem Zodiacus secat medium, apparet inter æquinoctialem & meridianum circulum: a media terra quidquid est in Oriente, ultra cursum solis esse, quam regionem quidam sescontrariæ partis appellant: & quidquid a media terra in Occidentem inter Brumalem & Meridianum circulum subjacet, nostræ esse partis, si solis cursum sequamur. Quoniam omnibus terris in hac parte in Occidentem spectantibus, umbras in dextrum emittit, exceptis illis quæ sub Aegypti fine usque ad Oceanum, qua finit circulus Aequinoctialis. Has terra fertur inhabitare Indos, & alias gentes. Apud hos in Occidentem spectantibus umbræ in sinistrum emittuntur, ex quo apparet eos ultra solis cursum positos; sicut & Lucanus ait:*

*Invisum vobis Arabes venistis in orbem*
*Umbras mirati nemorum non ire sinistras.*

*Nam & Aegypto medio die umbra consumitur: ex hoc ibidem mediam terræ partem esse comprehendimus.* Inquiri vult eruditus Geodætes umbram meridianam quam vocat sextæ horæ: ad hanc enim umbram exigi cardinem sive limitem recta ab Septentrione ad Meridiem imperat, ut cap. 6. disputamus. Verum subesse nonnihil difficultatis asserit in hujus umbræ ratione, quam enodare non possumus, nisi prius verba aliquot expensa mentem inclinent in veram sententiam auctoris.

§. 2. Circuli fixi & mobiles.

Duplici ratione considerari possunt sphæræ cœlestis circuli, vel mobiles, vel immobiles & fixi, ut docent Matheseos & Astrologiæ rudimenta. Hic videretur Hygenus fixos spectasse circulos, quales ferme terrestres globi cœlestesque exhibent; in terrestri, verbi causa, primus meridianus per Atlanticum Oceanum ducitur; secatur idem ad æquatorem a Zodiaco circulo, qui Zodiacus ab eodem decussationis puncto ad tropicum dirigitur, hæretque supra verticem Arabum Fœlicium. asserit idem Hygenus secari primum meridianum a Zodiaco ad utrumque punctum æquinoctiale, cum ait, *Circulus autem Zodiacus, cujus fines sol negatur excedere, ex circulo solstitiali ad brumalem per Diagonum ostenditur, ita ut ex utraque parte meridianum circulum medium secet.* Quod autem agit de fixis, non est mirum de zodiaco eodem subjicere; *per hunc sol, hoc est, infra, ire fertur*; Neque τὸ (*hoc est infra*) glossema est, ut videtur Rigaltio. Valet ad hunc Hygeni locum, fragmentum veteris Astrologi ad Censorini libellum adsutum a Lud. Carrione. *Incipit* (inquit) *signifer non ab extremo circulo, nec ad extremum pertenditur, sed ab imo tropico australi brumalique eodem per æquinoctialem, ad summum solstitialem, eumdemque æstivalem per medium longitudinis latitudinisque porrectus obliquum.* Ex eadem hac sententia de fixis circulis cursum solis videtur Lucanus intelligere zodiacum, & ultra citrave solis cursum esse quidquid posita phæra ea ratione qua descripsimus, vel cis zodiacum circulum, vel uls situm est, habito nostræ terrarum partis, situsque respectu.

Fixos spectat Hygenus.

Qua ratione sol dici potest infra zodiacum ire.

§. 3. Cursus solis, zodiacus.

Qua item ratione interpretandus est Virgilianus versus lib. 6. *Aene.* in quem imperite multa fabulantur nonnulli; qui auctore Virgilio montem Atlantem ultra Capricornum, ac proinde ultra circulum brumalem removent. V. 795.

Explicatur Virgilii locus l. 6.

*——— Jacet extra sidera tellus,*
*Extra anni, solisque vias, ubi cœlifer Atlas*
*Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Extra anni & solis vias est Atlas, quia ultra circulum zodiacum fixum protendi creditus est, & recte Servius hunc Maronis locum Lucani versu confirmat, si recte is quoque intelligatur. *Militares*, inquit, *tumultus sensere partes orbis remotissimæ.*

Defenditur Servius.

*Aethiopumque solum quod non premeretur ab ulla*
*Signiferi regione poli, nisi poplite flexo*
*Ultima curvati procederet ungula tauri.*

Lucani versus exponuntur.

*Aethiopes*, inquit, *sunt extra solis viam, nec ulla pars eis immineret signorum duodecim, nisi Taurus extra latitudinem circuli zodiaci produceret ungulam.* Habet enim latitudinem suam circulus zodiacus, atque ut Venus & Mars dicuntur vagari aliquando extra zodiacum ad 16. gradum; ita & Taurus extra ponit ungulam, per regiones porro signiferi, partes intellige sive signa; ducta locutione ab Augurum templo, in quo cœlum in regiones suas dividebatur, ut exponimus cap. 6. & 7.

Regiones signiferi quænam.

Hæc de cursu solis obliquo & annua via. De parallelo pauciora moneo. Parallelus aliquando ἁπλῶς significat tropicum. Fragmentum ad Censorinum jam laudatum:

§. 4. Parallelus quid sit. Tropici dicti paralleli.

*Cœlum circulis quinque distinguitur, quorum duo extremi maxime frigidi, Australis humillimus & Aquilonius excelsissimus: his utrimque proximi duo, paralleli vocantur, æque ut ita dixerim distantes, iidem tropici, iidem solstitiales, alter hybernus, alter æstivus*. Ego vero suspicor hic apud Hygenum etiam sumi parallelum pro spatio illo quod intercipitur circulo tropico, & æquinoctiali, quemadmodum clima spatium interceptum inter lineas parallelas climatum significat. At,

Apud Hygenum quid sit parallelus?

§. 5. Tetartemorion est quarta pars.

Tetartemorion non vulgari ratione accipiendum. Tetartemorion quidem est quarta pars sive quadrans, ut as in duodecim partes dividitur, & quadrans est quarta pars assis, & partes tres tantum pendit; triens est tertia & partes obtinet quatuor. Ita quarta pars zodiaci *tetartemorion* dicitur & pars una quævis sive unum aliquod signum, dodecatemorion. Unde & dicitur Sorpius duo continere dodecatemoria, alterum corpore, chelis alterum. Geminus in *elementis astronomicis: καλεῖται κοινῶς μὲν ἕκαστον τῶν τμημάτων δωδεκατεμόριον*. Martianus Capella; *zodiacus undecim habet signa, scorpius enim tam suum spatium occupat corpore quam chelis occupat libræ*. Servius, *Aegyptii duodecim esse asserunt signa, Chaldæi vero undecim, nam scorpium & libram unum signum accipiunt, chelæ enim scorpii libram faciunt*. Ea ratione nostrum tetartemorion esset trium signorum portio τριζώδια, ut ait Eruditus Rigaltius ex Plinii lib. 7. c. 49. *Durat & ea ratio quam Petosiris & Necepso tradiderunt, & tetartemorion appellant a trium signorum portione*. Tria hæc nostri tetartemorii signa fixo zodiaco sunt fere Taurus, Gemini, Cancer, a puncto sectionis ad Arietem, hoc est, æquinoctii verni incipit nostrum tetartemorium ad æstivum propriumque solstitium. Verum enim vero Macrobii locum si quis cum Hygeni verbis contulerit facile intelliget, aliud Hygeni Tetartemorion esse a tribus signis cælestibus. Quare,

Dodecatemorion duodecima pars.

Tetartemorium trium signorum portio.

§. 6. Tetartemorion Hygeno quarta pars orbis.

Tetartemorion hic accipitur pro quarta parte non signorum, sed orbis terræ habitabilis, unde subdit Hygenus: *Totius terræ quatuor partes mari dividuntur, nec hominibus ultra quartam partem ire permittitur:* ultra nimirum tetartemorion nostrum. Plinii locus elegantissimus est lib. 2. cap. 68. *Media vero terrarum quæ solis orbita est exusta flammis & cremata, cominus vapore torretur. Circa, duæ tantum inter exustam & rigentes temperantur, eæque ipsæ inter se non perviæ propter medium sideris. Ita terræ tres partes abstulit cælum, Oceani rapina in incerto est*. Rapinam hanc describit Macrobius in somnium Scipionis: *Cæterum verior (ut ita dicam) Oceani alveus tenet zonam perustam, & tam ipse qui æquinoctialem, quam sinus ex eo nati qui horizontem circulum ambitu suæ flexionis imitantur omnem terram, quadrifariam dividunt: & singulas, ut supra diximus, habitationes faciunt insulas. Nam inter nos & australes homines means ille per calidam zonam totamque cingens, & rursus utriusque regionis extrema finibus suis ambiens, binas in superiore atque inferiore terræ superficie insulas facit*. Consule locum & subjectam ibidem figuram. Nos hic descripsimus illam quæ Hygeno adjecta est: in quam adverte.

Terra habitabilis ex Plinio.

Ex Macrobio.

Orbis universus terræ ex quatuor insulis.

§. 7. Notæ in figuram subjectam.


Primo, extra solis cursum, vel intra, eas regiones esse, quæ alterum hemisphærium occupant, ea orbis divisione bifariam ducta quæ diametrum describat zodiacum, centrum vero, utriusque polaris circuli punctum.

Secundo Tetartemorion sumitur prima significatione pro tribus signis, quamvis ulterius extendatur, ut diximus.

Tetartemorion in prima significatione.

Tertio medius collocatur meridianus primus & partis utriusque portio, dimidiata exhibetur.

Quarto in contextu Hygeni mutavimus vocem *æquinoctialem* in *brumalem*, quia ordo videtur perturbatus, & æquinoctialis mentio inutilis, quoniam illud *a media terra*, satis explicat mentem auctoris. Unde hic *Brumalem* legimus, quod irrepserat in alteram partem, in qua *solstitialem* restituimus.




## EXPLANATIO HYGENI.

Hygenus: *Dubium fortasse esset de parallelo nostri tetartemorii, si secundum zodiaci circuli cursum Oceanus meridianus interveniret*.

## PARAPHRASIS.

In inquirenda meridiana umbra difficultas subesset aliqua in ea portione terræ, quæ inter æquinoctialem & circulos tropicos est, si nostrum tetartemorium longius protenderetur ad Oceanum, qui subest primo meridiano, & æquatorem transcenderet.

*Nam totius terræ quatuor partes mari dividuntur, nec hominibus ultra quartam partem ire permittitur*.

Terra quadrifariam dividitur in quatuor tetartemoria interfuso partes inter Oceano; nec habitabilis est terra nisi in nostro hoc tetartemorio, aut saltem hinc ad alia tetartemoria ire non licet.

*Sed quoniam Oceanus meridiano subjacet circulo, quem zodiacus secat medium*.

Verum quandoquidem Oceanus interfluit inter partes orbis terræ eo loci, in quo primus describitur ac defigitur meridianus, qui ab zodiaco ibidem secatur.

Appa-

A *Apparet inter brumalem & meridianum circulum a media terra quidquid est in Oriente ultra cursum solis esse.*

Manifeste deprehenditur portio orbis, quæ inter æquatorem; a media nimirum perusta zona, & brumalem sive Capricorni circulum, atque primum meridianum ad Orientem per nostrum hemisphærium, ultra solis viam & zodiaci circulum nostra ratione posita esse.

*Et quidquid a media terra in Occidentem inter solstitialem & meridianum circulum* B *subjacet, nostræ esse partis, si solis cursum sequamur.*

Quæcumque vero portio terræ ad Occidentem vergit ab æquinoctiali ad solstitialem, sive cancri circulum & 1. meridiano intercepta per hemisphærium alterum, ad nostram umbrarum rationem pertinet.

*Quoniam omnibus terris in hac parte in Occidentem spectantibus umbras in dextrum emittit.*

C Nam omnibus in regionibus partis nostræ quando sol est in signis borealibus nostris, meridiana umbra in Septentrionem emittitur.

*Exceptis illis quæ sunt ab Ægypti fine usque ad Oceanum, qua finit circulus Æquinoctialis.*

Aliquot tamen regiones partis hujus ad boream nostræ, & Tetartemorii, quæ a fine Ægypti ad Æquinoctialem circulum protenduntur, alio umbras jaculantur meridianas, sole signa eadem nostra sex percurrente.

*Apud hos in Occidentem spectantibus um-* D *bræ in sinistrum emittuntur, ex quo apparet eos ultra solis cursum positos*, &c.

In illis enim terræ tractibus per illa anni tempora, umbræ Mediæ diei in meridiem inclinant sive austrum.

Unde manifesto constat regiones illas extra circulum zodiaci positas esse. Ita Arabes, quandiu sol percurrit ea signa, sub quibus sita est Arabia Fœlix, meridiano diei tempore umbram in Austrum incumbere vident. Qui sub solstitium, quo pugnatum E est in Pharsalicis campis, mirati sunt præter morem patriæ suæ umbras nemorum in Aquilonem vergere non in Austrum. Qua de re copiosius in Dissertatione *de die & mense Pharsalici conflictus.*

*Ex hoc ibidem mediam Terram terræ partem esse comprehendimus.*

Quia in extrema Ægypto solstitiali die nullæ umbræ sunt meridiano tempore, inde conficimus solem ibi verticalem esse, ac proinde illam regionem intra perustæ zonæ terminos censeri, ac tandem mediam terram F sive zonam non esse Oceani fluctibus omnino immersam.

---

SYNOPSIS CAPITIS QUINTI.

*Disseritur de communi sententia, quæ dextram Astronomorum occiduam statuit; Geographorum, orientalem.*

§. 1. *Communis sententia proponitur, Cleomedes Astronomus dextram locat ad septentrionem. Hygenus ad ortum, locus Hygeni suppletur.*

§. 2. *Ratio pro dextra Astronomica. Geographorum dextra.*

§. 3. *Orta ab vario peregrinantium decursu. Euonyme unde dicta? Emendatur Strabo. Defenditur. Euonymitæ unde dicti?*

§. 4. *Fluviorum dextera ripa. Celtæ ad Rheni dextram, Galli ad sinistram. Celtæ vocati Germani. Dionis, Juliani, Pausaniæ, Aristotelis loci.*

§. 5 *Rhodanesia, & dextra ripa quæ? Cavares & Bavari unde appellati?*

§. 6. *Euphratis ad lævam quomodo Arabia sita dicitur ab Solino? Arabia in Mesopotamia. Nili Patriarchæ sententia.*

§. 7. *Loci ex Patriarchæ ejusdem narrationibus nondum editis.*

§. 8. *Defenditur Plinius. Arabes Scenitæ ubi? Catabanes quinam? Vox Gallica* cabanes *unde?*

## CAP. V.

*Expenditur communis sententia.*

CUM superioribus hujus Diatribæ capitibus variis autorum sententiis orienti, occasui, meridiei sinistram tribuerimus; hic consentaneum erat sinistram Septentrionalem adstruere; verum, quia pluribus deinde acturi sumus de boreali hac læva, hic satius est supersedere; ut communem de dextris sinistrisque sententiam expendamus.

Communias sententia.

Jam pridem probatum in vulgus est dextram Poetarum Borealem esse; Astronomorum Occiduam; Orientalem Geographorum. Poetas ambidextros ostendimus supra.

An Astronomi dextram statuant in occidente?

Astronomicam dextram cur tanto consensu Occidenti designent plerique omnes, nihil equidem causæ video; nam si lubet veterum Astronomorum testimoniis, ut certe par est, uti, in alias orbis descriptiones incurremus. Ego e Græcis alterum, alterum e Latinis adscisco. Cleomedes lib. 2. p. 216.

Cleomedes Astr. dextram locat ad Septentrionem

Αὐτὸς δὲ ὁ κόσμος, σῶμ' ὂν ἔχει τὶ καὶ ἄνω καὶ κάτω, καὶ τὰς λοιπὰς σχέσεις ἀναγκαίως· Ἐμπρόσθια μὲν οὖν, τὰ πρὸς τῇ δύσει φασὶν εἶναι αὐτοῦ, ὡς ἀντὶ δύσιν ἔχει τὴν ὁρμήν. Ὀπίσθια δὲ τὰ πρὸς ἀνατολῇ. ἀπὸ τούτων γὰρ ἐπὶ τὰ πρόσθεν πρόεισιν. ὅθεν δεξιὰ μὲν αὐτοῦ τὰ πρὸς ἄρκτον, εὐώνυμα δὲ τὰ πρὸς μεσημβρίαν γενήσεται. *Ipse autem mundus cum sit corpus habet aliquid supra & infra, reliquasque necessario habitudines. Anteriora quæ ad occasum ipsius esse ajunt, quia ad occasum impulsum habet, posteriora vero ad ortum: ab eis namque in anteriora procedit; unde ejus dextera*

Hygenus ad ortum.

*ad Septentrionem, læva vero ad Meridiem erunt.*

Dextram ille Astronomus borealem, meridianam statuit lævam. At Hygenus dexterum esse vult ortum, sinistrum occasum. *Naturalis autem mundi statio Physice dicitur. Ea est enim Boreo polo finita, ut omnia e dextris partibus exoriri, in sinistris occidere videantur.* Lib. 1. *Poet. Astr.* c. *de polo*. Strabo lib. 2. p. 75. Τὸν δὲ μὴν γεωγραφοῦντα πιστεῦσαι δεῖ περὶ τῶν ἐχόντων αὐτῷ τάξιν ἀρχῆς, τοῖς ἀναμετρήσασι τὴν ὅλην γῆν γεωμέτραις, τούτοις δὲ τοῖς ἀστρονόμοις, ἐκείνοις δὲ τοῖς φυσικοῖς, &c. *Terræ descriptionem moliens de iis quæ principii locum obtinent, Geometris credat necesse est totam dimensis terram: Geometra Astronomis; hique Physicis*, &c. Idem tamen Astronomus Hygenus l. 4. p. 100. B. *Si quis nostrum aliquis astiterit contra exorientem solem, necesse est arctos nobis a sinistris partibus esse. Cum id ita fiat, illud quoque necesse est, ut omnia a dextris partibus exorta, in sinistris occidere videantur, de quo & ante diximus.* Vides lacunam esse ante illa verba, *ut omnia a dextris*, &c. Supplenda ex superiori, *cum id ita fiat, illud quoque necesse est* (si quis ad Boream adstiterit) *ut omnia a dextris*, &c.

Locus Hygeni suppletur.

§. 2. Ratio pro dextra Astronom. Occidentali.

Neque vero invicta est illa ratio, qua dextera Occidentalis stabiliatur, quod Astronomi obverso in austrum vultu signiferum spectent, circa quem nimirum incitatiores sint astrorum motus: ut hoc enim sit (quod dubiæ fidei & Hygenus laudatus & alii arguunt autorum veterum loci) tamen non inde certo convincas mundi dexteram Astronomis occiduam esse; quin imo meridiano conspectu, mundi cœlestis & universi dexteram agnoverint Astronomi Orientalem, ut cap. 10. probabili conjectura docebimus ex regula Aristotelis lib. 2. *de cœlo*. Hanc & sequentem recentiorem sententiam facile difflabunt veteres Astronomi & Geographi, si quis paulo accuratius eorum monumenta pellegerit. Aureos hic aliquot locos ex veteri Geographia delibabo, solerti Lectori plures ultro occurrent. Quibus e locis deprehendet ubivis terrarum dexteram mundi collocare Geographis integrum fuisse. Plin. lib. 3. procem. *Terrarum orbis universus in tres dividitur partes, Europam, Asiam, Africam. Origo ab occasu solis & Gaditano freto, qua irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur. Hinc intranti Dextra Africa est, Læva Europa.* Photius contra ex Philostrato Calpen (qui mons in Hesperiæ littore Abylæ Africano promontorio objectus est) in dextra sive in Europa collocat. Τὸ δὲ τῆς Εὐρώπης ἀκρωτήριον, ὃ καλεῖται Κάλπις, δεξιὰ μὲν ἐπέχει τοῦ ἔσπλου σταδίων ἑξακοσίων μῆκος. *Europæ promontorium Calpe dictum, dextra navigationem continet stadiorum sexcentorum.* Post fretum Gaditanum inquit Strabo lib. 2. pag. 84. magni maris apparet species: ὁρίζεται δ' ἐκ μὲν τοῦ δεξιοῦ πλευροῦ τῇ Λιβυκῇ παραλίᾳ μέχρι Καρχηδόνος, ἐκ δὲ θατέρου τῇ τε Ἰβηρικῇ &c. *Conterminatur ille sinus dextro latere Africano ad Carthaginem, altero Hispanica ora*, &c. Neque tantum incerta sedes est dextræ Geographicæ in orbis universi communi aliqua descriptione; sed & in provinciis, aliisque sigillatim locis delineandis. Cujus si rationem instituti aliquam requiris, indicabit Arrianus *de rebus Indicis* ad Anabasin, qui Alexandri jussu Susis occeptam ait esse navigationem, ut ad dextram explicarentur loca maris Erythræi, quod aliud facit Arrianus nec solus ab Arabico sinu; Oceani enim partem Orientalem intelligit quæ littus Africæ alluit: Hanno vero ad lævam a Gadibus explorare jussus est Africanas oras; relicta ut ait Arrianus ad lævam Libya. Sic etjam inter Æolias insulas εὐώνυμος dicta est quæ sinistra est a Lipara præcipua olim Æoliarum in Siciliam navigantibus. Strabo lib. 6. pag. 191. Ἑβδόμη δ' ἐστὶν Εὐώνυμος πελαγία μάλιστα καὶ ἔρημος. ὠνόμασται δ' ὅτι μάλιστα τοῖς ἐκ Λιπάρας εἰς Σικελίαν πλέουσιν εὐώνυμός ἐστι. *Septima est Euonymos, in alto maxime sita ac deserta. Ita vero appellatur quod a Lipara in Siciliam navigantibus maxime læva est.* Quem in locum eruditus Cluverius oscitantiæ arguit Strabonem quod Euonymum *in alto maxime sitam* (πελαγίαν μάλιστα) vocet, cum certum sit plerasque Liparæarum insulas a continenti longius remotas in Tyrrhenum mare. Μάλιστα πελαγίαν *quomodo intellexerit nondum satis capio: quandoquidem ex Lipara in Siciliam* 18. *haud amplius millia passum esse ipse ex chorographo citat.* Scilax: ἐστὶ δὲ ἀπὸ Μυλῶν ἐπὶ Λιπάραν νῆσον πλοῦς ἡμέρας ἥμισυ. *A Mylis* (Siciliæ urbe) *ad Liparam insulam trajectus est dimidii diei.* Quid si ἀντὶ τοῦ (πελαγία) legeres πλαγία, πλάγιος quidem sonat, *obliquus, e latere*, &c. εἰς πλάγιον *ad latus*, ἐκ πλαγίου *e latere*. Est enim a Lipara navigantibus maxime ad latus. Latus quidem sinistrum nescio quid sonat: esset tamen fortasse præfidentis animi, os sublinere velle Straboni, dum alienas substituimus voces. Quare nequid muta, & maxime maritimam Euonymum appella ex mente Strabonis, quod in pelago illo Æoliis insulis, Sicilia, & Italiæ littoribus intercepto nulla Æoliarum magis recedit a continente, ut videre licet in Tabulis Ptolemæi, quamquam recentiorum descriptiones aliam locorum eorundem præferant speciem, veterem Geographiam sectatus est Strabo.

Geographorum dextera.

§. 3. Dextra Geographica a vario peregrinantium decursu.

Euonyme unde dicta?

Emendatur Strabo.

Defenditur Strabo.

Illa igitur insula quod lateri sinistro navigantibus objecta sit *Euonyme* dicta est, at Euonymitæ Æthiopes qui Libyam meridionalem incolunt, ita fortasse vocati sunt a Græcis qui in exercitu Cambysæ militarunt, cum ille domita Aegypto in Aethiopas macrobios expeditionem temere suscepit; quod læva orbis in parte, Persis irrumpentibus in occasum, siti essent.

Euonymitæ unde dicti.

Fluviorum decursus secundo flumine consideratur, ita ut illa sit dextra ripa quæ vectorum est ad dextram. Verbi gratia, Tolosa dextra in ripa Garumnæ sita est, non in læva, ut hallucinantur Geographi aliquot & veteres & recentiores: Burdegala sinistro. Parisiorum Lutetia ita describenda, pars illa quæ urbs dicitur, *La ville*, ad dextram est Sequanæ; universitas ad sinistram, media in insula civitas, seu Lutetia Parisiorum, ut describitur a Juliano desertore.

§. 4. Fluviorum dextera ripa.

Celtæ ad Rheni dextram, Galli ad finiftram.

Hac eadem ratione Rhenus Germaniam Galliamque Veterum fententia dividit. Dio lib. 39. ὁ δὲ Ρῆνος προχωρῶν ἐπὶ δυσμῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν τὴν τε Γαλατίαν, καὶ τοὺς ἐποικοῦντας αὐτὴν. Εν δεξιᾷ δὲ τοὺς Κελτοὺς ἀποτέμνεται: *Rhenus ad Occidentem profluens ad finiftram, Galliam ejufque incolas, ad dexteram Germanos dividit*. Eadem diftinctione ufus eft & Julianus oratione tertia, ut annotat Petavius, cum Græcorum librorum Mufæum effectam fibi ait Γαλατίαν καὶ Κελτίδα. Paufanias Germaniam Κελτικὴν, & Germanos Κελτοὺς vocat; dum in *Bœoticis*, Alcem nafci tradit ἐν τῇ Κελτικῇ γῇ, & in *Eliacis* τὰς Αλκας τὸ ἐν Κελτικῇ θηρίον vocat. Interpres vertit, *Gallicam feram*, *terram Galliam*. Debuit *Germaniam terram & Germanicam feram* dicere. Nufquam enim Galliæ Alce (quam vocamus *Ellend*, aut, *la grand' befte*) nafcitur.

Celtæ dicti Germani.

Celtæ apud Ariftotelem Germanos tantum fignificant *de hift. An.* θ. Εν τῇ Ιλλυρίδι, καὶ τῇ Θράκῃ, καὶ Ηπείρῳ, ἐν δὲ τῇ Σκυθικῇ, καὶ Κελτικῇ ὅλως οὐ γίνονται· περὶ τῶν ὄνων.

Germania & Gallia Celtica.

Germania & Gallia uno olim nomine Κελτὶς dicta eft. Dio de Rheno eodem, οὗτος γὰρ ὅρος ἀφ᾽ οὗ γε καὶ ἐς τὸ διάφορον τῶν ἐπικλήσεων ἀφίκοντο, δεῦρο ἀεὶ νομίζεται. Επεὶ τό γε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ, ἑκάτεροι οἱ ἐπ᾽ ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο· *Hinc enim limes in hunc ufque diem earum regionum habetur, ab eo tempore quo diverfa nomina adepta funt. Siquidem antiquitus populi qui ex utraque parte Rheni incolunt Celtæ uno nomine appellati funt*. Plura fuppeterent adverfaria noftra, nifi eadem ferme occupaffet Cluverius, quem confule.

§. 5. Vide Scal. ad Aufon.

De Rhodani dextra & finiftra illud etiam animadverfione non indignum, Tractum illum qui a ripa Rhodani ad Narbonenfem civitatem fecundo flumine protenditur, dextram ripam vocari. Aufon. in *Mofella*:

Rhodanenfia fortaffe nimis protenditur a Scaligero.

*Te Druna, te fparfis incerta Druentia ripis*
*Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem*
*Qui meat, & Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ*.

Infcriptionem affert Scaliger Narbonenfem.

TIB. IUNII EUDOXI
NAVICUL. MART. C. I. P. C. N. M.
TI. IUN. FADIANUS
IIIIIII VIR AUG. IVC. I. R. C. N. M.
COND. FERRAR.
RIPÆ DEXTRÆ
FRATRI PIISS.

Cavares unde adpellati?

Adde conjecturam Viri eruditi, qui Cavares accolas finiftræ ripæ Rhodani ita dictos fufpicatur quafi, *Cis Avares*; & Helvios etiamnum vocari, *Vivarienfes* five (*Vivares*) quafi *Vavares*, aut *Uls Avares*: fortean olim in defcriptionibus utriufque regionis, ita fcribebatur, *C. Avares*, & V. *Avares*, cis & uls Avares. In Cavaribus Saliis Mons eft ad cujus radices fita eft Colonia Cabellionum, Cavellus (*Caveau*) dicitur, ducta a Cavaribus nuncupatione, ut puero olim mihi occinuiffe fæpe memini virum amœniffimi ingenii, & utraque in lingua Gallica Latinaque Poetam nobiliffimum, Antonium Agardum. Perfimili conjectura crediderim Bavaros nomen inveniffe quod uls Danubium pulfi fuerint a Marcomannis, ut notat Cluverius in *Vindelicia*. Bavaros & Avares eofdem agnofcit P. Æmilius lib. 2. *Avares* (inquit) *qui iidem Bavari funt, Unnorum populi omiffo vetere gentis univerfæ nomine, ab Avare Rege ipfi nuncupari maluere*, &c. Rectius ab Avaribus Galliæ populis eo tranfgreffis nomen inveniffet Æmilius, & is a quo mutuatus eft Paulus Diaconus: vide Cluverium.

Bavari unde dicti?

§. 6. Euphratis dextra. Arabia quomodo ad lævam Euphratis?

De Euphrate Solinus cap. 37. p. 66. *Euphrates longis curfibus dextra Comagenem; Arabiam leva relinquit*. Communis Geographorum defcriptio Arabas ad Mefopotamiam producit, qui igitur Arabia lævæ ripæ adhæret? Erudite refponderis, Scenitas interamnates effe. Arabia certe etiam inter Euphratem & Tygrin cenfetur. Chronicum Alexandrinum pag. 82. in quarto climate: Αραβίας Μεσοποταμίας Νίσιβις, Σελεύκεια, &c. Strabo lib. 16. Υπέρκειται τῆς Ιουδαίας καὶ Κοίλης Συρίας μέχρι Βαβυλωνίας καὶ τῆς τοῦ Εὐφράτου ποταμίας πρὸς νότον Αραβία πᾶσα, χωρὶς τῶν ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ Σκηνιτῶν. *Supra Judæam & Cœlefyriam, ufque Babyloniam & Euphratefiam ad auftrum jacet Arabia tota, exceptis Scenitis qui funt in Mefopotamia*. Scio alios Arabas Scenitas, in Fœlice Arabia conftitui ab eodem Strabone. Hoc eodem l. p. 528. ὑπὲρ τούτων ἡ Εὐδαίμων ἐστὶν, &c. Σκηνῖται δ᾽ ἔχουσιν αὐτὴν Αραβες καμηλοβοσκοί. *Eam Arabes Scenitæ Camelorum paftores habitant*. Quibus duobus e locis occafio manifefto deprehenditur errati, quo Nilus Patriarcha Narratione feptima, Moyfen afferit, cum tyrannidem Ægyptii regis fugeret, in Mefopotamiam fe recepiffe, ejus verba funt: Σὺ τὸν τούτου πατέρα Ιακὼβ ὁμοίας ἐῤῥύσω ἀνάγκης φόβου τοῦ πατρὸς ἐλευθερώσας καὶ μανίας τοῦ ὠμοθύμου Ησαῦ σώσας παρὰ τῷ Λάβαν εἰς τὴν μέσην τῶν ποταμῶν, ἐν ᾗ καὶ Μωσῆν ἐφύλαξας τὴν Αἰγυπτίων φεύγοντα τυραννίδα. *Quem ipfum patrem hujus* (Jofephi) *Jacobum fimili ex neceffitate eripuifti, eo quod a patre merito timebat, eum malo liberans & a furore crudelis Efau perductum in Mefopotamiam apud Labanum fervans. Qua in ipfa Mefopotamia, Mofem quoque Ægyptiorum tyrannidem fugientem illæfum præfervafti*. Hunc locum debes Rev. P. Petro Poffino, qui ignotos hactenus Nili fontes deprehendit & publicavit. Ita porro explicat: *Conftat ex facris Literis Mofem in terra Madian latuiffe, Jacobum in Mefopotamia, quod autem Madianitæ multorum fententia Arabes fint Fœlices & Scenitæ, & Scenitæ item interamnates*, propter commune incolarum nomen confudit utramque regionem Nilus. Plinius certe in Petræa Arabia a Pelufio Ægypti, & Nilus jam laudatus narratione tertia de irruptione Barbarorum, fub Martiano.

Nili Patriarchæ locus exponitur.

Τὸ μὲν οὖν εἰρημένον ἔθνος τὴν ἀπὸ Ἀραβίας μέχρις Αἰγύπτου θαλάσσῃ καὶ Ἰορδάνῃ ποταμῷ παρατεταμένην νέμεται ἔρημον. οὐ τέχνην, οὐκ ἐμπορίαν, οὐ γεωργίαν ἐπιτηδεῦον ποτὲ. μόνην δὲ τὴν μάχαιραν ἔχον τῆς τροφῆς ὑπόθεσιν. *Gens igitur quam diximus ab Arabia usque ad Ægyptum mari rubro & Jordane fluvio prætentam incolit solitudinem. Nullius artis ne mercaturæ quidem aut agriculturæ studio unquam dedita. Sed rapto assuetis vivere, vis instar artis est & omnem vitæ opportunitatem conficit gladius.*

Οταν δὲ ἀμφοτέρων ἀπορία ᾖ. Καὶ σπανίσῃ τούτοις τὰ ἐπιτήδεια, τότε τοῖς ὑποζυγίοις (κάμηλοι δέ εἰσι δρομάδες) πρὸς ἐδωδὴν καταχέχρηνται, θηριώδη καὶ ὠμοβόρον ζῶντες βίον κατὰ συγγενείας, ἢ συσκηνίας μίαν σφαγιάζονται, καὶ θέρμῃ πυρὸς ὀλίγῃ τῶν σαρκῶν χαυνοῦντες τὸ ἔντονον, ὡς μόνον εἴκειν μὴ πρὸς πολλὴν βίαν ἕλκουσι τοῖς ὀδοῦσιν, ὡς εἰπεῖν, τρέφονται κυνικῶς. *Sin casus forte aliquis utroque illo* (industriæ & injuriæ) *interverso quæstu annonam incenderit, tum vero jumentis ipsi propriis, ea sunt fere cameli dromades, ferino ritu rabieque ad cibum abutuntur, singulisque per familias & tentoria mactatis, cruentas adhuc carnes & semicrudas, vapore tantum ignis afflatas modico, quod ad mollitiem subactæ aliquam leviorem ac saltem non irritum facessant dentibus trahendi laborem, canina prorsus aviditate vorant.* Ο μὲν οὖν τοῖς βαρβάροις βίου καὶ θρησκείας ὁ νόμος. Καὶ οὕτως ἐμβιοτεύοντες τῇ ἐρημίᾳ τόπους ἐκ τόπων ἀμείβουσιν, ἐκεῖ τὰς παρεμβολὰς ποιούμενοι, ὅπου δ' ἂν χιλὸν εὔπορον ἢ τοῖς κτήνεσι, καὶ ὕδωρ εὑρεῖν δαψιλές. *Hoc victu & religione barbari feram & desultoriam passim per solitudinem vitam circumferunt iis in locis in quibus jumentis pabulum & aquæ benigna copia non desit castra fere metantes.*

§. 7. Ex tribus hisce Nili testimoniis confice probabili conjectura non errasse Plinium, qui Scenitas ad Pelusium & ultra deinde collocaverit, qua in orbis parte Petræam Arabiam & partem aliquam Fœlicis statuunt Geographi. Unde satis poterit fieri illis qui Madianitas eodem loci agnoscunt, ut Hieronymus, Adricomius, alii: adverte etiam quare eos Strabo καμηλοβοσκοὺς vocet, non pastores, sed comestores camelorum. Eustathius tamen vocat Arabas Fœlices littorales καμηλοκόμους in Dion. v. 955. &c. Et Plinius Arabas Scenitas, a tabernaculis cognominatos (inquit l. 6. c. 28.) quæ scilicet metantur ubi libuit. Item adverte Scenitas Catabanis aut Catabanibus & Catabenis conjungi ab Solino. *Verum* (inquit) *hæc Arabia procedit adusque illam odoriferam & divitem terram, quam Catabani & Scenitæ tenent Arabes.* Catabanum mentio frequentissima apud Auctores. Regio Καττραβανία Stephano. Vide Salmasium in Solin p. 485. &c. Fortasse, a Catabanis seu Catabanibus Gallice tabernacula fecimus quæ, *Cabanes*, vocamus, ut ex Oriente nostros *assassins*, aut, *arsassins* advocavimus. Ita *Caballus* ἀπὸ τοῦ καταβάλλω quibusdam dicitur.

*Arebes Scenitæ ubi.*

*Catabanes.*

SYNOPSIS CAPITIS SEXTI.

*De dextra Augurali disputatur ex Gromaticis designationibus.*

*§. 1. Dextra Augurum varie collocata. Non convenit ipsos inter Tuscoromanos. Ex hac varietate orta difficultas doctrinæ & error communis.*

*§. 2. Error ille natus ex ignoratione multiplicis designationis Auguralis templi. Prima divisio dextram statuebat ad Septentrionem. Ex Gromatices auctoribus.*

*§. 3. Exponitur Hygenus. Decumanus limes. Cardo, antica, postica. Gromaticarum notarum interpretatio.*

*§. 4. Duæ erant anticæ, posticæ duæ, totidem dextræ & sinistræ. Ratio hujus rei investigatur. Decumanus Pythagoreis prima quadratura, mundus, cœlum, Sol, quare? ab Oriente ad Occidentem emittebatur. Prorsi limites.*

*§. 5. Transversi limites. De iis Papinii locus. Limes & limus obliquitatem sonant. Auspex vocatur etiam Augur.*

*§. 6. Refutatur Salmasius in constitutionibus agrorum ex Hygeno. Hygeni locus. Salmasii interpretamentum.*

*§. 7. Quam parum consentaneum. Circulationes solis in spiram ducuntur, Æquinoctialis etiam circulatio spiralis est. Julii C. Scaligeri sententia.*

*§. 8. Hygeni vera interpretatio.*

## CAP. VI.

*De dextra Augurali ex Hygeno.*

NON modo incerta sedes est dextræ sinistræque in orbe universo ex variarum disciplinarum placitis describendo; sed ipsos inter Augures Græcos primum & Latinos, tum ipsos adeo inter Tuscoromanos non satis convenire credas, si dexteræ variandæ causam non agnoveris. Aliis enim dextera orientalis est, aliis occidua; borealis istis, illis meridiana. Quam ego in hoc tanto sententiarum pelago aut potius naufragio tabellam arriperem, profecto non succurrebat, nisi demum animo providissem, aliam hac in re ineundam esse rationem ab ea qua recentiores instituere critici. Nam ut quilibet illorum in aliquo uno ex illis, qui a me paulo ante laudati sunt & deinceps laudandi, auctore deprehendisset Auguralis templi dextram sinistramve hac vel illa in orbis parte collocatam; retinere, quod ajunt, iste claudus pilam & palam pronunciare tanquam ex Augurum effato, templi constitutionem eam esse unam, unam hanc regionum designationem.

*§. 1. Dextra Augurum varie collocatur.*

*Unde nata difficultas?*

*Errandi causa in dextra Augurii inveniēda.*

Ego vero sic existimo, & expensis multo labore, atque ut rem fatear, etiam nonnullo tædio, veterum auctorum testimoniis,

*§. 2. Multiplex fuit dextra*

Auguralis ex multiplici divisione templi.

statuo multiplicem Auguralis templi designationem, divisionemque fuisse. Quæ quia partitio atque descriptio ex iis auctorum locis eruta est, qui a recentioribus, atque etiam superiorum aliquot ætatum criticis partim depositi, partim secus quam par est expositi sunt; ad eos ipsos locos tanquam ad fontes, templi Auguralis constitutionem revoco.

Prima divisio templi Auguralis ex Gromatice.

Prima itaque bifariam ducta in dextrum & sinistrum, lævam ad Meridiem, ad Septentrionem dextram collocabat, anticam in Occidente, in Oriente posticam. Partitionem hanc retinuit Gromatices disciplina: quare commodum erit (opinor) ex priscis agrorum designationibus dextram lævamque inquirere.

Frontini locus. Hygeni testimonium.

*Limitum enim prima origo* (inquit Frontinus Geodætes) *sicut Varro descripsit ad disciplinam Etruscam noscitur pertinere*. Clarius Hygenus libro *de agrorum limitibus constituendis*, cujus verba quanquam plura sunt non fastidiet eruditus Lector. *Inter omnes mensurarum ritus sive actus, eminentissima traditur limitum constitutio; est enim illi origo cœlestis & perpetua continuatio cum quadam latitudine recturæ dividens nostra. Constituit enim limites non sine mundi ratione, quoniam decumani secundum solis cursum diriguntur, cardines a poli axe: unde primum hæc ratio constituta est ab Hetruscorum Aruspicum disciplina, qua illi orbem terrarum in duas partes secundum solis cursum diviserunt; Dextram appellaverunt quæ Septentrioni subjacebat: Sinistram, quæ ad meridianum terrarum esset. Alteram lineam duxerunt a meridiano in Septentrionem, & mediam ultra anticam, citra posticam nominaverunt. Ex quo hæc constitutio limitibus templorum adscribitur. Ab hoc exemplo antiqui mensuras agrorum normalibus longitudinibus incluserunt. Primum duos limites constituerunt; unum qui ab Oriente in Occidentem dirigeret; hunc appellaverunt duodecimanum, ideo quod terram in duas dividat partes & ab eo omnis ager nominetur. Alterum a meridiano ad Septentrionem, quem cardinem nominaverunt a mundi cardine.* Mirum mihi semper visum est tam illustrem locum vel oculis criticorum qui de Augurali dextera dixere, vel calculis subductum esse.

§. 3. Expositio Hygeni.

Qui Gromatice sciunt interpretatione non egent, eosdem tamen nonnihil juverint ea diagrammata quæ huic subjecimus capiti, cæteros hæc eadem ducent.

*Primum*, inquit, *duos limites constituerunt, unum scilicet qui ab oriente in occidentem dirigeret, Decumanum. Alterum a meridiano ad Septentrionem, Kardinem*. Et quidem secundum solis cursum decumanus; cardo a poli axe dirigitur. Antica regio quæ a cardine ad occasum, postica quæ ab ortu ad cardinem. Addit, duodecimo terram in duas dividi partes, dexteram nimirum septentrionalem, sinistram meridionalem, atque ab eodem decumano totum agrum denominari. Decumanus medius ille est qui in diagrammate in transversam paginam ducitur; ab eo ager totus ut ait Hygenus nominatur, pars enim quæ a to-

Notæ Gromaticæ explicantur.

to decumano ad Septentrione protenditur, dextera, quæ ad Meridiem, sinistra, dicebatur. Hinc illæ in assignandis sortibus notæ & locutiones D. D. T. S. D. T. *dextra decumanum totum, sinistra decumanum totum Titius accepit*, si per illum totum agri tractum sortes erant assignatæ, sinistrum nimirum aut dextrum. Unde & *ager sinistratus citratus*, si in postica parte, *sinistratus ultratus* si in antica descriptus esset: *dextratus citratus* & *ultratus* similiter. Inde etiam illi terminales characteres D. D. K. K. *dextra decumanum citra cardinem*. D. D. V. K. *dextra decumanum ultra cardinem*. S D. K. K. S. D. V. K. *sinistra d. citra card. sinistra d. ultra card.* Sic enim exponendæ illæ terminorum notæ & similes quæ apud Gromatices magistros & Jureconsultos occurrunt.

§. 4. Duæ erant anticæ & posticæ, duæ dextræ & sinistræ.

Dividit igitur decumanus limes agrum ex Augurum consuetudine in partes anticas duas & duas posticas, ut capite proximo sequenti rursus exponam; sive in duas sinistras & totidem in dexteras partes, quadrifariam. Neque abs re, si audiendi sunt Pythagoræi qui ex Calcidio ad Timæum, decumanum numerum primam quadraturam vocabant. Καὶ κόσμον, καὶ οὐρανὸν, καὶ ἥλιον, teste Meursio, unde Proclus lib. 5. ἐστιν ἡ δεκὰς κοσμική. Quare merito ait Hygenus cœlesti ratione, secundum solis cursum, decumanum agro nomen dare.

Ratio quæritur P. 109. Decumani nomina varia.

Quamquam & decumanus limes dici possit quod maximus limitum omnium sit, ut fluctus decumanos vocamus. Prima & generalis agri divisio limitem maximum ab Oriente in Occasum directum vocabat *decumanum*; in subdivisionibus Orientales illi limites *prorsi* dicebantur; cardines primæ descriptionis, *transversi*.

Ab Oriente ducebatur.

Nam cum secundum solis cursum ducerentur decumani & majores & minores, recte hi *prorsi* vocati sunt, quasi porro & in anteriorem partem ad Occidentem directi. *Prorsus* enim id est ac *porro* & *recta versus*. Festus, *Prorsus porro versus*. Ex Catone, *cum Romam veniebant, devertebantur prorsus ad amicos suos*.

Prorsi limites.

§. 5. Transversi limites.

Quare in alio Festi loco legendum, *ad Occidentem*, cum ait, *Prorsi limites appellantur in agrorum mensuris qui directi sunt ad Orientem*. Simili ratione in auctoribus *finium regundorum*, p. 300. *reliquos limites fecerunt angustiores, & qui spectabant in Orientem* (*in Occidentem*) *Prorsos, qui ad meridianum, transversos*. Qui Hygenum expenderit, intelliget haud dubie eundem ex Veterum sententia principem direxisse decumanos & prorsos in Occidentem non in Orientem, & ab eo cæteros esse mutuatos. De transverso limite fortasse Papinii locus exponi potest l. 6. v. 422.

*Haud aliter raptum transverso limite cœli*
*Flammati Phaethonta poli videre.*

Limes & limus. Vide quæ de Evonymo.

Quasi diceret raptum per transversum limitem ad polos. Limes ἁπλῶς cardinem, & transversum significat limitem: *Limus* enim antiquis obliquus erat, Arnobius l. 4. *contra Gentes* pag. 166. *Quis curatores obliquitatum limos*. Vide Rigaltii notas in Hyg. Viri aliqui eruditi vocem *Aruspicum* loco movebant, & *Augurum* substituendum asserebant; nihil est tamen admodum necesse, nam Aruspex pro Augure dixit Sidon. Car. 7.

*Quid rogo bis seno mihi vulture Thuscus*
*Aruspex portendit.*

Augurum erat aves & fulmina observare. Cicero tamen l. 2. *Divin.* Haruspices appellat:

*Tum pater Altitonans stellanti nixus olympo*
*Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,*
*Et Capitolinis injecit sedibus ignes.*

*Tum statua Nattæ, tum & simulacra Deorum, Romulusque & Remus cum altrice bellua, vi fulminis icti conciderunt. Deque his rebus Aruspicum extiterunt responsa verissima.* 2. de Legibus. *Portenta ad Hetruscos Aruspices defferunto, iidemque fulgura atque obstita pianto.* Nonius in *Fulguratoris* ex Catone de moribus Claudii Neronis: *Haruspicem fulguratorem si quis adducat.*

§. 6. Salmasii sententia refutatur.

In hac Gromatices disciplina quantum sibi licere voluerit Solini Exercitator Cl. S. facile deprehendet, qui alteram hanc capitis hujus partem non otianti oculo percurrerit. Hygenus igitur dum sedulo inquirit, quare multis in agrorum assignationibus cardines & decumani varie flecterentur, neque hi exacte semper Orientales, illi itidem meridionales essent; causam hanc priorem statuit: *Multi*, inquit, *ignorantes mundi rationem, solem sunt secuti, hoc est, ortum & occasum, quod in semel ferramento comprehendi non potest. Quid ergo? posita auspicaliter groma ipso forte conditore præsente, proximum vero ortum comprehenderunt, & in utramque partem limites duxerunt, quibus cardo in horam sextam non conveniet.* (Hygeni verba.) Explicat Exercitator. Primo suo more ὀβελίζει & legit, *Qui idem nisi semel ferramento comprehendi non potest.* (Hygeni ex Salm. sententia.) Tum; *sic constitui debet depravatissimus locus qui vulgo sic excuditur*, Quod in semel ferramento comprehendi non potest. *Ortus* (inquit Claudius) *& occasus solis mobilis est, nec idem potest plusquam semel ferramento sive groma comprehendi Quotidie quippe sol ex alio Cœli momento quam pridie oritur.* Deinde locum Hygeni καταφραστικῶς persequitur. *Qui solis cursum sequebantur agrimensores, in dirigendis limitibus, non verum ortum solis comprehendebant, sed proximum vero, quibus cardo in horam sextam, id est, in meridiem convenire non poterat. Verus ortus est Aequinoctialis, eo ......... comprehenso & limite decumano in eam partem emisso, Cardo limes utique in meridiem conveniet.* Hæc ille.

§ 7. Refutatur. Hygeni sententia quam inepta si vera Salm. interpretatio.

Ego duo affero, alterum videri Salmasium leviter cosmographice scire; alterum, dum ex negante ajentem facit Hygenum, facere intelligendo ne quid intelligat. Principio, ex sententia Claudiana, asserit Hygenus, gemini scilicet oblitus æquinoctii, semel duntaxat verum (id est, si Aristarchum audiamus, *æquinoctialem*) ortum comprehendi posse. Deinde cardinem hac ratione, hoc est, emisso ab æquinoctiali ortu ad occasum itidem æquinoctialem decumano, in meridiem sive sextam horam convenire. Ita, nimirum opinor, exacte ducendum cardinem ut angulis rectis decumanum secet, & cum meridiana umbra rectitudine conveniat neutram in partem inclinante, sed unum in poli cardinem recta tendente. Quod (ut verbis Salmasii in Joseph. Scal. utar) *in puero elementis sphæræ imbuto vix ferendum esset nedum in tanto viro* quantus ipse Hygenus habitus est, quantus & ipse Salmasius audire gestit. Nam cum ex primis Cosmographiæ rudimentis notum sit singulas solis circulationes in spiram duci, nec magis obliquas esse dum sol extrema australia vel borealia deerrat signa, quam utroque sub æquinoctio: eo quippe die æquinoctiali sol ex alio cœli momento quam pridie oritur: quod flexuose nimirum semper feratur in occasum, nec recta duci linea possit ab Oriente ad Occidentem solem, quæ paribus intervallis se tota distet a polis. Qui tandem semel tantum, comprehendi potest ex Salmasio ortus verus & occasus æquinoctiali scilicet die ab iis qui solis cursum sequantur non diebus singulis? Quæ enim in aliis circulationibus valet flexuositas & inclinatio, valet & in æquinoctialibus. Quin imo Julius Scaliger Gelliano problemate 33. (cujus tamen hic sententiam non expendo) majorem aliquam inclinationem agnoscit in periodis æquinoctiorum, ejus hæc sunt verba. *Is circulus quem sol quotidie signat, non est circulus, sed magis quædam spira: Neque enim revolutionis finis eodem committitur unde initium habuerat, major enim distantia est a puncto unde digressus est ad punctum ad quem horæ 24. eum perduxere, ubi propior fit iis signis, quæ signa propius ad æquinoctium accedunt propter obliquitatem. Ita cum tendit ad solstitia propter lineæ prope rectitudinem vix variat; ideo solstitia dicta.* Sic ille, at Horatius;

(Circulationes solis in spiram ducuntur.)

*Confice namque instat fatum.*

§. 8. Vera Hygeni sententia.

Verum sententiam fortasse me rogas. Dico. Affirmat Hygenus eorum errore qui cœli obliquas circulationes non satis nossent, emissum esse decumanum ab ea parte cœli a qua sol oritur, ad eam in qua occulitur; quam lineam si recta diffindat, ut debet cardo, limes, is ad horam meridianam convenire non potest. Ideo pag. 177. repetit, *Multi ut supra diximus solis ortum & occasum comprehenderunt, qui est omni tempoee mobilis, nec potest secundum cursum suum comprehendi.* Addit sequenti pagina de iisdem illis mensoribus, *contendisse feruntur ortum singulis regionibus eum esse unde primum sol appareat: occasum ubi novissime descendat, hactenus dirigere mensuram laboraverunt.* Quod si simul comprehendatur ferramento, id est, si recta ducatur linea, nec parallela sit æquatori, proindeque, qui limes transversus normaliter ducetur & rectus in horam sextam non conveniet. Unde p. 184. satius esse dicit priori loco cardinem ducere. *Optimum est ergo*, inquit, *umbram horæ sextæ deprehendere & ab ea limitem incboare, ut sint semper meridiano ordinati, sequitur ut Orientis linea huic normaliter conveniat.* Lego igitur nulla fere mutatione. *Multi ignorantes mundi rationem, solem sunt secuti, hoc est, ortum & occasum* (vides quæri ortum & occasum una simul linea describendum) *quam ergo apte subdit: Quod insimul ferramento comprehendi non potest.* Dixit enim deinde, ut nos quoque retulimus, *Nec potest secundum suum cursum comprehendi*, normaliter scilicet sive ferramento & gnomone in tetrantem ad angulos rectos & mundi quadruplices cardines posito, hoc est enim gromam auspicaliter ponere. Vocem autem *In-*

(Emendatio Hygeni.)

Insimul. *simul* præfert Papinius in Kalendis Decembribus:

Vide Bernatium & alios.

*Orbem, qua melior, severiorque est*
*Et gentes alis insimul togatas:*

Vide Bernatium & alios.

Ecquid tandem opponet Salmasius? ori opinor ambas manus, nisi malit jactare de sinu.

Vocem *insimul* præfert elegantissimus Florus lib. 2. cap. 20. *Populus Romanus ad Orientem pacem agebat, nec pacem modo, sed inusitata & incognita quadam felicitate, relictæ regiis hæreditatibus opes, & tot insimul regna veniebant.*

DESCRIPTIO AGRARIA
ex 1. divisione templi auguralis.

MERIDIES.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ORIENS. | TICA. | S. Ager sinistratus citratus. S.D.K.K. | D. DO. | T. Ager sinistratus ultratus. S.D.V.K. | TICA. | OCCIDENS. |
| | | DECUM | A | NUS. | | |
| | POS- | D.D.K.K. Ager dextratus citratus. D. | CAR- D. | D.D.V.K. Ager dextratus ultratus. T. | AN- | |

SEPTENTRIO.

DIAGRAMMA SEU DESIGNATIO
templi auguralis tripertiti.

MERIDIES.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Octo Orientales sinistræ. | 8 | Secunda pars 2æ. divis. | | Tertia pars 2æ. divis. | 9 | Octo Occidentales dexteræ. |
| | 7 | | | | 10 | |
| | 6 | SINIST | E | RUM. | 11 | |
| | 5 | | | | 12 | |
| | | | | | | |
| | 4 | DEXT | E | RUM. | 13 | |
| | 3 | Prima pars 2æ. divis. | | Quarta pars 2æ. divis. | 14 | |
| | 2 | | | | 15 | |
| | 1 | 3æ. divis. pars. | | Pars 3æ. divis. | 16 | |

ENARRATIO

PRIORIS FIGURÆ.

IN agrorum divisionibus Agrimensor vultum obvertebat in Occidentem, ac proinde Meridies sinister, Septentrio dexter, Oriens illi posterior erat. Decumanus maximus limes ab Oriente ad Occidentem ducebatur: Cardo ab Septentrione ad Meridiem. Antica pars illa erat quæ ab Cardine ad occasum; postica quæ ab eodem Cardine ad ortum pertinebat in duo latercula distincta; primum laterculum ad Septentrionem, *Ager dextratus citratus*, id est, intra Cardinem dicebatur: alter, *Ager sinistratus citratus*, ad Meridiem intra eundem Cardinem. Pars quoque Antica bifariam diducta erat; in ea, *Ager sinistratus ultratus* ad Meridiem: *Dextratus ultratus* ad Septentrionem; uterque extra Cardinem, Hos characteres, S.D.T. &. D.D.T. ita expone, *sinistra decumanum totum, dextra decumanum totum*. Illos vero S.D.K.K. & S.D.V.K. *Sinistra decumanum citra Cardinem; sinistra decumanum ultra Cardinem*. Alios, D.D.K.K. & D.D.V.K. *dextra decumanum citra Cardinem; dextra decumanum ultra Cardinem.*

ENARRATIO

POSTERIORIS FIGURÆ.

HÆC figura trifariam divisa, triplicem continet Auguralis templi designationem. Prima est quæ spatium illud in sinistram Meridianam, & Septentrionalem dexteram partiebatur, vultu ad Occidentem converso; 2. partitio spectabat Orientem, & lævam collocabat in Septentrione, dexteram in Meridie: utraque vero parte in duas divisa quatuor omnino erant latercula. Tertia descriptio oculos in Meridiem obvertebat, & templum in octo dexteras Occidentales, & totidem sinistras Orientales dividebat.

---

SYNOPSIS CAPITIS SEPTIMI.

*Ex utriusque diagrammatis explanatione secunda & tertia divisio templi Auguralis inquiritur.*

*§. 1. Componuntur invicem duo diagrammata, groma, tetrans.*

*§. 2. Postica linea in agrorum constitutionibus quænam, quæ item antica? Postica Decumanus, antica dicebatur cardo. Hujus nomenclaturæ ratio. 1. divisio communis Auguri & Geodætæ.*

*§. 3. Festi locus hactenus a Criticis depositus, & Plinii alius de partibus templi Auguralis affertur. Uterque quam sit perplexus.*

*§. 4. 2. Diagrammatis & secundæ divisionis expositio. Plinii verba de 2. divisione. 1. divisio ex 2. figura & prima. Sinisterum & dexterum templum. Formula designandi templum.*

*§. 5. Secunda divisio quadripertita. 1. est Pliniana & propria Romanorum, cujus dextra est meridiana.*

*§. 6. Tertia divisio statuit dextram occidentalem & partes 16. Componuntur inter se tres divisiones. Romana & Etrusca divisio. Ex Livio triplex divisio stabilitur.*

*§. 7. Plutarchus Livium corrupit. Explicatur Livius. Loci Livii & Plutarchi componuntur.*

*§. 8. Locus Festi explicatur de duabus posterioribus divisionibus. Bulengero satisfit. Fulmina antesinistra, antedextra, &c.*

*§. 9 Error communis ex ignoratione triplicis divisionis. 1. divisio ad orientem. 2. ad ortum. 3. ad meridiem. Hinc loci veterum auctorum explicandi.*

## CAP. VII.

### *De secunda & tertia divisione Templi Auguralis.*

§. 1. Componitur 2. diagramma cum 1.

CONSTAT igitur (ut docuimus Hygeni auctoritate) ex agrorum constitutionibus partes illas dexteras esse quæ ad Septentrionem, sinistras quæ ad Meridiem ex Auguralis templi disciplina, cujus descriptionem dedimus in altero diagrammate, quod ad priorem figuram exactum facile subjicit oculis Etruscorum Augurum & Romanorum dextram & sinistram. Principio medium illud spatium in quo decussantur Cardo & Decumanus vocabatur *Groma*, aut *Gruma*. Nonnius, *Grumæ sunt loca media in quæ directæ quatuor congregantur & conveniunt viæ rectæ; a Groma ceu gnomone*; nam (ut addit ex Aggeno Scaliger) *in castris & in coloniis capiendis groma ponebatur in tetrantem, Antica & Postica linea se invicem ad angulos rectos intersecantibus*. De tetrante & gnomone consule Vitruvium capite sexto libri primi, & Philandrum in eum locum; Salmasium quoque in Solinum & Rigaltium. Verum enimvero qui possunt lineæ duæ Antica & Postica se invicem intersecare? aut quid, amabo, est Antica & Postica linea terminalis vel Auguralis? Nam si Geometricem & Mathematicam quæras, partes intelliges esse duas unius & ejusdem lineæ? Hæsi dubius sane, donec Festum memini dixisse: *Posticam lineam in agris dividendis Servius Sulpitius appellavit ab exoriente sole ad occidentem*. Unde breviator Festi Paulus: *Postica linea in agris dividendis ab exoriente ad occasum spectat*. Ergo decumanus, linea Postica, Servio, & Cardo antica se rectis angulis ad grumam intersecant. Mirum certe est hæc Scaligerum aut non vidisse aut prætermisisse. Non absimili ratione medium templi occupabat Augur cœli regiones designaturus. Atque ideo, si quis causam exigat, forte postica linea decumanus dicitur & Cardo antica, quod ita in medio ad gnomonem & grumam collocatus Augur aut Geodætes lineæ Orientalis ceu decumani mediam totam partem pone se relinquebat, cum cardo totus ad latera duceretur. Sic locum illum salebrosum, *viamque*, ex Lucillio, *Vis degrumari, ut castris mensor facit olim*.

Groma quid?

Tetrans.

§. 2.

Postica linea Decumanus. Antica Cardo dicebatur.

Causa hujus nomenclationis.

§. 3. Locus Festi de templo Augurali.

Longe major difficultas est in aliis Festi verbis de eodem Augurali templo: *Quæ ante nos sunt antica, quæ post nos sunt, Postica dicimus; & dextram anticam & sinistram posticam: sic etiam ea cœli pars quæ sole illustratur ad Meridiem Antica utique nominatur; quæ ad Septentrionem, postica; rursumque dividuntur in duas partes, Orientem atque Occidentem*. Hem tenebras cimmeris crassiores! merito exclamat Bulengerus, *Quid hoc monstri est?* Hoc ego tamen quicquid monstri est demonstrabo, & prodigium rite procurabo.

A Prius tamen alium ex Plinio locum non minus a Criticis depositum subjicio:

Plinii divisio 2. 6. 54.

*In sedecim partes cœlum divisere Thusci. Prima est a Septentrionibus ad æquinoctialem exortum; secunda ad meridiem; tertia ad æquinoctialem occasum; quarta obtinet quod reliquum est ab occasu ad Septentriones. Has iterum in quaternas divisere partes ex quibus octo ab exortu sinistras; totidem e contrario appellavere dextras*. Vellem quidam homines quibus omnia plana sunt & liquida, quibus, quam odiosa critica est, tam ignota eadem, medicas huc B afferrent manus; intelligerent profecto non satis sibi paratum auxilii ab immensis commentariorum voluminibus. Ego vero nolim hypercriticus audire, dicam nihilominus in hisce aliisque locis de meo mihi comminiscendum fuisse. Primum igitur statue ob oculos nostra duo diagrammata. In posteriori habes ex Plinii sententia & Festi, Augurale templum in sedecim partes divisum. Primo tamen quadrifariam. *Prima*, inquit Plinius, *pars est a Septentrionibus ad æquinoctialem exortum*; ad eam C scilicet partem a qua oritur sol quando

§. 4. 2. diagram. & 2. divisionis expositio. Plinii verba de 2. divisione.

*Libra riesque partem reddunt noctemque diemque*

*2. ad meridiem ab æquinoctiali linea. 3. ad æquinoctialem occasum*, ad eam partem cœli in qua occidit sol æquinoctiali die. *Quarta obtinet quod reliquum est; ab occasu* æquinoctiali *ad Septentriones*. Et hæc secunda divisio est quam mox explico, ubi priorem ex hac eadem 2. figura delineavero. Ut enim ager totus ex laudato Hygeni loco a decumano limite nomi-D nabatur; ita & ab illa linea quæ in altero diagrammate ab ortu in occasum ducitur templum Augurale, *Dexterum* aut *Sinisterum* dicebatur; quod satis annuit solennis Auguribus designandi cœli formula, quam ex Varrone restituit sagacissimus Augur Scaliger, in qua *Sinisteri*, ut loquitur, & *Dexteri* tantum mentio fit. Unde totus ille tractus qui a perpetuo Decumano ad Septentrionem patet templum Dexterum; qui vero ad meridiem Sinisterum erat, ut in prima divisione ante, ager dextratus & sinistratus. Augurum formulam ne deside-E res adscribo, ex libro 6. Varr. emendante Scaligero.

Prima divisio ex 2 figura & prima.

Sinistrorum & dexterum templum.

*Tesca dumecta sunto, quoad ergo caste lingua nuncupavero olla veter arbor quisquis est, quam me sentio dixisse templum, tectumque esto in sinisterum. Olla veter arbor quisquis est, quidquid est, quod me sentio dixisse, templum tectumque esto in dexterum, intra ea*, &c.

Formula designandi templum.

Altera divisio figuræ secundæ, secunda partitio est in qua oriens spectatur & lævus est Aquilo. Ubi enim Augur capto con-spectu bifariam in sinisterum & dexterum, F ad occasum versus templi locum descripserat, conversus ad Orientem, dextram illam & sinistram primæ divisionis, quadrifariam subdividebat & dextram statuebat meridionalem.

§. 5. 2. divi- quadrifariam. 1. Pliniana.

Atque hæc secunda divisio in partes quatuor propria Romanorum Augurum fuisse dicitur a M. Tullio *de Divin.* lib. 2. Tertia demum divisio lævam sortiebatur Orientalem, anticam Australem, posticam Septentrionalem; Occidentalem dexteram. Quatuor enim illæ partes secundæ partitionis in sex-

§. 6. Divisio tertia propria Tuscorum.

Percurruntur tres divisiones.

A fexdecim dividebantur, quarum octo Orientales, ut ante ex Plinio diximus, & vides in programmate, finiftræ erant, Occidentales totidem dextræ. Ut enim primæ divifionis *dexterum & finifterum* fecunda partitione in partes fecabatur quatuor fitus etiam nomine & denominatione mutata, ita etiam partes illæ quatuor fecundæ divifionis, tertio loco in fexdecim diducebantur confpectu variato.

Romana & Etrufca divifio.

Cicero 2. *de Divin. Cœlum in fexdecim partes diviferunt Etrufci; facile id quidem fuit, quatuor quas non habemus duplicare, poft idem iterum facere ut ex eo dicerent fulmen qua ex parte eveniffet*.

Ex Livio triplex hæc divifio ftabilitur.

B Ita Livii locus explicandus eft, in quo hallucinati funt tam multi; ubi Numa inaugurandus in principem convertitur ab Augure ad meridiem; Augur vero ipfe ad lævam fedet imponitque Numæ capiti manus, vultu nimirum in Occidentem converfo; & nihilo tamen minus fubjicit Livius, *regiones ab Occidente ad Occafum determinavit, dextras ad Meridiem partes lævafque ad Septentrionem effe dixit*. Explicat Livius triplicem Auguralis partitî divifionem.

§. 7. Plutarchus Livium corrupit.

Quam quia tam multiplicem non agnovit fortaffe Plutarchus, locum Livii dum reddit, adulterat; C & *ἀντὶ τȣ̃, ad lævam*, ad quam fedit Augur manus impofiturus Numæ, vertit, *παραςὰς ἐξόπιθεν, a tergo adftans*. Auguris igitur primus afpectus ad Occidentem primam divifionem innuit, quod dextras collocat meridionales, fecundam; tertiam vero converfus ad meridiem Numa.

Explicatur Livius.

Plutarchi & Livii locos compone.

Locus Livii.

Is lib. 1. an. v. cap. 38. *Inde ab Augure, cui deinde honoris gratia publicum id perpetuumque Sacerdotium fuit; deductus in arcem in lapide ad meridiem confedit. Augur ad lævam ejus capite velato fedem cepit, dextra* D *manu baculum fine nodo aduncum tenens quem lituum appellaverunt. Inde ubi profpectu in urbem, agrumque capto deos precatus, regiones ab Oriente ad Occafum determinavit, dextras ad Meridiem partes, lævafque ad Septentrionem effe dixit', contra quam longiffime confpectum oculi ferebant animo finivit: tum lituo in lævam manum tranflato, dextra in capite Numæ impofita precatus eft ita, &c.*

Verba Plutarchi ex Livio.

Ἐνταῦθα τῶν μάντεων ὁ πρωτεύων τὸ μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παραςὰς ἐξόπιθεν, καὶ τῇ δεξιᾷ τῆς κεφαλῆς ἐφαπτόμενος αὐτȣ̃. κατηύξατο, καὶ περιεσκόπει τὰ παρὰ τῶν Θε- E ῶν οἰωνοῖς ἢ συμβόλοις προφαινόμενα, πανταχόσε τὰς ὄψεις προφέρων. *Ibi princeps Augurum eum capite velato ad meridiem convertit, atque a tergo affiftens, dextra in Numæ capite impofita precatus eft, & in omnem partem circumlatis oculis, fi quæ aufpicia vel oftenta dii darent obfervavit*.

§. 8. Locus Fefti exponitur.

Jam facilis interpretatio eft, opinor, loci illius ex Fefto recitati: *Quæ ante nos funt, antica; & quæ poft nos funt poftica dicimus. Et dextram anticam, finiftram pofticam. Sic ea cœli pars quæ fole illuftratur ad meridiem, antica utique nominatur:* F *quæ ad Septentrionem, poftica: rurfumque dividuntur in duas partes, Orientem atque Occidentem*. Duas pofteriores divifiones defcribit Feftus. Meridionalis igitur pars dextra ex fecunda partitione, antica fit ex tertia; & finiftra Sepentrionalis, poftica. Et poftica illa & antica illa dividuntur in Orientem & Occidentem: quia cum templum totum partes illæ duæ defcribant, anterior atque pofterior, quando diducuntur in fexdecim, media pars anticæ & pofticæ itidem conflantur in ortivas octo, & octo fcilicet occiduas.

Satisfit Bulengero. Fulmina ante finiftra.

Quod tantopere vifus eft refugere Bulengerus, quodque aliis item omnibus Criticis crucem fixit. Hinc vero factum puto ut aves & fulmina dicerentur *antefiniftra*, *ponefiniftra*, *antedextra*, *ponedextra* una voce ut notat Servius in illud:

*Antefiniftra cava prædixit ab ilice cornix.*

§. 9. Error communis ex ignoratione triplicis divifionis.

Triplicem hanc quam ex Hygeno, Plinio, Fefto aliifque primus eruderavi partitionem, non videre, opinor, Critici illi qui tanto inter fe opere digladiantur; quorum tamen ut ego famæ parco, ita & nominibus figillatim recenfendis fuperfedeo. Hoc profecto non diffiteor veteribus Criticis hac tergemina confultum effe defignatione, quos plerofque reos agi video apud Collegium Augurum ab iis omnibus qui inaufpicato fœdere uni orbis parti dedere dexteram.

1. divifio ad Occidentem. 2. ad Ortum. 3. ad Meridiem.

Confpectus itaque Auguris triplex fuit, primus in Occidentem templi locum capiebat & dexteram porrigebat Septentrioni: fecundus ad Orientem, meridianam dexteram ftatuebat. Tertius denique ad auftrum in occidente collocabat dexteram. Primo confpectu bifariam defcribebatur templum: fecundo quadrifariam: tertio in partes fexdecim, octo dexteras, finiftras totidem. Quare cum legis apud Plinium aliofque Romanæ feu Thufcæ confuetudinis authores *finiftram Orientalem*, ea tertiæ partitionis eft: cum apud plerofque Veterum finiftra eft Borealis, fecundam agnofce divifionem: cum denique finiftram meridies apud nonnullos fibi vendicat, Hygeni fententiam fequere & primam fententiæ.

---

## SYNOPSIS

### CAPITIS OCTAVI.

*Ex defcriptione Circi delineatur. 1. divifio templi Auguralis, quæ dextram ftatuit Septentrionalem.*

§. 1. *Decurfiocircenfis eft folis imitatio. Partes Circi. Horatius explicatur. Sol non circumagit cœlum perpetua dextratione. Decurfiones circi folis curfum imitabantur, quem ducit ab folftitio ad brumam.*

§. 2. *Vultus mundi. Ex folis curfu dextra quærenda. Dextræ circulationes, finiftræ, interiores. Error Salmafii. Exterior & interior circulatio folis & circi.*

§. 3. *Loci ex Ovidio de curfu interiore & dexteriore Lucani, Homeri, Libanii.*

§. 4. *Interior in circo femper lævus extra non item, Meridies interior fortaffe Arnobio pro lævo. Non*

*ſemper interior meridies eſt Geographis & Aſtrologis . Comes interior quis ? defenditur Sirmondus .*

## CAP. VIII.

*Explicatur prior diviſio ex Circo.*

§. 1. Decurſio circenſis ſolis eſt imitatio.

CIRCUS *ſoli principaliter conſecratur , cujus ædes in medio ſpatio , & effigies de faſtigio ædis emicat* , inquit Tertull. lib. *de ſpectaculis* c. 8. Ideo quadrigæ circenſes ſolis decurſum æmulatæ ab oppido circi, ab carceribus, a Murtia ſeu prima meta tanquam ab Oriente, ad circi fundam ut ad occaſum ferebantur, ( *τὸν δὲ ἐπὶ τὰς θύρας καμπτὸν τὴν ἀνατολὴν, καὶ τὸ ἐπὶ τὴν σφενδόνα τὴν δύσιν ἱςόρησαν* . Chronicum Alex. p. 163. ) per circi dexteram partem , donec ad campterem ſive ad extremas metas flecterentur ad lævam ſolis hyberni more, lævorſum nimirum ducto & breviori . Sic enim explicandus Horatii locus,

Prima pars circi. Ultima. Metæ & Campter.

Horatius explicatur.

——— *Bruma nivalem*
*Interiore diem gyro trahit.*

Sol non circumagit cœlum perpetua dextratione. Quas circulationes ſolis imitetur circus?

Nec audiendus vir magnus qui cum fateri videatur circum cœleſti deſcriptum eſſe imitatione , cœlum tamen & ſidera, polum ait perpetua dextratione circumagere , append. ad Sidon. Videtur enim polum arcticum inſtar metæ collocare & cœli caput in eodem. Ego vero ſecus in Circo delineando proceſſiſſe Romanos puto ; & ſolis curſus proſecutos eſſe, quos ab ſolſtitio ad brumam ducit : & in circulo illo brumali ſive hyemali collocaſſe metas. Favet duplex factio primum inſtituta alba & ruſſea . Tertull. *de ſpect.* c. 9. *Colores ab initio duo ſoli fuere, albus & ruſſeus, albus hyemi, ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob ſolis ruborem, voti erant.*

§. 2. Hac quidem ratione Plutarchus refert l. *de Iſide* Ægyptios cenſuiſſe mundi partes Orientales, vultum eſſe , ad boream dexteras , ad meridiem ſiniſtras *τὰ μὲν ἑῶα τοῦ κόσμου πρόσωπον εἶναι*, &c. Artemidorus ex ſolis curſu dexteram & lævam inquirit *δεξιὰν καὶ εὐώνυμον οὐ πρὸς τὸν οὐρανὸν χρὴ νοεῖν, ἀλλὰ πρὸς τὸν ἥλιον*. Dexteriores itaque ſolis circulationes vocabimus quæ longiores ſunt, aut videntur iis qui ſub inflexa plurimum & obliqua ſphæra incolunt , ut ſunt Europæi , apud quos circenſes decurſus frequentati . Interiores vero circulationes & gyros dicemus illos qui breviores & ad metam brumalem propius ducuntur. Neque eſt quod Exercitator Solini, & incertæ factionis agitator , in hoc curſu dexteriore Scaligeri mentem ſe neget aſſequi poſſe , qui affirmat in circenſibus curriculis dextrationem exteriorem flexum eſſe . Exterior circulatio ſolis in cœlo æſtiva eſt , quod more loquendi noſtro longior ſit , & ad boream inclinatior; in circo decurſus quadrigæ exterior qui ad Euripum admovetur. Interior circuitus ſolis, brumalis circulatio: currus circenſis decurſio interior quæ metas radebat . Exterior itaque longior eſt & dexterior utrobique & in cœlo & in circo. Interior breviorque circulatio, quæ ſiniſterior merito cenſebatur. Ovid. lib. 3. Eleg. 2.

Ex ſolus curſu dextra quærenda. Quæ dextræ circulationes? Quæ ſiniſtræ & interiores? Error Salmaſii.

Exterior circulatio & interior ſolis & circi.

§. 3. Ovidii locus de curſu interiore.

*Et modo lora dabo, modo verbere terga notabo,*
*Nunc ſtringam metas interiore rota.*

*Interiore rota ſtringere metam* eſt breviorem curſum ducere: & contra ex eodem Ovid. ibid.

*Me miſerum metam ſpatioſo circuit orbe;*
*Quid facis ? admoto proximus axe ſubi.*
*Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ,*
*Tende precor valida lora ſiniſtra manu.*

Tendi lora jubet ſiniſtra ad lævum & breviorem decurſum . Lucaus de inverſo navium Pompejanarum curſu: Lucanus.

*Æquora ſenſerunt motus , aliterque ſecante*
*Jam pelagus roſtro : nec idem ſpectante carina*
*Mutavere ſonum : nec ſic moderator equorum*
*Dexteriore rota lævum dum circuit axem*
*Cogit inoffenſæ currus accedere metæ.*

Hunc Lucani axem admoveri metæ vult Ovidius, & Lucanus circumiri *deteriore rota*. Hoc eſt, ita metam ſtringere, ut tantiſper hærere videatur una cum læva rota, dum dextera incitatius circumagitur fuſis dexterorum equorum habenis , contractis ſiniſtrorum.

Dextrationem & ſiniſtrationem equeſtrem ad metas elegantiſſime deſcribit Homerus lib. 23. *Iliad.* De interiore flexu hæc habe: Homerus Ili. ψ.

Καὶ νῦν τέρματ' ἔθηκε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς.
Τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας, ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους
Αὐτὸς δὲ κλινθῆναι ἐϋπλέκτῳ ἐνὶ δίφρῳ
Ηκ' ἐπ' ἀριστερὰ τοῖιν. Ἀτὰρ τὸν δεξιὸν ἵππον
Κένσαι ὁμοκλήσας, εἶξαί τέ οἱ ἡνία χερσίν.
Εν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω
Ως ἄν τοι πλήμνη γε δοάσσεται ἄκρον ἱκέσθαι
Κύκλου ποιητοῖο λίθου δ' ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν.
&c.

*Et nunc metam poſuit pedibus valens divus Achilles.*
*Huic tu valde appropinquans impelle prope currum & equos*
*Ipſe vero incumbe benefacto in curru*
*Paululum in ſiniſtram horum ad dextrum equum*
*Punge vociferans, laxaque ei habenas manibus:*
*Ad metam autem tibi equus ſiniſter appropinquet,*
*Ut tibi modiolus videatur ſummum attigiſſe*
*Rotæ benefactæ: in lapidem vero vites impingere.*

Libanii Sophiſtæ locus lepidus eſt in Paraſito cœna fraudato, qui queritur de equo circenſi, quo ad convivium vehebat. Is enim, inquit, *ἐξαίφνης ὥσπερ καταιγίδος προσπεσούσης ἢ μύωπος πλήξαντος, ὥσπερ νύσσαν τινὰ περὶ τὸν βωμὸν ἐνεχθεὶς, μικροῦ μὲν τὰ λαιὰ παρεξέρρυφθη τοῦ σώματος, οὕτως ἀκριβῶς περὶ τὸν βωμὸν ἐκάμπτετο*. *Repente quaſi exorta tempeſtate, aut oeſtro perculſus, circum altare* ( geniale ſcilicet pro foribus ædium convivalium Græcorum more ) *tanquam ad metam delatus , lævas corporis partes mihi pene attrivit ita exacte & ſtricte equus ſeſe circum aras flexit* , & quod dolendum ſibi trechedipnus exclamat Libanius.

sessorem longius a ferculis non circensibus sed convivalibus avertit.

De voce *interior* non est quod pluribus disputem, adi I. Sirmondum ad Sid. Cresolium in Vac. lib. 2. s. 7. Goropium, Cerdam, Salm. Buleng. Chronicum Alex. &c.

Interius in circo lævum semper.

Interior quidem in circo semper lævum significat, in cœlo plerumque in descriptione solarium decursuum ut diximus. Qua item forte notione meridiem interiorem orbem vocaverit Arnobius lib. 4. contra Gentes. *Age nunc* (inquit) *veniat quis super igneam zonam interiore ab orbe Azonaces*. Heraldus, *igneam zonam* expungit, ego locum integrum nitori suo reddo. Quamquam, *Interior*, etiam de aliis orbis partibus dicatur, ut ἐνδότερον, ut videre licet apud Historicos & Geographos. Neque puto ideo lævam innuere illud Jobi 9. *Qui facit Arcturum & Oriona & Hyadas & interiora austri*, ταμεῖα νότου. Vox Hebr. thesaurum sive rem occultam significat, ut de illa quoque parte cælum profundum dixit Virg. Cicero vero de Cynosura ex Arato,

Interior meridies Arnobio.

Interior non est semper meridies.

*Nam cursu interiore brevi convertitur orbe*

Ubi *Interior* & *brevior*, neque dextrum sonat neque sinistrum. Alibi quid item *Interius* sit, supra laudati Auctores docebunt abunde. Cresolius præsertim, apud quem potuit Salmasius edifcere, comitem qui ad lævam latus tegit, Horatio comitem exteriorem dici, non interiorem. Horatius lib. 1. Satyr. 5.

Comes interior.

*—— Nec tamen illi*

*Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.*

Non conficit tamen Cresolius contra Sirmondum comitem exteriorem semper ad lævam ingredi. Quod senex Ovidianus medius sederet cum tres æquata fronte inambularent, aut si unus esset comes, senex interior iret.

*Et medius juvenum, non indignantibus illis*
*Ibat, & Interior, si comes unus erat.*

Sententia Sirmondi defenditur.

Censet Sirmondus apud veteres Romanos, ut hodie apud Gallos & plerasque alias gentes in incessu consessuque præcipuum honoris locum interiorem semper fuisse, licet hic dexter non semper esset. Itaque interiorem putat modo sinistrum modo dexterum esse. Urget Cresolius, medio in campo qua ratione interior incedet senex illo uno comite? at occurrit idem Sirmondus ibidem, cum dextram honestiorem agnoscit quoties nullus paries ædesve aut quid simile ad lævam est, nec tegendum est servandumque latus. Senex intra ædes & per vicos aut medius incedebat, aut interior, de campis & libero cælo nihil affirmat Ovidius.

---

Synopsis Capitis Noni.

*Ratio divisionum quæritur ex conversione varia precantium, & circumactione corporis religiosa.*

§. 1. *Auctores Auguralis disciplinæ Ægyptii. Tabernaculum & templum Judeorum ad occidentem. Templum a dextra in lævam superstitiose inibatur ab Hebræis. Probabili conjectura statuitur Hebræos extra templum ad Orientem adorare solitos.*

§. 2. *Ethnici circum aras & inter adorandum flectebant aut corpus aut gressum. De Arabibus locus elegantissimus Nili Patriarchæ.*

§. 3. *Græcorum circumactio. Demetrius Triclinius dissidet a cæteris Græcis. Aristophanis, Plauti dextroversum ducta circumactio. Adoratio Principum adulatoria, amatoria.*

§. 4. *Apud Latinos inibatur circumactio religiosa ab læva ad dextram. T. Livius, Plutarchus, explicantur. Filii religiose dextroversum parentum sepulcra obibant.*

§. 5 *Quid illud Plauti dextroversum deos saluta. Dextratio & sinistratio, illa Romani, hac Galli Deos prosequebantur. Gallicæ adorationis apud Cadurcos typus. Sinistra immobilis erat.*

§. 6. *Origo divisionum a Mercurio Trismegisto.*

## CAP. IX.

*Ratio divisionum.*

§. 1. Ægyptii auctores Auguralis disciplinæ.

Auguralis disciplinæ fontem Ægyptum esse nemo est opinor qui nesciat. Ab eadem vero natam & Geometriam testatur imprimis Herodotus in *Euterpe*, Diodorus Siculus lib. 1. Cassiodorus *Var.* 3. 52. Heron quoque Geodætes, & Boetius lib. 2. *de Geom.* quorum locos vide apud eruditissimum Rigaltium in notis ad auctores *finium regundorum*. Δοκέει δέ μοι ἐντεῦθεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν, Herod. Ægyptii ergo ut ex Plutarcho in *Iside* discimus, quod Orientem orbis vultum esse contenderent, & mundum in anteriorem partem animalium more procedere, dexteram esse voluerunt Septentrionalem Auguralis designatione templi. Quin & ipsi Judæi templi sacri constitutionem ad Ægyptiam consuetudinem videntur exegisse. Nam cum omnis templorum delineatio cælestis quædam sit æmulatio Palatii, sacer Hebræorum legislator omni (ut sacræ testantur paginæ) doctrina Ægyptiorum perpolitus in designandis tabernaculi partibus, & tota deinceps cum illo Judæorum natio templi cœlestis regiones observavit, & ex Ægyptiorum placitis anticas Occidentales descripsit. Ad hanc auctoris optimi disciplinam multiplex accessit deinde posterorum superstitio, quas inter & hæc una templi sacra spatia pene circensi more, quod superiori describebamus capite, decurrebat. Judæi enim & vera olim religione nobiles & superstitionibus anilibus infames, conciliandæ templo illi suo venerationis caussa sanxerant ut

Judæorum tabernaculum & templum.

Templum ab Hebræis a dextra in sinistram inibatur.

qui subirent oraturi, primo ipso ab introi- A tu circumflecterent ad dextram gressus, & ea via egrederentur quæ ad sinistram erat: hoc est ad meridiem. Hebræorum scilicet intra septa sacræ domus supplicantium obversus erat ad occidentem vultus, extra templum ad Orientem conversi precabantur iidem Hebræi, ut de Essenis constat; quamquam post templum conditum pietatis majoris videbatur esse vultum ad illud convertere quacumque ex regione, ad hoc tamen nulla lege tenebantur adstricti Judæi, ut disputat in *Minervali* lib. 5. cap 5. Serarius. B Consuetudo vero illa gressum a dextra in sinistram flectendi aut vice versa, Ethnicorum quoque in sacris rite observari solita erat. Arabas, Græcos, Romanos, Gallos adscisco testes. De Arabibus locus est Nili Patriarchæ jam prioribus capitibus laudati elegantissimus narratione tertia, *ἐὰν δ' οὗτοι μὴ παρῶσι κάμηλον λευκὴν τῷ χρώματι καὶ ἄμωμον ἐπὶ γονάτων ἀνακλίναντες περιέρχονται τρίτῳ κύκλῳ κειμένην παμπληθεὶ δολιχεύοντες. Ἐξάρχει δέ τις καὶ τῆς περιόδου καὶ ᾠδῆς τῆς εἰς τὸ ἄστρον αὐτοῖς πεποιημένης ἢ τῶν βασιλευόντων ἢ τῶν ἡλικίᾳ καὶ γήρᾳ σεμνυνομένων ἱερέων, ὃς μετὰ τὴν τρίτην περίοδον οὔπω τῆς ᾠδῆς παυσαμένης τοῦ πλήθους,* C *ἔτι δὲ ἐπὶ γλώττης τὸ ἀκροτελεύτιον τοῦ ἐφυμνίου φέροντος σπασάμενος τὸ ξίφος εὐτόνως παίει κατὰ τοῦ τένοντος, καὶ πρῶτος μετὰ σπουδῆς τοῦ αἵματος ἀπογεύεται.* Ne aureis plumbea cogar appendere, gemmea dabo collegæ eruditissimi verba: *Sin vero copia non adest puerorum* (quos nimirum Lucifero seu Veneri mactarent) *albam & sine macula camelum complicatis suffraginibus in genua inclinatam orbe circumcursant simul omnes triplici, principe quodam vel ex gentis regulis vel ex Sa-* D *cerdotibus ætate & canitie venerabili tum pompæ præeunte tum næniæ quam in honorem astri matutini ad eam celebritatem comparatam habent. Qui coryphæus & præcentor post tertium circuitum nondum absoluto a vulgo carmine, sed occupatis adhuc in modulanda hymni clausula liguis & vocibus, nudato ense ferire occupat vehementi ictu jugulum bestiæ primusque gustare properat de sanguine.* De Græcorum circa aras conversionibus vide Pindarum & Scholiastæ interpretamentum c. 3. superiori descriptum. E Demetrius Triclinius ad *Ajacem* Sophoclis in libello *περὶ μέτρων Σοφ.* nec Pindaro concinit, nec ejus enarratori, nec Græcorum Augurum Placitis, Lyricorum enim choragium strophas in dexteram, antistrophas in lævam orbe ducto & cælesti æmulatione cecinisse asserit. Ἰστέον (inquit) *ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι οἱ χορευταὶ πρὸς τὰ δεξιὰ ᾖδον, τὴν δὲ ἀντιστροφὴν πρὸς τὰ ἀριστερά. τὴν δὲ ἐπῳδὴν ἱστάμενοι ᾖδον. ἐδήλου δὲ (ὥς φασιν) ἡ μὲν στροφὴ τὴν τοῦ οὐρανοῦ, ἐκ τῶν ἑῴων πρὸς τὰ δυτικὰ μέρη κίνησιν. ἡ δὲ ἀντιστροφὴ τὴν τῶν πλανητῶν ὡς ἀπὸ δυσμῶν πρὸς ἕω γενομένην.* F *ἡ δὲ ἐπῳδὸς τὴν τῆς γῆς στάσιν, ἱσταμένων τῶν χορευτῶν.* Aristophanes Εἰρήνῃ. Trygæus:

§. 2. Flexus a dextra in sinistram multarum gentium. Arabes circum aras in orbem discurrebant Locus Nili Patriarchæ.

§. 3. Græcorum circumactio.

Aristophanes in *pace*.

Ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα
Περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπὶ δεξιά.
Ἰδού, λέγοις ἂν ἄλλο περιελήλυθα.

*Age cum canistro sume aqualem trulleum*
*Aramque lustrans dextroversum ex templo obi.*
*Ecce aram obivi, cæterum aliud, impera.*

Hinc quæsitus Latino Comico lepidissimus jocus. Phœdromus:

*Nunc hic Parasitum in Cariam misi meum*
*Petitum argentum a meo sodali mutuum,*
*Quod si non affert, quo me vertam nescio.*

Palinurus servus.

*Si deos salutas dextroversum censeo.*

Suetonius de Lucii Vitellii Imp. patre miri in adulando ingenii. *Primus C. Cæsarem* (Caligulam) *adorari ut Deum instituit: cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.* lib. 7. B Lucretius lib. 5.

Circumactio apud principes adulatorie.

*O genus infelix humanum, talia divis*
*Cum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas*
*Quantos tum gemitus ipsi sibi, quataque nobis*
*Vulnera? quas lachrymas peperere minoribus nostris*
*Nec pietas ulla est velatum sæpe videri*
Vertier ad lapidem, *atque omnes accedere ad aras.*

Propertius lib. 1. Eleg. 14. C

*Ante tuos quoties verti me perfida postes*
*Debitaque occultis vota tuli manibus.*

De Camillo T. Livius lib. 5. *dicitur manus ad cœlum tollens precatus esse, ut si cui deorum hominumque nimia sua fortuna populique R. videretur: ut eam invidiam lenire quam minimo suo privato incommodo, publicoque R. populi liceret*; convertentem se inter hanc venerationem *traditur memoriæ prolapsum cecidisse*. Conversio illa sacra in quam partem duceretur exponit Plutarchus in *Camillo*, dum precibus fusis subdit: *ταῦτα εἰπὼν (καθάπερ ἐστὶ Ῥωμαίοις ἔθος ἐπευ-* D *ξαμένοις καὶ προσκυνήσασιν ἐπὶ δεξιὰ ἐξελίττειν) ἐσφάλη περιστρεφόμενος.* *Hæc fatus (ut mos est Romanis a precibus & veneratione deorum* sese convertere dextrosum) *dum circumagit se prolapsus est.* Idem ἐν Ῥωμαϊκοῖς: *Διὰ τί τοὺς γονεῖς ἐκκομίζουσιν, οἱ μὲν υἱοὶ συγκεκαλυμμέναις ταῖς κεφαλαῖς. πότερον ὅτι τιμᾶσθαι μὲν ὑπὸ τῶν ἀρρένων δεῖ τοὺς πατέρας ὡς θεούς, καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησι Βάρρων, περιστρέφονται, καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα. Cur parentes efferunt filii obnuptis capitibus? an quia filiis venerandi sunt parentes tanquam Dii? Nam, ut Var-* E *ro est auctor*, circumeunt *parentum sepulchra ut deorum sacras ædes.*

§. 4 Apud Latinos ad dextram læva. T. Livius de Camillo.

Plutarchus de eodem.

Filii dextroversum Patrum sepulchra circumibant.

*Dextroversum* illud Plauti *dextrationis* nomine explicandum est cum circuitus ad dexteram tendit a sinistris & dextera quasi immota centri est instar, ut cum dextrum circini crus in centri est instar, ut cum dextrum circini crus in centro collocatur circum vero ducitur sinistrum. Male igitur nonnullis creditum *dextroversum* esse a dextera ad lævam, hoc enim *sinistrorsum* dicitur. Latini & Græci in adorationibus dextrationem F adhibebant, sinistrationem Galli: Plin. l. 28. cap. 2. *In adorando dextram ad osculum deferimus, totumque corpus circumagimus* (vide sup. Plutarchum) *quod in lævum fecisse Galliæ religiosius credunt.* Altero seu lævo vestigio fixo adorabant Galli, Romani dextro. Cujus Gallicæ adorationis typum exhibet marmor perantiquum quod parieti affixum est Divonæ Cadurcorum in æde principe, ut observat in hist. Cadurcensi D. Dominicius Jurisconf. eruditus, & vidi ego sæpius. In eo Hermæ statua visitur ce-

§. 5. Circumactio illa a qua parte duceretur?

Dextratio & sinistratio religiosa.

A spititiæ aræ impoſita, adſunt qui præferant, ut ait Plautus cum caniſtro aqualem trulleum: mulier ex adverſo aræ ſemiadgeniculata dexteræ manus digitos in coni morem turbinatim coeuntes, non vero exporrectam manum ori admovet, & circumagere in lævam corpus videtur, ea ferme ratione qua etiamnum viros honoratiores ſalutamus in Galliis hærente primum pede de ſiniſtro & dextero retro acto in lævam partem, tum verſa vice lævum ad dexteram circumagimus, religioſius vero credebant Galliæ gyros in lævam ducere quod ita motus cœleſtis ex Pythagoræ doctrina, quam Druides imprimis callebant, a dextra B ad ſiniſtram procedat; Romani vero dextram agnoſcebant Occidentalem communi Augurum diviſione. Altera deinde cauſa eſt religioſæ hujus in lævam adorationis, quod promptior ille motus ſit a dextra; motus certe naturalis, inquiunt Medicorum filii, a dextra eſt circa cor. Ita equitum magiſter ad lævam equos flecti jubet; ita Architectus ſcalarum gradus lævorſum ducit: ita pictores ad ſiniſtram penicillos movent: ita Orientis populi plerique omnes in ducendis characteribus ſtylum.

Siniſtrationis Gallicæ cauſa.

§. 6. C In ipſa capitis fronte diviſionis triplicis originem conceſſimus Ægyptiis & Judæorum dexteram Septentrionalem intra templum aſſeruimus, extra & in libero cœlo, meridianam: hæc proximo capite breviter complectemur. Ægyptios quidem & geminæ hujus Judaicæ diviſionis authores & Hetruſcæ tergeminæ agnoſcemus ſi Delrio in Th. fidem, aliiſque dabimus qui Galenum afferunt Ægyptios confirmare meridianam ſtatuiſſe dexteram; ex Plutarcho enim, ut jam tradidimus, eiſdem Ægyptiis mundi vultus oriens erat, aquilo dex- D tra. Mercurius vero Triſmegiſtus ſub divo ſole Occidente ad Eurum ora precantibus converti jubebat, Occidente ad Meridiem, ut eſſet ſiniſtra Septentrionalis obverſo ad Orientem vultu; ortiva deinde variato ad auſtrum conſpectu. Sub divo, inquam, nam fortaſſe in ædibus ſacris dextera Septentrionalis erat. Locos vide ſequenti capite.

Origo diviſionum a Mercurio Triſmegiſto.

---

SYNOPSIS CAPITIS DECIMI.

*Variæ illæ ſententiæ quæ hactenus explicatæ ſunt de dextra Ægyptiorum, Jud. Græc. Roman. Gallorum conciliantur, & ad unum ferme religionis & cœleſtis deſignationis fontem revocantur.*

E §. 1. *Hebræis dextra meridionalis extra templum, intra Septentrionalis. Ratio hujus ſitus apud Judæos & alios unde petenda? Hygenus & Vitruvius indicant.*

F §. 2. *Plinius veram originem tradit, quod quæ læva nobis ſunt, a dextris Deorum procedant. Nimbus quid in Diis, tabellis, ſtatuis? Emendatur Iſidorus. Explicatur Virgilius. Quid μλωίσϰος Ariſtophani?*

§. 3. *Terreſtria cœleſtibus* ἀντικεῖσθαι *ex Plutarcho. Quare olim ad Orientem Chriſtiani precarentur? Templa Aegyptiorum ad Occidentem. Aegyptii primi templa poſuere. Et triplicem Auguralis templi diviſionem.*

§. 4. *Conciliantur Græci cum Romanis. Duæ poſteriores diviſiones Deorum dextram ad lævam Augurantium ſtatuebant. Regula Ariſtotelis. Accio dextra dicitur Orientalis. Apud Aegyptios de Oriente ſomnium. Dextrorſum ire eſt a læva ad dextram.*

§. 5. *Dextra meridionalis Græce auſpicanti tribuitur a Papinio. Qui Profundus dies meridies eſt, excelſus æther Septentrio. Hujus verbis ſilentium Augurale deſcribitur. Defenditur idem Papinius, & eadem opera Accius. Quid ad ſaccum ire?*

## CAP. X.

*Ægyptiorum, Judæorum, Græcorum, Romanorum, Gallorum dextræ conciliantur.*

DUPLICEM dexteram ex Ægyptiorum conſuetudine, ut priori capite diximus, ſtatuebant Hebræi. Moſaici tabernaculi, & Salomonici templi dextera erat Septentrionalis; ſub dio libera cœli apud Hebræos deſignatio dextram ad auſtrum collocabat. Ita Pſal. 88. *Aquilonem & mare tu creaſti*. Hier. *Aquilonem & dexterum*. Aquila reddit δεξιάν. Alii *Aquilonem, & meridiem*. Paraph. *Deſertum Aquilonis, habitatoreſque auſtri*. Ita & Pſal. 106. Mare ſumitur pro meridie. Eadem enim vox Hebræa & mare dextrum ſignificat. *A ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone, & mari*. Jobi vero cap. 23. v. 8. & 9. *Si ad Orientem iero, non apparet: ſi ad Occidentem, non intelligam eum: ſi ad ſiniſtram, quid agam? non apprehendam eum: ſi me vertam* ad dexteram, *non videbo illum*. In templi deſcriptione cœli regiones ἀντιτύπως obſervatæ ſunt. Itaque dextera cœleſtis templi, ſiniſtram occupavit. Extra templum vero mutata conſpectus eſt ratio, ut ore in ortum converſo quaſi numini ſupplicabundus occurreret qui preces funderet. Unde & templorum inverſa tandem eſt deſignatio ab Ethnicis, una & Chriſtianis, ut habitus orantium dextram faceret meridianam. Hygenus pererudite & in rem noſtram commode p. 163. *Architecti quidem antiqui in occidentem templa ſpectare recte ſcripſerunt, poſtea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte cœli, terra illuminatur*. Quare Vitruvius lib. 4. *Signum*, ait, *quod erit in cella collocatum ſpectet ad veſpertinam cœli regionem, ut qui adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes ſpectent ad partem cœli Orientis*.

§. 1. Hebræis dextra erat meridionalis extra templum.

Intra templum dextra erat Septentrionalis.

Ratio hujus diverſitatis petitur.

Plinius lib. 2. digitum ad fontes intendit: *Fulmina læva proſpera ſunt, quia ſacrificantis, vel precantis latus lævum, dextrum eſt ejus, qui poſtulata largitur*. Accinit & Servius in illud:

§. 1. Fulmina læva a dextra deorum.

*Intonuit lævum*, &c.

*Sinistrum prosperum est, quia cœleste, quæ enim nobis læva sunt, dextera sunt*. Addit: *Sinistras autem Septentrionales esse partes, Augurum disciplina consentit*. Ad illud autem:

*Multa cum luce cucurrit*,

asserit flammarum quos cernimus tractus nimbum esse descendentis numinis, prosperi nimirum ominis, quia a dextra numinis ad orantis sinistram. *Nimbus* enim aliquando lumen sive lucidam nubem significat. Isidorus cap. 31. lib. 19. *lumen, quod circa angulorum* (nemo non videt *angelorum* legendum esse) *capita pingitur nimbus vocatur, licet & nimbus sit densitas nubis*. Virgilius 3. *Æneid.*

Nimbus quid in Diis?

*Et lunam in nimbo lux intempesta tenebat.*

Hic *nimbus naturalis*, *divinus* alius, lib. 2.

*Jam summas arces Tritonia (respice) Pallas*

*Insedit nimbo effulgens, & gorgogne sæva.*

*Nimbo*, Servius, *nube divina*, imperite alii, *limbo*. Capitis etiam fascia ex Isidoro, *nimbus* dicitur. Et statuæ deorum nimbos ex auro vel ære radiorum instar more fere Christiano præferebant, quos *μηνίσκες* vocat in *Avibus* Comicus, qui appingi solebant, *ὥστε μὴ ἐφάπτεσθαι τὰ ὄρνεα*, inquit Sch. vetus, plura de iis addere *μηδὲν πρὸς ἔπος*.

Quid in tabellis?

Quid in statuis?

μηνίσκοι.

§. 3. Regiones terræ quo modo cœlestibus oppositæ?

Plutarch. *ἐν Ρωμαϊκοῖς*, dum quærit cur Septentrionalis pars & læva, & prospera crederetur Romanis *τὰ ἐπίγεια* (inquit) *καὶ τὰ θνητὰ τοῖς ὀρανίοις καὶ θείοις ἀντικεῖσθαι νομίζοντες ᾤοντο τὰ πρὸς ἡμᾶς ἀριστερὰ τοὺς θεοὺς ἀπὸ τῶν δεξιῶν προπέμπειν*. *Terrestria hæc & mortalia cœlestibus, & divinis e regione opposita sunt, & quæ ad lævam in nos mittuntur, a dextris deorum procedunt*. Quare sanctissimus vir æque quam doctissimus Joannes Damascenus *Orthodoxæ fidei* lib. 4. c. 13. Christianos ad Orientem adorare docet, quod Christus Dominus sacro stipiti affixus, & cœlum deinde subiturus oculos & ora in occasum obvertisse dicitur; & Christianos ejus præstolaturos adventum ad Orientem converti ea propter solitos affirmat. *Αὐτὸν οὖν ἐκδεχόμενοι ἐπὶ ἀνατολὰς προσκυνοῦμεν*. Quem in locum frustra Clichtovæus contendit Hebræos vetitos ad Orientem adorare, nisi sententiam intra septa templi coerceat. Ægyptiis & Hebræis communis erat adorandi ratio. Ipsa adeo Ægyptia templa ad Occidentem erant obversa. Diod. Siculus lib. 1. *τῷ ἐν τῇ Μέμφει Θεῷ τὸ πρὸς ἕω προπύλαιον κατεσκεύασε, καὶ τῷ τὸ περίβολον*. *Deo Mempheos ad ortum fecit vestibulum, & templo conseptum*. Vides vestibulum orientale fuisse, ut & porta Orientalis fuit Jerosolymitani templi, ad quam Propylæum. Atque ille primus fuit templorum conspectus, ad Occidentem siquidem Ægyptios principes templa posuisse narrat. Arnob. l. 6. *Primus fabricator templorum Prometheus Ægyptius*. Hinc constat prima divisio templi Auguralis, in qua sinister est meridies. Aliæ geminæ sunt etiam Ægyptiæ disciplinæ, in quarum altera sinister est aquilo; in altera lævus Oriens. Mercurius Trismegistus quicunque tandem ille *ὅπως οὖν ὦ τέκνον, τὰς ἐν ὑπαίθρῳ τόπῳ, νότῳ ἀνέμῳ ἀποβλέπων, περὶ καταφορὰν ἡλίου δύνοντος προσκύνει, ὁμοίως καὶ ἀνιόντος πρὸς ἀπηλιώτην*. *Sic igitur ora sub divo, sole Occidente ad Austrum, Oriente ad Eurum*. Poem. pag. 76. ex cap. 13. sect. 16.

Quare ad Orientem Christiani precantur?

Ægyptiorum templa ad Occidentem.

Ægyptii primi templa posuere.

Divisio triplex Ægytiis seu Trismegisto debita.

§. 4. Componitur controversia Græcorum & Romanorum.

Ex his quæ jam a nobis hoc capite sunt disputata facili judicio componi potest celebris illa ex M. Tullio controversia Græcos inter & Etruscos Aruspices; hi enim læva prospera esse pronunciant, Græci dextra; nimirum quia Romani ad Orientem ex Dionysio, vel ad Meridiem etiam ex Livio augurabantur. Græci ad Occasum & Septentrionem. Unde illis Orientalia & Borealia prospera erant & læva, Græcis dextera eadem, & prospera. Nam quod Tuscoromani Augures prima ut diximus partitione, occasum spectarent, non templi Auguralis constitutio, sed definiendi cœli ratio fuit, & quædam cœlestis domicilii descriptio: cujus dextra deorum esset, non nostra: duabus vero aliis designationibus augurantium situs nomina & cœlo & prodigiis faceret, ut constat ex Aristotele lib. 2. *de Cœlo*, ubi asserit Philosophus cœlestia & supera non cœli ratione, sed intuentium, *καθ' ἡμέτερα*, dextra, aut sinistra ab Auguribus definiri. Dextram igitur deorum ad lævam suam agnoscebant Romani cum ad Orientem auspicarentur, cum ad Meridiem item, eorum secuti opinionem qui dextram cœli in Oriente collocabant. Accius quidem in *Bruto* Græcorum more Orientem dexterum agnoscit lib. 1. *de Divin. Ibi superbus Tarquinius somnium suum ita exponit:*

Postremæ duæ divisiones præcipuæ sunt.

Regula Aristotelis de dextra auguralia.

Dextra orientalis Romanis.

*Quum jam quieti corpus nocturno impetu*
*Dedi, sopore placans artus languidos,*
*Visu'st in somnis pastor ad me appellere*, &c.
*Exin prostratum terra graviter faucium*
*Resupinum in cœlo contueri maximum, ac*
*Mirificum facinus, dextrorsum orbem flammeum*
*Radiatum solis liquier cursu novo.*

*Ejus somnii quæ sit a conjectoribus interpretatio facta, videamus:*

*——— Id quod de sole ostensum est tibi,*
*Populo commutationem rerum portendit fore.*
*Per propinqua hæc bene verruncent populo.*
*Nam quod ad dexteram*
*Cœpit cursum a læva signum præpotens, pulcherrime*
*Auguratum est rem Romanam publicam summam fore.*

Dextrorsum est a læva ad dextram.

Visus itaque sibi per quietem videre est Tarquinius solem occidere in ea cœli parte, a qua oritur. Quam tamen dextram vocat. In extrema Ægypto *populi qui ad Diacecaumenen, vigilantes somniavere, ubi nunc occasus est, ibi quondam solis ortum fuisse*. Solinus c. 32.

§. 5

Ita Græce Accius auspicatus est: Papinius vero 3. *Th.* Græcum hominem Latino more auspicantem inducit:

*Si datur & duris sedet hæc sententia parcis,*
*Solvere Echionias lernæa cuspide portas,*
*Signa feras, lævumque tones: tunc omnis in astris*
*Consonet arcana volucris bona murmura lingua*
*Si probibes hic necto moras, dextrisque profundum*
*Alitibus prætexe diem.*

Dextra meridionalis Græcis tributa a Papinio.

Dies profundus an Septentrio ?

Dies profundus est meridianus axis. Nonio quidem *profundum* non solum in imum altum, sed etiam summum sonat ex Virgil. lib. 1.

*—— Maria, ac terras, cœlumque profundum.*

Unde fortasse Septentrionem *diem profundum* posses interpretari, ut *altum* ex Ennio:

*Exin candida se radiis dedit icta foras lux,*
*Et simul ex alto longe pulcherrima præpes*
*Læva volavit avis.*

Papinio est meridies.

Tamen dies profundus meridianus est axis, ut dixi, primo quia si Græca loquatur consuetudine, dextræ aves addicunt, non prohibent. Secundo, quia profundum æthera Papinius excelso, sive Septentrionali opponit ibid. lib. 3.

*Nonne sub excelso spirantis limite cœli*
*Amphiarae vides cursus ut nulla serenos*
*Ales agat, liquidoque polum complexa meatu*
*Pendeat aut fugiens placabile plauserit omen?*

Silentium Augurale.

Explicat a contrariis silentium Augurale; per excelsum limitem gromatice & auspicaliter intelligit cardinem. De quo Virgilius:

*Hic vertex nobis semper sublimis, at illum*
*Sub pedibus styx atra videt, cœlumque profundum.*

Quare addit deinde Amphiaraus:

*Huc adverte, animum clara regione profundi*
*Ætheris innumeri statuerunt agmina cycni;*
*Sive hos strymonia boreas ejecit ab arcto*
*Seu fœcunda refert placidi clementia nili.*

Defenditur Papinius & Accius.

Neque tamen est quod tam censorie rationem decori reperant Aristarchi ab Papinio, cum Poetis pene sit solemne patrios mores & loquendi & sentiendi in externorum narrationibus immiscere. Plautus in *Captivis* Græca fabula, in qua queritur Parasitus ad incitas redactum se esse, ad saccum, *a la besace*:

Ad saccum ire.

*Vel extra portem ire tergeminam, ad saccum licet,*
*Quod mihi ne eveniat nonnullum periculum est,*
*Nunc postquam meus Rex est potitus hostium,*
*Ita nunc belligerant Aetoli cum Eliis,*
*Nam Aetolia hæc est, illic caput'st in Elide, &c.*

Tergemina porta Romæ ab Horatiis dicta, quo conveniebant mendicabula. Vide in hanc rem quæ disputat erudite Kerkoetius *Mastigophoro* tertio p. 44. &c. Ubi alios ex Plauto locos in eamdem autorum consuetudinem seligit.

Constitueram hic ad hujus Diatribæ calcem locos e variis auctoribus sigillatim plures appingere, quibus dexteræ collocatio, ex Græci, Latinique Augurii disciplina varie notatur: tempero tamen, quia jam satis superque multos laudavimus, nec ullus opinor occurret, qui ex triplici nostra partitione, aut Græca consuetudine exponi facile non possit.



# JOANNES PIERIUS VALERIANUS DE FULMINUM SIGNIFICATIONIBUS.

*AD*

## JULIUM S. R. E. VICECANCELLARIUM CARDINALIS DE MEDICIS PIERIUS VALERIANUS.



UEM *sermonem, Pater Amplissime, interrogatus tecum habere cœperam, de fulguribus & ostentis, quæ Cal. Juliis apparuere, quo die Sanctissimus D. N. Leo X. unum & XXX. lectos viros in sacrosancti Senatus ordinem cooptavit, quia multa & magna, quæ tibi assidue ingruunt, negotia interrupere, alia mox ut ratione absolverem evenit. Nam quum tu accersitus, ad Pontificem statim ascendisses, egoque una cum Gyberto a secretis tuo, tum in cubiculo remansissem, instare cœpit Juvenis acutissimus, ut est rerum admirabilium & disciplinarum omnium appetitor avidissimus, dictionem continuarem meam. Erat enim, quod meminisse potes, omnis in eo intenta, ut terrorem illum, quo tum mortales pene omnes ob ea signa consternati videbantur, inanem esse ostenderemus, anilesque superstitiones hujusmodi nulli gentium admittendas, multo vero minus iis, quibus Christianæ disciplinæ veritas illucescat. Quod si eam hominum religionem delere minime possem, quod hujusmodi signorum observatio longa annorum serie mortalium fere omnium consensu, frequentissimoque historiarum testimonio comprobata videbatur, certe id pervincerem, si quid fulmina illa portenderent, non nisi tranquillam Christianorum quietem, vel si res ullæ gererentur, felicem inde successum significari. Quæ quidem omnia quum disseruissem, mea sententia propensior ad veritatem Gyberto visa est, affirmavitque is, si tibi omnia hæc recitarentur, futura non injucunda. Quocirca ejus judicio fretus, cujus prudentia tam mihi explorata est, quam fides tibi commendata, dum tu per triduum, animi gratia extra urbem excesseras, totum id otii nactus ad rem diligentius examinandam me converti. Inde veritus, ne non suppeteret tempus ad narrandum, quæ meditatus fueram, ea potius conscribere visum est. Ita enim fiet, ut neque ego quicquam quod longe majoris momenti sit, de negotiis tuis interrumpam, neque importunus accedam, quum Tu librum non nisi sponte sis in manus accepturus, & ubi adlibuerit rem omnem, si tibi visa fuerit lectione digna, magis vacuo ab interventionibus tempore percursurus. Vale.*

JO.

# JO. PIERII VALERIANI

## CIVIS ROMANI

## DE

# FULMINUM SIGNIFICATIONIBUS

# DECLAMATIO.



AGNA & multa ea, quæ Leonis X. anno quinto de cœlo fieri vidimus eo die, quo unus & XXX. Sacerdotes ad Cardinalatus amplitudinem evecti sunt, iis jam omnibus, quos rerum humanarum cura tangit, nota esse crediderim. Quum præsertim nulli, qui Romæ tunc fuerit, non constare possit, dum ex eo Præsulum numero, unus & XX. tot enim Romæ erant, a Pontificia cœna totius Romæ comitatu ad domum quisque suam deducerentur, parsque jam pontem Ælium transisset, pars Molem prætervcheretur, pars adhuc via Palatina succedens, dum numerosi comitum, clientum, & amicorum ordines procederent, ad ædem Virginis Deiparæ, quæ a pontis ipsius vicinitate Transpontina nomen habet, ingenti ea hominum equorumque multitudine retardata substitisset, horrenda tot subito mortalium oculis objecta. Aerem quippe omnem repente nubibus obfuscari cœptum, quum per multos antea dies, ad eam usque horam, mira serenitas fuisset, cœlum fulgurationibus passim exardescere, tonitru terram concuti, pluviam repentinam oboriri, occidenteque jam tum Sole tenebras conduplicari, noctisque & nimborum nigrore omnia obcæcari, totam denique mundi faciem conversa velut machina commutari. Ecce vero tibi nunc fulmen clarum admodum a prima cœli parte, longe lateque occasum versus pervagatum, ad meridiem, ad septentriones exspatiatum, perdurante jaculatione æquinoctialem exortum versus subito reversum, ædem Divæ Mariæ Transpontinæ tangit, Christi Servatoris nostri fictilem imagunculam, puerili specie, de sinu Matris, quæ & ipsa fictilis supra mediæ portæ hyperthyro considebat, excutit, ipsius etiam Deiparæ decusso brachio, frustra dissipat, alioque alia depellit, itaque interius etiamnum templi parte orientem versus humi adigitur. Ante vero triduum quam hæc fierent, quippe quum de numero Senatorum augendo rogatio ad patres lata, Turris sancti Spiritus in Vaticano concremata, tintinnabulo liquefacto, flammis ad multam noctem perdurantibus, viciniam omnem solicitam habuerat. Hæc trans Tiberim. In Urbe vero sub idem tempus, quo tempestas illa co orta est, Crux ferrea ingens, quæ lato insignis petaso ab Augustiniani templi pinnaculo surgebat, vi turbinis ita concussa est, inclinataque, ut inde sese avellere, utque abire posset, conari videretur. Cæterum & sancti Spiritus Turris incensa. Eaque crux ita mota, & fulmina, coruscationesque illæ parvi primo habitæ momenti, novo præsertim Senatu mortalium oculos animosque tum ad sui tantum sermonem, & admirationem avertente. Ubi vero mane divulgatum est, Infantis Dei simulacrum tactum fulmine de gremio matris excussum nusquam inveniri, crucem illam, Christianæ pietatis vexillum, loco motam, idque hora ea, qua Cardinales Novi domum solenni pompa deducebantur, accidisse, magna omnes repente formidine perculsi, propemodumque consternati ad spectaculum pro se quisque concurrere. Quodque obnuntiatum fuerat inspecto, ingenti metu trepidare, hæc eadem aliis enarrare, rumore totam urbem pervadente, horrorem ubique increbrescere, neminem unum super ea re non solicitum & cogitabundum esse. Proponere sibi quemque præ oculis temporum statum, dum Selines Turcarum Imperator cum Sophi Persarum Rege, ardentissimo prælio confligunt, iisque fugatis hostibus totaque Armenia summotis, cum Sultano Ægypti Rege potentissimo in Syria congressus validissimos ejus exercitus fundit, fugatque, ipsoque Rege interfecto Syriam omnem imperio adscribit suo, in ea Damascum urbem opulentissimam capit, Judæam cum Hierosolymis occupat, Arabiam domat, incredibilique festinatione Memphin advolat, alterumque Ægypti Regem, qui in demortui locum suffectus fuerat, simul ac venit viditque, vincit, & in fugam vertit, fugientem mox capit, ac interficit, omnemque ejus militiam cum universa pene Mamaluchorum secta delet, ac propemodum extinguit, Ægypto jam omni, quam longe lateque diffusa est, suam in ditionem redacta. Hæc, inquam, ab eo tot tantisque successibus gesta referebantur, deque Italia jam non minori conatu invadenda decreta proferebantur. Recensebant quidam copias, apparatumque belli omnem memoriter enumerabant, viresque ejus in cœlum extollebant, qui Christianum nomen, cui ante omnia infensissimus esset, internecioni destinasset. Cernere interim erat Christianos Principes perniciosissimis inter se odiis concertare, tanto suorum effuso sanguine, totque ad Tarrum, ad Lirin, in Pyreneis, in Morinis, ad Anaxum, ad Adduam, ad Bacchilyonem, ad Padusam, ad Marinianum cladibus datis & acceptis, pertæsos nondum immanitatis atque ferociæ, ne impietatis dicam, in dies magis magisque furere, nullumque sedandis insanientium animis modum inveniri. Jam igitur unusquisque Siciliam occupatam ab hostibus imaginabatur, jam Tarentum, Brundusiumve, Apu-

liamque, & Campaniam, Brutiosque invadi trepidabant, jam superum inferumque mare allabi classibus, ipsamque Urbem Romam cum universa Italia bello, cæde, strage, rapinis, incendio devastari somniabant. Quodque terrorem, qui ita omnibus inciderat, plurimum augebat, Sacerdotes plerique omnes, qui rerum humanarum negotiis non temere posthabitis solitudinariam vitam agunt parce ac duriter, quasi divinitus Fatorum arcana præcepissent sumpto hinc argumento, multo atrociora, quam soliti essent, ventura minitabantur. In eorum omnes ire sententias, Scriptorum veterum exempla, si qua mali ominis fuerint, proferri passim, recentiorum multa superaddi. In eo denique sententiam omnes suam confirmare, portentis his magna Principibus nostris bella, calamitates adhuc mortalibus inauditas, fœdissimumque temporum statum, atque adeo Christiani nominis oblitterationem denuntiari. In promptu vero maxime Virgilianus Melibœus erat, qui *sæpe malum de cœlo tactas meminit prædicere quercus*, neque temere *triste* apud Horatium & Persium *bidental* appellatum. Addebant alii ex M. Tullii Ciceronis annalibus, quo tempore Capitolini Jovis templum fulmine tactum est, & ærea Nattæ effigies concidit, disjectæ leges atque alia Deorum simulachra disrupta, dira omnia ex fulguralibus Etruscorum libris obnuntiata. Talibus signis aliquando C. Cæcilio, Gn. Papirio Coss. Romæ visis, Cymbros, Teutonosque Alpes transgressos, fœdissimam Romanis, eorumque Sociis stragem intulisse. Crasso adversus Parthos eunti, vexilla turbinis vi dissipata infortunii, & calamitatis, quæ subsecuta est, dedisse signum. Incendiis in urbe aliquot excitatis, Jugurtinum bellum exortum. Idque præcipue repetebant, Pietatis Ædem in circo Flaminio clusam, L. Martio Figulo, Sex. Julio Cæs. Coss. fulmine tactam, immanissimæ illius crudelitatis fuisse portentum, qua Romani per ludos a Sulla trucidati fuerunt. Addebant, L. Sulla, Q. Pomponio Coss. Romæ in castris Gn. Pompeii, cœlum ruere visum, arma, signaque tacta, milites aliquot exanimatos, inde Cinnam & Marium per bella civilia crudeliter sæviisse, ipsum denique Pompejum cognomento Strabonem interiisse afflatum sidere, lectum ejus a populo direptum, corpus unco tractum. Quod vero illos maxime terreret, erat eorum commemoratio prodigiorum, quæ paulo antequam nefaria Catilinæ conjuratio pullulare cœpisset, Romæ apparuisse constabat. Quippe M. Cicerone, C. Antonio Coss. tot ea fuerunt, quæ fulmine decussa sunt, quodque atrocius existimabant, Vargunteius Pomp. sereno exanimatus erat, id enim diri ominis habebatur, quare Virgilius in prodigiorum hujusmodi terrorem dixisset:

*Non alias cœlo ceciderunt plura sereno Fulgura.*

Eodem præterea consulatu trabem ardentem ab occasu ad cœlum extendi visam, quum ante biennio Remi & Romuli Lupa in Capitolio fulmine icta esset, signumque Jovis, ut paulo ante dicebamus, cum columna disjectum, Tabulæque legum æneæ liquefactis litteris excussæ. Ad hæc recordabantur auditum sæpius simulacrum Palladis, quod M. Tullius domus suæ familiare numen ante cellam Minervæ plebiscito posuerat, pridie quam in exilium iret, dissipatum jacuisse, fractis humeris, brachiis, capite. Quod dirum ipsi M. Tullio portenderit. Atque ita multas illustrium Virorum, Principum, Regum, Imperatorum, Regnorum etiam interdum universorum calamitates, excidiaque fulminibus præmonstrata recensebant. Neque Veterum tantum eventa, sed & recentiorum mul-

A ta perquirebant, cujusmodi ea fuerunt, quæ Juliano Imperatori, exercitum in Parthos ductanti acciderunt, cui sinistra, & infelicia omnia Miles nomine Jovianus portendisset, qui de cœlo tactus conciderat cum duobus Equis, quos potu satiatos a flumine reducebat. Eo viso harum rerum Interpretes accersitos, interrogatosque, quid ea sibi vellent, expeditionem respondisse dimittendam esse, eoque magis cavendum, ne, quod instituerant, molirentur, quia militem celsi nominis cum bellatoriis jumentis extinctum animadverterent. Proinde contacta loca neque intuerentur neque calcarent ex fulguralium librorum præ-
B ceptis admonuerunt. Atque alii pleraque hujusmodi referebant, quibus ex fulminibus esset aliquando mali aliquid obnuntiatum. Nonnulli vero litterarum quidem ignari, sed ingenio, & facundia præditi, quique ob multarum rerum usum videbantur esse quantivis precii, multa, quæ nostrorum temporum memoria obvenerunt, quo dira hinc quoque portendi suspicarentur, afferebant. Plurimus vero his in ore erat Joannes Bentivolus, qui superiori ætate Bononiæ primas obtinuit, tanta in ea civitate auctoritate, ut Æmiliæ pene totius imperium ad se contraxerit. Hujus palatium,
C quod & maximum & opulentissimum excitaverat, ferebant in uno ex angulis ita ictum fulmine, ut eo discusso pars ædium corruerit. Paucis vero post diebus ipsum cum uxore, liberis, & universa familia vertisse solum. His & Alexandrum VI. P. M. adjiciebant, nunc in Hadriani mole, nunc in cubiculo palatii, quod in Vaticano situm est, sæpe fulminibus petitum ad ipsam usque digitorum læsionem, vitam denique miserabili mortis genere finivisse. Veniebat etiam in hoc argumentum Brixia, Imperii, olim Veneti columen ac inexpugnabile, ut tunc erat hominum credulitas, propugnaculum, in qua manifestissi-
D ma ex hoc genere prodigia facta essent, earum prænuntia, ut putant, rerum, quæ calamitosissimæ postmodum in Venetos subsecutæ sunt. Ejus siquidem Civitatis Turris munitissima, in qua sulphura, tormenta ænea, arma, opera, & munimenta omnia bellica observabantur, tacto repente pariete medio, sulphureque, quod ibi magno numero plurimum erat, ictu fulminis inflammato, avulsa statim a medio, & in altum sublata, mox repente disjecta, revoluta, collapsaque fragmentis in multa spatia dissipatis, cum magna vicinarum ædium strage conciderat, pauloque post Venetorum fœdissima clades subsecuta,
E exercitu copiosissimo, instructissimoque ad Adduam partim cœso, partim fuso, fugatoque, a quibus statim Brixia prima omnium rebellavit. Quam Bergomum, Cremona, Verona, Vicetia, Magna denique Patavium, & quotquot in Cisalpina Gallia, in Flaminia, in Apulia, in tota Venetia, in Rhœtis, in Noricis, in Carnis, in Foro Julii oppida, castella, munitionesque ditionis Venetæ fuerant, vix XV. dierum spatio secutæ sunt. Quarum pars deditione voluntaria sese hostibus tradidere, pars vi expugnata, capta, direptaque, nonnulla etiam & incensa,
F & solo æquata. Ut quicquid tunc Veneti nominis erat, id totum, Illyrio, Creta, Cyproque exceptis, in undis Adriatici maris contractum, reductumque delituerit. Sed & Vicetiam suum habuisse ostentum prædicabant. Eodem enim ferme tempore, quo turris ea Brixiæ disjecta est, fulmen per mediam civitatem pervagatum, Prætoriano Palatio plerisque locis tacto, ære tinnulo, quod in turri signa dabat, dissipato, janubus privatarum ædium aliquot effractis, vectibus, pessulis, cardinibus, & quicquid ferramenti pro seris obditum erat, loco emotis

disjectisque, nonnullis etiam liquefactis, mortalium omnium mentes consternavisse, fuisseque urbem ipsam, per septennium inde, quo bellum illud perniciosissimum in Venetos, Regum Principumque Christianorum pene omnium conspiratione gestum est, omnium direptioni, omnium injuriis ita expositam, ut portæ nunquam ulli hostium fuerint occlusæ.

Hæc illi, atque alia hujusmodi in medium adducebant, sententiam suam eventis talibus veluti munitissimo quodam, si Deo placet, præsidio confirmantes, innumerabiles pene res eodem modo, iisdemque signis antegressis evenisse, tam a Veteribus quam etiam a Junioribus traditum asserentes.

Verum hos ego percontari velim, utrum hæc tanquam Christiani pertimescere se profiteantur, quippe quod sacer locus, & imago sanctissima fuerit a fulmine violata, an potius ex Gentilium religione, quorum institutis rem admittendam censeant, quod satis constat Antiquos nullum unquam divinationis genus neglexisse, præcipue vero in fulguribus observandis, interpretandisque solicitos fuisse, quod ea efficere credebant rerum omnium, ut ipsi ajebant, præpotentem Jovem. Si tanquam Christiani dixerint, signis hujusmodi se moveri, responsum faciam, ex pietate nostra, Pontificumque Decretis institutum esse, præceptumque, ne portenta quotquot, & qualiacunque fieri contingat, animadvertere debeamus. Sed interim dissimulemus & patrum & Pontificum nostrorum institutiones, neque tam piæ nos religioni addictos fingamus, quum præsertim rationes pleræque tam a Natura, quam ab exemplis, & rerum eventu sese nobis offerant, quarum præsidio muniti ineptam horum trepidationem, vel parvi facere, vel eludere potius valeamus.

Id vero inprimis ridicula esse omnia quæ de Fulminum minis objiciuntur ostendet, si quid sit Fulmen, ubi, & quo præcipue tempore fieri soleat, perpenderimus. Sic animadverso tempore, quo hæc, de quibus loquimur, acciderint, & in qua cœli regione facta sint, nihil ea dignum admiratione comperiemus, neque esse ut quum fulmen Romano præsertim cœlo emicuerit, tanto nos consternati pavore, exanimatique propemodum humi concidamus, hinc mali aliquid nostris jam cervicibus impendere veriti. Quid enim aliud est *Fulmen*, nisi, ut veteres philosophi tradidere, collisarum nubium impetus quidam inflammatus, aut densioris cujusdam spiritus cursus. Terræ enim halitus, qui frigidi sunt, quum fluere cœperint, venti fiunt, quum autem se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere, atque dirumpere, idque crebrius facere, & vehementius, tum & fulgores, & tonitrua existunt. Si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id fulmen esse perhibetur. Sive, ut opinati sunt alii, calor, qui per cœli tractus antea diffusus erat, sive ex solaribus radiis collectus, sive ut Anaxagoras putabat, ipsius ætheris scintillæ sint, nubium jam, aut frigidioris aeris ambitu circumseptus, & in angustum coarctatus, in solidum idque perexiguum admodum corpus, in cuspidem fastigiatum coaguletur, quod mox vehementi colluctatione fatigatum, effractis repente nubium carceribus, cum ingenti erumpat impetu, idque fulmen esse velint. Quod, sive hoc, sive illo pacto fiat, Naturæ ipsius opus esse omnino manifestum erit, quæ vero opera Naturæ sequantur rationem, ordinem, atque modum, neque monstra, neque prodigia quisque, nisi imperitus rerum, appellabit.

Neque vero illud nos terrere debet, quod magna, quod crebra, quod horrenda, quod insolita fuere. Nam mirum hoc esset, si aut in Ægypto, aut in Scythia accidisset, sed in Italia facta ea esse, nemo rerum



A naturalium peritus admirabitur. In ea siquidem fulmina & magna & crebra fieri contingit, propterea quod mollior aer mitiore hyeme & æstate nimbosa semper quodammodo vernat, vel autumnat. Sed in Scythia, propter rigorem aeris, qui regionem immunem a fulminum casu præstat, talia non accidunt. Densatus enim aer nubium crassiore corio spissatur, omnisque terrarum exhalatio rigens ac gelida, quicquid acceperit ignei vaporis extinguit. In Ægypto vero propter ardorem nimium fieri non possunt, aut quam rarissime, quia calidi siccique halitus terræ, raras admodum, tenuesque, & infirmas densantur in nubes. Quum vero in Etruria crassitudo aeris præcipua sit, & in ea Ita-
B liæ regione tota, quæ ad Tyrrhenum vergit, in Lucanos usque, de cœlo multa toto eo tractu fieri necessarium est. Eaque de caussa inter Terracinam, & Ædem Feroniæ Turres fieri, bellicis etiam temporibus, desiere, quod sæpe fulminibus diruerentur. Quod si jam liquet fulmina ea, quæ cal. Juliis facta sunt, Romano cœlo, & recto. Naturæ ipsius motu provenisse, quum & locus, & anni tempus, ut talia fierent non importune viderentur exigere, trepidare jam desinat plebecula rudis, hæcque ita omnes accipiant, veluti brumali tempore nives, glacies, aut pruinas, æstivo autem pluvias, grandines, aut rores, certis qui-
C busdam Naturæ vicissitudinibus suo quæque tempore, quo partes peragant suas, locum occupantia. Quod si quis hæc non ita temere fieri contendat, reique magnitudine considerata, gravioribus de caussis excitari, neque levem tantum halitum terræ huc accedere, verum potentiore aliqua vi, majoribusque auctoribus rem agi sibi persuadeat, non ibimus inficias horum plurima siderum aspectibus, atque impulsu etiam adjuvari, ea tamen nihil posse, nisi aere ita, uti paulo ante dicebamus, disposito, paratoque. Sed detur hoc Siderum auctoritati, quandoquidem in Cœli aerisque mutationibus Astronomorum inven-
D tiones minime aspernandas judicamus, qui etiam non ignoremus Saturnum, & Lunam eo die, ac eadem ferme hora, qua hæc acta sunt, in sexto ac vigesimo Sagittarii gradu, exorta fuisse, quapropter aerem potuerint in hujusmodi violentiam concitare, quum præsertim unius sideris frigida vis, & alterius humida ipsius signi calore, ariditateque solicitarentur. Quid vero illud quod Mars, cujus & fervida, & sicca vis est, eodem tempore Jovi junctus in Leone signo ferventissimo Lunam ex trino aspiciebat. Sed enim sive hoc siderali vi, sive inferioris Naturæ motu factum asseruerimus. utrumque dubio procul tam erit mirabile, quam aliæ temporum vices, quas quo-
E tidie ita mutari cernimus, ut siderum inter se aspectus, coitus, oppositionesque nunc in frigidis, nunc in calidis, modo in aridis, modo in humentibus locis fieri contigerit. Observatum vero est a Veteribus fulmina non tantum ab aere, aut collisu nubium elidi, verum etiam e Terra quædam erumpere, quæ *infera* appellantur, eaque plurimum brumali tempore, quæ quidem sæva, & exsecrabilia arbitrabatur Etruria, quia neque generalia essent, neque a sideribus venirent, sed a proxima, atque turbidiore Natura, ea tamen multi a Saturni sidere proficisci subtiliter conjectati sunt, sicuti quæ adurunt a Marte. Deprehen-
F derunt & aliqua sponte fieri, eaque *bruta* appellaverunt. Duo tamen Veteres genera fulminum agnovere Supera, & Infera, quæ & *adterranea* nuncupantur, utpote in occulto fieri solita. Romani quoque hæc in duo tantum genera distribuerunt, Diurna quippe Jovi, Nocturna Summano dedicantes, quod luci Jovem præfici, nocti vero Manium Principem arbitrarentur. Sed Etru-

ſci, quos de cœlo tacta ſcientiſſime animadvertiſſe conſtat, earumque rerum omnium interpretationes accuratiſſimas confeciſſe, undecim Fulminum genera poſuere, e quorum numero trina Jovi, de quibus paulo poſt plura dicturi ſumus, reliqua Diis octo dedicarunt. Quare præter Deos, quos Sphæris præſidere ajebant, mirari minime debemus apud Virgilium & Euripidem Poetas, Pallada etiam ipſam Jovis rapidum jaculatam e nubibus ignem. Etſi nonnulli dicunt cavendum, ne fulmina demus aliis Numinibus præterquam Jovi, Volcano, & Minervæ. Sub quo quidem figmento eadem pene, aut non multo diſſimilia intelliguntur iis, quæ ſuperius de fulminum generatione diſſeruimus. Pallas enim Jovis Filia, qui translucidus, & purus ignis intelligitur. Volcanus ipſe etiam Jovis filius, qui quidem is ipſe ignis eſt, quo utimur, quique aere commixtus eſt, proptereaque commento quorundam Junonis tantum filius effingitur, quia ſcilicet denſiori materiæ inhærere cogatur. Si fulmina igitur ſcintillæ ſunt ætheris, id Palladi congruet, quam ex Jovis vertice proſiliiſſe fabulantur. Sin ex colliſu nubium, Volcani opus hoc erit. Si vero per ſe calor collectus ſeſe veluti ex ergaſtulis emiſerit, vim auctoritatemque Jovis indicabit. Sed ut hæc myſtica prætereamus, Deoſque ipſos nunc penitus abolitos, antiquatamque jam religionem Veterum valere ſinamus, cogi etiam & impetrari fulmina Veteres prodidere. Sane Vulſcinios Tuſcorum Oppidum opulentiſſimum totum olim concrematum impetrato fulmine, auctores tradunt. Hinc apud Veteres ſacra Jovi *Elicio* dicta, quibus quum non recte operaretur Tullius Hoſtilius Romanorum Rex, ictus ipſe una cum Regia conflagravit. Ajebant enim Jovem cum magno invitantium periculo venire. Vocabantur vero ex his *Hoſpitalia*, quæ ſacrificiis Jovem accerſerent. Quæ vero advocantium bono venirent, *Auxiliaria* nuncupabantur, cujuſmodi ferunt Antoninum Imperatorem cum hoſtibus iniquiore loco, & minoribus viribus pugnaturum Chriſtianorum opera fulmen impetraſſe adverſus hoſtes, & pluviam ſuis, qui ſiti pene conſumpti erant, ex quo ille victoriam parvo negotio fuerit conſequutus. Bene igitur habet, quum in noſtra facultate ſitum eſt, ubi, & quando voluerimus, & in quem indignati fuerimus, fulmina jaculari. Quod ſi ab halitibus ea terræ, tenuibuſque admodum vaporibus excitantur, ſive ab ignibus quibuſdam in aere vi nubium compreſſis procreantur, ſive ætheris ſcintillationes ſint, ſive majus quidpiam eſſe credantur, nonne ille demum tam magnus, tamque horrendus telorum cœleſtium terror ad nihilum redactus eo evanuit, ut vel mortalium, ſi adlibuerit, manibus attrectari poſſit? Age nunc Cyclopas neſcio quos vaſto & immani corpore ferrum in Siculis fornacibus exercere nobis confingamus, qui Jovi tela fabricent, *toto quæ plurima cœlo Dejicit in terras*.
Quique

*Fulgores nunc horrificos, ſonitumque metumque*
*Admiſcent operi flammiſque ſequacibus iras.*

Quæ dum excuduntur,

*Antra Ætnea tonant, validique incudibus ictus*
*Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis*
*Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat.*

Dum vero torquentur,

*—— Maxima motu*
*Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda*
*Per gentes humileis ſtravit pavor.*

Quæque ſuper his terriculamenta paſſim legere eſt apud Poetas, quæ quamprimum fieri aſpexerimus, comitia diſſolvamus, ea tunc habere nefas arbitrati.

A Opus, ad quod adgreſſi fuerimus, abjiciamus, quaſi admoniti Deorum voce non eſſe ulterius progrediendum. Sed qui, per immortalem Deum, ſtupor erat, quotieſcunque ex cœlo fremitus auditus eſſet. aut quum cœlum diſceſſiſſe viſum, aut in eo animadverſi globi, vel quid hujuſmodi, Decem Viros ab Senatu lectos, aut ad Sibyllinos, aut ad fulgurales Etruſcorum libros ire juſſos, eamque religionem ab S. P. Q. R. tanto cultu ſuſceptam, ut Imperio jam florente, Senatus conſulto decretum ſit, ut de Principum filiis ſex ſingulis Etruriæ populis in ejuſmodi rerum diſciplinam traderentur. Quanto vero ſapientius Pericles Athenienſis, qui nihil unquam non prudentiſſime dixitve, fecitve, rem B mihi videtur intellexiſſe, quum in ejus caſtra fulmen decidiſſet, militeſque religione terruiſſet. Is tum advocata concione, lapidibus in contrarium colliſis ignem excuſſit, ſedavitque tumultum, omni expulſa trepidatione, quum ſimiliter nubium attritu fulmina excuti ſolere docuiſſet. Sed ne quis forte dicat me res vetuſtate robuſtas velle pervertere, quæque tempore immenſo Etruſcorum auctoritate viguere, qui non ea tantum, quæ de cœlo fierent interpretati ſunt, verum etiam quid quibuſque oſtendatur monſtris, atque portentis, quorum nihil fortuito fieri contendebant, quum præſertim Rex nunquam ullus fuerit, neque Populus, qui non C in pace, & bello hæc religioſiſſime ſemper animadverterit, adeo ut Vetuſtas omnibus his rebus incredibilem afferat auctoritatem, facturum me operæ pretium judicavi, quæ ſuper fulminum generibus, & eorum ſignificationibus obſervaſſem, quæque ipſo rerum curſu, & eventorum conſequentia memoriæ ſuccurriſſent, explicare. Ita enim fiet, ut quæ fulmina habita ſint a Veteribus exſecrabilia, manifeſtius innoteſcat, quæque felicia ſint omnibus conſtet, ac, ſi admittenda ſit ſignificatio, quæ calend. Juliis facta ſunt nullius eſſe mali prænuntia, ſed aut felicia, aut pacata omnia portendere, teſtatum omni remota controverſia relinquamus.
D

Primum autem omnium illud in fulminibus obſervari ſolitum animadverti, utrum *Siccum*, an *Fumidum*, an *Clarum* Fulmen emicuiſſet. Non enim infinitas propemodum ſpecies eorum, quod alii fecerunt, perquirere nunc mihi neceſſarium videtur. Ac *Siccum* quidem illud eſt, quod non adurit, neque colorem in rebus tactis vitiat, interdum levi quodam perſtringit afflatu. Id genus etiam *Ventaneum* Veteres appellarunt, & poſteritati magnarum rerum auſpicia facere crediderunt, de quo Anchiſes apud Virgilium:

*Ex quo me Divum pater atque hominum Rex*
E *Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.*

*Fumidum* quoque non urit, ſed infuſcat, idque detrimentum aliquod obnuntiare formidabant, quia nigra pullaque omnia Infernis poteſtatibus dicata ſunt. His olim, quum in tenebris iter erat, non ut prodeſſent, ſed ne nocerent ſacra fieri ſolita. At *Clarum* illud eſt, quod Dolia exhaurit intactis operimentis, nulloque alio veſtigio relicto. Comburit hoc nonnunquam, alias illuſtrat tantum. Hoc fœtum in utero illæſa matre aliquando exanimavit, corpora intactis veſtibus combuſſit, aurum in loculis, & argentea vaſa in capſulis liquefecit, loculis, F capſiſque integris permanentibus. Hoc interdum penetrat, hoc frangit, hoc diſcutit, hoc longe lateque pervagatur, hoc auſpicatiſſimæ prænuntiationis ſignum apud hujuſmodi ſuperſtitionis interpretes habitum ſemper, de qua Nævius:

*Suave ſuo ſonitu claro fulguravit Juppiter.*

Mox utrum viventia, an vitæ expertia tacta eſſent

observabant. Ex viventibus, sive homines, sive bruta, sive arbores tactæ, malo habebatur ostento, eventu tamen, ut mox ostendemus, plerumque irrito. In hominibus autem quærebatur nobilitas, aut ignobilitas. Nobilitas ratione Nominis, vel sanguinis, vel magistratus, quem tunc aliquis gereret. Nomen, si, ut ajunt, Celsum fuisset, ut de Joviani nomine dictum est Imperatori male portendisse. Quæ vero ex antiquitate sanguinis, vel ex splendore aliquo, vel suo, vel parentum, nobilitas insignis erat, ordini ei timendum. Si Magistratus, ne leges, institutionesque Reipublicæ detrimentum aliquod acciperent cavendum. Ignobiles quoquo modo tactos, vel parvi esse momenti, vel suis celebritatem potius quam exitium ullum, aut damnum polliceri asseverabant. In Brutis considerabant, utrum, quæ exanimata essent, utilia forent, an inutilia. Si utilia, cui servirent usui, quare peremptum Equum militiæ infortunium portendere, Bovem Annonæ penuriam verebantur. Quod secus tamen evenisse nonnunquam observatum est, ut inferius ostendemus. Inutilia vix animadvertebant. Fera, & rapacia religiosa erant. Similiter in Arboribus utrum frugiferæ essent, an steriles, profanæ, an Diis dicatæ? Quare tactam Quercum, vel famis, vel quod Virgilianus Melibœus queritur, dissipandi amittendive patrimonii signum esse dicebant. Oleam vel sublatæ vel interturbandæ Pacis. Laurum, siquando, ut tangeretur, accidisset, Imperatori perniciem portendere, ac Triumphalibus Viris ominosum esse.

Quæ vero inanimata forent, omnia fere boni ominis. Ea vel Diis sacra, vel mortalium usui inservientia. Diis *Sacra*, ut Templa, Statuæ majores, Columnæ, vel quid hujusmodi; Templa tamen tangi ominosum Veteres vulgo credidere, sed ejus observationis vanitas deprehensa est, tacta Romæ Junonis æde, Scauro Consule, qui mox Princeps fuit. Atque alias sæpius, vel mali nihil attulere, vel boni alicujus, præsertim publici dedere præsagium, ut pluribus mox exemplis comprobabimus. Quæ mortalibus inserviunt, vel publica, vel privata sunt. Publica, Classes, Castra, Muri civitatum, Theatra, Thermæ, Porticus, & similia. Privata, Sepulcra, Domus, Statuæ minores, & hujusmodi pleraque omnia, quum tacta fuerint, felicis alicujus eventus prænuntia, quod ea Deus sibi dicasse, vel asseruisse videretur. Tacta enim de cœlo omnia sacra illico existimabantur. Unde *Manubiæ* in Etruscorum libris, ab hostilis prædæ, qua quis potitus esset, similitudine jactus fulminum appellantur. Cæterum gestamina, & insignia, & arma non tantum fulminum vi decussa, verum etiam quocunque alio casu deturbata, detracta, disjectave, adversi aliquid apud hos portendere consueverunt. Veluti Joviano Imperatori Antiochiam ingredienti Sphæra ærea de Cæsaris Maximiani statua, quæ in vestibulo Regiæ locata erat, excussa repente, turbarum, quæ subsecutæ sunt in perniciem Imperatoris, portentum fuisse creditur. Rerum enim volubilitatem id significabat, ut ipsi tradunt. Quarum quidem rerum vicissitudines Domum etiam tuam, pater Optime, tetigisse videantur, si hujus disciplinæ interpretes audiremus. Nam, ut a vestris accepi, biduum antequam clarissimus ille Laurentius Petri F. Cosmi N. fatis concederet, fulmen in ædes vestras illapsum duas ex insignibus gentis vestræ familiaribus Pilas decussisse traditur, aliquo subsecutæ quamprimum revolutionis ostento. Desiderato inprimis tam flebiliter Patre illo Patriæ sapientissimo, vobisque inde omnibus in exilium ejectis. Nam & Constantius Imperator paulo antequam moreretur umbram videre visus Patris infantem pulchrum offerentis, eumque susceptum & locatum in gremio suo excussam sibi projecisse longius sphæram, quod temporum permutationem, quæ successit, indicasse visum iis, qui ejusmodi ostentorum significatis inhærebant. Sed enim his interim missis, quæ loco suo recitabuntur, ad superiores, quas plerique memorant, caussas nostræ orationis aciem intendamus. Nam locus hic exigere videtur, ut quædam altius repetantur.

Id igitur esse ponamus, quod minime inficiandum videtur, *Dei Providentia mundum administrari*, Eundemque tanti operis fabricatorem consulere humanis rebus, nec solum universis, verum etiam singulis, eaque de caussa præsensionem & scientiam rerum futurarum, per quam proxime ad ejus vim Natura mortalis accederet, animo insinuasse nostro. Sintque *Fulmina* ipsa signa quædam eorum, quæ nutu Dei Hominibus significantur. Horum genera, alia quadam ratione accepta, tria traduntur, *Consiliaria* quædam, alia *Prænuntia*, alia *Sancta*. Aut enim de præsentibus, aut de futuris, aut de iis, quæ jam peracta sunt, utrum faustum an infaustum, Diis æquis an iniquis, quicquam actum inceptumve, aut incipiendum, peragendumve sit quæri solet. *Consiliaria* itaque sunt quæ aut agendum aliquid suadent, aut, si res in procinctu sit, ut ab incepto desistamus, Divinæ quodam auctoritatis interventu videntur imperare; cujusmodi observatio frequentissima fuit in Romanis Comitiis habendis. Ut nihil unquam etiam Reipublicæ commodum, etiam utile, etiam necessarium adgredi, vel, si adgressi fuissent, prosequi auderent objectu fulminum, sed illico omnia intermittebantur. Eadem illi fulmina *Regalia* vocabant, ejusmodique fuit illud, quod Juliano expeditionem in Parthos vetuisse ferebatur. *Prænuntia*, quæ alii *Auctoritatis*, alii *Inductoria* nuncupant, ea sunt, quæ aliquot ante annis aliquid alicui vel Publicæ, vel Privatæ personæ eventurum præmonstrant. De quibus quæritur, an peremptura sint Fatum, an apertura potius alia Fata, quæ lateant. Quæ quia prioribus ostentis consentirent, *Adtestata* Veteres dixere. Fatum vero perimi putabant sublatis per auspicatiora fulmina priorum minis, prodigiisque aliis obscuratis, eaque de caussa *Peremptalia* vocabantur. Horum quædam *Familiaria* statuebant, in totam vitam fatidica, quæ prima fierent familiam suam cuique indepto, eaque *Perpetua* nuncupabantur. Alia quæ *Finita*, ad diem quippe aliquid portendentia. Cæterum existimabant privata non ultra x. annos portendere, præterquam ea, quæ matrimonio primo facta, aut natali die. Publica non ultra xxx. annum, præterquam in deductione oppidorum. Quamvis, quo tempore Taciti & Floriani Fratrum statuæ, quæ Interamnæ constitutæ fuerant, ita fulmine disjectæ, contritæque sunt, ut membratim dissipatæ jacuerint, futurum dixerint Aruspices, ut ex eorum Familia nasceretur Imperator Romanus seu per Fœminam, seu per Virum, qui terra omni, insulisque, quotquot ambit Oceanus, captis, Gentibusque & Nationibus omnibus subactis Imperium mox Senatui redditurus esset, idque post annos mille, a die fulminis, quo statuæ confractæ sunt, eventurum. Sed fuerint illa ex eo genere, quæ *Prorogativa* dicuntur, quibus, quæ bona malave præmonstrata sint, differri possunt, tolli non possint. *Sancta* denique, quæ & *Status* appellantur ea sunt, quæ quod jam actum transactumque sit, quum nihil minus interim expectatur, divino accedente consensu, ratum

firmumque futurum approbant, de quibus sæpius apud Poetas legere est:

*Adnuit, & totum nutu tremefecit Olympum.*

Atque illud, *Intonuit lævum*, & hujusmodi pleraque tam apud Latinos, quam apud Græcos. Atque in hoc genere nostra sita erit controversia.

Sive vero fulmina *Consiliaria* essent, sive *Prænuntia*, sive *Sancta*, illud diligenter animadvertebant. Ut in quo statu res ejus essent, quo super significatio quærebatur, exploratum haberent. Quippe nunquid in ingressu ad Honores, an in Dignitatis culmine, post Fortunam prosperam, an adversam. Cœpissetne quispiam a calamitatibus respirare, an summo felicitatis gradu ruere in præceps. Quippe quod, si res cedere jam in adversum cœpissent, superveniente fulmine, ruinam manifestiorem apparere interpretabantur. Idem fere in honorum & felicitatis culmine solere accidere, quum eo præsertim perventum esse videretur, ut sua quid laborare inciperet magnitudine. Sed circa initia, vel, quum quis ab adversa Fortuna sese humo tollere cœpisset, auspicatissimum judicabatur. Illo tamen inprimis religiosius observato, ut quanam Cœli regione fulmen emicare cœpisset, per quos Aeris tractus rotatum, ubi tandem decidisset adactum terræ, præcognitum haberent, idque minime falleret. Idcirco Etrusci Cœlum in sexdecim partes diviserunt, regionesque omnes religione maxima observarunt. Quas primo quadrifariam distribuere, primam eam statuentes, quæ a Septentrionibus, ad Æquinoctialem exortum exporrigitur. Secundam ad meridiem. Tertiam ad Æquinoctialem occasum. Quartam, quod reliquum est, ab occasu ad Septentriones obtinentem. Harum singulas iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu *Sinistras*, totidem e contrario sitas, appellavere *Dextras*, quod ex subjecta tabula manifestius elucescet. Ad hujusmodi enim Ichnographiam Templum illud Augurale delineare commenti sumus, ut Veterum ea dictata fierent apertiora.




A Hoc itaque templo ita constituto, delineatoque, in omnibus illi rebus optimum auspicium arbitrati sunt, si Sinistrum fuisset, id enim ad omnes res optimum, præterquam ad Comitia, judicabant. Læva vero omnia ideo prospera existimabant, quoniam læva parte Mundi ortum, ut Varro auctor est, Romani statuere, Cœlum templum appellantes, cujus quattuor facerent partes, quarum, uti dictum, Sinistram ab oriente, Dexteram ab occidente deducebant, Anticam ad meridiem, Posticam ad Septentriones dirigentes. Unde apud Plinium legere est, *Errantia Sidera contrarium Mundo cursum agere*, quippe lævum,
B quum ille semper in dexteram præcipitetur. Quamvis Pythagoras, Plato, & Aristoteles dexteras mundi partes ab exortu, lævas ab occasu posuerint; & Ægyptii dexteras ad Septentrionem, sinistras ad brumalem tropicum una cum Empedocle verterint. Contra Livius dexteras ad meridiem, lævas ad septentrionem statutas dicat Augurum instituto. Sed utcumque illi variaverint, in eo nemo dissentit, quod ad rem nostram facit, summam portendi felicitatem, quum a prima cœli parte fulmina venissent, & in eandem concessissent, quale Sullæ Dictatori datum accepimus. Atque, ut semel dicam, optimum judicabant in exortivas redi-
C re partes, sicuti dirum per Septentriones Occasum attingere.

Sed enim quum videam alios alio modo hæc interpretari, neque unam esse omnium disciplinam, eademque aliis esse certa, aliis dubia, aliis probata, aliis damnanda, eam instituti mei summam fore decrevi, ut felicitatem, tranquillitatem, & summam nominis amplitudinem, celebremque gloriam per loca fulminibus tacta in universum apud Veteres præmonstratas, locuplete eventorum auctoritate, testatissimum relinquamus.

D Ajunt enim Velitris, ut ab eo exordiar, quo nihil inter mortales majus ortum, nihil alias oriturum; Romana dixit adulatio, tacta antiquitus de Cœlo quum esset Muri pars, respondisse Aruspices, ejus oppidi Civem quandoque rerum potiturum, quod de Augusti Octavii magnitudine prædictum esse documentis apparuit. Quid vero, ut paribus innitamur exemplis, Civitatis tuæ Murus, Honoratissime Pater, ad portam Pratensem ob Magistratuum oculos, qui forte illuc publici negotii caussa processerant, tam notabiliter de Cœlo tactus, incensis portis, muro late perterebrato portendisse judicetur, ut cum antiquis interim
E Aruspicibus nostra etiam conferamus, nisi Florentium Civem rerum quandoque potiturum, quum paucos post menses, quibus hæc evenerunt, *Joannes*, Frater patruelis tuus, ad Pontificii solii sublimitatem, ob bonitatem, & innocentiam, ante annos evectus fuerit. Sed ut ad Veterum exempla revertamur. Juliæ Filiæ Cæsaris monumentum fulmine ictum eidem Augusto, ut Aruspices respondere, magna portendit, quo die reversus ipse ab Apollonia, post necem Cæsaris, Urbem ingressus est. Euripidi vero Poetæ Tragico fulmen nominis immortalitatem portendisse Aruspices dixere, Sepulcro ejus, quod in Macedonia
F prope Arethusam situm erat, de Cœlo tacto, quod ad id ævi mortalium nulli, præterquam Lycurgo, contigisse constans fama fuit. Quin & Juniori Maximiano Fulmen Imperium & celebritatem præmonstravit, quum lanceola ejus icta fulmine fissa esset, ut tota, etiam per ferrum, scinderetur: responsum enim est ab Aruspicibus, duos Imperatores ex una Domo, iisdem nominibus futuros.

Quantum vero pertinet ad Imagines fulminibus dejectas, quod isti dirum adeo existimant, ut Taciti

& Floriani Statuas eo, quo dictum est superius, modo dissipatas prætereamus, quando illa tam præclara, quæ polliciti fuerant Aruspices, nondum evenere, satis constat gravissimorum auctorum testimonio, icta fulmine Probi Imperatoris imagine, quæ in Veronensi agro sita erat, respondisse Aruspices, ejus familiæ posteros ad ingentem nominis celebritatem perventuros. Tacta vero de Cœlo Horatii Coclitis statua nonne famam, & gloriam ejus Viri fortissimi pene diuturnitate temporis oblitteratam, clariorem effecit? Quum inde factum sit, ut ex obscuro loco, in quem dolo atque invidia Aruspicum dejecta fuerat, auspicatius in editum subduceretur, quæ in Area Volcani sublimiore loco statuta, ut bene prospereque multa Romanæ Reipublicæ cederent in caussa fuit. At Euthymo Pyctæ, Olympiæ semper Victori, non Imperium, non humanarum rerum amplitudinem fulmina contulisse perhibent, sed Divinitatem, siquidem tactis eodem die Statuis ejus, quarum altera in Locris, altera Olympiæ erat, Callimachus illi sacrificandum esse decrevit, nimirum eo signo eum in Deorum collegium receptum arbitratus, cui etiam viventi, atque sentienti tunc temporis Mortales sacrificaverant. Quocirca haud difficulter crediderim simulacrum illud ante Minervæ cellam a Cicerone positum, mox Turbine disjectum summam illi ex ingenio & eloquentia gloriam, quæ subsecuta est, per omnem terrarum orbem propagandam, nullo unquam tempore intermorituram portendisse, veluti etiam Euripidi evenisse dicebamus. Sed quam illud observatione dignum est, quod si quid unquam mali ex statuarum lapsu accidisse memoriæ proditum est, id in hostes potius conversum, apud rerum Scriptores invenimus quam in eos, quorum statuæ essent, veluti C. Pansæ Consuli accidisse traditum est. Paulo enim antequam in Antonium moveret, Antonii equestris statua domi corruerat. Pansa, qui ex hoc prospera cuncta conceperat, adversus eum dimicans in mortem vulneratus est, Sed enim quia hos clamitantes audire videor, nihil horum omnium signa facere ad rem tam magnam, tam novam, & fortasse ante hæc sæcula Christianorum hominum memoria inauditam. Proinde aliud esse hujus vel illius mortalis imagines turbine tangi, aliud si templa, si sacra loca, si summi verique Dei ac Matris ejus imagines, si Pietatis nostræ Vexilla fulminibus impetantur, discutiantur, ac dissipentur. Quibus ego responsum faciam de rebus hujusmodi, non debere nos, prodigiorum interpretamenta, quæ vix Ethnicis permittuntur, investigare; nihil enim horum admittit Christiana Pietas. Sed si Veterum, & eorum qui ab institutis nostris alieni fuere, monumentis insistere juvet, nihil tale fere factum reperient, ut non inde boni aliquid sit subsecutum. Gn. enim Domitio, C. Cassio Consulibus Romæ fulmine pleraque decussa. Signa aurata Jovis cum capite, Columnaque disjecta, atque id genus horrenda multa evenere. Ibi tum magna omnium trepidatio, nihil tam incommodum, tam ærumnosum, tam perniciosum publicis, privatisve rebus unquam accidit, quod non ante oculos populi totius tunc miserabiliter obversaretur, eo demum res evasit, ut Ptolemæus Ægypti Rex Cyrenis mortuus Senatum Populumque Romanum regni sui reliquerit hæredem. Verum age pervestigemus etiamnum ulterius, an templa & sacra loca, ipsaque Deorum simulacra de cœlo tacta, disjectaque, calamitosas temporum vices attulerint, an, vel nihil nocuerint, vel prospera tranquillaque potius portenderint. Ferunt M. Messalla, C. Li-

A vio Consulibus in Piceno cœlestes ignes multifariam ortos, complurium vestimenta adussisse. Ipsam denique Jovis ædem in Capitolio ictam fulmine, ex quo nihil aliud sit subsecutum, nisi Gallorum in Italiam eruptio, eorumdemque sine prælio rejectio. Quumque L. Lentulo, C. Martio Consulibus Romæ Jovis Ædes procellosa tempestate quassaretur, Pontis maximi tectum in Tiberim dejiceretur, in circo Flaminio Porticus inter ædem Junonis Reginæ, & Fortunæ fulmine tangeretur, plurimaque circa ædificia dissiparentur. Quid post tot prodigia secutum? Nisi quod Dalmatæ Scodrisci superati. Quid vero illa tot de B cœlo facta in agro Perusino, Romæ, Atellis, & locis aliquot, lacte pluere, digitos cujusdam hominis quattuor tanquam ferro abscindi fulmine, Argentum signatum afflatu fulminis diffluere, mulierem Civi Romano nuptam ici, cœli fremitus audiri, pilam cœlo cadere, Romæ interdiu facem sublime volare conspectam, in Æde Larum flammam nescio quid insolitum ostentasse, omnia, P. Serano, C. Attilio Consulibus observata, tamen præter nescio quid per Cæpionem Consulem attentatum, reliqua omnia in pace fuerunt. Sed quum Jovis ædes clusa, Romæ C fulmine icta esset, C. Mario, Q. Lutatio Consulibus, omnesque animum desponderent, quasi nihil amplius superesset, quod implorare possent, ecce tibi omnia tunc evenire contra ac existimarant. Piratæ in Sicilia a Romanis deleti, Teutoni a Mario trucidati, Lusitani devicti, Hispania ulterior pacata, Cymbri oppressi, ac occidione fere sublati. Sed quid obsecro per immortalem Deum, si prodigiis fides adhibenda sit, eo manifestius exemplum afferri potest, loca sacra de Cœlo tacta rerum prosperitatem portendere, quam quæ Quinto Æmilio Pæto, Marco Julio Consulibus evenerunt, tot loca sacra, tot profana Romæ fulminibus icta, Lanuvii facem D in cœlo ardentem visam, atque his horribiliora quædam & Anagniæ & Calatiæ in agro publico animadversa. Nempe hoc subsecutum, ut atrocissimi Romanorum hostes Reges duo Gentius Illyrici, Perses Macedoniæ devicti fuerint. Eorundem autem Consulatu, Salutis æde Romæ de cœlo tacta, Lanuvii multis aliis prodigiis hujusmodi factis in magno futurarum calamitatum metu, Pax domi forisque fuit. Atque tandem erupit numerosa illa portentorum Cohors. Procellosa tempestas, magna Urbis strage data signa ænea in Capitolio dejecta, in Circo maximo alia cum columnis eversa, Templorum aliquot fastigia a culmine abrupta, dissipataque Apollinis E ædes Cajetæ tacta fulmine, omnia quidem hæc Lucio Æmilio Paulo, Gn. Bebio Tamphilo Consulibus. Nempe id attulerunt, ut Ligures Romano nomini semper infensissimi, prælio vincerentur, delerenturque. Iidem alias victi M. Marcello, Publio Sulpitio Consulibus quum Senatus Populusque Romanus admodum sollicitus esset, tribus mulieribus, quæ operatæ sedebant. Terracinæ fulmine exanimatis. Missa vero facere non possum ea multa quæ Florentiæ de cælo facta sunt, paulo antequam Vos Medici Proceres, ab exilio revocaremini. Popularis enim pietatis ædes aliquot tota ea urbe tactæ, sacræ turres dirutæ, dejecta pinnacula, Palatium comitiorum pluribus locis ta- F ctum, excussæ sortes, inversis loculis, quæ Civibus itidem tuis præclara multa promisisse videri possunt. Quum non solum & Tu & Fratres ipsi tui in avitam rerum amplitudinem restituti, magnas & ingentes insuper accessiones adjeceritis, sed aliorum etiam Civium ordines magno numero multis ornati sint dignationibus, magnisque titulis & honoribus decorati, unde illis & no-

minis claritas, & opes divitiæque affatim obvenere, obventuræque, in dies magis, videantur. Illud autem, quod Romani plurimi faciebant, sereno Tonitrus audiri L. Scipione, C. Lælio Consulibus evenit, ut Junonis Lucinæ templum fulmine ictum fuerit, fastigium violatum, valvæ deformatæ, in Finitimis pleraque de cœlo tangerentur, eodem tempore Nursiæ orirentur nimbi sereno die, ac Homines duo exanimarentur. Nihil inde tamen adversi, neque Reipublicæ, neque alicujus conditionis privato Viro contigisse Auctores tradunt. Q. vero Metello, T. Didio Consulibus Hispani pluribus præliis devicti, quum tamen Romæ sereno tonuisset, fulmine pleraque decussa, in Circo inter pila militum, ignis fusus esset. Sed ut ad objecta quædam convertamur. Quod de Pietatis æde L. Martio, Sex. Julio Consulibus tacta, Sullæque immanitate opponunt, debuissent illi genus fulminis suo explicare nomine, ut saltem visi essent, ex eorum temporum religione aliqua in medium attulisse, quum minime inficiandum sit, superstitiosis illis temporibus, quædam omnino fulminum genera perniciosa fuisse credita. Verum atrocitas illa Sullani temporis aliis longe manifestioribus prodigiis præmonstrata est, quum scilicet ex agris in urbem pecora, armentaque Latini agerent, quæ tum strages hominum passim facta, & in quam rabiem armenta concitata, quæ suos passim vastando, hostile, intestinumque illud, quod subsecutum est, bellum imaginarentur, lacrimantesque multis affectibus calamitatem suis præsagirent, multorum testimonio proditum est. Quæ vero Prodigia de cœlo facta memorant in Gn. Pompeii castris L. Sulla, Q. Pompejo Consulibus miserabilemque Gnei exitum deplorant. Dictum jam est eorum temporum religione tunc præcipue dira obnuntiari solita, quum tale aliquid rebus declinantibus accidisset, aut in alicujus calamitatis principio. Atqui jam affligi cœperat res Romana, perniciosissimique Cinnæ & Marii discordiis miserabiliter vexari. Quod vero populus Gnei cadaver ita fœde traxerit unco adacto, ne quis hoc prodigiis imputet, caussam ipse dedisse visus, qui discrimine eo civili periclitanti patriæ succurrere neglexisset toties requisitus, quum & imperium & maximos haberet exercitus. Quæ vero prodigia nefariam Catilinæ conjurationem præcessisse dicunt, tanti non sunt, ut tam multa alia secus observata obfuscare valeant, quum contra Octavio Augusto Veliternus Murus, & Juliæ Monumentum de cœlo tactum Imperium portenderit, Sepulcrum Euripidi famam, & nominis claritatem præsagiverit, Hasta Maximianis rerum amplitudinem pollicita sit, collapsæ dirutæve mortalium Statuæ, aut impetu turbinis, aut alia vi quapiam, prospera suis, dira hostibus attulerint, Deorum immortalium, ut eorum lingua loquamur, simulacra cum Columnis disjecta, eversave toties Imperii fines propagaverint: Sexcenta demum Templa fulminibus impetita, nunc Urbis tranquillitatem, nunc ex hostibus victorias, nunc has vel illas accessiones Imperio factas præmonstrasse, compertissimum habeamus. Sed his objicient, video, dira ea prodigia, quæcunque calamitosas temporum vices portendere visa essent, ideo Romanis interdum bene vertisse, quod quamprimum portentosi aliquid usquam apparuisset, in maxima religione habuerint ad suos illos expiationum ritus confugere, per quos pacatis, conciliatisque Diis, malum, si quod impenderet, a se omne amolirentur. Observatis etiam fulminibus, quæ *Postulatoria* nuncupabant, quibus admoniti essent, ut sacrificia vel intermissa, vel non rite facta repeterentur. Hinc Urbis lustrationes minima quaque de caussa fieri solitæ. Hinc expiationes illæ, nunc per pueros patrimos matrimosque, nunc per Virgines habitæ, eorumque numerus ter denarius, harum ter novenus, interdum pari utriusque sexus classe diligenter observatus, qui canerent, qui dona ferrent, qui Deorum iram precibus delinirent. Hinc sacra novemdialia sæpius instituta. Hinc in hostium finibus sacrificia. Hinc Vestales virgines flagro cæsæ ignem extinctum negare jussæ. Hinc ædes Veneri Verticordiæ facta, signaque nunc fictilia, nunc aurea, nunc miniata Jovi, cupressea Junoni Reginæ, oleagina Damiæ & Auxesiæ, ac Diis quibusdam aliis posita. Hinc Cereri & Proserpinæ populus stipem, Matronæ thesaurum, Virgines dona ferre jussæ. Hinc Capræ cornibus ardentibus per urbem ductæ, mox porta ejectæ, dira omnia secum abduxisse creditæ. Hinc Bubones, quorum vox audita esset, proposito præmio perquisiti, capti, combustique, cineribus in Tiberim dispersis.

Quorum quidem nihil a Christianæ religionis cultoribus fieri videmus. Quinimmo tantum abest, ut hæc curemus, ut ea non modo negligamus, verum etiam ludibrio penitus habeamus. Qui statuas, ædes, sacrificia, supplicationes, Cerimoniasque omnes non ad Dæmonum malorum, sed ad omnipotentis, æternique Dei, Patris & Filii, sanctique Spiritus cultum faciamus, cui vota, precesque nostras adlegamus, eas non in certa tantum tempora, vel prout rerum fuerit vicissitudo, sed in dies, in noctes, inque horas singulas rite distribuentes.

Quodque summum est, ex ipsius veri hominis, verique Dei præceptis & institutis, de stipe, de thesauris, de donis, quæ possideamus, non infernis manibus offerimus, sed pauperum indigentiæ prospicimus, miserorum inopiam levamus, profumus omnibus, nocemus nulli, etiam injuria lacessiti

Pro Vestalibus flagris fraudamus genium, corpora jejunio maceramus, vigiliis honestis exercemus, orationibus expiamus. Quumque Hostiam puram, sanctam, immaculatam, Christi assertoris nostri corpus preciosissimum Patri sanctissimo piis affectibus obtulerimus, rite omnia expiata esse censemus, & istiusmodi prodigiorum minas deridere, conatus hostium parvipendere, infortunia periculaque omnia, quotquot Terra Marique, ac etiam cœlitus accidere possint, aspernari jubemur. Quicunque enim bene recteque a Pietate nostra informatus est, audebit sibimet ipse consentiens dicere: *Si fecerint impetum in me instructæ armis animisque infestis acies, non terrebor. Atque ita in omni vitæ atque rerum colore ad ipsius Dei nostri, Deiparæque Virginis præsidium, atque tutelam, rite confugimus, Quorum clypeo muniti, protectique nihil formidemus. Qui si pro nobis steterint, quis contra nos quidpiam moliri queat?* Quæ si quis illis gentium cerimoniis inferiora dixerit, non est ut ulterius cum eorum impietate, nihil quicquam profecturi disseramus. Quoniam vero nonnulli remotiores quasdam antiquorum opiniones non ociose perquirunt, ut omnibus, quantum labore, studio, & diligentia assequi possumus, satisfactum procuremus, ipsas etiam Aegyptiorum Sacerdotum sententias in propositum argumentum adducamus, quibus quidem suam interpretationis laudem hujusmodi rebus invidere inhumanum propemodum videatur, quum in explorandis Naturæ secretis, Rerumque significationibus tradendis, doctorum illi omnium consensu facile principes extiterint.

Ajunt

Ajunt vero illi vocem procul auditam, quippe famam per latum terrarum orbem expatiatam, immortalem gloriam, & excelsam nominis magnitudinem, per vocem Aeris, quæ Tonitrus est, significari, quod nihil ea majus, nihil validius sonet.

Ita enim in sacris eorum litteris habetur. Hinc Apelles, quum Alexandri Regis sui effigiem pingeret, fulmen in ejus manu posuit, ut ex hoc nominis amplitudinem, ex rebus ab eo gestis, in immensum propagatam, immortalemque ejus gloriam indicaret. Quod Lysippus Statuarius factum improbavit, quum lanceam ipse posuisset, qui famam Alexandri neque una quidem ætate superfuturam judicaret, si quis vera de homine tradidisset. Sed enim, utcunque ille de Rege suo existimarit, quantum ad flulmen attinet, tam ex hoc Aegyptiorum commento, quam ex iis, quæ supra memoravimus, satis jam constare crediderim, si quid venerandæ Antiquitatis auctoritas persuadere possit, debere fulmen boni potius auspicii signum, quam infelicitatis alicujus prænuntium existimari. Quod vero ajebant Alexandrum VI. Pontificem Maximum toties *Obrutaneis* fulminibus, ex eo enim genere mihi ea fuisse videntur, ad ipsam usque membrorum læsionem impetitum, quæsierim ab his an negare velint Pontificem eum præclaram semper egisse vitam, ut nostro jam tempore vitæ conditiones existimari video. In magna enim omnium, quæ bona dicunt, opulentia, in splendore gestarum rerum, aucto, dilatatoque Imperio, exsuscitata Ecclesiæ Romanæ auctoritate, ut amplitudinem Regni, quod obtinebat, agnovit, ita ejus existimationem apud omnes gentes angustiorem quodammodo reddere conatus est. At periit, inquiunt, veneno sublatus, nunquid ergo fulmina ipsa venenata fuerunt? & si venenata, veneno illo diffuso hominem tam diu incolumem servavere. Nam ex quo disjecta in cubiculo trabe vi fulminis in Vaticano manum saucius evasit, ultra duos annos adhuc valetudine vixit inoffensa. Ante vero septennium, quam quid illi humanitus accideret, in Hadriani mole, dum genio operam daret, horrendo fulminis interjectu perterrefactus fuerat. An, nisi fulmina illa fuissent, putemus eum alio potius mortis genere periturum? Atqui longe diversa sunt, rerum Dominum fieri, & hoc vel illo mortis genere auferri. Sed enim eo anno, quo sit potentiorum aliquis veneno sublatus, invenio non fulmina in prodigiis, sed olim sanguinem pluviam fieri observatum, ut quo tempore Hannibal extinctus, & Romæ, & in Sicilia animadversum est M. Claudio, Q. Fabio Labeone Consulibus, quamvis neminem ita stupidum esse credam, cui persuadere possis, id genus pluviam Hannibalem veneno periturum significasse. Quod vero de Bentivolorum exilio recitant, ex iis, quæ superius dicta sunt, manifestum esse potest, Pestiferum id ideo fuisse fulmen, quod eo tempore factum est, quod Julius Secundus Pontifex Maximus icto cum Gallis fœdere jam copias comparabat, ut omnem eam Familiam radicitus extirparet. Præterea cui dubium fiat, Domum tam notabiliter tactam, ut bona sui parte corrueret, mutandæ sedis signum esse potuisse? Verum in hujusmodi conjecturam nemo, nisi re peracta, devenit. Quod addunt Turrim eam munitissimam Brixiæ fulmine tactam coruisse, magna Urbis strage data, Vicetiæque paulo post quicquid ferramentorum ad occludendas januas oppositum erat, per urbem mediam, & in Prætorio præsertim disruptum, colliquefactumve, quamquam nunquam ego miraculi loco posuerim Turrim repletam sulphure, illapso igne dissipari, hoc tamen & aliis hujusmodi signis superstitiosæ illi Ethnicorum religioni concessis, quis est qui nesciat paucis ante mensibus omnes Christiani nominis Reges, ac Principes in urbe Chameraco eodem accessore Julio conspirasse, ut si qua Fata permisissent Venetum omne nomen abolerent? Atqui jam dictum est, ubi res in amplissimo rerum successu, vel ipso felicitatis culmine fuerint, si quod accidat fulmen, *Monitorium* esse, perinde ac illud, quod nihil nobis cogitantibus fit, ac proinde tunc non ociose cavendum. Quod si ab altiori eo gradu paululum titubare quis cœperit, omnino perniciosissimum fore. Quæ non ideo a me dicuntur quod ita sentiam, qui uti sæpius dixi, ex Christianæ Pietatis institutis nullam prodigiis fidem adhibeam, sed ut, dum horum lingua loquimur, suis ipsimet telis confodiantur, omnibusque constet exempla ea, quæ contra nos allata sunt, nihil facere ad eorum fulminum genus, quæ Calendas eas insignes adeo reddidere.

Reliquum est, ut de Fulgetris, quæ & frequentes, & per longos cœli tractus micantissimæ perfulsere, ipsa eademque hora, qua fulmina tot emicuere, deque Vaticana turri, quæ sancti Spiritus ædi adjacet ea nocte concremata, qua de Cardinalibus rogandis, triduum antequam designarentur, consultatio diligentior & habita & obtenta est, quando id quoque in malum omen verti video, sententiam, ut cœpi, meam Antiquitatis auctoritate confirmem. Nam qui rem iniquius in deteriorem partem trahunt, sancti Spiritus gratiam neque his Comitiis, neque consultationibus adfuisse, ea præcipue de caussa conjectare videntur, quod Turris arserit illi dedicata. Qui quidem dum hac religione maxime Christiani haberi volunt, a Christianorum præceptis & institutis alieni maxime deprehenduntur, quum illi quidem hæc vel ex odio, vel ex pravitate sua metiantur, si præsertim iis, quæ ex stomacho dicuntur, opinio etiam accedat consentanea. Atqui rationi magis consonum videtur signum hoc fuisse, si modo signa Christiana Pietas admittat, ipsum Paracletum Spiritum, quem flammæ specie passim figuramus, ad Pientissimi Pontificis preces illapsum, sui amoris in eo flagrantissimum ignem accendisse.

Unum enim & Triginta Viros, quod BONUM. FAUSTUM. FELIX. FORTUNATUMQ. SIT. LEO. X. Cardinales dixit, alios ob doctrinam, alios ob nobilitatem, alios quia durissimis temporibus Ecclesiam in magno discrimine, summaque rerum difficultate, & indigentia laborantem privatis opibus adjuverant. Id, quam præ se ferat, quam isti objectant, enormitatem, qua Deus indignatus animum suum, ea fulminum horribilitate patefacere voluerit, nullo discernere modo possum. Siquidem Litteratos ad dignitates Ecclesiasticas evehi, & utile & necessarium est. Nobiles, & vel Pontifici Summo, vel Principibus aliis consanguinitate, vel aliqua necessitudine conjunctos, & splendidum & honestum. De Republica bene meritos, sanctum, & apud gentes nationesque omnes summopere commendatum. Quod si quis eorum signorum religione, factum hoc mali consulat, male a Natura mihi videbitur informatus, neque quidem is litterarum, neque rerum peritia præditus haberi poterit. Quum manifestum sit dubio procul, *Flammam* nullo non in portento boni faustique Augurii loco acceptam, quod Antiquorum infinita propemodum testantur monumenta. Nam qui caput arsisse Servio Tullio dormienti dicunt, futuram itidem hominis humiliter alioqui nati celebrita-

tem id indicasse, veluti Tanaquilis Thuscæ interpretatio fuit, haud ægre consentiunt. Virgilius vero, qui præter absolutissimam disciplinarum omnium cognitionem, harum præcipue rerum peritissimus fuit, cadente jam Troja, in summa rerum desperatione, verticem Ascanii correptum flammis, ut dejecti omnium animi in spem optimam erigerentur, caussam fuisse dicit. Quæ autem signa C. Cæcilio, Gn. Papirio Coss. facta memorant, Albanum quippe montem nocte arsisse, Æticulam & signum de cœlo tactum, Aram Salutis interruptam, id dissimulant, quod ejus cladis præsagium esse potuit, latum quippe terræ hiatum, qui & in Lucanis & Privernati fuit. Quoties enim terra desedisse visa, labem ejusmodi semper adversi aliquid portendere judicabant. Contra vero Flammas boni semper ominis habitas eventa sæpius observata demonstrant. Ut quum C. Lælio, L. Domitio Coss. in cœlo fax apparuisset, cœlumque totum ardere visum esset, & alia multa, quæ terrere poterant, accidissent. Subsecutum est ut Hispaniæ Principes, qui rebellabant, per Nasicam supplicio consumpti fuerint, eorumque urbes nonnullæ dirutæ. Alias vero C. Valerio, M. Herennio Coss. præter fulminum prodigia multa Romæ facta, Vulsciniis prima luce flamma cœlo emicare visa, quum in unum coiisset, os flammæ ferrugineum ostendit, Cœlum visum discedere, cujus hiatu vertices flammæ apparuere; totus tamen Annus domi forisque tranquillus fuit.

Quid quod vasto incendio Romæ, Sacrario cum Regia cremato, altera ex laureis ambusta, Pseudophilippus commisso prælio cum Romani nominis gloria devictus. Quid signa illa tot de cœlo facta Prenelte, & in Cephalenia? Quid Ætna Mons in maximos flammarum globos effusus Gn. Cæpione, C. Lælio Coss. portendere? Nisi ex Viriati, Lusitani Hominis interitu pacatum annum. Notum quippe est, quam incommodus Vir ille fuerit Ro. Populo, quos tumultus in occidentalibus regionibus excitarit, quas etiam clades intulerit, qui sumpto adversus Romanos bello Claudium Unimanum, deinde C. Nigidium Imperatores oppresserat. Tanti vero ignem Romani veteres æstimarunt, ut non Vestalem tantum summa apud se custodia servarent, colerentque, qui si forte extinctus esset, Urbis interituræ præsagium habebatur, (nam signum id & Imperii pignus appellabant) verum etiam magna religione cavendum censuere, ne alium quempiam ignem vi quispiam extingueret, lege ita Pontificum Sanctione proposita. IGNEM PER. SE. SE. LANGUENTEM. DEFICERE. SINITO.

Demum, veluti pessimum illi augurium arbitrabantur, si eum vel elanguescere, vel extingui contigisset, ita optimum, si flagrantius emicuisset. Quare Octavius Augusti Pater, quum in Liberi Patris luco barbara cerimonia de filio consuleret, quo tempore exercitum per secreta Thraciæ ducebat, cunctaque illi prospera, magnaque ex illius religionis responsis accepisset, eo præsertim prodigio in spem magnam erectus est, quod flamma, fuso in altaria mero, adeousque emicuit, ut supergressa fastigium templi ad cœlum usque procedere visa sit. Hinc apud Virgilium Aristeus matris monitu,

*Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,*
*Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit,*
*Omine quo Mater animum firmavit.*

Quod si per externorum etiam exempla vagari juvet. Nam & Hadrianum, & plerosque alios e nostris Imperatoribus consulto præteribimus, invenimus Darium aliquando somniasse, castra Alexandri Magno ignis fulgore collucere. Id quod genus id hominum, qui Regibus adulando placent, interpretabantur lætum id Regi somnium fore, Castra quippe hostium arsisse, sed qui rem diligentius & verius perpendebant, augurabantur illustria Macedonum Castra visa fulgorem Alexandro portendere. Idem Alexander in India quodam prælio, ingenti periculo circumventus concussis armis visus est Barbaris lumen ex sese diffundere, ac quibusdam veluti flammulis undecunque scintillare, quo monstro illi consternati locum deserere, atque Alexandro uti numini cedere coacti sunt. Quod ne mirum adeo videatur, tradunt auctores optimi Theodorici Imperatoris Patrem ex corpore toto quasdam veluti scintillas profudisse. Tiberii quoque equum ajunt ardenti adeo fuisse ore, ut ex eo flammas emittere videretur, quod futuræ dignitatis felicissimum omen Augures interpretabantur. Neque aliena fuit ab hac sententia eorum Philosophorum opinio, qui Julianum Imperatorem sequebantur, quum ad Euphratem fulgoribus aer incanduisset, & tonitrua magna facta essent, multique mala ex hoc significari suspicarentur, contra illi, vel ex eo nihil significari, quod halitus aeris natura accensus esset, aut, si quid inde prænosci posset, incrementa claritudinis Imperatori portendi, qui tunc res laude dignas adgrederetur, quum constet flammas suapte natura nullo obstante ad sublimia convolare. Quod vero milite mox cum Bellatoriis equis occiso dira sunt obnuntiata, neque quidem ex milite, neque ex jumentis tale aliquid adfirmari potuisse crediderim. Nam quantum pertinet ad militem, L. Sulla Peiræum oppugnante, miles ejus unus, qui aggerem ferebat, exanimatus fulmine, neque Sullam, neque alios ab oppugnatione deterruit, quod Aruspicum interpretatione responsum est, diuturno labore introitum & victoriam Romanis significari. Mox & Peiræum, & Athenæ a Sulla captæ. Quod vero ad Jumenta, gregesque alios attinet, quamvis C. Cassio, C. Sextilio Coss. grege ovium cum cane, & pastoribus fulmine exanimatis, tumultus in Urbe fuerit, Graccho leges ferente: P. tamen Crasso, Q. Scævola Coss. animalia pleraque vi fulminis exanimata, nihil dirum portendere, sed pax domi forisque fuit. Quo vero tempore lupus & canis Hostiæ pugnantes fulmine intercepti sunt, Grexque ovium in Apulia, Prætor Populi Romani uno ictu exanimatus, quod Appio Claudio, M. Perpenna Coss. contigit, Lupus quidem & Canis Publii Crassi adversus Aristonicum dimicantis cædem significare potuerunt, veluti Grex Luporum C. Graccho portento malo fuisse creditur, antea quam in Aventino occideretur. Grex vero Ovium, quas opulentiam in prodigiis Veteres portendere arbitrabantur, exanimatus fulmine, jacturam in fortunis portendere debuisset. At secus evenit, quum Asia Provinciarum omnium sine ulla controversia opulentissima Romanis, Attali Regis testamento, paulo post legata fuerit.

Sed missis aliarum rerum prodigiis, ad fulmina, ubi cardo vertitur, reverti cogimur; video enim quam pertinaciter nonnulli opinionibus adhærescant suis, qui quod mala omnia forsan exoptant, ea præsagiunt, neque tot exemplis ex ea, quam adeo venerantur, antiquitate repetitis, neque rationibus ullis adduci possunt, in quibus eadem omnium disciplina statuatur, necessarium esse plura eodem convenire argumento. Hi vero, ubi unum aut alterum homi-

nem risu abstinuisse repererint, universam hominis naturam alienam a risu ostendere connituntur, adeo illi unum ex tot eventis, quod male verterit, alterumve plurimi faciunt, cujus praedicatione omnibus persuadere conantur, coelum ipsum propediem omne ruiturum, totamque terrarum fabricam brevi dissolvendam. Sed age, fuerint adversa Pompejo fulmina apud Dyrrhachium, dum aciem instrueret, abdicaverit se magistratu sponte Marcellus ille, qui primus Hannibalem terga Romanis ostendere coegit, propterea quod, quum in alterius demortui locum Consul designatus esset, tonitrua facta sunt crebra, quae dira minitari dicerentur. Ictus sereno die M. Herennius decurio conciderit, nam & his eos suum acervum construxisse memini. Portenderit dirum lupa in Capitolio icta fulmine, vel simulacra quaevis alia Dis dicata. Fac esse ex fulminibus alia, quae *Fallacia* vocentur. Fac mille esse genera, fac non posse quemquam ad veram hujus disciplinae cognitionem accedere, dummodo ea, de quibus agimus ex eo genere sint, quae *sancta* nuncupantur, quae status & firmitudinis esse perhibentur. Dum clara, dum laeva, dum ad Ortum rediisse a loco, ubi terrae adacta desedere, comprobentur, ideoque iis, quae acta fuerant, divinum etiam accedere consensum attestentur.

Erant enim Sacerdotes illi jam Cardinales declarati, jam osculo confirmati, jam annulis donati, & purpura, jam a veteri Senatu recepti, salutatique, jam ad Pontificiam coenam admissi honestissimo loco discubuerant, jam dimissi solenni comitum pompa domum revertebantur, quum quae acta, transactaque essent, ea fulminum attestatione confirmata sunt. Quare omnia jam metu rejecto, quum liquido constet rebus his coelestium potius Numinum auctoritatem accessisse, in spem maximam eventurae Christiano nomini celebritatis erigamur, inprimisque magnas ipsi rerum omnium Parenti gratias habeamus, qui per haec signa suam illam effusissimae benignitatis ubertatem nobis ostendere dignatus sit, quo torpentes multorum animos exsuscitaret, hoc praesertim tempore, quo tam magna rerum molimina toto terrarum orbe moveri coepta. Quare multo etiam illustriora quaedam, quam audeamus prae verecundia polliceri, animo conjectamus, quae tamen brevi dies ipsa sit aperitura. Accedit & Vexilli jam moti incitamentum haudquaquam leve. Crux enim haud dubie Pietatis nostrae Vexillum est. Eadem apud Aegyptios Sacerdotes Venturae praesagium Vitae, inter signa illa, quae jam inde usque ab Gentis ejus origine in arcanis habebantur, Christianismi felicitatem portendebat. Signa Vexillaque olim nulla hominum ope avelli, moverive potuisse, Romanis acie decertaturis, malum fuisse portentum Antiquitas credebat. Vexillum autem nostrum divinitus motum, si in horum sententiis persistamus, non haberi auspicatissimum, tam impium videatur, quam ab eruditione, peritiaque rerum, & a sapientissimorum hominum sententiis alienum.

Nam quod M. Crasso exercitum in Parthos ducenti accidisse memorant, ut cohorta tempestas Signifero signum arripuerit, & in flumen immerserit, tantaque nimborum se obfuderit caligo, ut universus Exercitus transitu prohiberetur, eumque his neglectis pertinaciter perseverasse, unde mox ipse cum Filio & exercitu interierit, longe diversum est a caussa nostra. Siquidem aliud est Dis adversis aliquid attentare, signa rejici, prohiberi transitu, aliud longae desidiae indormientes

A excitari, & in expeditionem laudatissimam promotis a Deo signis convocari. Ecce enim Dux ipse noster *Christus*, quo praevio, quo auspice nil desperandum est, sponte jam qualis quantusque Coelitibus sese exhibere solet, de Matris gremio, splendore fulgentissimo coelitus accito, prosiliit; ut, qui Romanae ditionis terminis hactenus se continuerit, suae jam Majestatis insignibus adornatus, terribilis, admirabilisque omnibus liberius incipiat exspatiari. Id enim potius significare credendum avulsum fulmine de sacrosanctae Matris gremio Infantem Christum, tanto fulgore comitante profectionis signum simul dedisse, simul iter auspicatissimum primum omnium arripuisse. B Quod vero Matris ipsius manus sit subsecuta, eum ad opus ire portendit. Manus enim apud sanctioris doctrinae Magistros, Aegyptiosque Sacerdotes (Hos enim litteras, & disciplinas ab Abramo, quem nos inter Patres Deo acceptissimos colimus, accepisse, fidei non contemnendae Scriptores tradunt) Operis symbolum habitum est inter alia significata praecipuum, si praesertim unica fuerit. Sed, ne multa de manu dicta ab Aegyptiis, ab Hebraeis, a Graecis Latinisque Auctoribus coacervem, sive Auxilium, sive Potestas, sive Opus per eam intelligatur, interpretari possumus cum imaguncula Filii, C Matris etiam manum ad opus faciendum accessisse; id quod vulgato apud Graecos proverbio dicitur: ΤΗΝ. ΧΕΙΡΑ. ΕΠΙΒΑΛΛΕΙΝ, nos *manum admovere* dicimus, quoties operam nostram alicui negotio adjutricem adjicimus. Sumptum, quod ajunt, a Sacris; in quibus quispiam adveniens admota victimae manu fiat & ipse particeps Sacrificii. Quare, ut idem saepius repetam, quae subsecuta est Filium Matris manus, Ecclesiam, quae *Mater* appellatur, habere omnia jam in procinctu mihi significat, ut se operi accingat. Quoque id firmius jam sperare incipiamus, videre dubio procul est, Leonis D Decimi dexteritate, prudentiaque, & bonitate incomparabili, Principum animos, qui tam diversi ferebantur in contraria, concordi jam foedere colligari coeptos, unanimiterque omnes de Reipub. Christianae summa deliberare. Neque de Italiae tantum finibus tutandis, verum de asserendis provinciis tot transcriptis, quas hostes immanissimi, ac omnium scelerum proceres occuparunt, consilium inire. Auferendam enim esse Lunam, quae Graece σελήνη dicitur, tunc Sacrae litterae pollicentur, quum orta erit Justitia, & Pax late propagata.

Denique terrarum orbem Deo, ac Pietati Pontificiae deberi, ut multa nunc ex utraque E Pagina testimonia praeteream, apertissima olim auguria praemonstrarunt. Nam ex eo jam tempore, quo illi longe clarissimi imperatores maxime florebant, futurum constitit, ut Romanum Imperium de Mortalium manu ad Immortalem Deum pertransiret. Paulo enim ante quam Caesar Augustus humanis concederet, fulmen statuae ejus inscriptionem ita perstrinxit, ut primam nominis litteram, quae erat in dictione *Caesar*, decussiset illisam prorsus. Quod Augures tunc interpretati sunt, eo portento significari eum centum, non ultra, dies victurum. Quia vero *Aesar* pars reliqua mansisset, inter Deos eum esse referendum adjicere, F quod *Aesar* Etrusca lingua Deus vocaretur. Ita quidem profani interpretati, Pii vero probique Deum eo signo declarasse, suum esse imperium, suoque olim Sacerdoti adjudicatum, intellexere. Nam, ne hoc praetereamus, *Aesar* non tantum Deum, verum & Sacerdotem significat apud Arameos. Neque

vero in Octaviani Augusti tantum Titulis ea decussa littera, sed in aliorum etiam Imperatorum aliquot labefactata. Nam adhuc hodie in foro Nervæ, prima ex eodem nomine littera, soluta lapidum compage, corrupta cernitur, ubi notis cubitalibus hæc in Epistylii parte, quæ relicta est, leguntur: IMP. NERVA. CÆSAR. A. TRIB. POTEST. II. IMP. II. Quodque hujusmodi augurii sententiam confirmet, Palatio mox ipso, porticibusque, & magnificentissimis illis Ædificiis, quæ toto eo foro, & circa excitata olim in cœlum consurgebant, sæva posteritatis injuria collapsis, dirutis, omninoque sublatis, pars illa integra permansit, quæ penes *Æsarem* non autem *Cæsarem*, Imperium esse declararet. Quod quidem Deus noster, Jesus Christus, qui Patrem oravit, ne deficeret fides Petri, esset mox consecratum sibi, sarctum tectum ab omni periculo conservaturus. Romæ enim Imperium sine fine datum est, Romanique ipsi *Rerum Domini* ex ipsa vi nominis intelliguntur; siquidem ex Talmutditarum interpretatione, *Roma Tonitrum* & *Imperium* significat, ut non temere olim Capitolium Tonanti Jovi dedicatum existimemus. Neque vero dicat quispiam, olim hoc fuisse, nunc autem illam Imperii magnitudinem in angustum esse contractam, propterea quod ex tam longe lateque diffuso terrarum orbe Provinciæ nunc aliquot Mediterraneæ Romanis legibus, aut sacris non utantur; vel, quod ad Romanum proprie nomen pertinet, Rerum summa non amplius eo, quo prius solitum, more publicitus ex Senatus. P. Q. Romani Sententia, Decreto, Sanctione, Scitove gerantur, quum longe auspicatius ipsa Quiritium auctoritas & Romæ nomen nunc orbi maxime dominetur universo. Nam posteaquam S. P. Q. Romani jus auctoritasque omnis in unum collata Caput sese fortius communivit, per Imperatoriam quidem Majestatem olim crevit, per Pontificiam vero sublimitatem multo amplior, ac venerabilior effecta, multis ad eam Veterum amplitudinem accessionibus adjectis, limites quotidie protulit, Imperiique fines dilatavit, & Periœcos jam fere omnes, Antœcosque, neque non Antomos, Antipodas Regno adjudicavit suo. Quod quidem facile unicuique testatum erit, qui eam mundi partem contempletur, quæ intra circulum Arcticum & Cancri Tropicum sita æquiorem Mortalibus habitationem præstat. Quam longe enim lateque ab occidentali Oceano ultra Indum, & Gangem excurrit ad primum usque Solis exortum, ditissimasque illas insulas, nostrarum legum, nostrique ritus gentibus passim intermixtis, ditionem suam extendit Christiana Pietas: quum Ctesiphontem transire suæ quadam religionis observatione Romanis Priscis vetitum putaretur, miserabili eorum exitio, qui fatis, ut ajebant, invitis, transferre olim signa conati essent. Quod si ad æquinoctialem eam, quam æstuosam ajunt, plagam respexeris, inhabitabilem olim multorum opinione falso creditam, Æthiopas invenies, eosque ab Oriente in Occidentem usque diffusos, quos inter, Prestanes, qui summus apud eos Imperii titulus, innumerabilium gentium & nationum Rex, Romani Pontificis auctoritati subjectum esse se sponte profitetur, Legatis Romam, qui pietatem suam attestentur, sæpius destinatis. Ultra vero totius Africæ ambitum, intra Capricorni, circulique Antarctici limites, tum magni ambitus insulas, tum terram quandam immensam ad Polum alterum, extra anni Solisque vias abeuntem, paucis ab hinc annis tenuit Christianorum classis, oramque circumvecta in suam redegit potestatem. Atque adeo Romani Principis Imperium, in ea usque loca, quæ Veteribus illis, ne ipso quidem nomine innotuerant, propagatum est, Occasum vero versus, ut jam Thulen, & Fortunatas insulas, quæ ultimæ hactenus fuere, mediterraneas agnoscamus, orbis alter, ut nomine appellant, Novus, nostro huic magnitudine fere par, nulli ante hoc sæculum, ne fama quidem cognitus, in Romanæ Pietatis jura ditionemque proximis hisce annis accessit. Parte vero alia sub Arctico Polo, ubi Mare gelu concretum bona anni parte solidescit, ubi dies noxque semestres, Populi, Gentes, Nationesque multæ, quæ Idola hactenus coluerant, Christi nunc cultum suscepere, in quibus & Pygmæi esse perhibentur, ut litteræ Nidrosiensis Episcopi, viri probi & litterati ad Leonem Decimum Pont. Max. proximis hisce diebus allatæ fidem faciunt. Hæc, inquam, atque illa loca tam late diffusa, tam longinqua, tam inaccessa in Christianæ Reip. consortium, veluti in unum adscripta municipium Romanum Pontificem Rerum Dominum agnoscunt, ab eo jura, ab eo mores, ab eo bene recteque vivendi leges, publicisque & privatis rebus suis auspicia, ritus, & sacra suppliciter deposcentes; neque hunc tantum Regis, Orbisve terrarum Principis habere potestatem, verum & Dei Opt. Max. vicem gerere confitentur. Sed ut ad Imperii transitionem, quæ fuit a Profanis ad Sacerdotes, revertamur: Aruspices illi veteres excussas de Principum, Magistratuumve nominibus litteras, mutationem, alienationemve significare prodiderunt. Quod in M. Antonii, & P. Dolabellæ nominibus apparuit, quum eo Consulatu, quem simul gessere, utriusque nominis litteræ aliquot in Æde Castorum excussæ sunt. Subsecuta enim est ea alienatio, quæ publicas privatasque res pene omnes commutavit. Ita non semel *Cæsaris* nomen prima nunc scissa nunc decussa littera, quicquid Cæsareæ, quicquid Imperatoriæ tunc Majestatis erat, una cum ipsa Consulari auctoritate, Tribunitiaque Pot. omni ad Æsarem mox transiturum indicavit. Maxime vero nunc, quod in *Aesere* est, Sacras nominis hujus interpretationes omnes explicarem, nisi Tu illas, Pater Sapientissime, ex præstantissimo, & doctrina, & eloquentia Viro, Ægidio Viterbiensi, dum pro concionibus summa omnium admiratione disputaret, anteaque in Sacrosanctum vestrum Ordinem cooptaretur, audivisses, constaretque ea, & ejusmodi pleraque doctius etiam, ac copiosius, quam sit dicere solitus, æternis ab eo litterarum monumentis commendari. Illud unum præterire non possum multis ab hinc annis observatum, animadversumque ab eo ipso, primam Leonis faciem, in Ezechielis curru mystice designatam, indicium esse Sacris initiandi, quod in penitioribus Sanctioris doctrinæ penetralibus delitescebat, futurumque hic omnino in animum induxit suum; ut vel Leo X. vel ejus auspiciis, & impulsu motus quispiam alius, ad magnum, & memorabile facinus aliquod pro Christiana Repu. & Divini propagatione cultus adgrediatur. Et jam pridem mystica quædam carmina Juvenem hominem, nescio quem, accersunt, qui demandatam hanc a Deo provinciam capessat.

Quod si aliqua Rerum ampliatio nostro debetur tempori, si Deus, vel Sacerdos ejus Imperium habiturus est, Deus, qui bonus est iis, qui recto sunt corde; Deus in manu cujus sunt Rerum potestates, & omnium jura Regnorum: Deus, qui Pharaonem, & exercitum ejus projecit in mare: Deus, qui manu sua ferocientium cornua confringet. Quæ nos formido deterreat, qui pavor, quæve exanimet trepidatio, quæ superstitio prohibere

debeat, ne simul arma capiamus, ne delectus habeamus, ne in hostem ducamus, neve illum potius, qui jam signa movit, qui classicum tonitru cecinit, qui victoriam manibus prætentam gestat, ultro omnes accensis animis consequamur? Præterea, si rerum quæ recitavimus eventa, si ratio, si caussæ, si Populorum & Nationum fere omnium consensus rem feliciter cessuram pollicentur. Si Latinorum, si Græcorum, si Ægyptiorum dictata fulmina sic facta, prosperitatis prænuntia esse interpretantur. Si summi Philosophi, si Poetæ, si sapientissimi Viri suis vel præceptis vel exemplis haud alio quam bono omine accipi hæc debere censuerunt. Age age terrore, trepidationeque illa, quæ nos turpiter invaserat, expulsa, in rei bene gerendæ spem erecti Chabriam Atheniensem imitemur, qui classe dimicaturus, excusso ante navem ipsius fulmine, exterritis eo prodigio militibus, *Nunc potissimum ineunda est pugna*, dixit, *quum Deorum Maximus Jupiter suum classi nostræ adesse Numen hoc admonitu manifeste adeo commonstravit*.

Hæc erant, Pater Humanissime, quæ de fulminum significationibus tuo cum Gyberto familiariter loquebar, neque judicium in hoc meum interponendo, neque ulla adhibita mea auctoritate, qui tantum mihi non assumebam. Postea vero quam, & scribendo, & meditando, &c, quo pacto hæc apud Veteres accipi solita sint, perpendendo, tam multa, quæ probabilia viderentur, sese oculis obtulere, iisdem præsertim sæpius observatis, ac notatis signis, præsensionis hujusmodi conjectura ita confirmari apud me visa, ut quadam etiam animi concitatione motus, hanc temporum Felicitatem præsentire mihi persuaderem, nullaque mihi jam reliqua fieret dubitatio, quin Christiani Principes optima & felicissima quæque pro Romanæ Pietatis tutela, pro sui nominis gloria, pro Divini cultus amplificatione sibi proponentes, ad opus auspicatissimum accingantur. Aut quæ turbulenta hactenus fuere tempora, in aliquam denique serenitatem commutentur; bellisque adeo sopitis, Deo Optim. Max. bene juvante, summa rerum tranquillitas sit subsecutura. Verum hæc utcunque accipienda videantur, eorum omnium judicium tibi, qui Prudentissimus es, liberum & integrum relinquemus. Vale.

Ex Ædibus tuis, Cal. Aug. M. D. XVII.



JUSTI LIPSI

# DE VESTA ET VESTALIBUS SYNTAGMA.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS.

# MATTHIÆ HOVIO ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI.



EXIGUUM aliquid, & pene verens, aut certe verecundans, ad te adfero, ILLUSTRISSIMÆ PRÆSUL, iſtud DE VESTA ET VESTALIBUS: quod tamen ſolus titulus excuſet, non enim dicam commendet. Res ſacrorum eſt: vanorum & veterum, fateor: ſed ſacrorum, & quæ noſtris etiam piis veriſque ſacris faciant illuſtrandis, aut approbandis. Illuſtrandis, quia multa ſuper ea re in ſcriptis olim Doctorum noſtrorum: approbandis, quia cum illi tantum honorem paucis iſtis coactiſque a pueritia virgunculis detulerint; quid nos æquum verumque eſt facere, in devotis Deo puellis, ætate adulta, voluntate prævia, quæ divino cultui corpus atque animum manciparunt? Beata virginitas, quæ cum Angelis de gloria certat: certat? imo ſuperat, virtute, non felicitate, quia illorum tota a Dei munere eſt, iſtarum ab electione: ſine pugna aut labore, illa; iſta, a certamine parata; & quæ laudem habere, illa admirationem tantum poteſt. Jam in veteri Roma, ſex aut ſeptem Veſtales, tot præmiis aut præconiis inſignes: iſtæ quid? auſim aſſerere, in ſola Belgica ſupra ſex aut ſeptem millia eſſe, nec ſatis etiam dixi. *O illuſtris portio* ( Cypriani verba agnoſce ) *gregis Chriſti!* o flos nunc in terra religionis, lucida ſidera olim in cœlo! quam undique vana & profana illa ſuperamus, veritate, aut frequentia? Accipe igitur VESTALES veteres, ſed in illis noſtras feliciores cogita; accipe tu PONTIFEX merito, quod Pontificiæ olim & nunc curæ commiſſum. Certe tu non ſolum ſacris noſtris in Belgica rector & director præſides; ſed hujus virginei cœtus tua inſpectio & arbitratio eſt, tu ducere, formare, coercere pontificium habes; & tot millia quarum precibus ſalus publica nititur, tua auctoritate & tutela nituntur. Non te movebit, quod multa, imo pleraque iſta, priſcæ litteraturæ ſint: ne cenſe, optime Antiſtes, alienam a Chriſtianis uſibus: imo ornamentum, imo adjumentum hæc talia, germanæ Pietatis. Vides

Græcos Latinoſque illos religionis noſtræ Duces aut ſigniferos? plerique omnes hac doctrina non inſigniti tantum, ſed inſignes fuere: Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus: & e Grecis, Clemens, Juſtinus, Baſilius, Gregorii, & quotquot ex illo aureo ævo eſt nominare. Cur diffugimus hodie aut damnamus? Neque enim ſolum voluptatem ex iſtis aut ſcientiam probi prudenteſque, ſed uſum quærunt; & ut floribus alii ad odorem aut adſpectum tantum, apes ad mellificium, medici etiam ad ſalutem utuntur: ſic illi amœniora hæc ſtudia traducunt & aptant ad ſerium animorum fructum. Quæ jacent valde, ut pleraque honeſta, in publica hac tempeſtate & bellorum nimbis: ſed tu ac tales ( nam & hæc tua cura eſt ) tuemini atque erigite, & Eccleſiæ dignitatem ſi ſalvam vultis, etiam illa. Neque ſemper profecto hæ procellæ, & erit tempus, quo

----- *redeat Concordia, Virtus,*
*Cumque Fide Pietas alta cervice vagetur.*

Deus cito donet: te autem Illustrissime et Reverendissime Præsul, decus & columnam huic ſtatui ſervet. Lovanii, Idibus Juniis, M. DC. III.

I. Lipsius PP. cliens.

# AD
# LECTOREM.



APE *breve hoc* Syntagmation , *quod eſt de vetuſtiſſimis & celeberrimis item ſacris . Quædam alii ſparſim ſuper iis libarunt ; ſed libarunt : nos ordine & methodo rem aperuimus , atque adeo plene dedimus , ut licuit oblivia iſta & fugitiva . Si quid me quoque fefellit , aut fugit , ſit venia : nemo ita induſtria aut ingenio poteſt , ut omnia colligat , intelligat : nec veto , imo poſco , ut manum alius addat . Benigne in me conſulet , ſi quis monebit aut ſuggeret : a te peto tantum .*

Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quam ſint , contempta relinquas.

*Nam multi judicant , priuſquam legerint : quid ? etiam priuſquam inſpexerint quidam , contemptores ſcilicet honeſtarum artium , & quorum voto jamdiu Doctrina omnis ſit funus . Non audi , o Deus , neque ſolem hunc e mundo tolle.*

JUSTI LIPSI

# DE VESTA ET VESTALIBUS SYNTAGMA.

## CAP. I.

*Quid Vesta? aliis Ignem, aliis Terram esse: deque ea priscæ fabulæ.*



INTER antiquas religiones, eam quæ *Vestam* spectat, comperior vel præcipuam fuisse, Romanis quidem: & ergo ad prisci ævi scriptorumque lucem facere, si quis illustrat. Suscepi hoc fine: pergite manus & calame hanc quoque operam navare iis, quos vetus & melior illa doctrina capit; & simul Sacris quoque nostris auctoribus, qui hæc tangunt in occasione, facem aliquam præferre. VESTA igitur, plurium sensu, Saturni ac Rheæ filia, Sorores habuit Cererem & Junonem, ipsa natu prima: fratres, Plutonem, Neptunum, Jovem. Ita Apollodorus I. *Bibliothec.* itemque Ausonius;

*Vesta, Ceres, & Juno, secus muliebre, sorores.*

Vides primam locari: at Ovidius in ordine aliquid mutat;

*Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatam*
*Semine Saturni, tertia Vesta fuit.*

Nam Ops eadem, quæ Rhea. Alii tamen diffident, & Urani sive Cæli uxorem Vestam faciunt: mystica hæc sunt, ut verbo absolvam, varie tradita, sed in re & interpretatione concordant. Nam Cæli uxor Terra fuit: ex iis omnia nata: & Vestam ipsam passim Terram interpretantur. Itaque
A & cum Cerere quidam confundunt, quæ ipsa est Terra: sed distinguenda, quod hæc terra dumtaxat fertilis & frugifera; illa (Vestam dico) ea universa. Inde & nomen petunt, ut Ovidius:

*Stat vi Terra sua, vi stando Vesta vocatur:*

quasi, quod vi sua stet & immota libretur. Alii (ut Servius *in* I. *Æn.*) *quod variis vestita sit rebus. Ipsa enim* (inquit) *dicitur esse Terra*. Plato *in Phædro* huc facit: qui *undecim Deos, chorago & præsultore Jove, incedere* facit, *ejusque currum sequi:* at, inquit, *μένει μὲν Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μό-*
B *νη: manet & sistit Vesta in Deorum domo sola.* Qua domo? hoc mundo, quod Arnobius lib. III. explicet: *Terram nonnulli Vestam pronunciant, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus in nobilitate perpetua constitutis.* Ubi & ipsa Platonis verba expressa. Qui Plato, nescio an hac mente iterum XII. *De Leg.* Γῆ μὲν ὖν Ἑστία τε, οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσι τῶν θεῶν. μηδεὶς ὖν δευτέρως ἱερὰ καθιερέτω τοῖς θεοῖς. *Terra & Vesta omnibus diis habitaculum sacrum est: nemo igitur secundaria quædam templa iis instituat.* Et videatur hic distinguere a Terra, & Ignem facere, ut mox e Plutarchi verbis discas. Nam hæc quoque crebra imo passiva opinio, Vestam Ignem esse. Ovidius:

C *Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.*

Vox Græca adsonat, qui ἑστίαν *Focum*, sive ἐσχάραν appellant. Cicero III. *De Legibus*: *Cumque Vesta quasi focum urbis, ut Græco nomine est appellata, complexa sit.* Iterum II. *De Nat. Deor. Vesta nomen sumptum est a Græcis, ea enim est, quæ illis Ἑστία dicitur: visque ejus ad aras & focos pertinet.* Servius pariter ad illa Virgilii *in* I. *Æn. Cana Fides, & Vesta*: *Vestam*, inquit, *Religionem dicit, quia nullum sacrificium sine igne est, ipsaque in omnibus invocatur. Vesta autem dicta ἀπὸ τῆς ἑστίας, ut digammos sit adjecta: sicut Er, Ver, Enetus, Venetus.* Est igitur ista quasi *Publicus focus*, sicut privatim in ædibus alii consecrantur: eoque haud absurde Macrobius III. *Saturn.* cap. IV. *Vestam inter Deos Penates, aut certe comitem eorum*, re-
D censet. Sed quomodo Vesta, Ignis? duplex opinio. Prior ad ipsam Terram restringit & refert: in qua Phurnutus, *quod vis ignea*, inquit, *quæ in mundo est, hinc nutriatur, ac per hanc subsistat: aut, quod secunda Terra etiam animalium sit mater, quibus vis ignea vitæ est caussa.* A priore illa caussa Dionysius est lib. II. *Antiq.* qui *Vestæ ideo sacrari Ignem* tradit ὅτι γῆ οὖσα ἡ

## NOTÆ.

1. Vestam ipsam passim Terram.) *Et a similitudine, quia Mensa nos alit, itemque rotunda est, sicut Terra; notat Plutarchus* Mensam *ipsam quibusdam* Vestæ *nomine dictam. In Sympos. VII. c. IV.* Ἐμοὶ δὲ, εἶπεν, ἐδόκει καὶ μίμημα τῆς γῆς ἡ τράπεζα εἶναι. πρὸς γὰρ τὸ τρέφειν ἡμᾶς καὶ μόνιμός ἐστι, καὶ καλῶς ὑπ' ἐνίων Ἑστία καλεῖται: Mihi videtur & Terræ simulacrum Vesta esse. Nam & alit nos, & stabilis præterea manet: eoque a quibusdam bene Vesta appellatur. *Caussam deinde & hanc dat prisci moris sive religionis, ne Mensa vacua relinquatur: nam nec Terram sic esse volumus aut optamus.*

θεός, κ̀ τ̀ μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον, τὰς ἀνάψεις τοῦ μεταρσίου ποιεῖται πυρὸς ἀφ' ἑαυτῆς: *quod cum Vesta sit Terra, atque ea medium mundi locum sortita, accendat e sese superiores illos ignes.* Nota sententia plurium Veterum, e Terræ vaporibus aurisque sidera nutriri & exardere. Hac ipsa mente fabula, *Vestam nutricem Jovis* esse; Marciano Capellæ lib. I. *Philol.* scriptum. Aliter paullo Pythagoræi, qui Ignem medium, non Terram faciebant (nobilissimum quippe elementum in loco tali esse debere) atque ipsum Vestam dici, & *custodiam Jovis* appellari. Aristoteles hæc tangit II. *De Cælo*, cap. XIII. & plenissime exsequitur Plutarchus, *in Numa*, qui lucem ei donet. *Dicitur*, inquit, *Numa Vestæ ædem orbiculari forma igni perpetuo custodiam circumjecisse, non ut adsimilaret Terræ figuram, tamquam ea Vesta esset, sed universi hujus Mundi, cujus* [1] *medium Pythagorici Ignem esse arbitrantur: atque id Vestam appellant, & unitatem. Terram autem neque immobilem esse, neque in medio circumlationis sitam; sed in orbe circum ignem suspensam, neque inter eximias aut primas mundi partes censendam. Eadem Platonem volunt jam senem sensisse de Terra, tamquam in alio loco sita: mediam autem dignissimamque regionem alteri alicui præstantiori convenire.* Summa horum, Terram mediam non esse, Ignem esse: atque hunc Vestam dici. Sed altera Phurnuti opinatio, in Terra ipsa mixtum esse Ignem, pro qua & Servius: *Vesta enim dicitur esse Terra, quam Ignem habere non dubium est, ut ex Aetna Vulcanoque datur intelligi.* Atque hoc quidem satis παχυλῶς: cum & aliter constet, Terræ passim mixtos genitabiles quosdam & vitales ignes. Vides opiniones duas: sive Ignem esse hanc Deam, sed sensu vario; sive Terram ipsam, & pro hac etiam Euripides:


Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι:

*Et Terra mater, Vesta quæ sapientibus*
*Agnominaris, ipso in aere & sedes.*

Itaque magistri Græci derivant Ἑστίαν παρὰ τὸ ἕστασθαι, ὅ ἐστιν ἱδρύσασθαι, ἢ παρὰ τὸ ἑστάναι, ὅ ἐστιν ἐν ἑνὶ τόπῳ ἱδρύσθαι. Sunt qui *Statam matrem* (in Festo) hanc eamdem opinentur: sed opinentur.

NOTÆ.

1. Medium Pythagorici Ignem esse arbitrantur.) *Addendus Aristoteles* II. *De Cælo, cap.* XIII. *qui eadem diffuse: & utrique illustrando Philolai Pythagorici ipsa verba, in Stobæi Physici Eclogis. Eorum summa:* Duplicem Ignem esse: Supremum illum, qui circumplectitur; Medium, qui natura antiquior est, & centri locum tenet, quem vocari dicit τοῦ παντὸς Ἑστίαν, Vestam sive Larem & focum Universi; itemque Διὸς οἶκον, μητέρα θεῶν, βωμὸν κ̀ συνοχὴν φύσεως, Jovis domum, Deorum matrem, Basim & sustentaculum Naturæ. Circa hunc decem corpora ferri & volvi, Cælum, Planetas, Solem, Lunam, Terram, iterumque Terram oppositam, & deinde hunc Ignem Ἑστίας τάξιν ἔχοντα, Vestæ aut Foci locum tenentem. *Mira sententia, & parum adhuc nobilis. Ad de Igne Vestæ, etiam Nummi; ut iste.*




A CAP. II.

*Quibusdam & Venerem dici. Sed Vestam, pro Igne sive Foco, antiquitus & passim cultam: & a quo exemplo Romæ.*

ISTA igitur Vesta est, nam Augustini traditio, ut fidem habeat, vix exempla, *Vestam etiam Venerem dici.* Ita enim ille *De Civit.* lib. IV. cap. X. *Quis ferat, quod cum tantum honoris & quasi castitatis Igni tribuerint, aliquando Vestam* B *non erubescunt etiam Venerem dicere?* An quia Ignis est, & tale Venus? an quia (ut Macrobius I. *Saturn.* cap. XXI. scripsit) *Physici terræ superius hemisphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt: inferius vero Proserpinæ?* Sed hæc longinqua, aut aliena: magis illud Apollodori II. *Bibl. unam e quattuor Hesperidibus Vestam esse.* Nihil ad nostram, quæ Græcis Latinisque culta, inter præcipua numina, fuit: atque adeo [1] inter duodecim illa prima. Pausanias, de sacrificiis quæ sollemniter in Olympia fiunt lib. V. Θύουσι δὲ Ἑστίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ τῷ Ὀλυμπίῳ Διΐ. *Sacrificant Vestæ primum, tum secundo loco Jovi Olympio.* Phur- C nuti nota huc facit: *Vesta*, inquit, *prima & postrema nata perhibetur, quod in hanc* (id est, Terram) *resolvantur quæ ab ea producuntur; & ab eadem constituuntur. Quare & Græci ab illa sacrificiorum principium sumpserunt, & in illam postremo desinebant.* Tradit & Servius, *Nullum sacrificium sine Igne esse, Vestamque in omnibus invocari.* Ad principium, alludere aliquid Ovidii illud videatur:

——*inde precando*
*Dicimus, o Vesta quæ loca prima tenes.*

Etsi ipse ad vestibulum, ubi olim Focus, refert. D De postremo autem loco, sic & Cicero II. *De Nat. Deor. Vis autem Vestæ ad aras & focos pertinet, itaque in ea Dea, quæ est custos rerum intimarum, omnis & precatio & sacrificatio extrema est.* Virgilius servavit I. *Georg.*

*Dii patrii indigetes, & Romule, Vestaque mater.*

Vellejus: *Jupiter Capitoline, Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, vos publica voce obtestor.* Et alius alia exempla observet. Sed ad Romanam proprie Vestam ut veniamus (id institui:) unde ei exemplum, & quando origo? Exemplum a Trojanis, atque una cum Ænea in Italiam venit. Nam primitus culta in Ilio, extulitque Aeneas. E Virgilius:

*Sic ait, & manibus vittas Vestamque potentem,*
*Aeternumque adytis effert penetralibus Ignem.*

Elatam Lavinii constituit, condita a se urbe, & sede regni. Inde in Albam Longam transtulit Ascanius: & denique ab urbe ea matrice coloni Romam. Hoc est, quod Augustinus tetigit III. *De civit.* c. XVIII. *Sacra illa fatalia* (Vestæ) *quæ jam tres, in quibus fuerant, presserunt civitates.* Tres jam dictas, mali nempe fati, nec diuturnas. Prudentius ambigue, vel ad *Trojam*, vel *Athenas*, re- F fert II. *adver. Symmach.*

NOTÆ.

1. Inter duodecim illa prima.) *Ennii versus in Apulejo:* Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

——*in his quoniam Vestalis origo favillæ*
*Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumpta est:*
*Sacravitque focos aut Phryx, aut Grajus, alumnos.*

Et Athenis quidem Ignem cultum, mox dicam: sed propior tamen certiorque origo a Trojanis, & Alba: imo mansit sacrum Albæ, etiamsi Roma jam accepisset. Notandum est, & Juvenalis ita intelligendus:

*Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.*

Scholiastes ibi vetus: *Romanos Tullo rege movere ea sacra, & transferre voluisse: sed magnam lapidationem de cœlo factam. Et jussi*, inquit, *ex libris Sibyllinis Pontifices ex* Sc. *sacra Albæ renovare inde ibi perseveranti deo; & Vestam minorem dixit, ad compositionem*. Ecce, Tullo rege, notum Albam dirutam, & cives Romam traductos: tamen sacra illa Vestæ ait Scholiastes mansisse, monitu divino, & lapidatione territos amovere. Addit & de *libris Sibyllinis*: quos refert scilicet ad Tulli ævum, non Tarquinii Superbi, ut plures. Sed cum Scholiaste etiam Varro facit. Additque, *perseverasse*, quod clarius in eo meliusque scribas: *renovare*. *Inde ibi perseverant, ideo & Vestam*. Sane perseverarunt, etiam Symmachi ævo, atque ille in epistola quadam lib. IX. *epist.* CXX. *Incestum Primogeniæ, apud Albam Vestalis antistitis*, iterumque in epistola sequenti. Igitur etsi Romam inde traducta, non tamen Albæ sacra esse desierunt. Sed quando traducta? Plutarchus *in Romulo* ambigit: & *Fama est*, inquit, *Romulum etiam Ignem sacrum instituisse, & Virgines legisse, quas Vestales vocant: sed alii tribuunt hoc Numæ*. Propertius quidem palam Romulo, de Tarpeja, quam facit sacerdotem Vestæ, lib. IV. *Eleg.* IV.

*Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,*
*Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas:*

& passim, tota Elegia. Sed Dionysius abit, atque adeo refellit, aitque lib. II. *Romulum dumtaxat focos singulis curiis constituisse, nullum Vestæ publicum; memorem dedecoris, quod mater in Deæ ejus sacerdotio subisset. Argumentum huic rei certum, quod Vestæ ædes sita extra Romam quadratam, quam Romulus condidit: non futurum, si ille auctor. Nam publicum*, inquit, *focum solent omnes in præcipua urbis parte collocare*. Tamen & Cicero *de Harusp. resp.* in priorem ire videtur: *Quod sacrificium tam vetus est, quam hoc* (Vestalium) *quod a regibus æquale huic urbi accepimus*. Si æquale, ergo a Romulo. Sed tamen communior fama ad Numam refert, de quo Livius: *Virgines Vestæ legit*,

A *Alba oriundum sacerdotium, & genti conditoris* (ob Iliam scilicet) *haud alienum*. Idem Dionysius, Plutarchus, alii.

## CAP. III.

*Numam templum sacrasse, atque id rotundum: viris noctu interdictum. Nulla ibi statua: & tamen vulgo ejus imago.*

Atque adeo Templum Vestæ instituit, & quidquid ad certum & sollemnem ejus cultum. Id fuit situm *inter Capitolium & Palatium, medio fere spatio*: diserte Dionysio scriptum,
B & extra Romuleam urbem, quæ radicibus Palatii fere terminabatur. Indicat & Livius: *In Nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ*. Nam via hæc Nova ex Palatii parte, juncta Romano foro: & in Fori parte ipsa ædes. Condidit Numa anno Urbis quadragesimo, id est, regni sui secundo, quod Ovidius ita notat v. *Fastor.*

*Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,*
*Cum flammæ custos urbe recepta Dea est.*
*Regis opus placidi, quo non metuentius ullum*
*Numinis ingenium terra Sabina tulit.*

C Ostendit deinde olim vile, nunc ære & marmore nituisse. Ære, in tecto: sed, ut opinor, aurato:

*Quæ nunc ære nitent, stipula tum tecta virebant,*
*Et paries lento vimine textus erat.*

Addit, [1] rotundam olim & tunc fuisse:

*Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuisse dicitur: & formæ caussa probanda subest.*

Caussam addit plusculis versibus, quia Vesta Terram notat, Terra autem rotunda. Quod ipsum
D in Festo: *Rotundam ædem Vestæ Numa rex consecrasse videtur, quod eamdem esse terram, qua vita hominum sustineretur, crediderit, eamque in pilæ formam esse, ut simili templo Dea coleretur*. Servius amplius, nescio an vere, suggerit, *Ædem hanc potius quam Templum fuisse, neque inauguratum a Numa, ne Senatus ibi haberi posset*. Etsi tamen nefas non fuit viros intrare, sed penetrare, Dionysius indicat: qui scribit, *de die patuisse* OMNIBUS, *at* PERNOCTARE *fas fuisse nemini masculo*. Docet & Neronis factum (in Tacito XV. *Annal.*) qui *super profectione sua veneraturus Deos, adiit Capitolium & Vestæ quoque templum inivit*. Sed & Piso
E (apud eumdem) *pervasit in ædem Vestæ*. Viri igitur intrabant, sed non pernoctabant, neque ad intima, ut dixi, penetrabant. Ideo Metellus Pontifex, sacra ab igne erepturus, apud Ovidium profatur:

1. Rotundam olim & tunc fuisse.) *Docent Nummi, ut isti, atque alii plures.*



*Sacra vir intrabo, non adeunda viro.*

nempe illa penetralia, & quo solæ Virgines ibant. In hac autem æde negant simulacrum ullum fuisse. Ovidius:

*Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi,*
*Mox didici curvo nulla subesse tholo.*

Simile in Græcia. Pausanias *in Corint.* Παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἐστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτῷ θύουσι: *Progredientibus in Vestæ, simulacrum nullum occurrit, Ara tantum, & in ea Vestæ sacrificant.* Caussam Fastorum ille conditor reddit:

*Ignis inextinctus templo celatur in illo,*
*Effigiem nullam Vesta nec Ignis habent.*

Quæ ut ita sint, tamen Vestæ imago passim in Nummis aut Statuis expressa, hodieque exstat: Plinius [1] sedentem effingi solitam ostendit, a stabilitate: sed Nummi hoc amplius, & sedentem exprimunt, & altera manu facem, altera discum sive pateram libatoriam præferentem: cum inscriptione, VESTA. P. R. QUIRITIUM. De Face, ad ignem pertinet: de Disco, ad sacrificia sollenniter & perpetim oblata. Suidas Tympanum ei tribuit: nescio an in veteribus spectionibus observatum. Γῆς ἄγαλμα, inquit, γυναῖκα πλάττουσι τὴν Ἑστίαν, οἱονεὶ τὴν γῆν τύμπανον βαστάζουσαν, ἐπειδὴ τοὺς ἀνέμους ἡ γῆ ὑφ' ἑαυτὴν συγκλείει: *Terræ effigies, mulierem formant Vestam, tamquam Terram, Tympanum præferentem: quoniam ventos terra intra se concludit.*

1. Sedentem effingi solitam) *Crebro, sed etiam stantem: & figuras aliquot e Nummis vide.*




## CAP. IV.

*Aliud ab Augusto Vestæ templum, item de Regia, & Atrio Vestæ.*

ATQUE hoc Vestæ igitur templum: estne aliud? aliud, Falsum, & Verum. Falsum, quod antiquarii hodie adtribuunt, ad Tiberim, juxta Forum Piscarium, sub Aventino, Ædicula exstat; forma rotunda, & extra murum interiorem columellæ XVIII. velut porticum formant. Quia rotunda, quia extra pomœrium Romuli, faciunt veterem illam Numæ esse. Falli arbitror, nec assertor huic opinioni, in isto quidem loco, erit: & quis nescit aliorum quoque Deorum templa sæpe ea forma fuisse? Quod autem extra Romuli pomœrium: valde quidem, etiam extra Numæ: sed ante docuimus, hanc veram a nobis descriptam, item extra finitionem illam fuisse. Ergo hæc valeat: altera est vera, & a me eruenda, in Palatio collocanda. Ovidius in extrema Metamorphosi palam de ea:

*Vestaque Cæsareos inter sacrata penates,*
*Et cum Cæsarea tu Phœbe domestice Vesta.*

Viden' duo numina in Palatio dicata, Vestam & Apollinem? Quod idem poeta clarius etiam, in *Fastis* lib. IV. extremo:

*Aufert Vesta diem, cognati Vesta recepta est*
*Limine: sic justi constituere patres.*
*Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit:*
*Quod superest illis, tertius ipse tenet.*

Diem quartum Kalendarum Maii, inquit, *Vesta aufert.* Quare? suntne tunc Vestalia? non illa prisca quidem, quæ incidunt in quintum Idus Junii, ipso Ovidio attestante, lib. VI. & marmoreis Fastis. Nam in his hodie insculptum eo die legitur, VEST. NF. PR. quod significat, VESTALIA. NEFAS PRÆTORI. Prior autem ille dies iisdem Fastis in Aprili non signatur: quia novellus, & dedicationis modo index. Nam Augustus, cum omnino in Palatio habitare vellet, & mos tamen ac cerimonia haberet Pontificem Max. in domo publica, juxta Vestæ, habitare: ipse Vestam potius ad se transtulit, & Sc. partem domus suæ publicavit, atque alteram illi consecravit. Ovidius notat, Patres ita censuisse: qui scilicet proni tunc valde in Principum desideria sive affectus. Et poeta quidem clarissime: sed & in aliis scriptoribus sunt quæ eo ducant: Dio scribit lib. LIV. Ἐπειδή τε τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος, ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη, οὔτ' οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβεν, ἀλλὰ μέρος τι τῆς

ἑαυτȣ̃, ὅτι τὸν ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημοσίωσε. *Postquam Lepido mortuo Pontifex Max. designatus est* ( Augustus ) *nullam domum publicam accepit, sed partem suæ, quoniam omnino Pontificem in publico habitare oportebat, publicavit*. Imo non partem tantum, sed mox totam. Ita enim idem scriptor lib. LV. Ὁ δὲ Αὔγȣςος τὴν οἰκίαν οἰκοδομήσας, ἐδημοσίωσε πᾶσαν, εἴτε διὰ τὴν συντέλειαν τὴν παρὰ τȣ̃ δήμȣ οἱ γενομένην, εἴτε ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, ἵν' ἐν τοῖς ἰδίοις ἅμα ϗ τοῖς κοινοῖς ο ἰκοίη: *Augustus domum cum exædificasset, totam publicavit: sive quia collato ære a populo struxerat, sive quia Pontifex Max. cum esset, ut in propriis simul & publicis ædibus habitaret*. Secunda caussa verissima est. Suetonius, de Julio Cæsare cap. XLVI. *Habitavit primo in Suburra, post autem Pontificatum max. in Sacra via, domo publica*. Agnoscisne *Domum publicam* in Pontifice? & quidem Sacra via, non procul a Vesta? Etsi Regis Sacrificuli domus fuisse etiam videtur propior, quam ipsam Vestalibus Augustus dono dedit. Ita enim Dio ibidem lib. LIV. narrat, & subdit: Τὴν μέν τοι τȣ̃ βασιλέως τῶν ἱερῶν (ita hæc legenda) ταῖς ἀειπαρθένοις ἔδωκεν, ἐπεὶ ὁμότοιχος ταῖς οἰκήσεσιν αὐτῶν ἦν: *Et tamen illam domum, quæ Regis sacrorum erat, Virginibus Vestæ dono dedit; quoniam ædibus earum* CONTIGUA *hærebat*. De qua domo *Regis*, in Festo aliquid legas, *Via Sacra*, & inibi fuisse. An quia ipsam *Regiam*, exemplo Numæ, incoluit; an quia in vicino? De Regia quidem, Ovidius:

*Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat, & ignem:*
*Hic fuit antiqui regia* PARVA *Numæ*.

Meminit Cicero *pro Mil. Nuper quidem ad Regiam me pene confecit*. Horatius lib. I. *Odar.*

*Vidimus flavum Tiberim, retortis*
*Littore Etrusco violenter undis,*
*Ire dejectum monumenta Regis*
*Templaque Vestæ*.

Ibi Scholiastes: *Regiam dicit Numæ Pompilii, qui ad Vestæ suam habuit Regiam*. P. Victor, in descriptione Urbis: *Regia Numæ, & Templum Vestæ*. Ibidem & *Atrium Vestæ*; quod Regiæ huic adjunctum, etsi Ovidius confundere videatur:

*Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,*
*Tunc erat intonsi regia magna Numæ*.

Nempe & ille locus pars Regiæ erat: non ipsa illa tota. Hoc Atrium Virginum habitationi serviebat, ut Regia proprie dicta Pontificum. Agellius lib. I. cap. XII. *Virgo Vestalis simul est capta, & in atrium Vestæ deducta*: sicut nupta in domum. Plinius: *Virgines cum vi morbi Atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ custodiæque mandantur*. Observa igitur illic egisse: sed vi morbi exisse, quia locus scilicet parum laxus, nec ægrorum curæ. Etsi major tamen, jam ab Augusto, Regia etiam, ut dixi, iis concessa: sed neque sic amplus.

## CAP. V.

*Vestales sacerdotes, Virgines captas, quo ævo, quo numero.*

SATIS de ipsa Dea, & templo: de ministerio alioque ejus cultu videamus. Ministræ Vestales fuere, atque eæ Virgines. In Ovidio duplex caussa. Prior, quod Juno & Ceres, sorores Vestæ,

*Utraque nupserunt: ambæ peperisse feruntur:*
*Restitit impatiens de tribus una viri.*

Nempe hæc Vesta. Ergo,

*Quid mirum, virgo si virgine læta ministra,*
*Admittit castas in sua sacra manus?*

Altera caussa, quod Vesta Ignis, qui nihil gignit,

*Nataque de flamma corpora nulla vides.*
*Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,*
*Nec capit: & comites virginitatis amat.*

Cicero & duas alias dedit: *Vestæ colendæ*, inquit, *virgines præsunt, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis: & sentiant mulieres, in natura fœminarum omnem castitatem peti*. Advigilent facilius, quare? quia liberæ a viro, prole, aliis curis. Castitatem peti, quomodo? cum virgines placere Diis vident, ipsæ, pro parte sua quæque, sint castæ. Alii libri, *pati* habent, non *peti*. Tum mallem, *mulieres, naturam*. Potest & ab exemplo esse, nam Plutarchus scribit, *in Græcia quoque, ut Athenis & Delphis, & sicubi servatur æternus ignis, præesse si non Virgines, tamen Viduas & a viro castas*. Ejus ergo Romæ obtinuit, ut parvæ & tenera ætate caperentur, certæ pudicitiæ, & vitii expertes. Labeo Antistius scripsit, *minorem quam annos sex, majorem quam annos decem natam, capi fas non esse*. Prudentius aspicit II. *contra Sym.*


*Ac primum parvæ teneris capiuntur in annis,*
*Ante voluntatis propriæ quam libera secta*
*Justa maritandi condemnet vincula sexus.*

Et Augustus, apud Suetonium cap. XXXI. *Cum in demortuæ Vestalis locum aliam capi oporteret, ambirentque multi ne filias in sortem darent; adjuravit, si cujusquam neptium suarum ætas competeret, oblaturum se fuisse eam*. De ætate, palam vides: & hoc quoque, ægre parentes in hanc velut custodiam, & adactam virginitatem, suas dedisse. Etsi multæ tamen non erant, nec crebræ istæ lectiones. Nam Numa in universum quatuor eas instituit, cepitque: *Geganiam, Veraniam, Canuleiam, Tarpeiam*: uti nomina hæc a Plutarcho produntur. Duas deinde alias Servius Tullius addidit, ut Plutarchus; sive ante eum potius Tarquinius Priscus, ut Dionysius adserit, & addit, *ad suam ætatem eum numerum sic mansisse*. Quo fortasse Valerius respexit, cum de hoc Tarquinio: *Dilatavit imperii fines, cultum deorum novis sacerdotiis auxit*. Neque enim legere memini, de aliis ab eo sacerdotibus institutis. Cæterum de numero isto, etiam Festus: *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ sunt, ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum: quia civitas Romana in sex est distributa partes, in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres*. Unus Ambrosius aliter, qui septem eas facit, *Epist.* II. *contra Sym. Quot tamen illis Virgines præmia promissa fecerunt?* ( puto, *ferunt*, legendum ) *vix septem Vestales capiuntur puellæ*. An tamen [1] non *sex* potius tibi

## NOTÆ.

1. Non *sex* potius ibi rescribendum. ) *Dubito, nec temere fecerim, nam & Ambrosius voculam* vix *addidit, quasi negantem, certe minuentem. Sunt etiam Nummi Faustinæ Augustæ, quæ uxor M. Antonino Philosopho fuit: in quibus sex sacrificantes Virgines ad aram, & una parvula septima, quam suspicantur discipulam esse, & nondum legitimam sacerdotem: ideoque scite & caute Ambrosium dixisse*, Vix septem. *At ecce sunt, qui Puerum hunc faciunt, & sacrorum camillum: & sane difficile, certo ex Nummis arbitrari. Etiam C. Antonius Hopperus, magni illius Præsidis filius, antiquitatum harum peritus, addubitabat an Vestales essent, ob templi formam: quæ non rotunda, sed angularis conspicitur, aliter quam in reliquis de Vesta Nummis. Sed & alii extant* Lucillæ *inscripti, sub id ævi, ubi sex tantum Virgines comparent, nulla illa minore adstante. Itaque iterum ad incertum redigimur: sed Nummi sunt isti. Vide.*

rescribendum ? [1] an Augustum, qui pleraque sacerdotia numero, etiam Vestale hoc censemus auxisse? & aliud quod suspicer non habeo: nam quod quidam prætendunt aut excusant, *Vestalem maximam* extra senarium illum numerum fuisse, ab Ambrosio autem includi, quis dicit? aut quæ ratio est? Quin vel maxime ea Vevalis, & in ministerio sacrorum sola ætate antecedens.



1. An Augustum. ) *Neque id sedere omnino potest, cum Plutarchus, post sex enumeratas, addat:* Καὶ διατηρῆσαι μέχρι χρόνων τούτων τὸ πλῆθος: & servasse usque ad sua tempora, eum numerum. *Si ad sua, id est, Trajani, quomodo Augustus auxerit?*

C

## CAP. VI.

*Alia in capiendo spectata, servataque. Sortem, aut Oblationem, intervenisse.*

QUOT captæ fuerint, vidimus: nunc & Modum capiendi collustremus. Hoc enim verbo sollenniter utebantur: caussamque dat Agellius: *Capi virgo propterea dici videtur, quia Pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur.* Cepit primas ipse Numa: &, ut Dionysius ait, *jus deinceps capiendi voluit apud Reges esse*. At pulsis Regibus, Pontifex maximus in locum venit: sed non libera prorsus electione, legibusque suis adstricta. E quibus *Papia* fuit ( in Agellio lib. I. cap. XII.) *qua cavetur, uti Pontificis maximi arbitratu virgines e populo viginti legantur: sortitioque in concione ex eo numero fiat: & cujus virginis ducta erit, ut eam Pontifex maximus capiat, eaque Vestæ fiat.* Ait primum, *Pontificis arbitratu legi*, quo sensu? neque ut jus probandi rejiciendique ipse habeat, & sitne idonea, dijudicandi. Nam non Aetatem solum, sed Genus, Corpus, quæque adhærent, inspici solent, & ut omnia apta honestaque ministerio essent. In Genere quidem, ne, *cujus parentes, alter ambove servitutem servissent: aut in negotiis sordidis diversantur*. Item excusari, *cujus pater Flamen, Augur, Quindecimvir, aut Septemvir, aut Salius est*: & talia minuta, quæ in Agellio legas. In Corpore, *ne lingua debili, sensuve aurium diminuta, aliave qua corporis labe insignita sit*. Quæ adhærent: *ut patrima sit & matrima, ut ne emancipata sit*: & talia, dicto loco videnda. Sequebatur in lege, *Virgines viginti*. Magno satis numero, ad unam duntaxat capiendam: sed caussa est, ut sors levior accidat, sparsa sic per plures: Addit, *E populo*. Toto, inquam, populo, non e patriciis tantum, sed & plebeiis. Imo vero Augusti ævo, præter legem moremque veterem, etiam ex libertinis captæ. Dio Cassius lib. LV. Ἐπειδὴ τε οὐ ῥᾳδίως οἱ πάνυ εὐγενεῖς τὰς θυγατέρας ἐς τὴν τῆς Ἑστίας ἱερατείαν

A ἐπεδίδοσαν, ἐνομοθετήθη καὶ ἐξ ἀπελευθέρων γεγενημένας ἱερᾶσθαι: *Quoniam haud prompte ii qui plane nobiles erant, filias ad Vestale sacerdotium darent, Lege statutum est etiam e libertinis natas posse capi.* Sequitur, *Sortitionem in concione fieri*. In concione, comitiis, puto, Curiatis: ut coram testibus res fieret, & dignitas sacerdotio adcresceret dignitate actionis. Sortitio autem adhibita, ut quasi divinitus legi excerpique e pluribus talis videretur. Facit huc Suetonii illud supra. *Ambirentque multi ne filias in sortem darent*. Tangit & Sortem Dio, post superiora illa verba, additque; *cum sortitio facta esset, Libertinam nullam tunc ductam*. Nec tamen semper ad Sortem ventum: Oblatio locum habebat, & talis ( si apta) præferebatur. In

B Agellio: *Si quis honesto loco natus adeat Pontificem maximum, atque* OFFERAT *ad sacerdotium filiam suam, gratia Papiæ legis per Senatum fit*. Omittitur scilicet, Sc. interveniente, sortitio. Vox Augusti huc spectabat, *Si neptium suarum competeret ætas*, OBLATURUM *se fuisse eam*. Taciti item narratio: *Rettulit Cæsar* ( tamquam Pont. maximus ) *capiendam Virginem in locum Occiæ: egitque grates Fontejo Agrippæ, & Domitio Pollioni, quod* OFFERENDO *filias, de officio in rempublicam certarent*. Addit deinde in ipsa oblatione electionem & arbitrium: & *prælatam Pollionis filiam, non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio maneret*: id est, univira esset, quæ ipsa species aliqua castitatis. Habet deinde lex, *Eam Pontifex maximus capiat*. Atque ipsa verba sollennia, ex libro primo Fabii Pictoris, recenset illustris Noctium scriptor: SACERDOTEM. VESTALEM. QUÆ. SACRA. FACIAT. QUÆ. IOUS. SIT. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPLO. ROMANO. QUIRITIBUS. UTI. Q. QUÆ. OPTUMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Adjicit Agellius: AMATA *inter capiendum a Pontifice maximo appellatur, quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est*. Sed ubi prima capta? Si Romæ, & a

D Numa: Plutarchus redarguit, qui quatuor nominat, nec ullam inter eas *Amatam*. Sin Albæ, aut Lavinii; hoc nescio, & in medio relinquo.

## CAP. VII.

*Disciplina captarum: gradatio & adscensus: tempora ministerii: & Virgo Maxima.*

E SED jam igitur captæ, & sic puellæ ac teneræ: quid deinde? Disciplina sequitur, & quomodo ad ministeria sua factæ. Deducebantur in Atrium Vestæ, atque ibi a senioribus ad ritus & cerimonias omnes ( plusculæ erant ) instructæ. Nam in tres velut classes, etsi parvus hic numerus, dividebantur: Discentium, Exercentium, Docentiumque. Seneca, *de Vita Beata* cap. XXIX. *Virginum Vestalium more, quæ annis inter officia divisis, discunt facere sacra, & cum didicerint, docent*. Dionysius etiam distinctius: *Tempus tricennale manere eas oportet, castas & a nuptiis vacuas, sacra ex more facientes, quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere*. Pulchra divisio:

F & eadem alibi in Plutarcho, *An seni ger. sit Resp.* Itaque non nisi XXX. annos obligabantur, & post id tempus licitum nubere, haud pessima adhuc ætate. Nam pone ab anno VII. (id licebat, ingressam: ergo anno XXXVII. fas virum quærere) & ætate etiam frui. Ambrosius hoc irridet: *Qualis est ista non morum pudicitia, sed annorum? quæ*

*non perpetuitate, sed ætate præscribitur?* Ergo & interdum nubebant, ut illa in Prudentio:

*Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore.*

etsi antiquitus observatum, infaustas fere & parum lætabiles eas nuptias fuisse. Sed, ut dixi, non nisi triginta annis obligabantur: ante autem nefas excedere. Ideo Symmachus lib. IX. *epist.* CIII. ut Pontifex, Vestalem quamdam increpat: *Diceris ante annos legibus definitos Vestali secreto velle decedere; nondum credo rumori, sed assertionem tuæ vocis exspecto.* Hoc illam tunc sub Christianis Principibus ausam opinandum est, nostræ religionis zelo sive velo: sed olim silendum manendumque, aut in mundo pœna erat. An eadem autem annorum terminatio Albæ, unde oriundum hoc sacerdotium? Dionysius abnuat, si verba ejus germana, de Ilia lib. I. Πενταετοῦς δὲ οὐκ ἐλάττω χρόνον ἔδει ἁγνὰς διαμεῖναι γάμων: *Quinquennio autem, nec minus, oportebat a nuptiis castas manere.* Itane quinquennio tantum? vanitas: imo πεντηκονταετοῦς, *quinquaginta annos*, in Dionysio legendum, ut lex Albana paullo durior Romana etiam fuerit, quod Livius subindicat, qui tradit de hac ipsa Ilia, *perpetua virginitate spem partus ei ademptam*: & item Zonaras, qui, παρθένον διὰ βίου, *virginem perpetuam* dicit. Consideretur, ego observo, plerasque ad ultimam ætatem in sacerdotio perseverasse: & exemplum in Tacito, de Occia: quam scribit, *septem & quinquaginta per annos, summa sanctimonia, sacris Vestalibus præsedisse.* Ergo XX. circiter annos mansit, ultra suum tempus. Quod *Præsedisse* ait, non traho ad dignitatem, & quasi *Maxima* fuerit (vix anni illi admittant:) sed omnes *Præsidere* sacris, itemque *Antistites* vel *Antistæ* dicuntur. Livius aperte, de omnibus: *ut assiduæ templi antistites essent*, & Symmachus lib. IX. *Primogeniæ dudum apud Albam Vestalis antistitis.* Etsi ordo tamen inter eas fuit, sed ministerii & ætatis. Una enim quæ vetustissima, *Maxima* dicebatur. Ad ætatem, inquam, id referendum, atque ita Ovidius IV. *Fastor.*

*Igne cremat vitulos, quæ* NATU MAXIMA *virgo est.*

Suetonius, Julio cap. LXXXIII. *Testamentum ejus demandatum virgini Vestali Maximæ.* Idem, in Domitiano cap. VII. *Damnatam ab eo Corneliam virginem Maximam*: quæ male in Plinii epistolis lib. IV. *Epist.* XI. *Cornelia Maximilla.* In lapidibus sæpe: V. V. MAXIMÆ. quod est, *Virgini Vestali Max.* Quæ ipsa Dioni lib. LIV. ἡ πρεσβεύουσα: & Tacito XI. *Annal. Vestalium vetustissima* nominatur.

## CAP. IIX.

*Munera earum, primumque tutela Ignis. Perpetuum hunc fuisse: si defiisset, pœna Virginum & flagra: iterumque instauratio.*

NUMERUM, *Capturam, Disciplinam, Ordinem*, habemus: ad *Munia* earum transeamus. Neque enim vacuæ umquam aut feriatæ habitæ: sed plures frequentesque operæ, & mireris tam paucas sufficisse. Tria præcipua, in quibus deditæ: *Vigilare, Adservare, Sacrificare.* Vigilia ad Ignem spectavit, quem sine intermissione ali opus, & reparari. Itaque *Æternum* sive *Sempiternum* dicebant. Cicero II. *De Legib. Virginesque Vestales in Urbe custodiunto ignem foci publici* SEMPITERNUM. Silius:

*Et vos Virginea* LUCENTES SEMPER *in ara*
*Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.*

Florus, de Numa: *In primis focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum cælestium siderum custos imperii flamma vigilaret.* Vult, sicut sidera æternum lucent, sic debere, virginum assidua cura atque opera, hunc Ignem. Atque ita erat. Nam ignis σβέσιν (ait Dionysius) ὑπὲρ ἅπαντα τὰ δεινὰ Ῥωμαῖοι δεδοίκασιν, ἀφανισμοῦ τῆς πόλεως σημεῖον ὑπολαμβάνοντες. ἀφ' ἧς ποτ' ἂν αἰτίας γένεται: *Exstinctionem, super omnia gravia & timenda, Romani timent: interitus aut imminutionis Reipublicæ id signum interpretantes, a quacumque tandem caussa evenerit.* Livius cum eo, lib. XXVIII. *Plus omnibus aut nunciatis peregre, aut visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in æde Vestæ exstinctus.* Et miseras Virgines, si evenisset. Nam *ignis Vestæ* (ait Festus) *siquando interstinctus esset, verberibus afficiebantur a Pontifice.* Sed pudore virgineo tamen salvo, *in loco obscuro, & velo medio interposito*, uti Plutarchus notavit. Exempla autem hujus castigationis in historia, ut Valerio lib. I. cap. I. *P. Licinio Pontifici maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens ignis æterni custos fuisset, digna visa est quæ flagro admoneretur.* In Livio lib. XXVII. *Ignis in æde Vestæ est exstinctus, cæsaque flagro Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat.* Nota de *Flagro* utrobique: quæ servilis castigatio, nota etiam de *custodia ejus noctis*, ut per vices ivisse videatur, & singulæ suis noctibus duntaxat excubasse. Quod si autem exstinctus; sua & certa ratio accendendi iterum erat: quam Dionysius alibi se dixisse profitetur: sed nempe in libris, quos fatum invidit. Est ea tamen in Festo: & *Mos erat*, inquit, *tabulam felicis materiæ tandiu terebraræ, quousque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Quam rationem eliciendi ignis Simplicius in Aristotelem etiam agnoscit III. *De Cælo.* Ἀπὸ ξύλων δὲ πῦρ ἐκβάλλουσι, θάτερον τῶν ξύλων, ὡς τέρετρον, ἐν θατέρῳ περιστρέφοντες: *Ignem e lignis excutiunt, alterum lignorum,* [1] *tamquam terrebram, in altero circumvertentes.* Tangit & Isidorus Pelusiota lib. II. *epist.* X. & hodie adsidue usurpant occidui orbis Indi. Similem cerimoniam Græcis fuisse, Plutarchus tradit: sed paullo diversam. Nam siquando sacer ibi ignis devixit, *negant eum fas esse ex alio igne accendi, sed novum parandum eliciendumque ex ipso Sole. Quod faciunt* [2] *scaphiis sive vasculis, quæ parantur ex latere Trigoni rectanguli, quod duo latera*

## NOTÆ.

1. Tamquam terebram, in altero circumvertentes.) *Hoc genus Igniarii Theophrastus agnoscit: V. de Plantis, in fine: ubi &* Terebram *e Lauru sæpe factam ostendit.* Πυρία μὲν, *inquit*, γίνεται ἐκ πολλῶν, ἄριστα δὲ ἐκ καρύου: *& addit alia quædam item ligna, ut Rhamnum. Tum deinde:* Δεῖ δὲ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτων ποιεῖν, τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης: Igniaria e multis lignis fiunt; optima e nuce juglande. Oportet autem receptaculum ex illis facere; at terebram ex lauru. *Hunc locum opportune suggessit vetus amicus, Hieronymus Mercurialis, litteraria omni doctrina, & simul (raro exemplo) medicina clarissimus.*

2. Scaphiis sive vasculis.) *Ea sunt ex ære, & a Vitruvio* Scaphia *item appellantur. De forma, aut formatione, obscuriuscula Plutarchi verba: etsi interpretatione aliquid ego alluxi. Vult autem dictum, ex circumvolutione* Trianguli, rectanguli, æquicruri (ἰσοσκελοῦς *sic vertam*) *Vascula ista oriri, patula superne, & in arctum coeuntia. En figuram.*



*æqualia habeat: devergunt autem ex circumferentia in unum centrum. Cum igitur Soli opponuntur, ut radii ejus in ipsum centrum cogantur & implicentur, aere attenuato, fomenta levissima & siccissima opponunt, quæ facillime per renixum & reflexionem concipiant accensum ignem.* Hæc ita alibi: Romæ, ut dixi. Addo, etiam sine interstinctione ulla Ignis, solere novum accendi, novo anno. Macrobius lib. I. *Saturn.* c. XII. *Prima die Martii, ignem novum Vestæ aris solent accendere, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet.* Ovidius:

*Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde*
*Dicitur, & vires flamma refecta capit.*

Uterque adducit, & argumentum habet, pro Martio, duce olim anni: ut sciamus annum, cum vestales a Numa institutæ, nondum sic auctum & correctum. Nam Martius certe postea non princeps. Addit Ovidius III. *Fast.*

*Vesta quoque ut niteat folio velata recenti,*
*Cedit ab Iliacis laurea cana focis.*

Eodem illo primo die reliqua scilicet innovabant, & laurus veteres tollebant, novas surrogabant.

## CAP. IX.

*Servabant & imperii pignus, varia interpretatione: etsi plerique ad Palladium trahant. Quid illud, unde, ubi?*

ALTERUM Munus dixi fuisse, *Adservare*. Quid autem? arcanum IMPERII PIGNUS, ut appellabant. Livius lib. XXVI. *Vestæ ædem petitam; & æternos ignes, & conditum in penetrali fatale imperii pignus.* Lucanus lib. IX.

*—— in abstruso pignus memorabile templo.*


Ovidius VI. *Fast.*

*Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ.*

Seneca pater III. *Controv.* lib. I. *Veniet ad colendum Romani imperii pignus carnificis manu incesta?* Quid autem pignus istud & cujusmodi fuerit, in arcanis habebant; & ideo variant auctores. Dionysius ait: Ἐσὶ δὲ τινες οἵ φασιν ἔξω τοῦ πυρὸς ἀπόῤῥητα τοῖς πολλοῖς ἱερὰ κεῖσθαί τινα ἐν τῷ τεμένει τῆς θεᾶς, ὧν οἵτε ἱεροφάνται τὴν γνῶσιν ἔχουσι καὶ αἱ παρθένοι: *Sunt qui asserant, præter ignem, arcana & multitudini non efferenda sacra, in deæ templo esse deposita, quorum Pontifices notitiam habeant, itemque ipsæ Virgines.* Addit signum huic rei certum, quod cum templum olim arderet, L. Metellus Pontifex, trepidantibus Virginibus, irrupisse in ardens penetrale dicitur, & Sacra e flammis eripuisse: id quod subscriptum statuæ ejus in Capitolio legebatur. Iterumque Dionysius: *Huic rei confessæ, addunt conjecturas suas, alii servari sacrorum partem e Samothracia, quæ Dardanus Trojam, Æneas in Italiam advexerit: alii cælo delapsum Palladium, quod verum idem Aeneas adsportarit, nam falsum & adsimilatum Achivos furto sustulisse.* Hæc ille: videamus. Prima opinio de *Sacris Samothracum*, quæ & in Plutarcho *in Camillo* expressa: *censere quosdam, deos Samothracum hic condi:* [1] quos cum Penatibus alii confundunt. Videaturque Tacitus in hac parte, ubi de Neroniano incendio XV. *Annal. Numæ regia, & delubrum Vestæ, cum Penatibus populi Romani exusta:* quasi Penates ecce illic asservati. Sed

## NOTÆ.

1. Quos cum Penatibus alii confundunt.) *Et Nummi sunt, qui huc facere videntur, & Penates Vestæ jungunt, ut iste:*




potest

poteſt & aliter capi, ut Veſtæ delubrum, itemque Penatium templum, haud procul inde in Velia, ſint exuſta. Altera opinio, de *Palladio*, quæ in vulgus maxime recepta eſt, & nobile illud fecit ac decantatum. Quid appellamus? [1] Palladis minutam effigiem, Græcanica ſermonis forma Euſtathius *in* I. *Iliad.* Τὰ τ̃ Παλλάδος εἴδωλα, Παλλάδια τοῖς παλαιοῖς ὀνομάζονται: *Palladis imagines Palladia antiquis appellantur.* Multa ſuper iſto multi: Apollodorus III. *Bibl.* intelligendo ſufficiet. *A cælo hoc delapſum eſt, & Ilo regi traditum. Erat autem magnitudine tricubitale: habitu quaſi ingredientis: dextra haſtam ſublatam præferebat, ſiniſtra fuſum & colum.* Exſtant in gente Julia Nummi, quibus Æneas inſculptus viſitur, ſiniſtra Anchiſem humeris tolerans, dextra Palladium iſtud geſtans. Itaque plurium, ut dixi, hæc opinio, Livii, ut apparet lib.V. *Quid de æternis Veſtæ ignibus,* SIGNOQUE, *quod imperii pignus cuſtodia ejus templi tenetur, loquar?* Signo, nempe hoc Palladis. Lucani certe:

*——— nullique adſpecta virorum*
*Pallas, in abſtruſo pignus memorabile templo.*

Obſerva, *nulli virorum:* ſolis ergo Virginibus fas videre. Idem poeta, de Veſtali lib.I.

*Trojanam ſoli cui fas vidiſſe Minervam.*

Sed nec Pontifici Maximo fas: etſi eſſe ſciebat & coli: ex Dionyſio ſupra adſtructum. Itaque nec impune Metello fuit vidiſſe, ut ſervaret. Plinius: *Metellus orbam luminibus exegit ſenectutem, amiſſis incendio, cum Palladium raperet ex æde Veſtæ.* Cæterum & Cicero in hac ſententia *Phil.* XI. *Qui* (Brutus) *ita conſervandus eſt, ut id ſignum quod de cælo delapſum Veſtæ cuſtodiis continetur: quo ſalvo ſalvi ſumus futuri.* Nam ait, *de cælo lapſum.* Propertius lib.IV. *Eleg.*IV.

*Palladis exſtinctos ſi quis mirabitur ignes,*
*Ignoſcat, lacrymis ſpargitur ara meis.*

Ubi & ipſum cultum ignium Palladi adſcribit. Sicut in Martyrologiis quibuſdam noſtris, *Daria ſcribitur Minervæ ſacerdos* fuiſſe: quæ aliis ſimpliciter eſt *Veſtalis*. Tertiam opinionem licet addere; ex Plutarcho *in Camillo*: *Qui plus in his rebus volunt ſapere, duo Dolia haud magna recondi ajunt, atque unum ex iis plenum eſſe, obſignatumque; alterum vacuum, utrumque tamen ſolis virginum oculis uſurpandum.* Quæ dant & capiunt lucem e Lam-

A pridio, in Eligabalo: *Qui penetrale*, inquit, *ſacrum auferre eſt conatus, cumque Seriam* (ſive Dolium) *quaſi veram rapuiſſet, quam Virgo Maxima falſam monſtraverat, atque in ea nihil repperiſſet, apploſam fregit.* Sed idem Lampridius an non ſubindicat in ipſa Seria Palladium hoc fuiſſe? Nam de eodem principe, an pecude, ait: *Signum quod Palladium eſſe credebat, abſtulit.* Incerta hæc igitur: & bono religioſoque animo Dionyſius; *Ego*, inquit, *adſervari a Virginibus non Ignem ſolum, ſed & Sacra quædam vulgo incognita, multis indiciis colligo: ſed quæ iſta ſint, neque me, neque alium qui religioſe deos & divina colit, inquirere curioſe oportere arbitror.* Atque

B ipſi ſane Romani velabant, ſi non vetabant. Itaque in operto habebant, in adyto & Penetrali, quod *Penum* vocabant. Feſtus: *Penus vocatur, locus intimus in æde Veſtæ tegetibus ſeptus: qui certis diebus circa Veſtalia aperitur. Ii dies religioſi habentur.* De eodem etiam Lampridius: Impius ille Eligabalus *Penum Veſtæ, quo ſolæ Virgines, ſolique Pontifices adeunt, irrupit.* Ergo & Pontifices? apparet, ſed non ut viderent. Adire, hoc ſatis iis fuit. Sed nonne ipſe Eligabalus, exemplo omnium Principum, tunc Pontifex maximus? certe, & Numi centeni dicunt. Quid ergo, Lampridi, culpas? hactenus non potes, niſi quod abſtulit tamen, & conatus videre. Nefas, atque ita Herodian. ut prodigioſam rem narrat lib.I.

C quod Commodi imperio *Veſtæ templum arſerit, & nudum viſum ſit Palladium, quod Romani & colunt maxime & celant*: *viſum, dico, tunc primum poſt allatum ab Ilo in Italiam.* Legas, & hæreas, ergone *tunc primum*? Atqui & a Metello Pontifice raptum ex incendio, & conſpectum una dicas (unde enim oculi aliter amiſſi?) & in Dione ſcriptum lib.LIV. ſub Auguſto *Veſtam arſiſſe, & Virgines Palladium extuliſſe, ac poſuiſſe in domo Auguſti.* Sed dicere licet ac credere, *nudum* non viſum, quod in Herodiano erat; ſed velamento ſuo, ſive Seria, obductum.

D Ac talis fortaſſe in Statio ſenſus, & alluſio: ubi Tydeus Palladi vota faciens, ait lib.II. *Thebaid.*

*Pervigilemque focis ignem longæva ſacerdos*
*Nutriet, arcanum non inſpectura pudorem.*

Hic Scholiaſtes vetus: *Arcanum Pudorem dicit, aut ejus ſimulacrum verum, id eſt, Palladium: quo quidam* (Metellus) *quondam viſo, privatus eſt viſu: aut virginitatem ejus.* Etſi magis pro verbis Statii

## NOTÆ.

1. Palladis minutam effigiem.) *In Nummis ſæpe expreſſam: & hic vide.*



videatur altera interpretatio de *Virginitate*, sive Virginal mavis dicere: atque eam partem in hoc signo semper, religione quadam obvelatam fuisse. Non ita in aliis, quæ nudare, lavare, ungere sollenne erat. Satis de Palladio; unum ex Dionysio subtexo ambiguæ vel obscuræ notitiæ lib. IV. *Nautium quemdam e comitibus Æneæ, sacerdotem Minervæ Urbicæ fuisse, ejusque simulacrum secum Troja extulisse; quod*, inquit, *asservabant alii ab aliis suscipientes, quicumque ejus gentis essent*. Estne de isto nostro, an alio? an jam olim dumtaxat adservavit ea gens, ante conditum Vestæ templum? Etsi Cedrenus *a Romulo Martis ædem sacratam* vult, *& in ea repositum tunc Palladium*. Ovidius etiam de auctore vel advectore Palladii satis incerto VI. *Fast.*

*Seu * genus Adrasti, seu furtis aptus Ulysses,*
*Seu pius Æneas, eripuisse ferunt.*
*Auctor in incerto est, res est Romana: tuetur*
*Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.*

* Diomedes.

## CAP. X.

*Sacra etiam assidua faciebant, an & Aquæ curabant? an Draconi? hæc inquisita; & aliquid de Deo Fonte.*

TERTIUM dixi Munus *Sacrificare*. Atque id adsiduum pene erat, diu noctuque. Seneca, de Providentia cap. V. *Quid porro? non est iniquum nobilissimas Virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui?* Prudentius II. *contra Sym.*

*Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur*
*Excubias, Latii pro majestate Palati.*

Et [1] in Nummis passim Vestalis sacrificat, ipso habitu quem Festus describit: *Armata virgo dicebatur sacrificans, cui lacinia togæ in humerum rejecta*. De quo cultu aliquid & idem Festus: *Suffibulum, vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales, cum sacrificant, semper habent: idque fibula comprehenditur*. De sacrificiis autem ipsis, aut eorum ritibus, longum & tenue sit hic dicere; omitto, quod dubium sit; magis inquiro. Etiamne Aquæ Virgines curabant? Ex Suida hoc adstruitur: Νουμᾶς τὰς Ἑστιάδας παρθένους τοῦ πυρὸς καὶ ὕδατος τὴν ἐπιμέλειαν ἔχειν προσέτρεψε: *Numa Virgines Vestales* IGNIS ET AQUÆ

A *curam habere demandavit*. Totidem fere verbis hoc legas in Georgio Cedreno. Cur tamen alii Veterum silent? aut quæ hæc Aquæ cura? Opinor non aliam, quam quod Fonti Camœnarum præessent, exque eo solo aquam ad sacra peterent. Possit sane aliquis ad Physiologiam referre, quasi duo rerum principia coli Numa voluerit: sed ad rem ritumque firmandum Plutarchus nunc adhibeatur. Ait, *Numam prata & campum, ubi plurimum cum Egeria versatus esset, Camœnis consecrasse*: tum addit: Τὴν δὲ πηγὴν, ἣ κατάρδει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθημέραν ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον: *Fontem autem qui locum irrigat*, AQUAM SACRAM *Virginibus Vestæ attribuisse, ut ex eo* COTTIDIE *haurientes*

B *purificarent & aspergerent sacram ædem*. Nisi hæc aqua sit, cujus curam gesserint, non reperio: ad cottidianam quidem lavationem illam, scio & Ovidium respexisse, dum de Silvia Vestali scribit:

*Sacra lavaturas mane petebat aquas;*

etsi ex alio fonte ea (quippe sub Amulio) sumpsit. Itemque in Persio *Sat.* II. hoc fine, *Vestales urnas* legas, & in Propertio de Tarpeja:

*Urgebat medium fictilis urna caput.*

Sed ut obiter addam, ille Fons Vestalibus dedicatus, sacer habitus, & in Deos etiam relatus, de-

C lubrum postea accepit: de quo Juvenalis *Sat.* III.


*Nunc* SACRI FONTIS *nemus &* DELUBRA *locantur Judæis.*

Cicero III. *De Divinat. Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit*. Festus: *Fontinalia, fontium sacra, unde & Fontinalis porta*. Imo singularie (& sic corrige) *Fontis Sacra*. Symmachus lib. I. *epist.* XIV. *Sed enim præterea etiam Camœnarum religio, &* SACRI FONTIS, *adnectitur*: ita malo, quam *advertitur*, ex scriptoris mente. Fuit & alia aqua Vestæ haud longinqua, Juturnæ fons & lacus: sed de ea, quod huc faciat, nihil legi. Simili in am-

D bage vel nube est, quod in Silvestri Pontificis Actis quibusdam legitur, *Draconis cum ora clausisse, & perpetuo ergastulo mancipasse: cui Kalendis singulis a Virginibus Vestæ suppeditari solita sint alimenta*. Nam quis Veterum tale aliquid? eoque sperni aut abjici a magnis viris, ut falsa, video: me cunctante, an non Tertullianus huc adspexerit, hisce verbis I. *ad Uxor.* cap. VI. *Romæ quidem, quæ Ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso* DRACONE

## NOTÆ.

1. In Nummis passim) *Sacrificia & sacrificantes exprimuntur, & item vasa sacrorum, ut in istis.*



A CURANTES; *de virginitate censentur*. Profecto dicit & Ignem curasse, & Draconem: utrumque in imagine futurorum. Neque nimis abhorream, talia quædam, præter morem veterem, novitia superstitione, & caussa aut casu aliquo, adsumpta: quæ ideo priscis nec dicta. Draconem quidem una cum Bona Dea cultum, hoc legi: sed quid ad Vestam? in qua pergo.

---

## CAP. XI.

*Præmia & privilegia earum. Jus testandi, Lictor,*
B *Carpentum, aliaque data.*

MUNIA & labores vidimus: nunc juste *Præmia* & honores, quibus ad illa excitatæ. Pleraque eorum Plutarchus exsequitur: & siquid desiet, addam. Ait: *Honores magnos Numa iis tribuit, veluti quod vivo patre testari possint, atque alia facere sine auctore* (ἄνευ προστάτου) *eo modo & jure, quo matribus trium liberorum id permissum. Item lictor præcedit exeuntes. Quod si reo, ad supplicium qui ducitur, fortuito factæ sint obviæ, is pœna liberatur. Oportet autem jurare, a casu, non a consilio, fuisse hunc occursum. Qui vero lecti-*
C *cam earum aut sellam qua vehuntur subit, morte id luit*. Hæc more nostro lustremus paullum, & illustremus. Ait primo, *jus testandi habuisse*, scilicet quia statim exibant e patria aliaque omni potestate: & ætatis deliquium leges benigne supplebant. Adeo ut vel *sexennes*, id est, primo anno quo captæ, testari possent. Sozomenus disertim I. *Eccl. Hist.* cap. IX. Οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι ἀδεῶς διατίθεσθαι τὰς Ἑστιατικὰς παρθένους, καὶ ἑξαετεῖς οὔσας, ἐνομοθέτησαν: *Prisci Romani libere testari Virgines Vestales, etiam sexennes, lege sanxerunt*. Addit Plutarchus, *Præmia habuisse, quæ trium liberum ma-*
D *tres*. At revera non Numa hoc (neque enim tunc de isto jure) sed Augustus instituit, quod Dio in loco & anno suo scripsit libro LV. Ταῖς, inquit, ἀειπαρθένοις πάνθ᾽, ὅσαπερ καὶ τεκοῦσαι εἶχον, ἐχαρίσατο: *Vestæ Virginibus omnia, quæ matres habebant, indulsit*. Alius honos: *præcedere & deducere lictorem*. Id quoque non a Numa, sed Triumviris referunt acceptum. Dio Cassius libro XLVII. Ταῖς ἀειπαρθένοις ῥαβδούχῳ ἑνὶ ἑκάστῃ χρῆσθαι ἔδωκαν: *Virginibus Vestæ singulis lictore uno uti dederunt*. Et caussam sive πρόφασιν addit, quod una aliqua earum vesperi a cœna rediens, & incognita, male habita ac violata esset. Tutela igitur & decus, Lictor
E additus. Seneca pater I. *Controv. Procedente hac lictor submovere jubebitur: huic Prætor via cedet: summum imperium Consules cedent tibi*. In eodem VI. *Controver.* ult. *Tibi Magistratus suos fasces submittunt: tibi Consules Prætoresque via cedunt. Numquid exigua mercede virgo es?* Attende: omnem honorem huic sacro ministerio, & ipsos Consules cessisse. Quartum in Plutarcho: *morte liberasse, illi addictos*. Credo: sed de Juramento fortuiti occursus nodum aut remoram habet, quomodo enim? cum nec jurare omnino Vestalis deberet? Ita sane in edicto Prætoris perpetuo, apud Agellium libro X. cap. XV. *Sacerdotem Vestalem, & Flaminem Dialem, in omni jurisdictione mea jura-*
F *re non cogam*. Nec de juramento controverto: tamen in foro auditas, & pro testimonio dixisse, Tacitus palam firmat II. *Annal. Missus est Prætor*, (de Urgulania quadam, gratiosa aulica) *qui domi interrogaret: cum Virgines Vestales in foro & judicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit*. Venisse igitur in forum, testes adhibitas, liquet: sed, ex Edicti verbis, non juratas dixisse, nisi si vellent. Nam est in Edicto, *non cogam*. Religionis igitur honore, voluerint vel injuratis credi.

Ultimum in Plutarcho: *Si quis lecticam subisset, morte plecti*. In Græco est, τὸ φορεῖον, *gestamen*. Quod commune nomen est, & plurimum Lecticam aut Sellam signat: atque ita latas, cum mos suadet, tum Ambrosii de ipsis verba *Contra Sym. Pompa lecticæ, ministrorum circumfusa comitatu*. Sed addo, & Pilento sive Carpento plurimum vectas. Prudentius:

*Fertur per medias, ut publica pompa, plateas*
*Pilento residens molli.*

Tacitus XII. *Ann. Suum quoque fastigium Agrippina altius tollere, carpento Capitolium ingredi: qui mos* (Vide me in Comment.) *sacerdotibus & sacris antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ*. Sacerdotibus, nempe istis Vestæ, sed & Flaminibus olim. Livius libro I. *Ad fidei sacrarium Flamines bigis, curru arcuato, vehi jussit*. Quis ille currus *arcuatus*? carpentum, id est, tectum superne, & cameræ in modum. Talia enim hæc fuisse, Nummi hodie dicunt, qui plures exstant: neque a *Thensa* nimis diversum fuit. Id quoque enim vehiculum sacrorum. Quia igitur ita tectum, & velut solidum perfectumque vehiculum; Dio Cassius dixisse videtur & circumscripsisse, ἅρμα ὅλον. Ut in honoribus Julio Cæsari, tamquam Deo decretis libro XLII. Ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις, μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων, πέμπεσθαι ἔγνωσαν: *Denique & currum integrum, sive Thensam, una cum Deorum statuis, in Circum inferri decreverunt*. Simile in libro sequenti, de eodem Julio: Καὶ ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχλον εἰσάγεσθαι ἐψηφίζαντο: Legendum videtur, ὄχον ὅλον, ex priore loco: sit tamen lectio illa certa. Id esset: *Et in Circensibus thensam introduci censuerunt*. Suetonius ad ista: *Quædam ampliora humano fastigio decerni sibi passus est, Thensam & Ferculum Circensi pompa*. Itaque non nimis diversa (quod ad formam) *Thensa, Carpentum* sive *Pilentum*: sed prius illud diis adtributum, alia eorum etiam ministris. Sed ad Vestales, quid ergo vult Plutarchus? *Si quis subisset*, inquit, nonne per proterviam aut ludibrium, & quasi velandis illis revelandis? An significat, in idem vehiculum ascendisse? Et apparet tale aliquid factitatum ab improbulis, in matronarum transvectione: sed hic honori Virginum, morte vindicatum.

---

## CAP. XII.

*Item ornamenta aut insignia: ut Vittæ, Purpura in Veste, Stipendia & Agri, Auctoritas in deprecando.*

ATQUE isti honores sive prærogativæ ex Plutarcho: alias alibi repperi, opportune adtexendas. Sicut in ipso cultu aliquid eximium, imprimis, *Vittæ* in capite, ut in Deo Deæve consecratis. Prudentius II. *Contra Sym.*

——— *sedet illa verendis*
*Vittarum insignis phaleris.*

Idem explicat:

——— *cingunt*
*Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt.*

Ovidius, de Ilia jam compressa:

*Decidit ante sacros lanea vitta focos.*

Ingeniose, quasi non jam Vestalis, amissa virginitate, nec dignanda illis insignibus. Sic Dionysius scripsit: *Licere nubere, post annos impletos*, ἀλλ᾽, inquit, ἀποθείσας τὰ στέμματα, καὶ τὰ λοιπὰ τῆς ἱεροσύνης παράσημα: *sed depositis vittis, & quæ alia sunt Sacerdotii insignia*. Quæ igitur alia? In Ambrosio aliquid.


A *Insulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices*. Nota & vestes purpuratas fuisse: nempe prætexta eas usas, id est, limbo in oris purpureo. Nam ita Magistratus, atque item (ex Livio aliisque) Sacerdotes. Ergo & Vestales, ut supra in *Suffibulo* observes. Non pugnat cum istis Suidas, qui scripsit: Οὐ μύρῳ, οὐκ ἄνθεσιν, οὐχ ἱματίῳ χρῆσθαι συνεχωροῦντο πλὴν λευκοῦ: *Non unguento iis, non floribus, non veste uti concesserunt, nisi alba*. Quæ vera sunt, & inducta contra lasciviam: sed purpuratas eas, non purpureas dicimus fuisse. Veste alba usæ, sed limbo, ut diximus, punicante: non tamen florida, aut variegata, ut aliæ solent. In carbaso etiam aut tenui lino fuisse, ex Valerio & Dio-
B nysio aliquis dicat: ubi de Æmilia Vestali. Dionysius quidem: *avulsisse & defregisse* ait, ἀπὸ τῆς καρπασίνης ἐσθῆτος, ἣν ἔτυχεν ἐνδεδυκυῖα, τὸν τελαμῶνα: *a carbasina sua veste, quam indutui habebat, laciniam*, & imposuisse Aræ. Nec de cultu alia habeo: nisi capillum in spiras quasdam plexum & divisum, tum vittis illigatum, a tergo & in cervices anulatim dependisse. Prudentii ea mens:

*Perfundunt quia colla comis bene, vel quia cingunt*
*Tempora tæniolis.*

Neque enim vult perfundi vel flagellari sparso capillitio, sed sic aggesto & suspenso. In Statua Ro-
C mæ reperta (quam infra repræsento) palam videbis. Aliquis etiam ambigat, an non tonderi solitæ (ritu nostrarum Virginum quæ Deo sacrantur) ex Plinio lib. XVI. cap. XLIV. *Antiquior est lotos, quæ capillata dicitur, quoniam Virginum Vestalium ad eam crinis defertur*. & Festo: Capillatam vel *Capillarem arborem dicunt, in qua capillum tonsum suspendebant*: Semel igitur tonsæ, atque in ingressu, fortasse: & capillum hunc Deæ Vestæ suspendebant. An & alias crinem eo, caducum, vulsum, scissum, deferebant? in obscuro hæc, atque etiam in parvo. Magis novum & notandum de Bulla, sive Phylacterium, aut aliud ad Ornatum fuit, quod in dicta illa Statua a pectore dependet: vide, & quæ
D ibi notantur. Addo præter hæc Ornamenta aut Insignia, res & fructus etiam accessisse: id est, Stipendia & Opes. Livius, de ipso Numa: *His stipendium de publico statuit*: ut vacuæ scilicet ab aliis curis, Deæ & sacris operarentur. Et credo agros a Numa attributos, quorum vectigalibus alerentur. Incertus auctor, de Limitibus: *Ut nominibus vetustis utantur, ut, vectigalis ager Virginum, Vestearii*: nempe, non *Vestalis*, ut vulgo. Hyginus item, de Limitibus: *Virginum quoque Vestalium & sacerdotum quidam agri vectigalibus sunt redditi locatim*. Sed & Augustus adjecit, de quo universe Suetonius cap. XXXI. *Sacerdotum & dignitatem & commoda auxit*. PRÆCIPUE *Vestalium virginum*. Aliquid in Catalogo Coloniarum, quem scriptum vidi: *Lanuvium muro cinctum, colonia deducta a D. Julio. Ager ejus, limitibus Augustæis, pro parte est adsignatus militibus veteranis, & pro parte Vestalium, lege Augustiana, fuit*. Imo & alios agros habuerunt, a privatis pietatis ergo (ut hodieque solet) legatos: quos omnes Fiscus eripuit sub Valente & Theodosio Principibus, invidiosa & diserta sane Symmachi querela: *Agros etiam*, inquit, *Virginibus & ministris deficientium voluntate legatos Fiscus retentat*. Plura addit, atque arguit: & Ambrosius noster contra obducit: *Sola sublata sunt prædia, quia non religiose utebantur iis, quæ religionis jure defenderent*: Sed præter Agros, video & Pecuniam interdum cepisse. Tacitus III. *Ann.* de Tiberio: *Corneliæ Virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur*, HS. *vicies* dedit: quæ sunt nobis, *quinquaginta Philippæorum millia*. Hem, uni virgini? sic fuit, nec immerito objicit iis Ambrosius, *Privilegia maxima*, LUCRA *ingentia*. Atque inter Privilegia, addamus: etiam ludis certo & honestissimo loco spectasse. Suetonius *in Aug.* cap. XLIV. *Virginibus Vestalibus locum in theatro separatim, & contra Prætoris tribunal, dedit* Augustus: de quo nostra in Amphitheatro, sis, vide. Denique, ut finiam, Auctoritas earum maxima, & in precibus, aut alia re, vix repudianda. Cicero, cum pro Fontejo caussam diceret, sororis ejus Vestalis intercessione usus: *Superbum sit*, inquit, *ejus obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, hæc salva esse non possent*. Atque inter exempla est [1] Claudia Vestalis, *quæ fratrem injussu populi* (in Suetonio *Tiber.* c. II.) *triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare aut intercedere cuiquam Tribunorum fas esset*. Adeo & leges & magistratus reveriti sunt hanc impotentem, ut sic dicam, potestatem. Adde Suetonium in Julio c. I. in Vitel. c. XVI. Tacit. III. Histor. & plures.

## NOTÆ.

1. Claudia Vestalis.) *Cujus imaginem visum appingere e Fulvii Ursini gemma.*



C a p. XIII.

*Contra, Pœnæ cum peccassent, cum ævo variæ: sed sollennis & nobilis a Tarquinio Prisco. Pontifices arbitros fuisse: convictam, defossam: & quæ huic rei.*

Hæc Præmia igitur, sed Virginum: nam pollutarum Pœnæ etiam grandes & graves. Vetus lex fuit, Festo prodita: *Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur, vir qui eam incestavisset, verberibus necaretur. Lex fixa in Atrio libertatis, cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut ait M. Cato.* Sed cujus hæc lex? credam Numæ regis, qui simpliciter statuit *incestam lapidibus obrui*, sine alia supplicii pompa: in Cedreno scriptum. Alia autem Albæ, ante Romam conditam: *quæ juberet pollutam virgis ad necem cædi*, Dionysio in rebus Iliæ tradente. Sed Tarquinius Priscus, qui numerum earum auxit, idem & pœnam, & conspicuam magis horrendamque fecit. Sic enim in Zonara: *Vestalium corruptam unam*, [1] *specu subterraneo oblongo excavato, atque ibi lectulo posito, & lucerna, & mensa cibis referta, deducentibus eam multis, vivamque includens obstruxit. Et sic deinceps pollutas puniri obtinuit. Qui autem polluerint, in lignum biceps, sive in furcam, collum inserunt, in ipso foro: atque ita ad necem eos cædunt.* Dionysius pariter ad Tarquinium refert, & primam sub eo Pinariam quamdam supplicio isto affectam. Quod uberius clariusque tamen narrat, & verba ejus digna apponi. *Pœnæ*, inquit, *delinquentibus graves constitutæ: quarum arbitri & exactores sunt, ex lege, Pontifices. Qui virgis quidem cædunt compertas levioris delicti: probrosas vero & incestas fœdissimo & maxime miserabili mactant supplicio. Vivæ enim, funebri ritu & pompa, efferuntur: amicis ac cognatis, cum luctu & lacrimis, comitibus. Delatæ autem ad portam Collinam, intra muros, subterranea in cella, cum funeralibus ornamentis, deponuntur: nec monumento porro dignatæ, nec parentalibus, aliisve sollennibus defunctorum.* Ita Dionysius: inhæreamus paullum, & magis etiam diffundamus. Ait, *Pontifices arbitros*, quod in omni earum culpa sive delicto obtinuit, caussamque apud hoc tribunal dixere. Livius lib. iv. *Postumia Vestalis de incesto caussam dixit, ampliatam, deinde absolutam, pro collegii sententia Pontifex maximus abstinere jocis, colique sancte potius quam scite jussit.* Nota obiter, & jocos & cultum scitiorem vetita. Quo adspectu Declamatores Vestali dicam ob carmen istud scribunt *Senec.* libro vi. *Controv.ult. Felices nuptæ, moriar, nisi nubere dulce est:* & addunt, *Tu carmen scribas, tu verba pedibus suis emollias, & severitatem templo debitam modulatione frangas?* Atque ibidem ostenditur, *omnis cultus luxuriosior, conversatio cum viris licentior*, iis interdicta. Amplius nota, Pontifices omnes, id est, collegium judicasse: Pontifice tamen maximo convocante, & præsidente. Plinius libro iv. *epist.* xi. *Cum Corneliam Maximam Vestalem defodere vivam Domitianus cupisset, ut qui illustrari sæculum suum ejusmodi exemplo arbitraretur: Pontificis maximi jure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini,*

A *reliquos Pontifices non in Regiam, sed in Albanam villam convocavit.* Ubi hoc culpat, non Pontifices convocatos, sed in talem locum, id est, Albanam villam: cum sollenne esset, in Regiam convenire, quæ adsita templo Vestæ. Ad hanc Pontificis maximi cognitionem Statius respexit, Domitiano blandiens *in equo Domit.*

*Templa super fulges, & prospectare videris,*
*An nova contemptis surgant pallatia flammis*
*Pulchrius? an tacita vigilet face Troicus ignis,*
*Atque explorat as jam laudet Vesta ministras?*

B Itemque Ovidius v. *Fast.*

*Si mihi bellandi pater est Vestæque sacerdos*
*Auctor, & ulcisci nomen utrumque paro.*

Quæ facit Augustum dicere, parantem ulcisci mortem Julii, & Patris sui, & Pontificis maximi. Neque enim aliud voluit, cum *Vestæ sacerdotem* scripsit: curantem scilicet huic Deæ, & sacra ejus tuentem. Lego & in lapidibus: PONTIFEX VESTÆ: quo sensu? an quia proprius aliquis ei fuit? Præter hunc Maximum, Romæ nemo: & magis fortasse sit tales titulos ad provincias coloniasque referri: [1] ubi cum nullæ Vestales, Pontifex aliquis & velut Flamen proprius ei Deæ fuit. Moneo etiam, inferiore ævo aliquid huic pontificio detractum, & cognovisse quidem de culpa, pœnam tamen non exegisse: quæ Præfecto urbis reservata fuit. Disces e Symmacho clare libro ix. *epist.* cxxii. & seq. qui *ætate proxima* id institutum ostendit, id est, Christianorum Principum aliqua lege, nisi fallor. Sed ad Dionysium, addit: *Funebri pompa efferri*, quod Plutarchus etiam expressius *in Numa*: *Lecticæ inditam per Forum deferri, clausæ undique & loris revinctæ, ut nec vox ejus possit exaudiri.* Atque hoc de Foro, D alibi item Dionysius libro viii. ubi de *Opimia* Vestali (Livio est *Oppia*:) *quam Pontifices*, inquit, *damnarunt, & demptis e capite vittis, per Forum traduxerunt vivamque defoderunt.* Ubi & vittas atque ornamenta vides ablata, quia scilicet polluisset. Ovidius:

*Nullaque dicetur vittas temerare sacerdos*
*Hoc duce, nec viva defodietur humo.*

Pergit Dionysius: *Amicos cum luctu comitatos.* Plutarchus autem, non amicos tantum, sed *totam civitatem in luctu & gemitu ponit, neque ullam in ea diem tristiorem. Obvios autem via decedere, vasto ubique silentio, attonitosque omnes stare, aut comitari.* Amplius Dionysius: *Ad portam Collinam delata*, ad locum nempe, qui *Sceleratus campus* ideo dictus. Festus: *Sceleratus campus proxime portam Collinam, in quo virgines Vestales, quæ incestum fecerunt, vivæ defodiuntur.* Item Livius: *Eo anno Mucia Vestalis, facto indicio, viva sub terra, ad portam Collinam, dextera via strata, defossa Scelerato campo, ab incesto id ei loco nomen factum.* Plutarchus describit, *superciliosum & tumidum eum locum esse, & Latina voce Aggerem dici.* De quo Aggere (nec enim alius iste est) ego pluscula *De Militia Romana* lib. v. *Dial.* xiv. in occasione scripsi, etsi non totum Aggerem huic usui applicamus:

N O T Æ.

1. Specu subterraneo.) *Legimus in Martyrum actis, de* Daria, *quæ Chrysantho nupserat, olim Vestalis, jussam cum marito a* Numeriano Imperatore, via Salaria, in Arenario deponi, atque illic viventes terra & lapidibus obrui. *In quo videntur, quasi Vestalem, cum stupratore suo punire voluisse: certe ad veterem pœnam adspexisse.*

1. Ubi cum nullæ Vestales.) *Non opinor, neque e veteri scripto ullo adstructum iri. Fama tamen & traditio est in pluribus locis, ut Agrippinæ, ut Valentianis nostris, atque alibi fuisse: sed fortasse sacerdotulas Minervæ, aut & Vestæ, sed non iis legibus aut cerimoniis, quibus Romæ.*

proximam portæ tantum ejus partem. Pergit Dionysius: *In subterranea cella*. Græce dixit σηκὸν ὑπὸ γῆν κατεσκευασμένον: *ædiculam sub terra structam*: sicut Plutarchus *in Numa & Quæst. Rom.* XCVI. οἶκον κατάγειον, alibi οἴκημα, at Plinius *cubiculum*, dixere. Amplius: *Cum funebribus ornamentis*, quod accipio, ipsam ut cadaver velatam & cultam. Zonaras supra dicebat, *Lectulum appositum, & lucernam, & mensam cum cibis*. De lectulo, nescio: fuitne velut ad cibum, & ut accumberet? an magis est funebrem capere, usui quem dicam. De aliis, Plutarchus etiam adjicit, qui *lucernam ardentem, panis modicum, aquæ & olei*, scribit deposita: *ne sacratissimum illud corpus viderentur fame consumpsisse*. Dionysius deinde, *in ea cella deponi*. Hoc est, quod Satyricus:

*Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.*

Quod tamen priusquam fieret (ex Plutarcho) *Pontifex maximus arcanas quasdam preces, manibus in cælum sublatis, fundebat: tum ipse sua manu eductam e lectica in scalis constituebat: & sic carnifici ac ministris supplicii tradebat*. Plinius item de Cornelia: *Cum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, hæsissetque* (nempe in scalis) *descendenti stola, vertit se ac recollegit, cumque carnifex manum daret, aversata est & resiluit, fœdumque contactum quasi plane a casto puroque corpore rejecit*. Atque his gestis, ait Plutarchus, *scalæ attrahuntur, & ædicula multa humo injecta contegitur, donec reliquo aggeri solum adæquetur*. Sed vinctam illam ibi, aut stantem sedentemve obrutam, nemo declarat: putem in lecto depositam, de quo ex Zonara dixi. Claudit denique Dionysius: *Nec monumento, nec Parentalibus dignatas*. Et de monumento vel ideo monendum, quia inculpatæ in hoc quoque eximiæ, & *Vestalium cineres* (ait Plutarchus) *in Foro ipso recondi fas erat*. At de Parentalibus, controvertat aliquis ex eodem Plutarcho, qui scribit *Quæst. Rom.* XCVI. *defossa Vestali, ne sic quidem Romanos quievisse, religione liberos*: atque adeo, μέχρι νῦν, inquit, ἐναγίζουσιν οἱ ἱερεῖς βαδίζοντες ἐπὶ τὸν τόπον: *usque ad hoc ævi Pontifices parentant, ad locum ipsum euntes*. Sed quamquam uterque eodem verbo ἐναγισμοῦ utatur, putarim Plutarchum potius ad Expiationes aut Procurationes, quam ad vera Parentalia referendum. Habes supplicium, & caussam ejus ex Ovidio VI. *Fast.*

*Sic incesta perit, quia quam violavit, in illa*
*Conditur: & Tellus Vestaque numen idem est.*

Etsi duplex etiam alia in Plutarcho. Vel, *quia igne Romani mortuos cremant: igne autem funerare eam, quæ Ignem parum caste coluit, iniquum erat*. Vel, *quia corpus maximis consecratum cerimoniis occidere, aut manus mulieri adferre, nefas putaverunt. Sub terram igitur condi, cum victu apposito, ut quasi sponte exanimata videretur*. Atque hæc sollennia: Principes interdum immutarunt, aut mitigarunt, ut Domitianus: qui *incesta Vestalium virginum* (Suetonii verba) *varie ac severe coercuit: priora* (sub patre aut fratre admissa) *capitali supplicio; posteriora* (suo principatu) *more veteri*. Addit deinde, prioribus *liberum mortis arbitrium permisisse; Corneliam virginem Maximam defodi imperasse: stupratoresque virgis in comitio ad necem cædi*. Quod postremum de Stupratoribus, Zonaras e Tarquinii etiam lege fuisse ostendit. Apud Declamatores reperio, Sen. I. *Controv.* III. *Incestam de saxo dejici*: sed scolica, opinor, & ficta lege.

## CAP. XIV.

*Quando Vestales desierint? in Arnobio nodus, nec solutus.*

FINIVI de *Vestalibus*: quæ & ipsæ finem suum sub Christianis mox Principibus invenerunt. Quando? Extremo Theodosii senioris ævo. Nam etsi concussæ antea, & periclitatæ sub Valentiniano, (*Is fuit sextus Theodosii annus*) Theodosio, Arcadio, quod ex Symmachi & Ambrosii epistolis constat: tamen animam traxere ad ultimum Theodosii, id est, decimumseptimum Imperii ejus annum: cum ille *templa claudi, & sacrificia tolli* lege jussit. Præter alios, Zosimus clare lib. V. *Theodosius major, eversa Eugenii tyrannide, Romam venit, & contemptum religionum in animis omnium excitavit, publicum sumptum ultra dare ad sacrificia abnuens. Pellebantur utriusque sexus sacerdotes, & fana sacrificiis abolitis deserta relinquebantur*. Hæc ille: & lapides atque inscriptiones etiam testificantur, Vestales ad hoc ævi circiter perseverasse. Itaque mirum, bis mirum, Arnobium doctum illum res veteres scriptorem, *Ignem perpetuum* inter abolita aut desita jamdiu habere. Ita enim Romanos alloquitur, & arguit II. *Adver. Gent. identidem in alios mores ac ritus, priorum condemnatione, transisse*. Tum adjungit & adstruit: *Numquid magistratus per populum creatis? in potestatibus obeundis leges conservatis Annarias?* [1] *in penetralibus Vestæ ignis perpetuos servatis focos?* quas interrogationes omnes negandi mente suscipi, palam est. Atqui Arnobium Diocletiani temporibus vixisse & scripsisse, id quoque palam est: id est, centum circiter ante Theodosii finem annis. Quis hæc defendit, aut solvit? nam vel maxime tunc sacra viguisse, Principibus eorum ex professo assertoribus, nemo neget. Quid etiam Symmacho & Ambrosio fiet, aliter proclamantibus? quid ipsi Arnobio in Arnobium dicenti? Nam ita in iisdem libris lib. IV. *Sedent in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia, nec non & castæ Virgines*, PERPETUI *nutrices & conservatores* IGNIS. De suo ævo dicit: nec ego, quid de priore loco dicam aut velim, habeo: manum tollo, & auxilium specto.

## NOTÆ.

1. In penetralibus Vestæ ignis perpetuos.) *Fallor, aut ut hæc leguntur, non ipsa Pax conciliaverit cum sequenti loco, & cum vero. At enim libri scripti alio ducunt, quod monuit me P. Heribertus Rosvveydus e Societate* JESU, *vir eruditus. Illi enim*: In penetralibus & colignis perpetuos fovetis focos. *Unus*: In pene inprenetrabilibus & coliginis. *Sagacitatem aliorum advoco: succurrat. Mihi nunc istud; legendum*: In penetralibus & colinis perpetuos fovetis focos? *Et nihil de Vesta capio, non certe illa publica: sed referam ad privatum in ædibus ritum, ubi antiquitus Ignem asservabant & fovebant in parte interiore, & culina. Id factum Larium, aut & Vestæ privatim honori. Varro in* I. *De Vita pop. Rom.* Colina dicta, quod ibi colebant ignem. *Nota de* Cultu *ignis: etsi aliter fateor posse capi. An etiam placet ad Vestam publicam referri, &* culignis *scribit? Ut velit olim non in Ara ignem illum structum, sed in* Culignis *& vasis fictilibus repositum: uti etiam nunc fovere sub cineribus solet. Si tamen* Culignæ *illo sensu aut usu lectæ, quas alioqui scio* vas potorium, *aut* sacrificale, *in Festo, Varrone, Livio esse.*

## CAP. XV.

*Alibi Ignis cultura, & simulacrum Vestalium.*

LUBET autem pro Corollario addere, ubi locorum præcipue cultus etiam Ignis, sive imago aliqua Vestalium fuit. Apud Judæos primum, & Dei jussio *Levit. cap.* VI. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies.* Et mox: *Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari.* Habuere & Ægyptii: ac Diodorus vult *servandi ignem perpetuum, cælesti similem, morem ab illis natum, & ad alias gentes propagatum.* Item Afri, & Plutarchus auctor *de Defectu orac.* In Jovis Ammonis λύχνον ἄσβεστον, sive *lucernam inexstinctam*, arsisse. Silius videtur & in Ara flammas statuere, ubi de hoc templo lib. III. initio:

*Inexstincta focis servant altaria flammæ.*

Apud Indos, Ammianus libro XXIII. *Brachmanes ferunt, si justum est credi, ignem cælitus lapsum, apud se sempiternis foculis custodiri.* In Persis simile, & verba Procopii libro II. *bell. Pers. Magnum hic Pyreum est* (πυρεῖον, *focus*, sive *Vas igniarium*) *quod Persæ inter omnes Deos maxime venerantur: ubi Ignem perpetuum custodiunt Magi. Hic est Ignis, quem Vestam olim Romani vocabant*: atque alii plures de hoc Igne. Idem apud Cappadoces. Strabo libro XV. Ἐστι πυραθεῖα, σηκοί τινες ἀξιόλογοι, ἐν δ' τούτοις μέσοις βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι: *Sunt Pyrathea, sacella quædam modica: & in iis mediis Ara, in qua cinis multus, & Ignem inexstinctum Magi servant.* Jam in Græciæ Prytaneis, Pausanias sæpe commemorat ipsam hanc *Vestam & æternum focum*, itemque Athenæus, & alii: iterumque distincte, *Mantineæ, in templo Cereris; Athenis, in Minervæ; Delfis, in Apollinis.* Imo & Virgines ipsas aliquot locis habuere. Tertullianus *Exhort. ad cast.* cap. ult. *Noveram virgines Vestæ, & Junonis* [1] *apud Achajæ ganeum, & Atrocis apud Delphos, & Minervæ, & Dianæ.* Et quem hic *Atrocem, Apollinem* interpretatur & indigetat *De Monogamia* idem scriptor. Dubitet aliquis, an non *Atrecem*, id est, ἀτρεκῆ sive *Veracem*, a divinandi calliditate voluerit dictum. Video & Persas Soli virgines sacrasse, de quibus Justinus libro X. *Artaxerxem regem, ne Aspasiam pellicem filio daret, & honeste negaret, quod temere promiserat, Solis sacerdotio præfecisse, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur.* Simillimum nuper, priusquam Hispani Regi & Religioni subegissent, in toto Peruano tractu, ubi *crebra & magna templa dicata Soli, & in iis virgines sæpe ducentas fuisse* tradunt qui viderunt P. Cieca, & Augustinus Carata: *e quibus si qua corpus polluisset, morte luebat, nisi tamen e Sole se concepisse* (ride credulitatem superstitiosam) *sancte adjurasset.* Satis de *Vesta & Vestalibus*: quas olim nobiles, sed ævo obscuratas, iterum in lucem protraximus, bono (ita confidimus) veterum scriptorum.

### NOTÆ.

1. Apud Achajæ ganeum, & Atrocis apud Delphos.) *Hæc Tertulliani, illustrissimum genus & ingenium Scaliger, legit*: Achajæ Ægium, & Apollinis apud Delphos *Non retractem, etsi P. Heribertus Rosvveydus* Atrocem *assertum ibat, & convenire Apollini, qui apud Homerum* δεινὸς Θεὸς, gravis Deus dicitur: apud Statium,
—arcu crudelis Apollo.

*Intelligit autem vates sacerdotesque Delphicas, quæ Virgines.*

*Inscriptiones aliquot de* VESTALIBUS *in memoriis priscis.*

Romæ, in basi, cui Statua olim superposita.

NVMISIÆ. MA
XIMILLÆ. [1] V. V.
MAX. TI. JVL. BAL.
BILLVS. [2] S. SOLIS
DED. IDIB. JAN.
L. ANNIO. FABIANO
M. NONIO. MVCIANO COS.

[1] *Virgini Vestali Maximæ.* [2] *Sacerdos.*

In urnula sepulchrali.

D. M.
TEIÆ. EVPHROSINES
RVFINÆ. V. V.
DELICATÆ.

In basi.

COELIÆ. CLAVDIANÆ
V. V. MAXIMÆ.
A. DIIS. ELECTÆ. MERITO
SIBI. TALEM. ANTISTITEM
NVMEN. VESTÆ. RESERVARE
VOLVIT.
COELIA. NVMERIANA. SOROR. VNA
CVM. PIERIO. CONIVGE. AC. LIBERIS
SVIS ORANTES. VT. PER. [1] TOT. SECVLA
FACERE. DII. PERMITTANT.

[1] *Quot nempe ipsi cum liberis essent. Egregia adulatio.*

Romæ.

[1] CLOELIÆ. CLAVDIANÆ.
V. V. MAX
RELIGIOSISSIMÆ. BENIGNISSI
MÆQVE. CVIVS. RITVS. ET. PLENAM
SACRORVM. ERGA. DEOS
ADMINISTRATIONEM
VRBIS. ÆTERNÆ. LAVDIBVS
[2] S. S. COMPROBAT. OCTAVIA
HONORATA. V. V. DIVINIS
EIVS. ADMONITIONIBVS
SEMPER. PROVOCATA
COLLOCATA. XII. KAL. APRIL
C. AVFIDIO. ATTICO
C. ASINIO. PRÆTEXTATO
COS.

[1] *Supra* Cœliæ: *si tamen eadem.* [2] *Sanctus Senatus.*

Romæ, trans Tiberim, item in basi,

TERENTIÆ
FLAVOLÆ. V. V.
MAXIMÆ
AVREL. JVLIVS. BAL
BILLVS. SAC. SOL

OB. PLVRA. EIVS
IN. SE. MERITA
D. D. PR. NON. APRIL.
LÆTO. II. ET. CERIALE
COS.

Romæ.

TERENTIÆ. RVFILLAE
V. V. MAX.
DED. PRID. NON. MAI
TITIANO. II. ET. NEPOTIANO
COS
*CVR. AVRELIO. NICETA.
*Curante.

Ibidem.

FL. MANILIÆ. V. V. MAX.
CVIVS. EGREGIAM. SANCTIMO
NIAM. ET. VENERABILEM
MORVM. DISCIPLINAM
IN. DEOS. QVOQVE. PERVIGILEM
ADMINISTRATIONEM
SENATVS. LAVDANDO
COMPROBAVIT
ÆMILIVS. FRATER. ET
RVFINVS. FRATER. ET
FLAVII. SILVANVS. ET
EIRENEVS. SORORIS. FILII
A. MILITIIS. OB. EXIMIAM
ERGA. SE. PIETATEM
PRÆSTANTIAMQVE.

Ibidem.

FL. PVBLICIÆ. V. V. MAX.
SANCTISSIMÆ. ET. PIISSIMÆ
AC. SVPER. OMNES. RETRO
RELIGIOSISSIMÆ.
CASTISSIMAEQVE
CVIVS. RELIGIOSAM. CVRAM
SACRORVM. ET. MORVM. PRAEDI
CABILEM. DISCIPLINAM
NVMEN. QVOQVE. VESTÆ. COM-
PROBAVIT
Q. VETVRIVS. MENPHIVS. V. E.


A *FICTOR. V. V. DIGNATIONIS. ER-
GA. SE
HONORISQVE. CAVSA. PLVRIMIS
IN. SE. CONLATIS. BENEFICIIS.
**Scripsi* II. *Elect.* c. XVIII.

Ibidem, de eadem.

FL. PVBLICIAE. V. V. MAX
MERITO. SANCTISSIMAE. AC. PIISSI
MAE. QVAE. RITE. ET. PERVIGILI.
ADMINIS
TRATIONE. OMNES. GRADVS. LAVDE
CVMVLATA. SACRA. SVA. VENERA-
TA. VI
B VIT. VT. SECVLARI. AETATE. ET
MINISTERIO
ADSIT. ET IN. FVTORO. PERSEVERET
Q. TERENTIVS. RVFVS. ET CAENIA
VERISSIMA. PARENTES
TERENTIAE. RVFILLAE. V. V.
CVIVS. MVLTI. TEMPORIS. BONITA-
TEM
ET. HVMANITATEM. EIVS. CIRCA.
SE
IN. BREVI. SENSERVNT.

C Ex his talibus vides adulationes laudesque erga *Vestales Maximas*: apparetque magnas iis opes fuisse, ut dixi, & administrationem permissam, copiamque benigne faciendi. Est & Romæ nuper eruta Statua, quæ adservatur apud Illustrifs. Cardinalem Cæsium: ubi habitus cultusque *Vestalis Maximæ*, quem hic vides. Sed de illo antepectorali varie quæri potest: nec apud Veteres opinor reperiri. An proprius ornatus & insigne *Maximæ* hujus fuit? an & novitia inferioris ævi usurpatio? cogitetur: tu Statuam vide, ab amico meo *Jo. Memelario*, optimo & suavissimo viro, descriptam & transmissam. D *Statua est*, inquit, *e marmore Pario candidissimo perfectissimi operis, capite, brachiis, & summitatibus pedum mutila: habuit & monile baccatum, e quo bulla dependebat ab humeris, sed illud comminutum est dum statua transportabatur. A tergo apparent vittæ, e collo sive capite in nodum defluentes, capillorum non apparent extremitates. Inscriptio labentis Imperii tempus referre videtur, ob litterarum formas ductusque imperfectiores, & interpunctiones omissas.*

EZE-


Vittæ in hunc modum a tergo conspiciuntur.
COELIAE CONCORDIAE VIRGINI
VESTALI MAXIMÆ FABIA PAV
LINA C F. STATVAM FACIEN
DAM CONLOCANDAMQVE
CVRAVIT CVM PROPTER
EGREGIAM EIVS PVDICI
TIAM INSIGNEMQVE
CIRCA CVLTVM NVMINVM
SANCTITATEM TVMQVOD
HAEC PRIOR EIVS VIRO
VETTIO AGORIO PRAETEXTA
TO V.C. OMNIA SINGVLARI
DIGNOQVE ETIAM AB HVIVS
MODI VIRGINIBVS ET SA
CERDOTIBVS COLISTATV
AM CONLOCARAT.
Moule in hanc fere formam.

# EZECHIELIS SPANHEMII

DE

# NUMMO SMYRNÆORUM,

SEU

# DE VESTA ET PRYTANIBUS

GRÆCORUM

# DIATRIBA.

EXCELLENTI DOCTRINA

*VIRO,*

# JOANNI GEORGIO GRÆVIO,

S. D.

E. SPANHEMIUS.

ITTO ad te, quam tuis cum ad me, tum ad Cramerum noſtrum, ingenio ac eruditione præſtantem, litteris, nuper admodum ac amice petiiſti, Diatribam. Etſi enim alia, quod novit tuus ille pridem, nunc meus familiaris, me tum circumſtarent, in quibus, prælo utpote Lipſienſi ſine mora committendis, ſubciſivas horas collocarem: haud committendum tamen cenſui, quin vel tui de ea commentatione judicii, vel tuæ in me voluntatis rationem mihi habendam ducerem. Hiſce itaque potius, quam vel natura, vel opinione hujus quidquid eſt libelli fretus, non adtente quidem ac etiam faſtidioſe, ut optaſſem & fieri omnino decuit, (nec enim id ferebant tui meique temporis, intra quod illum a me exigebas, anguſtiæ) ſed non plane inutili, quamquam ſubitaria ferme lectione, eundem cœpi denuo retractare. Neque enim eo animo, quod omnes facile intelligunt, illa in eo conſcribendo a me ſuſcepta olim fuerat, aut potuerat ſuſcipi, cogitatio; ut tam pretioſo Antiquitatum Theſauro, ſive contexto e collatis tot præſtantium ingeniorum operis peplo, vilis hic pannus quandoque adſueretur. Non de memoria mihi quidem excidit, quam benevolam utique mihique glorioſam, de eadem Diatriba ſententiam tuleris; ubi eam antea alieno itidem operi, ſed unde nata fuerat illius ſcribendæ occaſio, intextam pervolutare tibi contigit. Verum haud minus erat mihi vel aliis perſpecta admirabilis quædam naturæ tuæ facilitas; qua ſubinde acris illa judicii tui acies non obtunditur quidem aut hebeſcit; verum ubi idem continuo ſe minus ſeverum ac cenſorium prodit, ubi modo bene de litteris merendi conatus ac inſtitutum tibi liquet; etſi non par ſemper facultas ac induſtria ſubſequatur. Tua enim inter eruditos hujus ætatis propria quædam eſt laus; ut, quum ad ornandas ac illuſtrandas litteras, domi tibi affatim facultas & opes ſuppetant, quibus eaſdem cum frequenter, tum large cumulateque, cum æterna tui nominis gloria, ſoles locupletare; haud eo minus ad excitandas, vel in lucem proferendas virorum doctrina ac ingenii fama præſtantium lucubrationes, ſtudium operamque tuam, quaſi inde demum laus tibi & commendatio adcreſceret, novo ac inuſitato exemplo conferres. Cujus equidem rei cum olim in divulgandis Caſauboni, Rubenii, P. Petiti, tum nuper ejuſdem denuo Rubenii, Huetii ἀνεκδότοις; noviſſime autem luculento Franciſci Junii de Pictura veterum magniſque acceſſionibus illuſtrato opere, edita fuerunt a te ac impertita litteris ſpecimina. Ad quæ nunc, ac ut ingens utique illius tuæ laudis cumulus, accedit hic immenſus Antiquitatum Romanarum Theſaurus: quo pulcherrima gentium terrarumque per tot ætates Reginæ, inſtituta, ſacra, belli & pacis artes, domi ac foris diſciplina,

ornamenta ; aliave conſtitutæ , propagatæ, aut conſervatæ dominationis vel præſidia , vel ſubſidia continentur . Quæ autem ſingula , laudabili & accurata eruditorum hujus & ſuperioris ætatis diligentia & contentione , ſed diſperſe variiſque temporibus ac locis , quædam etiam hodie vix nota, aut ferme oblitterata, eruta fuerant ac obſervata: nunc vero ad promtos paratoſque omnium, qui bonarum artium doctrinarumque ſtudiis capiuntur , uſus , uno velut faſce colligata, nullo vel levi utique labore, pertractari deinceps poſſunt & expendi. Neque præterire hic licet, quam ad Marquardi Gudii, tibi, mihique, dum fata ſinebant, veteri conſuetudine conjuncti , & exquiſita doctrina viri , emittendum in lucem , quod poſt obitum reliquit , cuique per tot annos ille incubuit , inſigne Inſcriptionum veterum opus , curam nunc ac diligentiam converteris; immo ad quam itidem præſtandam , me , qui nempe illius laboris ab eodem primum ſuſcepti teſtis Romæ quondam , quum una ibi ageremus, fueram, adjutorem quoque noviſſimis tuis ad me litteris, cooptare quodammodo volueris. Macte itaque illa indole, ſeu, quæ divinitus ac bono litterarum fato , tibi obtigit , ſingulari plane naturæ bonitate ac præſtantia : qua te non magis orbis litterati decus , quam amores ac delicias dudum prodis: quæ Muſis ſimul & Gratiis, felici nec paſſim obvia conſociatione , addictum tibi devotumque pectus finxit : quæ ab omni in tui ordinis viros, in quoſcunque litterarum vel ingenii laude ubivis conſpicuos , livore , impetigine , fatali præclaris ſubinde ingeniis lue, aliena; te nullius vel læſæ, vel imminutæ, vel laceratæ; ſed ornatæ, auctæ, celebratæ exiſtimationis cupiditate incenſum tenuit ſemper ac etiamnum tenet . Qua factum proinde , tuiſque aliis aſſiduis ac immortalibus in Rempublicam litterariam meritis, ut, ſicut magnum ac amabile apud omnes , a quibus ſimul eruditio , doctrina ac humanitas ubicunque terrarum diliguntur , tuum hac ætate nomen effeciſti : ita illud commendatiſſimæ , nulliſque maculis infuſcatæ apud poſteros famæ , ad ſeros uſque nepotes, clarum undique & probatum ſis transmiſſurus. Dabam Berolini VIII. Kal. Apriles Anno Æræ Dionyſianæ CIↃIↃXCV.

# ARGUMENTA
## HUJUS
# DIATRIBÆ.



## DE VESTÆ IN PRYTANEIS GRÆCORUM, ET APUD ROMANOS CULTU, SACRIS, SIGNIFICATIONE, SIMULACRIS, SYMBOLIS.

# DE PRYTANIBUS
## ET
# PRYTANEIS GRÆCORUM.





EZE-

# EZECHIELIS SPANHEMII

## DE

# NUMMO SMYRNÆORUM,

## SEU

# DE VESTA ET PRYTANIBUS

## GRÆCORUM

# DIATRIBA.






INTER præclaros nummos, quos primus vulgavit, vir omni ea laude nuper in hac urbe florentissimus, P. Seguinus, occurrit continuo insignis iste Smyrnæorum nummus aureus, in quo visitur hinc caput muliebre turrigerum; illinc mulier stans cum calatho in capite, sinistra manu Victoriam gestans, columnæ præterea innixa, cum inscriptione, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, *Smyrnæorum Prytanes*. De hoc nummo, quod ille quantivis pretii mihi videretur, & quædam præferre haud vulgo obvia, ac Seguino intacta, aut alioquin ab ejus explicatione aliena, nonnulla jam alibi monui; eaque maxime, quæ ad postremi simulacri, stantis nempe mulieris, & inscriptionis haud vulgaris, lucem opportuna tum mihi videbantur. De quibus agere hic denuo constitui, ut gratiam ab iis inirem, qui id a me petiere; eademque plenius paullo & accuratius illustrarem.

*Dissert. de Num. p. 292. &c.*

*De Turrigero capite in prima nummi area.*

De turrigero capite, quod in prima nummi area signatur, res minus videtur ambigua, quin ad consuetum in antiquis nummis vel Urbium, vel turrigeræ Deum Matris symbolum, referri omnino debeat. Postrema equidem in Smyrnæorum, quo-

Tom. V.

A rum iste itidem, nummis haud infrequens adspicitur; modo sedens cum tympano & patera; modo in bigis leonum; modo cum leone & tympano in altera nummi parte, cujusmodi plures cum alibi exstant in præclaris Cimeliarchiis, tum hic in Gaza vere Regia. Unde & Μητρῴου, seu *Magnæ Matris* apud Smyrnæos fani mentio, apud [a] Strabonem & [b] Plinium, ac in antiquo [c] Smyrnæorum & Magnetum Fœdere, cujus adhuc superstites post tot secula tabulas, inter alia Oxonii decora vidisse haud semel juvit. Neque tamen Isis dicta Smyrnæis hæc Deum Mater, & B quidem ideo, ut viro eruditissimo haud ita pridem visum, quod Isidis apud Smyrnæos sacerdotis alicubi meminerit Aristides; quum & alibi fanum Isidis apud Smyrnæos commemoret idem Rhetor, & cui anseres sacrificare sit jussus; ac præterea aliunde, & ex ipsa veterum nummorum penu, abunde liqueat, Ægyptiæ seu Pelagiæ Isidi, varia apud Græcos delubra & simulacra a *Metrois* omnino diversa exstitisse; qua de re agetur alibi opportunius. Immo a monte Lydiæ Sipylo, non Magnesiæ solum, inde a Sipylo dictæ, sed Smyrnæ insuper, Σιπυλήνη appellata & culta hæc Deum Mater, ut constat ex eodem commemorato ante Fœdere, ubi Smyrnæi non minus ac C Magnesii, per hanc Μητέρα Σιπυλήνην, *Matrem Sypilenam* fidem dictis sanciunt. Adde præterea ex alia Smyrnæa Inscriptione a Cl. Sponio vulgata, ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΣΙΠΑΛΗΝΗ, *Matri Deum Sypilenæ*; tum luculenter e præclaris aliquot Smyrnæorum nummis, in quibus occurrit caput Cybeles turritum, cum addito eodem nomine ΣΙΠΥΛΗΝΗ. Unum jam hujus notæ vulgavit cum Smyrna Amazone in aversa nummi parte vir haud vulgari eruditione P. Petitus; & cui alii nummi suffragantur, quos hic versare mihi contigit in Cimeliarchio Regio. Cujusmodi etiam duos D in eorum gratiam, qui hoc veteris elegantiæ ac eruditionis genere delectantur, adponere visum est; in quibus hinc ΣΙΠΥΛΗΝΗ cum capite turrito, quale vulgo Deum Matris, præfigitur; illinc vero leo cum tym-

(a) *Lib. XIV. p. 646.*

(b) *Lib. XIV. sect. VI.*

(c) *Marm. Oxon. p. 10.*

*Serm. sacr. I. p. 499.*


*Pausan. l. II. p. 93. & alibi.*

*Marm. Oxon. p. 11. & 12.*

*Misc. Antiqu. pag. 350.*

*De Amazon. p. 268.*

pano, consuetum itidem Deæ illius symbolum; in altero vero nummo, mulier seu Ceres cum calatho in capite, dextra pateram, sinistra cornucopiæ gestans.



Unde illustratur Ulpianus, qui inter Deos, quos vel Senatusconsulto, vel Constitutionibus Principum hæredes instituere licuit, refert alicubi, *Matrem Deorum CYBELEM, eam quæ SMYRNAE colitur*. [*Fragm. Tit. xxv. Sect. vi.*] Illud proinde liquidum, non solum notos Dindymi colles, aut adjacentem forte Phrygiam; sed totum insuper Ioniæ ac Lydiæ tractum, in peculiari Magnæ hujus Matris tutela fuisse. Unde etiam κόλπος Ῥέας, seu *sinus Rheæ*, dictum quondam, ut ex Æschylo & Græcis ad eum Criticis constat, mare Ionium; [*Prom. v. 836.*] eademque *Rhea nostra*, Ῥέα ἡμετέρα, appellata in veteri [a] Epigrammate de Sardibus; immo quæ Pactolum fluvium, ad quem positæ, ut vulgo notum, Sardes, inhabitare apud [b] Sophoclem alicubi dicitur. [*(a) Anthol. l. iv. cxxviii Ep. i. (b) Philoct. v. 397. &c.*] Quæ singula utique, ubi alia deessent, tot superstites ac præclari eorundem locorum nummi, abunde, immo haud paullo manifestius, nobis hodie ante oculos ponunt: in quibus nempe *SIPYLENA*, aut *Idæa* hæc *Mater*, non solum Phrygias, ut ait Poeta, sed Lydias puta aut Ionias, [*Æn. vi. v. 783.*]

*invehitur curru turrita per urbes*.

[*De Cybelle turrita, & similibus Urbium symbolis.*] Neque enim minus in iisdem nummis obvium, familiare hujus Deæ, turrigeri nempe capitis, insigne; aut forte ignota, quæ eo respiciunt, aliquot veterum Poetarum loca, quibus eadem modo TURRIGERA, aut *turrita* traditur; modo apertius, ut Ovidio alicubi, *turrigera frontem redimita corona*; aut Propertio: [*Fast. vi. v. 321. lib. ii. el. g. xvii.*]

*Vertice turrigero, puto Dea magna, Cybelle,*

(Ubi, sicut apud Lucanum quoque, veteri Græcorum more, quos sectatus passim Propertius, *Cybelæ* legendum mallem) & quibus addere liceat Græcum veteris Epigrammatis Auctorem, qui omnino talem Deæ hujus effigiem ante oculos habuit: [*lib. v. Vid. Schol. Græc. in Lucian. p. 895. ult. edit.*]

Ῥείης πυργοφόρον δείκελον εἰσορόω,
*Rheæ turrigerum simulacrum video*. [*Anthol. l. vii. Ep. xlvi.*]

Immo unde *turrigera* hæc Dea, non adeo, quod[c] juxta Ovidium, primas turres urbibus dederit; quam inde, quod in ejusdem tutela ac præsidio urbes agerent aut agere crederentur: quæ vulgo sculpuntur simili capitis insigni munitæ; ut illud præclare a divino Vate monitum videas: [*An primas turres urbibus illa dedit? Fast. ii. v. 220.*]

*Alma Parens, Idæa Deum, cui Dindyma cordi,*
*TURRIGERAEQUE Urbes;* [*Æn. x. v. 252.*]

aut ante illum a Lucretio, [*lib. iv. v. 606. 607.*]

*Muralique caput summum cinxere corona,*
*Eximiis munita locis, quod SUSTINET URBES.*

Unde etiam adposite de Coclite, a quo servata urbs Roma, & murali inde corona donato, Manilius,

*Et Romana GERENS, quæ texit MOENIA, Cocles.* [*lib. i. v. 779.*]

Muralis autem illa corona, male ibi cum civica, quæ vulgo non turrita, sed quercea, a Scaligero statuitur; quod jam, neque injuria, censoriam meruit notam Viri summi, P. Huetii. [*Animad. in Manil. pag. 16.*] Mitto vero hic alias, quas tradunt Mythologi, aut e Gentilium scitis vel commentis tangit Arnobius, turrigeræ hujus Deæ caussas, *Deum Mater*, &c. *civitatem ingreditur clausam, muris ejus capite sublevatis: quod esse TURRITUM ratione ab hac cœpit*. [*lib. v. p. 159.*] Simili certe turrigeri capitis effigie, Urbes, seu earundem Genios, signari passim in priscis id genus monumentis, nemo in iis hospes adeo ignorat; aut symboli illius vel moris rationem continuo non intelligit. Ut vel inde liquidius appareat, cur *turrigeræ Antennæ* alicubi meminerit optimus Vates; [*Æn. vii. v. 631.*] opportune scilicet ad obvia illa turrigerarum urbium symbola ac simulacra: idque præterea, quod ei solemne, Græcorum Poetarum more, quibus, ut a Pindaro Ægina εὔπυργον ἕδος *bene turrita sedes*, aut a Sophocle ὑψίπυργος *alte turrita* Oechalia traditur. [*Od. iv. Nem. p. 337. ed. cum Schol. Trachin. v. 338.*] Immo & oppida ipsa solo inde πύργων seu *turrium* nomine nonnumquam designata, ut apud Euripidem alicubi de Athenis, τίς σε πύργος Ατθίδος, h. e. juxta Græcorum Criticorum glossam, τίς σε πύργος, ἀντὶ τῆς πόλις, *quæ te turris*, *pro quæ te urbs*. [*Phœniss. v. 1700.*] Cujusmodi obvias urbium cum turrigera capitis corona effigies, omnino ante oculos habuere, aut idem Euripides, ubi de Trojæ agens excidio, ait, ἀπὸ δὲ στεφάνων κέκαρσαι πύργων, *CORONA vero tibi detonsa est TURRIUM*; [*Hecub. v. 910.*] aut Thebanus vates, quum εὐστεφάνων ἀγυιῶν, *bene coronatorum*, seu, *coronæ instar cinctorum vicorum* meminit; vel eo antiquior Hesiodus, cui urbs ipsa Thebarum εὐστέφανος Θήβη, seu *pulchre coronata* dicitur. [*In Scuto v. 13.*] Ne jam illud e veteri, eoque Atheniensi Poeta, & in quo fundus hujus rei ac moris, huc advocem:

εὐερκῆ ΠΟΛΙΝ
ΠΥΡΓΩΝ βαθείᾳ μηχανῇ κεκλειμένην,

*URBEM bene munitam, TURRIUM valida compage circumclusam*; [*Æschyl. Suppl. v. 962.*] sicuti ille locus Æschyli verti debuit. Quo referri etiam debet notum Lycurgi de Sparta dictum, eam urbem muris nudatam non videri, *quæ viris fortibus, non lateribus CORONATUR*, ἅτις [*Plutarch. in Lycurg.*]

*Plutarch. in Lycurg.* ἀνδρείοις, ἢ πλίνθοις ΕΣΤΕΦΑΝΩΤΑΙ· ac præterea illud Pythagoræ ſymbolum, quod ita a Porphyrio enarratum refert adv. Julianum Cyrillus, *ςέφανόν τε μὴ τίλλειν, τετέςι τὺς νόμυς μὴ λυμαίνεϑαι* ΣΤΕΦΑΝΟΙ γὰρ ΠΟΛΕΩΝ *ἔτοι*, *coronam non vellere, h. e. leges non violare; eæ enim ſunt URBIUM CORONAE*. *Lib. IX. p. 300. ed. Paris.* Immo prout inter Epigrammata, quæ Homero in ejus vita ſub Herodoti nomine edita tribuuntur, legitur hic verſus,

Ἀνδρὸς μὲν ΣΤΕΦΑΝΟΣ παῖδες· ΠΥΡΓΟΙ δὲ ΠΟΛΗΟΣ,

*Viri quidem CORONA ſunt liberi, TURRES autem URBIS*. Unde, ut obiter hoc addam, nequidquam alibi meliores quæras, aut certiores veterum id genus, ad quæ ſubinde illi reſpiciunt, quæque tum iis in medio poſita, monumentorum interpretes, aut, ut Tulliana voce utar, myſtagogos: neque rurſus, unde iiſdem Autoribus, ac Poetis maxime antiquis, lux clarior ſæpe adſulgeat. Quod olim a me monitum ac adſertum non levibus documentis; & plenius adhuc ac luculentius, haud uno, ſi Deus vitam & otium dederit, opere tradetur. Smyrnæ vero Amazoni, a qua urbem conditam ac denominatam ferunt, poſſet quis forte turrigerum hujus, quem hic verſamus, Smyrnæorum nummi caput tribuere. Vulgo enim illa cum turrigero capite, in præclaris aliquot Smyrnæorum nummis conſpicitur. Sed, quod obiter hic monendum, cum bipenni inſuper, ſolito Amazonum inſigni: & quos proinde nummos, ne latius a ſuſcepto, de quo hic agere conſtitui, argumento excurram, appendicis loco, ſequenti, Deo dante, expendam Diatriba.

---

*De VESTAE in Prytaneis Græcorum, & apud Romanos Cultu, Sacris, Simulacris, Symbolis.*

*I. De Veſtæ in Prytaneis, & ante Deos alios cultu.*

UT enim ad Seguinianum, jam Regium Smyrnæorum, quem illuſtrandum hic ſuſcepi, nummum redeam, nobilitat eum vel maxime pars averſa, in qua mulier viſitur velata, ſtans, capite geſtans calathum, ſiniſtra Victoriam, columnæ præterea innixa & cum inſcriptione illa ſingulari, nec alibi in hac nummaria Supellectile hactenus obvia, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ *Smyrnæorum Prytanes*. Ad figuram quod adtinet muliebrem, eam ad Smyrnam illam Amazonem, quam modo commemorabam, refert Cl. Seguinus; idque e papilla unica, ſiniſtra nempe, eaque nuda, quod Amazonibus ſolemne, continuo colligit. Verum accurate inſpectus a me aliiſque harum antiquitatum peritis nummus, qui extat hodie in Gaza Regia, cum univerſo Seguini Cimeliarchio, & obvia etiam in aliis Smyrnæorum nummis eadem mulieris effigies, id non arguunt; in quibus una equidem papilla tecta, ſed prominens nihilominus, quodque in aliis Dearum vel Auguſtarum nummis haud ſemel videas, occurrit. Accedit, quod neque turrigerum ſit mulieris illius caput; neque eadem bipenni armata: quæ tamen



Smyrnæ Amazonis, quod modo monui, & alibi plenius tradetur, ſolemnia ſunt & conſpicua in Nummis Smyrnæis inſignia. De alia proinde muliere aut Dea ibidem ſignata anquirendum: quam VESTAE ſeu ΕΣΤΙΑΣ imaginem referre, opportune, ut mihi equidem videtur, jam alibi monui: quæ nempe in Græcorum Prytaneis vulgo colebatur, & cujus ſimulacrum erigi in iiſdem ſolitum. *Diſſ. de Num. p. 492.* Teſtis ejus rei luculentus Pindarus, haud ignobilis præclari hujus nummi, una cum Græcis ad eum Criticis, interpres, eo verſu, quo Ariſtagoræ Tenedii Prytanis, laudes auſpicatur,

Παῖ Ῥέας, ἅτε ΠΡΥΤΑΝΙΑ λέλογχας ΕΣΤΙΑ,

*Filia Rheæ, quæ ſedem in PRYTANEIS ſortita es, VESTA.* *Nem. Od. II.*

Ad quem locum hæc notant Critici, *Πρυτανεῖα φασὶ λαχεῖν τὴν Εςίαν, παρόσον αἱ τῶν πόλεων* ΕΣΤΙΑΙ *ἐν τοῖς* ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΙΣ *ἀφίδρυνται*, *Prytanea dicitur ſortita Veſta, quod Urbium VESTAE in PRYTANEIS STATUANTUR*. Hinc primus etiam *Veſtæ* in Urbibus Græcis aut Aſiaticis cultus, ac prima Deorum dicta; quod notat ibidem in ſequentibus Pindarus, *πρῶταν Θεῶν*, ac adſerit Græcus ejus Interpres, adlato quoque eam in rem Sophoclis verſu, additque *πρώτην δὲ ταύτην εἶπε, καϑ' ὅσον ἀπ' αὐτῆς ἤρχοντο*, *primam vero eam dixit, quod ab ea incipiunt*. Unde etiam notum ſolemne illud Græcorum proverbium, *ἀφ' Εςίας ἀρχόμενος*, *a Veſta*, ſive *a lare incipiens*, præter Parœmiographos Græcos, cum a Platone haud ſemel, ut in Eutyphrone, *pag. 4. p. 1. ed. H. Steph.* & aperte in Cratylo, *ἀλλ' ὐδὲ ἀφ' Εςίας ἀρχόμεϑα κατὰ τὸν νόμον*; *nonne a Veſta ſecundum legem incipiendum?* *pag. 401. P. 1. ἀφ' Εςίας ἀρχόμενος.* tum ab Ariſtophane pridem uſurpatum, qui & alibi Sacra facturos, *ab invocanda Veſta* jubet initium facere, *εὔχεϑε τῇ Εςίᾳ*, *Veſp. p. 490. ed. C. Steph. Avib. p. 582.* & ad quæ loca conſulendi veteres iique eruditi ad eum Critici, aut qui obvius præclarus ejuſdem ritus interpres Ovidius,

*inde precantes,*

*Præfamur VESTAM, quæ loca PRIMA tenes.* *Faſt. lib. VI. v. 304.*

Quod a Cratete Comico Athenienſi, & Sophrone in Mimo, qui Nuncius inſcribebatur, factum, ut a *Veſta* nempe *inciperent, & profarentur carmina*, notant veteres ad Germanici Aratea Commentarii. Quam in rem Plato rurſus in Cratylo, indicata itidem moris illius origine, aut primis illius autoribus, *τὸ γὰρ*, inquit, *πρὸ πάντων ϑεῶν τῇ* ΕΣΤΙΑ ΠΡΩΤΗ *ϑύειν* *ut ſupra pag. 401.* *εἰκὸς ἐκείνυς, οἵτινες τὴν πάντων ὐσίαν*, ΕΣΤΙΑΝ *ἐπωνόμασαν*, *æquum enim illos ante omnes Deos VESTAE PRIMAE Sacra facere, qui rerum omnium eſſentiam, VESTAM indigitarunt*: ac unde facto a *Veſta* initio, Saturum, dein & Rheam colendam pergit. Inſignis vero hanc in rem apud Xenophontem locus, quem aliis quoque intactum præterire hic non licet, ubi Cyrus Sardes Smyrna haud valde, ut notum, diſſitas, victor ingreſſus, primum *Veſtæ*, dein Jovi, aliiſque Diis rem ſacram feciſſe legitur, *Ἐπεὶ δὲ εἰσῆλϑεν ὁ Κύρος*, ΠΡΩΤΟΝ *μὲν* ΕΣΤΙΑ *ἔϑυσεν* *Inſtit. Cyr. l. VII.* *ἔπειτα Διὶ Βασιλεῖ, καὶ εἴ τινι ἄλλω Θεῷ Μάγοι ἐξηγῦντο*, *quum ingreſſus eſt Cyrus, PRIMUM VESTAE rem ſacram fe-*

A *cit ; dein Jovi Regi , & ſi cui alteri Deo Magi ſacrificandum indicarunt* . Id vero vel ideo a Cyro , & e Magorum quidem ſcitis factum videtur , quod Ignem ante Deos alios colerent Perſæ , & cuicunque Deo , ut id tradit Strabo , ſacrificarent , ab igne invocando primum inciperent . Immo unde traductum illum a Perſis , quique eum a Chaldæis hauſerant , ad Græcos morem ; ut hi nempe eundem honorem Veſtæ , Ignis ſimul ac Terræ , qua de re infra , apud eos ſymbolo , tribuerent , haud male licet opinari . Idem utique , ut a Veſta ſcilicet Sacrorum auſpicium fieret , in celebritate Olympiaca obſervatum tradit Pauſa-

*ὅτῳ δὲ ἂν θύωσι θεῷ, πρῶτον τὸ πῦρ ἐπεύχονται lib. xv. p. 733.*

B nias , θύουσι δὲ ΕΣΤΙΑ μὲν ΠΡΩΤΟΝ ( ita enim legendum mallem , quam ΠΡΩΤΗ ) δεύτερον δὲ τῷ Ολυμπίῳ Διΐ , *Sacra autem faciunt PRIMÆ* , aut *PRIMUM VESTAE ; dein Jovi Olympio* : tertio loco , ut itidem addit , Mercurio ( Εναγωνίῳ puta ſeu *Agonum præſidi* ) quarto , Minervæ ; quinto , Dianæ . Hinc iterum Plato agens alicubi de erigendis & conſecrandis Templis , in nova Colonia , & de delectu duodecim urbis partium , in quibus Diis Majoribus eadem templa dicarentur , *PRI-*

*Eliac. l. p. 313.*

C *MUM VESTAE Templum exſtruendum* dicit , dein *Jovi* , & tertium *Minervæ* θέμενον ΕΣΤΙΑΣ ΠΡΩΤΟΝ , , κ̀ Διὸς , κ̀ Αθήνης ἱερὸν , quod ille rurſus alibi innuit in eodem opere . Quin etiam quod præteriri hic non debet , non initium ſolum , ſed finem quoque Sacrorum a *Veſtæ* cultu petiiſſe veteres liquet . Hinc *primæ* utique ac *ultimæ Veſtæ* , πρώτῃ πυμάτῃ τε Εςίᾳ , libaſſe olim antiquos , tradit aperte Hymnus in Veſtam Homero tributus , & de quo loco paullo infra . Accedit poſtremi hujus moris alter teſtis luculentus Ci-

*Lib. v. de leg. p. 748. & l. VIII. p. 848.*

D cero , agens de Veſta , *Itaque in ea Dea , quæ eſt cuſtos rerum intimarum , omnis & precatio & ſacrificatio extrema eſt* .

*De Nat. Deor. l. II. §. 67.*

II.
De variis Veſtæ ſacris.

Ex quibus autem hactenus adlatis liquet , *Prytanes* quidem ſolemniter , & ex muneris lege , quibus hoc tribuit Pindarus , primam Deorum *Veſtam* coluiſſe ,

*Nem. Od. II.*

Πολλὰ μὲν λειβαῖσιν ἀγαζόμενοι ΠΡΩΤΑΝ ΘΕΩΝ ,
*Sæpe equidem libationibus , venerantes PRIMAM DEORUM* ;

ſed non ſolos . Appoſite autem ibi , quod obſervo , non quibusvis Sacris , ſed *libatio-*

E *nibus* cultam a Prytanibus Veſtam innuit Thebanus Vates . Quibus conſona , quæ de Veſtæ libationibus in Athenarum Prytaneo fieri ſolitis alicubi apud Athenæum legimus ; ubi nempe Athenionem Philoſophum Athenas reducem , invitatum docet , ἐπὶ τὴν κοινὴν Εστίαν , κ̀ τὰς περὶ ταύτην εὐχάς τε κ̀ ΣΠΟΝΔΑΣ , *ad communem Veſtam , & eas , quæ circa illam fieri ſolent , preces ac LIBATIONES* . Unde de primo & antiquiſſimo Deæ illius cultu Porphyrius , ἤρξαντο ΠΡΩΤΟΝ ΑΠ' ΕΣΤΙΑΣ τοῖς ὀυρανίοις θεοῖς θύειν , ὀυ σμύρνῃ , ὀυδὲ

*Lib. v. p. 212.*

*περ. ἀποχ. l. II. p. 125.*

F κασίας , &c. ἀλλὰ χλόης , *A VESTA PRIMUM Deorum Cœleſtium Sacra auſpicati , non myrrha quidem aut caſia , ſed herbis* . Quamquam conſtat thure poſtea placatam eandem Deam , ſicut Pharis in Achaja fieri ſolitum , notat Pauſanias : immo victimas demum Veſtæ , ſicut aliis Cœleſtibus mactatas , vel teſte Callimacho ,

Καὶ τὰν βῶν ἔφαγεν , τὰν Εστίᾳ ἔτρεφε μάτηρ ,
*Et vaccam comedit , quam Veſtæ alebat mater* .

*Hym. in Cer. v. 109.*

& ſicuti de ſacrificiis in honorem Veſtæ , publica aut privata etiam religione peractis , apud alios , & de quibus in ſequentibus , occurrit mentio . Adeo ut alicubi apud Plutarchum legatur , Metellum Romanorum Ducem cum claſſe navigaturum , *ideo quod ſoli Veſtæ non litaſſet , eam ventum claſſi adverſum immiſiſſe* , μόνῃ τῇ Εστίᾳ ὀυκ ἔθυσεν· ἡ δὲ πνεῦμα ἀντέπνευσε ταῖς ναυσὶ , pro filia autem , ut ibi additur , ( quod noviſſime ad adductum Callimachi locum monendum etiam a nobis fuit ) quæ Deæ , ex Aruſpicis juſſu , mactari ab eo debuerat , ἡ δὲ ΕΣΤΙΑ ἐλεήσασα δάμαλιν ὑπέβαλεν , *miſerta autem Veſta , juvencam in ejus locum ſubſtituit* . Mitto Oves Veſtæ in Sacro Arvalium fratrum immolatas ; qua de re in veteri lapide , VESTAE MATRI OV. II. ſeu *Oves duas* : & quæ eximie rurſus illuſtrat , quæ de victimis pro Agamemnonis reditu ad aram Regiæ penetralem mactandis , ait apud Aeſchylum Clytemneſtra ,

*In Parallel. p. 309.*

*Theſ. Grut. CXXI.*

Τὰ μὲν ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ μεσομφάλου
Εστηκεν ἤδη ΜΗΛΑ πρὸς σφαγὰς πυρὸς ,
*Jamque ad ARAM penetralem*
*Siſtuntur dudum OVES ad ignita ſacrificia* .

*Agam. v. 1065.*

III
De Veſta domeſtica & patroa.

Neque enim publice ſolum , quod adſeruit tamen ad Athenæum ὁ πάνυ , in Prytaneis ; aut vero in dicatis alioquin Deæ Templis , ſed domi etiam , immo in ſingulis omnium ferme hominum ædibus , receptis Sacrorum ritibus , culta eadem Veſta . Tradit hoc aperte Diodorus , factumque illud ob beneficium repertæ ſcilicet ab eadem Dea domorum fabricæ : λέγεται τὴν ΕΣΤΙΑΝ , τὴν τῶν οἰκιῶν κατασκευὴν εὑρεῖν , κ̀ διὰ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην , παρὰ πᾶσι σχεδὸν ἀνθρώποις ΕΝ ΠΑΣΑΙΣ ΟΙΚΙΑΙΣ καθιδρυθῆναι τιμῶν κ̀ ΘΥΣΙΑΩΝ τυγχάνουσαν , *dicitur VESTA domuum exſtruendarum rationem reperiſſe ; ob idque beneficium , eadem a cunctis ferme hominibus IN OMNIBUS AEDIBUS dicari , honoribus ibidem & SACRIFICIIS culta* . Unde etiam fieri videas , ut πᾶσιν ἀνθρώποις Εςίαν ἱερὰν , ſeu *omnibus hominibus ſacram Veſtam* , dixerit alicubi Plutarchus . Idem vero de inventa primum domo a Veſta , & inde ἑςία de *domo* dicta , tradit Græculus Pindari Enarrator , ſeorſim ad ejus Olympia editus , ἡ κατ' ἀρχὰς τὴν οἰκίαν εὑροῦσα Η ΕΣΤΙΑ ἦν , ἥτις ἦν Κρόνου θυγάτηρ . ἀφ' ἧς κ̀ τὴν οἰκίαν , ἑστίαν λέγομεν , *quæ ab initio domum reperit erat VESTA , quæ Saturni erat filia : a qua domum* Εστίαν *dicimus* . Unde & Εστία pro *domo* non a Laconibus ſolum , quod notant eruditiſſimi alioquin [a] Apollonii Interpretes , dicta : ſed paſſim apud Atticos , & Tragicos imprimis , apud quos & [b] δωματίτης Εστία , & [c] δόμων ἐφέστιος , aut ἐφέστιοι ſæpe pro ἔνοικοι ſeu *incolæ* , vel σύνοικοι apud [d] eoſdem , alioſque Poetas obvii . Inde autem Græcis Εστία , cum pro Dea illa δωματίτῃ , ſeu quæ privatarum ædium Aris & Focis præeſſet , & cui proinde quotidie litarent pro ſalute familiæ , ſeu tanquam *Cuſtodi* ( prout de ea Cicero , loco paullo ante adducto , & de quo adhuc infra ) *rerum intimarum* , & ſicut alioquin Laribus

*Animadv. l. XV. cap. XIX.*

*lib. v. p. 326.*

*De Fortun. Rom. p. 317.*

*Demetr. Trach. Schol. ad Olimp. I. p. 130.*

(a) *Schol. Apoll. Rhod. ad l. I. v. 909.*
(b) *Aeſchyl. Agam. v. 977.*
(c) *Idem Eum. v. 580. &c.*
(d) *Sophocl. Electr. v. 423.*

apud Romanos fieri consueverat ; tum pro *foco* ipso & *ara* , de quo etiam in sequentibus , dicta , ubi nempe incensa eum in finem eidem adolebantur. Unde thure quoque , sicut publica Urbium , sic privata singularum ædium *Vesta* seu Εςία coli itidem solita , quemadmodum de Syracusanis, ob Dionis adventum eos a Dionysii tyrannide liberantis , impense lætantibus , tradit alibi Diodorus , τῶν ἰδιωτῶν ἐπὶ τῶν ἰδίαις Εςίαις θυμιώντων , *singulis in propriis Focis incensa adolentium* . Hinc factum quoque , ut ἑςιᾶσθαι cum pro *epulari* , tum pro *coli* usurpetur quandoque , ut apud Euripidem alicubi , δῶμα δὲ ἑςιᾶται *domus vero colitur* , ut recte ibi Canterus , & quod loci ratio evincit. Sicut autem publica seu *Communis* Urbis vel Terræ *Vesta* appellari solita, qua de re rursus paullo infra, quæ vulgo in Prytaneis urbium : Sic alia πατρῴα, seu *domestica Vesta* , quæ in privatis ædibus culta , de qua præclarum exstat apud Dinarchum testimonium , τίσιν ὀφθαλμοῖς ἕκαςος ὑμῶν τὴν ΠΑΤΡΩΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΟΙΚΑΔΕ ἀπελθὼν , ἰδεῖν τολμήσειεν ; *quibus oculis unusquisque vestrum PATERNAM VESTAM DOMUM abiens intueri audebit* ? Meminit illius itidem Lesbonax in Protreptico , ubi Domestica illa seu *paterna* vel *patroa* , voce Catullo usurpata, *Vesta* , a *Vesta Urbis* aperte distinguitur , ἐνθυμηθῆτε δὲ , ὅτι ὑμεῖς μὲν ἐκ τῆς ὑμετέρας αὐτῶν ὁρμώμενοι , ἀγωνιεῖσθε ΑΠΟ ΕΣΤΙΑΣ ΠΑΤΡΩΑΣ ἕκαςος , καὶ θεῶν τῶν ἄλλων καὶ ΠΟΛΕΩΣ, *cogitate autem vos quidem e vestramet urbe , in pugnam prodire , unumquemque a PATERNA VESTA, & Diis aliis , ac URBIS profectos ;* additque ibi de hostibus , eos *non tam a sua singulos Vesta* , seu *suo Lare* , οὔτε ἀπὸ σφετέρας Εστίας ἕκαςος αὐτῶν , aut ab aliis ac Patriis Diis , sed ex aliena urbe in eos ferri . Cujus proinde πατρῴας Εςίας , seu *privatæ* singularum ædium *Vestæ* , cultum videre licet in moriente apud Euripidem Alcestide,

Καὶ ςᾶσα πρόσθεν ΕΣΤΙΑΣ κατεύξατο,
*Et stans coram Vesta precabatur.*

Hinc alibi apud eundem Tragicum de eversa Priami cum illius Penatibus Regia dicitur πατρῷά τ' ἑςία κατεσκάφη, & apud Platonem alicubi , καταῤῥυπαίνειν τὴν αὐτοῦ πατρῴαν Εςίαν, *fœdare propriam paternam domum* , aut *Vestam*. Quo referre etiam, ut obiter dicam , licet discrimen [a] βωμοῦ πατρῴου , ut apud Æschylum alicubi dicitur , & *aræ publicæ* , seu [b] βωμῶν τῶν δημίων , quorum rursus idem alibi meminit . Quin inde factum, ut de Fano seu ara potius Jovis πατρῴου dicatur etiam Εςία, sicut alicubi apud Aristidem , ἐδόκουν ἰέναι ἐπὶ τὴν Εςίαν τοῦ Διὸς τοῦ Ολυμπίου καὶ τοῦ πατρῴου , *videbar ad aram Jovis Olympii & Patrii pergere.*

lib. xvi. p. 415. — Jon. v. 1464. — adv. demosth. p. 38. ed. Hanov. — pag. 215. — Alcest. v. 160. — Hecub. v. 22. lib. xi. de legib. p. 419. — (a) Agam. v. 1286. — (b) Eum. v. 685. — Serm. sacr. iv. p. 590.

IV. De Proverbio ἀφ' Εςίας, & ἀφ' Εςίας μυεῖσθαι.

Hinc vero solemne illud Græcorum , de quo paullo ante egimus , ἀφ' Εςίας , non de publico solum VESTÆ in Prytaneis cultu, sed obvio nonnunquam apud præclaros auctores sensu , a *domo* ac *laribus* seu agens quid vel patiens ; sicuti aliquoties , ut observo, apud eundem , de quo modo , Aeschylum , [a] ἀφ' Εςίας συθεὶς , alibi [b] ἀφ' Εςίας ἄρχη , & [c] ἀφ' Εςίας μῦθος , pro recepto nempe apud Atticos hujus formulæ usu ἀφ' ἑςίας , h. e. a *domo* , vel a *limine* . Idque postremum e veteri , non Romanorum tantum , sed Græcorum etiam more ; quo , non solum ædium penetralia , qua de re infra, sed earum limina *Vestæ* itidem , unde iis nomen , vulgo erant sacra ; notante id haud semel ad Virgilium Servio. Usus quoque eadem formula haud semel Philo, qui de sævitia Caligulæ in Patruelem & imperii cohæredem Tiberii filium acturus , ait , τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο , ἀφ' Εςίας ἤρξατο , *juxta Proverbium ab ipso lare orsus* ; alibi rursus de Flacco Aegypti Præfecto e convivio a Bassi militibus ad supplicium rapto , ἔδει γὰρ ἀφ' Εςίας ἄρξασθαι τὴν δίκην , *opportebat enim ab ipso lare incboare supplicium* ; ac præterea , ubi de Xerxis divina & humana conculcantis agit impietate , καὶ τὸ λεγόμενον ἀφ' ἑςίας ( non , ut ibi , ἀφ' ἱερᾶς , quod jam vidit Interpres ) *quod dicitur ab ipso lare cœpit* . Ita etiam Plutarchus πρῶτον οὖν ὥσπερ ἀφ' Εςίας ἀρχόμενοι , *primum itaque sumpto tanquam a lare initio* . Unde factum etiam video, ut ἀφ' Εςίας μυεῖσθαι, diceretur apud Atticos , non qui *procul a domo* , ut apud Suidam vertit & explicat Interpres ; sed qui velut a *Vesta patroa*, sive *domo* ac *lare* , primum *initiatus* , Eleusiniis , ut mox dicemus, sacris operabatur ; & quam in rem locum profert ex Isæo Harpocration , ὁ ἀφ' Εςίας μυούμενος Ἀθηναῖος ἦν πάντως , *a Vesta*, seu eodem interprete, *a Domo initiatus , Atheniensis erat omnino* . Neque enim Mysteria Eleusinia domi celebrare licuit , quo nomine reus olim , ut notum , Alcibiades : immo unde privata quævis mysteria , ut impia vetat in Legibus Plato . Opportune autem referre hic licet , ut eadem pari opera explanemus , quæ leguntur in duabus præclaris Inscriptionibus Eleusiniis , quas haud uno loco vulgavit vir bene de hac antiquitate meritus Cl. Sponius . Una est, in qua dicitur inter alia, ΤΟΝ ΥΙΟΝ ΜΥΗΘΕΝΤΑ ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ , altera ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΜΥΗΘΕΙΣΑΝ ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ , quosque liberos , filium nempe ac filiam , tanquam a *Vesta* seu a *domo initiatos* . Deabus Eleusiniis Parentes ibidem vel Areopagitarum Senatus Populusve Atheniensis consecrant . Utramque vero inscriptionem retulit & explanare etiam adgressus est vir humanitate ac eruditione insignis Gisbertus Cuperus, eo libro , quo Apotheosin Homeri , aliaque priscæ elegantiæ monumenta a Sponio aliisve primum eruta , luculenter illustravit . Ibi autem erudite quædam ex Aristide observat, quibus recepta illa , & cujus jam aliunde adtulimus exempla , ἀφ' Εςίας ἀρξάμενος , formula continetur : quibus autem locis addi possunt insuper alii ex eodem Aristide Rhetore , εἰκότα ἦν ἀφ' Εςίας ἀρξάμενα , κατηῦκται πρεπόντως , *eorum a Vesta usque* ( ut ibi Canterus , seu a *Lare* ) *vota rite concepta sunt* , & alibi de Pericle ὁ δὲ ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενος , *ipse autem a lare suo exorsus* ; ac rursus prout ipse de semet ait , τὸ δὲ οὖν ἀρχὴν ἀφ' ἑστίας εἶναι μοι , *ut igitur initium a Lare facerem* . Sed quum aliud quid in adlatis paullo ante Inscriptionibus, & a Sponio editis , latere haud immerito censuerit vir non candore magis quam eruditione insignis , *sibique* , ut itidem ingenue fatetur , *perobscurum* , nempe in his verbis Υἱόν vel Θυγατέρα Μυηθέντα Ἀφ' Εστίας Δήμητρι καὶ Κόρῃ , *Filium Aut Filiam Initiatam a Vesta* , seu *domo* , *Cereri & Proserpinæ* : rem eam , & simul Isæi adlatum paullo ante ea de re lo-

Vestibulum, quoniam Vestæ consecratum est ad Æn. ii. v. 469. Item Vestæ limen est consecratum , ad Æn. vi. 273. — Legat. ad Caium, p. 995. In Flaccum, 981. de Somniis, p. 124. — De sera Numin. vind. p. 549. — lib. x. p. 804. & 910. — Itin. Tom. iii. P. 2. p. 104. Ib. p. 193. — Orat. Genethl. T. i. p. 121. — Orat. Platon. ii. p. 246. T. iii. — Cuper. Apoth. Homer. p. 297.

cum hactenus non intellectum, ὁ ἀφ' Ἑστίας μυούμενος Ἀθηναῖος ἦν πάντως; *a Vesta initiatus Atheniensis erat omnino*, claram & expeditam reddet præclarus apud Porphyrium locus, ὅπερ καὶ ἐν τοῖς ΜΥΣΤΗΡΙΟΙΣ Ο ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ λεγόμενος ΠΑΙΣ, ἀντὶ πάντων τῶν μυουμένων ἀπομειλίσσεται τὸ θεῖον, ἀκριβῶς δρῶν τὰ προςταγμένα, *sicut in MYSTERIIS, qui dicebatur a VESTA Puer, pro omnibus INITIATIS placabat numen, accurate mandata obiens.* Aperta inde & perspicua mens harum Inscriptionum, quibus pariter filium aut filiam, ad simile ministerium seu ἀφ' Ἑστίας μυηθέντα aut μυηθεῖσαν, Deabus Eleusiniis consecrat Areopagitarum senatus. Unde lux iterum praeclaro apud Themistium loco, cujus mentem ignoratione hujus moris, non adsequutus est vir summus Petavius; nec quidquam ad eum contulit postremus ac eruditus ex eadem societate ac domo editor. Nempe ubi Themistius, postquam retulisset profectum se ad Constantini filios, sed exoletæ jam formæ, addit ad Gratiani, forma excellentis tum adolescentis, laudem, ἀλλ' ἐχρῆν ὡς ἔοικε, τὸ μυσταγωγόν μοι γενέσθαι τῆς ἐρωτικῆς τελετῆς, οὐ πόρρωθεν, ΤΩΝ ΠΑΙΔΙΚΩΝ, οὐδὲ ὀθνεῖον, ἀλλ' ἐγγύθεν, καὶ ἀφ' ΕΣΤΙΑΣ, *sed decuit ut videtur, fieri mihi mystagogum amatorii illius sacri, non qui procul esset AB AETATE PUERILI, non peregrinum, sed proximum & a DOMO* seu *lare*. Et quæ postrema verba ἀφ' ἑστίας *ab ipso penetrali*, uti cæteroquin eadem vox, & qua de re infra, sumitur, vertit ibi Petavius. Respicit enim omnino eo loco Themistius, ad morem illum in mysteriis Eleusiniis receptum, cujus meminit dicto loco Porphyrius, & quem illustrant Inscriptiones adlatæ, ac Isæi præterea apud Harpocrationem locus, quo ἀφ' Ἑστίας παῖς, aut ἀφ' Ἑστίας μυούμενος dicebatur, qui pro omnibus initiatis munus ibi commemoratum obibat in iisdem sacris; & ad quod obeundum duo illa, ut ex iisdem monumentis liquet, requirebantur; quæ hic itidem tangit Themistius: nempe cum *ætas puerilis* aut adolescentis; tum patria [a] ut *omnino esset Atheniensis*, quæ sunt Isæi ea de re verba; seu quod ait Themistius [b] *non peregrinus*.

*de Abstin. l. IV. p. 358*

*Orat. XIII. Amator. ad Gratian. p. 165. ult. ed.*

(a) ὁ ἀφ' Ἑστίας μυούμενος, Ἀθηναῖος ἦν πάντως. *Isæus apud Harp.*
(b) οὐδὲ ὀθνεῖον *Themist. dicto loco.*

V.
De Prytaneis urbis & apud Callimachum.

Ex his autem jam ante adlatis de publico aut privato VESTAE apud Græcos cultu, fax iterum haud vulgaris obscuro neque hactenus intellecto apud Callimachum loco, qui priora etiam haud parum illustrat; scilicet ubi agit de sacris Cereris Thesmophoricis,

*Hym. in Cerer. v. 127. & seq.*

> Μέσφα τὰ τῆς πόλιος Πρυτανήϊα, τὰς ἀτελέστως,
> Τὰς δὲ τελεσφορίας ποτὶ τὰν θεὸν ἄχρις ὁμαρτεῖν,
> Αἵτινες ἑξήκοντα κατώτεραι, αἵτε βαρεῖαι,
> *Usque ad urbis Prytaneum non initiatas:*
> *Has vero pompam ad Deam usque, seu Deæ Templum, comitari,*
> *Tam sexaginta annis minores, quam majores.*

sicuti verti omnino & intelligi secundus versus debuit. Male enim, ut obiter observo viri alioquin Græcis litteris apprime docti, H. Stephanus & Vulcanius, & quibus accessisse nollem eruditissimam Tan. Fabri filiam, in postrema & eleganti Poetæ hujus

A editione, voces illas τὰς δὲ τελεσφορίας secundo casu legendas existimarunt, & conjugendas cum postremis vocibus antecedentis versus, nempe τὰς ἀτελέστως τὰς δὲ τελεσφορίας, cui tamen rei tota loci illius ratio, & ipse consuetus verborum eorundem usus repugnat. Ἀτέλεστοι, nempe, ut notum, simpliciter a Græcis dicti, οἱ ἀμύητοι seu οὐ μεμυημένοι, mysteriis nempe Eleusiniis haud initiati; sicut contra ἀνακτοτελεσταὶ vocantur alicubi apud Clementem, sacris Cabirorum initiati. Nec mirum τελεσφορίας plurali numero dici pompam, de qua hic agitur, Thesmophoricam; quomodo de καβείροις seu sacris Samothracum modo commemoratis, coætaneus Callimacho & æmulus Poeta,

*Protrept. p. 12.*

> Ἀρρήτους ἀγανῇσι τελεσφορίῃσι θέμιστας,
> *Intemeratas leges celebrium mysteriorum.*

*Apoll. Rhod. Argon. l. I. v. 917.*

& sicuti τελεταὶ non solum, sed τέλη & τέλη μυστηρίων apud [a] Euripidem, τελεσήρια etiam [b] Clementi dicta maxime ea gentilium sacra, quæ cum solemni pompa & sumptu, monente id alicubi [c] Athenæo, ac abditis præterea ritibus (qualia iisdem fuere, ut aliunde constat, Thes-
C mophorica) peragi consueverant, & quomodo τελεῖν τὰ θεσμοφόρια a Græcis Criticis nonnunquam dictum. Adeo ut nihil clarius sit aut certius, ita legendas & explicandas apud Callimachum eas voces, prout modo monui; ut nempe priori versu haud initiatas adhuc per ætatem virgines, pompam illam Thesmophoricam seu τὰ πομπεῖα, ut alicubi de pompa Eleusinia Andocides [d], *usque ad urbis Prytaneum comitari*, tantum dicat; in duobus autem sequentibus versibus, id reliquis feminis grandioribus, & proinde jam initiatis tradat incumbere, ut illæ usque ad Deæ Templum, θεσμοφόριον, ut vel ex Aristophane liquet, dictum, præeuntem, de quo
D agit, solemnem Calathum subsequantur, solita & per statos dies, sacri illius munia impleturæ; seu eædem sint sexaginta annis minores, aut vero majores. A Themosphoriis nempe viri exclusi, solæ autem, ut ex Aristophane liquet in cognomine dramate, ad ea feminæ admissæ; unde de iis etiam una hic sit apud Poetam mentio. Quum autem eædem ante omnia, mysteriis Eleusiniis, ubi per ætatem licuit, initiarentur, prævio Vestæ, ut primæ dearum, sicuti jam vidimus, cultu; hinc di-
E scrimen illud in pompa muliebri Thesmophorica notat hic Poeta, ut quæ nondum erant initiatæ, a mysticis seu ἀπορρήτοις, qualia a Comico dicuntur alicubi Thesmophorica, arcerentur; neque iis proinde, nisi ad Prytaneum, quod vulgo in media urbium parte, qua de re infra, progredi fas esset; ibi autem initiatæ mulieres, & pompæ, ut decuit, sequaces, invocata, a qua vulgo sacrorum auspicium, Vesta, inde pergerent Eleusina, ubi festum illud Deæ Legiferæ apud Athenienses, statis ritibus, in Aede Dearum θεσμοφόρων peragebatur; & ad quorum morem & exemplum alibi etiam in Græcia receptum, adludit toto hoc poematio Callimachus. Id quidem de Naucratitis Aegyptiis, sed ut iis peculiare, notat alicubi ex Hermia Athenæus, mulieri apud eos non licuisse Prytaneum ingredi, nisi soli tibicinæ. Quod minus proinde cum receptis Græcorum moribus

(a) *Medea v. 1382. & Hippol. v. 25.*
(b) *Protrept. p. 2.* (c) Τελεστὰς καλοῦμεν, τὰς ἑορτὰς μετὰ μυστικῆς παραδόσεως &c. *Deipnos l. II. p. 40.*
(d) *Schol. Theoc. ad Idyll. x.*
(e) *Orat. IV. p. 305.*

θεσμοφορ. *p. 815.*

θεσμοφορ. *p. 829.*

Ἐκκλησ. *p. 736.*

Γυναικὶ δὲ οὐκ ἐξεῖναι εἰσιέναι τὸ εἰς Πρυτανεῖον ἢ μόνῃ αὐλητρίδι. *l. IV. p. 150.*

consonum, inde haud obscure licet eruere, & cum admissis ad publicum Vestæ in eorum Prytaneis cultum mulieribus, solemni maxime, qualis hæc θεσμοφοριαζουσῶν apud Callimachum, pompa. Immo adeo etiam, ut mulieres extiterint Πρυτανίτιδες, seu quæ *Vestæ* in *Prytaneis* sacrorum curam gererent; sicuti liquet e veteri Inscriptione a Cl. Sponio vulgata, in qua legitur exstitisse Flaviam quandam Moschi filiam, ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ ΑΣΙΑΣ ΝΑΟΥ ΤΟΥ ΕΝ ΕΦΕΣΩ, ΠΡΥΤΑΝΙΝ, *Pontificem Asiæ Templi quod est Ephesi, Prytanim*, &c. Mitto vero, quæ de mulieribus infra aut supra sexaginta annos natis, & quæ festum illud plene obirent, addit in adductis versibus Callimachus, & hic itidem adnotaveram. Quem enim interea, & dum hæc Diatriba a nobis recensita & haud parum locupletata in scriniis adhuc jacet, aliunde sub ministrata nobis fuerit observationes satis amplas in Callimachum condendi, quæque jam sub prælo Ultrajectino sudant, occasio; eadem, uti ea quoque, quæ modo adtulimus, ad hos Battiadæ versus explicandos fuerunt ibi omnino reponenda. Neque tamen inde præteriri hic debuit, unde argumento, quod expendimus hac Diatriba, & simul loco insigni & obscuro antea Cyrenæi vatis, lux a nobis aliqua, quam ei priores inviderant Interpretes, adferretur.

Misc. Antiq p. 349.

VI. De Jurejurando Veterum per Vestam.

Ejus autem rei, de qua hic agimus, VESTÆ nempe cum in Prytaneis, tum alibi ante Deos alios cultæ, indicium etiam præbet alia Inscriptio a Cl. Sponio itidem edita, in qua Vestam ante Apollinem, aliosque Deos commemorari videas, ΕΣΤΙΑ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΑΙ ΘΕΟΙΣ ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ *Vestæ, Et Apollini, Et Diis Augustis*. Immo unde factum quoque observo, ut Græci olim in solemnibus Fœderum vel Oratorum formulis, aut vulgo etiam in re gravi ac seria, *per Vestam*, ante Deos Deasque alias adjurare consuessent. Prius utique liquidum e duabus Inscriptionibus Cretensibus, quarum una a doctissimo Reinesio edita, Latiorum & Olontiorum Fœdus continet, ΟΜΝΥΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ, *Juro PER VESTAM & Jovem*: altera Hierapytnensium apud Gruterum legitur, ubi petitum etiam a Vesta Jurisjurandi ante Deos Deasve alias, qui ibidem commemorantur, auspicium, ΟΡΚΟΣ ΟΜΝΥΩ ΤΑΝΕΣΤΙΑΝ, &c. *Jusjurandum*: *Juro PER VESTAM* &c. Unde obvium nonnunquam apud veteres dramatum Scriptores jurisjurandi illius *per Vestam* publicam aut domesticam exemplum, ut apud [a] Sophoclem, μὰ τὴν πατρῴαν Ἑστίαν, *non per patriam Vestam*; aut apud alios, [b] νὴ τὴν Ἑστίαν, vel [c] πρὸς τῆς Ἑστίας, *per Vestam*; sicut præter alios apud Aristophanem Senex Chremetem conveniens, verum esset quod diceret, *per Vestam*, πρὸς τῆς Ἑστίας, continuo eundem adjurat. Familiare equidem fuisse in Curia & Judiciis Atheniensium, per Ἑστίαν Βουλαίαν seu *Vestam Senatoriam* jusjurandum, liquet aliunde e Græcis Oratoribus & Criticis, quod viderunt jam ad Harpocrationem viri docti. Hinc etiam Plato jubet scripto consignatum examen in judicio, & ab omnibus judicibus obsignatum, deponi in Templo Vestæ; ac præterea juratos Judices ad-

Itin. Tom. III. P. 2. pag. 104.

Syntag. Reines. p. 201.

Thes. Grut. p. 10.

(a) Electr. v. 888.
(b) Eubulus ap. Athen. lib. IX. p. 381.
(c) Anaxandr. Ibid. p. 106. & Arato p. 382.

Lib. IX. de Legib. p. 856.

A firmare in Vestæ conspectu, aut potius juxta Ficinum, *per Vestam* πρὸ τῆς Ἑστίας, se justa & vera judicaturos, & ita demum calculum ferre. Unde factum discimus, quod Athenis, Solonis leges in ligneas tabulas incisæ, in Prytaneo adservarentur: adeo ut Polemon apud Harpocrationem integras ibi etiamnum exstare adfirmet, διασώζεται δὲ ἐν ΤΩ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩ γεγραμμένοι καθ' ἅπαντα τὰ μέρη, *cujus omnes partes descriptæ adservantur IN PRYTANEO*. Plutarchus autem, qui sub Trajano, ut notum, vixit, suo ævo tenuia earundem axium seu ἀξόνων, in quas relatæ fuerant So-

Pausan. Attic. p. 31.

in voce Ἄξονες.

B lonis leges, vestigia, in Athenarum Prytaneo superesse memorat, ὧν ἔτι καθ' ἡμᾶς ἐν ΠΡΥΤΑΝΕΙΩ λείψανα μικρὰ διεσώζετο, *quorum adhuc hoc tempore exiguæ reliquiæ IN PRYTANEO conservantur*. Adde huic solemni *per Vestam* jurejurando, crebras illas apud Tragicos juxta & Oratores Græcos, *per Terram & Solem*, seu *Terram & Deos*, exclamationes, Ω Γῆ καὶ Ἥλιε, vel Ω Γῆ καὶ θεοί, qua de re audiendus alicubi ipse Demosthenes: aut quomodo μὰ τὴν Γῆν, *per Terram*, jurat ipse apud Comicum Mercurius. Immo ne id Atheniensibus peculia-

in Solone.

ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα, Ω Γῆ καὶ Ἥλιε.

De Corona p. 324. ed. Bas.

C re quispiam putet, idem legas in præclaro illo Magnetum & Smyrnæorum Fœdere, & solemni, qua utrique se obstringunt jurisjurandi formula; Terram nempe cum Sole continuo, ante Deos alios, Deasve, ibi positam, ὀμνύω τὰν Γῆν, Ἥλιον, *Juro per Terram, Solem*, h. e. *per Vestam*, eandem cum *Terra*, qua de re paulo infra, & *primam Dearum*, ut jam vidimus, dictam & cultam. Quem morem a Judæis acceptum notat Philo, ut *per Tellurem, Cœlum, Solem* jurarent; & cui rei præluxisse videtur antiquus credentium parens, Abraham, qui famulum suum *per Deum Cœli, Deum-*

Ειρην. p. 635.

de Legib. Special. p. 770.

D *que Terræ* adjurat, de non danda filio uxore e filiabus Chananæorum. Unde mos ille cum ad Judæos, ad quem respexit Servator Matth. v. 34. tum ad Gentes quoque dimanasse videtur, ut omisso etiam Conditoris nomine, per nobilissima illius opificia, aut Mundum ipsum continuo jusjurandum conciperent. Quo referre etiam debet vetus in Oriente, & Persarum quidem e Magorum disciplina, *per Ignem* jusjurandum, cujus meminit Sidonius in Anthemii Panegyrico v. 83.

Gen. XXIV. 3.

E *Procopio dictante Magis; JURATUR ab illis*
*IGNIS & unda Deus*.

Sic ignis vel Solis loco, *per Cœlum & Terram*, idque ut maximum Colchorum jusjurandum, quod ipsa innuit paullo post Medea, adjurat eam apud Apollonium soror Calciope. Immo cujus ritus formulam suppeditaverat pridem priscæ eruditionis parens Homerus Ἴστω νῦν τόδε Γαῖα καὶ Οὐρανός, *Sciat nunc hoc Terra & Cœlum*. Juxta quem ritum pridem receptum, *Tellus & Sol* pri-

ὄμοσσον Γαῖάν τε καὶ οὐρανόν. l. III. v. 699.

Ibid. v. 714.

Iliad. O. v. 36.

F mum invocantur a reduce Argos Agamemnonis Præcone apud Æschylum, iique ante Jovem & Apollinem,

Νῦν χαῖρε μὲν ΧΘΩΝ, χαῖρε δὲ ΗΛΙΟΥ φάος,
Ὕπατός τε χώρας Ζεῦ,

Agam. v. 517.

*Nunc autem gaude TELLUS, gaude etiam SOLIS lux,*
*Et Rector regionis Juppiter.*

Hinc idem etiam, quod præterea observo, *Solis & Vestæ* Pontifex in Marmoribus antiquis, PONTIFICI SOLIS PONTIFICI VESTÆ: alibi PONTIFICI VESTÆ PONTIFICI SOLIS. Immo prout dicti illius *per Vestam* jurisjurandi occurrunt quoque apud Romanos Scriptores exempla, ut apud Valerium Max. *perque veteris Capitolii humilia tecta, & æternos VESTÆ focos &c. JURO*; & quod eodem redit, *per Deos Penates* apud Senecam Tragicum;

Thes. Grut. ccccxxx. VIII. 1. & M. CII. 2. lib. IV. cap. IV. in fine. Oedip. v. 264.

*Per regna JURO, quæque nunc hospes gero*
*Et quæ reliqui, PERQUE PENATES Deos.*

VII. De Urbium, Terræ & Κοινῇ Vesta.

Ad publicum autem illud VESTÆ, de quo hic potissimum agitur, in Prytaneis Græcorum cultum, spectant imprimis, quæ de *ara* illius eodem ἑστίας nomine appellata, & igne æterno supra eandem accenso, memorant nonnunquam Auctores: unde Pollux, ἐφ' ὧν δὲ θύομεν, ἢ πῦρ ἀνακαίομεν, βωμὸς, θυμιατήριον, ΕΣΤΙΑ. ἔνιοι γὰρ οὕτως ὠνομάκασιν· οὕτω δὲ ἂν κυριώτατα καλοῖτο, ΕΝ ΤΩ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩ· ἐφ' ᾧ τὸ πῦρ ἄσβεστον ἀνάπτεται: *Supra quæ sacrificamus, aut ignem accendimus, ara, acerra, focus, vel VESTA: sic enim a nonnullis appellatur: proprie tamen ita dicitur, quæ est IN PRYTANEO Ara, supra quam ignis æternus accenditur.* Ἑστία enim appellata, uti jam dictum, ara, quæ eidem Deæ in Prytaneis erat sacra. Unde etiam, sicuti ex hoc præclaro Smyrnæorum, in quo *Vesta* & *Prytanes*, nummo, & iis quæ modo ad ejus illustrationem dicta, lucem mutuatur insignis apud Aeschylum locus,

lib. I. cap. I. §. 4.

Suppl. v. 375. &c.

Σύ τοι ΠΟΛΙΣ, σὺ δὲ τὸ δήμιον,
ΠΡΥΤΑΝΙΣ ἄκριτος ὤν,
Κρατύνεις ΒΩΜΟΝΕΣΤΙΑΝ χθονός.

*Tu quidem URBS, tu vero populi Commune, PRYTANIS supremus quum sis, Praees ARAE VESTAE hujus terræ.* In quibus equidem verbis, quibus Argivorum Regum supplex, compellat Danaidum Chorus, liquet continuo respici ad morem in Græcis urbibus receptum, quo Vesta in Prytaneis statuebatur; & ubi ejusdem cultus ac sacra a Prytanibus, uti paullo ante e Pindaro aliisque vidimus, procurabantur. Hinc & *Urbis*, & *Publici*, & *Prytanis*, & *Aræ*, ac *Vestæ terræ* seu Argolidos, mentio fit in eodem loco; cujus præterea optimum dabimus interpretem Tullium, *cumque VESTA, quasi FOCUM URBIS, ut Græco nomine est appellata (quod non proprie idem Græcum interpretatum nomen tenemur) complexa sit*: ac paullo ante, *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem Foci PUBLICI sempiternum.* Sic *Prytaneum & Vesta Urbis*, Πρυτανεῖον καὶ Ἑστία τῆς πόλεως, alicubi apud [a] Pollucem; apud [b] Platonem quoque ἡ Ἑστία τῆς πόλεως οὖσα ὑμῶν πρόξενος, *Vesta urbis, quum sit vobis hospes*; aut supra apud Callimachum, τὰ τῆς πόλιος Πρυτανήϊα, *Urbis Prytanea*. Ac unde insuper illustratur, ut hoc addam, cur vel ἑστιοῦχον γαῖαν dixerit Aeschylus, nempe pro Perside, seu quæ eorum Penates ac focos haberet, regione, in quam reverterentur residui e profligato Xerxis exercitu Persæ; aut cur ab Euripide invocetur,

de Legib. lib. II. c. XII. Ibid. cap. VIII. (a) lib. IX. c. V. p. 428. (b) lib. I. de Leg. p. 642. Pers. v. 511.

Δήμητερ ἑστία γῆς Ἐλευσῖνος χθονός,
*Ceres tutelaris Dea Eleusinia terræ*: sive quæ in eadem Eleusine colitur, in eave peculiare habet domicilium, Dea nempe Eleusinia. Adde quod *Lares domorum urbiumque*, in quos nempe vertantur eorum, qui bene ac honeste vixerint, animæ, dicantur apud Martianum Capellam. Ut vero dicto apud Aeschylum loco, Ἑστία χθονός, *Vesta Terræ*, de Argolide, ita Ἑστία Ἀρκάδων Κοινή, *Vesta Arcadum Communis* legitur apud [a] Pausaniam: ipsæ vero Athenæ dictæ olim Pythio Oraculo, juxta [b] Aelianum, κοινὴ Ἑστία τῶν Ἑλλήνων, aut vero etiam Πρυτανεῖον, juxta [c] Athenæum, *communis Vesta* seu *commune Lararium & Prytaneum Græcorum*. Nempe quomodo apud Platonem easdem Athenas vocat Hippias, [d] τῆς τε Ἑλλάδος εἰς αὐτὸ Πρυτανεῖον τῆς σοφίας, *ad ipsum Græciæ sapientiæque Prytaneum*. Quo respexit proinde Aristides, qui miratum se quondam ait, eam urbem decantari τὸ τῆς σοφίας Πρυτανεῖον, καὶ τῆς Ἑλλάδος Ἑστίαν, *sapientiæ Prytaneum & Græcorum Vestam*, seu *Larem*; quæ postea minora illis laudibus deprehenderit. Quam in rem a Synesio similiter dictum, αἱ δὲ Ἀθῆναι, πάλαι μὲν ἡ πόλις Ἑστία σοφῶν, *Athenæ autem quondam civitas fuit sapientium domicilium*; sed quam a se visam soli tum melifici celebrarent. Immo prout Κοινὴν Ἑστίαν, quæ nempe miseris perfugii seu Asyli loco esset, ac ubi communia fierent sacra, Athenis extitisse, docet illud Thesei de eadem urbe apud Sophoclem,

Suppl. v. 1. lib. II. pag. 40. edit. Grot. (a) lib. VIII. p. 464. & 540. (b) lib. IV. c. VI. (c) lib. V. p. 187. & lib. VI. p. 254. (d) Protagor. p. 337. Epist. CXXXV. p. 272.

ΚΟΙΝΗ τ' ἄρ ἡμῖν αἰὲν ἐστιν ΕΣΤΙΑ
*Communis semper apud nos est focus, seu asyli locus.*

Oedip. Col. v. 660.

ac prout τῆς κοινῆς Ἑστίας Athenarum meminit etiam Posidonius alibi apud Athenæum, ad quam nempe a Bacchi artificibus seu scenicis, solemniter invitatus redux in urbem Athenion ibidem dicitur; & quidem, ut ea de re jam supra, ad vota ac libationes, quæ ad eandem Κοινὴν Ἑστίαν fieri consueverant. Quæ egregie explanat præclarus apud Dionysium locus, ubi meminit *Communis Curialium Vestæ* sive *Foci in Græcorum Prytaneis* ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς Πρυτανείοις ΕΣΤΙΑ ΚΟΙΝΗ τῶν φρατριῶν. Sic Delphorum κοινῆς Ἑστίας mentionem facit alicubi Plutarchus, & de quo loco paullo infra. Quibus addere licet, quod de Smyrna tradit Smyrnæus Rhetor, eam, & disciplinarum quidem intuitu, dici posse, Ἑστίαν εἶναι τῆς Ἠπείρου, *Vestam*, seu *Prytaneum esse Continentis*, Asiæ nempe illius tractus, ita, ut aliunde liquet, dictæ: ac rursus alibi de eadem urbe ἑώρας ἀγορὰν τε θεῶν, Ἑστίαν, καὶ λιμένας vidisti *& Deorum Forum, Vestam* seu Prytaneum, *& Portus*. Ut minus insolitum proinde videri debeat, Romanorum *Vestam* vocari in Romanis aliquot nummis, *Vestam Populi Romani*, seu VESTA P. R. QUIRITUM; ut quod rursus illud Aeschyli τὸ δήμιον, & Ἑστίαν χθονός, *Populi Commune*, & *Vestam Terræ*, haud parum illustrat, indeque aliquid lucis fœneratur.

lib. V. p. 212. Antiq. l. II. p. 95. Aristides in Smyrn. p. 406. Gratul. in Smyrn. p. 474.

VIII. De Ἑστία pro Ara, Asylo.

Neque vero insolitum, quod *Aram* & *Vestam* βωμὸν καὶ Ἑστίαν, pro eodem sumat adlato paulo ante loco Æschylus, qui & alibi eodem sensu postremam hanc vocem non

Sept. Theb. v. 281. & Eum. v. 281. & 443.

femel ufurpat; & cujus exemplo frequenter A eadem ufi Sophocles & Euripides: ficuti poftremus, ut alia mittam, eo verfu, ubi Argivorum præco de Herculis liberis ad aras Græcorum profugis, loquitur:

Heraclid. v. 145. Πολλῶν δὲ κ' ἄλλων ΕΣΤΙΑΣ ἀφιγμένων,
*Cum vero multorum aliorum AD ARAS confugiffent.*

Immo inde etiam *Ara* illa feu Εςία hujus *Veftæ Prytanitidis*, folemne Afylum exftitit, ad quod confugere rei ac fupplices foliti, ut in Eroticis Parthenius de fedente apud Naxios Hypficronte, ἐπὶ τῆς Εςίας τῆς ἐν Πρυτανείῳ *apud Aram Veftæ, quæ eft in* B *Prytaneo*. Quo fpectant, quæ de Themiftocle narrat alicubi, præter [a] Plutarchum in ejus vita, [b] Thucydides, arrepto cum mulieris infante, fupplicem *ad Aram* feu *Veftam fediffe* καθίζεσθαι ἐπὶ τῆς Εςίαν. aut quæ de Theramene in vita Ifocratis notat iterum Plutarchus, φυγόντος ἐπὶ τῆς Βυλαίαν Εςίαν, *fugientis ad Aram fenatoriam*, feu quæ in Curia Athenienfium pofita, de qua paullo ante. Ad quam proinde Aram confugiffe videntur fenatores illi, quorum meminit Andocides; qui quum in fenatu fe- C dentes ad judicium non folum, fed quæftionem de iis habendam depofcerentur, *ad aram* continuo confugientes, *eidem infederunt, fupplicantes, ne torquerentur*, ἐπὶ τῆς Εςίαν ἐκαθέζοντο, ἱκετεύοντες μὴ ςρεβλωθῆναι. Quo referas haud male, quod *Veftæ* humiles, ut obfervat alicubi Vitruvius, Aræ collocarentur; ut facilius proinde pateret ad eafdem refugium & paratior ibi confeffus. Quamquam non folis, ut aliunde fatis notum, *Veftæ* vel Πρυτανίτιδος vel Βυλαίας Aris, feu Foco id conceffum fuerit, fed promifcue Aris Deorum reliquis, Jovis maxi- D me Ἱκεσίυ, feu *Supplicum Præfidis*, aut Minervæ, vel Apollinis; ut illæ nempe totidem effent Afyla, ad quæ confugerent Supplices, iifque tuti ab omni vi ac injuria infiderent, & filentes quidem, ut poftremum monet Apollonius Rhodius,

(a) φροντὶς Εςίας φροντιστέ, in Themiftocle.
(b) lib. 1. p. 89.
de Myfter. p. 193. ed. Hanov. lib. IV. c. VIII p. 77.

Τοὶ δὲ ἀνεῳ κὴ ἄναυδοι ΕΦ ΕΣΤΙΑΣ ἀΐξαντες
Ἵζανον, ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται,
*Illi autem fine fonitu & voce fuper ARAM profilientes*
*Sedebant, quod a miferis fupplicibus fieri fas eft.*

ac notant ibidem Critici, ὡς νόμος ἐςὶ τοῖς E ἱκέταις, ὥςε αὐτὰς ἐπὶ ΤΑΣ ΕΣΤΙΑΣ καθημένυς, μὴ φθέγγεσθαι, *prout lex eft Supplicibus lata, ut ipfi fuper ARAS fedentes non loquantur*. Immo quod pridem, ut præterea obfervo, nominatim de homicidii reo fupplice ab Æfchylo eft alicubi monitum,

Eumen. v. 451. Ἄφθογγον εἶναι τὸν παλαμναῖον, νόμος,
*Ut mutus fit cædis reus, lex eft.*

Unde autem factum videas, ut ab ἕζω *fedeo*, deducta fit a prifcis aliquot Grammaticis, vox ἑςία, & ἐφέστιοι *fupplices* paffim F apud Græcos Tragicos dicantur, ἐφ' Εςία feu *fuper Aram*, ut commemorato loco Apollonius, ἐφ' ἑςίῃ ἵζανον *fuper Aram infedebant*; qua de re videndi alibi [a] Græci ejufdem Commentatores. Quo fenfu etiam ἕδρα quandoque ab iifdem Tragicis non femel dicitur; ficuti apud [b] Æfchylum Θεῶν ἕδρας, *Deorum Aras*, non *Sedes*, ut male ibi Interpretes, & apud [c] Sophoclem ac [d] Euripidem non femel; unde & Supplices ἑδρῖται etiam appellati. Imperite certe vo-

ςία, ἡ ἀπὸ τῦ ἕζω τὸ νιδρῦσθαι, Schol. Euripid. ad Hecub. v. 22.
(a) ἐφέςιον ἐπὶ τῇ ἑςίᾳ ὄντα. Schol. Apoll. Rh. l. IV. v. 297.
(b) Suppl. v. 510.

cem ἐφέστιον, ubi *fupplicem* notat, aliter apud Tragicos vertunt fubinde interpretes, ficuti ut vel in uno hoc Æfchyli loco acquiefcam: ubi

Ναύτην ἄγοντας τὸν δ' ἐφέστιον Θεῶν,

nullo fenfu reddunt, ac poftremus etiam editor, *ducentes nautam hunc domefticum*, pro eo quod erat obvium, & ipfum drama abunde arguebat, *Deorum fupplicem*. Immo unde ἐφέστιος Juppiter, cum *Hofpitalis*, tum *Supplicum Præfes*, qui nempe poftremo fenfu Æfchylo dictus [a] Ἀφίκτωρ, modo [b] Ἱκτὴρ, modo etiam [c] Ἱκταῖος. quæ fruftra apud Lexicographos quæras, vulgo Ἱκέσιος vel Ἱκετήριος, alibi autem ab eodem [d] Ξένέσιος feu *Hofpitalis* nuncupatur; [e] Herodoto autem, Jonum nempe dialecto, Ἐπίςιος. Unde licet adfequi, cur potus quidam ἐπίςιος ab Anacreonte, nempe mulier πίνυσα τὴν ἐπίςιον, ut id [f] Athenæus refert, nec explicat, quid illud denotet; [g] Cafaubono autem obfcuriffimum vifum, quid fit πίνειν τὴν ἐπίςιον τῷ πάνυ. adeo ut unde ille lucem adferat tenebrofis Teii Poetæ verbis, nihildum in libris veterum fe reperiffe, aut excogitare adhuc potuiffe, memorat. Quod utique non debuit ἐπίςιος negotium faceffere; quum ἐφέςιος Jonibus diceretur, quod vel [h] Herodotus arguit, qui nempe a reliquis Græcis, maxime Atticis, ἐφέστιος appellatus; ac proinde ἐπίςιος πόσις a Jonico fcriptore qualis exftitit Tejus Anacreon, dicta fit, quæ vel Jovi Εφεςίῳ, cujus occurrit apud Sophoclem mentio, feu *Hofpitali* vel *Domeftico* propinabatur; aut vero quæ Εςίῃ feu *Veftæ* in conviviis veterum prima & ultima libari folita, ut aperte de ea re loquitur loco fupra obiter indicato Hymnus Homero tributus in Veftam,

( ) Oedip. Col. v. 1224. 1227.
(d) Oreft. v. 591.
Joan v. 950. Etym. M. in ἑδρῖται Suppl. v. 512.
(a) Suppl. v. 1.
(b) Ibid. v. 290. & Eurip. Cyd. v. 369.
(c) Suppl. v. p. 488.
(d) Agam. v. 512.
(e) lib. 1. cap. XLIV.
(f) lib. x. p. 447.
(g) Animadv. p. 742.
(h) ἐάλω δὲ Επίςιον: mox, Τὸν μὲν ἐπίςιον καλέων: ὅτι δὲ οἰκίοισι ὑποδεξάμενος τὸν ξεῖνον lib. 1. c. XLIV.
Εφεςίυ Διὸς Ajac. v. 494.

Καλὸν ἔχυσα γέρας κὴ τιμήν. ὐ γὰρ ἄτερ συ
Ειλαπίναι θνητοῖσιν ἵν' ὐ ΠΡΩΤΗ ΠΥΜΑΤΗ ΤΕ
ΕΣΤΙΗ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον,

*Pulchrum habens præmium & honorem; neque enim fine te*
*Convivia mortalibus, ut ibi PRIMÆ & ULTIMÆ*
*VESTÆ, incipiens libet fuave vinum*

Vino fcilicet, quod vel hic veteris Poetæ locus docet, non ut Soli [a] melle, aut, ut Eumenidibus apud Athenienfes, [b] aqua, libatum; ac ufurpato proinde, ut obfervo, e prifco Græcorum ritu, a Romanis more, de quo Juvenalis,

*Cum farre & VINO VESTAM Janumque rogabat:*

ac prout Lari etiam domeftico libare eofdem folitos, docet ipfe Lar familiaris apud Comicum,

*Huic filia una eft, ea mihi cotidie*
*Aut thure, aut VINO, aut aliqui femper fupplicat.*

Unde merito ἐπίςιος Jonibus, feu ἐφέςιος, dicta eadem πόσις, aut e vino libatio vel potio, in Veftæ honorem, in conviviis Græcorum aut Sacris, fieri folita; ac inde Anacreonti πίνειν τὴν ἐπίςιον, ficuti noti alioquin veterum hauftus, vel Διὸς Σωτῆρος, vel Ἀγαθῦ Δαίμονος, aut Ὑγιείας appellati, feu poculorum, quæ *Jovi, Baccho, Bono Genio, Sanitati* erant facra, & a quibus poft fecundas menfas libare iifdem Numinibus confueverant. Sic apud Sophoclem ἐφέστιοι ἀλα-

(a) Athen. l. xv. p. 693.
(b) Aefchyl. Eum v. 107.
Satir. VI. v. 386.
Plaut. Aulul. Prolog. v. 23.
Trachin. v. 209.

λαγαὶ dicuntur juxta Græcos ejus Interpretes, hymni aut cantus in facrificiis ac apud Aras folemnes; feu verius eo loco, hymni apud *facrum* Veftæ *focum*, ficuti ille alicubi ab Horatio vocatur, feu domefticos Lares adhibendi. Haud aliter nempe ac apud Euripidem legas ἐφέστιον φλόγα, de face fcilicet accenfa & piaculari, qua Theone domo egreffa, Ægyptiorum more purgari aerem, pollutamque, qua incederet, viam jubet; eandemque non intra ædes, fed ad focum vel Veftam ædium referri. Neque vero ignotæ luftrales faces in veterum facris, feu titiones ardentes, qui ex igne fupra aram accenfi, dein aqua luftrali tincti, quod viderunt jam alii, feu in χέρνιβα immiffi, adftantes luftrare ac purgare confueverant, qua de re præter [a] Comicum Græcum videndus alibi [b] Euripides; quin & Ara ipfa feu Ἑστία, ut [c] Græcis Criticis liquet, adfpergi iifdem folita.

Helen. v. 871.

(a) Ariftoph. Εἰρην. p. 696. (b) Hercul. Fur. v. 928. (c) Hefych. in ἐστίων.

IX. De Ἑστίᾳ pro foco, igne.

Quamquam nec pro *ara* folum, aut vero pro *foco* tum publico, tum privato etiam, uti fupra jam vidimus, fingularum ædium, fed pro *igne*, qui fupra eundem accendi folitus, vox illa Ἑστία haud femel fit accepta: primigenia nempe vocis illius & ex Oriente, ut notum, traducta, & qua de re paullo poft, fignificatione. Neque tamen id ex quodam Æfchyli loco, fide noviffimi ejus interpretis colligas, qui hunc Tragici verfum, Τὴν δ' ἀθέρμαντον Ἑστίαν δόμων, male vertit & nullo fenfu, *colo ignem ædium non calefcentem*, pro *focum non calefcentem*, feu *un foyer froid & fans feu*. Magis utique adpofite *Veftam ridere*, de flammæ ftrepitu alicubi apud Ariftotelem dici videas οἱ μὲν τὸν Ἥφαιστον γελᾶν, οἱ δὲ τὴν Ἑστίαν, *illi quidem Vulcanum ridere* (quod a Theophrafto etiam dictum alicubi) *hi autem Veftam*. Immo unde Ἡφαίστου Κύνες *Vulcani canes* dicuntur a Comicis Atticis, Eubulo & Alexide apud Athenæum, quod jam vidit ὁ πάνυ, crepitantes illæ e ligno fcintillulæ; quodque commode alioquin referre quis poffet, ad Lares ædium feu Penates, canina pelle, quod Plutarchus docet, contectos, & *foco* feu ἑστίᾳ, canum cuftodum inftar, adpofitos. Ut mittam lutea Vulcani ipfius fimulacra juxta focum, feu πρὸς τὰς ἑστίας, ut loquuntur, olim collocata. Quod poftremum ex Prudentio jam ac Euftathio erudite nuper monuit amiciffimus idemque illuftri eruditione Cuperus; & firmant infuper veteres ad Ariftophanem Critici, οἱ δὲ πήλινον Ἥφαιστον πρὸς τὰς ἑστίας ἱδρύμενον, ὡς ἔφορον τοῦ πυρός, *illi vero luteum Vulcanum ad focos collocatum, tanquam infpectorem ignis*, feu *cuftodem*. Quibus opportune licet hic addere, Capricorni fignum inde in Veftæ tutela olim pofitum, ob crebrum tum & neceffarium ignis παντέχνου, ut vocat eum Æfchylus, ufum; & qua de re Manilius,

Choep. v. 627. Meteorol. l. II. Καλοῦσι δ' οἱ μὲν γελᾶν τὸν Ἥφαιστον de Igne p. 435. Lib. III. p. 108. & Lib. IX. p. 379. Quæft. Rom. Harpocr. pag. 292. Ad Aves p. 562. Prom. v. 8. Lib. IV. v. 243.

> *VESTA tuos Capricorne fovet penetralibus ignes.*
> *Hinc artes ftudiumque trabis;*

alibi,

lib. II. v. 445.

> *Atque augufta fovet Capricorni fidera VESTA.*

X. De igne perpetuo in veterum facris.

Fallitur vero ὁ πάνυ ad Athenæum a quo ignis ille Veftæ in Græcorum Prytaneis, *nil nifi lucerna femper ardens* traditur. Penfiles quidem Lychnuchi paffim in Deorum delubris, quod tradit Plinius; iique etiam, ut aliunde liquere videtur, vulgo in Græcorum Prytaneis femper ardentes. Unde mirabilis ille Lychnuchus apud Athenæum in Tarentinorum Prytaneo, a Dionyfio juniore pofitus, in quo tot arderent lucernæ, quot dies anni. Immo illud a Theocrito, & de quo ibidem doctiffimus Cafaubonus, proverbii loco ufurpatum, τὸ λύχνιον ἐν Πρυτανείῳ *lychnuchus* five *lucerna in Prytaneo*: inde enim nec aliunde cum viris magnis Scaligero & D. Heinfio quærenda illius & fequentis apud Poetam loci ratio. Mitto hic, quod in Arce Athenarum, Palladi diu noctuque facrata lucerna, eaque, ut alicubi memorat Paufanias, ex inextinguibili lino Carpafio fervaretur. Exftinctam eandem tamen cum fub tyranno [a] Ariftone, tum olei penuria, in obfidione Athenarum fub [b] Sylla, refert haud uno loco Plutarchus. Sic æternus etiam Lampadum ufus in Sacello Eumenidum in eadem Arce, ut liquet mihi e præclaro ea de re apud Æfchylum loco,

Anim. l. XV. cap. XIX. lib. XXXIV. c. III. lib. XV. p. 700. Idyll. XXI. v. 36. lib. I p 48. (a) In Numa. (b) In Sylla.

> Σπονδαὶ δ' ἐς τὸ πᾶν ἔνδαιδες οἴκων
> *Libationesque ædium in perpetuum cum lampadibus fint.*

Eum. v. 1047.

& ad quem locum Critici, ἔνδαιδες οἶκοι, μετὰ λαμπάδων. Accedunt hifce *lucernæ inexftinguibilis* in Templo Jovis Ammonis apud Afros, cujus meminit rurfus alicubi Plutarchus. Verum præter penfilem eamque ἄσβεστον lucernam, ara infuper & ignis femper ardens, tum Diis aliis quandoque, tum *Veftæ* in Græcorum *Prytaneis*, fumma religione facratus legitur. Equidem æterni ignis in Templo Apollinis Delphici fervati meminit idem Æfchylus,

περὶ δὲ τοῦ λύχνου ἀσβέστου &c. De defectu Oracul.

> Πυρός τε φέγγος ἄφθιτον κεκλημένον,
> *Ignifque lumen inextinguibile appellatum*,

Choeph. v. 1037.

& quo referri etiam debet petiti inde ignis ab uno e Platæenfibus narratio apud Plutarchum, ut exftincto per totum illum tractum tanquam polluto a barbaris igne, *purum Delphis e communi Foco* feu *Ara denuo accenderent*, ἐναύσασθαι καθαρὸν ἐκ Δελφῶν ἀπὸ τῆς κοινῆς Ἑστίας. Adde ignis eidem Deo apud Cyrenæos perpetuo accenfi, teftem Cyrenæum vatem, & iis quidem verbis, quæ non nifi de igne fupra Aram ardente poffunt intelligi,

in Arifide p. 331.

> Ἀεὶ δέ τοι ἀέναον πῦρ,
> Οὐδέ ποτε χθιζὸν περιβόσκεται ἄνθρακα τέφρη,
> *Semper quidem tibi perpetuus ignis eft,*
> *Neque unquam hefternum abfumit carbonem cinis.*

Callim. Hym in Apoll. v. 83. 84.

Ita igne etiam fupra aram ardente, non proinde penfili tantum, de qua, ut modo dictum, Plutarchus, cultum in ejus fano apud Libyas Ammonem, docet, & quod a Lipfio jam monitum video, Silius.

*Inexftincta focis fervant altaria flammis.* Quomodo in templo Cereris ac Proferpinæ apud Mantinenfes Arcades, tefte Paufania, ignis magna religione cultus, *ne clam iis exftingueretur*, μὴ λήθῃ σφίσιν ἀποσβεσθέν, ac fimiliter in Vulcani fano in Æde Siciliæ, πῦρ ἄσβεστον καὶ ἀκοίμητον, *ignem inexftinctum & perpetuum* adfervari tradit in libris de Animalibus Ælianus. Mitto jam vel Cap-

Lib. II. lib. XI. c. III.


padocum πυραιθεῖα, vel πυρεῖα Persarum, in quibus præcipuam fuisse Magorum curam, ut æternus Ignis, quem Persæ ante Deos alios colerent, inextinctus servaretur, e Strabone, Curtio, Ammiano, Theodorito, Agathia, aliisque occupavit jam illustris Brissonius. Quibus addi potest Procopius, ac ubi desitum jam dudum similem Vestæ apud Romanos cultum tangit, τὸ μέγα πυρεῖον ἐνταῦθά ἐστιν, ὃ σέβονται Πέρσαι θεῶν μάλιστα, οὗ δὴ τὸ ΠΥΡ ΑΣΒΕΣΤΟΝ φυλάττοντες Μάγοι, τά τε ἄλλα ἐς τὸ ἀκριβὲς ἐξοσιοῦνται, καὶ μαντείῳ ἐς τῶν πραγμάτων τὰ μέγιστα χρῶνται. τοῦτ' ἐστὶ τὸ πῦρ, ὅπερ ΕΣΤΙΑΝ ἐκάλουν τε καὶ ἐσέβοντο ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ῥωμαῖοι, *magnum ibi Pyreum, Persis maxime præ Diis omnibus in honore, ubi IGNEM INEXTINCTUM foventes Magi, cum alia sacra procurant studiose, tum in gravioris momenti rebus Oraculum consulunt. Hic ille ignis est, quem Romani VESTAM vocabant, ac superioribus temporibus venerabantur*. Immo non solum ante Persarum Reges, æternus seu *sacratus* ille *ignis*, uti a Claudiano dicitur, præferri solitus, sed etiam ante Spartanorum Reges in aciem prodeuntes, juxta Xenophontem, καὶ τὸ πῦρ μὲν ἀπὸ τούτων τῶν ἱερῶν προηγεῖται, ΟΥΠΟ ΤΕ ΑΠΟΣΒΕΝΝΥΜΕΝΟΝ, *atque ab his Sacris a Rege nempe peractis sublatus ignis præfertur, & NUNQUAM EXTINGUITUR*. Cujus autem æterni ignis passim in templis Deorum apud Gentiles servati, non vero accensæ solum lampadis, meminit, adducta etiam ejus rei caussa, Porphyrius: τούτῳ γὰρ καὶ τὸ πῦρ ἀθάνατον φυλάττομεν ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὂν μάλιστα αὐτοῖς ὁμοιότατον, *iis enim æternum ignem custodimus in templis, quam iis omnino simillimum*. Quibus accedat præclarus apud Aristidem locus, ubi de innumeris Romanorum festis & spectaculis agens, addit inde fieri, ὥστε ὅλον ΠΥΡ ἱερὸν καὶ ΑΣΒΕΣΤΟΝ οὐ διαλείπει τὸ πανηγυρίζειν, ἀλλὰ περίεισιν ἄλλοτε εἰς ἄλλους, ἀεὶ δὲ ἔστι που, *ut sacer & PERPETUUS IGNIS nunquam a feriis cesset, verum ab aliis ad alias transeat; semper enim est alicubi*. Quam cæteroquin Gentilium, & Græcorum quidem, quæque ab iis ad Romanos, *æternosque Vestæ ignes*, ut de iis loquitur haud semel Livius, in custodiendo perpetuo ad sacros usus igne, religionem, a simili Hebræorum instituto, seu æterno, quem ex Dei præscripto supra altare adservare tenebantur, igne, dimanasse viderunt jam eruditi.

*de regno Pers. pag. 311. Bell. Pers. l. II. cap. XXVI.* — *de Laced. Rep. pag. 688.* — *περ' ἀποχ. lib. II. p. 126.* — *in Romam p. 393.* — *lib. V. cap. LII. & L. XXXV. Levit. VI. 12. 13.*

XI
De Vestæ perpetuo igne in Prytaneis.

Adeo ut minus mirum aut insolitum videri debeat, primam, sicuti vidimus, Deorum Vestam, non ardente solum, quod censuit ὁ πάνυ, lucerna, sed insuper proprie eidem ignis super aram semper accensi symbolo, in Prytaneis Græcorum cultam. Unde factum, ut Ἑστία, quod ex Æschylo, aliisque jam ante vidimus, non pro *foco* solum, sed & pro *ara* sumatur: & πρυτανεῖον, quasi πυρὸς ταμεῖον, seu *ignis promptuarium* dictum tradant veteres Grammatici. Quod clare etiam alicubi monent Græci Thucydidis Interpretes, & quæ totidem ferme verbis apud Suidam [a] leguntur, ἄλλοι δέ φασι, ὅτι τὸ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ πυρὸς ἦν ταμεῖον, ἔνθα καὶ ἦν ΑΣΒΕΣΤΟΝ ΠΥΡ, καὶ ηὔχοντο, *alii vero dicunt* πρυτανεῖον *dici* πυρὸς ταμεῖον, *ubi & ignis erat inextinguibilis, & vota nuncupabant*. Aperte autem de Eleorum *Prytaneo*, & de *Vestæ* in eo sacrario Pausanias: ἐν δὲ αὐτῷ τῷ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩ παρελθόντων ἐς τὸ οἴκημα, ἔνθα σφίσιν ἡ ΕΣΤΙΑ, Πανός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τῆς εἰσόδου βωμός. ἔστι δὲ καὶ ἐπ' αὐτοῖς ΠΥΡ ἀνὰ πᾶσάν τε ἡμέραν καὶ ἐν πάσῃ νυκτὶ ὡσαύτως ΚΑΙΕΤΑΙ, *in ipso autem PRYTANEO, cum ad eam accesseris cellam, in qua VESTA, ad primi ingressus dextram, Panis Aram videas. Est autem VESTA seu Focus ille e cineribus substructus, & supra quos (Aram nempe illam & Focum) IGNIS tam interdiu, quam noctu ita semper adoletur*. Additque receptum ibidem, ut ab eo Foco seu Ἑστίᾳ cinis ad Jovis Olympii Aram transferretur. Panis vero Ara, cujus ibi mentio, *Foco* seu *Vestæ* in eodem Prytaneo, vel inde proxima; quod Deus ille capripes, tum lampade accensa, tum perpetuo igne haud uno in loco coleretur. Pani certe ignem inextinctum sacratum apud Arcadas, docet alibi ibidem Pausanias; & Arcadum exemplo apud Athenienses in Arce, ardente lampade, seu noto lampadum certamine, eundem Pana cultum, tradit Herodotus. Unde lux etiam nuper a me adlata, tum veteri nummo, in quo Pan depictus, qui utraque manu facem, *lampada* vulgo Græcis dictam, tenet; tum antiquæ inscriptioni a Cl. Reinesio primum editæ, & cujus mentem, ut agnoscit ibidem vir eruditissimus, haud erat adsequutus, LUCIDO PANI. Immo quam in rem, de *Vesta* loquor, occurrit opportune expressa itidem Vesta cum face in Romanis aliquot nummis, ut Vitellii, cum inscriptione paullo ante commemorata, VESTA P. R. QUIRITUM; tum Saloninæ Gallieni, sub Vestæ habitu depictæ, cum elogio VESTA FELIX, qualem jam edidit Tristanus. Juvabit vero haud minus utrumque illustrandæ rei adponere; quorum priorem, Vitellii nempe, paulum ab eo, quem apud Tristanum videas, diversum, suppeditavit mihi Cimeliarchium Parisiense, S. ut dicitur, Genovefæ, Claudii Moulinetii ejusdem Ædis Canonici, summo studio e divite PeiresKiana penu locupletatum.

*Schol. Thucyd. (a) L. II. pag. 110. edit. Wechel.* — *lib. V. p. 316.* — *In Arcad. pag. 516.* — *Λαμπάδι ἱλάσκονται lib. VI. c. CV. ad Jul. Cæs. pag. 44. & 490. Syntag. p. 173. & Spon. Miscell. p. 85.*




Quomodo etiam accensam facem, ἐφέστιον φλόγα, haud immerito dictam ab Euripide paullo ante vidimus. E quibus præterea abunde liquet, cur Ἑστία a veteribus aliquot Criticis deducatur ab antiqua voce ἑύω, τὸ φωτίζω (ut illi eandem explicant) καὶ φλογίζω, *illumino & uro*. Utrumque certe, de quo hic agimus, cum lucernæ semper ardentis, tum ignis supra Aram

*Schol. Eurip. Hecub. v. 22.*

perpetui ritum, Romæ itidem in cultu Vestæ observatum, vel ex veteribus nummis iterum aperte colligas; in quibus modo Vesta, quæ dextra lampadem aut facem quandoque, sinistra Palladium præfert, ante

A eam ara tantum & ignis desuper ardens, aut ante aram accensam libans Dea, vel Deæ Sacerdos; adscriptum vero in singulis Deæ nomen VESTA.




XII De Vestæ Simulacris apud Romanos.

Neque vero, quod arguere quis posset, eoque meam de hoc Smyrnæorum nummo interpretationem convellere, ara solum & ignis supra eandem accensus, aut vero lampas tantum ardens, juxta magnum Casaubonum, unum exstabat hujus *Vestæ* in Prytaneis Græcorum symbolum; nullum præterea aliud, quod censuit ὁ πάνυ, ejus Deæ simulacrum. Id equidem de Romanorum Vesta tradentem novimus Ovidium,


Fastor. l. VI. v. 297. *Ignis inextinctus templo celatur in illo:*
*Effigiem nullam Vesta nec Ignis habent.*

& paullo ante,

Ibid. v. 291. *Nec tu aliter Vestam, quam vivam intellige flammam,*

In Camillo. eique suffragantes nonnullos apud Plutarchum, qui nihil a Vestalibus, præter ignem æternum, adservari existimabant. Quod firmare etiam videntur veteres aliquot Romanorum nummi, in quibus ara solum exstat, qualem modo vidimus, cum igne accenso; aut sacra facientes ante aram ardentem Vestales; vel nudum quandoque Vestæ templum, citra ullum illius Deæ simulacrum, adscripto tamen ejus nomine, VESTA,

B aut VESTA MATER. Quæ ita e Plutarcho rursus & Servio debent intelligi, quod in delubro Vestæ sola ara cum igne desuper accenso spectaretur; in penitissimo autem & abdito ejus recessu, qui *penus*, qua de re infra, dictus, *Penates*, e quorum numero *Vesta*, nemini, præterquam Virginibus Vestalibus, conspiciendi, reconderentur. Unde commemoratis modo nummis opponere jure liceat, cum Ciceronem, qui haud uno in loco Qu. Scævolam Pontificem Maximum, *Romæ ante simulacrum Vestæ trucidatum*, ejusque sanguine respersum idem simulacrum tradit; tum alios Romanorum nummos, in quibus, quod jam vidit Lipsius, obvium illud Vestæ simulacrum, velatæ nempe mulieris, quæ Palladium tenet cum hasta, quandoque cum patera, solitis Dearum insignibus, aut alioquin cum simulacro ejusdem Deæ in templo, seu ara in medio templi; desuper autem Dea, ante eam vero sacra facientes Vestales. Quæ singula, ut mittam duos paullo ante adlatos, in quibus eadem VESTA facem & pateram tenet, nummi sequentes, iique haud vulgares, ante oculos ponunt, — de nat. Deor. l. III. c. 32. & de Orator. l. III. cap. 3. de Vesta cap. III. — C




Prior nempe Saloninæ Gallieni, isque Regiæ Gallorum Gazæ, cum inscriptione VESTA ÆTERNA: alter cum elogio VESTÆ SANCTÆ: tertius, in quo VESTA MATER: hi duo autem postremi cum Juliæ Severi effigie in prima nummi area. Haud obscura vero horum elogiorum *Vestæ* in iisdem nummis tributorum ratio. ÆTERNA nempe VESTA, quod nomen

D ei quoque largitur Horatius, *æternæque Vestæ*, ob æterni, ut liquet, ignis custodiam, quomodo eundem, ut Livium, Valerium Max. aliosque mittam, vocat Maro, ubi de Vesta ei etiam sermo, — lib. III. Od. I.

*Aeternumque adytis effert penetralibus ignem;* — Æneid. l. II. v. 297.

ac alibi de illo *igne*, quem vocat, *vigili*, additque *Excubias Divum æternas*: Græci quoque — Ibid. IV. 201.

que similiter eundem *πυρὸς ἀθανάτου* nomine nuncuparunt. Hinc velatum etiam caput hujus Deæ, sicut alia vulgo ÆTERNITATIS symbola in veteribus nummis. SANCTA vero dicta in altero nummo eadem VESTA; tum juxta similem appellationem Diis aliis ac Deabus haud semel concessam, in veteribus Lapidum Nummorumve monumentis, APOLLINI SANCTO, MINERVÆ SANCTÆ, DIANÆ SANCTÆ, HERCULI SANCTO, ac similibus; tum ut VESTÆ proprium tanquam Pudicæ, immo Pudicitiæ, in antiquis nummis quandoque symbolo; ac unde illud veteris Poetæ, *licebit ipsa sis pudicior Vesta*; & quo sensu Vestales, *Virgines sanctæ* dictæ alibi apud Horatium. Unde etiam illud Ausonii ad Gratianum Cæsarem, *operto conclavis tui, non SANCTIOR ARA VESTALIS*. Hinc VIRGO VESTA occurrit in veteri Kalendario Romano, quod cum alibi, tum in Codice MS. Vindebonensi, apud Lambecium, nempe, *Februario Idib. VIRGO VESTA parentat*; & Sponsæ dictæ olim limen non tangere, notante ad Virgilium Servio, *ne depositura virginitatem calcent rem VESTÆ, id est, Numini CASTISSIMO consecratam*. Unde de eadem Vesta Ovidius, *Jure igitur VIRGO, &c.* & alibi de ejus ara,

*In Priapeiis. Lib. I. Od. II. Gratian. Action. Vindeb. Bibl. T. IV. App. p. 277. ad Eclog. VIII. Fast. VI. v. 293.*

> *I, pete Virginea populus suffimen ab ara;*
> *VESTA dabit :- Vestæ munere purus eris.*

*Ibid l. IV. v. 731.*

Unde etiam *παρθενικὸν ἄγαλμα Virgineum simulacrum* Vestæ a Porphyrio apud Eusebium, de quo loco mox uberius, tribui videas; & Telluris seu *Vestæ* in quodam Achajæ loco, sacerdos fœmina ab eo tempore quo sacerdotium illud nacta, in casto vivere seu *ἁγνεύειν* jussa apud Pausaniam legitur. Ad quæ proinde referre licet illud Euripidis,

*Præp. Evang. l. III. lib. VII. p. 430.*

> Ἱκέτιν πρὸς ἁγνοῖς Ἑστίας θάσσειν βάθροις,
> *Supplicem ad castas Vestæ sedes sedere.*

*Hercul. Fur. v. 715.*

Peculiarem vero ejus rei fontem aperit alicubi Græcus Aristophanis Interpres, sed Græca Aristocriti cujusdam fide; quod Vesta scilicet, post debellatos Titanas, optione habita, petere quod vellet, continuo virginitatem petierit: MATER vero cur haud minus dicatur in postremo nummo eadem VESTA, sicut in veteri Inscriptione VESTÆ MATRI, ac similiter in notis apud Tullium, *teque Vesta Mater*, &c. ac apud Maronem, *Vestaque Mater*, locis abunde liquet; quod vulgo eadem quæ Terra, aut Deum Mater Rhea censeretur. Hinc *primæ* etiam *Vestæ*, qua de re supra; ante Deos alios cultus; eademque non Virginis solum, sed Mulieris quoque habitu, juxta Porphyrium, ut mox videbimus, depicta; eaque subinde infantem gremio ferens, quale Vestæ simulacrum Puteolis repertum tradit Capaccius. Immo sicut MARS PATER, cum alibi, tum in nummis aliquot antiquis; sic MATER Romanis dicta videtur vel ideo VESTA, tanquam unum & præcipuum e Tutelaribus Urbis, ac Domus inprimis Augustæ, quorum utrumque innuit ibidem Virgilius, Numinibus,

*ad Vesp. p. 491. Thes. Grut. CXXI. Orat. pro Domo. Georg. l. I. v. 499. de Reb. Neapol. l. I. p.*

> *Dii Patrii Indigetes, & Romule, VESTAQUE MATER,*
> *Quæ Tuscum Tiberim, & Romana Palatia servas.*

*Georg. I. 498.*

eadem nempe quæ Palatina Dea, seu quæ Romæ juxta Apollinem Palatinum inde dictum, in Palatio fuerat consecrata, de qua Ovidius in Fastis,

> *Phœbus habet partem, VESTÆ pars altera cessit.*

*lib IV. v. 951.*

quæque inde alibi, ut ad illum Maronis locum viderunt jam viri docti, & monuisse etiam Lipsium postea animadverti, *Cæsareos inter sacrata Penates*, ac *Cæsarea* etiam dicitur ab eodem *Vesta*. Quæ egregie insuper illustrat cum præclarus nummus, quem vidisse olim juvit, cum Templo, sacrificio, & elogio, quale etiam apud Goltzium legas, VESTÆ AUGUSTÆ; tum inscriptio in honorem Juliæ Severi a Cl. Sponio vulgata, ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ; *Juliam Augustam Vestam Novam Cererem*. Eadem nempe Julia, ad quam itidem spectat superior nummus inscriptus, VESTA MATER. De *Cerere* vero eadem quæ *Vesta*, dicitur paullo infra; & de qua vetus Inscriptio in Reinesiano Syntagmate, ubi inter alia legitur, CERERI MATRI MAXIMÆ; ut jam de nummis nihil dicam, in quibus obvia CERES AUGUSTA, haud aliter ac JUNO, vel VENUS, vel VESTA etiam, ut modo diximus, AUGUSTA. Suidam vero haud moror, qui Pateram, quæ in superioribus quoque Vestæ nummis conspicua, pro tympano videtur accepisse, ubi *Vestam* instar *Terræ* cum tympano, quod frustra in antiquis ac residuis Vestæ simulacris quæras, depictam tradit; ni *Vesta* eadem illi statuatur, quæ *Rhea*, qua de re iterum; utraque proinde pro *Terra*, de qua Suidæ ibidem sermo, & cui gemina tradentem alibi videas, *Γῆς ἄγαλμα, γυναῖκα πλάττουσι τὴν Ἑστίαν, οἱονεὶ τὴν Γῆν τύμπανον βαστάζουσαν*, *Terræ simulacrum, Vestam fingunt, nempe terram tympanum gestantem*; addita ratione, quod ventos in se conclusos contineat. Eadem tradit ille in voce Ἑστία.

*de Vesta cap. IV. Metam l. XV. v. 864. &c. Itin T. III. P. II. p. 223. Syntag. p. 61. In voce Γῆ &c.*

XIII. De Vestæ Simulacris apud Græcos.

Ex hisce autem jam adlatis, cavendum liquet, ne vel magno Casaubono, ut jam monui, aut vero [a] Lipsio, ac [b] Jo. Ger. Vossio, Viris clarissimi nominis, fidem habeamus, quorum isti itidem, juxta id tradentem, ut jam ante vidimus, de Romanorum Vesta Ovidium, nullum simulacrum VESTÆ apud Græcos, præter Aram & Ignem, exstitisse statuunt. Quod certe si evicissent viri doctissimi, omnis hæc nostra de obvia in hoc Smyrnæorum nummo *Prytanitidis Vestæ* effigie disputatio uno ictu corruisset. Verum rectius, si & hoc omisisset Lipsius; qui cæteroquin nihil ferme de Grecorum *Vesta*; aut quidquam de solemni ejus in eorum *Prytaneis* cultu observat (nisi quod uno alterove tantum verbo, id, cui jam præiverat Casaubonus, in Athenæo & Pausania contineri dicat) cujusque hic premit vestigia, quamquam paullo cautius, vir diligentiæ alioquin ac eruditionis immensæ. Neque enim id probat is, quem adferunt & cui uni innituntur, Pausaniæ locus, qui non ibi de solemni agit Græco-

*(a) de Vesta c. III. (b) Idol. l. IX. c. XXII. de Vesta cap. XV. J. G. Vossius.*

rum more, sed ut peculiare apud Hermionenses monet, quod nullum foret apud eos Vestæ simulacrum, præter aram in Templo, *lib. II. p. 157.* παρελθοῦσι δὲ εἰς τὸ τῆς Εστίας· ἄγαλμα μέν ἐστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτῷ θύουσιν Εστίᾳ, *Jam qui in Vestæ Templum transierunt, ibi quidem nullum signum, ara demum, & supra eam sacra faciunt Vestæ.* At consule eundem Auctorem in Atticis, ubi in Athenarum Prytaneo signum exstitisse hujus Deæ aperte observat, πλησίον δὲ ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ ἐστιν, ἐν ᾧ νόμοι τε οἱ Σόλωνος εἰσὶ γεγραμμένοι, καὶ θεῶν Εἰρήνης *Attic. p. 31.* ΑΓΑΛΜΑ κεῖται καὶ ΕΣΤΙΑΣ; *PRYTANEUM prope est, in quo Solonis leges perscriptæ adservantur; SIGNA vero Dearum ibi posita Pacis & VESTÆ.* Idem vero in *lib. I. Eliac. p. 339.* Eliacis, cum Vestæ simulacrum in Olympia, opus Smynthii exstitisse memorat, tum Vesta Mercurium amplectens, in scamillo *Ibid. p. 307* solii Jovis Phidiæ Olympii & in Elide conspicui expressa ab eodem traditur. Immo alibi rursus in Achaicis, de Vestæ signo a- *lib. VII. p. 440.* pud Patrenses, κεῖται δὲ πρὸ τοῦ ἀγάλματος Εστία, λίθου καὶ αὐτὴ, μολίβδῳ δὲ πρὸς τὴν ΕΣΤΙΑΝ προσέχοντες λύχνοι χαλκοί, *ante Mercurii signum VESTA, & ipsa marmorea; adpositæ ei sunt plumbo ferruminatæ æneæ lucernulæ;* additque, qui Oraculum illius loci consulunt, Vestam primum thure incenso placare; dein, oleo infuso lucernas accendere. *Oneirocrit. l. XXVI. c. IV.* Accedit eidem Pausaniæ Artemidorus, ΕΣΤΙΑ αὐτή τε, καὶ ΤΑ ΑΓΑΛΜΑΤΑ αὐτῆς, πόλεως μὲν βουλὴν, καὶ τὴν ἐθνῶν σημαίνει, *VESTA tum ipsa, tum STATUÆ ipsius, urbis senatum, & penum redituum significant*, qua de re infra. Im- *lib. II. c. XLIX.* mo eidem alibi per vetulam Vesta dicitur adumbrari. Mitto hic adlatum paullo ante e Suida testimonium, quod tamen viderat *cap. III.* Lipsius, ubi de Vestæ apud Romanos simulacro, traditisque ei symbolis, loquitur. Sed insignis præ aliis Porphyrii apud Eusebium locus, ac inprimis ad faciendam rei, de qua hic agimus, fidem opportunus; ubi nempe habitus ejusdem Vestæ, ac præterea *Præp. Evang. l. III. p. 109.* locus erecti vulgo ante aram Deæ simulacri aperte traditur, καὶ τὸ μὲν ἡγεμονικὸν τῆς χθονίας δυνάμεως ΕΣΤΙΑ κέκληται, ἧς ΑΓΑΛΜΑ παρθενικὸν Εφ' ΕΣΤΙΑΣ πυρὸς ἱδρυμένον. καθ' ὃ δὲ γόνιμος ἡ δύναμις, σημαίνουσιν αὐτὴν ΓΥΝΑΙΚΟΣ εἴδει ΠΡΟΜΑΣΤΟΥ, *Id quod est in terrena vi princeps, atque primarium, VESTA nominatur; cujus SIMULACRUM Virginea specie JUXTA ARAM accensam erigi consuevit: quatenus autem fecunda vis illi inest, eandem ex UBERIS indicio MULIEBRI forma expressam volunt.* Unde, ut obiter addam, liquidum, cur non *Virgo* solum, sed *Mater*, qua de re paullo ante, dicta sit eadem *Vesta*; eaque cum prominente etiam ubere, in hoc ipso, quem hic illustrandum suscepimus, Smyrnæorum nummo, adposite ad Porphyrianum ectypum depingatur. Quæ quum a me, edita primum hac Diatriba, essent animadversa, nec dum tamen vulgato Seguini, cui inserta eadem fuerat, opere, citare etiam hunc ipsum Porphyrii locum vidi, & in Addendis monui, amplissimum Cuperum, in laudata supra, & quæ tum opportune prodierat, Homerica Apotheosi; ubi postremas voces, πρὸ μαστοῦ in unum contrahit, προμαστοῦ nempe seu *mammosæ*. Quale utique, quod hic monere liceat, *mammosæ Vestæ* simulacrum profert Lambecius, *Bibl. Vindeb. l. II. c. VIII. p. 739.* tamquam in veteri nummo argenteo Cæsarei Cimeliarchii; ubi hinc caput exstat Ciceronis corona quernea redimitum, cum litteris M. T. CICERO; illinc Mulier sedens mammosa, dextra Palladium tenens, a tergo Ara accensa, cum addita epigraphe, MINERVÆ. Verum omnino recentioris fabricæ hic nummus, qualem etiam in Gaza Palatina, & nunc in Electorali Brandenburgica conspiciendum, vidisse me olim memineram; nullo modo vero probi ille & antiqui typi, quod eruditum Lambecium fugit, in talibus minus sagacem; non vero eos, qui hæc paullo adtentius versant. Quam in rem opportunius verum ac genuinum *VESTÆ* hujus nummum hic adspiciet Lector, qui cum Juliæ Titi filiæ effigie signatur, in aversa parte exhibet sedentem ac velatam Deam, quæ sinistra hastam, dextra non jam Palladium, seu more ei consueto Iliensis Minervæ, sed Dianæ Ephesiæ, προμαστοῦ, ut notum, seu potius *multimammæ* dictæ, simulacrum tenet, cum adscripto Deæ nomine VESTA.

*Vestæ* simulacra commemorare mihi liceat; unum, quod e Capaccio paullo ante monui, muliebri habitu, infantem gremio tenens, quem Jovem referre existimat Albricus, cujus nutricem fuisse Vestam dixerint antiqui. Unde adposite utique πρόμαστος eadem, seu cum prominente mamma, a Porphyrio, quod paullo ante vidimus, traditur. Alterum illius Deæ simulacrum, nuper sub Hortis Matthæis repertum, novissime vulgavit præclarus ac diligens veterum id genus monumentorum promuscondus ac interpres, Raphael Fabrettus, *ad Tabul. Iliad. p. 339.* quod *Vestam* exhibet sedentem & velatam, cum turrito capite, quæ dextra præterea pateram tenet, & a tergo molam, de qua videndus idem Cl. Fabrettus, & dicetur adhuc infra. Illud vero bene ad traditam Porphyrii ea de re narrationem, erecti nempe vulgo ante aram accensam Vestæ simulacri, adstruit nummus geminus, paullo ante adductus, cum simili omnino Vestæ ante aram ardentem stantis effigie, & addita epigraphe, VESTA MATER. Quo ritu nempe *Vestæ* apud Græcos simulacra, ad aram accensam, & quod innuit, ut supra vidimus, Græcus Pindari Interpres, in Prytaneis Græcorum, aut a Græcis (ut ejusdem ritus religionem noris) in remotis etiam regionibus conditarum Urbium, vulgo erecta; ac unde eadem Πρυτανῖτις Εστία dici meruit. Postremum utique apud Athenæum legitur,

Lib. IV. p. 149. (a) lib. II. cap. LXXVIII. (b) lib. XVII. p. 801.

qui ΕΣΤΙΑ ΠΡΥΤΑΝΙΤΙΔΟΣ, seu *VESTÆ PRYTANITIDOS* natalitia, apud Naucratitas Ægyptios, Græcorum scilicet, ut vel ex [a] Herodoto & [b] Strabone liquet, traduces, docet celebrata. Neque aliter dedicata cum alibi, ut vidimus, tum in Curia Atheniensium, illa, de qua supra jam egimus, Βυλαία Εςία, seu *Senatoria Vesta*; ut opportune iterum ad rei hujus, de erectis nempe Vestæ simulacris, fidem facit Harpocration, ΕΣΤΙΑΝ τὴν Βυλαίαν, οἷα τὴν ἐν τῇ Βυλῇ ΙΔΡΥΜΕΝΗΝ, *VESTAM Senatoriam, tanquam quæ in Senatu erat DEDICATA* seu *erecta*. Ut mirum sit utique viros doctissimos, qui data opera de *Vesta*, ejusque apud veteres cultu, commentabantur, hæc non vidisse; immo aperte pugnantia cum tot clarissimis auctorum locis, aliisve residuis prisci ævi monumentis, ex male accepto, aut properantius lecto uno Pausaniæ loco, secure admodum tradidisse.

XIV. De Vestæ cultu in penetralibus ædium.

Haud obscurum vero, quod ex indubia rursus auctorum & monumentorum veterum fide liquet, ea VESTÆ simulacra, in penetrali Prytaneorum, aut cæteroquin sacrarum illi ædium parte, vulgo erecta fuisse; ibique perpetuo igne cultam hanc Deam. Hinc utique appellatur non semel a Virgilio [a] *canæ penetralia Vestæ*: a Plutarcho autem [b] *Vestæ sacra in recessu recondita*. Unde jam olim dicta eadem Vesta, *mediam domum obtinere*, ἢ μέσον οἶκον ἔχει: in versibus Orpheo tributis; aut in *mediis ædibus statui*, κατὰ μέσυς ἵδρυται τὺς οἴκυς, apud Phornutum. Immo inde non ἐσχάρα solum, aut ἑςία, sed λαμπτὴρ etiam dictus Græcis Criticis *ardens* ille Vestæ *in medio ædium focus*, λαμπτὴρ ἐσχάρα, ἐφ' ἧς ἔκαιον ἐν μέσῳ τῶν οἴκων. Adeo ut ara seu ipsa Aedes Delphica, oraculi sedes, Δελφικὴ ἑστία dicatur apud Sophoclem,

(a) Æn. l. V. 744. IX. 259. (b) τὰ ἐν τόις ἀδὺτοις κρύπτεσθαι in Camillo p. 139. Hesychius.

> Α'νδρῶν θεωρῶν Δελφικῆς ἀφ' ἑστίας,
> *A legatis sacrorum caussa ab æde Delphica reducibus.*

Oedip. Col. v. 426. in Cimone.

quæque apud Plutarchum, uti supra jam innui, Κοινὴ Εστία dicitur, aut sicut passim alibi apud Græcos Tragicos, ἑστία, vel ἕδρα μεσόμφαλος, quod *orbis* scilicet foret *umbilicus*, juxta Poetam in Priapeiis; & prout alibi de eadem Ara aut Templo Euripides, γαίας μεσσήρεις ἕδρας *terræ medias sedes* aut *aras*, juxta traditum supra vocis ἕδρα pro ara usum. Quamquam eandem etiam ἑστίας μεσομφάλυς seu *aræ penetralis* appellationem tribuat Æschylus, loco alia occasione antea jam adducto, aræ in Agamemnonis Regia, ad quam sacra pro illius reditu facturarat Clytemnæstra. Immo hinc Delus, quod in medio Cycladum esset sita, ac præterea ad quam ἱερὴν seu *sacram* vulgo dictam, solemnes non earundem solum Insularum, sed undique velut ad κοινὴν Εςίαν mittebantur θεωρίαι a Callimacho (ut pridem hic videram, & novissime ad eundem Battiadem, quem illustrandum susceperam, monendum fuit) ἑςίη νήσων, *Vesta Insularum*, seu ara, vel sedes velut penetralis, ac simul εὐέςιος, seu *felix domicilium* dici meruit. Ad quem etiam locum, hæc apposite ad ea, quæ jam ante de hac voce diximus, notant Critici; ἑςία, κυρίως ὁ βωμὸς ἐν μέσῳ τῷ δόμῳ ἑςώς, seu ἑςία *proprie ara in medio domus posita*. Quamquam, ut obiter

Ion. v. 810. Hym. in Del. v. 319.

A hic dicam, non in Regiæ seu Palatiorum solum recessu ac penetrali, sed in vestibulis etiam eorundem, Aræ id genus πατρῷαι statuebantur: quod vel arguunt illa senum Thebanorum ad Regem Oedipum verba in divino dramate, ubi dicunt se ad *aras ejus sedere*, βωμοῖσι τοῖς σοῖς, notant vero ibidem Scholiastæ, ἐπὶ τοῖς πρὸς τὴν βασιλείαν ἱδρυμένοις, *ad aras ante Regiam erectas*. Quo referri debet, quod aliunde constat, & supra monui, de limine ædium *Vestæ* itidem sacro, & inde quoque *vestibuli* appellationem, ut volunt Poetæ & Gramma-B tici, nacto; aut quod de Q. Scævola Pontifice Maximo in vestibulo ædis Vestæ, & ante Deæ simulacrum ibidem erectum, occiso, præclari, ut antea vidimus, auctores monent. Verum solemnis ille imprimis, immo vulgaris, quod firmant tot auctorum loca, ritus; ut in intima ædium, cum publicarum, tum privatarum etiam, sicut ante evicimus, parte, *Vestæ* simulacra statuerentur; aut Ara vel Focus eidem adoleret. Unde factum video, ut κτήσιοι Dii, qui a Græcis, quod vel e Menandro liquet, in pene-C tralibus ædium, ubi penus seu ταμεῖον, colebantur, ac inde *Penates* a Romanis dicti, cum *Vesta Patroa* opportune jungantur alicubi a Dionysio Halicarnassensi, ὑμεῖς ὦ θεοὶ κτήσιοι καὶ Εςία πατρῴα, *vos, o Dii Penates, Penus Custodes, & Vesta Patroa*. Iidem nempe, qui inde etiam non solum οἱ ἔνδον θεοὶ, seu *intus Dii*, & quibus reversus Romam Vespasianus sacra fecisse apud [a] Josephum dicitur; sed θεοὶ μύχιοι *Dii Penetrales*, Græcis, ut alicubi observat idem [b] Dionysius & firmat [c] Ælianus, dicti; adposite autem eam in rem apud [d] Æschy-D lum, ac unde lux eidem,

Soph. Oedip. v. 16.

Διὰ τὸν κτήσιον ἔχοντα τὸ ταμεῖον Harpocr. κτησίυς.

Antiqu. l. VIII. p. 513.

(a) Bell. Jud. l. VII. c. 22. (b) Antiq. l. I. p. 54. (c) Lib. X. c. 34. Hist. Anim. (d) Choeph. v. 798.

> Οἵ τε ἔσωθεν δωμάτων
> Πλυταγαθῆ μυχὸν νομίζετε,
> Κλύετε σύμφρονες θεοί.
> *Quique interiorem ædium*
> *Divitem recessum administratis,*
> *Audite benevoli Dii.*

Quibus consona, & quæ inde explicanda, Phœnicis Colophonii apud Athenæum verba, ὧν μυχὸς πλυτεῖ, *quorum penetrale* seu *penus* (quæ pro eodem dici notat Servius, E & vulgo in recessu ædium) *dives est*; & eam in rem μυχοὶ πόλεως, de *urbis ærario* a Xenophane apud eundem appellati. Quam in rem etiam a Juliano Imper. dictum, τῦ πλύτυ τῶν βασιλείων ἐν μυχοῖς συνελκλαμένυ, *opum in Palatii penetralibus congestarum*; ad quem autem locum plenius illustrandum, nonnulla ex iis quæ modo adtulimus, pridem hic a nobis adnotata, in nostris ad eundem τὸν παραβάτην observationibus, quæ jam ad hanc Orationem typis sunt commissæ, opportune contulimus. *Pe-F nus* utique, auctore Festo, *dictus locus in æde Vestæ intimus*, & qui statis diebus, *circa Vestalia aperitur*; addo & *clauditur*; sicut utriusque ritus meminit Servius, & tempus notari videmus in veteri Romano Kalendario, quod vulgarunt eruditi, nempe in Junio *VII. Idus VESTA APERIT*; mox ejusdem mensis *XVII. Kal. Jul. VESTA CLAUDITUR*. Hinc de Elagabalo Lampridius, *in penum VESTÆ, quod solæ Virgines solique Pontifices, adeunt, irrupit*. Immo hinc *Penates* Populi Romani

ad Æn. III. v. 12. Lib. X. p. 414. Orat. I. p. 10 ed. Paris.

ut hodie quoque penus Vestæ claudi vel aperiri dicitur. Ad Æn. III. v. 12.

Delubrum Vestæ cum Penatibus P. R. exusta. *Annal. XV. 41. Saturn. l. III cap. IV. ad Æn. l. II. v. 296.*

non solum, ut e Tacito & aliunde liquet, in Templo Vestæ, sed ipsa etiam *Vesta* inter Penates illos adnumerari solita. Ita Macrobius, *Vestam de numero Penatum, aut certe comitem eorum esse manifestum est*. Servius autem alicubi, Consules & Prætores, sive Dictatorem, qui Lavini abirent Magistratu, *sacra Penatibus simul & Vestæ fecisse* observat. Unde explicari itidem debet, immo planum jam inde omnino ac liquidum, quod de Vesta apud Ciceronem, loco obiter supra indicato, legitur, *Dea, quæ est CUSTOS rerum INTIMARUM*, in intima nempe ædium parte, quæ *Vestæ*, uti vidimus, sacra, reconditarum, & quod præterea ibidem a Tullio mox additur, *NEC LONGE absunt ab hac VESTA Dii PENATES, sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam PENETRALES a Poetis vocantur*: uti etiam postea a Seneca Tragico factum: *de Natur. Deor. l. II. n. 67.*

*Ferte arma, facibus petite PENETRALES DEOS*; *Thebaid. v. 340.*

nempe qui a Græcis θεοὶ Μύχιοι similiter, ut paullo ante vidimus, sunt appellati.

XV. De duobus apud Tertullianum ac Arnobiū locis. *de Spectacul. cap. V. pag. 178.*

Neque tamen eadem designari verbis illis existimo, quæ aræ Consi Dei, Romæ in circo defossæ, inscripta refert Tertullianus, LARES COILLO POTENTES: quomodo e vetustissimo Agobardi Codice, pro COMITIO POTENTES, ut antea legebatur, ac in Reinesii etiamnum Syntagmate adducitur, in Rigaltiana editione comparet. Quamquam enim Lares, quod ibi vir ille eruditissimus observat, in domus penetrali cultos, ut modo vidimus, ac aliunde sat notum, constet: non ideo tamen *coillon* ibi vel *coilon*, de *domus penetrali* dictum, & quidem, quod vox Græca Κοῖλον *cavum* denotet, licet continuo, uti tamen ab eodem Tertulliani Enarratore factum, statuere. Neque viri summi, qui primus e veteribus libris & illo Agobardi codice, *comitia* ibi expungenda alibi monuit, quam is adfert ejusdem loci, etsi ipse mirifice eam extollat, emendatio & explicatio mihi probatur; ubi nempe pro *coilo* aut *coillo*, ut extare in antiquis libris agnoscit, legendum statuit *colio*, quæ vox *colium*, habitationem notet; atque ita ibi *Lares colio potentes* dicantur, id est, Lares familiares ac domestici. Præterquam enim quod nullo veteris alicujus Auctoris, vel etiam Glossarii exemplo, eam vocem *colion* pro *habitatione* vel *domicilio* adstruat; sed inde tantum, quod *colere* subinde pro *habitare*, a Latinis Scriptoribus dicatur: præter ea, inquam, haud satis commode vel explicate *Lares*, qui in penetralibus ædium culti, in genere *habitatione potentes* ibi appellarentur. Unde nihil certius, & quod hic adnotaveram pluribusque confirmaveram, antequam id a viro recondita eruditione Is. Vossio ad Catullum jam monitum vidissem: nempe *coilon* ibi, non *colion*, ut apud veteres Romanos & Græca illa voce quod notarunt eruditi Κοῖλον, de *cœlo* dici: ac unde *Lares COILO* seu *COELO POTENTES*, quod non in ædium solum penetralibus colerentur, sed in *cœlo* etiam seu aere, prout de eo passim a Romanis *cœlum* dicitur, versari ac domi- *Salmas. ad Solin. pag. 641 ult. ed.* *Observ. p. 277.*

nari iidem crederentur; immo ut de iisdem Laribus ait Martianus Capella, qui *etiam circulum solis ac flammantia septa transsiliunt*. Adde prout a Servio, opportune omnino ad hunc locum dictum alicubi, *ideo PENATES*, iidem qui LARES, *appellantur, quod in penetralibus ædium COELI sedeant; nam & ipsum penetral, penus dicitur, ut hodie quoque penus VESTÆ claudi vel aperiri dicitur*. Unde etiam eadem *Vesta*, & qua de re paullo post, *sola manere in domo Deorum*, seu in cœli penetralibus, dicta apud Platonem. Mitto *Potentes* dici ibi apud Tertullianum, prout *Præstites* a Romanis vocati sunt & culti iidem *Lares*; & quidem, ut de iis Ovidius, *lib. II. p. 39. ad Æn. l. II. v. 12.* *in Phædrop. 247. T. III.*

*Quod præstent oculis omnia tuta suis.*
*Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus Urbis;*
*Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.* *Fast. l. V. v. 134.*

Seu quam in rem, idem, de quo modo, Martianus Capella, *Singulis Mortalibus Genius admovetur, quem etiam PRÆSTITEM, quod præsit gerundis omnibus vocaverunt*; sed ubi pro *gerundis*, omnino *genitis* legendum putem, uti priora, & quæ mox etiam ille addit, arguunt, *ideoque GENIUS dicitur, quoniam, quum quis hominum GENITUS fuerit, mox eidem copulatur*. Nempe *Præstites* iidem Genii aut Lares; quomodo DI CUSTODES, quod *Larum* ac *Vestæ*, uti antea vidimus, velut proprium exstitit, appellantur subinde in nummis aliisve monumentis antiquis: aut ab Arnobio dictum, *ut enim DII apud vos certas habent tutelas, licentias, POTESTATES: neque enim ab aliquo, id quod non sit ejus POTESTATIS, licentiæ, postulatis*. Sic in veteri Inscriptione legimus, MERCURIO LUCRORUM POTENTI, qui unus etiam e *Penatibus*, juxta Servium, ac proinde κτησίοις, vel Μυχίοις θεοῖς, de quibus paullo ante, habitus. Immo haud aliter ac *potentem Vestam*, unam ibi, & juxta eundem Servium, e numero Penatium, aut eorum comitem dixit Virgilius; idque Græcorum, quod [a] ille ibi observat, more, quo θεὺς δυνατὰς, *Deos potentes*, sicut θεὺς μεγάλυς, *Deos magnos*, ut [b] alibi de iisdem Penatibus Maro, dixerit: ac prout pridem de Diis in genere Vatum parens θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, *Dii autem omnia possunt*; ac inde in antiquis lapidibus, DIIS OMNIPOTENTIBUS. Neque ideo tamen, quod *coillo*, vel *coilo*, seu *cœlo potentes* dicantur *Lares* in illa veteri Inscriptione apud Tertullianum, inde continuo in vexato apud Arnobium loco, juxta editionem Batavam, a magno Salmasio e veteribus libris recensitam, *in penetralibus colignis perpetuos fovetis focos*; inde, inquam, quod statuit idem, de quo paullo ante, vir doctissimus, pro *coliginis*, legendum *cœligenis*, nempe Laribus, qui *cœlo potentes*, uti vidimus, sint a Tertulliano dicti. Mitto quod non eosdem esse *Lares*, nempe illos *cœligenas* seu cœlestes, & familiares seu κατοικιδίυς, quos in penetralibus ædium colerent veteres, & male illos confundi, contendit ibi paullo ante vir eruditissimus. Neq; vero, quod ibidem dicitur, hanc vocem *coliginis*, formavit ex ingenio Salmasius; quam in scriptis libris extare pridem ad Solinum notaverat; ac prout eadem in Arnobium, ex iisdem veteribus libris ab eo emendatum, est *lib. II. p. 40.* *lib. II. p. 89. ed. Batav.* *Spon Miscel. p. 91.* *Vestamq; potentem Æneid. II. v. 296.* (a) *Serv. ibid. & ad Æn. I. v. 578.* (b) *Æn. IX. 258. Odyss. K. v. 206. Spon. Miscel. p. 20.* *lib. II. p. 91. Is. Vossius Obser. ad Catullum, pag. 277.* *ita enim correximus e libris pag. 641. ult. ed.*

illata, pro eo, quod erat in Romana editione omnium principe, quam possideo, aliisque, quæ ab ea profluxerunt, *in penetralibus Vestæ ignis perpetuos fovetis focos?* Immo quam eandem *coliginis* vocem, præter alteram *colignis*, nempe in *penetralibus & colignis*, in nonnullis Arnobii codicibus reperiri, e Rosweydo monuit pridem, & cujus cæteroquin ad Catullum ibidem meminit vir insignis, in libro de Vesta Lipsius. Unde eandem loci illius Arnobiani lectionem, quam e vestigiis utriusque illius *colignis* vel *coliginis*, jam ibi adduxerunt Lipsius, nempe *colinis*, ut de suo penu mox addit idem præclarus Catulli interpres, ac priori illi a se ante prolatæ haud obscure præfert; atque ita ut ibi legatur, *in penetralibus & colinis perpetuos fovetis focos*. Quamquam, ut ingenue fatear, eadem lectio haud mihi continuo adlubescat. Neque enim in culinis *perpetui* illi, de quibus ibi Arnobius, *ignes* aut *foci*, Vestæ seu Laribus, penetralibus nempe, uti ea de re jam ante, Diis adolebantur, ac prout eosdem haud semel conjungit Maro,

*in penetralibus & coliginis*

*In Not. c. XIV. de Vesta.*

*Aeneid. V. 744.*

*Pergameumque LAREM, & canæ penetralia VESTÆ.*

& alibi rursus:

*Ibid. IX. 259.*

*Assaracique LAREM, & canæ*, &c.

aut vero ulla *culinarum*, ubi ea de re agunt veteres, sed *penetralis foci* vel ἑστίας in intima ædium parte fit tantum mentio. Neque eo trahenda, quæ eam in rem adfert e Varrone verba, nempe quæ exstant apud Nonium, Lipsius, *culina dicta, quod ibi colebant ignem*. Unde altera, quam ibidem adfert Lipsius, conjectura, & quæ propius ad veterum librorum lectionem accedit, immo quæ eandem velut retinet, mihi potior hic videtur, nempe *in penetralibus & colignis* seu *culignis*, vasis nempe fictilibus, ubi ignis Vestæ publicus fuerit repositus. Idque juxta ejus rei ritum a Valerio Max. traditum, *æternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos*. Nec obstat, quod *culigna*, ut addit ibidem Lipsius, vas *potorium* aut *sacrificale* apud Festum, Catonem de R. R. adde & in antiquis Glossis, *culigna* σκεῦος οἴνου, *vas vini* dicatur; quin, inquam, & de vase fictili dici ab Arnobio potuerit, quales etiam vulgo, & cujusmodi inter antiqua cimelia adhuc passim conspiciuntur, veterum pateræ. Ex hisce autem hactenus adnotatis explicandi insuper apud Catullum *penetrales foci*; adeo ut haud necesse sit cum eodem viro doctissimo, a quo cæteroquin multa præclara nec protrita ad Poetam illum enarrantur, postremam vocem *focos*, in *Deos* ibidem mutare: prout cæteroquin iidem a Poetis, juxta & Cicerone, & ita etiam postea a Seneca Tragico, *penetrales* iidem, uti antea vidimus, appellantur. Immo non *Vesta* solum, aut *Ara* ejus vel *Focus* publicus aut privatus, erant in ædium penetralibus; sed ipsa quoque Græcorum *Prytanea*, in quibus similis *Vestæ*, uti vidimus, penus, vulgo in urbium penetralibus; unde alicubi Livius, *Cyzici in*

*Lib. IV. c. IV. in fine.*

& penetrales deseruisse focos, *Epig. LXIX.*

*PRYTANEUM, id est, in PENETRALE urbis.*

*lib. LXI. cap. XX.*

XVI. De Vesta pro Terra, & Igne.

Haud obscura vero vel recondita liquebit horum omnium ratio, seu *Vestam* utique pro *Terra*, quæ medium mundi locum sortita sit, intelligamus, ac unde Ἑστία κεντροφόρος, *Vesta centrum universi complexa*, a Porphyrio, apud Eusebium traditur: seu ideo, ut firmat Plutarchus in Numa, quod juxta Pythagoreos, universum hujus mundi medium sive centrum *Ignis* obtineat, sitque ille, auctore Philolao itidem Pythagoreo, ut idem [a] alibi rursus refert, ac similiter in Historia Philosophica, qui geminus Plutarchi, non Galeni, quod viderunt jam eruditi, fœtus [b] πῦρ μέσον, τοῦτο γὰρ εἶναι τοῦ παντὸς ΕΣΤΙΑΝ, *ignis medius: hoc enim esse universi FOCUM* seu *VESTAM*. Quæ ex eodem Philolao relata etiam apud Stobæum, quem locum jam inde adduxerat [a] Lipsius, [b] πῦρ ὅπερ ΕΣΤΙΑΝ τοῦ παντὸς καλεῖ καὶ Διὸς οἶκον, καὶ Μητέρα θεῶν, *ignis quem universi VESTAM seu lucem vocat, & Jovis domicilium, & Deorum Matrem*. Unde ignem illum seu Ἑστίαν, modo *Jovis turrem*, aut *Jovis custodiam*, vel *Jovis* etiam *thronum* vocasse eosdem Pythagoreos, docet post Aristotelem Simplicius. Hinc ad Pythagoreorum mentem, *Vesta* a Socrate dicta apud [b] Platonem, quod jam antea vidimus, *manere in domo Deorum*, μένει γὰρ Ἑστία ἐν Θεῶν οἴκῳ μόνη, nunquam scilicet a cœli penetralibus recedens. Quomodo e Platone a Tullio, qui eadem hæc ante oculos habuit, dictum, *Terra igitur, ut Focus domiciliorum, sacra Deorum omnium est*. Adde, quod inde immutabilem juxta & impollutam in se ipsa mansionem, eidem *Vestæ* tribuant Platonici: quin omne etiam, quod est immutabile & eodem modo semper se habet, ab eadem manare; ac inde fieri, ut Terra in medio mundi maneat immobilis (de quibus singulis differentem videas Proclum) non ideo tamen *Vestam*, ut apud eundem legas, *in hoc universo Terram appellant*, ὅτε ἡ ἐν τῷ παντὶ Γῆ λεγομένη. E qua autem *Vestæ* modo pro *Terra*, modo autem pro *Igni* appellatione, nata, ut fieri ab iis solet, & quod viris etiam eruditis imposuit, duplex Grammaticorum *Vesta*. Immo quam duplicem *Vestæ* apud veteres significationem, haud improvide conciliandam statuit novissimus de Igne scriptor Italus; ut per *Vestam* intelligatur *Terra*, fœta perpetuo illo *igne*, quem in centro mundi positum, juxta antiquos Pythagoreos, evincere ibidem adgreditur. Quod ipsum e Servio jam olim haud uno loco monitum, *ipsa enim*, nempe Vesta, *esse dicitur TERRA, quam IGNEM habere dubium non est*; ac de eadem alibi, *Deam IGNIS, quæ ut supra dictum, TERRA est, quæ in medio mundi librata vi sua stat, & ignem intra se habet*.

*Præp. Evang. l. III. p. 110.*

(a) *de Placit. Philos. l. III. cap. XI.*

(b) *Galen. Hist. Philos. l. I. c. XXI*

(a) *de Vesta Not. c. II.*

(b) *Eclog. Phys. l. I. p. 51.* οἱ μὲν Ζηνὸς πύργον· mox ἢ Διὸς φυλακὴν, ἢ Διὸς θρόνον.

*Simpl. l. de Cœlo pag. 124.*

(b) *In Phædro p. 247. T. III. de Leg. l. II. cap. XVIII.*

*In Platon. Theol. lib. VI. c. XXI. p. 401. 402*

*P. Casatus de Igne Diss. IV. ad Æneid. I. v. 292. ad Æneid. II. v. 296.*

XVII. An Vesta pro Sole demum antiquitus culta?

Quod vero ad Catullum observavit haud ita pridem vir doctissimus, idemque alibi jam tradiderat; nempe vetustissimis temporibus *Vestam* pro *Sole* semper habitam, unde eandem Deam in medio seu centro

*Is. Vossius Observat. p. 4. & de Causa Gravitatis.*

mundi fixam & ſtabilem collocarint; poſteriores demum Græcos & Romanos, ac juxta hoſce Catullum, *Veſtam* eandem ſenſiſſe ac *Terram*, non autem antiquiſſimos Græcos; id multis antiquorum teſtimoniis aut argumentis haud obſcure convellitur. Obvia quidem ac primæva illius vocis apud Orientales, pro *igne* ſignificatio; ac unde nomen ipſum ΕΣΤΙΑΣ, & inde VESTÆ, ad Græcos primum, ac dein ad Romanos dimanarit. Neque vero minus in vulgus nota, quæ de antiquiſſimo *Ignis* ſeu *Solis* apud eoſdem Orientales, ut ſummi Dei, cultu, ſunt in litteras relata, quique ad alias gentes etiam tranſiit: cujuſque adhuc veſtigia in voce *Iſten*, eadem cum Græcorum Ἑςία, quæ etiamnum apud Hungaros *Deum* notat, quique olim pro *Igne* ſeu *Sole* ſit a Scythis cultus, monuit nuper eruditus patriarum [a] Originum Scriptor. *Veſtam* vero a Scythis, & ante alios etiam Deos, religioſe cultam tradit [b] Herodotus; ſed quam ab iis non *Iſten* quidem, aut voce aliqua, quæ ad eandem ſeu Græcorum Ἑςίαν accedat, ſed ταβιτὶ dictam idem docet; quæ an in linguis veteris illius Scythicæ traducibus, Sclavonica, Hungarica, &c. *ignem* aut *ſolem* adhuc innuat, earum peritis diſquirendum relinquimus. Novi quidem, quod ab Aſianis ταβαίτας, *de poculis ligneis*, ſed quæ nihil ad hanc Scytharum ταβιτὶ ſeu *Veſtam* adtinent, ex Amynta refert Athenæus. Illud magis forte opportunum, quod apud Chaldæos טבתא & בתטב *taba & tabta*, *bonum* ac *beneficium* ſignificent: apud Arabas vero, quod adhuc propius huc facit, תשב *thabat*, *ſtetit*, *conſtitit*; quæ ipſa vocis Ἑςίας apud Græcos, & *Veſtæ* apud Romanos, pro *terra* nempe, ab utriuſque linguæ, & de qua paullo poſt, Auctoribus, tradi ſolet ſignificatio,

Hebr. אש ignis Syriac. & Chald. אשתא Eſta.

(a) Origin. Hungar. p. 285. &c.

(b) lib. IV. cap. LIX.

lib. XI. p. 500.

> *STAT vi TERRA ſua, vi STANDO VESTA vocatur.*

Ovid. Faſt. VI. v. 298.

Quod vero id a poſterioribus demum Græcis ac Romanis factum, ut Ἑςίαν nempe pro *Terra* acciperent, quam de *Sole* antiquiores perpetuo intellexerint, contendit, ut diximus, vir doctiſſimus; id utique pluribus veterum ea de re teſtimoniis redarguitur. Mitto quod *Soli* melle, *Veſtæ* autem vino, ut diverſis proinde Numinibus, libaſſe vetuſtiſſimos etiam Græcos, ſupra ex Hymnis Homero tributis & aliunde vidimus. Hoc vero liquet, cum veteres illos per *Veſtam*, non *Solem* adeo, quam *Ignem* elementarem, ſeu δημιουργικὴν ejus δύναμιν intellexiſſe, omnibus orbibus cœleſtibus ſuperiorem; unde ὑπερουρανία *ſupercœleſtis* ab iiſdem dicta Ἑςία ſeu *Veſta*, & a qua eorundem orbium circumvolutiones pendeant, juxta interpretem antiquæ illius Theologiæ Proclum; tum *Veſtam* eandem ac *Terram* ab iis nonnunquam tradi. Prius utique vel inde liquidum, quod Ἑςία pro illo *Igne* in Mundi centro poſito, fuerit antiquitus habita, a quo nempe juxta vetuſtiſſimos Pythagoreos, ac in his Philolaum, ſol inſtar vitri lumen acceptum ad nos remitteret; quæ & Empedoclis quoque fuit opinio: ut id cum a Plutarcho traditur in libris de [a] Placitis Philoſophorum; tum in iis, qui inde deprompti, ſub [b] Galeni nomine, uti

In Platon. Theolog. pag. 401. 402.

(a) lib. II. cap. XXI. 890.

(b) Hiſtor. Philoſ. ...

ea de re paullo ante, vulgo circumferuntur. Alterum vero, quod eadem Ἑςία, pro *Terra* ſimiliter ab iiſdem veteribus Pythagoreis conſecretur, aperte docent Timæi in libro de Anima Mundi, qui Platonis operibus inſertus legitur, & quo priſca Pythagoreorum ſcita enarrantur, verba, Γᾶ δὲ ἐν μέσῳ ἱδρυμένα, ΕΣΤΙΑ θεῶν, *TERRA autem in medio poſita, VESTA ſeu domicilium Deorum*. Quod inde etiam alicubi a Plutarcho traditur, ubi Terram non ſolummodo locum ſuum ſervare ait, ſed etiam ſubſtantia ſua eſſe immutabilem, additque ὅτε δὲ μένουσαν ἐν θεῶν οἴκῳ ΕΣΤΙΑΝ (non, ut barbare ibi κλίτταν, quod viderunt Interpretes) προσαγορεύουσιν οἱ παλαιοὶ διὰ τὴν στάσιν καὶ πῆξιν, *quod autem eadem ſemper maneat in Domo Deorum*, ΕΣΤΙΑΝ *vocarunt antiqui, ob manſionem & concretionem*. Immo unde Animam Terræ, *Veſtam* ſeu Ἑςίαν & *Cererem* nominari ab iis, qui de his vaticinantur, tradit ex antiquis eorum ſcitis Plotinus. Adeo quidem ut per Ἑςίαν, veteres Pythagoreos, non *Ignem* ſolum, ſed *Terram* quoque in mundi centro locatam deſignaſſe videas, idque inde, ut alibi idem Timæus apud Platonem obſervat, quod ex Igne & Terra corpus a principe omnium Deo ſit conſtitutum; Vinculum autem inter hæc duo, Ignem nempe ac Terram, aptiſſimum ſit, & optima proportio. Hinc alia a *Sole Veſta* apud veteres etiam Peripateticos, qua de re audiendus, qui ex veteribus eorum placitis id refert, antiquiſſimus, qui ſuperſunt, Ariſtotelis Interpretum Aphrodiſienſis Alexander, & cujus verba e Latino interprete, quum Græca jam non ſint ad manus, hic ſubjicimus, *Inter decem corpora, quæ circa medium VESTAMQUE moventur SOLEM ſeptimum ordinem obtinere ajunt*. A qua ſententia, de Cœli motu & Telluris quiete, alienus quidem Cleanthes Samius; ſed a quo haud minus *Mundi Veſta* de *Tellure* dicitur, & a *Sole* proinde diverſa; dum cœlum quieſcere, moveri autem eandem *Mundi Veſtam* ſeu *Tellurem* crederet, eoque nomine illum impietatis a Græcis poſtulandum contenderet Ariſtarchus, auctore Plutarcho, ὡς κινοῦντα τοῦ κόσμου τὴν ΕΣΤΙΑΝ, mox μένειν τὸν Οὐρανὸν ὑποτιθέμενος, ἐξελίττεσθαι δὲ κατὰ λοξοῦ κύκλου τὴν Γῆν; *tanquam Mundi VESTAM moventem; Cœlum quieſcere ratus, Tellurem autem per obliquum volvi circulum*. Unde inſuper, non ad *Solis*, ſed ad centri *Terræ* imitationem, perpetuum Ignem in Prytaneis *Veſtæ* ab urbibus conſecratum tradit Olympiodorus, κατὰ μίμησιν τοῦ κέντρου τῆς Γῆς, καὶ ἐν τῷ Πρυτανείῳ πῦρ ἄσβεστον τῇ Ἑςίᾳ καθιέρων αἱ πόλεις. Ut minus mirum videri jam poſſit, eadem *Terræ* & *Veſtæ* antiquiſſimos etiam Græcos, contra quam cenſebat vir doctiſſimus, tribuiſſe. Sic a Platone *Tellus* [a] prima & antiquiſſima Deorum, qui in cœlis habitant; ac in univerſi medio, ut obſervat alicubi Simplicius, ſtatuitur; quod ipſum de Ἑςία vulgo, ut videmus, dictum. Quomodo a Plutarcho alicubi dicitur, Ignem a Medis quidem & Aſſyriis barbaricis cultum honoribus; *Græcis vero Patrium eſſe, ut Tellus, juxta alios Deos, divinos honores conſequatur*; καὶ

I. c. XIV.

pag. 97. P. III.

de primo Frigido p. 954.

Ennead. IV. l. IV. p. 419.

ὅθεν ἐκ πυρὸς καὶ γῆς τὸ τοῦ παντὸς ἀρχόμενος συνιστάναι σῶμα ὁ θεὸς ἐποίει, Plato in Timæo pag. 31. P. III.

ad lib. I. Metaphyſ. p. 11.

de Facie in orbe Lunæ p. 923.

In Excerpt. Procli in Phædr.

Obſerv. ad Catul. p. 4.

(a) in Timæo p. 40. P. III. lib. II. de Cœlo p. 125. ed. Græc.

de Facie in orbe Lunæ p. 935.

πατρῷον ἡμῖν ὥσπερ ἄλλον τινα θεὸν σεβεσθαι. Et si vetustiori adhuc inter Græcos memoriæ adhibenda hic fides, primam *Tellurem*, Oraculum Delphicum seu Εςίαν illam μεσόμφαλον dictam, ante *Solem* etiam seu Phœbum insedisse memorant; primam etiam Deorum, quod utrumque ex antiquo certe auctore Æschylo liquet ibidem invocari solitam,

(Eumen. v. 1. 2.)

Πρῶταν μὲν εὐχῇ τῆς δε πρεσβεύω θεῶν,
Τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν, ἐκ ℈ θέμιν,
*Equidem PRIMAM precibus hisce veneror Deorum,*
*Primam Vatem TERRAM, post hanc vero Themidem:*

tertio autem, ut in sequentibus tradit, Phœben, & postremo demum Phœbum, Oraculi illius præstites, exstitisse memorat. Unde Harpocration alicubi hujus loci auctoritate nititur, ut aperte *ante solem*, πρὸ τȣ̃ Ηλίȣ, a *Terra* & a Themide, sedem hanc Oraculi Delphici occupatam tradat. Adde *Telluri*, ante Deos alios, quod *Vestæ*, ut abunde vidimus, peculiare, libatum a Jasone apud [a] Apollonium Rhodium; primitias etiam frugum eidem Telluri consecratas, idque, auctore [b] Porphyrio, quod *communis esset Deorum & hominum* Εςία. Immo *Tellus* non prima duntaxat, sed *sola* quandoque, *Deorum culta*, ut ab Eumeli filiis in Coo Insula, observante id [c] Antonino Liberali, *amplum iis frugum proventum eo nomine rependens, quod solam Deorum colerent*, ἡ ℈ Γῆ πλεῖςον αὐτοῖς ἐξέφερε καρπὸν, ὅτι μόνην θεῶν ἐτίμων. Adde legem apud Athenienses vetustissimam, cujus auctor Erichtonius a Suida traditur, ut quisquis Deo cuicunque sacra faceret, Telluri κȣροτρόφῳ ante omnia litaret. Adeo quidem, ut non Agricolarum solum proprium id fuerit, ut juxta Jovem, primam, notante id in libris de Re Rustica Varrone, Tellurem illi invocarent. Ut mittam promiscuum veterum, qua de re supra, *per Vestam*, aut *per Tellurem*, ante Deos alios, jusjurandum; ejusque obvia quoque de Tellure apud antiquos Tragicos exempla, ut in illo Polynicis apud Euripidem,

(ἐχηκέναι ποτὲ τὸ μαντεῖον πρὸ τȣ̃ Ηλίȣ, &c. In θεμιςεύειν. (a) χέετα λοιβὰν Γαίῃ τε ἐνναέταις τε θεοῖς l. II v. 1276. (b) περ' ἀποχ. l. II. p. 187. (c) Metam. cap. XV. In voce κȣροτρόφος. lib. I. c. IV. Phœniss. v. 629.)

Τὴν ℈ θρέψασαν μȣ̃ Γαῖαν, ϗ θεȣ̀ς μαρτύρομαι,
*Quæ vero me aluit Tellurem, & Deos testor.*

Quin Terra juxta Phornutum, ideo veteribus, ut ibidem loquitur, dicta *Vesta*, seu Εςία, quod ei tanquam in fundamento universi mundus innitatur, & de quo loco paullo infra.

XVIII. De Vesta focorum domina apud Romanos.

Neque vero minus apud Romanos, Catulli & sequenti etiam ævo, *Ignis*, & quidem in centro mundi positi, symbolum exstitit, juxta veteres, ut vidimus, Pythagoreos, *Vesta*. Quod luculenter utique arguit, non solum sacrati eidem perpetui ignis, & in quo potissima exstitit Deam illam colendi ratio, custodia: sicut ejusdem ritus optimus, uti jam vidimus, interpres Plutarchus, qui Æde hujus Deæ orbiculari, non adeo effigiem *Terræ*, quam Ignis in medio mundi locati adumbrari statuit: sed id quod insuper de *Vesta*, nil nisi *pura flamma* tradit Ovidius; aut denique, quod ut *focorum Domina*, prout ex eodem constat, dicta & culta fuerit apud Romanos eadem *Vesta*, (adposite utique ad Græcam cum ejusdem Deæ, tum *foci* appellationem,) eoque nomine a pistoribus culta. Quo spectat etiam mola in Vestæ simulacro, de quo paullo ante; ut jam vidit, qui illud ad urbem haud ita pridem effossum primus in lucem protulit clarissimus Fabrettus. Sed quam rem, seu ritum hic Vestalium peculiarem, neque proinde prætereundum, observat, ut hoc addam, Servius ad illud Maronis, *sparge molam*: nempe, *Virgines VESTALES tres maximæ, ex Nonis Maiis ad pridie Idus Majas, alternis diebus adoreas in corbibus messuariis ponunt: easque SPICAS ipsæ Virgines TORRENT, pinsunt, MOLUNT; atque ita molitum condunt. Ex eo farre Virgines ter in anno MOLAM faciunt, Lupercalibus, VESTALIBUS, Idibus Septembribus; adjecto sale cocto & sale duro:* Quibus proinde haud parum illustratur, quod de hoc in Vestalibus ritu ab Ovidio tangitur,

(In Numa. Fast. l. VI. v. 371. ad Tabul. Iliad. pag. 339. Eclog. VIII. v. 82. Fast. l. VI. v. 312.)

*Et velant scabras florea serta molas.*

mox,

*Inde focum servat pistor, dominamque focorum,*
*Et quæ pumiceas versat asella molas.*

Iis autem opportune, ac unde de antiquis præter Ignem, Vestæ apud Græcos non solum, sed apud Romanos etiam simulacris, quæ supra sunt a nobis tradita, haud parum confirmantur; quodque viri eruditissimi, ubi illud prostat, liber Romæ editus, haud in omnium manibus versetur, ipsum hujus Deæ signum, & cui præterea aliquid lucis nunc accedit, hic adponendum duximus.




A En velata, qua de re mox, & turrita etiam, vera proinde, de qua antiqui, ut supra vidimus, Græci ac Latini Auctores, Eςία τῆς πόλεως, aut χθονὸς, *Urbis* aut *Terræ* vel *Regionis Vesta*, seu Lar tutelaris: eadem vero serpenti, juxta solitum Hygiæ seu Salutis in veteribus nummis typum, escam e patera porrigens; *mola* præterea ac *spicæ*, quas torrere deberent ac molere tres Vestales; idque in adductis Servii verbis, non solum *Vestalibus*, quæ, juxta vetera Urbis Kalendaria, ad V. Idus Junias; sed *Lupercalibus* etiam, quæ juxta eadem, ad XV. B Kal. Martias; ac Idibus præterea Septembris, quo tempore Ludi Romani agebantur. Eadem proinde *focorum domina*, seu *Vesta*, Ignis illius, qui centrum mundi obtinere ab antiquis dictus, & a quo Sol acceptam lucem, qua de re jam ante, ad eos remitteret, sicut apud Græcos, ita apud Romanos, Symbolum exstitit. Unde etiam æternum illum *Vestæ* Ignem e Sole custodiri, tradit alicubi Julianus Imperator, memorabili eam in rem loco, ac unde præterea C patet, eo παραβάτου illius ævo, hanc adhuc incubuisse Virginibus Vestalibus curam, quod ex Symmacho & Ambrosio, ac Lapidibus insuper antiquis, monuerunt alii.

A Hæc sunt nempe Augusti Scriptoris verba, ἄσβεστον γὰρ ΕΞ ΗΛΙΟΥ φυλάττουσι φλόγα παρθένοι παρ' ἡμῖν ἱεραί, καὶ τὰς διαφόρους ὥρας, *æternam enim flammam de Sole conceptam, sacræ apud nos virgines per varias temporum vices custodiunt*. E quibus autem verbis, restincto igne, ut aliquoties contigisse legimus, eundem e Sole recuperatum, quodque a Plutarcho, quaque ratione id fieret, jam ante monitum fuerat, bene colligit ibidem Petavius. Neque enim de solis Græcis, sed de Romanis quoque, eum ignis e Sole suscitandi morem a Plutarcho traditum, B contra Lipsium, qui de eo aliter censuerat, cuique indictus fuerat hic Juliani locus, vere idem adseruit. Quod alioquin igniarii, cujus inventum Prometheo tribuit alicubi Diodorus, seu terebrati tamdiu, dum ignem conciperet, ligni opera, id Romæ a Vestalibus factum prodidit Festus. Qua in re vero, seu e Sole restinctum suscitandi sacrum ignem ritu, imago quædam videtur remansisse (propagata nempe ejus rei a Phœnicibus, aut Ethnicis quarundam Palæsti- C næ urbium incolis, religione) flammæ cœlitus, prout multi interpretes Mosis ea de re locum [a] enarrant, & alias [b] contigisse in veteri Fœdere legitur, demissæ; e qua

*Orat.* IV. *p.* 289.

*in Numa.*

*in Notis ad Julian. p.* 276.

*De Vesta cap.* VIII.

*lib.* III. *p* 335. *in igniis Vestæ, &c.*

(a) *Levit.* XI. 24.

(b) 1. *Reg.* XVIII. 38. & II. *Chron* VII. 1.

*Ibid. VI. 12.13.* ignis dein perpetuus ac inexſtinctus, de quo jam ſupra, in altari ab Hebræorum Sacerdotibus, juta prævium Dei ea de re ad Moſem mandatum, ſtudioſe adſervaretur. Qualem etiam opinionem apud Perſas exſtitiſſe, nempe *ignem cœlitus lapſum*, & inde *apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri*, tradit Ammianus Marcellinus *Ib XXIII. cap. VI.* Ut mittam, quod de Platæenſibus, qui exſtinctum apud ſe ignem, ex ardente ſupra Aram Delphicam perpetuo puroque igne, ſeu a barbaris non polluto, denuo accenderint, e Plutarcho jam ante adtuli. Vel ex eo autem, de quo modo actum, more, æternum ſeu Veſtalem Ignem e Sole demum accendendi, aliiſque, quæ de *Veſta*, pro *Terræ* ſimul & Ignis ſymbolo, jam ante diximus, haud mirum videri debet, eundem VESTÆ ac SOLIS PONTIFICEM, quod communionem gemini ejuſdem ſacerdotii arguit, occurrere nonnunquam, ut ſupra vidimus, in Marmoribus antiquis: aut legi in iiſdem, ut Romæ in Hortis Juſtinianeis olim adnotavit, ac retulit inde etiam Cl. Sponius, *Miſcel. p. 4* SOLI INVICTO MITHRAE VESTALIS N. SER. Ut hiſce addam, quod in lectiſternio Romæ quondam per triduum indicto, ſicut unum Jovi & Junoni, aut Apollini ac Dianæ, ita unum *Vulcano ac Veſtæ* imperatum tradit Livius. *Ib. XXII. XI.* Ex hiſce ſaltem, ut opinor, abunde liquet, contra adlatam viri doctiſſimi obſervationem, cum *Veſtam* eandem ac Terram cenſuiſſe & coluiſſe antiquiſſimos etiam Græcos; tum eam quoque pro igne, ceu ignis in mundi centro, juxta eoſdem, poſiti ſymbolo, a Romanis, ante & poſt Catulli ævum, habitam. Immo utrumque *ignis* puta ac *terræ* ſymbolum in eadem Romanorum *Veſta* agnoſcit haud uno loco, ſicuti jam ante vidimus, Servius; ac ante eum, & quidem juxta veterum Pythagoreorum ac Platonicorum adducta jam a nobis ea de re ſcita, Ovid.

Veſtam Deam ignis, quæ ut ſupra dictum, Terra eſt. *ad Æneid. II. v. 296. Faſt. l. VI. v. 267.*

*VESTA eadem eſt, quæ TERRA: ſubeſt vigil IGNIS utrique.*
*Significant SEDEM TERRA FOCUSQUE ſuam.*

Εϛία nempe ſeu *Veſta*, tam de *Terra*, quam de *igne* vel *foco*, uti vidimus, ſeu utriuſque *ſede* dicta; ac prout eruditiſſimus Grammaticus, Heſychius, Εϛία, πῦρ, καὶ ἡ γῆ, καὶ ἡ θεός.

XIX. De Velo & Calatho Veſtæ ſymbolis.


Neque tantum ex hiſce hactenus adlatis VESTAE ſimulacrum in Smyrnæorum, de quo agimus, nummo conſpicuum licet ſtatuere, ſed inſuper ex toto habitu hujus Deæ ibi ſignato, quæ eidem tribuuntur, *Velo*, *Calatho*, *Victoria*, & *Columna*. Ad *velum* quod adtinet, vel ex obviis Romanorum nummis res pridem eruditis, aut harum antiquitatum ſtudioſis nota; in quibus nempe velatum vulgo hujus Deæ caput videas, velataſque Veſtales eidem ſacra facientes. Unde etiam de Græcorum Veſta tradit Phornutus, coronam albam ei vulgo impoſitam, *De Cerere & Veſta.* A *quod coronetur & contegatur undique a puriſſimo elemento*, τὸ ϛέφεσθαι καὶ καλύπτεσθαι πανταχόθεν ὑπὸ τῦ λευκοτάτυ ϛοιχείυ. Immo velatum ideo, ut jam vidimus, *Veſtæ* hujus caput, quod eadem Æternitatis eſſet apud veteres ſymbolum, indeque etiam *Æterna*, quod ſupra vidimus, diceretur. Haud vero mirabitur quiſquam impoſitum capiti ejuſdem Deæ in hoc Smyrnæorum nummo, cum velum, tum calathum; qui eſſe illud ſolemne Cereris inſigne, quæ eadem cum *Veſta*, juxta Phornutum, noverit; *utraque autem Ceres & Veſta non videtur alia a Terra eſſe*, B ἑκατέρα ὃ ἔοικεν ὐχ ἑτέρα τῆς Γῆς εἶναι. *Ibidem.* De Cerere equidem, ut alia jam trita mittam, unum illud Tireſiæ apud Euripidem adferre liceat,

Δημήτηρ θεὰ,
Γῆ δ' ἐϛὶν, ὄνομα ὁπότερον βϋλει, κάλει, *Bacch. v. 275.*
*Ceres Dea*
*Terra autem eſt, nomine vero utrovis voca.*

Quo referri etiam debet, id quod apud Plotinum legimus, *Ennead. IV. p. 419.* Animam Terræ, Εϛίαν καὶ Δήμητρα ἐπονομάζυσιν ἄνθρωποι, *Veſtam & Cererem nominari ab hominibus*, qui ut C de his addit, divinitus vaticinantur. Quomodo de æterno Veſtæ igni in Laudatione M. Aurelii ab Ariſtide circa finem dicitur, *pag. 119. T. I.* νῦν καὶ τὸ ΔΗΜΗΤΡΟΣ ΠΥΡ λαμπρότερον καὶ ἱερώτερον, *nunc etiam CERERIS IGNIS fulgidior & ſanctior* apparet. *Calathus* autem, huic figuræ muliebri in Smyrnæorum nummo, ſeu *Veſtæ* itidem additus, Cereri proprius, ac ſolemni curru & pompa in ejus honorem geſtari in Theſmophoriis ſolitus, ut inde laudes hujus Deæ auſpicantem norimus Cyrenæum Vatem, τῶ καλάθω καθιόντος, *Calatho deſcendente*; *Callimac. H. in Cer. v. 1.* & apud D Comicum Græcum in ejuſdem nominis fabula, οἱ καλαθίσκοι, inter conſuetum θεσμοφοριαζυσῶν mulierum apparatum continuo recenſentur. *Ariſtoph. θεσμοφ. p. 810.* Hinc & eadem Ceres cum calatho in ſequenti nummo Saloninæ Auguſtæ viſitur, in quo inſculptum ipſius Deæ nomen, CERERI AVG: & cui accedit alius Sardianorum nummus, in quo Ceres itidem cum *calatho*, cornucopia, ſpicis, ac temone præterea, Fortunæ inſtar, ſignatur, Dea utpote frugum terra marique advectarum potens; vel ponto haud minus ac terra, dum filiam quæreret, jactata. E Quod poſtremum innuit quoque Euripides, ubi hanc Deam dicit oberraſſe,

Αν ὑλάεντα νάπη, *Helen. v. 1320. &c.*
Ποτάμιόν τε χεῦμ' ὑδάτων
Βαρύβρομόν τε κῦμ' ἅλιον,
*Per Sylveſtres ſaltus,*
*Et fluviatilem fluxum aquarum,*
*Graviterque ſtrepentes fluctus marinos.*


Additum præterea in eodem Sardianorum nummo Prætoris nomen, aliquot litteris exeſum, ſed quæ facile aliunde ſuppleri poſſunt, nempe CTP. ΡΟΥΦΟΥ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ B. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, hoc eſt, *Prætore Rufo Sardianorum Bis Neocororum.*




Mitto jam facem cum *Vestæ*, ut paullo ante vidimus, tum *Cereri*, ut aliunde notum, vulgo in nummis tributam, eandemque Cererem MATRIS MAXIMÆ appellatione ornatam in veteri Inscriptione Reinesiani Syntagmatis supra jam commemorata.
*Stob. Ecl. Phys. l. I. p. 51.* Neque enim hæc *Vesta*, Rheæ solum seu *Magnæ Matris*, juxta Pindarum, tradito ante loco, ac Mythologos filia; sed eadem quoque habita est cum Rhea. Unde *Vesta Deorum Mater* a Philolao Pythagorico dicta eo loco, quem jam supra adtulimus, πῦρ ΕΣΤΙΑΝ τῦ παντὸς καλεῖ, & Διὸς οἶκον & ΜΗΤΕΡΑ ΘΕΩΝ: ac Rheæ instar turrita itidem Vesta, in adducto ejus post Cl. Fabrettum simulacro. Quo loco etiam occurrit illud opportune, quod *Prytanes*, quos *Vestæ* sacra in Græcorum Prytaneis procurasse
*Caract. περὶ μικροφιλ.* supra vidimus, Matri Deum Athenis sacra fecerint, juxta Theophrastum, ἐθύομεν ΟΙ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ τὰ ἱερὰ ΤΗ ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ἄξια & καλὰ, *nos PRYTANES sacra MATRI DEUM rite fecimus*. Ad quem VESTÆ pro *Deum Matre* cultum spectat il-
*Metam. l. VIII.* lud quoque, quod quum Asinus in Cybeles sacris frequens esset, & Deam ipsam apud Apulejum legatur bajulare; hinc a Virgilio in Copa, prout id observat & locum illum
*Observ. p. 169.* legit ad Catullum vir impense doctus Is. Vossius, dicatur, *Vestæ delitium est asinus*. Quamquam & alio referri idem locus, & forte opportunius, posset; quod nempe observatam, asini clamore, *Vestæ* pudicitiam, cui vim inferre parabat Lampsacenus Deus, inde Vestalibus Romanorum sacris aselli in
*lib. VI. a v. 331. &c. Instit. l. I.* honorem Deæ panibus coronari a pistoribus solerent: prout fabellam illam narrat in Fastis Ovidius; &, qui inde eam hausit, Lactantius; quique post eandem enarratam, addit, *quid turpius? quid flagitiosius? quam si VESTA beneficio ASINI virgo est?* Immo ad quem Vestalium ritum spectat etiam mola, de qua paullo ante, *Vestæ* simulacro addita. Adde in veteri urbis Kalendario, quod in antiquis membranis Ovidii Fastis præfixum, ad eosdem etiam ab illius sospitatore Nic. Heinsio est vulgatum, legi ad VI. Idus Junias, *Festum est VESTÆ, A-*
*Fast. VI. v. 267.* *SINUS coronatur*. Quemadmodum vero juxta hunc Poetam, *Vesta eadem est quæ Terra*; sic Juppiter *Telluris*, quæ eadem cum Cybele, seu *Vestæ* filius dictus jam o-
*Suppl. v. 998.* lim ab Æschylo ὦ βᾶ γῆς, παῖ Ζεῦ, *Rex Terræ, Fili Juppiter*; & inde, ut notant ad eum Critici, quod ἡ αὐτὴ Ῥέα καὶ Γῆ *eadem sit Rhea & Tellus*. Unde insuper factum

A videtur, quod teste Pausania; *Tellus Magnæ Deæ nomine*, Athenis coleretur, & Γῆς, ἣν Μεγάλην Θεὸν ὀνομάζουσι. Immo inde Cybele *Deorum Mater*, quod Dii juxta & homines e Terra prognati crederentur; ac unde unum Deorum & hominum genus, ex una quippe Matre Tellure ortum tradit alicubi [a] Pindarus, & quæ *omina parere ac nutrire* ab [b] Æschylo præterea dicitur. Adeo etiam ut *magna* illa *Pales*, quam de animalibus dicturus invocat [c] Poeta, juxta Servium, *Dea pabuli*, *aliis VESTA*, *aliis Deum Mater* dicatur. Communis autem il-
B le habitus, Rheæ nempe ac Cereris, eo minus insolitus ei videbitur, qui norit Cererem, ut alia mittam, cum *Deum Matris*, Μήτηρ Θεῶν, tum *Magnæ Matris* Μεγάλας Ματρὸς nominibus designari alicubi apud Euripidem; quæ solita alioquin & nota, quibus Cybele cum passim alibi, tum in antiquis Romanorum nummis denotatur, epitheta, MATER DEUM, aut MATRI MAGNÆ. Unde & Μητρῷα non solum, qua de re jam supra, Templa hujus Deæ a Græcis olim dicta, sed & μητρίζοντες appel-
C lati, ut alicubi a Porphyrio, sacris Deorum Matris operantes, οἱ τῷ Σαβαζίῳ κάτοχοι, & οἱ Μητρίζοντες, *qui a Sabazio adflantur, & Matri Deum famulantur*. Hinc eadem *Matris* nomine culta, ut jam ante vidimus apud Romanos *Vesta*; neque apud Tullium solum aut Maronem, sed etiam juxta adlatum supra Juliæ Severi nummum, cum elogio VESTA MATER; sicut proinde Cereri vulgo, ut hic *Vestæ*, in eo quem illustramus Smyrnæorum nummo, ac alibi in ejus simulacris; ita Rheæ Calathus haud semel in antiquis nummis tribuitur; ut
D vel ex sequentibus petitis inde iconibus liquet, in quibus eadem Rhea cum Velo simul & Calatho conspicitur. Uterque autem nummus Regiæ hujus Gazæ, ac in Phrygia, ubi solemnis cultus hujus Deum Matris, percussus; unus *Laodiceæ*, ejus Metropoli, sub *Agrippino Prætore* ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΟϹ ϹΤΡ. alter Eucarpiæ, ΕΥΚΑΡΠΕΩΝ, & quibus tertium addere liceat, ubi præter Calathum & Leones, cum spicis etiam & papavere, solitis alioquin Cereris insignibus, depingi-
E tur eadem Rhea; loci autem inscriptio ΓΑΒΑΛΕΩΝ *Gabalensium*; Syriæ in præclaro Trajani nummo cum addita Urbis Æra. PNB. seu CLII. sed quæ non quadrat cum alia in M. Aurelii nummo, qua de re alibi.

*Attic. p. 59.*
(a) Ἓν ἀνδρῶν, ἓν Θεῶν γένος, ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν ματρὸς, *Od. VI. Nem.*
(b) τὰ πάντα τίκτεται θρέψασα τε. *Choeph. v. 125.*
(c) *Georg. III. v. I.*
*Helen. v. 1318. Ibid. v. 1371.*
*Epist. ad Aneb. Jambl. de Myster. præfixa.*



Quamquam ut obiter id moneam, aliis quoque Deabus, ficuti Dianæ Ephefinæ, Junoni Samiæ, Fortunæ quoque & Ifidi, tributum illud capitis infigne, calathum nempe, videas in veteribus nummis.

XX. De Victoria in eodem nummo Smyrnæorum.

Ad *Victoriam* vero quod adtinet, quam præfert hæc *Prytanitis* Smyrnæorum *Vesta*, frequens illud, ut notum, cum JOVIS nempe VICTORIS, tum Dearum id genus, & VENERIS quidem VICTRICIS, aut FELICIS, in veteribus nummis infigne. *Vesta* autem pro *Venere* ab antiquis etiam habita; ficuti ex D. Auguftino monuit jam ante Lipfius. MINERVA autem eademque VICTRIX, cum Victoria crebro itidem in Romanis id genus monumentis depicta cernitur. Quod nemini utique mirum ac infolens videbitur, qui norit hanc Deam, unam ex omni Cœleftium Choro, tradente id alicubi Ariftide, non jam *Victricem*, pro more aliorum Numinum, ut minus accurate eruditi Antiquarii, refragante eodem Ariftide, ftatuunt, fed ipfo *Victoriæ* feu Νίκης nomine Athenis olim cultam; indeque, quod a diligentiffimo Meurfio ea de re agente prætermiffum, ab Euripide vocatam alicubi Νίκην Ἀθήνην, *Victoriam*, non victricem, *Minervam*: indicata etiam hujus appellationis origine, ob præftitam fcilicet Jovi infignem in Γιγαντομαχίᾳ operam. Unde illa jam ante in eodem dramate, omiffo etiam *Minervæ* nomine, nuncupatur, ὦ πότνια Νίκη o *veneranda Victoria*; ficut alibi quoque apud Philonem, ubi dicit feptenarium numerum, tanquam ingenitum, adfimilaffe quofdam Philofophos, τῇ ἀμήτορι Νίκῃ παρθένῳ, ἣν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς ἀναφανῆναι λόγος ἔχει, *natæ fine matre VICTORIÆ, eidemque virgini, quam Jovis capite ortam narrant fabulæ*. Quin Megaris Templum extitiffe tradit Paufanias Ἀθηνᾶς καλουμένης Νίκης, *Minervæ appellatæ Victoriæ*. Quamquam non ἄπτερος jam fignata in hoc Smyrnæorum nummo *Victoria*, ficut Minerva illa Νίκη Athenis culta, & cujus Νίκης Ἀπτέρου Templum in Arce Athenarum fuiffe, memorat non femel Paufanias, fimilemque Deæ illius effigiem a Mantinenfibus in Olympia dedicatam. Quod adftruit abunde ipfa Minerva apud Æfchylum, ubi de fe & Athenis quidem loquitur,

Πτερῶν ἄτερ ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος,
*Abfque alis impellens finum ægidis*, feu *ægida*.

Eandem tamen fub *alatæ Victoriæ* figno Athenis etiam cultam, liceret ex alio ejufdem dramatis loco colligere, ubi dicitur Παλλάδος δ' ὑπὸ πτεροῖς ὄντας ἅζεται πατήρ, *Palladi fub alis exiftentes veneratur parens* Juppiter, ni illud *Palladis fub alis* figurate fit intelligendum, ficuti alibi de Hercule loquitur Euripides κείνου τέκν' ἔχων ὑπὸ πτεροῖς, *fub alis haberes illius liberos*; & prout inde eofdem una voce ὑποπτέρους, quos nempe *fub alis* velut pullos foveat, dicit Herculis conjunx Megara in alio ejufdem Tragici dramate. Quomodo nempe in facro fœdere *fub umbra alarum*, pro in tutela Dei, dici notum; & qua de re plenius quandoque ad ipfum Æfchylum. Neque vero recens adeo inventum, quod tradentes novi eruditos alioquin ad Ariftophanem Criticos, primis etiam auctoribus hujus rei indicatis, ut Victoriæ juxta & Cupidini alæ tribuantur: quum præter eundem Comicum, jam ante apud Pindarum alatæ Victoriæ mentionem injectam videre liceat, πολλὰ δ' πρόσθεν πτερὰ δέξατο Νίκης, *multas etiam ante alas accepit Victoriæ*. Ut mittam quod ab Ariftophonte apud Athenæum traditur, Victoriæ alas demum datas, quæ ante Cupidinis fuerant. Alata certe Victoria in tot prifcis, quæ fuperfunt etiamnum, nummorum aut lapidum monumentis vifitur. Hinc, ut ad Nummum, quem hic expendimus, redeam, opportune in eodem *Veftam*, Victoriæ, feu Palladis Νίκης fignum præferre cernimus. Smyrnæi enim, ut aliunde notum, juxta Jonas reliquos, [a] Athenienfium coloni a veteribus habiti; & inde Athenæ [b] *Smyrnæ Metropolis* a Smyrnæo Rhetore nuncupatæ. Retenta autem vulgo a Coloniis Metropoleon fuarum Numina & facra, ac in originis memoriam, nummis earundem, qua de re alibi, fignari folita, ex obvia eorum penu etiamnum conftat. Ita quod hic omnino notare licet, in Romanis quoque nummis, *Vefta* paffim Palladium, feu *Trojanam*, ut Lucanus eam vocat, *Minervam* geftat. Unde de Templo *Veftæ* a Domitiano Romæ purgato, & tribus Veftalibus ob impudicitiam punitis, agens in vita Apollonii Philoftratus, addit, ἃς ἁγνὰς τὴν Ἰλιάδα Ἀθηνᾶν, καὶ τὸ πῦρ τὸ ἐκεῖ θεραπεύειν ἔδει, *quas caftas Ilienfem Minervam, & ignem illic fervare decuit*. Unde etiam Minerva inter *Penates* Deos, qui in Templo *Veftæ*, ut e Tacito fupra monui, fervati; & a Varrone iidem cum *Diis Magnis*, notante id alicubi Servio, adnumerabantur. Hæc autem infigniter illuftrat fingularis nummus, idemque e maximorum, Italis vulgo *Medaglioni*, numero; quem in præclaro Chriftinæ Auguftæ Cimeliarchio videre olim Romæ, & juxta reliquos ejuf-

Aliquando Veftam non erubefcunt etiam Venerem dicere. *De Civ. Dei l.* IV. *cap* X.

ἡ μόνη τῶν ἀπάντων θεῶν, ὁμοίως δὲ πασῶν οὐκ ἐπώνυμος τῆς Νίκης ἐστὶν ἀλλ' ὁμώνυμος. *Hym in Miner. p.* 25. *Lect. Attic. l.* V. *c.* XX. *Jon. verf.*1529. *Jon. verf.* 1529. *Ib. v.* 457. *de Mundi Opificio p.* 22.

*l.* I. *p.*39. *Item l.* II. *p.* 140. & *l* III. *pag.* 189. *Eumen.* v. 407.

*Ibid.* v. 1004. 1005.

*Heraclid. verf.*10.

*Hercul. Fur.* v. 71. *Pfalm.* XXXVI. 8. & *alibi*.

νεωτερικὸν τὸ τὴν Νίκην καὶ τὸν Ἔρωτα ἐπτερῶσθαι *Schol. ad Aves Ariftoph pag.* 568. *Od.* IX. *Pyth. p.*309. *lib.* XIII. *pag.* 563.

(a) *Anth. l. l.* IV. *c.* IV. *Ep.* X. *Lucian. imagin.* & *Ariftid. in Smyrn.* (b) *Ariftid. Gratul. in Smyrn. p.* 477. *l.* I. *v.* 59.

*lib.* VII. *c.* III. *pag.* 324.

*Ad Æn.* III. *v.* 12.

dem Gazæ, ad ipsam inspectorum a me non semel nummorum fidem adnotare tum licuit. Percussus ille in Faustinæ Matris honorem, sicut vulgo obvia in Augustarum nummis VESTA, aut Vestæ habitu, Augustæ. Visitur autem in aversa nummi illius parte, mulier stans ante aram, dextra pateram, sinistra Palladium gestans, supra aram columna cum Victoria, & inscriptione VESTA. Quo nihil equidem magis ad meam de hac Smyrnæorum *Vesta*, in veteri eorum nummo signata, interpretationem opportunius; in quo nempe præter stantem *Vestam*, *Victoriam* non solum, sed *Columnam* insuper videas.

XXI. De Columna, cui innititur Vesta, in eodem nummo.

Neque vero ambiget facile quisquam, cur adposita sit in hoc Smyrnæorum nummo Columna, ac ei, & stantis quidem habitu, innixa sit hæc Dea; qui *Vestam* eandem cum Terra, ut paullo ante vidimus, ac a *stando* Græcis Romanisque, ut illi equidem statuunt, ex æquo dictam meminit, juxta antiquos Grammaticos, aut vel ex noto Ovidiano versu, de quo jam ante, *Stat vi Terra sua*, &c. quamquam aliunde, & quidem ex Oriente, quod obvium, & qua de re jam ante, vera hujus *Vestæ* vel Εςίας appellatio peti itidem possit. Unum tamen hic adferre liceat, pervulgatæ apud Græcos derivationis, quique huic nummo lucem fœneratur, testem Phornutum, *ταύτην μὲν διὰ τὸ* ΕΣΤΑΝΑΙ *διὰ πάντων, προσηγόρευσαν οἱ παλαιοί· ἢ διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς, ὡσανεὶ ἐπὶ θεμελίου, τὸν ὅλον* ΕΣΤΑΝΑΙ *κόσμον*, *hanc*, Terram nempe, *quod STET per omnia*, *VESTAM veteres dixere*, *aut quod ipsi INSISTAT*, *tanquam in fundamento quodam universi*, *mundus*. En optimum hujus rei, seu *Vestæ* in hoc nummo stantis non solum, sed Columnæ præterea innixæ seu *insistentis* interpretem; & cui adstipulantem legas eo loco Plutarchum, quo ille mensam, Terræ simulacrum ideo colligit, *quod alat nos & STABILIS maneat*, *eaque a quibusdam bene VESTA appelletur*, *πρὸς γὰρ τὸ τρέφειν ἡμᾶς, καὶ* ΜΟΝΙΜΟΣ *ἐςὶ, καὶ καλῶς ὑπ' ἐνίων* ΕΣΤΙΑ *καλεῖται*. Hinc STATA MATER dicta eadem *Vesta* in Inscriptione veteri apud Reinesium, & de qua appellatione adiri potest Festus; aut eadem non *Mater* solum *Deorum*, ut paullo ante vidimus, sed *sustentaculum* etiam *Naturæ*, *συνοχὴ φύσεως*, a Philolao Pythagorico, in adlato jam supra apud Stobæum loco appellatur. Quibus accedit, quod eodem habitu, nempe non velatæ solum, sed Columnæ præterea insistentis mulieris, *ÆTERNITAS*, cujus symbolum, ut jam ante vidimus, *Vesta* depingitur in veteri nummo Alexandri Severi, cum inscriptione, PERPETUITATI AUG. Quo referre insuper liceat alium neque obvium Gallieni nummem, in quo Mulier dextra Globum gestat, sinistra Columnæ innixa, retro Ara accensa, haud obscura *Æternæ Vestæ* symbola, cum epigraphe PERPETUITATI AUG. Quamquam vero, quod norunt, qui veteres nummos versant, aliis etiam Diis aut Deabus, sicut Veneri Victrici, Apollini Citharœdo, eundem habitum, Dii nempe aut Deæ Columnæ insistentis, tribuant nonnunquam præclara id genus cimelia. Quam in rem occurrit opportune, quod observat alicubi penus veteris eruditionis Clemens, columnas antiquitus apud Gentiles statuarum & Imaginum vice cultas: neque enim alia olim Junonis Argivæ, aut Apollinis Delphici simulacra, præter columnas exstitisse; quod adlatis e Poetis aliquot locis ibidem firmat. Ut minus mirum proinde videri debeat, cur vulgo Apollo, ut dixi, Citharœdus, columnæ innixus haud semel in veteribus nummis depingatur: aut quod ipse Apollo Ἀγυιεὺς, sicut monent veteres Critici, cultus fuerit sub figura columnæ in acutum, obelisci instar desinentis & *κωνοειδοῦς*, ac ante fores ædium erectæ. Hinc eidem Clementi, Bacchus, *Thebarum columna*, Στύλος Θηβαίοισι Διόνυσος, dictus veteri oraculo; immo unde igneam illam columnam, quæ Hebræis per avia dux fuit, *denotare* docet, *Dei stabilitatem ac firmitatem*, *immutabilemque ejus lucem*, *δηλοῖ τὸ* ΕΣΤΩΣ, *καὶ μόνιμον τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ἄτρεπτον αὐτοῦ φῶς*. quorum prius in Phœbo seu Apolline aliisque Diis cœlestibus adumbrasse Gentiles, e commemoratis modo nummis liquet. Adde quod de simulacris Jovis Meilichii & Dianæ Patroæ apud Sicyonios tradentem videas Pausaniam, *πυραμίδι δὲ ὁ Μειλίχιος, ἡ δὲ κίονι ἐςὶν εἰκασμένη*, *Pyramidi autem Meilichius*; *illa vero*, Diana nempe, *Columnæ adsimilatur*. Hinc promiscuus etiam *ςήλης* pro *Columna & Statua* usus; quomodo *ςήλη ἁλὸς*, [a] Philoni ac [b] Josepho, *ἁλῶν*, seu *Columna salis* dicta a LXX. Senioribus, Lothi uxor, quæ *Statua*, sive *acervus salis* in Hebræo authentico, aliisque tralationibus aut paraphrasibus antiquis appellatur; & qua de re videri potest nupera viri doctissimi Joannis Clerici ad Genesin commentatio; aut vero ubi de simulacris Deorum apud Gentiles, a Deo Mosi præcipitur, *καὶ συντρίβων συντρίψεις τὰς ςύλας αὐτῶν*, *& conteres omnino statuas eorum*. Tributa vero præter *Vestam* aliis quoque Numinibus id genus symbola; ita tamen, ut aliunde haud obscure liceat illa secernere; peculiaresque occurrant notæ, unde de singulis datur sincerum nec fallax, ut plurimum, judicium ferre.

XXII. De Vesta nutrice, & alimentis in Prytaneis.

Quod vero adlato paullo ante loco notat Plutarchus, *Terram* non a *stabilitate* solum, sed ex eo, [a] *quod nos alat*, præclare Græcis dictam Εςίαν seu *Vestam*; inde factum colligas, ut *Deorum Nutrix* vocetur apud [b] Martianum Capellam, eadem *Vesta*. Haud aliter nempe ac [c] *omnium Mater ac Nutrix* sit ab Æschylo pridem dicta; aut *mammosa* non Ceres solum, seu Diana Ephesia, sed *πρόμαςος* etiam *Vesta*, a Porphyrio, quod supra monitum, appellata; sicuti nempe nobile Dei apud Hebræos nomen, שדי *Saddai*, aliis *sustentator* vel *sufficiens* seu *αὐτάρκης*, aliis *mammosus*, h. e. altor seu nutritor, dicitur. Cui rei etiam opportune tribuas, quod in Græcorum Prytaneis, in quibus status ac solemnis hujus VESTÆ cultus, bene de Republica meritis ac hieronicis etiam *Prytaneum*, non jam ut *ignis*, sed ut *cibi* publici seu *victus penum* dici, statuit Auctor Magni Etymologici, nempe Πρυταν-εῖον quasi, non *πυρὸς*, sed *πυροῦ ταμεῖον*, & quod

*Fast.* VI. v. 298.

*de Cerere & Vesta.*

*Sympos.* *l.* VII. *c.* IV.

*Syntagm.* *p.* 160.

*Stromat.* *l.* I. *p.* 348.

*ὅτι τὸν Ἀγυιέα πρὸ πυλῶν ἵςασαν Κίωνα δὲ ὄντος ἦν εἰς ὀξὺ λήγων.* *Schol. Eurip. ad Phœniss.* v. 634. *It. Schol. Aristoph. ad Vesp.* *p.* 493.

*lib.* II. *p.* 102.

(a) *de Somniis p.* 601.

(b) *Αρχ.* *l.* I. *c.* XII.

*Exod. c.* XXIII. v. 24.

(a) *Πρὸς γὰρ τὸ τρέφειν ἡμᾶς*, &c. *Symp. l.* VII. *Qu.* IV.

(b) *lib.* II. *p.* 46.

(c) *Χθονὸς τροφῷ.* *Choeph.* v. 64.

שד *mamma*.

quod ibidem explicat, πυρὸς ὁ σῖτος, dictum proinde τῦ δημοσίε σίτε ταμεῖον. Quo sensu itidem πυρηχεῖον Alexandrinis dicebatur; sicut ad Historiam Augustam jam notavit magnus Salmasius, quod ab Atheniensibus & Græcis reliquis vocabatur Πρυτανεῖον. Adde, quod loca, ubi sine sumptu id genus alimenta suppeterent, *Prytanea*, juxta veterem Comicum apud Athenæum, appellari meruerint,

Pag. 52.

Οὗ γὰρ τίθενται
ΠΡΥΤΑΝΕΙΑ ταῦτα πάντα προσαγορεύεται,

Lib. VI. p. 237.

hoc est, interprete illustri Grotio,

*Ubicunque vacuo sumptu alimonia est,*
*Ea omnia vulgo PRYTANEA appellant loca.*

Caute vero intelligendum, quod ad hunc Athenæi locum notavit ὁ πάνυ, nempe Πρυτανεῖα plurali numero, vocem esse solum forensem pro *pecunia*, ut aliunde notum, *a litigantibus deposita*. Nam & præter hunc Comici locum, apud Pindarum quoque & Callimachum, eodem multitudinis numero, in locis supra adlatis legitur, Πρυτανεῖα, & τὰ τῆς πόλιος Πρυτανήϊα; immo apud Ἀττικώτατον scriptorem Thucydidem de Attica sub Theseo, Πρυτανεῖα τ' ἔχουσα καὶ Ἄρχοντας, *quæ haberet Prytanea & Archontas*. Adde Dionysium Halicarnassensem, agentem non semel de iisdem *Prytaneis*, in quibus *Vestæ* sacra, e publico victus, ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς Πρυτανείοις, *in Græcorum Prytaneis*; alibi, τά γε τοι καλέμενα Πρυτανεῖα, *quæ autem vocantur Prytanea*. Dicta vero eodem sensu Polluci Ἑστία τῆς πόλεως, ubi datus ille e publico in Prytaneis victus, & cujus locus male in editis distinctus, pejus autem ab interprete acceptus, ἐπὶ δὲ ταύτην, ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ καὶ ΕΣΤΙΑ τῆς πόλεως, παρ' ἧ ἐσιτῦντο, οἵτε κατὰ δημοσίαν πρεσβείαν ἥκοντες, καὶ οἱ διὰ πρᾶξίν τινα σιτήσεως ἀξιωθέντες, καὶ εἴ τις ἐκ τιμῆς ἀείσιτος ἦν, *præter hanc, PRYTANEUM & VESTA URBIS, apud quam epulabantur, qui advenerant, publicam obeuntes Legationem; & qui ob factum aliquod dignus habebatur, qui e publico vesceretur; aut si quis alius honoris causa ibidem alebatur*. Advenientibus nempe aliunde, sicut reducibus Atheniensium Legatis, quod ibi innuit Pollux, honos ille vulgo habitus, ut iis lautia in Prytaneo præberentur; qui mos etiam passim apud alias urbes Græcanicas, aut a Græcis ortas invaluerat. Quod aperte legitur in præclaro Smyrnæorum & Magnetum Fœdere, ubi cautum a Smyrnæis, ut ii, ad quos ea res spectaret, invitarent *Legatos, qui e Magnesia advenerant, in Prytaneum, ad hospitales epulas*, τὰς πρεσβευτὰς τὰς παραγενομένας ἐκ Μαγνησίας, ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ Πρυτανεῖον. Idem innuit alicubi Polybius, de Gentii Illyriorum Regis Legatis, qui ad Rhodios missi, ἐδέξαντο δὲ

Lib. II. p. 10.

Antiqu. l. II. p. 93. Ibid. pag. 126.

Lib. IX. c. V. pag. 426.

Marmor. Oxon. p. 7. & 8.

Ex. Leg. 87.

A καὶ τὰς πρεσβευτὰς ἐπὶ τὴν ΚΟΙΝΗΝ ΕΣΤΙΑΝ, τὰς παρὰ τῦ Γεντίε, μετὰ πολλῆς φιλανθρωπίας, *suntque*, Casaubono interprete, *etiam Gentii Legati IN PRYTANEO magna comitate ab iis accepti*. Κοινὴ nempe Ἑστία, erudite ibi, quod vel ex superioribus liquet, per *Prytaneum* versa, ubi dicuntur a Rhodiis excepti pro more Legati Regii. Hinc locus ille *Prytanei*, in quo vulgo datæ e publico epulæ, non θόλος solum, juxta scriptores [a] Atticos & Grammaticos, sed ἑστιατόριον etiam dictus, ut ex [b] Pausania constat, ubi ei de *Prytaneo* Eleorum sermo, & epulantibus in eodem Olympionicis; quique locus e regione illius cellæ positus, in quo *Vestæ* focus æternusque ignis ei sacratus. Unde & Κοινὴ itidem Ἑστία *Curiarum* seu τῶν φρατριῶν in Græcorum *Prytaneis*; ut Dionysius Halicarnassensis loco jam supra indicato observat, ὥσπερ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΙΣ ΕΣΤΙΑ Κοινὴ τῶν φρατριῶν, *sicut in Græcorum PRYTANEIS Communis Curiarum VESTA*; & idem nomen ἑστιατόριον non *Curiis* solum Romanis ibidem tribuit, quas cum *Prytaneis* Græcorum confert, sed cœnaculo etiam, in quo festis diebus epulari solitæ eædem Curiæ. Unde ἑστιάτωρ dictus, qui visceratione m & epulum suæ præbebat Tribui, ut liquet e Demosthene adversus Bœotum, & inde monet Ulpianus, ἑστιάτωρ, ὁ τὴν φυλὴν εἰς δεῖπνον καλῶν, & quomodo φράτορας vel φυλὴν, ne γάμυς jam dicam, ἑστιᾶν subinde apud Atticos Oratores legas. Immo unde de Serapide, quasi summo epularum id genus, quæ in Prytaneis a Curiis fieri solitæ, magistro, ab Aristide dictum observo, καλοῦντες τε ἐφ' ΕΣΤΙΑΝ καὶ προϊστάμενος δαιτυμόνα αὐτὸν, καὶ ΕΣΤΙΑΤΟΡΑ, *vocantes ipsum*, ad communes nempe Curiarum, de quibus paullo ante Dionysius, *EPULAS, & eum largitorem earundem & EPULONEM, nuncupantes*. In *Prytaneis* itaque, quod hic ad rem facit, peculiaris & sacrata *Vestæ*, æternoque igni alendo cella vel ædicula, quæ inde οἴκημα, ἔνθα σφίσιν ἡ Ἑστία, *domuncula, in qua iis Vesta*, mox rursus οἴκημα τῆς Ἑστίας *ædicula Vestæ* a Pausania vocatur. Immo inde factum, ut non solum sacer esset ille locus, & frequens supplicum, sicut jam supra vidimus, asylum; sed ut ipsa *Prytanea* vulgo sacra a Græcis haberentur, quod diserte notat Dionysius, τά γε τοι καλέμενα Πρυτανεῖα παρ' αὐτοῖς ἐστὶν ἱερὰ, additque, καὶ θεραπεύεται πρὸς τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον ἐν ταῖς πόλεσι κράτος, *& eorum cura ad eos pertinet, qui summum in urbibus Magistratum gerunt*, hoc est, *Prytanes*. Qua de re etiam videndus Thucydidis Enarrator, Πρυτανεῖον ἐστὶν οἶκος μέγας, &c. ἐκαλεῖτο δὲ οὕτως, ἐπειδὴ ἐκεῖ ἐκάθηντο οἱ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, οἱ τῶν ὅλων διοικηταί, *Prytaneum est magna domus, in qua alimenta dabantur iis, qui Rempubl. administrabant, ita autem vocabatur, quod in ea PRYTANES, qui omnia regebant*.

B C D E

(a) Andocid. Orat. II. p. 194. Harpocration. Pollux. (b) lib. V. p. 316.

Antiqu. l. II. p. 33.

pag. 636. C. edit. Basil.

in Serapim p. 97.

lib. V. pag. 316.

Antiq. l. II. p. 126.

Ad lib. II. pag. 110.

# DE PRYTANIBUS AC PRYTANEIS GRÆCORUM.

I De Prytanibus, iisque Rhodiorum.

OPPORTUNE proinde eidem VESTÆ adſcripti in hoc nummo, quique mihi ad ejus interpretationem continuo præluxere, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, *Smyrnæorum Prytanes*. Cuſtodes enim eos exſtitiſſe hujus Deæ Πρυτανίτιδος, ut vidimus, dictæ, ſeu qui ſacris ejus in Græcorum Prytaneis præerant, non ſolum adductis modo verbis, ſed antiquorum etiam auctorum, ſicut Pindari, quem clariſſime id tradentem vidimus, fide, aut Æſchyli præterea haud obſcuro teſtimonio, abunde, ut opinor, declaravimus. Neque enim Athenis ſolum exſtabant *Prytanes* & *Prytaneum*, prout quibuſdam eruditis ſecus viſum; aut vero in ſolis Atticæ oppidis, in quibus ſingulis *Prytanea* quondam ad Theſeum uſque exſtitiſſe, docet loco paullo ante indicato Thucydides: ſed paſſim in aliis Græciæ aut Græcanicis Aſiæ aut alibi adhuc urbibus, ut jam olim ad Athenæum erudite monuit ac demonſtravit ὁ πάνυ. *Rhodios* certe, (quod ille vel ex uno Ariſtotele, in quo Πρυτανείας Rhodiorum mentio, non male colligi poſſe exiſtimat) ſummum eo nomine Magiſtratum habuiſſe, arguit omnino inſignis eam in rem, & quem alibi jam indicavi, Appiani locus, ubi agens de Rhodiis ait, *οἱ μὲν δὴ Ἀλέξανδρον ἐκ τούτων εἵλοντο σφίσι* ΠΡΥΤΑΝΕΥΕΙΝ, *ἅπερ ἐστὶν ἀρχὴ παρ' αὐτοῖς αὐτοκράτωρ*, *illi vero ea de cauſa Alexandrum elegerunt ſibi PRYTANEM, qui apud eos Magiſtratus omnium maximam habet auctoritatem*. Quin haud aliter de Rhodiis Livius, *quum in ſummo magiſtratu eſſet, PRYTANIM ipſi vocant*. Alicubi etiam Plutarchus, qui Πρυτανείας ἐν Ῥόδῳ, ſeu ſummæ apud Rhodios præfecturæ meminit. Immo id jam ante monuerat Polybius, a quo id hauſit more ſuo Livius, ubi nempe de iis agit, qui publicas Rhodiorum res procurabant, puta Hegeſilochi, vel Stratoclis Rhodiorum, ut eos idem vocat, *Prytanum*; additque alibi (unde inſuper ſemeſtre & ſupremum unius e *Prytanibus* apud Rhodios imperium colligas) nempe, ut a *Prytanum* numero unus per illud tempus caput Conſilii & Præſes conſtitueretur. Adde, quod alibi idem auctor, a *Prytanibus* Rhodiorum legationes tradit decretas ad dirimendum ortum inter Romanos & Macedonas bellum. Adeo quidem, ut ex his graviſſimis Auctorum locis, eximium quid ac ſingulare de *Rhodiorum Prytanibus* facile eruas; quorum ſcilicet ſupremo, non Στρατηγῶν vero ſeu *Prætorum*, ut ferme alibi in Græcis vel a Græcis conditis urbibus, aut alterius Magiſtratus imperio regerentur iidem Rhodii. Neque vero præteriri hic debet, quod *Rhodiorum Prytanis*, in præclaris quibuſdam nummis mentionem a ſe primum repertam idque certiſſima, ut quidem ait, conjectura, haud ita pridem adſeruit vir genio ac eruditione præſtans.

*Athenæ. lib. IV, p. 159.*

*Animad. Athen. l. XV. c XIX.*

*Bell. Civil. l. IV.*

*Lib. XLII c XLV.*

*Reipubl. gerend. Præc. p. 813.*

*Exc. Legat. LXIV. & LXVII.* Στρατοκλέους πρυτανεύοντος τὴν δευτέραν ἑξάμηνον, καὶ τοῦ διαβουλίου προεστῶτος *Ibid. Excerpt. Legat. LXXXVI.*

*De Num. Urb. Illuſtr. pag. 422.*

A Accedit, quod ea, quæ in genere de *Prytanibus* Græcorum, illaque ut partim a Caſaubono pridem monita, & apud Rhodios quidem, ex uno, quem tum adtuleram, Appiani loco, obiter olim notaveram, eadem, inquam, indicto ejus rei indice, reponere ei libuerit: inde autem *uberius ſe ibi explicaſſe*, quæ ad *Prytanes* ſpectarent, alibi in proceſſu operis tradat: ubi nempe hunc ipſum tangit, quem olim a nobis obiter explanatum noverat, ac ſub incudem hic revocamus, Smyrnæorum nummum. Neque enim inter erudite a ſe reperta, adnumerari a viro cæteroquin his litteris haud mediocriter exculto cenſeam; quod *Prytanes* Athenis etiam exſtitiſſe, & uno quidem adlato eam in rem, non Attici alicujus Auctoris, ſed Joſephi, qui alioquin exiguæ a- B pud eum vel fidei, vel auctoritatis, teſtimonio, opportune ſcilicet evicerit. Immo quem ipſum graviſſimi illius Auctoris locum, ubi ille Decreti Athenienſium meminit, *ἐπὶ Πρυτανέως καὶ ἱερέως Διονύσου*, *ſub Prytane & Sacerdote Dionyſo*, alia jam nos occaſione, qua nempe de ſummi Magiſtratus & Sacerdotii conjunctis ſæpe apud Ethnicos muniis agimus, eodem, quod paſſim vir eximius memorat, opere protulimus; & proxima quidem pagina traditi a nobis, quem inde etiam refert, nummi. Deſcribit C vero ille alium nummum in Collegii Claromontani Muſeo obvium, in quo Ceres occurrit tedifera, vecta curru draconibus juncto, cum epigraphe, uti ille eam memorat, ac paullo ab ea, quam ex alio, ſed exeſo & detritis pleriſque litteris ac voculis a me traditam memorat, diverſa: nempe, ΚΟΙΝΟΝ ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ Π. ΡΟΔΙΩΝ ΚΛ. ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ, hoc eſt, eodem interprete, *Commune XIII. Civitatum Magiſtratu (ſeu Prytani) Rhodiorum Claudio Frontone, Aſiarcha & Pontifice XIII. Ci-* D *vitatum*; hoc eſt, ut mox addit, & quo ſuam de *Prytani Rhodiorum* in eodem nummo a ſe reperto εὐστοχίαν probet, quum ΠΡΟΔΙΟΝ in eo dilucide, ut contendit, legatur, ſe diviſa voce in duas Π. ΡΟΔΙΟΝ, hoc eſt, Πρυτάνεως Ῥοδίων *Prytanis Rhodiorum certiſſima conjectura* legendum vidiſſe, atque ita *primum excogitaſſe*, quid eſſet illud ΠΡΟ, quod in ſimilibus nummis hactenus alii legerent Antiquarii, & falſo talem a Sponio tradi, in quo ΠΡΟΔΙΚΟΣ ΚΑΙ ΦΡΟΝΤΩΝ E legatur, cum ſit in iis perſpicue ΠΡΟΔΙΟΝ ΚΛ. Neque vero aliter legit ac interpretatur nummum Gazæ Regiæ, ſub M. Antonino cuſum, cum ſimili inſcriptione, & quem inde Rhodiis itidem adſcribit vir doctus. In quibus tamen minus felix viri ſolertis, nec quo cæteroquin pollet, acumen licet continuo percipere. Mitto ante omnia, non uno utique litterarum ductu, ΠΡΟ vel ΠΡΟΔΙ, minime autem, ſicuti in nummis a ſe etiam non viſis refingit, ΠΡΟΔΙΟΝ, ſed Π. vel verius ΠΡΥΤ. ΡΟΔΙ. aut ΡΟΔΙΩΝ legi in iiſdem debuiſſe, quo Πρυτάνεως Ῥοδίων dignitas in præ-

*Diſſert. de Præſt. Num. p. 492.*

*De Num. Urb. Ill. p. 471.*

*Antiq. lib. XIV. cap. XVI.*

*Diſſ. de Præſt. Num. p. 693.*

claris adeo & florentis adhuc ævi & urbis nummis ſignaretur. Equidem in nummo illo, quem memorat M. Aurelii, & qui exſtat etiamnum in Gaza Regia, ſine ulla litterarum, obvia alioquin & conſueta, ubi eidem locus, diſtinctione, aut quæ proinde ſinat, ut una vox ad cujuſpiam lubitum in duas divellatur, legitur omnino ΠΡΟΔΙ, ſeu juxta totam nummi epigraphen, ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙ. ΦΡΩΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ, hoc eſt, *Commune Tredecim Urbium Prodico Frontone Aſiarcha Et Sacerdote Max. Tredecim Urbium*, Jonici nempe, uti mox dicetur, & qua de re plenius quandoque alibi, conventus. Accedunt inſuper duo inſignes alii nummi Regiæ ejuſdem Gazæ, & maximæ itidem formæ, eodem modo inſcripti; niſi quod in uno ſub M. Antonino itidem cuſo, manifeſto legatur, non ΠΡΟΔΙΟΝ ΚΛ. ut exiſtimat vir eruditiſſimus, ſed ΠΡΟΔΙ. ΚΑΙ ΦΡΟΝΤΩΝ. *Prodico Et Frontone*; in altero ſub Pio Marci deceſſore percuſſo, exeſis & detritis prioribus aliquot litteris ----- ΦΡΩΝΤΩΝΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ, infra ΚΟΙΝΟΝ, hoc eſt, ut ex ſuperioribus ſuppleri omnino debent priores litteræ *Prodico* aut *Prodico Et Frontone Aſiarcha Et Sacerdote Max. XIII. Civitatum Commune*. Hæc autem non meis ſolum, cui attente aliquoties prædictos nummos Regiæ Gallorum Gazæ, ante & poſt editum viri præſtantis de iis judicium, verſare licuit, ſed acutioribus præterea & vere lynceis eorum, qui eoſdem aſſidue cuſtodiunt aut tractant, oculis & fide conſtant. Mitto ſimilem omnino nummi epigraphen, cujus alioquin facta ab eodem viro præclaro mentio, ac ſub Pio itidem ſignati, quam e Gaza Medicea, primi olim vulgavimus; præmiſſis, quæ in eo comparebant ante *Frontonis* nomen, & in Regio ſunt hodie exeſæ, litteris ΠΡΟ. Cui addendus inſuper alius CHRISTINÆ Auguſtæ, Romæ quondam a nobis inter præclara illius Cimelia viſus & notatus, cum totidem litteris ΠΡΟ. ΚΑΙ ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ. Adeo ut non debuerit tot ſubnixa aut illuſtrata teſtibus, viri, qui in his ætatem cum laude & induſtria trivit, & ſimilem quoque nummi epigraphen adtulit, nempe ΠΡΟΔΙΚΟΥ ΚΑΙ ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ, fides continuo ſollicitari aut redargui; quo ſuam de *Prytani Rhodiorum*, tanquam in iis obvio, *conjecturam*, *primus*, ſicuti vere quidem ait, addam & ſolus, *excogitaret*. Neque enim quidquam aliud ex modo traditis, fide optima nummis efficias; niſi inde abeſſe omnino quamcunque *RHODIORUM PRYTANIS mentionem*; exſtare autem in iis mera *Prodici* & *Frontonis* nomina, illius *Aſiarchæ*; hujus *Sacerdotis*, vel utriuſque *Aſiarchæ* ſimul & *Sacerdotis* (pro more alibi a nobis indicato) *XIII. Civitatum* Joniæ, ut diximus, *Communis*, ſeu *Panjonii*, quod e totidem urbibus conſtabat: & qua de re equidem, cui innititur tamen præcipua horum inſignium nummorum lux & explicatio, mirum utique ſilere omnino, qui eos data opera illuſtrare ſuſceperat, virum eruditiſſimum. Haud improvide tamen id ab eo factum. Id enim quod hic palmarium, ex [a] Strabone, [b] Vitruvio, aliiſque liquet, nullum *Rhodiis* locum, in illo *Panjonio* ſeu *Communi* XIII. Urbium, a quo percuſſi iidem nummi, exſtitiſſe; ac proinde nullam *Rhodii Prytanis*, qui *Aſiarchæ* aut *Sacerdotis* illius *Communis* munere fungeretur, quæri in iiſdem memoriam debuiſſe. Neque vero id pro more vel dignitate illius *Panjonii*; aut vero id primariæ & nobiliſſimæ, e quibus illud conſtabat, urbes, *Epheſum* puta, *Smyrnam*, *Miletum*, *Samum*, *Chios*, &c. facile toleraſſent; ut aliunde, quam ex earundem gremio, ſacrorum & agonum publicorum Præſides, in ſolemnibus & ſtatis earum panegyribus conſtituerentur. Cujus proinde *Panjonii* mentio, cum in præclaro *Lebediorum* marmore, de quo paullo infra; tum quod primi obſervavimus, in luculento *Smyrnæorum* nummo Gazæ Regiæ, alia occaſione a nobis vulgando. Smyrna nempe, ut aliunde conſtat, Regis Attali, & Arſinoes beneficio, *Panjonio* illi, exempta inde Melite, addita: unde & Πρανιώνια Smyrnæ celebrata circa adventum Apollonii, tradit in ejus vita Philoſtratus. Adeo, ut vel hoc uno de *Rhodiis*, ab eodem *Panjonio* ſeu *Communi XIII. urbium* Joniæ, a quo percuſſi ſuperiores nummi, & cujus etiam bis fieri mentionem videas in illo Collegii Claromontani quem adduxit vir eruditus, alienis, argumento, convelli omnem illam de *Prytani Rhodiorum* in eodem aut ſimilibus nummis conjecturam, Morellio noſtro, viro harum antiquitatum inter paucos perito, continuo indicarem, ubi is eandem ab illo acceptam, in ſpecimen ſuum retuliſſet. Mitto quod in hac nummorum tractatione inſolitum ferme norunt, qui in ea ſunt exercitati; ut parum obvia & conſueta in iiſdem dignitas, *Prytanis* nempe, una littera Π. denotetur; quod in Στρατηγοῦ ſeu *Prætoris* voce (familiari utpote, & in nummis id genus paſſim obvia, & proinde una littera Σ. ſubinde in iis deſignata) contigiſſe equidem novi. Verum id ex inſcriptionis, quæ in iiſdem adductis ante nummis legitur, amplitudine, nec citra ſimilia in aliis etiam præter Στρατηγοῦ dignitatem titulis vel honoribus exempla, factum ultro largiamur: modo reliqua, quæ eandem explicationem ab eo traditam haud obſcure redarguunt, non adeſſent.

*Ibid.*

*Pauſan. l.* VII. *pag.* 404.

Καὶ γὰρ ἔτυχον Πανιώνια ὄντες *l.* IV. *cap.* 11.

II. An Prytanes in nummis Ciliciæ?

Quamquam idem eſt ingenio præſtans alibi in eodem opere, ubi nempe nummum profert e Gaza Regia, in qua *Prytanis* nomen exſtare itidem putat, non ΕΓΙΑΛΕΩΝ, ut in nummo tamen exſtat, ſed ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ legendum vel ideo contendit, quod Ἀρχιερεῖς ſcilicet & Πρυτανεῖς *ſint in nummis fere hujus tractus*, *alibi* autem *rarius* obvii. Sed vel unum Ciliciæ, in qua *Anchialus*, aut ejuſdem *tractus* nummum protuliſſet vel indicaſſet aliunde vir eruditus, in qua obvia & familiaris occurrat illa *Prytanum* mentio? Equidem in tanta, qui ſuperſunt etiamnum in præclaris Cimeliarchiis, & quibus ad invidiam præ reliquis dives hæc Gaza Regia, nummorum copia, unum duntaxat, in quo manifeſto adſcripta ſit illa *Prytanis* dignitas, exſtare hactenus noverant, qui hæc æra nocturna & diurna verſarunt manu; eum ipſum nempe, quem vel ideo hac Diatriba expendimus,

*de Num. Urb. Illuſtr. p.* 20.

(a) *lib.* XIV.
(b) *lib.* IV. *c.* I.

A

a Smyrnæis cusum. Adeo ut nec in hunc censum continuo referri debeat ille sub Caracalla signatus, & qui *Anchialis*, Ciliciæ oppido, contra nummi fidem, ut modo innui, tribuitur, in quo præterea non *Prytanis* alicujus, ut idem censet, dignitas, quam *Prytanici* cujusdam *Epicratis* nomen legitur: nempe sicut clarissime præfert nummus ille Gazæ Regiæ a me haud semel accurate inspectus, ΕΠ. ΑΡΧ. ΠΡΥΤΑΝΕΙ. ΕΠΙΚΡΑΤΟΥΒ. infra ΕΓΙΑΛΕΩΝ, *sub Archonte* aut *Sacerdote* (prout nempe ΑΡΧΩ. vel ΑΡΧΙ. in nummo, ubi exesa occurrit hodie littera, supplendum) *Prytanico Epicrate*, *Bis* vel *Secundo Egialensium*.

B

E litteris enim, quæ clarissimæ ibi leguntur ΠΡΥΤΑΝΕΙ. non adeo Πρυτανέως, quam Πρυτανείκου licet utique vocem formare. Haud aliter ac *Tarquitii Pretanici*, Romani Proconsulis, occurrit mentio in quodam Neronis nummo Nicomediæ cuso a me jam alibi vulgato; quamquam non Πρυτάνεικος sed Πρετάνικος *Pretanicus*, non *Prytanicus* idem in eo vocetur, nempe Μ. ΤΑΡΚΥΤΙΟΥ ΠΡΕΤΑΝΙΚ.... ΘΥΠΑΤΩ, in medio ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. h. e. *Marco Tarquitio Proconsule Faciente Nicomediæ*.

*Diss. de Præst. Num. p.* 564.

Illud quidem observasse memini ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ mentionem, vix ferme in aliis, quam

C

in Græcis Asiaticarum urbium nummis legi: haud aliunde certe, quam ex antiquo eorum ære, exempla a me vel olim sunt adducta; aut vero ab eo tempore in magna, quæ adhuc prostrat bono litterarum fato, nummorum id genus insignium copia, si unum forte vel alterum excipias, adnotare mihi licuit. Qua in re dispar ΠΡΥΤΑΝΕΩΝ ratio: quum hactenus vix in uno alterove nummo expressa legatur eorum memoria. Adde quod illa ipsa ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ dignitas, non adeo in nummis Ciliciæ, quam Proconsularis Asiæ, (de cujus etiam *sacerdotio* fit nominatim alicubi

D

a Papiniano mentio) Lydiæ nempe, Joniæ, Cariæ, Phrygiæ, Mœsiæ, urbium, adeo quandoque & vicinæ Bithyniæ monumentis id genus, si paucos admodum, ut jam innui, demas, sit a me hactenus visa. Adeo etiam, ut vel inde nummum a me apud illustrem Lamonium inspectum, in quo ΖΗΛΙΟΣ quidam ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ inscribitur, cum addito loci nomine ΑΦΡΟΔΙΣΕΙΩΝ, potius ad *Aphrodisiam* Cariæ, de qua præter Geographos adeundus Pausanias, quam ad Ciliciæ dictam eo nomine urbem,

Sed n A sia sacerdotium Provinciæ [illegible] pere *lib.* v. 11. *D. de vacat. & Excusat.*

*lib.* 1. *pag.* 47.

E

referendum putem. Quamquam & in lapidibus antiquis aliorum etiam locorum extra Asiam Proconsularem, aut adjacentes eidem regiones, occurrant subinde ΑΡΧΙΕΡΕΙΣ, & in Romanis Jurisconsultorum libris, ac Imperatorum Constitutionibus, de [a] *Provinciæ Sacerdotio*, vel illius [b] *Sacerdotibus*, qui nempe Græcis Ἀρχιερεῖς, agi in genere haud semel norim. Sed ea de re plenius, deque iis, quæ ad uberiorem præstantium, quos modo adtigimus, nummorum lucem spectant, dicetur alibi σὺν Θεῷ opportunius. Illud tantum hic addam, etsi id sponte, ut opinor, in Lectoris oculos in-

F

curret, non quæsitam hic a nobis cum viro præstanti ingenio ac eruditione, aut vero, quod de iis a me olim tradita, præfracte aut cum supercilio tuerer, quod utrumque a meis moribus abest longissime, de dictis modo nummis disputandi occasionem:

(a) Provinciæ Sacerdotium *Leg.* XVII *De Munerib*

(b) *Cod. Th. de Decurion. l.* VI XXI. &c.

sed quod omnino id suscepti hac commentatione argumenti a nobis exigeret ratio.

III. De Prytani in nummo Cumæorum.

Sicut autem veros *Rhodiorum Prytanes*, non e prædictis quidem nummis, sed e luculenta gravissimorum auctorum fide supra luculenter adseruimus: sic alios adhuc præter *Smyrnæos*, e recondita penu nummaria eruere hic adhuc liceat. *Smyrnæ* itaque *Æolidi* dicti in veteri apud [a] Callimachum Epigrammate, accedat hic etiam *Cuma*, Æolicarum urbium, juxta [b] Strabonem, princeps. Præclarum enim hujus Urbis nummum, inter ectypa veterum numismatum a præstantissimo Morellio nostro collecta observavi, in quo adscribitur *Prytanis* cujusdam *Cumæorum* dignitas ac nomen, cum Dianæ Ephesiæ effigie, duobus præterea cervis, solitis Ελαφραίας hujus Deæ, ac inde quoque juxta Pausaniam dictæ, sequacibus, cum inscriptione autem ΑΙΛ. ΕΡΜΑΙΑΣ. ΠΡΥΤ. ΚΥΜΑΙΟΙΣ. *Ælias Hermias Prytanis Cumæis*. Ni tamen malit quispiam, & quod in arbitrio eruditi Lectoris relinquimus, initialibus illis litteris ΠΡΥΤ. non adeo ΠΡΥΤΑΝΙΝ *Prytanim* seu Rectorem urbis, quam proprium ejusdem Rectoris nomen denotari; quomodo nempe non ΠΡΥΤΑΝΕΙΚΟΝ solum in superiori *Egialensium* nummo legendum diximus, sed ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ quoque alibi occurrunt appellati; sicut, ut alios mittam, apud Diodorum quidam Bospori Cimmerici Rex nomine Πρύτανις, cujusque aliquoties ab eodem fit mentio; & inter Lacedæmoniorum Reges *Prytanis* Euripontis filius haud semel apud Pausaniam commemoratur. Quamquam ut de *Prytani*, seu ipso, quo fungebatur apud Cumæos hic *Hermias* nummo inscriptus, Magistratu, easdem ibi litteras intelligendas verius putem.

(a) Σμύρνης ἐστὶν ἀπ' Αἰολίδος. *Callim. Epigr.*

(b) *Lib.* XVII. *p.* 622.

*lib.* VI. *p.* 388.

*lib.* XX *p.* 762. & 763. & 764.

*lib.* II. *p.* 154. & *l.* III. *p.* 170.




Nec mirabitur quisquam, quod monere obiter liceat, Dianam Ephesiam sculpi in publicis hujus urbis monumentis; qui novit *magnam* illam, prout in Actis Novi Fœderis vocatur, *Deam*, summa religione in Græcis Asiæ urbibus cultam; idque liquere nobis hodie indubia rursus nummorum veterum fide, nec vicinarum solum aut Proconsularis Asiæ, juxta hanc Æolicam *Cumam* Urbium, *Apameæ* puta ad *Mæandrum*, *Magnesiæ*, *Hierapoleos*, *Trallium*, *Sami*, *Nacrasi*, *Antandri*, *Asteriæ*, *Colophonis*, pluriumque id genus, sed remotiorum quandoque, aut extra ejusdem Asiæ Proconsularis fines, ut *Ancyræ*, *Amastridos*, *Prusæ*, *Gortynæ*, aliarumque, de quibus quandoque alibi, & quædam jam erudite ex hac nummorum penu observat, in sua de Apamensium nummo Diatriba, inti-

ma mihi dum viveret, amicitia conjunctus illustris Oct. Falconerius. Quod utique eo minus mirum in urbe vicinæ Æolidos videbitur; & quæ insuper juxta eandem Ephesum ac Smyrnam, communem ab Amazonibus originem & nomen ipsum accepisse traditur. Ut mittam, quod de *Phocæensibus* Cumæ vicinis tradit alicubi Strabo, eos non Massiliæ solum, sed in omnibus reliquis deductis a se Coloniis, Dianam Ephesiam primo loco colere, & simulacrum Deæ, ad imitationem Ephesiorum, ac reliquos ritus in iis instituere. Immo quæ egregie illustrat Romanus etiam Juliæ Titi Filiæ nummus supra adlatus; in quo VESTA, Πρυτανῖτις, uti vidimus, Dea, dextra, non jam Palladium, sed Dianæ hujus Ephesiæ simulacrum tenet. Ut mittam ejusdem Dianæ Ephesiæ simulacrum, in duobus Regiæ Gallorum Gazæ nummis, uno cum Severi, altero cum conjugis Juliæ effigie, & signato loci nomine, ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙΣ, quæ urbs Bithyniæ [a] a Plinio, Isauriæ vero ab [b] Ammiano, ac in libris Conciliorum, uti istud ad eundem Ammianum monuit doctissimus Valesius, adscripta. Occurrit vero eadem *Germanicopolis*, in alio & insigni, ut hoc addam, nummo Regiæ ejusdem Gazæ, ac sub eodem Severo, & quidem cum illius Imperatoris triumphantis typo ac inscr. ΠΑΦ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΠΟΛΙΣ, Prætoris autem nomine, ΕΣΤΙΑΟΣ. Quæ autem literæ ΠΑΦ. *Paphlagoniæ* eandem urbem, uti ad primum illius nummi adspectum eas fum coram interpretatus, videntur omnino tribuere. Sed hoc alterius loci.

Strabo l. XII. & XIII. lib. IV. p. 179.

(a) lib V. sect. XL. (b) lib. XXVII. cap. IX.

IV. De aliis Prytanibus Græcarum urbium in antiquis monumentis.

Verum etsi rarius occurrit hodie in antiquis, qui supersunt, Græcarum aut a Græcis conditarum urbium nummis, PRYTANUM mentio; haud minus tamen pluribus veterum monumentis eorum dignitas est etiamnum consignata. Cujus rei plura jam nobis præripuit felix illa magni Casauboni eruditio ac diligentia, quæ alioquin in iisdem, unde ille eadem hauserat, fontibus a me quoque, quod præfiscine dixerim, fuerant animadversa. Adeo ut vel hinc abunde eruditissimorum, quod ibi tangit, virorum opinio fuerit ab eo merito profligata; quibus, ut ibidem loquitur, persuasum esse videbat, *Prytanei*, ac proinde etiam *Prytanum*, rem nomenque proprium solis Atheniensibus fuisse. Hisce autem ab eo præclare, ut solet, monitis, spicilegii cujusdam loco, & illustrando plenius, in quo versamur, argumento, superaddere nonnulla, uti jam in ante dictis a nobis factum, tum hic etiamnum licebit. Unde præter adlata jam ante Dionysii Halicarnassensis, Dionis Prusæensis, Olympiodori, aut Græcorum Criticorum ad Pindarum, aliorumque testimonia, qui in genere *Prytanes*, aut *Prytanea* Græcarum urbium memorant: accedet nunc iisdem præclarus Auctor Philo, qui condendæ novæ urbis partes & a perito architecto primum apud se delineandas alicubi enumerans, *Prytanea* continuo inter easdem refert, διαγράψαι πρῶτον ἐν ἑαυτῷ τὰ τῆς μελλούσης πόλεως ἀποτελεῖσθαι μέρη σχεδὸν ἅπαντα, ἱερὰ, γυμνάσια, ΠΡΥΤΑΝΕΙΑ, ἀγορὰς, λιμένας, νεωσοίκους, στενωποὺς, τειχῶν κατασκευὰς, ἱδρύσεις οἰκιῶν καὶ δημοσίων ἄλλων οἰκοδομημάτων, *primum intra se ipsum partes futuræ*

Anim. ad Athen. XV. cap. XIX.

De Mundi Opificio.

*urbis propemodum omnes delineat, templa, gymnasia, PRYTANEA, fora, portus, navalia, vias, angiportus, mœnium situm & ædificiorum tam publicorum, quam privatorum*. Neque vero frustra id ab Alexandrino scriptore monitum; quum etiam *Alexandriæ Prytanem* exstitisse doceat alicubi Athanasius, ὁ Πρύτανις τῆς πόλεως. Mitto jam a Casaubono commemoratos, veterum auctorum fide, plurium id genus urbium aut locorum PRYTANES; puta apud *Ephesios*, *Milesios*, *Cyzicenos*, *Corinthios*, *Argivos*, *Eleos*, *Tenedios*, *Thasios*, *Eræsios*, *Mytilenæos*, *Naxios*, *Syracusanos*, *Tarentinos*, & Ægyptios *Naucratitas*: aut vero quæ de Vesta Sardibus, ac proinde *Prytaneo* ibidem ac *Prytanibus*, culta; vel de *Rhodiorum Prytanibus* paullo ante, pluribus iisque gravissimis testibus, aut de *Cumæis* jam e veteri nummo, & *Alexandrinis* ex Athanasio, est modo a nobis observatum. Quibus addere hic insuper & opportune quidem datur alterius præter *Smyrnam*, de qua mox, e *Panjonio* seu Communi XIII. Joniæ urbium, *Lebedi* nempe *Prytanes*; quorum memoria exstat in veteri Marmore, a viro præstante inter reliqua eruditæ peregrinationis monumenta vulgato: ubi in fine legitur, ΕΠΙ ΧΙΟΥ ΠΡΥΤΑΝΕΥΟΝΤΟΣ ΛΕΒΕΔΙΟΣ, *Sub Chio Prytanim Agente Lebediis*; ab initio autem ΕΠΙ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΑΜΥΝΤΟΡΟΣ, *Sub Prytani Amyntore*: ac ubi simul præclara publici Jonum Senatus, & ubi ille convenire fuerit solitus, *Panjonii* nempe, fit mentio; qua de re alibi plenius. Sic, & quæ singularis alterius ejus συνεμπόρου industria ac diligentia itidem nobis in præclaris id genus monumentis suppeditat, modo *Cyzicenorum* ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, modo in Trojæ ruderibus effossi lapidis, *Claudius Erennianus* ΠΡΥΤΑΝΙΣ, quique Πρυτανείαν a majoribus acceperit; modo *Claudius Titianus* [a] *Ephesiorum Prytanis*; modo etiam & de qua jam ante, [b] *Flavia* quædam Asiæ apud eosdem *Ephesios* Templi Ἀρχιέρεια, eademque ΠΡΥΤΑΝΙΣ, in iisdem consignantur. Quibus aliunde licet insuper addere, vel [c] *Lyciorum*, vel [d] *Crotonæ* in magna Græcia *Prytanes*, quod adducit diversis locis Athenæus; aut apud *Megarenses*, teste Pausania, qui eorum [e] *Prytaneum* alicubi refert. Meminit idem alibi Heraclidis cujusdam [f] Πρυτανεύοντος ἐν Δελφοῖς, seu qui *Delphis Prytanim ageret*. Mitto quod de *Spartanorum Prytanibus scripsisse* Charon Lampsacenus a Suida dicitur, ἔγραψε Πρυτάνεις ἢ Ἄρχοντας τῶν Λακεδαιμονίων; qui tamen an ab Ephoris, & Γερουσίᾳ Lacedæmoniorum diversi continuo, uti a Meursio factum [g], statui debeant, haud liquere mihi ex adductis Suidæ verbis fateor; maxime quum haud alibi a Xenophonte puta, Isocrate, Aristotele, Plutarcho, qui tam multa de Laconum πολιτείᾳ tradidere, ulla peculiaris de eorum *Prytanibus*, (qui nec tamen inde ab ea, præter Græcarum urbium morem, exulasse sunt statuendi) facta occurrat mentio. *Prytanes* vero in *Peparatho* una e Cycladibus exstitisse vel inde colligas, quod Insulæ illius *Prytaneum*, terræ motu cum muri parte ac ædibus aliis dirutum, tradat Thucydides. Quin ad *Phyllidos* in Bithynia fauces, *Prytaneum* referunt eruditi ad Apollonium Rhod. Cri-

Apolog. p. 689. T. I.

Itin Wehl. Angliæ edit. p. 268

Sponii Miscell. pag. 236. Ibid. p. 348.

(a) Ibid. p. 356. (b) Ibid. p. 349.

(c) Λυκίων Πρυτάνεις, l. VIII p. 347. (d) Σοι ὑπηρέτῃ τῶν πρυτανευόντος. Idem lib. XII. pag. 522.

(e) Lib. I. p. 60. (f) lib. X. p. 612. (g) Laconic. pag. 117.

lib. III. p. 223. πεσεῖν τὸ Πρυτανεῖον, καὶ [illegible]

ad lib. II. vers. 655.

tici, in quo sacra Jovi Λαφυστίῳ ab uno e Phrixi posteris fieri consueverant, in memoriam Arietis ibi eidem Deo mactati. *Corinthios* autem inter eos jam paullo ante retuli, quos *Prytanes* quoque habuisse, ex Pausania obiter monuit magnus Casaubonus; & quos, ut hoc addam, e gente Bacchiadarum exstitisse, eosque durasse usque ad Cypselli tyrannidem, tradit ibidem Pausanias. [lib. II. p. 92.] Meminit etiam eorundem apud Corinthios *Prytanum* in utroque Chronic. libro Eusebius, [l. I. p. 24. & l. II. p. 114. edit. Scalig.] *Corinthiorum Reges defecerunt. Post hos constituti sunt in Corintho annui PRYTANES*; nempe, ut ibidem legitur, post duodecim eorum Regem Automenem, circa primum Æschyli Atheniensium Regis annum, & primæ Olympiados tempora. Exstat vero, quod nec præteriri hic debet, apud Georgium Syncellum, [Chronogr. ed. Reg. p. 179. Græca Euseb. Chron. Scalig. p. 35 & Not. p. 416.] nobile Diodori fragmentum, quod inde, uti etiam reliqua, in Græca Eusebiana retulit, & quasi illud Eusebio deberetur, in Notis memorat ὁ Πάνυ. Ibi autem, sublato a Bacchiadis regio Corinthiorum imperio, dicuntur iidem numero plusquam ducenti, urbis imperium invasisse; ita tamen, ut additur, ἐξ αὐτῶν δὲ ἕνα κατ' ἐνιαυτὸν ᾑροῦντο ΠΡΥΤΑΝΙΝ, ὃς τὴν τοῦ βασιλέως εἶχε τάξιν ἐπὶ ἔτη ϟ', μέχρι τῆς Κυψέλλου τυραννίδος, ὑφ' ἧς κατελύθησαν, *ex suorum autem numero unum annuum elegerunt PRYTANIM, qui Regis vicem obtinuit per annos XC. usque ad Cypselli tyrannidem, in qua* illi Prytanes *sunt sublati*. De hoc autem annorum numero, quo durarint hi Corinthiorum *Prytanes*, & pro quo a Scaligero in Canonibus Isagogicis, anni [lib. II. p. 169. & l. III pag. 242.] CXXIV. statuuntur, ut sit nempe ibi apud Diodorum annorum XXXIV. parachronismus, non hic est agendi locus. Adde quod eorundem *Prytanum* initium, secus ab aliis, quam ab Eusebio factum, adscribi, notat alibi, ubi eorundem rursus [Chronogr. p. 168.] meminit, Syncellus, μεθ' οὓς ἐνιαύσιοι ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, ὡς μέν τινες, ἐπὶ Αἰσχύλου ἄρχοντος, ἀπὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος, ὡς δὲ ἕτεροι, μετὰ ταῦτα, *post quos*, nempe duodecim Reges, *annui PRYTANES, iique juxta quosdam* (Eusebium nempe, de quo paullo ante) *sub Aeschylo Archonte primaque Olympiade; ut vero alii, serius*.

[V De Prytanibus Smyrnæorum.] Hisce autem accedunt opportune *Smyrnæi*; quod præter eum, in cujus explicationem incumbimus, insignem nummum, cum signata in eodem clarissima *Smyrnæorum Prytanum* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ, epigraphe, evincit insuper adlatum paullo ante Smyrnæorum Decretum, de renovando Fœdere cum Magnesiis, ubi horum legati dicuntur a Senatu invitandi εἰς ΤΟ [Marm. Oxon. p. 8.] ΠΡΥΤΑΝΕΙΟΝ, *ad hospitales epulas in PRYTANEO*. Ubi enim *Prytanea*, ibi, quod e superioribus liquet, *Prytanes*; & quorum utrumque apud *Smyrnæos* in antiquis hisce & præclaris eorundem monumentis, videre etiamnum licet. Accedit his adhuc testis alius luculentus, Smyrnæus nempe *Prytanis* Aristides, qui alicubi, quod ad Smyrnæorum Decretum prætermisit eruditissimus illius editor Seldenus, se inter eosdem illius urbis *Prytanes* seu Rectores, Sophistis nempe Smyrnæis haud insolito, ut mox dicetur, more adlectum tradat; [Serm. Sacr. p. 608] ἦσαν δὲ, inquit, ἀρχαιρεσίαι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ΠΡΥΤΑΝΕΙΑΙ. Προβάλλετό με ἡ Βουλὴ, δυοῖν ἢ τριοῖν ὑπειπόντων, *cum haberentur hoc tempore Comitia PRYTANEICA, nominavit me Senatus duobus vel tribus suffragantibus*. Unde liquet præterea ἀρχαιρεσίας Πρυτανείας, dicta illa *Smyrnæorum* Comitia, in quibus *Prytanes* eligebantur. Horum autem eo manifestior ratio ei continuo apparebit, qui Smyrnæos Atheniensium, quod obiter supra monui, colonos fuisse meminerit; ac proinde haud novum, quod pro more *propaginis*, ut Tertullianus loquitur, consueto, iidem ad Originis suæ seu Majoris vel Antiquæ, sicut [De Pallio.] ea de re veteres, Patriæ normam ac instituta, hic etiam sese composuerint. Unde *primi* quoque, *Smyrnæorum* scilicet, *Prytanis* occurrit mentio in antiquo lapide, edito inter Marmora Oxoniensia, ubi leguntur inter alia, cujusdam Onesimi Paterniani adscripta ibidem munia, Νεωκόρων τῶν Μεγάλων Θεῶν Νεμέσεων, Ἵππαρχον, Γραμματοφύλακα, ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΠΡΩΤΟΝ, [Marm. Oxon. p. 148.] *Æditum Magnarum Dearum Nemesium, Magistrum Equitum, Custodem Astrorum, PRYTANEM PRIMUM*. Plures vero cum alibi, tum *Smyrnæ* etiam, quod vel nummus, de quo hic agimus, abunde arguit, PRYTANES; inter quos dignatione præcipuus & Consilii caput ac Præses, qui primum inter eos locum nactus, seu, ut loquitur, alicubi Antiphon, Πρυτανεύσας τὴν πρώτην Πρυτανείαν ἅπασαν, [pag. 161. ed. Han.] *administrans hanc primam Prytanicam omnem*. Unde Πρύτανις κατ' ἐξοχὴν apud Athenienses *primus* ille *Prytanis*, & reliqui *Prytanes* tanquam illius adsessores, seu qui οἱ περὶ Πρύτανιν, alicubi apud Athenæum, magno Casaubono interprete, nuncupantur. [lib. V. p. 186.] Hinc apud Thucydidem Nicias in fine concionis, qua expeditionem in Siciliam dehortatur, verba ad *primum* illum *Prytanem* convertit; ut penes quem foret de urbis Atheniensium salute & commodis providere, ac decernere quid ei consultum foret. [καὶ σὺ, ὦ Πρύτανι, ταῦτα, εἴπερ ἡγεῖ σοι προσήκειν κήδεσθαί τε τῆς πόλεως, &c. Thucyd. l. VI.] Quod etiam firmat adlatus a me supra ac illustratus obiter præclarus Æschyli locus, ubi Argivorum Rex, tanquam verus Πρύτανις, seu supremus Populi Rector, nuncupatur. Ut non mirum proinde videri debeat, adscribi in eo lapide *Prytanis primi* dignitatem. De *Smyrnæo* autem *Prytani* ibidem agi, probat abunde adlatum, quod jam monuit eruditus illius editor, inde marmor, & præterea adscripta Dearum Nemesium, tutelarium (ut aliunde & ex veteribus etiam nummis plenissime constat) hujus urbis numinum, memoria. Sic rursus cum in alia Smyrnæa Inscriptione apud Cl. Sponium, *Oenomaus* quidam Nicerotus ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΚΑΙ ΥΜΝΩΔΟΣ, [Miscell. p. 354.] *Prytanis Et Hymnorum Cantor* legitur; tum in duobus aliis Marmoribus Oxoniensibus Smyrna itidem adlatis, *duo Prytanes*, *Smaragdus* nempe & *Claudianus* dicti, commemorantur, Σμάραγδος Πρύτανις: [Marm. Oxon. p. 94.] mox Κλαυδιανὸς Πρύτανις, tum alterius adhuc Βουλευτοῦ Πρυτανέως, seu *Senatoris Prytanis* relata [Ibid. p. 105.] alibi in iisdem antiquis monumentis dignitas. Unde ipsa *Vesta*, ut supra vidimus, cum Βουλαία, tum Πρυτανῖτις, *Senatoria* & *Prytanitis* appellata. Distincta alioquin *Prytanum* & *Senatus* munia, vel ex Achille Tatio liceret colligere, ubi τῆς Βουλῆς καὶ τῶν Πρυτανέων, *Senatus* & *Prytanum* [Lib. VIII.] apud Ephesios meminit: nisi postremum

de Senatus principibus intelligi & explicari debeat, & quo sensu etiam Plato, [a] Πρυτάνεις τε ϰ̀ Βυλὴν ᾑρῆσθαι, *Pritanes & Senatum eligendum* tradit: alibi autem [b] πᾶσαι τοίνυν ἀρχαὶ πλὴν Βυλῆς ϰ̀ Πρυτανέων, *omnia autem imperia excepto Senatu & Prytanibus*. *Prytanes* equidem Senatorum primi & præcipui apud Athenienses, seu, ut Ulpianus alicubi loquitur, εἰσὶ δὲ ἄρχοντες τ̃ Βυλῆς οἱ Πρυτάνεις, *sunt autem principes Senatus Prytanes*; eorum etiam munus Senatum aut Populum convocare; & ex *Prytanum* insuper ordine Præfectus seu Επιςάτης sorte electus, qui unum ex reliquis Tribubus in primis sedibus adsessorem adsciſceret. Docet id Pollux, sed cujus locus in mendo cubat, male præterea ab Interprete acceptus, ita legendus omnino, quod firmat etiam Codex Vossianus, & explicandus, ϰ̀ ὅταν οἱ Πρυτάνεις τ̃ Δῆμον, ἢ τ̃ Βυλὴν συνάγωσι, ἕτος ἐξ ἑκάςης φυλῆς (non Βυλῆς) πρόεδρον ἕνα κληροῖ μόνην τὴν Πρυτανεύυσαν ἀφεὶς, *cumque Prytanes Populum & Senatum convocarent, ille (Epistates nempe Prytanis) ex singulis Tribubus, ea excepta, e qua tum Prytanes, unum in primis sedibus adsessorem sortitur*. Singulæ nempe Tribus Atheniensium, quod vel Harpocration docet, sorte & per vices Πρυτανεύυσαι, quomodo & apud Demosthenem φυλῆς Πρυτανευύσης fit non semel mentio; immo & alibi apud eundem Pollucem, ἡ Πρυτανεύυσα φυλὴ, ubi nempe hanc *Tribum immunem a tributis* docet; ut proinde de superioris apud hunc ipsum auctorem loci emendatione ac sensu nefas sit dubitare. Hinc ad eandem Tribum Πρυτανεύυσαν, referre oportet eos, de quibus ait alicubi Andocides, Πρυτάνεις τὺς τότε Πρυτανεύοντας. Ut postremo hic addam peculiares fuisse, easque albas *Prytanum* vestes, quas in solemnibus etiam, ut ipsius Vestæ Prytanitidis, Bacchi, aut Apollinis festis easque suo adhuc ævo Πρυτανικὰς dictas, gestarent, quicunque iis apud Naucratitas Aegyptios interant, testatur Naucratites ipse Athenæus.

*(a) l. VI. de Legib. p. 755.*
*(b) Ibid. p. 766.*
*in Midian. p. 172. ed. Bas.*
*De Corona.*
*lib. XVIII. c. 5.*
*Orat. de Myster.*
*lib. IV. p. 149.*

VII. De aliis Rectoribus & Sophistis in nummis Smyrnæorum.

Neque tamen ex hoc *Smyrnæorum* nummo, in quo non unus aut alter, sicut in adductis paullo ante Marmoribus, sed in genere ΣΜΥΡΝΑΩΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ sunt adscripti; quomodo vel *Rhodiorum*, vel *Cyzicenorum*, vel *Lyciorum* memorati ante in aliis veterum monumentis plurium itidem numero *Prytanes*; non inde, inquam, juxta virum præstantem, qui primus eundem nummum vulgavit, statuendum videtur, totidem semper extitisse *Prytanes*, quorum subinde nuda occurrit mentio in Smyrnæorum nummis, uti in eo, quem ille ibidem adfert, cum Græcis nominibus *Artemidori*, *Demetrii*, aut *Protagoræ Tiresiæ*. Quibus similes haud pauci *Smirnæorum* nummi Gazæ itidem Regiæ, aut in aliis illustribus Cimeliarchiis conspicui, qui vel Græcis itidem, ut nonnullos inde adducam, *Philomellæ*, vel *Xenoclis*, *Moschi*, *Hermogenis*, *Metrodori*, *Epicteti*, *Achmetæ*, *Bolani*, *Hieronymi*, *Myrti*, *Hermoclis*, *Meneclis*, *Rufini*, aliorumque nominibus signantur; nullo cæteroquin addito Magistratus, quo iidem Smyrnæ fungebantur, nomine, Πρυτάνεως puta, Στρατηγῦ, Ἄρχοντος, Γραμματέως, aut Ασιάρχυ etiam vel Αρχιερέως, Στεφανηφόρυ, adde & de quo mox, Σοφιςῦ, qui singuli in antiquis id genus monumentis comparent. Ea enim, quæ modo recensui, obvia in veteribus *Smyrnæorum* nummis nomina, de eorundem *Prætoribus* seu Στρατηγοῖς debent subinde intelligi; quorum dignitas, ut obvia passim in Græcis urbium nummis, ita *Smyrnæis* etiam expressa quandoque in iis legitur. Quod utique de duobus, quos postremo commemoravi, *Menecle* & *Rufino*, evincunt, ac de priori quidem, nummi Gazæ Mediceæ, sub Gordiano a *Smyrnæis* cusi, ΕΠΙ C. Π. ΜΕΝΕΚΛΕΟΥC, *sub Prætore Publio Menecle*; de *Rufino* autem, ut tot alios *Smyrnæorum* Στρατηγὺς in eorum nummis traditos mittam, cum adscripto insuper in iisdem *Sophistæ* elogio. Cujus rei utique, & quæ aliqua commemoratione digna hic videbatur, fidem faciunt insignes aliquot eorundem *Smyrnæorum* nummi, in hisce Thesauris Regiis. Talis est *Claudius Rufinus*, *Prætor* simul ac *Sophista* signatus in Severi nummo, quem jam edidit Cl. Tristanus, ΕΠΙ CΤΡΑ. ΚΛ. ΡΟΥΦΟΥ. ΣΟΦΙΣΤΟΥ, *sub Prætore Claudio Rufino Sophista*, & in corona quernea, ΠΡΩΤΑ ΚΟΙΝΑ ΑΣΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *prima Communia Asiæ Smyrnæorum*. Cui suffragantur continuo alii Severi nummi, cum Cybele turrigera ac leonibus; aut cum Hercule, & cum eadem memorata Græca Inscriptione, *Cl. Rufini Prætoris ac Sophistæ Smyrnæorum*. Idem vero cum solo etiam *Prætoris* nomine occurrit in Julia Severi, ΕΠΙ C. ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Sub Prætore Rufino Smyrnæorum*. Quibus rursus accedit alius cum iisdem *Claudii Rufini* nominibus, ejusque *Prætoris* itidem & *Sophistæ* Smyrnæorum, in Gordiani nummo ejusdem Gazæ Regiæ, in quo Nemesis & Fortuna stantes cum inscr. ΕΠΙ CΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΟΦΙ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ, *Sub Prætore Claudio Rufino Sophista Smyrnæorum*. Prioris quidem *Rufini*, ut Sophistæ Smyrnæi, sed tanquam citra laudem ea in arte versati, meminit, quod jam vidit Tristanus, duobus locis Philostratus; cum præterea Rescriptum ad Smyrnæos ejusdem Severi & Antonini Caracallæ, editum in Appendice ad [a] Marmora Oxoniensia, ac denuo in [b] Sponii Itinerario, ubi immunitate a publicis muneribus Sophistis Imperatorum Constitutionibus concessa, hactenus frui dicitur hic *Rufinus*, & simul ut Στρατηγίαν seu *Præturam* ei a Smyrnæis necessario delatam subeat, salva illi in reliquis a rebus agendis vacatione. Accedit iisdem *Rufini* hujus *Sophistæ* ac *Prætoris Smyrnæorum* coævus testis, Smyrnæus ipse & *Sophista*, ac *Prytanis* electus, uti antea vidimus, Aristides, qui eum aliquoties memorat, & quidem, ut virum opibus ac auctoritate conspicuum, cujusque gratia apud Asiæ Proconsules haud semel sit usus. Nihil enim obstat, utqui *Rufinus* sub Imp. M. Aurelio, cujus ætate floruit Aristides, fuit jam notus; idem adhuc sub Severo, summis in patria honoribus, & Prætura quidem, quod nummi & marmor illud commemoratum simul arguunt, fungeretur. Ne jam hic adducam Quadratum Asiæ Proconsulem, cujus ut sibi familiaris, Rhetoris quippe itidem ac

*Seguin. Select. Num. p. 33.*
*Comm. p. 96. T. II.*
*lib. II. Sophist. 7. 596. & 694.*
*(a) pag. 304.*
*(b) Tom. III. p. 127.*
*Serm. Sacr. IV. p. 581. 606. 616.*

Serm. Sacr. IV. p. 597. 600 Ibid. p. 613. Sophistæ, meminit non solum Aristides; sed quem alibi designat his verbis ΣΟΦΙΣΤΗΣ ὃ μικρῷ πρόσθεν ἐμνήσθην ΗΡΧΕΝ, *Cum SOPHISTA ille, cujus paullo ante memini, IMPERARET*, ut Proconsul nempe, quod ipsa Aristidis verba & alia jam ante apud eum arguunt, non vero, ut ibi more suo eruditissimus Canterus, *præturam gereret*. Smyrnæ vero id exstitit peculiare, ut eadem *Sophistis* esset non solum frequens, sed insuper plurimum iis tribueret; quod, præter adductos modo, aut de quibus mox adhuc, nummos, observat in Heraclide Sophista Philostratus, Sophist. l. II. p. 608. ἐπὶ τὴν Σμύρναν ἐτράπετο, θύουσαν δὴ μάλιστα πόλεων τ̃ ΤΩΝ ΣΟΦΙΣΤΩΝ μούσαις, *ad Smyrnam se convertit, quæ præ cæteris civitatibus, SOPHISTARUM Musis maxime litabat*. Unde etiam factum, ut summa ibi rerum sub *Prætoris*, *Stephanephori*, aut *Prytanis* etiam, uti modo, & jam antea de Aristide vidimus, nomine, haud semel præessent id genus *Sophistæ*; indeque eorum nomina publicis Nummorum aut Inscriptionum monumentis signarentur. Mitto quæ de Polemone, summæ auctoritatis apud Smyrnæos viro ac *Sophista*, cum e Philostrato, tum e nummis Antinoi, a quo Polemone iidem in Hadriani honorem cusi, aliunde jam harum antiquitatum studiosis sunt nota. Immo alterius etiam *Sophistæ* Smyrnæi, Attali nempe, hujus Polemonis filii, mentio obvia non semel in nummis M. Aurelii: cujus generis tres maximi, ut ajunt, moduli, *vulgo Medaglioni*, iique dispares exstant in his Thesauris Regiis. Unum jam edidit Tristanus; duos vero reliquos, eosque insignes, ad demerendum Lectorem, cui non ingrata erudita id genus Cimelia, hic vulgamus: qui eandem inscriptionem præferunt, ΑΤΤΑΛΟΣ ΣΟΦΙΣΤΗΣ ΤΑΙΣ ΠΑΤΡΙΣΙ ΣΜΥΡ. ΛΑΟ. *Attalus Sophista Duplici Patriæ, Smyrnæ, Laodiceæ*.

Posterior quidem nummus, quod minus alioquin obvium in his monumentis, duplicem habet Jovis effigiem; unam stantis cum Aquila Jovis *Philalethis*, veri Laodicensium numinis, de quo nos nuper ad Juliani Cæsares; alteram sedentis cum victoria, quam dextra gestat, Jovis *Acræi*, seu in arcibus urbium culti, Smyrnæorum, quod aliunde liquet, supremi statoris, eodemque habitu in aliis Smyrnæorum nummis conspicui. In priori autem nummo cum rursus priorem illum videas Jovem Laodicensem, tum Isidem ac Nemesim, seu potius duas Nemeses, tutelares Smyrnæorum, ut paullo ante diximus, Deas, ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ ΝΕΜΕΣΕΩΝ, *Magnarum Dearum Nemesium*, prout eædem vocantur in antiquo Smyrnæorum Marmore; & quo habitu etiam utraque haud semel sculpitur in aliis Smyrnæorum nummis, nisi quod adsit sæpius Rota, unum e solitis Nemeseos symbolis: sed qua de re alio loco uberius. Duos insuper alios, neque hactenus etiam visos, alterius itidem Smyrnæi *Prætoris* ac *Sophistæ*, *Claudii* nempe *Procli* nummos juvabit hic eadem opera proferre: quorum priorem sub M. Aurelio cusum, splendida Ducis Vernolii, in quo magnum præsidium ac decus hæc studia nuper amisere, *Gaza*, (cujus opes haud ita pridem nobis ipsemet humanissime expromserat) recondit: alterum vero cum Faustinæ conjugis effigie, in præclaris præstantissimi Morellii nostri schedis inspexi. In priori vero nummo visitur Mulier turrita sedens cum Templo ac sceptro, ac inscriptione, CT. ΠΡΟΚΛΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΣΜΥΡ. *Prætore* nempe *Clodio Proclo Sophista Smyrnæorum*; in altero Fortuna stans, cum solitis temonis & cornucopiæ symbolis, ac inscriptione, ΕΠΙ ΣΤΡ. ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ *Sub Prætore Clodio Proclo Sophista*. Marm. Oxon. p. 94.


*Procli*, ut obiter hoc addam, sed Naucratitæ Ægyptii, & qui Athenis, non Smyrnæ floruit, *Sophistæ* meminit Philostratus. At vero alterius *Clodii Aurelii Procli*, ejusdemque *Herois* appellati fit mentio in antiquo Marmore, ac simul publicorum, quæ non *Smyrnæ* quidem, sed *Thyatiris* gessit, munerum. Cujus proinde *Herois Procli* filia, aut eadem stirpe orta statui potest ea, quæ signatur in Mytilenæorum nummo, quem vulgavit Cl. Seguinus cum inscr. ΙΟΥΛΙΑΝ ΠΡΟΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ. Mitto vero præter patrios *Smyrnæorum*, quos in eorum nummis signari modo vidimus, Rectores, *Prytanes* nempe, *Prætores*, eosdemque etiam *Sophistas*, Asiæ Proconsulum, & qui proinde cum iis confundi non debent, obvia nonnunquam in præclaris ejusdem urbis nummis, nomina. Ita in *Smyrnæorum* nummo, quem edidit diligentissimus Sponius, hinc ΑΝΘΥ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΣ legitur, sicut in simili Gazæ Regiæ, ΦΡΟΝΤΕΙΝΩ ΑΝΘΥ. *Frontino Proconsule*: & in aliis ejusdem Gazæ ac *Smyrnæorum* itidem nummis, ΣΟΣΙΔΙΑΝΟΥ ΑΝΘΥ. vel ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΑΠΡΟΝΙΑΝΟΥ, vel ΕΠΙ ΠΟΛΛΙΑΝΟΥ, nempe *Proconsule Sosidiano*, vel *Aproniano*, vel *Pollione*; cujusque postremi, ut Asiæ Proconsulis, meminit Aristides, ἐπὶ Πολλίωνος Ἄρχοντος Ἀσίας,

de Sophist. l. II. p. 598. Append. Marm. Oxon. p. 99. & Spon. Itin. T. III. p. 113. Select. Num. p. 74. Miscell. p. 140. Serm. Sacr. IV. p. 611

*sub Pollione Proconsule Asiæ*, non ut ibi eruditissimus Canterus, & alibi, ubi aliorum ejusdem Asiæ *Proconsulum* fit apud Aristidem mentio, *Prætore*; sed quod a nobis jam olim obiter, ac paulo ante etiam est adnotatum.

VII. De aliis Smyrnæorum nummis, cum adsimili effigie.

Quod vero dissimulari hic non debet, alii occurrunt *Smyrnæorum* nummi, cum simili hujus figuræ, quam *Vestæ* hic tribuimus, effigie, nisi quod eadem hastam, solitum Deorum insigne, dextra præferat; nulla etiam addita *Prytanis*, *aut Prytanum*, sicuti in hoc, quem versamus, nummo, mentione, cujusmodi duos hic profero e Regia Gaza depromptos. Prior est inscriptus, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΕΡΜΟΚΛΗΣ *Smyrnæorum Hermocles*: alter ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΣ, *Smyrnæorum Apollonias*, quæ totidem Magistratuum illius loci nomina.




Unde dubitandi forte ansa suppeteret, an omnino ad *Vestam* Πρυτανῖτιδα referendi sint id genus nummi, in quibus maxime (qui præcipuus mihi hujusce rei seu notationis fundus fuit & occasio) nulla *Prytanum* occurrit mentio. Cui, ne quid dissimulem, obstare insuper posset, sicut id mihi hæc commentati, ut ingenue fatear, haud semel scrupulum injecit, omissa nempe omnis aræ aut facis accensæ, non in his solum nummis modo adlatis, sed in hoc ipso, cui illustrando incumbimus, effigies: quod alioquin præcipuum quoddam *Vestæ*, & conspicuum etiam in variis Romanorum nummis Deæ illius symbolum novi. Quamquam, & quod subortum illum, quem dixi, scrupulum potest continuo mihi aliisque eximere, plura exstare cum Græca, tum Romana *Vestæ* simulacra, in quibus nulla expressa facis & aræ accensæ imago conspicitur, sed ubi, sicut in adducta modo effigie cernitur, hastam, solito numinum typo, eadem gestat, liquet abunde ex iis, quæ supra adtulimus, Deæ hujus signis, aut ea de re veterum testimoniis. Ita Minervam galea & hasta, consuetis ejusdem insignibus, armatam, eandemque cum patera stantem ante aram accensam, haud ignoto non *Vestæ* solum, sed aliorum etiam Numinum in nummis veterum insigni, spectare licet in sequenti hujusce Gazæ Electoralis nummo, a *Smyrnæis* itidem cuso, & rursus cum *Jovis Acræi*, de quo nos alibi, signata in priori parte effigie.




Sed de hisce, prout liberum Lectori judicium libenter relinquo; ita haud minus ea in medium adferenda censui, quibus tota hæc mea de insigni *Smyrnæorum* nummo, quem hac Diatriba explanare adgressus sum, sententia nititur. Idque potissimum, quod lux inde aliqua haud ignobili nec excusso hactenus argumento accedat; neque minus maneant firmat & immota, quæ de antiquissimo & late diffuso VESTAE apud Græcos, aut a Græcis orto cultu, & clarissimo PRYTANUM apud eosdem ordine ac instituto, a me hactenus sunt adnotata. Unde nunc etiam liquet, cur *Prytanim*, seu unum e supremis Magistratibus, dixit alicubi Seneca; ubi receptos apud varias gentes Rectores tangit, non *enim nisi Consul*, *aut PRYTANIS*, *au Cæryx*, *aut Sufex administrare Rempublicam*; nec proinde debuisse id a magno Scaligero ad Bacchiadas Corinthiorum, de quibus nos paullo ante, *Prytanes*, & quorum ipsemet eversum tot ante seculis a Periandro Imperium agnoverat, in postremis ad Eusebium Animadversionibus restringi.

*De Tranq. Animæ c. 11.*

*pag 69.*

VIII. De vocum Prytanis & Πρυτανεῖον vario usu.

Immo haud obscurum, cur *Prytanis* nomen ad alia quoque, quæ vel imperium aliquod, aut singularem quacunque in re præstantiam & ὑπεροχὴν notant, sit translatum. Utrumque abunde arguit dictus ipse Deorum Rex μακάρων Πρύτανις, *Deorum Prytanis*, seu supremus Rector, a [a] Prometheo apud Aeschylum. Ita ille apud Euripidem [b] Κρόνιος Πρύτανις, *Saturnius Pritanis*; apud Pindarum jam ante, κεραυνῶν Πρύτανις, idem nempe qui Κεραύνιος seu *Jupiter Fulminans*, in nummo Antonini Pii signatur; a duobus præterea clarissimis Oratoribus, [a] Dione Chrysost. ac [b] Aristide, Πρύτανις itidem dictus. Unde de Romano etiam Imperatore, altero quasi in terris Jove, vox eadem usurpata; sicut Caligulam Judæus Philo vocat alicubi, τὸν Πρύτανιν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, *Prytanim* seu *moderatorem rerum humanarum*; alibi ἀφ᾽ οὗ τὸ ὑμέτερον γένος Σεβαστὸν ὄντως ἤρξατο πρυτανεύειν τῶν πανταχοῦ πάντων, *ex quo vestra gens Augusta vere cœpit ubique omnia moderari*, seu ut ibi Interpres,

(a) *Prom. v. 189.*
(b) *Troad. v. 1288*
*Neme. Od. VI.*

(a) *Orat. X. p. 199.*
(b) *Hym in Jov. f. 15.*
*in Flac. cum. p. 988*
*Legat. ad Caium p. 999.*

*ubique omnibus dominari*. Ut mittam quod Aeschylus, quo nomine κωμῳδεῖται ab Euripide apud Aristophanem, Sphingem appellaverat Πρύτανιν κύνα, *Prytanem canem*; aut vinum a veteri Tragico dicatur apud Athenæum, cum ἀνθρώπων Πρυτανις, *hominum Prytanis*, tum alibi ἀνδράσιν εὐθύμων συμποσιων Πρύτανι, *hominum delectantium conviviorum Prytani*. Sic Musam, priscæ Lyricorum cantilenæ apud eundem Auctorem alicubi prædicant, γλυκυτάτων Πρύτανιν ὕμνων, *Suavissimorum Prytanim*, seu præsidem, *hymnorum*; & de Herodoto vetus Epigramma, quod referunt eruditi ad Aristophanem [a] Critici, & alicubi Stephanus [b] Byzantius Ἰάσος ἀρχαίης ἱστορίης Πρύτανις, *Jonicæ antiquæ historiæ Prytanis*. Quomodo Periandrum indigitat adscriptum ejus tumulo elogium apud Laertium, πλέτε καὶ σοφίης Πρύτανιν, *divitiarum & sapientiæ Prytanim*: haud aliter nempe ac [a] a Platone, & inde, uti ante jam vidimus, ab [b] Aristide, τὸ Πρυτανεῖον τῆς σοφίας, & a [c] Synesio, quod eodem redit, Εστία σοφῶν, *sapientiæ*, vel *sapientum Prytaneum* aut *domicilium* dicitur. Unde de unico Sapientiæ Auctore, immo Sapientia ab omnibus Prophetis, quod idem alibi observat, dicto, usurpavit eruditissimus Clemens, Hymno nempe in Servatorem, Σοφίας Πρύτανι, *Sapientiæ Prytani*, seu Rectori; aut prout apud Nazianzenum, dictus Deus ἀληθείας Πρύτανις, *veritatis Prytanis*, verius equidem quam Jupiter ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ, seu *veritatis amans*,

Ran. Act. v. Sc. II. lib. II. p. 35.

lib. x. p. 447.

(a) Schol. ad Nubes, p. 144.

(b) in voce Ἰάσος.

(a) Protagor. p. 337.

(b) Panathen. p. 343.

(c) Epist. CXXXV.

Clem. Alex. Pædag. l. III. p. 267.

Orat. II. in Julian.

in veteribus, qua de re jam supra, Laodicensium nummis; aut Deus rursus, & alio utique jure, quam idem *Saturnius Prytanis*, aut Romanus Imperator, ut Caligula paullo ante, τῶν ὅλων Πρύτανις, *omnium Prytanis* seu *Dominus* apud [a] Theodoritum haud semel appellatur. Unde apud utrumque Ecclesiæ Doctorem vocem πρυτανεύειν, sicuti apud Auctores Atticos, non Oratores solum sed etiam Comicos, pro *constituere* ac *decernere* aliquoties solet adhiberi; prout iidem Attici, quorum exempla pridem adtulit ὁ πάνυ, meusque, quo me subinde nec immerito efferre liceat, maternus τρίπαππος Budæus, πρυτανεύειν τὴν εἰρήνην, aut περὶ εἰρήνης pro *pacem constituere*, aut *de ea decernere* dixerant: Sic Chrysostomus [a] alicubi, εἰρήνην πρυτανεύειν, & Josephus [b] πρυτανεῦσαι τὰ κατ᾽ εἰρήνην, *quæ ad pacem spectant constituere*: alibi autem, [c] οἱ τὸν δὲ ἐπρυτάνευσαν ἡμῖν τὸν σίδηρον, *qui hæc vincula nobis decreverunt*. Quomodo nempe Christus Servator a Cyrillo dictus, ad Melchisedeci nempe exemplum δικαιοσύνης καὶ εἰρήνης Πρύτανις, *justitiæ & pacis Prytanis*, seu auctor vel largitor, ut bene ibi interpres: ab eodem Antistite alio loco, quod lex Dei constituta sit δικαιοσύνης Βραβεὺς καὶ Πρύτανις, *justitiæ præses & rectrix*; petitis nempe ex obvio id genus vocum apud Ethnicos Scriptores, ac recepto in ludorum aut urbium, ubii iidem agebant, constitutione ac regimine, usu. Sed de his hactenus.

(a) Hist. Eccl. l. I. c. 24. l. II. c. 26. l. IV. c. 5. Greg. Naz Orat. III. p. 68. p. 71 & XI. p. 187.

(a) Serm. XXVI. in I. Corinth. XI. p. 416. T. III.

(b) Antiqu. l. V. c. I. p. 145.

(c) Ib. lib. XVIII. c. XIII. p. 633. Glaphyr. in Genes. l. II. p. 61. T. I.



# ANTIQUÆ
# TABULÆ
# MARMOREÆ
Solis effigie, ſymboliſque exculptæ

## ACCURATA EXPLICATIO:

*Qua priſcæ quædam mythologiæ, ac nonnulla præterea vetera monumenta marmorum, gemmarum, nomiſmatum illuſtrantur.*

AUCTORE

HIER. ALEANDRO


JUNIORE.

*Acceſſit non abſimilis argumenti expoſitio ſigillorum zonæ veterem ſtatuam marmoream cingentis.*

# ODOARDO FARNESIO

## S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

## HIERONYMUS ALEANDER.



*NON abs re vidimus*, CARDINALIS AMPLISSIME, φιλομύθȣς *vocari Philosophos ab ipsorum coryphæo Aristotele: quod fabulæ ex rebus constent admirandis, hæ ingenia excitent ad rerum caussas indagandas, quo fit, ut poetarum scripta, & quæ iis respondent, picturæ, cælaturæ, alia id genus in sapientum manibus cum voluptate versentur. Philologos præsertim, qui variam multiplicemque in Veterum libris eruditionem venantur, antiqua nomismata, gemmarum scalpturas, exculpta marmora, cælatas tabulas mira quadam solertia perscrutantes cernimus: ut enim hæc de libris, ita de his libri lucem persæpe mutuantur:*

——— alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

*Ea me quoque dulcis insania (quid ni fatear?) ludit: nomine utor, quo fortasse studium hoc nostrum appellabunt severioris homines supercilii: nec abnuo, si cum iis conferant, quæ ad res divinas, aut Reip. administrationem spectant, cæterum illos nihil moror, qui magnum quid facere sibi videntur, quum aut ambitioni sinum laxant, aut coacervandis opibus invigilant, qui sane si litterarias hasce amœnitates res ludicras vocabunt, ego vicissim illorum studia; num ridendi tantum sunt pueri, quos videmus*

Ludere par impar, equitare in arundine longa;

*illi non item, qui vetita legibus alea integra addicunt patrimonia? magna ludas, an parva, lusus sunt & nugæ, quæcunque ad aliam dirigimus metam, quam quæ a summo rerum conditore proposita est. Hominum insuper conditio id jure suo vindicare videtur, ut fatigato seriis animo quæramus remissionum diverticula; nec id prudentes viri improbant: quanto minus tu, Card. Illustriss. qui ut auctoritate, ita prudentia præpolles? Proinde libellum hunc tibi meum offerre non sum veritus, quum nollem præsertim sine munusculo te convenire: ut enim affecti divinitus beneficio templum adeunt cum stipe, & votiva tabella; ita ego, qui te jamdiu præsens venerari in votis habebam, differre malui, quam vacuus accedere. An ignoras, quantum ego, quantum tota gens Aleandra Serenissimæ tuæ Domui debere profitemur? siquidem Hieronymus avi mei frater a summo optimoque Pontifice Paulo III. in Cardinalium senatum adscitus, amplissimisque legationibus cohonestatus est: pater vero meus Scipio, ejusque germanus Franciscus Archiepiscopus Brundusinus in fidem suscepti & clientelam magni tui patrui Alexandri Cardinalis omnibus seculis prædicandi, plurimum sibi semper rebusque suis accessisse præsidii senserunt: itaque degenerem merito me quis arguat, nisi te mihi patronum adoptem, in quo & heroicam illam majorum tuorum indolem florere video, & præclaram inire concordiam cum summo isto honoris gradu summam humanitatem; cujus si quis nescius audaciam sugillet meam, quasi munus tribuam tuæ magnitudi-*

*ni impar, is animadvertat velim, quædam esse, quæ plus artificio debent, quam materiæ; alia contra, ubi opus sordeat, plurimum ex materia habere pretii. Fac igitur, quæ a me elaborata sunt, parvi esse aut nihili; at argumentum omnino probabitur, Sol nimirum in tabula exhibitus, a quo nos fabularum nebulas amovere conamur. Ea res principibus viris congruit, tibi vero præ cæteris. Et calor e Sole, & splendor dimanat. Tu quum beneficentia emineas, qui sane calor est, quo vos Principes meritos homines, & fœcunda fovetis ingenia, ne in sterilitatem degenerent; splendore tamen quam maxime excellis: non eum dico, quo effulges ob clarissimos natales, & sacram istam purpuram, sed quem sapientia, quem virtutes large tribuunt, pietas inprimis & magnificentia sacro magnoque Principe dignæ. Accedit, quod suasorem ad eam rem habui amplissimum, tuique studiosissimum Octavium Cardinalem Bandinum, cujus domi meus hic fœtus natus educatusque est. Quin me hac ratione mihimetipsi cavisse, nemo non fatebitur: sunt homines hac tempestate adeo lyncei, ut vel in Sole maculas deprehendant; quid ni meis in scriptis quamvis de Sole loquentibus? at profecto sub tui nominis patrocinio, quasi sub tutelari Genio nihil mihi fuerit pertimescendum.*

TYPUS ANTIQUÆ TABULÆ EX ALBO MARMORE MAGNITUDINIS PEDUM SESQUITRIUM EX UNOQUOQUE LATERE.



EXTAT ROMÆ IN ÆDIBUS HASDRUBALIS MATTHÆI MARCHIONIS JOVII.

# EXPLICATIO
## TABULÆ HELIACÆ.



HILOSOPHORUM omnium, nedum poetarum parens Homerus ſerias diſciplinas tegumento fabularum involvens, præclaram animis hominum inſtillare veritatem ſuavi quadam perſuaſione conatus eſt: ut enim doceret, ſupremum illud numen, quem Deum vocamus, non cœleſtes tantum ſibi ſedes vindicare, ſed & per hanc rerum univerſitatem diffuſum eſſe, ſuaque majeſtate atque adeo præſentia complere omnia, quæ aut oculis metimur, aut intellectu percipimus, Deos innumeros quibuslibet rebus, lociſque inſeruit; nec tantum ætheri Jovem præfecit, Junonem aeri, mari Neptunum, terræ Cybelem, ſed & montibus, pratis, ſilvis, fontibus, & fluminibus, urbibus ac regionibus, cunctiſque propemodum terræ angulis ſuos tribuit genios, ac, ut cum Maximo Tyrio loquar, οὐδὲ μέρος Ομήρῳ ἄθεον. Norat quidem præſtantiſſimus vates (vel Juſtino martyre teſte) unicum eſſe ſummum illum rerum omnium moderatorem atque opificem; verum infixam jampridem mentibus hominum πολυθεΐαν, roboratamque Orphei auctoritate, haud ita pronum erat evellere. At infeliciter res cecidit, nam deliniti homines Homericorum carminum ſuavitate, atque præſtantia, quo magis ille (quis ſcit, an ex induſtria?) non credenda, ac prorſus indigna de Diis cecinerat, eo majorem fabulis illis adhibuere fidem, adnitente humani generis hoſte, cui optimam veritatis frugem adulterina ſemente corrumpere volupe eſt. Enimvero illis, qui acriori judicio præditi erant, licet integrum non foret, unicum tantum rudioribus perſuadere numen, utpote qui veterum poetarum auctoritatem plurimi facerent, quibuſque a recepta de Diis ſententia recedere religio eſſet, conati ſunt tamen poeticis figmentis corticem detrahere, ac deliteſcentem, quoquomodo poſſent, eruere veritatem: ac minime quidem aut Apollini, aut Mercurio, cæteriſve inſtitutam ab antiquis venerationem prohibere, ne capitis fortaſſe diſcrimen ſubirent, quod olim Socrates, ſed ita colendos docere, ut referrentur omnes ad unicum illud numen, quem deorum patrem Plato appellat. Verum permoleſtum compluribus videbatur, intellectu tantummodo perveſtigare Deum, non etiam viſu uſurpare; ut propterea Judæos deriderent, quaſi incertum Deum (quemadmodum nominat Lucanus) colerent, aut, ut ait Petronius, ſummas cœli advocarent auriculas: ac videtur David non ſemel conqueri in *Pſalmis*, exprobratum illi eſſe, ubi Deus ſuus foret, quaſi nuſquam eſſet, qui ſub aſpectum non caderet. Quapropter quum nihil Sole pulchrius, utiliuſque in conſpectum ſeſe daret, Solem ipſum Deum arbitrati ſunt, utpote quem etſi non omnia corporis ſui magnitudine occupare, terras tamen, ac maria vi radiorum pervadere viderent, atque animantibus & plantis ſalutem, ac vitam afferre, reliquis inſuper aſtris lumen impertiri, cœlumque ipſum conſpicuum reddere: eleganter Minutius Felix in *Octavio*: *In Sole adeo rurſus intende, cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt; pariter præſens ubique intereſt, & miſcetur omnibus, &c.* ac ſane vel ipſe Plinius, qui fabuloſam de diis perſuaſionem irridet, num quis præter Solem deus ſit, ambigere videtur: quod vero de Sole canit Homerus, cum ſcilicet inſpicere, exaudireque cuncta;

Ηελιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾶς, καὶ πάντ' ἐπακούεις;

affirmari de Deo opt. max. tantummodo poteſt, idque maximum vatem allegoricos innuiſſe fatendum eſt, ne ſibi adverſari dicamus; quum alibi Solem fabuletur non ante ſuorum cædem boum a ſociis Ulyſſis patratam cognoviſſe quam id ab aliis fuiſſet nuntiatum. Perſpicuum ſane omnibus ex Pauſania, Xenophonte, aliiſque, unum Deum Solem Perſis creditum: tradit etiam Philo Biblius Euſebio referente) ex ſententia Sanconiathonis, qui de Phœnicum theologia conſcripſit, Solem apud Phœnices deum exiſtimatum; quem Beelſamonem vocabant, hoc eſt, cœli dominum. Ex qua perſuaſione effectum eſt, ut quandoque apud Scriptores Dei vocabulum abſolute pro Sole poſitum inveniatur, quemadmodum libro ſecundo *Emend.* animadvertit Carrio: fortaſſis etiam vox ἥλιος apud Græcos ab Hebræa אל quæ Deum ſignificat, originem ſumpſit. At præ cæteris Macrobius primo *Saturnaliorum* pluribus argumentis evincere contendit, deos omnes ad Solem referri, idque unum eſſe numen, quod ſub varia nominum appellatione gentes venerentur. Quo etiam ſpectaſſe dicat aliquis antiquæ tabulæ auctorem, quam ex Romano marmore ſignis parum prominentibus exculpto delineationibus ad amuſſim expreſſam hic dedimus: in ea cum radiato Solis capite præcipua Apollinis inſignia, arcum nempe, & pharetram inſpicimus; poculum item Bacchi hedera circundatum; clavam ac leoninam pellem Herculis, Mercurii caduceum. Erit etiam qui exiſtimet, eum, qui tabulam excudendam curavit (ſeu Romanus fuerit, ſeu Græcus) morem probaſſe Auguſti, & Hadriani Impp. qui tametſi Romana ſacra reverentiſſime colerent, peregrinas ceremonias contemptui habuerunt: neque enim Oſirim hic inſeruit Aegyptiorum, aut Horum, aut Anubin, non Aſſyriorum Adonin, non Phrygum Attinem, non Mithram Perſarum, non Hammonem Libyæ; quanquam & hoſce ſub nomine Solis comprehendi, Macrobius aliique aſſerant. Licet vero Liberti patris ſacra ex Urbe, & Italia olim Senatus conſulto fuerint exterminata, ut libro nono quartæ Decadis tradit Livius, & meminit Tertullianus *Apologetico adverſus Gentes*, ejus tamen veneratio pertinaciter ſemper adhæſit. Nam quod de Marte, & Jove ſubtiliter nimis Macrobius diſſerit, non tam theologicam, aut phyſicam rationem ſequi videtur, quam ſuæ cauſſæ inſervire; quum totus in eam curam incumbat, ut legentibus perſuadeat, deos omnes ad Solem referri. Nos vero propriam quoque ſignificationem hujus tabulæ argumentis contineri arbitramur, quam in ſecunda noſtri commentarii parte explicabimus: prius enim inquirendum, quibus rationibus præter eas, quæ a Macrobio afferuntur, quatuor iſthæc numina Apollinis, Bacchi, Herculis, Mercurii ad Solem referantur, cæteraque diſcutienda, quæ in tabula inſpiciuntur.

## SOLIS CAPUT RADIATUM.

PRÆCIPUUM in tabula locum obtinet Solis caput, non eo modo effictum, qualis revera Sol est, sed qualem existimabant, & recepto more colebant. Intuemur autem ad aliorum discrimen deorum magnis circundatum radiis; justa sane ratione, quum nullum sit corpus lucidum, quod projectis a se radiis tantum spacii transmittat, quantum fieri a Sole videmus. Itaque Solem Heraclitus fontem cœlestis lucis appellitabat teste Macrobio, quo exemplo & a Lucretio lib. v. *largifluum fontem* dictum scimus,

*Quod maria, ac terras omnes, cœlumque rigando*
*Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.*

Diis sane omnibus radiorum corona, seu fulgens quoddam lumen appingi quandoque solitum, alibi a me doctum est; id propria quadam appellatione *nimbum* vocabant, ut pluribus locis testatur Servius. Neque vero quis putet, cæteris quidem numinibus solidum tantummodo lumen, & quasi continuum effingi consuevisse, Soli vero in radios dispertitum: nam & iis, hominibusque quibus divinitas tribuebatur, dabantur radii. Lucianus de *Dea Syria*: ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέει: & in *Misanthropo*, adulator nescio quis auream Timoni statuam verbis erigit κεραυνὸν ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχοντα, καὶ ἀκτῖνας ἐπὶ κεφαλῇ. Plutarchus etiam in libello *ad principem ineruditum* damnat eos, qui ἀκτινοβολίας imitabantur; & legimus apud Lucanum lib. VII.

*Fulminibus manes, radiisque ornabit, & astris.*

Suetonius quoque *Aug.* cap. XCII. Octavium Augusti patrem somniasse refert, *filium mortali specie ampliorem cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis opt. max. ac radiata corona super laureatum currum bissenis equis candore eximio trahentibus.* Quam radiatam Jovis coronam Martianus Capella *flammantem* nominat. Falsus vero est Lævinus Torrentius in suis *ad Horatium Comment.* dum credidit, Jovis Anxuri imaginem in argenteo C. Vibii nummo radiatam esse: eum denarium appinxit Fulvius Ursinus in libro *de Romanis familiis*: plures vero videre mihi licuit in Musæo humanissimi viri Pompeii Pasqualini; atque iis diligenter inspectis ajo, nequaquam esse radios, qui caput illius Jovis coronant, sed prominentia folia sive oleæ, quam Jovis fuisse coronamentum tradit Phurnutus, sive lauri, de qua ita Servius ad I. *Aen.* ex additionibus e Fuldensi codice sumptis: *nec aquila, nec laurus dicitur fulminari. Ideo Jovis ales aquila; Jovis coronam lauream accipimus, & qui triumphant, lauro coronantur.* Quod magis firmaretur, si validiore argumento, quam sit conjectura, Ursini sententia inniteretur affirmantis, Jovis item Anxuri effigiem esse, quam ex alio denario profert in gente Carisia. Cæterum radiorum ornatus ad Solem κατ' ἐξοχὴν referri videtur: quamobrem inter præcipua argumenta, quibus eundem cum Sole Martem fuisse Macrobius adstruit, radiis eum insignitum enarrat apud quosdam Hispaniæ populos. Præcipue vero Arnobius lib. VI. *contra Gentes*, ubi fabulosorum enumerat insignia deorum, haud alia re quam radiorum ornatu Solem ab aliis distingui innuit: integrum locum præstat adscribere: *Ecce*, inquit, *si aliquis vobis nescientibus, & ignaris rex urbanus & callidus ex foribus suis Solem tollat, & in Mercurii transferat sedem: Mercurium rursus arripiat, & in Solis faciat commigrare delubrum (uterque enim a vobis glaber, atque ore compingitur levi) detque huic radios, Solis capiti petasunculum superponat, quibus modis internoscere poteritis, utrum ne Sol iste sit, an ille Mercurius; quum habitus vobis deos, non oris soleat proprietas indicare?* Nihil porro aliud radius est, quam imago lucis, seu species producta a corpore lucido, quæ quidem non discriminatim, sed continuato tenore effluit: at nostrorum imbecillitati oculorum distinctis inter se spiculis, acuminatisque apicibus exilire videtur: propterea acutos nominat Solis radios Phædra apud Ovidium Epist. ad Hippol.

*Quod sit avus radiis frontem vallatus acutis,*
*Purpureo tepidum qui movet axe diem.*

Et quodcunque oblongum sensim in acumen desinit, radii speciem gerere dicimus: ejus imaginem obeliscis inesse animadvertit Plinius lib. XXXVI. *Trabes*, inquit, *ex eo fecere reges quodam certamine obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. Radiorum ejus argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Aegyptio.* Ammianus Marcellinus lib. XVII. *Est autem obeliscus asperrimus lapis in figuram metæ cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens, paulisper specie quadrata in verticem productus angustum.* Et in palmæ foliis Apulejus lib. XI. *Metam.* quum ait: *& caput decore corona cinxerat palmæ candidæ foliis in modum radiorum prosistentibus.* Quosdam etiam Æthiopiæ populos, qui capite utebantur vice pharetræ sagittas ei circumponentes, id in radiorum morem facere dicit Lucianus dial. *de Saltat.* περιδέοντες αὐτῇ ἀκτινηδὸν τὰ βέλη: quemadmodum & Heliodorus lib. IX. *Aethiop. hist.* qui eleganter illam sagittarum circumpositionem describit: πλέγμα γάρ τι κυκλοτερὲς τῇ κεφαλῇ περιθέντες, καὶ τοῦτο βέλεσι κατὰ τὸν κύκλον περιπείραντες, τὸ μὲν ἐπτερωμένον τοῦ βέλους πρὸς τῇ κεφαλῇ περιτίθενται, τὰς δὲ ἀκίδας οἷον ἀκτῖνας εἰς τὸ ἐκτὸς προβέβληνται: *circulari quodam involucro caput ambientes, illudque sagittis in orbem configentes, pinnas quidem ad caput convertunt, cuspides vero ad instar radiorum extrorsum protendunt:* quem morem pluribus locis tangit Claudianus, *de nupt. Honor.*

*———— quantum crinita sagittis*
*Attulit extremo Meroe circumflua Nilo.*

In *poematio de Nilo*:

*Et gens compositis crinem velata sagittis.*

*Panegyr. in tertium Consul. Honor.*

*Ignavas Meroe traxit de crine sagittas.*

Lib. I. *de laud. Stilicon.*

*Venerat & parvis redimitus Nuba sagittis.*

*parvis* ait, ut Heliodorus μικροῖς βέλεσιν. Id etiam animadversum in leonis juba; atque ob eam caussam sacrum Soli id animal quidam suspicati sunt. Horapollo lib. II. κεφαλὴν γὰρ ἔχει μεγάλην τὸ ζῶον, καὶ τὰς μὲν κόρας πυρώδεις, τὸ δὲ πρόσωπον στρογγύλον, καὶ περὶ αὐτὸ ἀκτινοειδεῖς τρίχας, κατὰ μίμησιν ἡλίου. ὅθεν καὶ ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ ὥρου λέοντας ὑποτιθέασι, δεικνύντες τὸ πρὸς τὸν θεὸν τοῦ ζώου σύμβολον: *magnum habet caput hoc animal, & pupillas ignitas, faciem vero rotundam, & circumfusos radiorum more pilos instar Solis: quare & Hori solio leones supponunt, hujus animalis cum deo illo similitudinem indicantes:* eapropter sunt qui autument, dictum *jubar a juba.* Varro lib. VI. *de ling. Lat. Jubar dicitur*

*stella Lucifer, quæ in summo habet diffusum lumen, ut leo in capite jubam*: & lib. v. *eadem stella vocatur jubar, quod jubata*. Vide & Festum Pompejum. Eadem quoque de causa radii, & radioli, seu radiolæ dictæ sunt oleæ quædam. Isidorus lib. xvii. *Orig.* cap. vii. *Radiolæ, pro eo, quod oblongæ sint in modum radiorum*: sic radii in rota appellantur ligna, quæ a centro ad circulum canthis inclusum ducuntur: sic vocantur textoria quædam instrumenta, & virgæ, quibus mathematici, & geometræ utuntur: eadem ratione radiatam galli gallinacei cristam agnoscit Plinius lib. x. cap. xxi. & vetus poeta:

*Crista riget radiis, ignea barba micat.*

ut e contra Solem *cristatum radiis* dicit Claudianus: Phœnicis quoque caput radiatum fuisse innuit Lactantius Firmianus, seu quisvis fuit auctor elegiæ de Phœnice:

*Aequatur toto capiti radiata corona,*
*Phœbei referens verticis alta decus:*

necnon Ausonius eo versiculo:

*Ales cinnameo radiatus tempora nido.*

quo loci si Josephi Scaligeri admittenda foret emendatio ex quadam ejus epistola, quæ inter postuma opuscula extat, ut pro *nido* legeremus *nimbo*, nullo tamen pacto ejus interpretationi acquiescendum esset: inepte enim metaphoram ex metaphora petiisset Ausonius, dum caput, & collum phœnicis descripturus rubro colore aspersum, ad theatralem croci sparsionem eo vocabulo respicere voluisset: siquidem metaphorice sparsionem illam *nimbum* appellavit Martialis iis locis, quos Lipsius adducit cap. xvi. *de Amphiteatro*: quocirca sumenda esset potius interpretatio ex Servio, qui (ut & supra attigimus) affirmat, *nimbum* dici lumen illud, quo deorum capita cingebantur: quasi radiorum similitudinem affinxerit Ausonius Phœnici, non respectu rubri, aureive coloris, sed prominentium potius in capite pinnularum, de quibus Plinius lib. x. cap. ii. *cristis faciem caputque plumeo apice cohonestante*: & Solinus cap. xxxvi. *capite honorato in conum plumis extantibus, cristatis faucibus, circa collum fulgore aureo, &c. Tiaram* vocat Physiologus Epiphanii: τιάραν γὰρ φέρει ἐπὶ τὴν κεφαλήν: at in morem circuli esse testatur Achilles Statius lib. iii. *de amor. Leuc. & Clit.* eoque circulo imaginem Solis referri, cui avis illa sacra esse dicebatur: ideoque pinnarum illæ projectiones πτερῶν ἀνατολαὶ ab eo appellantur, voce de Solis exortu usurpari solita: neque alio (ut mea fert sententia) respexisse videtur Philostratus, quum Phœnicem ex se radios emittere dixit: his enim verbis usus est lib. iii. *de vita Apollonii* c. xiiii. εἶναι δὲ ἕνα ἐκδιδομένων τῶν ἀκτίνων: &, ni fallor, allusit Claudianus de Phœnice ita loquens:

——— *rutilo cognatum vertice sidus*
*Attollit cristatus apex.* ———

Cæterum in Ausonio nihil temere muto; quum illud *radiatus tempora* absolute sit positum: subaudiendum autem τὸ *in*, vel τὸ *ex*, usitato poetis loquendi genere, ut intelligatur *in nido*, vel *ex nido*: quippe Phœnicem ex odoratis ramusculis, cinnamomo præsertim nidum sibi, seu rogum construere, testantur passim scriptores, quorum testimonia prudens omitto, Solino contentus, qui eodem cap. xxxvi. *rogos*, inquit, *suos struit cinnamis, quos prope Panchajam concinnat*. Cæterum, ut ad Tabulam revertamur, fabri vitio, incuriave factum crediderim, ut undecim tantum radii Solis caput cingant: duodecim enim exculpere oportuit, quum totidem Solari coronæ tribuerentur, teste Virgilio, qui lib. xii. de Latino Rege a Sole originem ducente sic canit:

——— *ingenti mole Latinus*
*Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum*
*Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,*
*Solis avi specimen.* ———

Eo numero duodecim menses designabantur, quibus annuus ejus cursus perficitur: quod ex Artemidoro patet lib. iiI. Ὀνειροκριτικῶν, cap. xxxv. referente, quendam, qui somniarat, solem se factum esse, ac undecim insignitum radiis per forum progredi, consequutum quidem esse dignitatem, at undecimo mense obiisse, propterea quod perfectum radiorum numerum non haberet. Et apertius Martianus Capella *de Nupt. Philolog.* lib. ii.

*Solem te Latium vocitat, quod solus honore*
*Post patrem sis lucis apex; radiisque sacratum*
*Bissenis perhibent caput aurea lumina ferre,*
*Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.*

Quare minime assentiendum est Nonno, qui libro xxxviii. *Dionys.* septifidos radios Solis fuisse sic innuit:

Ἑπτατόνους ἀκτῖνας ἐπὶ πλοκάμοισιν ἑλίξας.

nisi quis ad septem cœlestes sphæras referre hunc numerum velit; quemadmodum de septichorde lyra inferius dicetur: nam & Romæ in regione Templi Pacis colossum fuisse septem radiis insignitum, tradit P. Victor: coronam plane septem radiorum Martianus lib. i. Palladi tribuit, innuens fortasse perfectam, absolutamque septem artium scientiam. Albricus philosophus in libello *de Deorum imaginibus* duodecim etiam gemmas Solari coronæ tribuit sic scribens: *coronam vero capite gestabat Apollo duodecim lapidum pretiosorum*: quæ fuerint eæ gemmæ, quaque serie connexæ, pluribus declarat Martianus, ut infra perpendemus.

## APOLLO SOL.

QUAMVIS apud Homerum alius videtur Sol esse, alius Apollo; plerique tamen poetarum, aliorumque scriptorum nullum inter ipsos discrimen statuunt: fuere, qui crederent, Solis filium esse Apollinem; ideo Themistius Oratione xvi. nominat ἥλιον τὸν πρόγονον τοῦ Ἀπόλλωνος, *Solem Apollinis progenitorem*: alii patrem dixere: Plutarchus libro *de Oracul. defectu*: καὶ εἴτε ἥλιός ἐστιν, εἴτε κύριος ἡλίου, καὶ πατὴρ, καὶ ἐπέκεινα τοῦ ὁρατοῦ παντὸς, *& sive Sol est, sive dominus paterque Solis, cunctaque visibilia excedens, &c.* at nihil facilius Mythologi affirmant, quam unum, eundemque cum Sole esse Apollinem; quem ideo adolescentulum fingi solitum dixerunt, *quod Sol*, inquit Isidor. viii. *Orig. quotidie oriatur, & nova luce nascatur*: sive ad innuendam, ut Phurnuto videtur, Solis formositatem; ut enim nihil apparet Sole pulchrius in hac rerum universitate, ita nulla hominis ætas adolescentiam pulchritudine anteit: aut certe, ut alii autumant, quia Solis vis, calorque, unde vitam cuncta hauriunt, idem semper est, neque unquam senescit:

*Sol semper juvenis, rapidum qui dividis axem,*

ait vetus poeta: *quia occidendo*, inquit Fulgent. primo *Mythol. & renascendo semper est junior; sive quod nunquam in sua virtute deficiat, ut luna, quæ crescit, & minuitur*. Intonsum quoque fingebant Apollinem, aureoque capillitio, longam significantes emissionem, aureumque Solarium radiorum fulgorem, ut asserit

Macrobius: eodem respectu χρυσοκόμαν appellitatum præter eundem Macrobium testatur Phurnutus: unde Martianus Capella lib. I. *de nupt. Philol.* *Solis*, inquit, *augustum caput radiis perfusum, circumactumque flammantibus veluti auratam cæsariem rutili verticis imitatur*: Eundem radiorum jactum repræsentant arcus, & sagittæ, quibus Apollinem insignibant, ut Macrobius animadvertit: Lucianus *de Astrologia*: καὶ τοῦ ἡελίου τὰς βολὰς, τὰ δὴ ἐγὼ ἤματα εἶναι συμβάλλομαι, *& Solis jacula; quæ sane ego radiorum ictus esse conjicio*: quamobrem Fulgentius primo *Mythologic. Arcum vero huic, sagittasque conscribunt, quod de circulo ejus radii in modum sagittarum exiliant*. Martianus lib. I. *hinc quoque sagittarius, hinc quoque vulnificus, quod possit radiorum jaculis icta penetrare*. Eandem ob caussam non Apollini solum, sed & Dianæ sagittas tribuebant, quam Lunam existimabant, Phurnutus: ἑχομένως τούτων, ὦ τέκνον, Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν, Ἄρτεμις δὲ ἡ σελήνη. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τοξότας ἀμφοτέρους παρήγαγον, τὴν ὡσανεὶ ἄφεσιν πόῤῥω τῶν ἀκτίνων αἰνιττόμενοι, *deinceps o fili, Apollo sit tibi Sol, Diana Luna; ob id enim utrisque dant sagittas, radiorum illam in longum jaculationem quodammodo innuentes*. Idem scribit Plutarchus lib. *de Homero*, & meminit D. Augustinus lib. VII. *de Civit. Dei* cap. XVI. quamobrem radii a Lucretio, & Ausonio *tela diei*, a Prudentio *spicula* dicuntur. Aliam quoque allegoriam sub Apollinaribus sagittis deprehendit Fulgentius: *quod*, inquit, *suorum radiorum manifestatione omnem dubietatis scindat caliginem*. Verum id potius indicare voluit antiquitas, dum vaticiniorum præsidem statuit Apollinem: siquidem per ambiguitates, quæ divinatione tolluntur, tenebræ significantur, quas fugat lucis exortus. Tripodem vero eidem tribuebant ad tres partes temporis notandas, quarum auctor Sol est, id Fulgentius videtur innuere, quum ait: *Tripum quoque Apollini adjiciunt, quod Sol & præterita noverit, & præsentia cernat, & futura visurus sit*: & Martianus Capella lib. VIII. *Ipsaque tripus trini cursus præsagia pollicetur, hoc est, extantis, instantis, & rapti*: dixerat etiam lib. VII. *in tria se spacia temporis cursus alternat, ideoque tribus divinatio memoratur*: posteriora verba ferri possunt in Martiano; prope tamen est, ut reponam, *tripus divinationis memoratur*. Suidas quoque τρίπους, κατὰ τοὺς τρεῖς χρόνους μαντευόμενος· ἐνεστῶτα, παρεληλυθότα, καὶ μέλλοντα, *tripus circa tria tempora vaticinatur, præsens, præteritum, & futurum*. Erunt fortasse qui divinationem ad Solem referant ea quoque de caussa, quam innuit Ammianus Marc. lib. XXI. his verbis: *Sol enim (ut ajunt Physici) mens mundi nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans, quum eas incenderit vehementius futuri conscias reddit*. Cæterum musicus, & citharœdus inducebatur Apollo, quia Sol omnia temperat, ut visum Georgio Codino in libello *de Orig. Constant.* & universi harmonia est. Suidas: Ἀπόλλωνος ἄγαλμα κιθάραν ἐπὶ χειρῶν ἔχον πλάττουσι. οἱονεὶ τὸν ἥλιον τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν, *Apollinis simulachrum fingunt citharam manibus tenens, quasi sol sit harmonia universi*. Quare musicum fingi Apollinem ait Phurnutus, quod Sol debita mensura feriat, regatque omnes mundi partes, efficiatque ut mutuo concentu concinnus ubique sit mundus nulla dissonantia apparente. Verum de Apollinis lyra, ejusque significatione non semel postea dicemus. Porro ex temperie, quam Solis calor progignit, quum salus animantibus exoriatur, medicum indigitarunt Apollinem. Macrobius lib. I. *Saturn. Idem auctor est publicæ sospitatis, quam creditur Sol animantibus præstare temperie*: & mox: *quia temperatus Solis calor morborum omnium fuga est*. Ajunt præterea ex Sole præcipue cordis vigorem pendere, caloremque naturalem, unde & servatur sanitas, & morbi fugantur. Herbæ quinetiam, quibus medicorum filii ad sanitatem tuendam, reparandamque conficiunt pharmaca, Solis vi proveniunt. Sed & non hæ tantum, verum etiam omnes, quæ animantibus victum suppeditant: ideo pastor Apollo dictus, boum quidem a nonnullis, ovium a Pindaro, equarum a Callimacho, ut omne genus animantes a Sole pasci significarent. Duas itidem aves Apollini dedicatas invenimus, Cygnum, & Corvum, ut ejus quidem candore dies, hujus vero nigredine nox denotaretur: quæ fieri videmus Solis accessu decessuque: quod inquit Martianus Capella lib. VIII. & apertius Apulejus lib. *Floridorum* Æsopicum enarrans apologum.

---

## BACCHUS SOL.

Quod in Tabula subjacet lyræ poculum, id Bacchi esse nemo in dubium revocaverit, quum magnum videat, quum ansatum, quum hedera circumseptum. Ac proprium quidem Liberi patris poculum fuisse Cantharum tradit Macrobius quinto *Saturnal.* quod poculi genus magnum fuisse, docet Athenæus lib. XI. quapropter in antiqua inscriptione Arimini mentio est Bacchi statuæ cum Cantharo: scribit etiam Plinius lib. XXXIII. cap. XI. C. Marium post victoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi patris: quod & Valer. Max. refert lib. III. cap. VI. Hinc Sidonius Baccho triumphanti cantharum dexteræ applicat, quasi præcipuum gestamen:

*Cantharus, & thyrsus dextra, lævaque feruntur.*

Sed & Arnobius lib. VI. *in Liberi dextera pendens potorius cantharus*. Itaque Virgil. *Ecl.* VI. aptissime Sileno Bacchi nutritio cantharum assignat ansa pendentem:

*Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.*

*gravem* dicit, propterea quod magnus esset: hinc vero patet, ansas habuisse id genus poculi, quemadmodum in Tabula inspicimus. Scio equidem, aliam formam cantharo tribui a nonnullis, quod in antiquis monumentis Bacchus effingatur cum ansato vase, ventrioso quidem, at non lati admodum oris: verum is fortasse cotylus est, seu cotyliscus, qui unicam tantum habebat ansam, & Bacchi nihilominus proprius, testibus Athenæo lib. XI. & Julio Polluce lib. VI. Tabulæ opifex nostræ magnum, latumque poculum exhibere voluit, aut cantharum adumbrans, cui navigii forma (forsitan ad dimidii ovi speciem) inerat, aut phialam; quæ rotunda, & aut lebeti similis, aut balneorum cameræ, nec non utrinque ansata, ut ex Athenæo palam est. Quocirca Bacchi poculum phiala Aristoteli dicitur libro *de Poetice*, ubi de metaphora agit, docens, Bacchi clypeum pro phiala, Martis phialam pro clypeo usurpari posse: quo loco scite consideravit Alexander Piccolomineus Castelvetrium carpens, phialam intelligi, quæ forma haud longe distaret a clypeo, quo magis in ea metaphora proportio locum habeat. Huc etiam respexit Vitellius, qui magnam illam patinam a se dedicatam *clypeum Minervæ* dictitabat, teste Suetonio cap. XIII. nec alia sane ratione *scutellam* nominamus; quod scuti formam quodammodo gerat: a *scuto* enim *scutellam* derivari tradunt veteres Grammatici, Diomedes lib. I. Cledonius, & Cosentius in arte. Atque eo magis probatur, quod Strabo lib. XIV. in enarranda historia architecti illius, qui montem Athon in Alexandri simulachrum effingere meditabatur, phialam vocat, quam Vitruvius pateram dicit in præfatione libri secundi. Verisimile autem mihi fit ex forma, quam indicavimus, phialam pede caruisse, ut ex Parthenio, & Apollodoro videtur innuere Athenæus, unde illam pocillatores (teste Polluce) summis digitis sustinebant. Ve-

rum ornamenti ratio habita est in Tabula, in qua fabrilia errata non semel deprehendentur. Atqui hederæ circumplicatio eo magis Bacchi poculum arguit, quod propterea Cissybium nominare posses. Pollux lib. VI. cap. XVI. *τὸ δὲ κισσύβιον κισσὸς περιέθει, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὸ ὄνομα, Cissybium vero hedera ambit, unde & nomen sumpsit:* tametsi ita appellari scribit Athenæus, non quod hederaceis foliis circundatum, sed quod ex hederæ ligno effictum esset: additque altera tantum parte fuisse auritum. Cæterum apud Nonnum lib. XIX. saltationum præmia a Baccho proponuntur maximi crateres aurei, argenteique hedera ornati: ac sane id ornamenti genus poculis indebatur, quare Trebellius in Claudio ex epistola Gallieni exhibet discum corymbiatum, lancem pampinatam, pateram hederatam ex argento. Cur vero Baccho hedera sacra? si fabulas audiamus, ob Cissi commutationem: is ex Bacchi saltatoribus erat, qui quum ex saltu prolapsus interiisset, in hederam versus dicitur, ut refert Constantinus Cæsar lib. XI. cap. XXXI. Aliam fabulam narrant alii, nempe infantem Bacchum a perquirente Junone hedera occultatum. Ovidius tertio *Fastor.*

*Nisiades nymphas, puerum quærente noverca,*
*Hanc frondem cunis apposuisse ferunt.*

Plinius tamen lib. XVII. cap. IV. *Antiquitus* (ait) *corona nulla nisi Deo dabatur; feruntque Liberum patrem primum omnium imposuisse capiti suo ex hedera.* At Phurnutus ideo Baccho tribui hederam scribit, quod ejus folia vitis foliis, corymbi racemis uvæ sint similes: quod nescio quis apud Plutarchum considerat lib. III. *Sympos.* quæst. II. fabulam vero sapit opinio de vitis feracitate, si putator ejus hedera fuerit redimitus; quam vide apud Constant. Cæsarem lib. V. cap. XXIV. Alias caussas assignat Festus: *in tutela*, inquit, *Liberi putabatur esse, quia ut ille juvenis semper, ita hæc viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, illigat:* an non potius quia habet hedera *πνεῦμα μανίας ἐγερτικόν τε καὶ παρακινητικὸν, spiritum quo furor excitatur, & commovetur*, ut visum Plutarcho? an vero quia hedera antipharmacum est (ut loquitur Isidorus) ebrietatis? æquum enim fuit, ut Bacchus, qui vini potum invenit, malis etiam inde enascentibus succurreret, quemadmodum Plutarchus eod. lib. III. *Symp.* & Athenæus lib. XV. considerant: quam fuisse quoque Varronis sententiam innuit Servius ad VIII. *Ecl. Virg.* sive id efficiat hedera refrigerando, ut præter nuper laudatos auctores Clemens quoque Alexandrinus affirmat *Pædag.* lib. II. c. XXVIII. sive quia sua illa acrimonia vapores digerit in cerebrum sublatos. An igitur hederæ corona poetis datur, quasi vinosis? idem Servius loco laudato: *Hedera autem ideo coronantur poetæ, quoniam poetas semper vino plurimo manifestum est uti, &c.* nam vinum non immoderate sumptum incitabulum ingenii videtur esse ad virtutes, & litteras; quod & Plato non negat: qua de re Plutarch. *Sympos.* VII. quæst. X. aliter tamen alii. *Hedera coronantur poetæ*, inquit Servius ad VI. *Virg. Eclog. quasi Libero consecrati; qui etiam ut Bacchæ insaniunt: vel quod semper virent hederæ, sicut carmina æternitatem merentur.* Dicendum tamen, poetarum præsidem statui Bacchum, quia non alius est ab Apolline: ideo & Musas ei comites addunt. Diodorus lib. III. de Bacchi peregrinatione loquens: *φασὶ δὲ καὶ τὰς Μούσας αὐτῷ συναποδημεῖν, ajunt quoque Musas cum eo peregre ivisse.* Quod si Apollo Sol, itidem & Bacchus: atque ipsa hedera, quæ modo alba dicitur, modo nigra, diem fortasse, noctemque indicabat, quemadmodum de Apollinis cygno, & corvo dictum est. Si Apollo vates, similiter & Bacchus, ut Macrobius docet: si medicus ille, hic etiam medicinæ peritus, ut Plutarchus auctor est III. *Sympos.* illum Græci *ἀκερσεκόμην*, hunc *δ᾽ ἀχαίτην* dixerunt: unde Tibullus:

*Solis perpetua est Phœbo, Bacchoque juventa,*
*Nam decet intonsus crinis utrumque deum.*

Insuper in utriusque tutela Parnassus erat. Lucanus lib. V.

*—— Parnassus gemino petit æthera colle*
*Mons Bromio, Phœboque sacer, cui numine mixto*
*Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.*

Eapropter (ut diximus) etiam sub Baccho Sol intelligitur, ut pluribus docet Macrobius. Itaque Bacchantes sic Ovidius IV. *Metam.* inducit canentes in Orgiis:

*———— tibi enim inconsumpta juventa est:*
*Tu puer æternus, tu formosissimus alto*
*Conspiceris cælo. ————*

& eum Eumolpus nominat in Bacchicis carminibus apud Diodorum libro primo:

*Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν.*
*Sidereum Dionysum igni radiante coruscum.*

Ac quod plures ex Philosophis, Empedocles scilicet, Anaximander, Xenophanes, Democritus, Metrodorus, Plato ipse Solem rati sunt aut ignem esse, aut ex igne conflatam massam, ut videre est apud Plutarchum *de placit. Philos.* lib. II. cap. VI. & XX. fabula exorta est, Bacchum ex utero matris perustæ, tanquam ex igne prodiisse: eleganter vetus poeta:

*Sic Apollo, deinde Liber sic videtur ignifer.*
*Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus.*
*Ambo de comis calorem, & ambo radios conferunt.*
*Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.*

Atque ad indicandam radiorum projectionem aureis cornibus Liberi frontem insignibant: ex quo eum Græci *χρυσοκέρων* cognominarunt. Horatius lib. II.

*Te vidit insons Cerberus aureo*
*Cornu decorum.*

Sidonius Apollinaris:

*———— caput aurea rumpunt*
*Cornua, & indigenam jaculantur fulminis ignem.*

Quod vero Liberum tradunt totum obiisse orbem, ut est apud Diodorum lib. III. quid aliud, quam solarem excursionem commonstrare voluerunt? nec minus tigres, lynces, pantheræ velocissima animalia eidem sacra Solis pernicitatem denotare queunt: quanquam sunt qui credant, ideo adscriptas Baccho hujusmodi animantes, quod calidissimæ sint: ut de panthera præcipue testatur Philostratus primo *Imaginum*. Concinne existimant alii, maculosas earum pelles stellatum cælum significare, quod de hinnulea pelle, qua Bacchus amiciebatur, aperte libro primo prodit Diodorus iis verbis: *φασὶ δέ τινες καὶ τὸ ἔναμμα αὐτῷ τὸ τῆς νεβρίδος ἀπὸ τῆς τῶν ἄστρων ποικιλίας περιῆφθαι; nonnulli quoque ideo nebride Bacchum amictum esse dicunt, ut astrorum varietas significetur:* id ex Orpheo sumpsit, qui hinnuleam Bacchi pellem dixit esse

*Ἄστρων δαιδαλέων μίμημ᾽ ἱεροῦ τε πόλοιο.*

apud Macrob. primo *Satur.* cap. XX. nam sideribus Sol constitutus est moderator. Martianus lib. I.

*Nam medium tu curris iter dans solus amicam*
*Temperiem superis, compellens, atque coercens*
*Sidera sacra deum, quum legem cursibus addis.*

At vero quia fœcunditatis largitor Sol est, Bacchum salacem finxerunt, & Priapi parentem, satyrosque ei addiderunt, nec non in sacris ejus phallus circunferebatur, testibus Eusebio *de Præpar. Evang.* & August. lib. VII. *de Civit. Dei*, qua de re nonnihil etiam Arnobius, aliique. Porro descensus Bacchi ad inferos, Solis occasum commonstrat, quo

recidit ( ut Ennius loquitur ) *in infera noctis*. Nec omnino insuper habendum quod scribit Plutarchus *quæst. Rom.* XXVIII. Bacchi jusjurandum sub tecto minime fieri: id enim eandem rationem habere videtur, qua Tertullianus cap. VIII. *de Spect.* affirmat, Solis effigiem non sub tecto templi, sed in aperto collocari solitam, quum Sol se omnibus semper videndum præbeat. Qua de re & Isid. lib. XVII. *Orig.* verbis ipsis a Tertulliano mutuatis. Vitruvius lib. I. cap. II. *Jovi fulguri, & Cœlo, & Soli, & Lunæ ædificia sub divo, hypæthraque constituuntur: horum enim deorum & species, & effectus in aperto mundo, atque lucenti præsentes videmus.* Indiam a Libero patre subactam perhibent, quia Soli ea regio maxime subjecta, & vi radiorum quasi perdomita: color incolarum id arguit. Solinus de Indis loquens: *vim sideris*, inquit, *prodit hominum color*. Plinius dixit, *colore præferunt sidus*.

---

## HERCULES SOL.

CLAVA cum superaddita Leonis pelle Herculis sunt insignia: quem alienum a natura Solis neutiquam esse, quibusdam argumentis evincere contendit Macrobius cap. XX. lib. I. *Saturn.* præcipue vero ex nominis etymo, quod hisce verbis tradit: *Et revera Herculem Solem esse vel ex nomine claret. Heracles enim quid aliud est, nisi* ἥρας, *id est*, aeris, κλέος, *id est*, gloria? *quæ porro alia aeris gloria est, nisi Solis illuminatio, cujus recessu profunditate spiritus occulitur tenebrarum?* quæ explicatio ita arrisisse Pontano videtur, ut eam versibus comprehenderit lib. I. *de Stellis*:

*Herculeo lætus cognomine, quando*
*Disjicit aerias nubes, lumenque ministrat*
*Aeris ipse decus, decus & sua gloria cœli.*

aliam etymi rationem sectatur Porphyrius, cujus hæc verba leguntur apud Euseb. tertio *de Præpar. Evang.* cap. III. Ηρακλέα αὐτὸν προσεῖπον ἐκ τῦ κλᾶσθαι αὐτὸν τ̃ ἀέρα, ἀπ' ἀνατολῆς εἰς δύσιν ἰόντα; *Herculem ipsum vocarunt ex ejus in aere refractione, dum ab ortu ad occasum pergit*: quamobrem ab Orpheo in hymnis sive indigitamentis dicitur Hercules χρόνυ πάτερ, quin duodecim labores, qui Herculi tribuuntur, ad Solem signiferi circuli domicilia percurrentem referri, idem Orpheus innuit iis versibus:

Ος περὶ κρατὶ φορεῖς ἠῶ, καὶ νύκτα μέλαιναν,
Δώδεκ' ἀπ' ἀντολιῶν ἄχρι δυσμῶν ἆθλα διέρπων,
*Qui valide fers auroram, noctemque nigrantem.*
*Sex bis ad occasum exantlans certamina ab ortu.*

perspicue Porphyrius apud Eusebium: δώδεκα δὲ ἄθλων ἐκμοχθεῖν ἐμυθοποίησαν, τ̃ κτ̃ τ̃ ὐρανὸν διαιρέσεως τ̃ ζωδίων τὸ σύμβολον ἐπιφημίσαντες; *duodecim laboriosa certamina effinxerunt, quasi symbolum assignantes duodecim cælestium signorum.* Ejus quoque arma, clava nimirum, & pellis leonina vim exprimunt Solarem: idem Porphyrius: ῥόπαλον δὲ αὐτῷ καὶ λεοντῆν περιέθεσαν, τὸ μὲν τ̃ ἀνωμαλίας μήνυμα. τὸ κτ̃ τὸ ζώδιον ἐμφανιστικὸν ἰσχύος, *clavam illi, & leoninam pellem accommodant, alteram, ut indicent inæqualitatem motus, alteram vero, quoniam vires suas in leone præcipue ostendit.* Ac præter ea, quæ de leone ex Horapolline ante protulimus, obscurum nemini esse arbitror, leonem Soli dedicatum esse, solareque animal vocitatum, adstipulantibus Plutarcho IV. *Sympos.* & Proclo lib. *de sacrif. & mag.* Constat etiam ex Æliano lib. XII. *de Nat. animal.* Solis domicilium ideo ab Aegyptiis Leonem esse constitutum, quod igneum sit id animal: lubet hic in medium afferre, quæ scribit Macrobius primo *Saturn.* cap. XXI. *Ægyptii*, inquit, *animal in Zodiaco consecravere ea cæli parte, qua maxime annuo cursu Sol valido effervet calore, Leonisque inibi si-*

A *gnum domicilium Solis appellant; quia id animal videtur ex natura solis substantiam deducere, primumque impetu & calore præstat animalia, ut præstat Sol sidera: validusque est leo pectore, & priore corporis parte, ac degenerat posterioribus membris: æque solis vis prima parte diei ad meridiem increscit, vel prima parte anni a vere in æstatem; mox elanguescens deducitur vel ad occasum, qui diei, vel ad hiemem, quæ anni pars videtur esse inferior: idemque oculis patentibus, atque igneis cernitur semper, ut Sol patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo, atque infatigabili cernit.* Solem quoque cum leonino capite effingi solitum, docuit ex Lutatio, aliisque Laur.
B Pignorius penitiorum antiquitatum solertissimus indagator in Expositione Mensæ Isiacæ. Præter clavam, & pellem tertium armorum genus Herculi tribuebatur, nempe arcus, & sagittæ: ideo a Tertulliano dicitur *Scytalo-saggitti-pelliger*: id esse radiorum symbolum supra docuimus: quod ut magis in Hercule pateat, ipsum ab Apolline sagittas accepisse scribit Apollodorus lib. II. *Biblioth.* quin ait lib. primo, ab Apolline lævum Ephialte oculum, dexterum ab Hercule sagittarum ictu effossos: qui sit ephialtes, compertum est medicis: prava quædam affectio est, quum quis se noctu ab alio invadi, grandique mole
C opprimi imaginatur: id malum tum innati caloris vi, tum die superveniente, abscedit: idcirco finxit vetustas, gigantem fuisse Apollinis Herculisque sagittis confectum. Nec tantummodo sagittatorem, sed medicum quoque fecerunt Herculem, & divinatorem, & musicum, ut cum Apolline omnino connecterent. Medicinæ peritum fuisse, tradit Plutarchus in *Amator.* ideo non minus atque Apollo ἀλεξίκακος dictus, ut videmus apud Lucianum, Hesychium, Macrobium, alios: ejus epitheti ratio est, quod omnium rerum salus a Sole pendet. Porphyrius apud Eusebium tertio *de Præp.* καθ' ὃ δὲ ἀπαλεξίκακός ἐστι τ̃ ἐπιγείων ὁ ἥλιος, Ηρακλέα αὐτὸν προσεῖπον, *eo quod mala ab inferioribus hisce Sol procul expellat,*
D *Herculem ipsum dixerunt.* Audiit etiam vaticinator, ut testatur Plutarchus l. *de EI* apud Delphos: quapropter Apollini tripodem rapuisse traditur: quin auctore Apollodoro l. II. *Biblioth.* τ̃ τρίποδα βαστάσας, κατασκευάζει μαντεῖον ἴδιον, *avecto tripode propriam sibi vaticiniorum sedem construxit.* Herculem quoque μυσηγέτlω invenio, quod Apollinis cognomentum erat, ut Pausanias *in Atticis*, Plutarchus *Symposiacis* meminere: ideo Romæ templum fuit Herculi ac Musis commune, non propterea quod Evandrum literas docuerit Hercules, ut visum Plutarcho *quæst. Rom.* LIX. aut *quia mutuis operis, & præmiis juvari, ornarique deberent Musarum quies defensione Herculis, virtus Herculis voce Musarum*,
E ut ait Eumenius Rhetor Orat. *de Scholis instit.* sed fortasse ob rationem illam Theologicam, qua Hercules idem censebatur cum Apolline Musarum deo. Corona Herculis populea diei, noctisque vicissitudines ex Solis ortu, & recessu demonstrabat: sunt enim populi folia altera ex parte albicantia, ex altera nigro virore infuscata. Probus ad VII. Virg. Eclog. *Physici Herculem tempus dicunt interpretantes, ideoque populum ei adsignari allegoricos, ut quia bicolor sit, partes temporis accipere possimus, id est, noctis, atque diei.* Quod terrarum orbem peragrasse traditur, quid aliud, nisi perpetuus Solis excursus
F designatur? Ajunt etiam penetrasse ad Inferos, nimirum ut Solis indicarent occasum, quo sub terras ferri videtur. Per Apollinis tripodem significari diximus tripertitum tempus: ad eandem indicationem introductum videtur Gerionis figmentum ab Hercule perdomiti, quod Tzetzes perspicue innuit Chil. II. cap. XXXVI. quod autem de aureis Hesperidum malis ibidem ait:

Νύμφας τὰς ὥρας λέγοντα, ἢ μῆλα ἀςρας.
*Nymphas horas dicentem, & mala astra*,

eorum subindicat sententiam, qui fabulam de Hercule ex hortis Hesperidum rapiente aurea mala eo interpretamento prosequuti sunt, ut pro malis aureis stellas intelligerent, pro Hercule Solem, cujus adventu stellæ e cœlo abripi videntur: sane enim Hesperides Noctis filiæ & ab Hesiodo in *Theogonia*, & ab Hygino libro *fabularum* dicuntur: & horti illi in Mauritania fuisse perhibentur, ut ex fusco incolarum colore nocturnum tempus eo magis denotaretur. Figmentum de quinquaginta fœminis, quas Hercules unica nocte compressit, vim Solis genitalem designat, quæ terrenæ fœcunditatis auctor est: ac propterea numerosam Herculis prolem tribuunt Plutarchus *de Frater. amor.* & Apollod. lib. II. eademque de caussa Hermulæ, qui tam Herculis, quam Mercurii gestabant effigiem, cum arrectis virilibus figurabantur, ut apud eos videre est, qui veteres statuas asservant, & meminit Macrob. lib. I. *Saturn.* c. XIX. nam sationi, & generationi penem attribuebant, ut ex Porphyrio tradit Eusebius III. *de Præp. Evang.* Observat etiam Plutarchus *quæst. Rom.* XXVIIII. eos qui Herculem juraturi essent, sub dio prodiisse: id quare institutum, supra indicavimus, quum de Baccho loqueremur. De illorum etiam opinione verba habuimus, qui Solem ex igne conflatum esse dicebant: quod fortassis occasionem fabulæ de Oeteo rogo, quo combustus Hercules ad superos ascendit, ideoque dictus est Juvenali Sat. XI.

——— *flammis ad sidera missus.*

quod & elegans Antipatri epigramma innuit de Baccho, & Hercule:

*Αμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταί,*
*Κ' ἐκ Ζηνός. θύρσῳ δεινὸς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.*
*Αμφοῖν δὲ στῆλαι συντέμονες, εἴκελα δ' ὅπλα,*
*Νεβρὸς, λεοντῆ, κύμβαλα δὲ, πλατάγη.*
*Ηρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ Θεός. οἳ δ' ἀπὸ γαίης*
*Ηλθον ἐς ἀθανάτους ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.*

id nos olim ita Latinum fecimus:

*Ex Thebis ambo, Jove nati, prælia amantes:*
*Hunc thyrsi, hunc clavæ pondera ferre juvat.*
*Parque columnarum positus, par cultus in armis.*
*Hic cervi exuvias, ille leonis habet.*
*Utrique æra crepant: Juno grave numen utrique:*
*E terra ad superos ignis utrumque tulit.*

---

## MERCURIUS SOL.

AD Caduceum, atque adeo ad Mercurii cum Phœbo connexionem veniendum est, quorum communem aram in templo Jovis Olympici fuisse tradit Pausanias lib. V. Mercurium veteres illi Mythologi juvenem imberbem ac Jovis filium æque ac Apollinem finxerunt. Alas capiti, pedibusque addiderunt, ut velocem Solis excursionem exprimerent. Nuncium dixere, quod Sol lucis beneficio, quæ secreta sunt atque incognita patefaciat. *πάντα γὰρ ἐξελέγχει, καὶ εὐσύνοπτα ποιεῖ*, *cuncta enim revelat, & conspicua facit*, ait Artemidorus lib. II. Fur creditus, nam & Sol furari, ac rapere videtur, ideo *Cleanthes*, apud Macrobium, *Lycium Apollinem appellatum notat, quod veluti lupi pecora rapiunt, ita ipse quoque humorem eripit radiis*, (quamquam fuisse lupum Apollini sacrum ob magnum oculorum acumen, testatur enarrator Arati) vel quia umbras populatur, ut loquitur Pontanus primo *de Stellis*: aut *quia*, ut sentit Macrobius primo *Saturn.* cap. XX. *in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur*. Lucri, mercatorumque deus habitus est Mercurius, quod die, per lucem mercimonia, & contractus peragantur: *φῶς γὰρ ἐμπολήσεσι πρέπει*, ait Euripides in *Cyclope*. Musices fuisse inventorem a Plutarcho libro *de Iside, & Osir.* & a Commentatoribus in Homeri Odysseam traditur, quod Apollini Musarum Deo tributum esse, neminem fugit: ideo lyra utrique communis, tum apud Horatium, tum apud alios auctores. Gallus in ejus tutela fuisse fertur teste Luciano in *Somnio*, Fulgentio lib. I. *Mythol.* Albrico Philosopho in libello *de Deor. imaginib.* vigilantissimum animal, quodque Solaris numinis particeps dicitur a Proclo in lib. *de Sacrif. & Mag.* quin & Soli sacrum erat auctore Pausania lib. V. Refert etiam Albricus, Mercurii galerum ex dimidia parte album, nigrum ex altera dimidia fuisse: id quod diem ex adventu, noctem ex decessu Solis procreatam designare poterat; quemadmodum supra dictum est de Cygno, & corvo Apollinis, de Bacchi hedera, de populo Herculis. Fingebatur etiam nunc e cælo ad Inferos, nunc ex inferis ad superna commeare; quoniam Sol ab exortu suo in cælum quodammodo se tollere videatur; sub terram properare, quum ad Occasum declinat. Inter cætera vero, quæ de Mercurio dicuntur, præcipua est fabula de Argo multis insignito oculis ab eodem interfecto, quo nocturnum cælum vel Macrobio teste significatur, cujus stellæ quasi innumeri oculi ab exoriente Sole enecari videntur, dum eorum aspectus hominum oculis eripitur: quæ allegoria elegantissimis decantata est versibus a Pontano primo libro *de Stellis*. Porro somnum ac vigilantiam, ortum atque obitum Sole auctore fieri, qui temporum vicissitudines moderatur, indicabat virga Mercurii, de qua nonnihil Homerus V. *Odyss.* & Virgil. IV. *Aen.* cujus hi sunt versus:

*Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco*
*Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:*
*Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.*

Virgam hanc, sive caduceum ab Apolline traditum Mercurio sumpta ab eo lyra, refert ibidem Servius, & Hyginus lib. *Astronom.* at Apollodorus lib. III. lyram a Mercurio datam scribit ob acceptos ab Apolline boves: at quum fistulæ quoque cupiditate Apollo teneretur, quam itidem Mercurius compegerat, ut possessor illius fieret, cum virga permutavit, qua boves pascebat: eam Apollodorus τὴν χρυσῆν ῥάβδον appellat; verum Martianus tricolorem facit, auream scilicet in summo, in medio glaucam, in imo nigram. Quid sibi vult hujusmodi figmentum, Solis vis fortasse innuitur, quæ universa pertingit; quippe auro cælum denotatur, colore glauco aer, atque aqua, terra vero inferiori nigredine. At de caduceo, ejusque significatione videndum omnino, quod pluribus differit Macrobius cap. XIX. lib. I. *Saturn.* unde reliqua etiam argumenta, quibus Mercurium Solem esse adstruit, petere unicuique licebit. Nec silentio prætereundum quod ait Athenagoras *Apologia pro Christianis*, Mercurii virgam symbolum fuisse concubitus Jovis & Rheæ, seu Cereris, ex quo orta Proserpina: siquidem id peregisse sub forma draconum traduntur; quod ætheris ac terræ conjunctionem designat ad frugum procreationem: idque ad solis vim pertinere, nemo ignorat. Figuram caducei, qualem describit Macrobius, intuemur passim in nomismatibus, aliisque Veterum monumentis: at diversus abiit nostræ tabulæ sculptor, qui & duplicem, triplicemve nodum, & capita serpentum aversa, non introrsum spectantia (ut loquitur Servius) effinxit. Virga caducei, si audiamus auctorem hymni in Mercur. qui Homero tribuitur, ex quodam trifolio videtur fuisse, siquidem τριπέτηλον nominat: verum in tabula arundinem esse cernimus; idque non ex nihilo factum ex-

istimare licet: quid autem si dicamus sagittas indicari? ex arundine enim fiebant, unde passim apud poetas arundo pro sagitta usurpatur: & sane in hac tabula superior caducei pars similitudinem ferri habere videtur, quale sagittis infigi solet; sagittis vero Solis radios significari, in superioribus demonstratum est: sed & *virga* Latinis *radius* dicitur, Græca (ni fallor) origine ῥάβδος. Fistula etiam arundinea indicari potest; nam & hanc Mercurio tributam, præter Apollodorum, quem supra adduximus, referunt Isidorus III. *Orig.* & Albricus lib. *de Deor. imag.* quia vero e septem cannis compacta erat, septem planetarum orbes præmonstrabat, earumque harmonicas conversiones: qua de re Servius, & Junius Philargyrius ad Ecl. II. Virg. Scripturam quoque denotare arundo potest, quippe calamo, sive arundine scribi solitum apud Veteres. Persius:

*Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.*

Ausonius:

*Nec jam fissipedis, per calami vias*
*Grassetur Gnidiæ sulcus arundinis,*
*Pingens aridulæ subdita paginæ*
*Cadmi filiolis atricoloribus.*

At Mercurium litterarum fuisse inventorem testantur Philo Biblius ex Sanchoniathone Phœnice apud Eusebium lib. I. *de Præp.* cap. VI. Diodorus lib. I. Quintilianus lib. III. cap. VII. Plutarchus lib. IX. *Symp.* Tertullianus *de Corona mil.* cap. VIII. & *de testim. animæ* cap. V. & Cassiodorus *Variar.* lib. VIII. epist. XII. Quod & de Apolline innuere Hyginus videtur. Quod si nummus C. Mamilii, quem vidi argenteum, ex uno latere Mercurii caput habens cum petaso, ex alio virum petasatum cum baculo, & cane, eam interpretationem reciperet, quam eidem adaptare tentat Pierius lib. LVII. *Hierogl.* metationem etiam intelligere per arundinem liceret: credidit enim Pierius, virum illum cum baculo esse Mamilium cum arundine, ac notam in nummo LIMETAN: putans hoc pacto distinguendam LI. METAN: *limitibus metandis* exponit, ignorans Mamilios *Limetanos* cognomine dictos fuisse, quemadmodum docet Fulvius Ursinus in libro de Famil. Rom. qui etiam recte virum illum in nomismate Ulyssem esse existimat a cane domi agnitum post peractam peregrinationem: ex Telegono enim Ulyssis filio originem ducebant Mamilii, ut liquet ex Dionysio lib. IV. Livio lib. I. & Festo Pompejo. Cum pileo fingebatur Ulysses, utpote peregrinantis habitu, itaque apud Heliodorum V. *Aethiop.* Calasiridi Ulysses in somnis apparet κυνῆν μὲν τῆς κεφαλῆς ἐπικείμενος, *pileo capiti superimposito*. Nicomachum fuisse, qui primus Ulyssi addidit pileum, constat ex Plinio lib. XXXV. cap. X. atque id quidem umbellatum (ut sic dicam) quale in nomismate inspicimus ad arcendas æstus, imbriumque injurias: etsi clam me non est, cum galericulo quoque pingi solitum Ulyssem, quemadmodum etiam Mercurium: quod innuit D. Hieronymus ad Fabiolam *de vestitu sacerdot.* *Quartum genus est*, inquit, *vestimenti rotundum pileolum, quale pictum in Ulysseo conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, & pars una ponatur in capite: hoc Græci, & nostri τιάραν, nonnulli galerum vocant*. Et sane absurdum non fuerit existimare, Mercurium terminalem Deum, latifundiis metandis præpositum fuisse, nam mensuras invenisse & pondera, testatur Diodorus lib. V. quum præterea Geometriæ inventio nequaquam sit ipsi invidenda, utpote qui artium repertor a Cassiodoro dicatur, & Geometria inter Mercurii administras a Martiano Capella connumeretur. Originem sumpsisse Geometriam apud Ægyptios

A testatur Herodotus lib. II. Strabo l. XVII. Servius ad III. Eclog. Virg. & Isidorus lib. III. *Orig.* ob terminos possessionum confusos alluvione Nili: nec inepte quispiam putaverit, disciplinam hanc Ægyptios hausisse a Mercurio, a quo & Astrologiam doctos, testatur Julius Firmicus: nam Geometriæ inventionem apertis verbis ei tribuit Homeri enarrator, quum ait: Ἑρμῆς ὁ Διὸς καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος παῖς, ἔτι ὢν ἐν ἀνθρώποις τέσσαρα μέγιστα εὕρετο γράμματα, καὶ μουσικὴν, καὶ παλαίστραν, καὶ γεωμετρίαν. ὅθεν καὶ τοὺς Ἕλληνας τετράγωνον αὐτὸν ἀσκῆσαι, καὶ οὕτως ἐν τοῖς γυμνασίοις ἀναθεῖναι, *Mercurius Jovis ac Majæ Atlantiadis filius, dum inter* B *homines ageret, quattuor maxima invenit, litteras, musicam, palæstram, & geometriam: propterea illum Græci quadratum effingunt, & in gymnasiis dedicant*. Denique illud ad memoriam revocandum est, adhibitam fuisse arundinem in agrorum, aliarumque rerum metationibus; unde cap. XXI. *Apocalyps.* qui civitatem Dei metiebatur, mensuram arundineam habuisse dicitur: & apud Ezechielem cap. XL. *calamus mensuræ* nominatur, quo utebantur ad dimensionem ædificiorum: cujus calami fit mentio apud Auctores *de limitibus agrorum*, ac decem pedum fuisse dicitur: quare hodieque instru- C mentum, quo metiri aliquid solemus, nomen *cannæ* vulgo retinet. Porro terminales deos non solum Mercurium, sed & ipsum Apollinem, nec non Herculem, Bacchumque creditos fuisse, ex iis, quæ mox addemus, perspicuum fiet.

---

## ENCARPUS.

Ex implexis frondibus, floribus, pomis, frugumque spicis, quod in tabula contuemur, in sese pendens jugamentum lemniscatum (*encarpus* Vitruvio dicitur lib. IV.) telluris fœcundita- D tem vi Solis provenientem dubio procul præmonstrat: atque huc referenda totius tabulæ interpretatio, ut mox videbimus. Sol enim est, qui per hiemem semina fovet, verno tempore sata evocat in herbas, ac flores, æstate atque autumno percoquit, perficitque: non enim duabus hisce tantum, sed & reliquis etiam anni partibus fructus accepti feruntur: idque designabant in Cereris sacris quattuor albi equi, quibus canephoræ curru vectæ calathos floribus ac spicis refertos ad templum deferebant: quod ex Callimacho discimus Hymno in Cererem:

Δάματερ μέγα χαῖρε, πολύτροφε, πουλυμέδιμνε·
Χ ὡς αἱ τὸν κάλαθον λευκότριχες ἵπποι ἄγοντι
E Τέσσαρες· ὣς ἁμῖν μεγάλα Θεὸς εὐρυάνασσα,
Λευκὸν ἔαρ, λευκὸν δὲ θέρος, καὶ χεῖμα φέροισα
Ἥξει καὶ φθινόπωρον. ———
*Ceres multum salve, multis alimentis abundans,*
*multis medimnis.*
*Et quemadmodum calathum albis crinibus equi deferunt*
*Quattuor; sic nobis magna Dea, late regnans,*
*Album ver, album æstatem, atque hiemem ferens*
*Adveniet, nec non autumnum.* ———

Omnia tamen, ut diximus, ad Solem referenda: is enim est, qui teste Platone in *Crat.* ποικίλλει ἰὼν τὰ γιγνόμενα ἐκ τῆς γῆς, *suo cursu varie fingit, quæ-* F *cunque terra progignit*: & (ut Macrobii verba utar) *ipse generat universa seminando, fovendo, producendo, alendo, augendoque*. Quapropter ad Siciliæ indicandam ubertatem, Solis boves in ea insula stabulari fabulatus est maximus poetarum: (tametsi Plinius aliam huic figmento assignat causam lib. II. cap. XCVIII.) licet enim sint boves per se fertilitatis symbolum, ut infra se dabit occasio demonstrandi, id tamen magis fit perspicuum, quum earum dominum Solem perhibent. Plane vero nostro huic Encar-

Encarpo affinis eſt ramus ille ſive olivi, ſive lauri, quem lana circundatum omnis generis fructibus dependentibus ante Apollinis ædem ſtatuebant Athenienſes in Feſto Pyanepſiorum, ut Suidas auctor eſt; qui addit, eodem Feſto ſacrum quoque fieri ſolitum Soli, & quattuor anni tempeſtatibus.

## LYRA.

IN Tabulæ umbilico ſita eſt lyra, ſeu cithara, ut ad ſingula pertinere numina indicetur, quorum inſignia circumcirca ſunt adjecta. Ac de Apolline quidem & Mercurio ambigit nemo, ſiquidem illum Muſarum ducem dixerunt, & fere nunquam ſine lyra effingebant; hunc citharæ, fiſtulæque perhibent inventorem, atque adeo ipſius muſices, ut ſupra doctum eſt. Loquuti quoque ſumus de Hercule Muſarum, cujus imaginem cum cithara repræſentat antiquus nummus Q. Pomponii Muſæ a Ful. Urſino, aliiſque exhibitus. Ac citharœdicam quidem a Lino Herculem didiciſſe tradit Apollodorus lib. II. Theocritus tamen in Ἡρακλίσκῳ ait, Linum Herculi fuiſſe præceptorem in litterarum, & doctrinæ ſtudiis, Eumolpum vero in muſica. Herculis tamen magiſtros nominatos reperio apud Euſeb. *de Præpar.* lib. x. cap. III. non Linum tantum, ſed & Orpheum, & Muſæum. Baccho vero nonne Muſas comites addiderunt, ut ſupra palam fecimus? nonne poetarum præſidem indigitarunt? Audi Horatium:

*Bacchum in remotis carmina rupibus*
*Vide docentem.* ——

Sed & Calliſtratus in ſtatuarum expoſitionibus meminit cujuſdam Bacchi ſtatuæ lyram thyrſo fulcientis. Innuere autem Plutarchus videtur in lib. *de Animæ procreat.* e Timæo, pleriſque deorum data muſica organa: ejus ſunt verba: οἵ τε πάλαι θεολόγοι πρεσβύτατοι φιλοσόφων ὄντες, ὄργανα μουσικὰ θεῶν ἐνεχείριζον ἀγάλμασιν. οὐχ ὡς λύραν πη καὶ αὐλὸν, ἀλλ' οὐδὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν, οἷον ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν, *veteres theologi philoſophorum antiquiſſimi ſtatuis deorum muſica inſtrumenta in manus poſuerunt, non quaſi eas lyra tantum & tibia inſignire vellent, ſed ut oſtenderent, nullum eſſe opus, quod diis magis conveniat, quam harmonia, & concentus.* Verum lyra hæc noſtra Solis exprimit lyram, hoc eſt, cœleſtes converſiones, quibus Sol conſtitutus eſt moderator. Orpheus *hymno in Solem*:

Χρυσολύρη, κόσμου τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων,
*Auream lyram habens, concinnum mundi curſum trahens.*

uſurpare κόσμον videtur Orpheus pro cælo, ut incertus poeta II. Anthologias mathematicorum irridens vanitatem:

Χαίροιθ' οἱ περὶ κόσμον ἀεὶ πεπλανηκότες ὄμμα.

& apud Latinos Lucretius:

——— *micant æterni ſidera mundi.*

Catullus etiam:

——— *concuſſitque micantia ſidera mundus.*

& Maro:

——— *vos o clariſſima mundi*
*Lumina.*

nec non Horatius:

*Si fractus illabatur orbis.*

Manilius item initio *Aſtron.* & pluribus aliis locis. Præter poetas alii quoque ſcriptores. Plato in *Timæo*: ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλο τι ποτὲ ὀνομαζόμενος μάλιστ' ἂν δέχοιτο. Plinius lib. II. *Mundum hunc, quod nomine alio cælum appellare libuit, &c.* quin propriam eſſe cæli appellationem innuit Macrobius lib. I. *in Somn. Scip.* cap. xx. *ſed*

A *ipſum quoque cælum, quod vere mundus vocatur, &c.* & lib. II. cap. XI. *Unde & mundanus dicitur, quia mundus proprie cælum vocatur.* Ac ſane Servius ad v. *Eclog. Virg.* ex Porphyrio affirmat per Apollinis lyram, cæleſtem monſtrari harmoniam. Crediderunt plerique ex antiquis philoſophis, vere ſonum excitari ex cæleſtium circulorum motionibus: at eam ſententiam exploſit jure optimo magnus Ariſtoteles: intelligenda eſt igitur univerſi harmonia, cum in ſtellarum corporibus, orbium intervallis, converſionum celeritatibus apto ordine diſpoſitis, nullo tamen edito ſono; tum in concinna elementorum compage, ac etiam in tempo-
B rum viciſſitudinibus æquabili dimenſione ſibi mutuo ſuccedentibus; quæ omnia regere Sol videtur *dux* (ut ait Cicero) *& princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio.* Cæterum Apollinis lyram ſeptichordem fuiſſe, liquet ex Macrobio I. *Saturnal. Lyra Apollinis chordarum ſeptem tot cæleſtium ſphærarum motus præſtat intelligi, quibus Solem moderatorem natura conſtituit.* Sidonius quoque Epithal. Polemii, & Araneolæ ad idem exemplar ſervatum ait eſſe ſeptenarium numerum in lyra, cithara, fiſtula: ſic apud Euripidem *Iphigen. in Taur.* Chorus de
C Apolline verba faciens nominat κέλαδον ἑπτατόνου λύρας. Fabulam ſectatur Callimachus *hymno in Delum*, quum ait, hunc numerum ideo ab Apolline electum, quia matre ipſum pariente modulantes olores ſepties inſulam volatu cinxerant. Septenarium ſane numerum Phœbo ſacrum eſſe tradit Plutarchus IX. *Sympoſ.* & lib. de EI apud Delphos: verum Fulgentius primo *Mytholog.* Apollinari lyræ decem dat chordas, quod humanæ vocis decem eſſe modulamina dicat. Ad noſtram Tabulam quod attinet, neutrum numerum ſervaſſe ſculptor videtur.

D

## CUMULI LAPIDUM.

PRÆTEREUNDI in Tabula non ſunt lapidum cumuli, quibus clavæ Herculanæ, Mercurialeſque virgæ innituntur: neque enim temere crediderim eſſe exculptos. Repetendum eſt igitur memoria hoſce lapidum acervos in triviis erigi ſolitos a prætereuntibus in Hermularum honorem: λίθοι σεσωρευμένοι εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ, *lapides aggerati in honorem Mercurii* dicuntur a Scholiaſte Nicandri in *Theriaca*: in Anytæ epigrammate IV. Antholog. cumulus ipſe ita loquens inducitur:

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παραστείχοντες ἔχευαν
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν. ———
E *Sacram Mercurio me prætereuntes fuderunt*
*Homines lapidum congeriem.* ———

Heſychius, Ἑρμαῖος λόφος, τοὺς σωροὺς τῶν λίθων Ἑρμοῦ τοὺς ἐν τοῖς ὁδοῖς γινομένους εἰς τιμὴν τοῦ Θεοῦ. ἐνόδιος γὰρ, *Mercurialis acervus ſignificat cumulos lapidum Mercurii in viis coacervatos in ejus dei honorem; eſt enim vialis*: ac profecto ἐνόδιον dictum eſſe Mercurium quaſi viarum præſidem, alibi quoque teſtatur Heſychius: Ἐνόδιος, inquit, Ἑρμῆς πύρῳ: quidnam eſt illud πύρῳ? nihil ſane. Phavorinus in lexico legiſſe videtur ἐν πάρῳ: at
F non ſatisfacit: neque enim tantummodo in inſula Paro Mercurium vialem venerabantur, ut Syntag. IX. *de Diis Gent.* ſenſiſſe videtur Gyraldus deceptus, opinor, vulgata Heſychii lectione: depravatum eſſe locum autumo ex ſcripturæ compendio, ut ſepe accidit, legendumque ἐν παρόδῳ. nam & hujuſmodi lapidum ſtrues dictas inſpicimus in Sibyllinis carminibus ἐν παρόδοισι λίθων συγχώματα. ac de Mercurio ita Phurnutus: ἵδρυται δὲ καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς. καὶ ἐνόδιος λέγεται, καὶ

ἡγεμόνιος, ὡς ἂν τῷ εἰς πᾶσαν πρᾶξιν ἡγεμόνι χρῆσθαι, *in viis collocatur, ac vialis dicitur, & dux, ut eo duce rebus in omnibus uterentur*: præsertim vero ἐν ταῖς ὁδοῖς ταῖς ἀδήλοις, *in viis ambiguis*, ut ex Damascio refert Suidas; hoc est, in triviis, & quadriviis. Proinde non prorsus assentior Isidoro ajenti in glossis: *Mercurius, lapidum congeries in cacumine collium*: nam positus Mercurius in regione quadam clivosa ita conquerens inducitur lib. IV. Antholog.

Οὐ γὰρ ὄρεσι χαρὴς Ερμᾶς, οὐδ' ἀκρολοφίταις,
Τὸ πλεῦν δ' ἀτραπιτοῖς ὧ νέρ ἀρεσκόμενος.

*Non enim montibus delector Hermes, nec in collibus versor summis,*
*Sed ut plurimum itineribus gaudeo.*

nisi mendum sit in verbis Isidori, ac dicamus, alludere ad formam voluisse, qua struices illæ aggerabantur: id enim fiebat in colliculi, seu metæ speciem; ideoque scorpiones vocabantur. Siculus Flaccus *de Condit. agror. alii congeries lapidum pro terminis observant, & scorpiones appellant*: & iterum: *si vero pali lignei pro terminis dispositi sunt, aut congeries lapidum acervatim congestæ sunt, quos scorpiones appellant, &c.* ex eo quod σκορπίος Græcis dicebatur capillorum in pueris tutulus in conum fastigiatus, ut Scaliger observavit Commen. ad Ætnam. Porro statuebantur pro terminis hujusmodi acervi, quia in Mercurii honorem aggerati, qui terminalis est Deus. Dissimulare tamen nequeo, etiam in montibus id terminorum genus quandoque positum: patet ex verbis Frontini lib. *de Coloniis*, ubi de Agro Ecicylano loquitur: *Termini vero rotundi, & spatulæ cursoriæ constitutæ; per montes vero congestiones petrarum, & termini*. Incertum, unde mos iste fluxerit: plures tamen originationes congerit Phurnutus: προσσωρεύουσι δὲ τοὺς λίθους τοῖς Ερμαῖς· ἕκαστος τῶν παριόντων, ἕνα τινὰ αὐτοῖς προστιθεὶς, ἢ ὡς χρήσιμόν τι καὶ κοινωνικὸν τὸ π[illegible] ἕκαστος ποιῶν, διὰ τὸ καθαίρειν τὴν ὁδὸν, εἴτε μάρτυρα ποιούμενος τὸν Ερμῆν, εἴτε ὡς ἐπισημαινόμενος τὴν εἰς αὐτὸν τιμὴν, εἰ μηδὲν ἄλλο ἔχειν προσφέρειν αὐτῷ, εἴ τε εκδηλότερον τοῖς παριοῦσι τὸ ἀφίδρυμα ποιῶν, εἴ τε πρὸς σύμβολον τοῦ ἐκ μικρῶν μερῶν συνεστάναι τὸν προφορικὸν λόγον, hoc est, *accumulant Mercuriis lapides, quicumque enim illac præterit, unum adjicit, sive tanquam utile quid faciens, quodque omnium communiter intersit, dum via purgatur, sive obtestans Mercurium, aut ut venerationem ipsi exhibeat, si nihil præterea habeat, quod ei offerat; sive ut Mercurii collocationem prætereuntibus faciat manifestiorem; aut innuat, ex modicis partibus orationem constare*. Ex caussis, quas affert, prima valde arridet: ut enim sus Cereri, Baccho mactabatur hircus, quia hic vitem lædit, ille segetes, ita Mercurio viarum præsidi struem erigebant saxorum, quæ per vias sparsa impedimento videntur esse itineribus. Huc fortasse respexit Virgilius in epitaphio insigni cujusdam latronis:

*Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus:*
*Nocte, die tutum carpe viator iter.*

siquidem peremptum grassatorem viatoribus infestum sub acervo lapidum tumularunt, quasi Mercurio viatorum deo trophæum erigerent, aut anathema quoddam dicarent. Fors autem veram hujusce consuetudinis caussam prætermisit Phurnutus: quum enim superstitio inolevisset Hermas statuendi ad terminorum custodiam, aut viarum indicium, id persæpe rusticorum manu fiebat, qui falce pro scalpro utebantur. Virgilius in *Culice*:

*Illi falce deus colitur, non arte politus.*

nec absurdum fuerit existimare, quosdam sat habuisse, saxa coacervare rotundum lapidem ad capitis similitudinem in fastigio adaptantes: postea usu invalescente, quum sacri censerentur Mercurio hujusmodi acervi, erigi quoque cœperunt ad ipsius simulacra. Nescio, an quid tale voluerit Servius a Danielio publici juris factus, cujus hæc sunt verba ad VIII. *Æneid.* dum loquitur de Mercurio, filiisque Chorici Arcadiæ regis: *quem quum illi in monte dormientem invenissent, manus ei amputaverunt; unde & ipse* Cyllenius, *& mons dicitur: nam Græci* κυλλοὺς *aliqua mutilatos parte corporis dicunt: unde etiam* hermos *vocamus quosdam stimulos in modum signorum sine manibus*: videtur legendum *unde etiam* Hermas *vocamus quosdam tumulos in modum, &c.* nisi pro *stimulos*, quis malit *stipites*: tam enim lignei, quam lapidei statuebantur Hermæ. Ulpianus Demosthenis Scholiastes: ξύλα, ἢ λίθοι τετράγωνοι ἦσαν ἔχοντες ὄψιν Ερμοῦ ἐπάνω· κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει τὰ ἐπιγράμματα, *ligna seu lapides erant quadrati, Mercurii faciem desuper habentes, subter vero in corporis planicie epigrammata*. Hinc etiam qui pali dicebantur, ad quos tyrones se exercebant, ligneique dubio procul erant, in Hermularum formam effingebantur, ut cernere licet ex pavimento tessellato veteri, quod Augustæ Vindelicorum extat, cujus accuratam delineationem addit Cl. V. Marcus Velserus politissimis suis commentariis. Ovidius II. *Fastor.*

*Termine, sive lapis, sive es defossus in agro.*
*Stipes, &c.*

Tibullus lib. I. Eleg. prima:

*Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,*
*Seu vetus in trivio florea serta lapis.*

Lactantius lib. I. cap. XX. *Et huic ergo publice supplicatur, quasi custodi finium deo, qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est*: at videntur statuæ omnes priscis temporibus informi illa forma effingi solitæ, unde *Hermarum* nomen datum singulis. Tzetzes Chiliade XII.


Ερμῆς καὶ σύμπας ἀνδριὰς καὶ ὁ σωρὸς τῶν λίθων,
*Hermes & omnis statua, & cumulus lapidum.*

quin Strabo lib. XV. Hermam appellat hominem quendam brachiis carentem. Scribit vero Tzetzes Chiliade prima, statuas prius effingi solitas sine manibus sine pedibus: primum fuisse Dædalum, qui manus addidit, pedesque, & perfectas effecit; unde orta fabulosa persuasio, moveri solitas Dædali statuas. Idem testatur Suidas, & Themistius Orat. XVI. apud quem pro τετράπους, rescribendum conjectaveram τετράπλευρα, aut quid simile; at Petavio assentior viro docto, & eleganti, qui monet, illa voce non quadrupedem eo loco significari, sed informem statuam, ac pedibus indistinctis: *quadripedem* dicerem, hoc est, quadrato pede, modo per Latinos censores liceret. Ut vero ad lapidum congestiones revertamur, ejus moris originem ad fabulam deflectit Didymus ex Anticlide ad XIV. *Odyss.* ait enim, Mercurium propter Argi necem reum coram diis a Junone actum, judicum sententiis damnationem evasisse, calculosque omnes atros albosque ad ejus pedes a judicibus projectos: exinde consuevisse mortales, quos in media via lapides offenderent, ad latus in cumulum coacervare honorandi Mercurii gratia: quod si nobis quoque licet in sectandis fabulis ἑλληνίζειν, sciendum, tributam fuisse Mercurio τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικὴν, *vaticinationem per calculos*, quam ex Apolline didicisse, refert Apollodorus Atheniensis lib. III. atque horsum etiam trahi posset consuetudo illa coacervandorum lapidum. Quid vero dicendum de Hercule Saxano? siquidem & Hercules non minus quam Mercurius vialis deus, ac terminalis censebatur. Pluribus id patere potest argumentis, at abunde testabuntur versiculi ex Epigr. Leonidæ lib. I. *Floril.*

Ωτἄνδε στείχοντες ἀταρπιτὸν, οἵ τε ποτ' ἀγρὸς
Δαμόθεν, οἵτ' ἀπ' ἀγρῶν νεῖσθε ποτ' ἀκρόπολιν,
Αμμες ὅρων φύλακες, δισσοὶ θεοὶ, ὧν ὁ μὲν Ερμᾶς,
Οἷον ὁρῆς μ', ἕτος δ' ἅτερος Ηρακλέης, &c.

*Qui hanc properatis viam sive ad agros*
*Ex oppido, sive ab agris tenditis ad urbem,*
*Nos terminorum custodes duo dii, quorum hic quidem Mercurius,*
*Ut vides me, hic autem Hercules, &c.*

nec mirum, hosce deos terminis, atque itineribus præfectos fuisse, quum utrumque maria, ac terras circumcursantem finxerit antiquitas, illum tanquam nuntium, hunc tanquam singulas regiones ab infestis monstris, & tyrannis liberantem. Quin ait Dionysius Halicarn. Herculem in desertis locis urbes condidisse, flumina divertisse, quæ campos inundarent, excisis petris aperuisse vias in montibus, semitas in viis, aliaque molitum, quæ mortalium usui esse arbitratus foret. Porro Herculis Saxani mentio est in antiqua inscriptione Tiburtina: id cognomentum fortasse an adeptus est ex fabula, cujus meminere Æschylus in *Prometheo*, Strabo lib. IV. & Hyginus lib. *Astron.* Ajunt siquidem innumera barbarorum multitudine oppresso quondam Herculi deficientibus telis Jovem suppetias tulisse magna vi lapidum, quibus ille sese tutatus hostes fugavit. Aliam de saxis enarrat fabulam Apollodorus libro secundo; Hercule nimirum obsidente Ilium, Telamonem, qui cum eo erat, priorem ingressum esse urbem, quumque Herculem id ægre ferre animadvertisset, proximos adjacentes lapides colligere aggressum, Hercule vero quidnam faceret interrogante, aram se Herculi Callinico excitare, respondisse: eamque rem ab Hercule laudatam. Tertia ex Ovidio addi potest lib. ult. *Metamor.* de judiciariis calculis: nam quum Mycilus quidam damnandus esset, voto Herculi facto calculi omnes, qui nigri in urnam demissi fuerant, albi extracti sunt. Sed nonne & Apollo terminalis, vialisque deus? id arguit nummus Augusti, cujus ectypon hic exhibemus sumptum




ex commentariis Lævini Torrentii ad Suetonium: nisi forte in radiorum conjectatione eadem hic fuerit pictoris hallucinatio, quæ ipsi Torrentio imposuit in nummo Jovis Anxuri, de quo superius. Verum qui Augustum recordatur filium se Apollinis ambitiosè venditantem, facile sibi persuadebit, terminum cum fulmine ab eo cusum in nomismate ad suum illum σπεῦδε βραδέως indicandum, Apollinis, sive Solis caput magis quam alius numinis prætulisse: sane enim Apollinis simulacra eodem, quo quadrati Hermæ, opificio quandoque elaborata, suggerit Pausanias lib. VIII. Nec ab re Ἀγυιεὺς, hoc est, *viarum præses* vocatus est Apollo, ut Macrobius asserit, ejusque simulacra quemadmodum & Mercurii, Herculisque in viis statuebantur: docet Phurnutus; ἀγυιεὺς δὲ ἐπονομάζεται δεόντως ἱδρυνθεὶς ἐν ταῖς ἀγυιαῖς. καταυγάζει γὰρ ταύτας, καὶ πληροῖ φωτὸς ἀνατέλλων. *Agyeus merito nominatur, utpote cujus statuæ in viis collocantur: has enim exoriens irradiat, & lumine implet:* propterea statuarum Apollinis Agyei non semel meminit Pausanias. Non absimili nomine appellabantur la-

A pides quidam Apollini dicati, quos in vestibulis statuebant. Suidas: ἀγυιεὺς δέ ἐστι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱστᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. ἰδίως δέ φασιν αὐτοὺς εἶναι Ἀπόλλωνος, οἱ δὲ Διονύσου, οἱ δὲ ἀμφοῖν. *Agyeus est cippus in acumen desinens, quem pro foribus collocant: hosce vero dicunt quidam Apollini sacros esse, nonnulli Baccho, ambobus alii;* hic sane lapis simulacrum illud Solis sive Heliogabali apud Phœnices referre videtur, quod nihil aliud esse tradit Herodianus lib. v. quam ingens saxum ab imo rotundum, ac sensim fastigiatum, ad coni propemodum formam. Quod vero sacrum etiam Baccho censebatur, inde palam fit, ipsum quoque Bacchum viarum præsidem existimatum: quum enim B & is terrarum orbem obiisse dicatur, quid mirum, si vias optime callere putaretur? Apud eos sane, qui vetera monumenta colligunt, non paucas videre est terminales statuas, hoc est, quadratos Hermas cum Bacchi capite, sive etiam Priapi, qui Bacchi filius, necnon Panos, Sileni, satyrorum, qui ejusdem comites ferebantur, hinc Silvanus *tutor finium* Horatio dicitur: ac Bacchi simulacra ante fores ædium statui solita, testatur Suidas verbo Μορότερος: nam de Mercuriis nota res ex Thucydide, aliisque, iter enim recte auspicari credebant C salutato deo itineris præside: ut apud Petronium navem conscensuri adorant sidera, quæ navigationi præesse putabant. Viatores itaque quum in Hermas incidissent, lapidem venerabundi in cumulum projiciebant: cujus rei mentio quoque est *Proverb.* cap. XXV. *sicut qui lapidem mittit in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem*: sic habet Vulgata Versio, quam tuetur præ cæteris Martinus Delrius in *Adagial. sacris*, ubi etiam fuse hunc morem persequitur: at Beda recte interpretatur, eum, qui stulto honorem defert, perinde errare, atque is, qui vanum Mercurii numen colit: nam lapidum illa projectio in acervum, quoddam erat D (ut diximus) venerationis genus. Eleganter vero Proverbiorum auctor stultum præcipue confert Mercurio, qui apud Ethnicos disciplinarum Deus habebatur, quasi eorum quoque sugillet stultitiam, qui id crederent, & vanitatem carpat vani illius cultus: ut omittam stolidos, ac bardos Hermulis illis comparari solitos, qui capite tantum insigniti cætera informes erant: Juvenalis sat. VIII.

*Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.*

Cæterum prophanus hic mos ad hanc usque diem traductus viget quibusdam locis penes rusticos, ac prorsus ignaros homines: siquidem iter facientes saxa, aut glebas ad sacella congerunt, quæ in tri- E viis, aut quadriviis excitari solent. Interrogati quidam in agro Patavino, cur id agerent? *nimirum* (responderunt) *ut viæ fastidium allevetur*: idque ajebant ab antiquis quasi per manus traditum. Porro apud Veteres quoque non modo saxa, sed & glebas existimari potest in acervum conjectas, ut de cespitibus videtur innuere Festus Avienus in *Ora maritima*:

*Est Herma porro cespitum munitio.*

---

F

## PARS ALTERA.

SCITUM est, quod animadvertit Tertullianus, Ethnicos, ubi fabularum puderet, quas de Diis commenti fuerant, ad interpretationem rerum naturalium confugisse, ac dedecus suum ingenio obumbrasse. Diaboli ea fuit versutia, uti specie lucis excæcaret, quemadmodum ajebat Lactantius: nam quum doctis viris nequaquam satis esse inspiceret poetarum auctoritatem ad falsas de Diis opiniones comprobandas, ansam præbuit immorandi, ingeniumque exercendi circa moralia ac

A physica interpretamenta, ut hoc saltem nomine inania illa figmenta, quæ vulgaribus hominibus imposuerant, neutiquam damnarent. Empedoclem præcipue deorum naturas ad elementorum facultates adaptasse testatur Athenagoras. Sed & passim id receptum, liquet omnibus, qui libros evolvunt. Hoc quoque voluisse Tabulæ nostræ auctorem, nullus dubito: ac aliqua forsitan superstitione ad id ductus fuit, observare enim licet, effigies illas, quæ mysticas rerum naturalium allegorias continerent, pro amuletis habitas: hinc turpiculæ illæ res, quæ pueris collo suspendebantur, ut Varro ait, ad avertendum fascinum: hinc Hori imago B tot annularibus gemmis scalpta, tot æreis prœbiis cusa: atque alia hujusmodi: apud eos sane, qui vetera monumenta conquirunt, asservantque, quamplures inspexi gemmarum sculpturas, quæ Tabulam nostram æmulari videntur: duas ex his exprimendas hic curavi, in quibus Mercurialis virga in clavam Herculanam abit: altera vero & spicas habet, & papavera: altera Delphinem, & Amaltheæ cornu.



C

Per Delphinem significari Apollo poterat, qui in eum piscem commutatus quondam dicitur, quemadmodum refert Homerus *hymno in Apoll.* ut omittam in antiquis etiam nummis Delphinem inspici tripodi superpositum. Ac profecto sacrum fuisse Apollini apertis verbis tradit Servius ad lib. III. *Æ-* D *neidos*. Sunt etiam qui existiment, apud Lycophronem sub nomine *δελφῖνος σειρίυ* Solem intelligi: atque ex hoc pisce Apollinem cognominatum esse *δελφίνιον* testatur Porphyrius lib. II. *de Abstin.* ac fortasse sacri censebantur delphines Apollini, sive Soli ob pernicitatem, & præradiantes oculos;

——— ἐπὶ γὰρ βέλος ὥς τε θάλασσαν
Ἵπτανται, φλογόεν τε σέλας πέμπυσιν οπωπαῖς
Ὀξύτατον. ———

——— *nam teli instar per mare*
*Volant, flammeumque lumen emittunt oculis*
*Acutissimum.* ———

E ait Oppianus *Halieut.* lib. I. Et sane non aquatilium modo bestiarum, sed & terrenarum omnium esse Delphinum velocissimum tradit Aristoteles lib. IX. cap. XLVIII. *de Hist. anim.* quod & ipsum refert Ælianus lib. XII. hinc Plinio lib. IX. cap. VIII. *Ocyor volucre, ocyor telo* dicitur: ac de naturæ leonis (quem Soli sacrum esse docuimus) cum Delphino similitudine vide eundem Ælianum lib. XV. cap. XVII. Porro copiæ cornu indicare Bacchum poterat, is enim fructibus præerat (ut mox ostendemus) autumnique censebatur dominus: ac de autumnalibus pomis ita loquutus est Ovidius IX. F *Metam.*

*Incessit, totumque tulit prædivite cornu*
*Autumnum.* ———

Verum ubertatem rerum atque affluentiam hisce designari symbolis, nemo non percipit: clava Herculis malorum indicat depulsionem, Mercurii virga largitionem bonorum: siquidem apud Homerum hymno in Mercurium Apollo caduceum Mercurio spondens ita loquitur:

Ὄλβυ, καὶ πλέτυ δώσω περικαλλέα ῥάβδον,
*Felicitatis, & divitiarum dabo pulchram virgam.*

id terra, marique contingere optabant, ideoque cornu illud Amaltheæ, & Delphinum adjecerunt: nam, ut canit Phocylides apud Stobæum,

Ἀγρὸν γάρ τε λέγυσιν Ἀμαλθείας κέρας εἶναι,
*Agrum esse dicunt Amaltheæ cornu.*

nec absonum est, mare per Delphinum designari, qui cæterorum piscium quodammodo rex est: reliquis enim præstare aquatilibus ait Oppianus, quantum præstant aquilæ volucribus, leones feris, dracones reptilibus. De spicis & papaveribus, quæ in altera gemma visuntur, quid attinet dicere, fertilitatis esse indicia, quum id compertum sit omnibus? Eusebius profecto III. *Præpar. Evang.* spicas, & papavera Cereri adscribi tradit, quod & Phurnutus scribit. Porro hujusmodi symbola quum passim usurparentur, Senatus Commodum Imperatorem adulans deflectere ea voluit ad felicitatem illorum temporum indicandam, cuso nummo, cujus exem-



plum hic exhibemus, quale etiam impressum extat in Antoni Augustini dialogis *de veter. num.* eoque magis, quod per Herculanam clavam Commodus ipse designabatur, qui Herculem se dici, & credi insano jussu volebat: adjuncta sunt autem Copiæ cornua, nam, ut ait Dion Prusiæus, *τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας μηνύει τὴν τῶν ἀγαθῶν δόσιν τε καὶ εὐδαιμονίαν*, *Amaltheæ cornu bonorum indicat largitionem, & felicitatem*. Quocirca, si divinare licet, Tabulæ nostræ auctor eam fortasse pro amuleto in sua quapiam villa ad agrorum conspectum affixerat, ut Soli ubertatis largitori hoc honore exhibito, rerum fœcunditatem ex agris provenientium sibi polliceretur, sive ex æqualiter librato quattuor elementorum temperamento, sive ex quattuor anni temporibus felici decursu succedentibus. Neque divinationem hanc nostram prorsus irrisum ibit, qui legerit apud Constantinum Cæsarem lib. II. ad herbam disperdendam, quæ leguminibus infesta, appingi a quibusdam in testis consuevisse Herculem leonem suffocantem, easque testas in angulis, medioque arvo apponi solitas: adeo superstitionibus addicta erat antiquitas.

---

## QUATTUOR APOLLINIS ARTES.

QUOD si non omnino quis amet, allegoriam elicere physicis rationibus fultam ex fabulosis hisce argumentis; scire tamen aveat, quid Tabula universa denotet, hoc est, quid sibi voluerit Tabulæ auctor, dum quattuor illa numina, sive eorum *παράσημα* simul conjunxit, satis sibi factum fortasse putaverit, si dixerimus, quattuor Apollinis attributa innui, sagittandi scilicet peritiam, divinationem, musicam, medicinam: quæ Callimachus Hymno in Apollinem hisce versibus enumerat:

Τεχνῃ δ' ἀμφιλαχρίς ἔτις τόσον ὅσσον Ἀπόλλων.
Κεῖνος ὀϊςευτὴν ἔλαχ' ἀνέρα, κεῖνος ἀοιδόν.
Φοίβῳ γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται καὶ ἀοιδή.
Κείνου δὲ θριαὶ, καὶ μάντιες. ἐκ δέ νυ Φοίβου
Ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.

*Arte preterea nemo tam copiosus, quam Apollo.*
*Ille sagittatorem sortitus est virum, ille poetam,*
*Phœbo enim & sagitta curæ est, & carmen.*
*Illius etiam sunt calculi sortilegi, & vates; ex Phœbo item*
*Medici didicerunt depulsionem mortis.*

& Horatius carmine seculari:

*Augur, & fulgente decorus arcu*
*Phœbus, acceptusque novem Camœnis,*
*Qui salutari levat arte fessos*
*Corporis artus.*

Apud Ovidium quoque I. *Metamor.* Phœbus ipse Daphne fugienti hasce quattuor artes jactat. Sed & apud Maronem XII. *Æneid.* Japis medicus iisdem muneribus a Phœbo donatus traditur. Apollo itaque arcu pharetraque instructus, qualem in Tabula inspicimus, jaculandi artem, peritiamque designabit, hoc enim præcipuum ejus munus: quo fit, ut tam sæpe apud Homerum, aliosque poetas ἑκατηβόλος, ἑκατηβελέτης, ἑκάεργος, κλυτότοξος. ἀργυρότοξος, χρυσότοξος, τοξότης, τοξοφόρος audiat, ut & a Latinis scriptoribus cognominatur *jaculator, sagittarius, sagittiger, sagittipotens, arcupotens, arcitenens, pharetriger, vulnificus*: unde *telorum deus* a Tertulliano κατ' ἐξοχὴν dicitur in libro *de Corona milit.* At vaticinatio per Bacchum intelligetur, siquidem in Thracia adytum fuisse fertur Libero patri consecratum, ex quo ederentur oracula a vaticinatoribus, qui plurimo se mero imbuissent, quod Macrobius primo *Saturnal.* ex Aristotele, qui Theologumena scripsit, didicisse se refert: & liquido Euripides de Baccho loquens:

Μάντις δὲ ὁ δαίμων ὅδε, καὶ γὰρ βακχεύσιμον,
Καὶ τὸ μανιῶδες, μαντικὴν πολλὴν ἔχει.
*Vates vero deus hic est, etenim ipsa bacchatio,*
*Ipsaque insania magnam vaticinandi vim habet.*

quod & Plutarcho lib. *de Oracul. defectu* probatur: quapropter in Bacchi certaminibus victoris præmium Tripus erat, congruus veritatis index, ut lib. II. ait Athenæus, quia scilicet non mentiantur ebrii,

*Condita quum verax aperit præcordia Liber,*

ut inquit Horatius. Medicinam nemo ambiget per Herculem significari, cui ἀλεξικάκου cognomentum adhæsit, quique mortem vicisse traditur: ejus siquidem institutum fuit orbem peragrare, ut ingruentes passim morbos depelleret, quos poetæ tyrannorum, monstrorumque nominibus indigitarunt, utpote corporum carnifices, ac voratores: ὡς γὰρ ὑπὸ θηρίων, οὕτω δὲ ὑπὸ νόσου φθείρονται αἱ σάρκες, *ut enim a feris, ita & a morbo corrumpuntur carnes*, ait Artemidorus lib. secundo cap. LIX. sed & cap. XII. leonem efferatum præsagire morbum tradit; esse enim morbum eæ feræ similem: ut mirum non sit, tributum Herculi exuvium leonis tanquam Averrunco, morborumque triumphatori. Musicam vero per Mercurium innui, quis eat inficias? is enim musicæ inventor fuisse fertur, primusque lyræ compactor, qua non tantum Amphionem, sed & Apollinem, Musasque ipsas instruisse dicitur. Philostratus primo *Iconum*: τὴν λύραν τὸ σόφισμα πρῶτος Ἑρμῆς πήξασθαι λέγεται κεράτοιν δυοῖν, καὶ ζυγοῦ καὶ χέλυος, καὶ δοῦναι μετὰ τὸν Ἀπόλλω, καὶ τὰς Μούσας, Ἀμφίονι τῷ Θηβαίῳ δῶρον. *lyram scitum inventum primus Mercurius compegisse perhibetur, ex gemino cornu, jugo, & testudine; & post Apollinem, & Musas, dono dedisse Anphioni Thebano.*

A

## QUATTUOR MUNDI ELEMENTA

SATIUS tamen duco, physicam interpretationem Tabulæ argumentis accommodare: quumque lyram in medio inspiciamus musicæ indicem, mundanam vero musicam fateatur Boetius ex quattuor elementis constare, quod & Sidonius innuit in Epithalamio Polemii, & Araneolæ,

*Harmoniam dicens etiam, quod quattuor istis*
*Sic sedeant elementa modis, &c.*

existimari jure potest, quattuor hisce numinibus B quattuor universitatis initia adumbrari, quippe quæ a Sole regi videantur, vimque omnem sibi congruentem haurire: atque huc trahunt quidam quadrigas Soli tributas. Martianus:

*Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis,*
*Quod solus domites, quæ dant elementa, quadrigam.*

Tertullianus etiam, & Isidorus de coloribus agentes, quibus utebantur Circenses agitatores (Circus enim Soli consecratus) præter alia, quæ adhibent interpretamenta, primis quattuor principiis eosdem accommodant, russeum igni, album aeri, a- C quæ cæruleum; qui *Venetus* dicebatur, terræ viridem, quem *Prasinum* appellitabant. Jaculator itaque Apollo ignis erit symbolum ob ejus elementi vim acutam, ac penetrabilem: nam & Porphyrius apud Eusebium tertio *de Præparat.* ignitam in Sole vim Apollinem dictam refert ἀπὸ τῆς τῶν ἀκτίνων αὐτοῦ πάλσεως, *a radiorum ipsius vibratione*: quanquam pro αὐτοῦ πάλσεως mallem ἀναπάλσεως: neque enim facile fit obviam apud scriptores vox illa πάλσεως. Sane vero si veterrimos poetas, & philosophos excutias, haud temere aliud penes ipsos reperies ignis elementum, quam Solem, aut etiam cælum ipsum, quem *æthera* nominabant. D Aera Mercurius refert, qui alatus ideo fingebatur, ac tam ad superos, quam ad inferos volitare, fluidus enim aer est, perviusque volantibus, nec minus superiora pertingens, quam inferiora: audi Senecam de aere ita loquentem II. *natur. quæ. Hic est, qui cælum, terramque connectit, qui ima, ac summa sic separat, ut tamen jungat: separat quia medius intervenit: jungit, quia utrique per hoc inter se consensus est*: atque huc pertinere posset Mercurii etymon, si Arnobio assentiri liceret existimanti, sic dictum, quasi *medicurrium*. Id etiam indicat veteris gemmæ

E




F scalptura, symbola præseferens quattuor elementorum, cujus ectypon ex Abrahami Gorlæi dactyliotheca desumpsimus: fulmine enim ignis designatur, aqua Delphine, terra trunco arboris radicitus evulsæ, aer vero Mercurii caduceo: ac sane sedem ei constituebant in aere: unde inter cæteros dæmonas, quos Dio lib. LXXI. a quodam mago evocatos scribit ad pluviam eliciendam, nominat quoque Ἑρμῆν τὸν ἀέριον. Quamquam ad historiam

quod attinet, falſum eſt quod ſcribit Dio, & tangit Claudianus Panegyrico in VI. Conſulatum Honorii. Ea enim pluvia Chriſtianorum precibus fuit impetrata, nempe legionis quæ poſtea fuit dicta *fulminatrix*. Porro aquam merito Bacchus denotabit, quum eum exiſtimarent veteres mythologi *πάσης ὑγρᾶς φύσεως κύριον, καὶ ἀρχηγὸν, naturæ omnis humidæ dominum, auctoremque*, ut ait Plutarchus lib. *de Iſide & Oſir.* ideoque appellatus ὕης, ut præter eundem Plutarchum aſſerit quoque Suidas teſtem laudans Clidemum. At ex Herculis armis clava ſcilicet, ac leonina pelle terram innui non inepte quis cenſeat: clava ſiquidem plantas deſignare poteſt, animalia leo, quæ duo terra gignit, alitque, nam *αἰτία γενέσεως, καὶ διαμονῆς ζώων ὁμοῦ, καὶ φυτῶν ἐστιν, cauſſa eſt generationis ac perpetuationis animalium ſimul omnium, & plantarum*, ut ait Philo *de mundi opific.* Herculanam clavam ex olea fuiſſe, patet ex Apollonii Rhodii lib. IV. qui etiam vocat ὄζον ἐλαίης: ſive ex oleaſtre, quippe illam Theocritus *βάκτρον ἐπηρεφέος κοτίνοιο*, & iterum *ἀγριέλαιον* nominat, atque id genus arboris hocce ſimbolum præ cæteris idcirco geret, quod longiſſimæ ſit vitæ, ut Theophraſtus, & Plinius tradiderunt, ac tantam habeat cum terra affinitatem, ut ſicci caudices infoſſi germinare dicantur. Virgilius II. *Geor.*

*Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)*
*Truditur e ſicco radix oleagina ligno.*

quin Theophraſtus II. *de Hiſt. plant.* oleam penitus aliquando aduſtam regerminaſſe tradit, & lib. V. idem accidiſſe cardini januæ oleagino, & poculo in limum projecto. Ejus rei cauſa eſſe videtur, quam idem Theophraſtus primo *de Cauſ. plant.* cap. III. innuit, hujuſmodi ſcilicet plantas ob ſui corporis pinguedinem, ac ſpiſſitatem exſiccatu difficiles vitale illud, ac genitale ſervare principium, & minime ſiccas eſſe, quum ſiccæ videantur. Quocirca nihil erat cauſſæ, cur Pauſanias fidem ægre accommodaret narrationi de clava Herculis, quam terræ olim infoſſam germina emiſiſſe tradunt. Leonem vero, nemo eſt, qui ambigat, præcipuum eſſe ex brutis animantibus, & quendam in cæteros fortitum eſſe principatum, ac propterea magnæ matris tutelæ adſcriptum, quæ telluris dea dicebatur; quemadmodum draconem tribuerunt Cereri, quæ pars humi frugum conceptrix, Proſerpinæque mater a *ſerpendo* nuncupatæ; aquilam Jovi ætheris, aeriſque domino; Delphinum Neptuno maris præſidi. Quapropter ſub poeticis fabulis, quæ tam Bacchum, quam Herculem ignis vi ad ſuperos translatos referunt, illum videlicet ex combuſto matris utero, hunc ex ardente in Oeteo vertice pyra, phyſica ratio latere videtur: nam quum Herculem terram, aquam vero Bacchum dixerimus, terreas exhalationes, aqueoſque vapores caloris ope ad ſuperiora elevatos intelligere poſſumus.

## QUATTUOR ANNI TEMPORA.

At vero crediderim potius, quattuor temporum vices, quibus annus concluditur, hujuſce Tabulæ ſymbolis deſignari: id enim præcipuum Solis munus, ut ſigniferum percurrat circulum,

*Temporibuſque parem diverſis quattuor annum*

(ut canit Virgilius) efficiat: nam *veris clementem teporem*, (verbis utor Macrobii lib. I. *in Somn. Scip.*) *torridum cancri, ac leonis æſtum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris, inter utramque temperiem, omnia hæc Solis curſus, & ratio diſpenſat*: quin ſingula hæc Solem ipſum eſſe, videtur fateri vetus poeta illo verſiculo:

*Sol æſtas, autumnus hiems, Sol ver quoque gratum.*

eam ob cauſſam quadrupes ab Orpheo in hymnis dici Sol videtur:

Κρᾶσιν ἔχων ὡρῶν τετραβάμοσι ποσὶ χορεύων,

*Temperamenta habens temporum, quaternis pedibus tripudians.*

nec aliunde ortum poetarum figmentum quadrigas Soli tribuentium: idque idem Orpheus innuit, quum ait: *τετραώρων ἅρμα διώκων: quattuor temporum currum agens*: ſic enim legendum, lex carminis jubet, non ut in vulgatis codicibus τετραόρον) quam ſententiam amplecti viſus eſt Commentator Germanici Cæſaris, quum inquit: *Huic quoque illam ob cauſſam, quod aut quadripartitis temporum varietatibus anni circulum peragat, id eſt, verni, æſtatis, autumni, & hiemis; aut quod quadripertito limite diei metitur ſpatium......* decurtatum locum ſanare poteris hoc additamento, *quadrigam adſcripſerunt*: nam eadem fere verba habet Fulgentius II. *Mytholog. Huic quoque quadrigam adſcribunt illam ob cauſſam, quod aut quadripertitis temporum varietatibus anni circulum peragat, aut quod quadrifido limite diei metiatur ſpacium*: conſonat etiam quod ait Iſidorus XVII. *Orig. Quadrigas ideo Soli jungunt, quia per quattuor tempora annus vertitur, ver, & æſtatem, autumnum, & hiemem*. Quoniam vero Circus (ut diximus) Soli conſecratus erat, quattuor colores, quibus agitatorum factiones induebantur, & currus ornabant, appoſite crediti ſunt quattuor anni tempeſtatum ſymbola fuiſſe. Tertullianus aperte docet lib. *de Spectacul.* cap. IX. *Albus*, inquit, *hiemi, ob nives candidas, ruſſeus æſtati ob Solis ruborem noti erant*, & paulo inferius: *praſinum vero terræ matri, vel Verno, venetum cœlo, & mari vel autumno*. Sic Iſidorus: *Ruſſeos æſtati currere voluerunt, quod ignei coloris ſint, & cuncta tunc flaveſcant: albos hiemi, quod ſit glacialis, & frigoribus univerſa caneſcant: veri praſinos viridi colore, quia tunc pampinus denſatur*: at integram deſiderari periodum, nemo non videt, deeſt enim quod de veneto, cæruleove colore autumnali tempori adſcripſerat; nec mihi proclive medicinam facere loco mutilo, ac tantum non conclamato abſque veterum codicum ope: quin & ſuſpecta ſunt poſtrema illa verba: *quia tunc pampinus denſatur*. Corippus lib. I. *de laudib. Juſtini* liquido ſatis de Circenſium factionum coloribus, eorumque ſignificatione cecinit, cujus hi ſunt verſus:

*Solis honore novi grati ſpectacula Circi*
*Antiqui ſanxere patres, qui quattuor eſſe*
*Solis equos, quadam rerum ratione putabant,*
*Tempora continui ſignantes quattuor anni.*
*In quorum ſpecies, ſignis, numeriſque, modiſque*
*Aurigas totidem, totidem poſuere colores,*
*Et fecere duas ſtudia in contraria partes,*
*Ut ſunt æſtivis brumalia frigora flammis.*
*Nam viridis, vernis campus ceu concolor herbis,*
** Pinguis oliva, comis luxu nemus omne vireſcit.*
*Ruſſeus æſtatis rubra ſic veſte refulgens,*
*Ut nonnulla rubent ardenti poma colore.*
*Autumni Venetus ferrugine dives, & oſtro*
*Maturas uvas, maturas ſignat olivas.*
*Æquiparans candore nives, hiemiſque pruinam,*
*Albicolor viridi * ſocia conjungitur una.*

Corrippi verſus quibuſdam locis caſtigavi: maculis, quæ ſuperſunt, eluendis imparem (ut ingenue fatear) me agnoſco: nec decet periculum facere, ubi operam te luſurum ſciveris. Perperam vero Caſſiodorus *Variar.* lib. III. Epiſt. LI. de iiſdem coloribus agens album autumno aſſignat, cœruleum hiemi, nam & Martianus Capella lib. primo *de Nupt. Philolog.* Solis coronam duodecim

gemmarum quadripertito ordine describens, eandem cum Tertulliano, Isidoro, & Corippo colorum rationem sequutus est: dat siquidem æstati Lychnitem, Asteritem, Ceraunon ignei coloris gemmas, quæque idcirco a lucerna, ab astro, a fulmine nomen sumpsere; de primis ita Dionysius *Periegesi*:

——— *ἀςέριος καλὸς λίθος, οἶά τις ἀςὴρ*
*Μαρμαίρων, λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη,*
——— *asterius pulcher lapis, ceu quædam stella*
*Splendens, & lychnis flammæ ignis omnino similis.*

Asteritem etiam, sive asterium inclusam veluti stellulam gerere affirmat Isidorus: at Plinius lucem illam appellat pupillæ similem: idem & lychnitem ex ardentibus gemmis esse tradit, & ab accensis lucernis dictam: & ex Plinio Isidorus, qui addit: *hujus duplex facies, una quæ purpura radiat, alia quæ cocci rubore*: quod ex Solino sumpsisse videtur, cujus hæc sunt verba cap. LV. *Duplex ei facies, aut in purpuræ emicat claritatem, aut meracius suffunditur cocci rubore*. De eadem gemma Lucianus *de Dea Syria*, Nonnus v. *Dionys.* Priscianus *Periegesi*, aliique. Ceraunium etiam rubidum esse indicat Isidorus, quum inquit: *cui color pyropo rubenti, & qualitas ut ignis*: & Claudianus *de laud. Serenæ*:

——— *Pirenæique sub antris*
*ignea fulmineis legere ceraunia nymphæ.*

Quas vero gemmas Solari coronæ ab hieme appositas Martianus scribit, eæ sunt Hydatis, adamas, crystallum: glaciem posteriores referre videntur: at hydatis, seu hydratis (ut alii legunt) ab aqua nomen habet. Estne ea, quæ Plinio, & Isidoro *Enhydros* dicitur? ille candidam esse perhibet; hic ita loquitur lib. XVI. *Orig.* cap. XIII. *Enhydros ab aqua vocata, exundat enim aquam, ita ut clausam in ea putes fontanam scaturiginem*: quæ verba ex Solino desumpsit extremo cap. XL. Cæterum virides gemmas verno tempori adscribit, Smaragdum scilicet, Scythidem, & Jaspidem: Smaragdi color viridis notus omnibus. De scythide patet ex eodem Martiano, qui alibi *scythidis vireta* nominat: fortean vero ejusdem est generis cum smaragdo, sed preciosior; nam smaragdos, qui in Scythia reperiuntur, nobiliores esse affirmat Isidorus: quod & Priscianus *Periegesi* innuere videtur. Dilutiori colore sunt jaspides, ac fortasse iidem quoque smaragdi, nondum tamen perfecti: tradit enim Theophrastus lib. *de lapid.* repertam olim in Cypro gemmam, cujus dimidium jaspis, dimidium smaragdus erat, tanquam nondum ab aqua immutatus. Autumni gemmæ in Solis corona dicuntur a Martiano *Hiacynthus*, *Dendrites*, *Heliotropios*. Hiacynthum cœrulei coloris esse testatur Isidorus, violacei Plinius, dilutioris tamen, quam sit in amethysto. At Solinus cap. XXXIII. id quandoque evenire asserit, quia ea gemma vitiis non parce obnoxia: pingi enim nitore cœruleo, quum inculpabilis est: *flucticolor* ab eodem Martiano alibi dicitur. Heliotropius vero teste Plinio porraceum præ se fert colorem sanguineis venis distinctum: vulgo dicitur *diaspro*. Quis sit dendritidi color, haud facile invenio: scio quandam hujusce gemmæ speciem ab eodem Plinio appellari albam: ac, ni judicii fallor, varietatem, quæ Autumno assignatur, indicare voluit variis hisce gemmis Martianus: potiorem tamen locum cœruleo dedit colori, qui purpureo affinis: ac autumnus ipse appellatur ab Horatio *purpureo varius colore*: ad livorem uterque vergit: nam frustra sunt, qui credunt eundem esse purpureum cum coccineo, hic rubidus est: cæruleus esset ille, subfuscus tamen, ni distingueret permixtus quidam rubor: quocirca purpureum pa-

A vonis esse collum subindicat Tertullianus lib. *de Pallio*: ac sane pruna, aliaque poma autumnalia purpurascere videntur: uvæ præcipue: quin & vites ipsas Naso purpureas dixit,

*Et de purpureis collectæ vitibus uvæ.*

Corippus ad maturas quoque olivas eum colorem refert, ut ex supra adductis versibus videre est: at in uvarum racemis auctor libelli *de coloribus*, quem Aristoteli quidam tribuunt, nonnulli Theophrasto, puniceum agnoscit, vinaceum & cyaneum. *ἐνίοτε μὲν*, inquit, *πρῶτον γίνονται φοινικοὶ, τῦ δὲ μέλανος ἐν ἑαυτῷ συνισαμένυ, μεταβάλλυσι πάλιν εἰς τὸ οἰνωπὸν, τὸ δὲ τελδυταῖον γίνονται κυανοειδεῖς*, B *interdum primum fiunt punicei, sed atro in se consistente in vinosum mutantur: denique fiunt cyanei*. Perbelle vero cum Martianæa Solis corona Tabulæ nostræ convenit: ut enim æstivas ille gemmas in fronte collocat, ita nobiliorem in Tabula sedem Apollinis effigies, ejusve symbolum occupat: quoniam æstas per Apollinem, per Bacchum autumnus, hiems per Herculem, per Mercurium ver intelligitur, ut mox singillatim examinabimus. Id fortasse aliquis existimaverit morem Atheniensium respicere, qui a solstitio æstivo anni principium statuebant, ut auctor est Simplicius in v. *Physicor.* Ægyptii quoque annum ab æstate ordiebantur, C quo tempore Nili incidit incrementum, & alluvio. Porphyrius *de Antro Nymphar.* *Αἰγυπτίοις ἀρχὴ ἔτυς, ὐχ ὁ ὑδροχόος ὡς Ρωμαίοις, ἀλλὰ καρκίνος*, *Ægyptiis anni exordium non aquarius, quemadmodum Romanis, sed cancer est*. Solinus cap. XXXV. de Nili augmento agens: *quod sacerdotes natalem mundi judicaverunt, id est, tertium decimum Kalendas Augusti*: adi & Scaligerum lib. III. *de Emendat. temp.* Verum jure primas æstati tribuunt, qui de Sole agunt, quum Sol majoribus eo tempore polleat viribus, ac suum quodammodo domicilium tenere dicatur. Itaque Remigius Monachus Antissiodorensis, qui claruit anno Christi DCCCLXXX. D & commentarium in Martianum conscripsit, cujus integrum exemplum in Tigurina bibliotheca extare tradit Gesnerus: & alia quædam exstare audio penes alios: in Vaticana fragmentum tantum asservatur: *frons*, inquit, *totius anni est æstas, fla- grat or scilicet, & eminentior pars*. Sic Aratus in enumeratione signorum zodiaci a Cancro orditur: quod & Hyginus in *Astronomicis* animadvertit, quum ait: *Aratus non, ut cæteri Astrologi, ab ariete duodecim signa demonstrat, hoc est, vere incipiente, sed a cancro, hoc est, ipsa æstate*. Idem quoque in calce libri quarti sic loquitur: *Annum voluerunt esse, quum sol ab æstivo circulo redit, & zodiacum ad id signum, unde incipiebat, permetitur*. E Quoniam vero ex quattuor anni partium æqualiter librata vicissitudine harmonia quædam promanare videtur universi servatrix, concinne in Tabulæ medio ejus rei indicem exculptam videmus lyram: quemadmodum enim musicæ vis in eo sita est, ut variæ vocum intensiones, remissionesque, sonique tum acuti, tum graves congruenti temporum mensura dispositi in dulcem coeant concordiam, ita Sol tanquam citharœdus quidam, mundi partes omnes pulsans, servataque velut ad numerum temporum symmetria, calida cum frigidis associat, cum siccis humida, pulcherrimumque efficit temperamentum, quippe (ut ait Plinius lib. F II. cap. XXXIX.) *Solis natura temperando intelligitur anno*: ut verius in illum quadret, quod de Orpheo apud Cassiodorum legimus *Variarum* lib. II. *in unum conventum contraria vota collecta sunt, & fidem dicente lyra omnia sibi adversa crediderunt*. Porro Orpheus in hymnis Apollinis describens lyram, in acuto sono æstatem, in gravi inferiorem chordarum hiemem intelligi ait,

A ver autem in concentu Dorio. Verſus ipſos non gravabor apponere:

*Εἰς ὑπάτας χειμῶνα, θέρος νεάταις διαχρίνας,*
*Δώριον εἰς ἔαρος πολιχράτυ ὥριον ἄνθος.*

Doricæ harmoniæ appellatione uſus eſt ad medium tonum indicandum, quoniam hanc præ cæteris ad mediocritatem tendere, conſtat ex Ariſtotele lib. VIII. *Politic.* cap. v. quin cap. ultimo eandem eſſe ait *τὸ μέσον τῶν ὑπερβολῶν*. In fragmento incerti ſcriptoris, quod Cenſorino olim tributum, poſtea a Lud. Carriore auctius editum, ita ſcriptum reperio: *Organum quondam habuit tres intenſiones, gravem, mediam, & acutam: inde Muſæ quoque tres olim æſtimatæ, Hypate, Meſe,*
B *Nete:* & mox: *quas animadvertiſſe cum reſonantia ſuavitatis in arcu ſororis Apollinem tradunt, & intendiſſe protinus citharam: tum notaſſe, quod adſtrictiora fila nervorum in acumen excitarentur, gravibus reſponderent remiſſa: inde feciſſe tres primos, de quibus ſupra dictum eſt.* Id tamen tribuit Mercurio Diodorus, atque ad temporum varietates reſpexiſſe affirmat; ſic enim loquitur lib. I. de Mercurio agens: *λύραν τε εὑρεῖν, ἣν ποιῆσαι τρίχορδον, μιμησάμενον τὰς κατ' ἐνιαυτὸν ὥρας. τρεῖς γὰρ αὐτῶν ὑποςήσαθαι φθόγγυς, ὀξὺν, καὶ βαρὺν, καὶ μέσον. ὀξὺν μὲν ἀπὸ τῦ θέρυς, βαρὺν δὲ ἀπὸ τῦ χειμῶνος, μέσον δὲ ἀπὸ τῦ ἔαρος,*
C *Lyram a ſe inventam trichordem fecit, anni tempora imitatus: tres enim tonos induxit, acutum, gravem, & medium: acutum ab æſtate, gravem ab hieme, medium a vere deſumpſit.* Sed cur Autumnum prætermiſit? an fortaſſe cum vere confudit? diſcriminat enim tam ver, quam autumnus (licet diverſa ratione) hiemem ab æſtate: ac profecto videntur antiquiores triplicem tantummodo anni diviſionem ſtatuiſſe: idcirco tres numero Horas finxerunt: Minervamque ſub qua aerem intelligebant, *τριτογένιαν* ideo dictam ſcribit Diodorus, quod ter in anno naturam mutat, vere, æ-
D ſtate, hieme: aſſerit quoque idem auctor, exiſtimatum ab Ægyptiis Oſirim, & Iſidem, Solem videlicet & Lunam *τὸν σύμπαντα κόσμον διοικεῖν, τρέφοντάς τε καὶ αὔξοντας πάντα τριμερέσιν ὥραις ἀοράτῳ κινήσει τὴν περίοδον ἀπαρτιζύσαις, τῇ τε ἐαρινῇ, καὶ θερινῇ, καὶ χειμερινῇ*, *mundum univerſum gubernare, nutrientes, & augentes omnia, tripertitis temporibus inviſibili motione circuitum perficientibus, vere ſcilicet, æſtate, atque hieme:* Latinus interpres, qui hiemis loco autumnum hic nominavit, pro *χειμερινῇ* videtur legiſſe, *ὀπωρινῇ* in ſuo exemplari, niſi incuriæ fuit peccatum. Ad veterem itaque trium temporum imitationem tribus chordis in-
E ſtructa fuit lyra: nec abſonum erit putare, id animadvertiſſe, qui *τῇ μέσῃ* proximam addiderunt *παραμέσην*, ut quattuor anni tempora aptius imitarentur. Quin tetrachordum Mercurio attributum, ſcribit Macrobius primo *Satur.* cap. XIX. & Boetius, qui tamen reſpectum fuiſſe habitum ait ad quattuor univerſitatis elementa: ſic enim loquitur lib. v. *de Muſica* cap. XX. *ſimplicem principio fuiſſe muſicam refert Nicomachus, adeo ut quattuor nervis tota conſtaret: idque uſque ad Orpheum duravit, ut primus quidem nervus, & quartus diapaſon conſonantiam reſonarent: medii vero ad ſe invicem,*
F *atque ad extremos diapente, ac diateſſaron, ac tonum: nihil vero in eis eſſet inconſonum, ad imitationem ſcilicet muſicæ, quæ ex quattuor conſtat elementis: cujus quadrichordi Mercurius dicitur inventor.* Fit itaque, ut ſervata temporum harmonia genitalis plantarum vis, ſataque omnia hieme compreſſa congruum concipiant vigorem ad germinandum: quod evenit laxata verno tempore humo: at illa æſtivus calor maturat, perficit Autumnus, colligitque. Quapropter de Sole ſigniferum obeunte ita cecinit Aratus:

*——— καὶ οἱ περὶ τῦτον ἰόντι*
*Κύκλον, ἀέξονται πᾶσαι ἐπικάρπιοι ὧραι,*
*——— eoque circa hunc eunte*
*Circulum, adoleſcunt omnes frugiferæ tempeſtates.*

Id vero (ut & ſupra diximus) indicare videtur *ἔγκαρπος* in Tabula exculptus, qui florum frondiumque, pomorum item, & frugum pulcherrimum coronario opere habet contextum.

---

## APOLLO ÆSTAS.

PRÆCIPUUM Apollinis munus ſagittandi peritiam eſſe diximus: ex quo facile patet omnibus, æſtivum deſignari tempus, quum ſcilicet vehementiore jactu ſolares radii terram percutiunt, ut proinde tunc jaculator merito Sol appareat: quique cæteris anni temporibus obtuſus quodammodo videbatur, acutus per æſtatem dici poſſit, quemadmodum nominat Horatius lib. I. epiſt. X.

*——— ubi gratior aura*
*Leniat & rabiem canis, & momenta leonis,*
*Quum ſemel accepit Solem furibundus acutum.*

& Heſiodo dicitur *μένος ὀξέος ἠελίοιο*, *robur acuti Solis.*

Narrant fabulæ Hygino teſte, datas a Vulcano Apollini ſagittas, nimirum ut æſtivus ardor deſignetur: nam Vulcanus ignis eſt. Iis præcipue Apollo uſus eſſe fertur, quum Pythonem interfecit, ingentem ſcilicet draconem ex aquis ortum. *Πύθω* nihil eſt aliud, niſi putredo: ſiquidem ex imbribus, qui plurimi defluunt hiberno tempore, collectæ aquæ, ſtagnanteſque modico ſuperveniente calore corrumpuntur: eas poſtmodum vehementes æſtivi Solis radii exſiccant, hinc putredo tollitur; dataque anſa Poetis, Pythonem Apollinaribus ſagittis de medio ſublatum canendi. Phyſicam non minus rationem dejectus Phaeton, interfectique Cyclopes habent. Adurebat terram Phaeton, Apollinis filius: eum iratus Juppiter in flumen detruſit: at Apollo Cyclopes fulminum fabricatores ſagittis interfecit. Phaeton ex Græca nomenclatura lumen eſt. Solis vero filius dici poteſt, quod lumen e Sole progignatur: ideoque Apollo *λυκηγενὴς* Homero dicitur, & vocatur Sol a Pindaro VII. *Olymp.* *ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατὴρ*, *generator radiorum pater*, quemadmodum etiam Ode II. *ἁμέραν* nominat *παῖδ' ἀλίυ*, *diem Solis filium*. Phaetontæum incendium exuberantem Solis calorem indicat, teſte Philoſtrato primo *Imaginum*: *ταῦτα τοῖς μὲν σοφοῖς, πλεονεξία τίς εἶναι δοκεῖ τῦ πυρώδυς. ποιηταῖς δὲ, καὶ ζωγράφοις, ἵπποι, καὶ ἅρμα, καὶ συγχεῖται τὰ ὐράνια*, *hæc ſapientibus quidem affluentia quædam ignis fuiſſe videtur: a poetis vero, & pictoribus equi, & currus, ac cæleſtia confunduntur.* Iratus Jupiter nihil eſt aliud, niſi aer nubibus, & tempeſtatibus conturbatus, qualem hiemali tempore ut plurimum inſpicimus: unde & *hiemem* pro tempeſtate poetæ uſurpant: ſicut viciſſim *ſerenus* accipitur pro miti, ſedato, hilari: itaque Caſſiodoro lib. I. *Variar.* *clementiæ ſerenitas* nominatur: & Antoninus Pius *ſerenus & clemens*, ab Ammiano dicitur. Lucanus lib. IV. de Cæſare:

*——— at facilis Cæſar, vultuque ſerenus.*

hinc a Sidonio lib. IV. epiſt. XII. *ſerenitas lætitiæ* opponitur *nubilo mœroris*. Perturbatus itaque aer ac nubiloſus poſt Phaetontæum incendium, hoc eſt, poſt ardores æſtivos lumen ipſum nubibus tanquam flumine obruit: ſiquidem & Ariſtoteles in *Meteor.* ex vaporibus, qui elevati in nubes coeunt, indeque in pluvias ſolvuntur, perpetuum quaſi

quasi flumen sursum ac deorsum ferri ait. Sol autem redeunte postea æstate resumptis viribus nubes ipsas radiorum ictu veluti sagittis conficit, disperditque: nubes enim sub Cyclopum nomine a poetis intelliguntur, quippe quæ fulminum sint effectrices. Poetica quoque fictio est Hiacynthi pueri internecio projecto ab Apolline disco, quæ tamen a naturali ratione interpretationem sumat. Disci formam Soli esse, philosophi quidam crediderunt, & præter cæteros Philolaus Pythagoricus: eapropter figmento datus est locus, ut qui æstivis fervoribus a Sole minus sibi caverent, ii dicerentur disco Apollinis percussi. Cæterum quum Hiacynthus flos sit, eam quoque significationem elicere possumus, ut flores nimio æstu flaccescere, enecarique dicantur. Apollini vero dicata præcipue erat inter plantas laurus, inter aves corvus, de quibus ita Albricus, quum de Apolline loquitur: *Juxta autem illum erat viridis laurus picta, & corvus niger desuper volitans pingebatur, avis scilicet ipsi deo consecrata*: laurus quidem, quia arbor est perquam calida, ac sicca, & quodammodo ignea, ut asserit Porphyrius apud Eusebium III. *de Præpar. Evang.* & Constantinus Cæs. XI. *de Agricult.* capite III. corvus vero, *quod solus contra rerum naturam in mediis ipsis æstivis fervoribus oviparos pullulet fœtus*, ut inquit Hyginus libro I. *Mytholog.* quæ omnia satis aperiunt, æstatem per Apollinem significari.

---

### BACCHUS AUTUMNUS.

HAUD erit operosum argumenta indagare, quibus Baccho adscribitur Autumnitas; neque enim sejungi queunt: ut scite pronunciarit Lucretius lib. V.

*Inde Autumnus adit, graditur simul Evius Evan.*

& Virgilius secundo *Georgic.* Bacchum alloquens:

*——— tibi pampineo gravidus Autumno*
*Floret ager; spumat plenis vindemia labris.*

Bacchus enim vitis est dominus: at Pindarus V. *Nem.* vocavit τέρειναν ματέρ᾽ οἰνάνθας ὀπώραν, *autumnitatem teneram matrem floridæ vitis*: quanquam cæteris quoque fructiferis plantis Bacchus præficiebatur: & ipsi tanquam arborum tutori Græci sacrificabant, ut testatur Plutarchus V. *Sympos.* quæst. III. quamobrem Artemid. libro II. Ὀνειροκριτικῶν, capite XLII. Διόνυσος, inquit, τοῖς γεωργοῖς συμφέρει τοῖς τὸν ξυλικὸν καρπὸν γεωργοῦσι, μάλιστα ἀμπέλους, *Bacchus agricolis conducit arboreum fructum colentibus, præsertim vites*: & a Phurnuto appellatur τῶν ἡμέρων δένδρων ἐπίσκοπος, καὶ δοτὴρ θεός, *cicurum arborum tutor, datorque deus*: quare ei tanquam Autumni domino fructus omnes acceptos ferebant, quod pluribus auctoritatibus evincere conatur Athenæus libro tertio. Quapropter apud Athenienses, ut tradit Demarchus in *certaminibus Dionys.* per diem festum Bacchi gestabant virgines aureos canistros, in quibus erant fructuum omnium primitiæ impositæ. Huc etiam referendum, quod Bacchi filium dixerunt Priapum hortorum, fructuumque custodem: quin multi unum, eundemque faciunt, ac propterea Priapus δρέπανον, inquit Phurnutus, ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ προτείνει, πότερον, ἐπεὶ τούτῳ χρῶνται πρὸς τὴν κάθαρσιν τῶν ἀμπέλων, *falcem dextera manu protendit, utrum quia hac utantur ad vites purgandas*. Sunt, qui credant, Dionysii nomen ἀπὸ τοῦ διανύειν deduci, ut videre est apud Artemidorum libro II. an quia fructus hausto calore æstatis Autumno postea perficiuntur? Nam Bacchum existimabant vim ipsam genitalem fru-



A ctuum, & plantarum, ut liquet ex Porphyrii verbis apud Eusebium III. *de Præpar. Evang.* τῶν ἀκροδρύων, καὶ ὅλως τῶν φυτευτικῶν ἡ δύναμις, Διόνυσος ὀνομάζεται, *fructuum & in summa plantarum omnium virtus, Bacchus vocatur*. Hinc Dionysius *de situ orbis*, solutum in Arabia ex obsuto Jovis femore Bacchum scribit, quod ea regio plantarum ferax sit, e quibus aromata, pretiosique liquores sumuntur. Quod vero fabulantur Poetæ ex ardente matris alvo extractum Bacchum, id Autumni ortum respicit, qui quum æstatem subsequatur, ex ejus prodire utero quodammodo videtur, lubet enim hanc fabulæ interpretationem hic adaptare, quum alioqui sciam, apud nonnullos per Bacchum vinum

B intelligi, sive uvam, per Semelem ipsam vitem, Solis calorem per fulmen: quod Athenagoras *Apologia pro Christianis* iis verbis innuit: τὸ δὲ τῆς ἀμπέλου καρπὸν, Διόνυσον. καὶ Σεμέλην, αὐτὴν τὴν ἄμπελον. καὶ κεραυνὸν τὴν τοῦ ἡλίου φλόγα. Præcipua vero consideratur in Autumno inconstantia, & varietas, cum propter tempestatem ipsam, modo calidam, quandoque frigidam, aliquando temperatam, tum ob pomorum varietatem: atque ideo Bacchum ipsum multiplici forma, variaque specie effingebant, ut Plutarchus prodit lib. de EI apud Delphos, & in Epigrammatibus μυριόμορφον appellant: quo etiam spectant vestes vario florum

C genere contextæ, quas Bacchum induere solitum testatur Diodorus, de quibus & Ovidius III. *Metamorph.*

*Purpuraque & pictis intextum vestibus aurum.*

id enim Phurnutus insinuat iis verbis, de Baccho loquens: τὸ μὲν τῆς ἐσθῆτος ἀνθηρὸν τὴν ποικιλίαν παρίστησι τῆς ὀπώρας: *vestis floriditas autumni varietatem exhibet*.

---

### HERCULES HIEMS.

D HERCULEM Græci, Latinique barbatum, hirsutumque effingere solebant, (unde Sidonio in Panegyr. Aviti Aug. dicitur *Tirynthius hirtus*) sicut hodieque pictores hiemem, quum cæteras anni partes juvenili specie forment: est enim hiems quasi anni senium, siquidem vernæ tempestati initium tribuamus, ut plerisque Veterum mos fuit. Pellibus erat indutus, quoniam hisce per hiemem utimur ad frigus defendendum. Clavæ gestatio arbores indicare videtur hiemali tempore frondibus expoliatas. Trinoctium fingunt poetæ in ejus generatione consumptum, ut longas significent hibernas noctes. Ei vero inimicitias cum Junone in-

E tercessisse ajunt, quia Juno aer est, iisque per hiemem iratus ut plurimum videtur frigore scilicet assiduisque pluviis contristatus. Voracitatem Herculis quis nescit? Vide, quid de ea loquatur Athenæus initio lib. X. extant etiam festiva quædam epigrammata primo Anthologias, & Callimachi lusus Hymno in Dianam: ac decimam ei vovebant Romani, forsitan ut voraci, largiterque cœnanti, si Plutarchum audimus, *quæst. Rom.* XCVII. neminem vero fugit, animantes omnes hieme voraciores esse, quum eo tempore innatus calor, qui per æstatem laxato corpore dispersus erat, ac imbecillior effectus, a circumfuso frigore intus cohibitus, & quasi constipatus vires sumat ad cibum facile conficiendum: unde bruma, quasi βρῶμα, ut innuit Isidorus lib.

F V. cap. XXXV. Quin & ipsamet hiems omnia vorare videtur, quæcunque aut ex vernalibus herbis, aut ex messibus æstivis, aut ex pomis autumnalibus seponere consuevimus: dictusque est Hercules βουφάγος (fabulam narrare supersedeo passim obviam) quod boum labores consumat hiems: sic enim & a Virgilio primo *Georg.* & ab aliis fruges vocantur:

nam & Varroni II. *de Re rust.* cap. v. dicitur bos *socius hominum in rustico labore, & Cereris minister.* Eamque ob caussam Veteres copiam designantes cornu bovis frugibus, & pomis refertum effingebant: cujus etiam rei videnda interpretatio Socratis apud Stobæum serm. LIV & legendus Vegetii prologus lib. III. *de Re veterin.* qui ait, bubus debere alimenta, quicquid ali potest, hinc legimus apud Salomonem XIV. *Proverb. ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.* Quid vero caussæ est quod quum Hercules plures exantlasse dicatur labores, eosque difficillimos, interfecti tantum leonis insigne gestat? Æstati quam maxime adversatur hiems, quæ quum terras obsidet, Leonem videtur superasse, hoc est, vim æstatis acriorem ex leone ardentissimo sidere manantem. Hercules itaque hiemis gerens symbolum merito devicti leonis trophæum ostentat. Cæterum *depulsorum malorum* præcipuo encomio Hercules cognominatus est, quæ appellatio & hiemi convenit: videtur enim hiems Autumnum extrudere morbosissimam anni partem, de qua Hippocrates lib. III. *aphor.* IX. & XXII. quod propter cœli varietatem evenire tradit Cornel. Celsus lib. I. cap. III. unde *letifer* Juvenali vocatur Autumnus, Horatio vero *Libitinæ quæstus acerbæ:* nec tantum debacchantes morbi superventu hiemis abscedunt, sed & fructus ipsi autumnales noxium humorem per hiemem abjiciunt. Martialis vocat

——— *poma hiberna maturescentia capsa,*

de quibus ita Juvenalis Sat. XI.

——— *odoris mala recentis,*
*Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam*
*Autumnum, & crudi posuere pericula succi.*

Nec forsitan abs re nostra est, quod hiemali tempore sacrum Herculi fiebat, ad diem scilicet XII. Kal. Januarias, ut refert Macrobius III. *Saturn.* cap. XI. quoque nivosus, perpetuaque hieme damnatus locus in Alpibus Herculi consecratus erat, de quo Petronius:

*Alpibus aeriis, ubi Grajo nomine vulsæ*
*Ascendunt rupes, nec se patiuntur adiri,*
*Est locus Herculeis aris sacer: hunc nive dura*
*Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.*
*Cœlum illinc cecidisse putes: non Solis adulti*
*Mansuescit radiis, non verni temporis aura,*
*Sed glacies concreta riget,* ( sic lego ) *hiemisque pruinis*
*Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.*

Videndum etiam, num ad hiemis significationem trahi possit Græcus nummus Herculis caput præ se ferens populea corona redimitum, & in parte postica Phaetontem curru paterno excussum: nam ex Phaetontis casu Hiemem innui, superius demonstratum est, quum de æstate verba habuimus.

## MERCURIUS VER.

DEUM Verni temporis fuisse creditum Mercurium, aperte insinuat Martianus Capella lib. I. *de Nupt. Philolog.* iis verbis. *Tunc vero conspiceres totius mundi gaudia convenire: nam & tellus floribus luminata quippe Veris deum conspexerat subvolare Mercurium, &c.* Remigius Monachus, de quo superius verba fecimus, ad hunc Martiani locum ita notat: *quod & ipse fertur præesse seminibus maris, & terræ, & ipse est dictus Favonius*: unde hanc sibi eruerit sententiam haud sane scio: videor tamen quædam subodorari posse argumenta, quæ in medium proferam. Zephyrus, seu Favonius ( ut & alii venti ) non minus quam Mercurius, alatus volitansque fingitur a poetis: at notandum præcipue quod de utriusque alis refertur: nam quum Mercurio ( ut cum Apulejo loquar ) *super tempora pares pinnulæ emineant*, Zephyro itidem alata fixerunt tempora: siquidem ipsum Philostratus lib. I. *Iconum* appingit ἐν πτηνῷ τῷ κροτάφῳ, καὶ ἁβρῷ τῷ εἴδει, *alatis temporibus, & venusta forma*: quæ postrema cum Mercurii quoque specie conveniunt, qui apud Lucianum in dialogo Mercur. & Panos, formositatem jactat, & ei ab Apulejo facies decora, & succiplena tribuitur: unde Galenus in *Suasoria*, formosum passim affingi solitum, tradit: id autem Mercurio fortasse tributum *propter vernalem faciem terræ, quæ cæteris formosior*, ut verbis utar D. Augustini, VII. *de Civit.* cap. XXV. Quoniam vero Zephyrus *flat ab occasu æquinoctiali ver incohans*, ut inquit Plinius, Mercurium fabulati sunt, Atlantis esse nepotem, qui mons est Mauritaniæ ad occidentalem plagam situs: ideoque Virgilius de Mercurio Æneam adeunte ita loquitur IV. *Aen.*

*Materno veniens ab avo Cyllenia proles.*

haud enim mihi dubium, quin ad hanc de Mercurio, Zephyroque opinionem alludat: nam & Jovem ita Mercurio loquentem inducit:

*Vade age nate, voca zephyros, & labere pennis.*

aptissimis hic poeta & significantibus uti solet vocibus, seque peritissimum veteris theologiæ ostendit, quod pluribus locis aperit Servius: temere Statius Mercurio dat *Notos*: id enim tantum curæ est minorum gentium poetis, ut ea usurpent, quæ carmini quoquomodo quadrent; dumque auribus blandiantur, nihil ulterius pensi habent: secus vatum princeps, qui penitiores satagit inserere sensus doctioribus perscrutandos: ac sane fabulosa illa Mercurii legatione, admonitum significare voluit Æneam temporis ad navigandum idonei. Jupiter enim Æneæ curam gerens aer esse videtur abscessu hiemis mitior reditus: ipse Mercurius Favonius est Veris pater, ut Claudiano dicitur. Etenim *ver*, teste Plinio lib. II. cap. XIII. *aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hybernum molliunt cœlum*: & πλοηπῆκος a Satyro cognominatur Zephyrus, de quo vide quædam epigrammata primo Anthologias. Placet etiam quibusdam, *Plejadas* ἀπὸ τοῦ πλέω appellatas, quod suo exortu navigandi tempus ingerant: at Mercurium Maja ferunt genitum una ex Plejadibus. Ipsum quinetiam mercaturæ deum statuerunt, quod mercatura quam maxime navigatione juvetur. *Natalem navigationis* appellat Vegetius V. *de re milit.* diem sextum Iduum Martiarum, licet periculose adhuc maria tentari dicat usque in Idus Majas: ideo *Maiis idibus* ( verba sunt Pauli ex Sexto Pompejo ) *mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii ædes esset dedicata*: qua de re Livius lib. II. quin natum eadem luce Mercurium prodit Martialis eo versiculo ex libro XII.

*Majæ Mercurium creastis idus.*

nisi ad eandem templi dedicationem alludat, quasi tunc natus Romæ dici queat, quum ejus ædes dedicata est: quo sensu *Natale Salutis* nominasse Tullius videtur IV. *Epist. ad Atticum*, ut & ab aliis observatum. At profecto vernum illum mensem a Maja Mercurii parente nuncupatum, quidam suspicati sunt, quod Censorinus, Festus Pompejus, & Ovidius testantur: sed & vetus poeta:

*Mensis Atlantigenæ dictus cognomine Majæ.*

alius item:

*Majus Atlantiados gnatæ dignatus honore.*

Porro fabula de Mercurii cum Venere congressu, ex quo procreatus Cupido, ut Tullio placet III. *de Natur. deor.* aut Hermaphroditus, ut Ovidius, aliique dixere, aptissime vernum tempus designat.

Cupido ſiquidem cupiditatem illam innuit, qua ob benignum verni aeris teporem ad Venerem omnia excitantur, procreationique inhiant: de qua Lucretius Venerem alloquens:

*Nam ſimul ad ſpecies patefacta eſt verna diei,*
*Et reſerata viget genitabilis aura Favoni,*
*Aeriæ primum volucres te, Diva, tuumque*
*Significant initum perculſæ corda tua vi.*

& apertius Columella *de Cultu hort.*

*——— nunc ſunt genitalia tempora mundi,*
*Nunc amor ad coitus properat: nunc ſpiritus orbis*
*Bacchatur Veneri, ſtimuliſque Cupidinis aſtus*
*Ipſe ſuas adamat partes, & fœtibus implet.*

B & mox:

*Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus*
*Ver agit, hinc hominum, pecudum, volucrumque cupido,*
*Atque amor igneſcit menti, ſævitque medullis,*
*Dum ſatiata Venus fœcundos compleat artus,*
*Et generet varias ſoboles, ſemperque frequentet*
*Prole nova mundum, vacuo ne torpeat ævo.*

Nec ſilentio prætereundum, quod Plutarchus in *amatorio* ex neſcio cujus ſententia Amorem Favonii filium facit. Per Hermaphroditum vero non inepte herbas intelligemus, quæ verno tempore in C lucem erumpunt: nam quemadmodum Hermaphrodito ambiguum ſexum tribuerunt, ita plantis vim ineſſe tum maris quam fœminæ teſtatur Porphyrius apud Euſeb. *de Præp. Evang.* ſic enim de Baccho loquitur plantarum præſide: ἔςι δὲ θηλύμορφος, μηνύων τὴν περὶ τὴν γένεσιν τῶν ἀκροδρύων ἀῤῥενόθηλυν δύναμιν, *muliebriformis eſt, promiſcuam indicans virtutem generationis plantarum*. Phurnutus quoque Bacchum θηλύμορφον effingi ſolitum ſcribit, & in Bacchico triumpho, quem præ ſe fert vetus marmor in ædibus Haſdrubalis Mattheii, Bacchus ipſe curru vehitur vultu, & cultu muliebri. Ariſtides quoque Orat. in Bacchum, utroque ſexu præditum affirmat. ταῦτ' ἄρα καὶ ἄῤῥην τε καὶ θῆλυς ὁ θεὸς, ὥς φασιν. *propterea & maſculus eſt,* D *& fœmina is deus, uti ajunt.* At quod Mercurium Favonium eſſe oſtendimus, quis nos vetat, & copulatam ei Venerem illam ipſam herbarum ac florum deam putare, quæ Græcis *Chloris* a viriditate, Latinis *Flora* dicta eſt a floribus, de qua Ovidius IV. *Faſtorum*? addictus enim tam Floræ, quam Veneri menſis Aprilis, quem Majus ſtatim ſequitur Mercurio dicatus, ut ait Plutarchus in *Numa*. Quapropter Venerem hortorum eſſe deam, docent nos Varro initio lib. *de re ruſt.* & V. *de ling. Lat.* E necnon Plinius lib. XIX. cap. IV. ac ſane apud Catullum in elegia de Coma Berenices ipſa Venus *Chloris* dicitur: ſunt enim ſynonyma in eo poematio Venus, Arſinoe, Chloris, Zephyritis: neque, ſi aliter interpreteris, poetæ mentem capias. Veneri dicata fuit Berenices coma, quæ quum poſtridie in æde non reperiretur, ubi poſita fuerat, in cœlum eſſe tranſlatam fabulatus eſt Conon: fingit vero Catullus, ſeu potius Callimachus, ſuum a Venere equum ea in re miniſtrum adhibitum: is equus non eſt Pegaſus, ut docti viri credidere, ſed Luciferi equus, quæ Veneris ſtella eſt; de quo Venus ipſa apud Claudianum II. *de Raptu Proſerp.* ita loquens F inducitur:

*Dum meus humectat flaventes Lucifer agros*
*Roranti provectus equo. ———*

meminit etiam Ovidius I. *Triſtium*:

*Hos utinam nitidi Solis prænuntius ortus*
*Afferat admiſſo Lucifer albus equo.*

nec non ſecundo *Amorum*, eleg. XI.

*Hæc mihi quamprimum cœlo nitidiſſimus alto*
*Lucifer admiſſo tempora portet equo.*

Et XV. *Metamorph.*

*——— quumque albo Lucifer exit*
*Clarus equo.*

Martianus Capella lib II. *an Solis remigia vigilarent, ſonipeſque Phoſphori comeretur.* Nam quum Berenicæa coma inter aſtra foret recipienda, docte Callimachus de Venere agit, tanquam de ſtella: porro ſingulares equi ſtellis tribuebantur. Lactantius, ſeu Luctatius Statii interpres ad VI. *Theb. Quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos ſingulos ſideribus.* Nec abſurde alatus a Callimacho fingitur is equus ad notandam ejus ſtellæ celeritatem: nominatur vero, *Memnonis unigena*, tanquam ab Aurora profectus, quia nimirum matutinum ſidus cenſetur Lucifer. Vocatur is equus a Claudiano *Aethon*, & *Auroræ nuntius* dicitur, *Paneg. in* IV. *Hon. Conſ.*

*Quinetiam velox Auroræ nuntius Aethon,*
*Qui fugat hinnitu ſtellas, roſeoque domatur*
*Lucifero, quoties equitem te cernit ab aſtris*
*Invidet, inque tuis mavult ſpumare lupatis.*

ac ne qua ſuperſit dubitatio, eundem eſſe cum Auroræ equo, colligere licet ex iis Servii verbis ad XI. *Aen. Aethon nomen equi, quo etiam Auroræ equus vocatur, Aethonis* vero vocabulum ab ardendo derivatum eſt: idemque nomen dat Ovidius uni ex Solaribus equis, & ipſemet Claudianus uni ex quadriga Plutonis, ac præterea uni ex Amoribus, qui Veneri famulantur: ut omittam Hectoris equum apud Homerum, & Pallantis apud Virgilium. Venus itaque eadem, quæ Lucifer, & quæ Chloris, ſeu Flora herbarum florumque dea. Quocirca ad locum illum Auſonii, ſeu quiſquis auctor fuit Elegiæ de Roſis, quæ etiam Virgilio attribuitur, ad eum inquam locum:

*Sideris, & floris nam domina una Venus:*

quemadmodum & mox:

*Communis Paphiæ dea ſideris, & dea floris,*

recte Pomponius Sabinus: *Venus quæ mane Lucifer, Flora & Venus idem ſunt*: ut merito de Venere pronunciarit Pelignus poeta IV. *Faſtorum*.

*Illa ſatis cauſas, arboribuſque dedit.*

vis enim ſeminalis ſtirpium videtur eſſe; unde eleganter in *Pervigilio Veneris*:

*Ipſa venas, atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus,*
*Perque cœlum, perque terras perque pontum ſubditum*
*Pervium ſui tenorem ſeminali tramite*
*Imbuit.*

ac profecto eadem credita eſt, quæ natura omnium parens. Artemidorus lib. II. ἀγαθὴ δὲ καὶ γεωργοῖς. φύσις γὰρ εἶναι καὶ μήτηρ τῶν ὅλων νενόμισται: *bona eſt & agricolis, natura enim & mater univerſorum eſſe creditur*: jure igitur Mercurio copulatur, quem præeſſe ſeminibus maris & terræ dixit Remigius. At vero quemadmodum Mercurium, ut docuimus, venerabantur mercatores tanquam navigationis præſidem, ita ruſtici eodem menſe Majo ſacrum ipſi faciebant, veluti ſatis omnibus vitam ferenti, non ſoli tamen, ſed conjunctim cum Flora: quapropter legimus in antiquo Kalendario Ruſtico: SACRUM MERCUR. ET. FLORÆ: atque hinc etiam arguere licet, Mercurium eundem eſſe cum Zephyro. Floram vero cum Venere confundi, quid attinet toties inculcare? dicendum potius, ex utriuſque conjunctione ver excitari, flores oriri. Itaque in *Pervigilio Veneris*:

*Ipſa turgentes papillas de Favoni ſpiritu*
*Urget in toros patentes. ———*

hoc eſt, florum utriculos (ut alicubi nominat Plinius) in latos calices aperit. Ac Lucretius libro quinto ita poetice ludit:

*It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius ante*
*Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter:*
*Flora quibus mater præspargens ante viai*
*Cuncta coloribus egregiis, & odoribus implet.*

nam quod Floram a Venere videtur quodammodo ſeparare, poetarum morem ſequitur, quibus deorum conducit multitudo ad fabulas confingendas. Quod vero Zephyrum facit nuntium Veneris, id quorundam opinionem fulcit ajentium, ventos deorum eſſe internuntios ex loco Virgiliano Ecloga III.

*Partem aliquam venti divum referatis ad auras.*

quod ſententiam firmat de Mercurio deorum nuntio, quem Zephyrum diximus eſſe creditum. Id vero in memoriam revocat locum illum in Pſal. CIII. *Qui facis angelos tuos ſpiritus*, quo Hebræi expoſitores, teſte Genebrardo, poſt R. Salomonem, intelligi ajunt Deum ventorum uti miniſterio tanquam nuntiorum: quem ſenſum & Janſenius ingerit. Cæterum nolim quiſquam labatur putans, Chlorida ventum eſſe Japyga ex veteri Gloſſario, in quo ſcriptum, *Clores*, ἰάπυξ ἄνεμος, deceptus emendatione Jo. Meurſii in *Exercitation. Criticis*, & Bon. Vulcanii in *notis ad Gloſſar.* qui reponunt *Chloris*: licet id blandiretur fabulæ de Zephyri & Chloridos conjunctione; nam occidentalis quoque ventus eſt Japyx: ſiquidem in Gloſſario legendum *Corus*, vel *Caurus*, qui ventus idem eſt cum Japyge, ut differit Phavorinus apud A. Gellium lib. II. cap. XXII. Quod vero ex Labeonis, aliorumque ſententia tradit Macrobius, Majam Mercurii matrem creditam eſſe terram, id etiam pertinere huc poteſt; palam enim eſt, oriri ventos ex terreno halitu: ideo ventorum parentes a Philochoro apud Suidam nominantur Tellus, & Sol; ab aliis cælum, & terram. Munus quoque Mercurii fuiſſe, legimus apud Lucianum, Jovis palatium verrendi: id quod & Zephyri opus indicat, qui abacta hieme vernam inducens ſerenitatem *detergit nubila cælo*, ut de albo Noto alicubi ait Horatius: cœlum enim, hoc eſt, aer, Jovis eſt domus, & verrere apud Lucretium, Maronem, Lucanum, alioſque paſſim venti dicuntur. Quod autem ait Plinius lib. XVIII. cap. XXXIV. Favonium in plantas afflatu nutricium exercere, id adumbrari a poetis, aliiſque fabulatoribus videtur, dum ajunt, Mercurium Bacchi fuiſſe nutricium: unde & cujuſdam Mercurii ſtatuæ meminit idem Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. Liberum patrem in infantia nutrientis: eſſe enim Bacchum plantarum antiſtitem, ſuperius demonſtravimus, vitis præſertim, cui ſuſtentaculum adhibetur arundo: quo fortaſſe ſpectat in Tabula noſtra Mercurii virga ſub arundinis ſchemate: innituntur enim vites arundinibus, quemadmodum pueruli nutriciis, qui propterea *Bajuli* dicebantur (ut hodieque nutrices Italico idiomate *Balie*) quia infantes geſtare ſoliti, ut docet Pignorius meus in pereruditо Commentario *de Servis*: ad quorum ſimilitudinem de pedamentis vitium ita loquutus in *Anglic. Hiſt.* Malmesburienſis lib. IV. *Hic prætexitur ager vineis, quæ vel per terram repunt, vel per bajulos palos in celſum ſurgunt.* Creditus eſt quoque Mercurius virgæ ſuæ ope vitæ, neciſque auctor: quoſdam enim ad vitam evocare, alios (ut ait Prudentius in Symmachum) *damnare neci*: nam Favonius, ut Theophaſtus inquit lib. *de Ventis*, τοὺς καρποὺς, τοὺς μὲν φθείρει, τοὺς δὲ τρέφει, *fructus alios corrumpit, alios fovet*: perdit enim, quum calidus atque æſtuoſus æſtivo tempore a mari ſpirat; ſervat, quum frigidam flat auram. Arietem quinetiam Mercurio tribuerunt. Itaque in antiquæ gemmæ ſcalptura Mercurius arieti inſidet; & in alia apud Pompejum Paſqualinum pabulum ex frondibus arieti præbet: & ita de ariete loquitur Artemidorus lib. II. cap. XII. καὶ γὰρ ταχὺ τὸ ζῶον, καὶ Ἑρμοῦ νενόμισται εἶναι σχῆμα, *velox eſt animal, eique Mercurii ſpecies creditur ineſſe.* Tutelam arietis ideo Mercurio tributam exiſtimat Pauſanias lib. II. quod is præ cæteris greges tueri, atque augere crederetur: verum cum ſubjungat, quædam ſibi cognita in Magnæ matris initiis de Mercurio, & ariete, quæ proferre non audeat, ſuſpicionem injicit, naturalem ſubeſſe rationem: occulta enim myſteria in illis, Iſiacíſque ſacris rerum utplurimum naturalium interpretationem ſumebant. Ex hoc itaque vernum temporis denotatum exiſtimari poteſt: aries enim cœleſte ſignum vel figurat, ut Manilius loquitur. Ac quia verno tempore tondentur oves, creditus eſt Mercurius ejus rei, ſimulque lanificii auctor fuiſſe. Tertullianus *de Pallio*: *Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum diglubaſſe oveculam, dumque pertentat quod facilitas materiæ ſuadebat, tractu proſequente filum eliquaſſe, &c.* putant docti viri dictum, *diglubaſſe*, pro *deglubiſſe*: non probo: quid enim? ut Mercurius arietem lana exueret, opus habuit excoriare? ſi id deglubere eſt: hoc etiam alienum ab eo, quem gregum præſidem exiſtimabant, ut indicat Pauſanias: *Boni paſtoris eſſe*, ajebat Tiberius, *tondere pecus, non deglubere*: quin ajo nec omnino paſtoris eſſe pecus decoriare, & occidere, ſed lanionis, & coqui, ut eleganter differit Max. Tyrius differt. IX. emendo itaque in Tertulliano *deglabraſſe*, verbo (ni animi fallor) Afri illius ſcriptoris genuino: id valet glabrum reddere, aut calvum facere, ſive id novacula fiat, ſeu vulſura; vellebantur enim antiquitus oves, ante inventam tonſuram, ut Varro auctor eſt libro IV. *de ling. Lat.* & II. *de re ruſt.* capite ultimo, nec non Plinius libro VIII. capite XLVII. & antiquus Perſii interpres ad Sat. II. Sic *deglabrato corpore* Sacerdotes Iſidis fuiſſe ſcribit Lactantius Firmianus libro I. capite XXI. nam & caput decalvare ſoliti, & reliqua membra depilare. Ipſi quoque ſerpentes Mercuriali virgæ annexi ver quodammodo ſubindicant, etenim hujuſmodi animantes ſanitati adſcribuntur, neque ſine his aut Hygeiam cernimus in veterum monumentis, aut Æſculapium medicæ facultatis deum, ut etiam monet Macrobius primo *Satur.* capite XX. porro ver præ cæteris anni partibus ſaluberrimum eſſe, & experientia docet, & teſtatur Hippocrates libro III. *aphor.* IX. nec non Cornelius Celſus libro II. capite I. ac de Mercurio ita loquitur Phurnutus: ὅθεν καὶ τὴν ὑγείαν αὐτῷ συνῴκισαν, *unde & ſanitatem ei copulaverunt.* Videmus etiam ſerpentes verno tempore vetus abjicere exuvium, quod Ariſtoteli V. *de Hiſt. animal.* capite XVII. vocatur κέλυφος τοῦ ἔαρος: idque Plinius libro VIII. capite XXIII. *vernare* dicit. Statius vero IV. *Thebaid.* ita canit:

*——— ceu lubricus alta*
*Anguis humo verni blanda ad ſpiramina Solis*
*Erigitur liber ſenio ———*

quapropter Artemidorus lib. II. *Oneirocr.* cap. XIII. per draconem ait ſignificari χρόνον, διὰ τὸ μῆκος, καὶ διὰ τὸ ἀποδιδύσκεσθαι τὸ γῆρας, καὶ πάλιν νεάζειν, *tempus, propter longitudinem. & quod exuat ſenectam, ac rurſus juveneſcat.* Fabulam de ſerpente, qui efficax ad arcendam ſenectutem remedium adeptus eſſe perhibetur, videre eſt apud Nicandrum in *Theriaca*, ex Æliani lib. VI. *de Nat. animal.* cap. LI. Annum ſane redeunte vere dicimus adoleſcere: propterea quod non tantum apud pleroſque ex noſtris Theologis, ſed & apud Ethnicos vetus fuit opinio, rerum hanc univerſitatem ſuum verno tempore ha-


buisse initium, quod Maro indicat secundo *Georgic.* iis versibus:

*Non alios prima crescentis origine mundi*
*Illuxisse dies.* ———

& quæ sequuntur. Et auctor Pervigilii Veneris:
*Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est.*

seu, ut alii legunt, *Ver renatus orbis est*. Macrobius lib. I. *in Somnium Scip.* cap. XXI. *Ajunt, in-*

A *cipiente die illo, qui primus omnium luxit, id est, quo in hunc fulgorem cœlum, & elementa purgata sunt, qui ideo mundi natalis jure vocitatur, Arietem in medio cœli fuisse*. Et rursum: *Ajunt enim in hac ipsa genitura mundi Ariete (ut diximus) medium cœlum tenente horam fuisse mundi nascentis*. Eumenius Panegyrico Constantio dicto, *O tempus quo merito quondam omnia nata esse credantur*. De Vere enim loquitur. Ejus rei symbolum (ni fallor) expressum videmus in antiquo marmore Romano, cujus ectypon hic damus. Puellus enim hirco insidens, quasi tener




orbis ac fœcundus a Sole temporum moderatore ad Mercurium veris præsidem ablegatus innovationem anni significare videtur. BONÆ vero SPEI inscriptum est marmor, nam ex verna herbarum frondiumque germinatione spes frugum concipi solet: eamque ob rem sacrum ex herba antiquitus Cereri fiebat. Phurnutus: περὶ δὲ τὸ ἔαρ Δημήτρει χλόην θύουσι, μετὰ παιδείας καὶ χαρᾶς, ἰδόντες χλοάζοντα, καὶ ἀφθονίας αὐτοῖς ἐλπίδα ἐπιδεικνύοντα, *verno tempore Cereri virentem herbam cum gaudio, & lusu sacrificant, videntes omnia germinare, ac ubertatis spem protendere*: ejus sacri mentio est apud principem poetam primo *Georgic.*

*In primis venerare deos, atque annua magnæ*
*Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,*
*Extremæ sub casum hiemis jam vere sereno.*

Quid sit hoc loco, *lætis operatus in herbis*, non omnino videntur intellexisse interpretes: innuit poeta, non in pratis tantum, sed adhibita quoque herba fieri consuevisse id genus sacrificii: *lætas* vero non hic accipit, quemadmodum initio ejusdem libri *lætas segetes*, sed alludit ad hilaritatem, qua id festum peragebatur, ut docet Phurnutus. Porro Athenæus lib. XIV. vocatam ait τὴν Δήμητρα ὁτὲ μὲν χλόην, ὁτὲ δὲ ἰουλώ. *Cererem modo herbam virentem, modo fasciculum tritici*. Atque hinc est, quod in sacris Eleusiniis gestabant in cistis Canephoræ, cum flores, tum spicas. Haud tamen ignoro, & alias significationes huic marmori adaptari posse; veluti quod de Baccho diximus, nutricum habuisse

B Mercurium: erat enim hircus Baccho sacer: quin ait Phurnutus, ἑαυτὸν εἶναι τὸν τράγον, *illum ipsum esse hircum*: & quum infans esset, in hœdum conversus dicitur. Διόνυσον (inquit Apollodorus lib. III.) Ζεὺς εἰς ἔριφον ἀλλάξας, τὸν Ἥρας θυμὸν ἔκλεψε: *Bacchum Juppiter in hœdum transformavit, ut eum Junonis iræ subduceret*: addita vero Solis effigies cum facibus, ad ardorem indicandum, ex quo prodiisse fertur Bacchus, ut supra monuimus. Quod si quis ea capri figura ad capricornum cœleste sidus allusum putet, marmoris allegoriam ad Augusti genituram trahet, de qua Suetonius cap. XCIV. Sol vero, sive Apollo ideo exculptus, quia eum Augustus patrem jactabat: at Mercurius cum caduceo,
C & Amaltheæ cornu pacem, rerumque affluentiam præmonstrat: is enim propria appellatione δωτὴρ ἑάων dicebatur, teste Aristide Orat. pro Rhetor. Cæterum ut ad Mercurium Veris parentem revertamur, quod lib. II. tradit Pausanias, Herculis clavam Mercurio consecratam regerminasse, ad rem, qua de agimus, referendum est; diximus enim Herculanam clavam arbores denotare hiberno tempore frondibus exutas, quas Mercurii numen, hoc est, verni temporis virtus convestit. Fabula etiam, quæ de Panos ortu fertur, eum scilicet ex Mercurio in hircum verso, & Penelope genitum, ipsum indicat mundum verno tempore exortum, de quo nuper loquuti sumus. Est
D enim Pan ex Mythologorum omnium sententia rerum universitas: at per Mercurium Ver significari, jam docuimus: qui in hircum versus dicitur ad notandam ejus temporis fœcunditatem, quippe ver ἡ ὥρα γονιμωτάτη, *tempus est fœcundissimum*,

ait Theophastus tertio *de cauf. plant*: ac sane hircum ipsum tanquam fœcunditatis indicium ab Ægyptiis adoratum, prodit Diodorus lib. 1. Penelope vero pro rerum genitrice natura, seu pro hyle capienda est, quæ telas texere, & retexere idcirco dicebatur, ut rerum vicissitudo, ortusque & interitus indicaretur; atque hanc ejus figmenti expositionem esse autumo. Quod vero Verusius quidam Mercurii filius ab Hygino nominatur, si quis ad nominis etymon respiciens (modo ex Græcis non defluxerit) Mercurium ex eo Veris parentem innui, opinatus fuerit, ejus ego sententiæ haud invitus subscripserim.




# HIERONYMI ALEANDRI
## JUNIORIS

*Expositio argumentorum in zona exculptorum antiquæ statuæ ex albo marmore.*

## AD PAULUM GUALDUM

### Archipresbyterum Patavinum.

QUÆSIVISTI a me, Paule Gualde, uti quæ mea esset sententia de statua illa mutila, quæ Romæ nuper eruta apud te asservatur, deque agumentis, quæ signis parum extantibus insculpta visuntur in ejusdem statuæ zona, depromerem. Eam equidem provinciam lubens suscipiam: nam, etsi non sum nescius, infra tuam expectationem fore, quæ in medium sum prolaturus, satis tamen mihi fuerit, tuæ, utcunque potero, morem gerere voluntati. Statua ipsa, sive statuæ truncus, quum careat non capite tantum, sed & brachiis

cruribuſque, cujus ſpeciem geſſerit, haud facile ſuſpicari poſſumus; neque ego is ſum, qui hariolari noverim: ſi qua tamen ex ipſa zona elici poteſt conjectura, quum ſymbolum contineat Solaris virtutis, terrenæque fœcunditatis, ac ſpei oriturarum frugum, ut poſtea demonſtrabimus, non ab re quis exiſtimet, aut rerum parentem Naturam, aut Tellurem matrem, Cybelemve, ſive etiam Junonem, aut Veſtam, quas non minus proterra acceptas, ex Mythologis liquet, ea ſtatua ſignificatas fuiſſe. Quis ſcit, an potius Veneris fuerit ſimulachrum? eam ſiquidem ita alloquitur Lucretius:

*Quæ quoniam rerum naturam ſola gubernas*
*Nec ſine te quidquam dias in luminis oras*
*Exoritur, &c.*

neque tamen qui pectus cingit, exornatque, ceſtus eſt Homeri carminibus nobilis: is enim Cupidinis parentem, atque amorum conciliatricem; noſtrum vero cingulum παναιτίαν arguit; etenim & hoc cognomine inſignitam fuiſſe Venerem tradit Phurnutus. Ipſum ſane cingulum (ſeu pectoralem faſciam dicamus) ſigillis tametſi temporis injuria pene fugientibus, iis tamen diligenter inſpectis, exprimenda graphice curavimus, ita, ut nullo negotio conſtare queat, quid præ ſe ferat. Raptum ſcilicet Proſerpinæ in eo agnoſcimus, comites Deas ſollicitas. Cererem matrem cum lampadibus quæritantem: quid vero ſibi velit Hercules Plutonis quadrigam præcedens, quid Juppiter nubibus inſidens, aperire mox conabimur. Subjecta ſane zodiaci ſigna id efficiunt, ut hæc ipſa argumenta a fabulis disjuncta ad naturales rationes traducantur, ad agricolationem ſcilicet, quæ Soli præcipue debet, quicquid boni ad victum percipit: is enim ſigniferum percurrens circulum frugum ſemina per hiemem fovet calore a frigoribus circumcluſo, & coercito: verno tempore in herbas educit: æſtate, atque autumno maturat, perficitque. Subit vero dolore infelicem Ethnicorum cæcitatem, *quorum deus venter*, ut verbis utar Apoſtoli: ſiquidem eos ſibi deos conſtituebant, qui ventri inſervirent, fruges nimirum, & fructus, terram præterea, ac Solem, Lunamque, tum tempus, pluviam, aerem, quæ omnia naſcituris conducunt rebus alimento idoneis: ut minime mirum ſit, ſi neſcio quis apud Menandrum ſuum agellum ſalutans ita loquitur:

Τὸ γὰρ τρέφον με, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω θεόν.
*Quod me enutrit, id ego judico deum.*

Hoc præter eos, qui pleraque de diis fabuloſa ad phyſiologiam detorquent, ex noſtra zona palam fit: duodecim enim zodiaci ſigna, quæ ſubjecta inſpicimus, nos commonefaciunt, ut Plutonem quadriga vectum, qui potiorem hic obtinet locum, pro Sole capiamus: cui itidem quadrigam Veteres tribuerunt, ſeu pro Solari virtute, qua ex agricultura fructum percipimus: ac ſane quæ Plutoni tribuunt Parcæ apud Claudianum, ea Soli convenire videntur: ſic enim canunt:

*Qui vitam, letumque regis: nam quicquid ubique*
*Gignit materies, hoc te donante creatur,*
*Debeturque tibi certis ambagibus ævi.*

Verum Pluto Sol inferus cenſendus eſt, de quo ita Macrobius primo *Saturnal.* cap. XIX. *Inferi autem nomen Soli datur, quum inferiore hemiſphærio, id eſt, hiemalibus ſignis curſum ſuum peragit; ſuperi, quum partem Zodiaci ambit æſtivam.* Hibernus itaque Sol Proſerpinam rapuiſſe dicitur, quia hibernis menſibus ſemina ſub terris latent, ac ſolari vi foventur, ut ſuo tempore in herbas erumpant: nam Proſerpina, quam vel fruges ajebant eſſe, vel aridorum ſeminum virtutem, tunc ad lucem reduci,

A & reviſere matrem dicebatur: quo ſenſu Orpheus in *Hymnis* ſic tempora alloquitur:

Περσεφόνη συμπαίκτορες, ἡνίκα μοῖραι ταύτην
Καὶ χάριτες κυκλίοισι χοροῖς πρὸς φῶς ἀνάγωσι,
Ζηνὶ χαριζόμεναι, καὶ μητέρι καρποδοτείρῃ,
*Proſerpinæ colluſores, quando Parcæ illam*
*Et Gratiæ circularibus choris ad lucem reducunt,*
*Jovi gratificantes, & matri fructuum datrici.*

nam quod innuit, Parcarum opus eſſe, fructus in apertum educendi, etymon Varronis in mentem revocat ajentis, *Parcas* a *pariendo* dictas, ut eſt apud A. Gellium lib. III. cap. XVII. Porro quam

B intulimus ſignificationem ejuſdem raptus, ea dilucidis verbis a Porphyrio traditur apud Euſebium *de Præparat. Evang.* lib. III. cap. III. ἐπεὶ δὲ (inquit) καὶ τῶν εἰς γῆν βαλλομένων σπερμάτων ἦν τις δύναμις, ἣν ἥλιος περὶ τὸ κάτω ἡμισφαίριον ἰὼν ἕλκει κατὰ τὰς χειμερινὰς τροπάς. κόρη μὲν ἡ δύναμις ἡ σπερματοῦχος, πλούτων δὲ ὁ ὑπὸ γῆν ἰὼν ἥλιος, καὶ τὸν ἀφανῆ περινοστῶν κόσμον, καὶ τὰς χειμερίους τροπάς· ὃς ἁρπάζειν λέγεται τὴν κόρην, ἣν ποθεῖ ἡ Δημήτηρ κρυπτομένην ὑπὸ γῆν: *quoniam vero virtus eſt quædam projectorum humi ſeminum, illam ſubtrahit Sol ſub hemiſphærium currens hiemali tempore. Proſerpina*

C *quidem virtus illa ſeminum, Pluto vero Sol eſt terram ſubiens, atque occultum percurrens orbem, hibernumque ſolſtitium: atque idcirco raptam ab eo Proſerpinam dicunt, quam ſub terra latentem Ceres quæritat*: nec abludit Phurnutus, quum ait: ἁρπάσαι δ' ὁ ᾅδης τὴν θυγατέρα τῆς Δημήτερος ἐμυθεύθη, διὰ τὸν γινόμενον ἐπὶ χρόνον τινὰ τῶν σπερμάτων κατὰ γῆς ἀφανισμόν: *rapuiſſe fertur Pluto Cereris filiam, quia frugum ſemina ad aliquod tempus terra occulantur.* Sic Arnobius lib. I. ex Gentilium fabulis: *ille qui raptam Dite a patre Proſerpinam dicit, non, ut reris, in turpiſſimos appetitus viraginem di-*

D *cit raptam, ſed quia glebis occulimus ſemina, iſſe ſub terras Deam, & cum Orco ſignificat fœdera genitalis conciliare fœturæ.* Nec vero me clam eſt, aut inferiorem hunc aerem, aut terrenam vim per Plutonem apud quoſdam Mythologos ſignificari: verum quamcunque tandem virtutem aut terra obtinet, aut aer ad progenerandas fruges, eam præcipue a Sole haurit, qui primus eſt naturæ ſatelles, menſque mundi, & temperatio, ut ajebat Cicero: is enim vivifico ſuo calore ſub terras immiſſo, ac hiemali frigore circa ſemina compreſſo, vires præbet ad germinandum. ὁ γὰρ ἥλιος οὐ μόνον δοκεῖ τὰ ὑπὲρ γῆς, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπὸ γῆν εὐτραφέστερα καὶ καλλίω ποι-

E εῖν, *videtur enim Sol non ea tantum, quæ ſuper terram, ſed & quæ ſub terra ſunt, uberiora, melioraque reddere*, inquit Theophaſtus lib. III. *de cauſ. plant.* cap. IV. Quamobrem concinne hiberno Soli Plutoni fecere nomen, quod teſte Platone in *Cratylo* a divitiis deductum eſt, ut & Ditis apud Latinos. Cicero II. *de Nat. deor. Terrena autem vis omnis, atque natura Diti patri dedicata eſt; qui Dis, ut apud Græcos πλούτων; quia & recidant omnia in terras, & oriantur e terris.* Hinc Orpheus hymno in Plutonem:

Πλουτοδοτῶν γενεὴν βροτέην καρποῖς ἐνιαυτῶν.
*Divitias largiens humano generi fructibus annuis.*

F Plutoni tributa fuit galea, qua caput contegeret, quæ etiam in proverbium abiit. Ea in noſtro marmore non apparet, quippe exeſum ea in parte erat. De hujuſmodi galea ita Heſychius: Ἄϊδος κυνέη, ἀθάνατόν τι νέφος, ὃ περιβάλλονται οἱ θεοὶ, ὅταν θέλωσιν ἀλλήλοις μὴ γινώσκεσθαι, *Orci galea, nubes quædam immortalium eſt, qua Dii circundantur, quum nolunt invicem cognoſci.* Id Heſychius ex Homero ſumpſit, qui Minervam inducit Orci galea utentem, ne a Marte conſpiceretur. Verum ad rem noſtram propior accedit Porphyrius, qui apud Euſebium, πλούτων δὲ (inquit) ὁ κόρης ἅρπαξ κυνῶν μὲν ἔχει, τοῦ ἀφανοῦς πόλου

A σύμβολον: irrepsit error in illis verbis *κύων μὲν*, in quorum locum omnino substituo *κυνέλω*, & sic interpretor: *Pluto Proserpinæ raptor galeam habet, occulti poli symbolum*. Sed, ut promam ingenue, quod sentio, si hibernum Solem per Plutonem intelligebant, ejus sane galea nihil est aliud, nisi nubes, & nebulæ, quibus hiemali tempore Solis aspectus frequenter nobis subtrahitur. Porro idem Porphyrius, quo magis demonstret, Plutonis figmentum ad Solem pertinere, ita loquitur de Cerbero tricipite: ὁ δὲ κύων αὐτῷ δηλοῖ τὴν κύησιν τῶν καρπῶν, εἰς τρία διῃρημένην, εἰς τὴν καταβολὴν, τὴν ὑποδοχὴν, καὶ τὴν ἀνάδοσιν· οὐ γὰρ παρὰ τὸ τὰς κῆρας ἔχειν πρὸς βορὰν, ὃ δηλοῖ τὰς ψυχὰς, κέκλυται κύων, B ἀλλὰ παρὰ τὸ κυεῖν, οὗ (ita repono pro ἧ) χορηγὸς ὁ Πλούτων, ὅταν ἁρπάσῃ τὴν κόρην: *Ejus autem canis fructuum generationem significat in tria divisam, in sationem, conceptionemque & generationem: haud enim a morte vocatus est, quod defunctorum animas possideat ad vorandum, sed a concipiendo, seu generando: cujus rei Pluto elargitor est, quum Proserpinam rapit.* Proserpinam a Græca nomenclatura derivare videtur Tullius, quum ait secundo *de Natur. deor. Is rapuit Proserpinam, quod Græcorum nomen est: ea enim est, quæ* Περσεφόνη *Græce nominatur, quam frugum semen esse volunt, obsconditamque a matre quæri fingunt.* Alii tamen a *serpendo*, C seu *proserpendo*, ut est apud Varronem lib. IV. *de ling. Lat.* Hinc Arnobius lib. III. *adv. Gent. & quod sata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam.* Fulgentius lib. I. *Mytholog. Proserpinam vero quasi segetem voluerunt, id est, terram radicibus proserpentem, quæ & ἑκάτη Græce dicitur: ἑκατὸν enim Græce centum sunt: & ideo hoc illi nomen imponunt, quia centuplicatum seges proferat fructum.* D. Augustinus VII. *de Civ. Dei*, cap. XX. *In Cereris sacris prædicantur illa Eleusinia, quæ apud Athenienses nobilissima fuerunt; de quibus Varro nihil interpretatur, nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres invenit, & ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit; & hanc ipsam dicit significare fœcunditatem seminum: quæ quum defuis-* D *set quodam tempore eademque sterilitate terra mœreret, exortam esse opinionem, quod filiam Cereris, id est, ipsam fœcunditatem, quæ a proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus abstulerat, & apud inferos detinuerat.* Idem quoque cap. XXIV. dictam asserit terram quandoque *Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges*. Aliam etymi rationem amplexus est Julius Firmicus *de Err. proph. relig. Frugum* (inquit) *substantiam volunt Proserpinam dicere, quia fruges hominibus, quum seri cœperunt, prosint.* Nec E prorsus diversus abit Phurnutus, qui κόρης nomen (nam & hæc Proserpinæ appellatio apud Græcos erat) a saturando deducit: τὴν κόρην (inquit) τετοκῦα, οἷον τὸν κόρον, ἡ πρὸς τὸ τρέφεσθαι μέχρι κόρου ὕλη. *Corum peperit, quasi saturitatem: materia enim est alimenta præbens ad satietatem usque.* Proserpinæ raptum evenisse finxerunt in Sicilia, ad indicandam ejus Insulæ feracitatem, aerisque temperiem, quo etiam trahit Natalis Comes in sua Mythologia florum copiam, in quibus colligendis occupata erat Proserpina, quum a Plutone rapta fuit: at in nostro marmore eversus calathus, & prolabentes flores hiemem denotare videntur, quo tempore herbis floribusque expoliata est terra: ni- F si quis malit eandem hic adaptare significationem, quam fabulæ exsecti Attinis subesse ajebat Porphyrius: quod hisce verbis testatur D. Augustinus lib. VII. *de Civit. Dei*, cap. XXV. *Porphyrius philosophus nobilis, Attin flores significare perhibuit, & ideo abscissum, quia flos decidit ante fructum*: nam segetes ubi defloruerint, turgescunt, perficiunturque. Cæterum Proserpina comiter habuisse dicitur in decerpendis floribus Dianam, & Minervam. Valerius Flaccus lib. V. *Argonaut.*

*Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,*
*Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens*
*Pallados, hinc caræ Proserpina juncta Dianæ.*

quas etiam in zona exsculptas esse, neutiquam est ambigendum: eas nimirum, quæ pone currum Plutonis visuntur manus protendentes quasi de raptu sollicitæ: nam etsi consumptum marmor præcipua Dianæ indicia nequaquam præbet, alteram tamen galeatam, & thoraca indutam satis demonstrat esse Minervam. Tres hasce Deas vestem de collectis floribus Jovi contexuisse refert Diodorus Siculus lib. V. Quid hoc figmento excogitarunt Veteres? Jovem Orpheus aliique mundum esse, professi sunt, superne quidem nudum, inferne vero veste contectum. Infera mundi pars terra est, quæ floribus herbisque tanquam veste operiri solet: id cum ex terrena vi provenit, tum ex cœlesti: terrenam Proserpina commonstrat, Minerva & Diana cœlestem, Lunarem nimirum potestatem, quæ germinum incrementis nimium quantum conducit *udis ignibus nutriens læta semina*, ut inquit Apulejus: ideo Luna Orpheo dicta φερέκαρπος, & τελεσφόρος; & Diana

——— ἄγουσα καλοὺς καρποὺς ἀπὸ γαίης,
——— *educens pulchros fructus e terra.*

Idque occasionem dedit fabulæ Endymionis a Luna adamati, si Fulgentium audimus ita scribentem extremo libro secundo *Mythol. Pastorem Endymionem amasse fertur, quod nocturni roris humor, quem aporrhœa siderum, atque ipsius Lunæ animandis herbarum succis insudat, pastoralibus prosit successibus.* Minervam quoque ad Lunam pertinere (nam de Diana nulli non cognitum) perspicuum est ex D. Augustino, qui cap. XVI. libri septimi *de Civit. Dei* ita scribit: *Minervam etiam, quia eam humanis artibus præposuerunt, nec invenerunt stellam, ubi eam ponerent, eandem vel summum æthera, vel Lunam esse dixerunt.* Arnobius lib. III. *Aristoteles (ut Granius memorat) vir ingenio præpotens, atque in doctrina præcipuus, Minervam esse Lunam, probabilibus argumentis explicat*: quin esse vim Lunæ acriorem, innuit Porphyrius apud Eusebium tertio *de Præpar.* ὅπερ δὲ Ἀπόλλων ἐν ἡλίῳ, τοῦτο Ἀθηνᾶ ἐν σελήνῃ: *quod Apollo in Sole, id Minerva in Luna est*: dixerat autem ignitam Solis vim esse Apollinem. Itaque quod ad Coroneam una cum Minerva Pluto dicatus esset, κατά τινα μυστικὴν αἰτίαν, ut ait Strabo lib. IX. Solaris vis indicatur cum Lunari conjuncta ad frugum, fructuumque generationem promovendam: continebant enim physicas rationes occulta illa Ethnicorum mysteria, ut alibi monuimus. Sed & ipsam Proserpinam Lunæ adjunxerunt, quod passim notum. Diogenianus in Proverb. Ἀθηνᾶ, καὶ Ἄρτεμις, καὶ Ἑκάτη ἓν εἶναι δοκοῦσιν, *Minerva, Diana, & Hecate seu Proserpina unum atque idem esse censentur.* Quocirca qui calor ex Luna promanat, Minerva est: humifica vis, Diana, quam fontibus delectari, & comites habere nymphas ajebant: Proserpina vero, quatenus Lunaris virtus terræ immiscetur ad fruges, herbas, plantasque cæteras implendas: nam eadem quoque de caussa Cererem ipsam Lunæ adscribebant, ut Porphyrius testatur apud Eusebium: qua de re adi Macrobium *Satur.* lib. I. cap. XVI. Jure itaque in fabula raptus statuerunt socias Proserpinæ Minervam, & Dianam, quæ λευκαὶ κόραι ab oraculo nescio quo appellatæ sunt, ut apud Suidam, Jo. Tzetzem, aliosque videre est, ad indicandum fortitan Lunæ candorem. Venerem quoque tribus illis Claudianus addidit ad legendos flores, quod & Hygino in fabulis probatum est: at in nostra zona pro Venere, quæ generandi possidet virtutem, exsculptus Cupido est supra currum Plutonis volitans: is enim ad Dia-

A nam & Proserpinam videtur quodammodo pertinere: audi Tullium II. *de Nat. deor. Dianæ item plures: prima Jovis, & Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur*, &c. ridere sane venit in mentem, veterum de diis fabularum futilitatem, quas quum unicuique confingere pro arbitratu votoque fas foret, proclive fuit in discrepantias prolabi. ex quo factum est, ut earum interpretes necesse habuerint, plures Joves statuere, plures Proserpinas, plures Dianas, aliaque hujusmodi: verum quis in deliramentis ineptiarum constantiam requirat? quod attinet ad rem, qua de agimus, Cupido hic appetitionem illam (ut ita loquar) denotat, B qua inferiora hæc ad cælestia rapiuntur, illa vicissim seminalem vim immittere in terras amant ad rerum procreationem. Itaque in extremis zonæ partibus hinc Ceres pro terra, hinc Juppiter pro cælo, aut æthere seu potius aere conspiciuntur. Cererem sane intelligentiam creditam fuisse, quæ per terram pergit, ex iis colligere est, quæ a Cicerone afferuntur III. *de Natur. deor.* sed & pro terra ipsa capiebatur. Artemidorus lib. I. *Oneirocr.* cap. XLIV. ἔτι καὶ τὴν Δήμητρα τῇ γῇ τὸν αὐτὸν ἔχειν λόγον φασὶν οἱ σοφοί. ζήδωρος γὰρ ἡ γῆ, καὶ φερέσβιος καλεῖται, καὶ βιόδωρος. *Insuper Cererem eandem cum terra rationem habere sapientes ajunt: largitrix enim, atque auctor vitæ, victusque terra* C *appellatur*. Idcirco a gerendis fructibus ita dictam autumant. Cicero II. *de Nat. deor. a gerendis fructibus Ceres tanquam Geres; casuque prima littera itidem immutata, ut a Græcis, nam ab illis quoque* δήμητερ *quasi* γήμητερ *nominata est*: quæ denominatio & a Varrone comprobatur lib. IV. *de ling. Lat.* avideque ab aliis arrepta. Arnobius lib. III. *Terram quidem e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, matrem esse dixerunt magnam: eandem hanc alii, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiat*. Julius Firmicus *de errore prophanarum relig. Terram ipsam Cererem nominant, nomen hoc a ferendis fructibus mutuatum*: pro *ferendis* mallem *gerendis*, ut etymo D magis insistat. Servius tamen in I. *Georgic.* a *creando* deducit, ut & Isidorus lib. VIII. *Orig.* cap. XI. quum ait: *Cererem, id est, terram a creandis frugibus asserunt dictam*, forte quia *cereo* antiquitus dicebatur pro *creo*: unde *cerus manus*, creator bonus in carmine Saliari apud Festum: idque Scaligero in conject. ad Varronem magis placet. At Fulgentius lib. I. *mytholog.* a Græca voce χαρὰ inepte satis etymologiam sumit, sic inquiens: *Ceres enim Græce gaudium dicitur, & ideo illam frumenti Deam esse voluerunt, quod ubi plenitudo fructuum sit, gaudia semper abundare necesse est*. Quod vero E attinet ad δημήτερος etymon, idem quod Cicero testatur Diodorus Siculus lib. I. versiculum illum Orphei laudans:

> Γῆ μήτηρ πάντων Δήμητηρ πλουτοδότειρα.

Et Philo libro *de mundi opificio*: μήτηρ δ' ὡς ἔοικε καὶ ἡ γῆ, παρ' ὃ καὶ τοῖς πρώτοις ἔδοξεν αὐτὴν Δημητρακαλέσαι, τὸ μητρὸς, καὶ γῆς ὄνομα συνθεῖσιν. *Mater etiam ad quandam similitudinem terra est, unde illam* Demetram *appellare antiqui vuluerunt, nomen ex terra & matre conflatum*. Dupliciter Phurnutus variat, quum de Cerere ita loquitur: διὰ δὲ τὸ μητρὸς τρόπον φύειν τε καὶ τρέφειν πάντα, Δήμητραν, οἱονεὶ γῆς μήτραν οὖσαν, ἢ διὸς μητέρα, τὸ καὶ αὐτὸς τὰ ἐπ' αὐτοῖς ἀφθόνως ἐφιεῖσθαι τοῖς ἀνθρώποις δαιτεῖσθαι. F καὶ δαίνυσθαι. *Quod vero instar matris pariat, alatque omnia*, Demetram *nominarunt, quasi terræ matrem: sive etiam Jovis, utpote qui abunde hominibus ea suppeditarit, ac dispertiverit, quibus vesci queant*. Addit insuper, dictam fortasse ἀπο τοῦ δηεῖν quod scilicet invenerit, quæ homines potissimum exquirant. Verum Platoni in *Cratylo* dicitur δημήτηρ, quasi διδοῦσα μήτηρ, ab alimentorum nimirum largitione. Ex his constat, Cererem pro terra habitam. At cur ei serpentes assignarunt? sic enim Cererem alloquitur in *Hymnis* Orpheus:

> Αρμα δρακοντείοισιν ἀποζεύξασα χαλινοῖς.
> *Frænatos dracones ad currum jungens*.

Terram dracones præ cæteris animantibus commonstrare videntur, quod eam toto pene corpore perrepentes verrant: vel idem dicendum, quod in Proserpinæ etymo protulimus, significare videlicet aut radices, aut segetes ipsas, quæ quum parum attollantur, quasi per terras serpere dici queunt: sunt etiam qui existiment, obliquos arationum sulcos designari: at Jo. Goropius Becanus lib. XV. *Hierogl.* denotari putat aut terræ uliginem, aut παλιγγενεσίαν, nam quemadmodum sata semina in segete renascuntur, ita serpentes senectutem exuentes quasi denuo nasci videntur. Huic nostræ Cereri filiam perquirenti cum draconum curru, pene geminus est antiquus denarius a Ful. Ursino exhibitus libro *de Famil. Roman.* in gente Vulteja, & ab Ant. Augustino in Dialog. *de veter. num.* qui quidem si a doctis viris observatus fuisset, haud ita facile vulgatam, probamque lectionem in Minutio Felice sollicitassent, in cujus *Octavio* ita reperio: *Aeres facibus accensis, & serpente circumlata errore surreptam, & corruptam Liberam anxia, & sollicita vestigat*: iterum enim atque iterum moneo, iis, qui philologiæ studiis dant operam, non libros tantum evolvendos esse, sed & veteres nummos, aliaque antiqua monumenta excutienda. Quamobrem lectio illa *circundata* pro *circumlata*, quam ex Regio codice Des. Heraldus supponit, rejicienda omnino est; neque ejus audienda interpretatio affirmantis, idipsum esse, quod ait Apulejus, *dextra lævaque sulcis insurgentium viperarum cohibita*: siquidem Apulejus de Iside loquitur: at dices, quæ Isis Ægyptis, eadem Ceres Græcis Romanisque, ut testantur Herodotus, Diodorus, Pausanias, alii: id me non fugit, sed vero ajo, non eundem utrique ornatum, ac diversam fuisse significationem viperis, aspidibusque Isidis a Cereris draconibus, nec immorari operæpretium in re omnibus obvia. Magis etiam repudianda correctio Jo. Meursii in *Hypocritico Minutiano*, ubi pro *serpente circumlata* reponit *derepente circulata*: nam quod ait, apud nullos scriptores reperiri ea in re serpentum mentionem, eruditum profecto virum fugit ratio. Scio a quibusdam traditum, totam illam pervestigationem pedibus fuisse peractam, quapropter Callimachus mirari se ait, quo pacto Cererem per tot regiones ferre pedes valuerint: verum, ut est fabularum inconstantia, aliter alii tradiderunt. Apud Ovid. V. *Met.* Ceres ubi ex Arethusa cognovisset Proserpinæ raptum,

> —— *curribus auras*
> *Exit in æthereas*. ——

& apertius scribit idem poeta quarto *Fastorum*, Sicula quidem loca pedibus a Cerere peragrata, at quum extra insulam abire vellet, currum conscendisse:

> *Est specus exesi structura pumicis asper,*
> *Non homini facilis, non adeunda feræ.*
> *Quo simulac venit, frænatos curribus angues*
> *Junxit, & æquoreas sicca pererrat aquas.*
> *Et fugit ad Syrtes.*

cum iis, quæ sequuntur. Sed & quum e Celei & Menalinæ domo abscederet,

> *Dixit, & egrediens nubem trahit, inque dracones*
> *Transit, & alifero tollitur axe Ceres.*

neque enim Siciliam tantum, sed universam pererrasse terram traditur. Cicero act. VI. *in Verrem: quam quum investigare, & conquirere Aeres vellet, di-*

*citur inflammasse tædas iis ignibus, qui ex Aetnæ vertice erumpunt, quas sibi quum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum*: sed & in cælum indagatum ivisse. Naso eod. lib. IIII. *Fastor.*

*Quo feror? immensum est, erratas dicere terras:*
*Præteritus Cereri nullus in orbe locus.*
*Errat & in cœlo* ——

Medeæ quoque tribuunt fabulatores currum a draconibus actum: ac sane si fabulæ medullam perscrutari velimus, non alia a Cerere Medea reperietur; nam & Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. XII. Majam, hoc est, terram, Bonam deam, & Medeam unam eandemque creditam esse refert. Jasionem Ceres adamavit, Medea Jasonem, quem agri colendi rationem docuit: quo enim spectant taurorum subjugatio? aratio terræ? dentium draconis satio? exortus armatorum hominum? aurei velleris adeptio? Aureum vellus opes sunt, quæ segetum ubertate parantur: dentes draconis, frugum semina sulcis credita: viri hastati, spicæ aristis armatæ. Haud igitur mirum, si Medeæ æque ac Cereri datus fuit currus serpentum. Porro duæ sunt faces, quibus & in nomismate illo, & in marmore nostro Ceres sibi prælucet: idque & scriptorum testimonio memoratur. Ovidius quinto *Metamorphoseon*:

—— *illa duabus*
*Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna.*

nam quum ambabus manibus id egisse dicat, duas innuit fuisse faces; apertius tamen lib. IV. *Fastorum*:

*Illic accendit geminas pro lampade pinus,*
*Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.*

Arnobius lib. V. *sumit faces geminas flammis comprehensas Aetnæis, quibus sibi prælucens pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis*; quas tamen Ovidius nominat pinus, eas Claudianus ait fuisse cupressus. Quæ hisce facibus insit significatio, aperit Fulgentius primo *Mytholog.* iis verbis: *Hanc etiam raptam cum lampadibus mater quærere dicitur, unde & lampadum dies Cereri dedicatus est, illa videlicet ratione, quod hoc tempore cum lampadibus, id est, cum Solis fervore seges ad metendum cum gaudio requiratur.* At quum eas succendisse dicatur ex Aetna, magis est, ut existimem cum Goropio, subterraneum denotari calorem, qui seminibus vim impertit percoquendi alimenta, aut augescendi. Cæterum non sufficiunt frugibus ut adolescant materna officia, opus etiam habent genitoris auxilio; ideo exculptus Juppiter in extrema fascia, quem pro cælo capias licet, aut pro aere: cælum enim rationem patris habere in rerum procreatione, terram matris, ex Aristotele quoque liquet, quum lib. I. *de generat. anim.* cap. II. ita scribit: διὸ καὶ ἐν τῷ ὅλῳ τὴν τῆς γῆς φύσιν, ὡς θῆλυ καὶ μητέρα νομίζουσιν. οὐρανὸν δὲ καὶ ἥλιον, καὶ εἴ τι τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ὡς γεννῶντας καὶ πατέρας προσαγορεύουσι. *Idcirco in universo quoque naturam terræ quasi fœminam, matremque existimant; cælum autem, & Solem, & si alia sunt generis ejusdem, perinde ut genitores, patresque appellant.* Derosum sane marmor Jovis faciem, ut & proximi Herculis, abstulit, at notæ supersunt, quibus ii facile dignoscuntur. Jovem intuemur nubibus insidentem, & seminudum; nam ut explicat Porphyrius ab Eusebio relatus lib. III. *de Præpar.* provida credebatur esse, & vivifica rerum virtus; sedere fingebatur, ut immutabilis ejus soliditas exprimeretur; nudabantur superiora, quoniam conspicua est eadem virtus intellectualibus, ac cælestibus partibus: inferiora tegebantur, ut indicaretur, occultari mortalibus humi degentibus. Eandem prope expositionem affert Suidas verbo Ζεύς, &, ut apparet, ex Suida Geor. Codinus in libello *de Origin. Constantinop.* Verum non tantum creatrix rerum mens censebatur Juppiter, sed quandoque mundus ipse, quandoque cælum, aut aer, &, ut testatur præ cæteris Seneca lib. IV. *quæst. natur.* cap. XLV. omne illi nomen conveniebat, quo universitatis procreatio innueretur, aut gubernatio. Hinc de Jove legimus apud D. Augustinum VII. *de Civit.* cap. IX. *Deus est, inquiunt, habens potestatem caussarum, quibus aliquid fit in mundo.* Ac principium, finisque omnium nominatur ab Orpheo *in Hymnis*:

Παντογένεθλ', ἀρχὴ πάντων τε τελευτή.

Sed ad rem nostram ut propius accedamus, D. Augustini verba in medium sunt afferenda ex eodem libro, cap. XVI. *Ditem patrem, hoc est, Orcum, terrenam & infimam partem mundi. Liberum & Cererem præponunt seminibus, vel illum masculinis, illam fœmininis, vel illum liquori, illam vero ariditati seminum; & hoc utique totum refertur ad mundum, id est, Jovem, qui propterea dictus est progenitor, genitrixque, quod omnium semina ex se emitteret, & in se reciperet.* Quare frugum fertilitas ei accepta ferenda: Hesiodus:

Ὧδέ κεν ἁδροσύνῃ στάχυες νεύοιεν ἔραζε.
Εἰ τέλος αὐτὸς ὄπισθεν Ὀλύμπιος ἐσθλὸν ὀπάζοι.
*Sic quidem ubertate spicæ nutabunt ad terram,*
*Si finem ipse postea Juppiter bonum præbuerit.*

ac propterea ἐπικάρπιον vocitatum, liquet ex Arriani Epict. lib. I. cap. XXII. Hinc est, quod finxerunt fabulatores, raptum illum Proserpinæ ope & consilio Jovis effectum. Apollodorus lib. I. *Biblioth.* Πλούτος δὲ Περσεφόνης ἐρασθεὶς, Διὸς συνεργοῦντος, ἥρπασεν αὐτὴν κρύφα, *Pluto amore Proserpinæ captus Jovis ope ipsam clam rapuit.* Hesiodus in *Theog.* de Proserpina loquens:

—— ἣν Αἰδωνεὺς
Ἥρπασεν ἧς παρὰ μητρός· ἔδωκε δὲ μητίετα Ζεύς;
—— *quam Pluto*
*Rapuit sua a matre: dedit autem consiliarius Jupiter.*

At quum in marmore nostro Jovem inspiciamus in nubibus sedentem, eum scilicet, qui νεφεληγερέτης & κελαινεφὴς Homero, Hesiodo, aliisque dicitur, ὕων vero Luciano & ὑέτιος, ut & Arriano in Epicteto, & *pluvius* Tibullo: in eam sententiam ducor, ut putem, symbolum esse aeris nubibus obducti, atque imbres demittentis; tunc enim instar patris quasi vim seminalem in terram matrem infundere censetur: unde eleganter Lucretius lib. II.

*Omnibus ille idem pater est, unde alma liquentes*
*Humorum guttas mater quum terra recepit,*
*Fœta parit nitidas segetes arbustaque læta, &c.*

& elegantissime Maro II. *Georgic.*

*Tunc pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
*Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes*
*Magnus alit magno permistus corpore fœtus.*

nam quemadmodum *sine aqua omnis arida ac misera agricultura*, inquit Varro lib. I. *de Re rust.* ita usque adeo sunt pluviæ satis, cæterisque plantis necessariæ, ut vel ipsæ arundines quamvis in palude prognatæ non tamen sine imbre adolescant, teste Plinio lib. IX. cap. XVI. quod & asserit Aristoteles VIII. *de Hist. anim.* cap. XIX. & Plutarchus *quæst. natur.* cap. I. Jure itaque vocantur nubila ab Orpheo *in Hymnis* καρποτρόφοι, & apud Sophoclem legitur ὄμπνιον νέφος, quasi segetes & alimenta nubibus debeamus: haud enim facile admittenda interpretatio illa Diogeniani parœmiographi: μέγα πολὺ ηὐξημένον. Atque illud est, quod scribit Arnobius: *Jovem pro pluvia, Cererem pro terra vultis audire, & pro Libera ac patre Dite submersionem seminis, atque jactum*: & rursus lib. V. *Qui dicit, cum sua concubuit Juppiter matre, non incestas significat, aut propudiosas Veneris complexiones, sed Jovem, pro pluvia, pro tellure Cererem nomi-*

*nat: & qui rursum perhibet, lascivias eum exercuisse cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur, sed pro imbris nomine ponit Jovem, in filiæ significatione sementem.* Tam enim Proserpinam filiam, quam Cererem sive Rheam matrem a Jove sub draconis specie fuisse violatas, tradunt fabulæ, testibus Clemente Alexandrino, Athenagora, Nonno, aliisque. Superest, ut de Hercule loquamur, quem ante Plutonis currum stantem intuemur. Sed animadvertendum prius, videri quodammodo hujusce fasciæ opificem præ oculis habuisse verba illa Varronis ex lib. I. *de Re Rust.* quibus præcipuos agricolationis deos complectitur: *primum qui omnes fructus agriculturæ cælo & terra continent, Jovem, & Tellurem; itaque quod ii parentes magni dicuntur, Juppiter pater appellatur, Tellus terra mater, secundo Solem, & Lunam, quorum tempora observantur, quum quædam seruntur, & conduntur.* Quippe inspiciuntur in fascia Juppiter cæli, sive aeris, Ceres terræ symbolum: Pluto Solem, Minerva & Diana Lunam referentes. Hercules vero tempus significat, sive temporis observationem. At quoniam addit Palladius industriam, quum ait lib. I. *bene colendi ratio quattuor rebus constat, aere, aqua, terra, industria*, hanc etiam sub Hercule intelligere possumus, utpote qui totam in laboribus, & ærumnis vitam transegerit: id quod ansam dedit Artemidoro labores præsagiendi iis, qui cum Hercule conversari, aut ab ipso arma accipere somniarent. Eum vide lib. II. *Oneirocr.* cap. XLII. Quapropter scite ab Hesiodo præfixus est titulus libro suo de agricultura, ἔργα, καὶ ἡμέραι, nam per opera innuit, agriculturam esse artem, quæ non otio, mertiave peragitur, sed industria, & labore: per dies significat, opera ipsa congruum requirere tempus: ac jure suum illum Persam idem poeta hoc pacto hortatur:

Ἐργάζευ Πέρση δῖον γένος. ὄφρα σε λιμὸς
Ἐχθαίρῃ, φιλέῃ δὲ ἐΰστέφανος Δημήτηρ
Αἰδοίη. βιότου δὲ τεὴν πίμπλησι καλιήν.
Λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί.
*Operare, o Persa divum genus; ut te fames*
*Oderit, amet autem palchre-coronata Ceres*
*Veneranda, victuque tuum impleat horreum.*
*Fames enim omnino ignavo comes est viro.*

& iterum;

Ἐξ ἔργων δ᾽ ἄνδρες πολύμηλοί τ᾽ ἀφνειοί τε,
*Ex laboribus viri evadunt pecorosi, & opulenti.*

& libro secundo:

Οὐ γὰρ ἐτωσιοεργὸς ἀνὴρ πίμπλησι καλιήν.
*Non enim labores fugitans vir implet horreum.*

Itaque hujusmodi operationis symbolum fuisse jactationem Gallorum magnæ Matris, ex Varronis sententia refert D. Augustinus lib. VII. *de Civit. Dei* cap. XXIV. *quod se apud eam jactant; præcipitur (inquit) qui terram colunt, ne sedeant, semper enim esse, quod agant.* Atque huc respexit Phurnutus, quum Proserpinam a ferendis laboribus dictam asseruit. ἐκάλεσαν δὲ (inquit) Περσεφόνην τὴν τῆς Δημήτερος θυγατέρα, διὰ τὸ ἐπίπονον εἶναι καὶ πόνων οἰστικὴν ἐργασίαν, ἢ τῷ ἐκ πάντων ὑπομονῆς φέρεσθαι. *Proserpinam nuncupaverunt filiam Cereris, eo quod ærumnosa sit, laborumque patiens operatio, aut quod*

A *toleranter omnia perferat.* At vero tempus quoque per Herculem commonstrari, satis liquet ex Probi testimonio, quod in Expositione Tabulæ Heliacæ adduximus; quamobrem sic alloquitur Herculem Orpheus *in Hymnis*: πανφάγε, παγγενέτωρ, *omnia consumens, omnia gignens.* nec alio spectabat voracitas Herculis passim decantata: nam & Saturnum (qui etiam temporis fuit adumbratio) filios vorare ajebant, sicque vocatum, quod saturetur annis, ut ex Tullio colligere licet lib. *de Nat. deor.* Lubet vero hic describere, quod de Hercule tempus referente, deque rerum initiis ex Orpheo tradidit Athenagoras *Apolog. pro Chistian.* ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ᾽ αὐτὸν τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη, ἐκ
B δὲ ἑκατέρων ἐγεννήθη ζῶον δράκων προσπεφυκυῖαν ἔχων κεφαλὴν λέοντος. διὰ μέσου δὲ αὐτῶν θεοῦ πρόσωπον, ὄνομα Ἡρακλῆς, καὶ χρόνος. *Fuit aqua ex ipsius sententia rerum omnium principium, ex aqua vero lutum ortum est, ex utroque progenitum animal draco, cui adnatum erat caput leonis; mediam autem hæc duo continebant faciem dei, cui nomen Hercules, & tempus.* Quædam præterea subdit ad eam rem facientia. Sed minime silendum hoc loco, Herculem hunc, quem temporis præsidem Orpheus facit, aut Græcum esse Alcmena genitum; hic enim Orphei coævus, & in musicis fuit discipulus: sed fortasse Ægyptium illum, qui plus mille annis
C hunc præcessit, auctore Diodoro Siculo, quique inter duodecim primores deos fuit connumeratus, ut scribit Herodotus lib. II. etenim Ægyptii, a quibus suam hausit Orpheus theologiam, quum rebus naturalibus deorum numen nomenque tribuerent, easdem suorum appellatione Regum, qui jam pridem ex humanis excessissent, insignibant. Itaque terram dixerunt Isdem, Nilum Osirim, Herculem tempus. Græci autem non tantum labores Ægyptio adscriptos, sed & temporis significationem Thebano illi suo tribuerunt, quum fabulas ad physicam traduxerunt rationem, quod & ab aliis ob-
D servatum scio. Illud igitur fasciæ argumenta sibi volunt; ex semente hiberno tempore humi abscondita fertilissimas parari messes, si a vivifica inprimis vi Solis, qui res omnes (ut ait Macrobius primo *Saturn.*) *inseminat, progenerat, nutrit, fovet, maturatque*, tum ab idoneo soli ubere, ab aeris temperie, ac pluviarum tempestivo madore, ab humifico calore Lunæ, ab agricolæ industria suo tempore præstita, fuerit adjuta, neque enim omnino verum est vetus adagium ἔτος φέρει οὐχὶ ἄρουρα, *annus fructificat non humus*, ut Theophrastus consideravit cap. VIII. libri VIII. *hist. plant.* nam & cætera conferunt, quæ nominavimus, quæque hujusce
E zonæ symbolis continentur.

Porro videtur hujusmodi symbolicus Proserpinæ raptus in usu apud Veteres fuisse: nam ut illos mittam, nobilium artificum opera, quorum meminit Plinius, alterum ex ære, alterum in Tabula pictum, & quem incisum Tranquillus memorat in quadam Neroniani annuli gemma: post confectum commentarium duos Romæ in antiquis marmoribus sculptos videre mihi contigit, alterum apud Acorombonios, alterum in quibusdam Hispanorum ædibus e regione templi D. Ludovici: posteriorem hunc, quod a nostro haud prorsus discrepat,



exprimendum hic curavimus: nam etſi aliqua in parte vetuſtatis vim paſſus eſt, adjuti tamen non parum ſumus Mariangeli Accurſii *Diatribis*, qui liber Romæ cuſus anno M. D. XXIIII. inter alias imagines deorum, aliarumque rerum, quas ornatu gratias expreſſas in fronte gerit, marmore hoc graphice exhibet, quod integrum eo tempore fuiſſe exiſtimari poteſt. Ceres in eo viſitur jugatis draconibus vecta, unicam tamen facem geſtans: præcedunt tres puellæ, quarum una alata: eæ forſitan aut Parcas adumbrant, aut Horas, quas cum Proſerpina colludere ajebat Orpheus: de quibus vide omnino Natalem in *Mythologia*: quamvis Horas nudas, Parcas veſte indutas effingi ſolitas, ſcribat Artemidorus libro II. præter has Minerva ſtricto gladio Plutoni minitatur Proſerpinam curru avehenti: ipſe vero Pluto barbatus eſt: num quia hibernum Solem ſignificat? eſt enim hiems quaſi anni ſenectus, ut diximus in Explicatione Tabulæ Heliacæ. At Plutonios equos non Hercules præit, ut in noſtra zona, ſed Mercurius, quemadmodum & in marmore Accorromboniano, eoſque ductare videtur; quod nimirum tam inferum miniſter crederetur, quam ſuperum: verius tamen puto, ideo effictum, quia lucri deus cenſebatur, quod & de Hercule creditum, ut teſtantur veteres gloſſographi ad Horat. Sat. V. libro II. & Perſii Sat. II. provenit vero lucrum ex frugum copia. Subter ipſas quadrigas mulier jacet humi ſtrata Amaltheæ cornu tenens, ſcilicet aut Copiam deſignans, aut Tellurem matrem; ut & marmor Accorombonianum præfefert: deſuper puellus cernitur non alatus, ut in noſtra zona, ſed elatis manibus faſciam tollens aut retortam veſtem, quæ ſupra verticem curvatur in arcum: quo etiam ſchemate alata illa puella effiСta eſt, quæ Cereris currum proxima anteit; habent quid ſimile & Ceres & Pluto, cum in hoc marmore, tum in noſtra zona. Ac vento quidem id tribui poteſt, capitis tegumenta, alioſve amictus effundenti; ſiquidem Philoſtratus libro II. *Iconum* Galateam deſcribit veſtem ſupra caput ad zephyros expandentem, ut ſibi umbraculum faceret, currui velum: Achilles vero Tatius Europæ a tauro per mare vectæ peplum veli uſum præbuiſſe in pictæ Tabulæ enarratione commemorat; verum exiſtimari facile poteſt, numina a Veteribus hac ratione quandoque efficta: hinc Alfonſus Ciacconius in expoſitione Columnæ Trajanæ ad numerum CCCVIII. ſimulacrum juvenis intra circumambientem amictum expreſſi, Solem orientem interpretatur, aut alium quempiam ex diis gentium. Præcipue vero id marinis diis, ac fluvialibus tributum, ut iis compertum eſt, qui vetera monumenta præ manibus habent: videturque huc trahendum quod ait Virgil. lib. VIII.

*Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,*
*Pandentemque ſinus, & torta veſte vocantem*
*Cæruleum in gremium, latebroſaque flumina victos.*

ſi Oberti Giſanii caſtigationem probamus in indice Lucretiano reponentis *torta* pro *tota*: nam & Auſonius de Saravo fluvio in *Moſella* ſic cecinit:

*Naviger undiſona dudum me mole Saravus*
*Torta veſte vocat.* ———

ut in exaratis manu codicibus legitur: quamquam innuat Giſanius, tortam veſtem, aut arcuatam tribui fluminibus ad indicandam fluxus obliquitatem. Non exerraverit, qui ſymbola hujuſce marmoris ad Eleuſinia myſteria referet, quæ aut eadem cum Samothraciis, aut altera ex alteris traducta, quemadmodum ex Diodori libro III. & V. colligere eſt: proinde utraque junctim nominant Ovidius I. *de Arte aman.* Tertullianus *Apologetico*, & Athenagoras Orat. pro Chriſt. qui objectam ait impietatem Diagoræ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰ τῶν Καβείρων δημεύοντι μυστήρια: *quod evulgaret Eleuſinia, & Cabirorum myſteria*: erant enim Cabiri Samothracum ſacrorum præſides, atque iidem, quos in marmore inſpicimus, Ceres, Proſerpina, Pluto, Mercurius. Scholiaſtes Apollonii ad primum *Argonaut.* μυοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν· Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ· Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη· Ἀξιόκερσος δὲ ὁ ᾅδης. ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, ὁ Ἑρμῆς ἐστιν. ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. *Initiantur in Samothracia Cabiris, quorum etiam nomina Mnaſeas recenſet: ii quatuor numero ſunt, Axieros, Axiocerſa, Axiocerſus. Axieros Ceres eſt, Axiocerſa Proſerpina, Axiocerſus Pluto: quartus additur Camillus,* ſive adminiſter, *iſque Mercurius eſt, quemadmodum tradit Dionyſodorus*. Camilli dicebantur ſacrorum miniſtri, eoque præcipue nomine appellabatur Mercurius, ut meminere Servius & Macrobius. Itaque hæſitare non debuit ea in re Lud. Carrio in ſcholiis ad Valerium Flaccum: nam quos antiqui *Caſmilos*, aut *Caſmillos*, lenito nomine recentiores dixerunt *Camillos*, veluti etiam *Camœnas*, quæ prius fuerant *Caſmœnæ*, auctore Varrone. Idque doctiſſimus poeta Maro indicare voluit lib. XI. *Aen.* quum maternum nomen filiæ tribuit exigua ex parte immutatum, ſic inquiens:

——— *matriſque vocavit*
*Nomine Caſmillæ mutata parte Camillam.*

Aperte Varro lib. VI. *de ling. Lat. Caſmillus nominatur in Samothraces myſteriis divus quidam adminiſter diis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in Poematiis ejus inveni*: at eundem Cabirorum miniſtrum Strabo lib. X. Κάμιλον appellat, ſiquidem ſuo ſeculo extrita littera id nomen enuntiabatur: quanquam (ut inconſtanter variant fabulæ) parentem potius, quam miniſtrum Cabirorum fuiſſe ex Acuſilao Argivo referat. Finitimis quoque inſulis ea ſacra communicaverat Samothrace, veluti Lemno, quod ex Strabone liquet, & Imbro, de qua ita Euſtathius in Dionyſ. *Perieg.* ἡ δὲ Ἴμβρος Θρᾳκικὴ μέν ἐστι νῆσος, ἱερὰ Καβείρων καὶ αὐτή. ὄνομα δὲ δαιμόνων Κάβειροι. ἐτιμᾶτο δὲ αὐτόθι καὶ Ἑρμῆς, ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ Κᾶρες. *Eſt Imbrus Thraciæ inſula ſacra & ipſa Cabiris: porro dii quidam Cabiri dicebantur: ſed & Mercurius ibidem colebatur, quem Cares Imbrium vocant.* Cabiros Varro videtur interpretari Deos magnos, non tantum iis verbis, quæ nuper adduximus, ſed & libro IIII. quum ait. *Terra enim & cælum, ut Samothracum Initia docent, ſunt Dei magni*: paulo poſt: *hi, quos Augurum libri ſcriptos habent ſic, Divipotes, & ſunt pro illis, qui in Samothrace* θεοὶ δυνατοὶ vide etiam quæ ex Caſſio Hemina profert Macrobius III. *Saturn.* cap. IV. his conſonat, quod monent Scaliger in conjectaneis ad Varronem, & Caſaubonus in Comment. ad Strabonem, *Cabir* Hebræa, & Phœnicia lingua potentem ſignificare; quamvis & Apollonii interpres, & Geographus ex Cabiris Phrygiæ montibus deducant. Dicebantur quoque *Curetes*, & *Corybantes*. Orpheus in *Hymnis*.

Κουρῆτες, Κορύβαντες, ἀνάκτορες εὐδύνατοί τε,
Ἐν Σαμοθράκῃ ἄνακτες. ———
*Curetes, Corybantes, rectoreſque potentes,*
*In Samothrace Dii.* ———

itaque Dionyſio cognominatur Samothracia Κορυβάντιον ἄστυ: quo loco Euſtathius: Κορυβάντιον ἄστυ λέγει, διὰ τὰ ἐκεῖ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, *Corybanticam urbem appellat, quod illic eſſent Corybantum myſteria*. Idem Euſtathius: Σάμος Θρᾳκία, ἥτις Καβείρων εἶχεν ἱερὰν, οἱ καὶ Κορύβαντες ἐλέγοντο. *Samothracia,*

*ubi Cabirorum sacra, qui & Corybantes dicebantur*. Idem constat ex Strabone lib. x. qui etiam docet, hujusmodi deorum appellationem ad sacrorum famulos translatam, ac prope eosdem fuisse Cabiros, Curetes, Corybantas, Idæos Dactylos, Telchines. Quod vero in marmore præter quattuor illos Cabiros Minerva quoque sit addita, mirum nemini videri debet, quum apud Rhodios evulgatum fuisse tradat Geographus, *ὡς εἶεν Κορύβαντες δαίμονές τινες Ἀθηνᾶς καὶ Ἡλίου παῖδες*, *esse Corybantes deos quosdam Minervæ & Solis filios*. Erant igitur Cabiri Samothracii, sive dii magni ex Varronis sententia (qui ridicula illa cæremoniarum arcana prodere non est veritus) Cælum, & Terra, Pluto & Mercurius cælestem vim indicabant, Ceres & Proserpina terrestrem. Pluto nimirum hiberni Solis calor est, Mercurius aer, qui eundem calorem terræ videtur communicare: ideo effictum eo schemate inspicimus, quasi quadrigas ducat. Per Cererem significari terram sationibus aptam supra docuimus; per Proserpinam vim subterraneam. Varro lib. IV. *de ling. Lat. Hinc Epicharmus Enni Proserpinam quoque appellat, quod solet esse sub terris; Proserpina dicta, quod hæc ut serpens modo in dextram, modo in sinistram partem late movetur*. Huc enim spectabant Samothracia sacra, & Eleusinia mysteria, quæ *lætificas messium cæremonias* nominat Apulejus; quod & Diodorus Siculus lib. III. innuit iis verbis: *Καθόλου γὰρ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν καὶ μυθογράφων τὴν Δήμητραν γῆν μητέρα προσαγορεύεσθαι. σύμφωνα δὲ τούτοις εἶναι τά τε δηλούμενα διὰ τῶν Ορφικῶν ποιημάτων, περὶ ὧν οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις τὰ κατὰ μέρος*. *Compertum est, ab antiquis poetis ac fabularum scriptoribus Cereris nomine terram matrem appellari: consona quoque his sunt, quæ Orphicis carminibus manifestantur, quæque in mysteriis exhibentur, quæ nefas est singillatim profanis enarrare*: quocirca ajebat Varro, mysticam in Eleusiniis ritibus significationem nihil aliud fuisse, quam frumenti inventionem, & seminum fœcunditatem, ut ex D. Augustino supra indicavimus; ac propterea Samothracii Curetes, seu Cabiri dicuntur Orpheo *ἀροτρόφοι*, & *φερέκαρποι*. Igitur referuntur omnia ad agriculturam, & fructus inde enascentes; qui sane scopus est, ad quem nostram hanc zonæ expositionem diximus.

---

CONFECTA hæc erant, atque adeo typis mandata, quum in alia duo marmora Romæ incidi raptum Proserpinæ præ se ferentia: alterum in fronte positum pulcherrimæ porticus hortorum Quirinalium Ducis ab Altaems, alterum nuper affixum parieti ad impluvium vergenti ædium Hasdrubalis Matthæi Marchionis Jovii: primum nihil distat ad eo, quod delineatum proxime exhibimus; nisi quod puer currum Plutonis supervolitans alatus est. Sed & tres puellæ inter Cererem Palla-
A demque sitæ alatæ omnes videntur. Alterum vero marmor longe diversum est. Siquidem Mercurius non præcedit Plutonis quadrigas, sed una ad latus currens fingitur: pone currum stat Juppiter eo gestu effictus, ut adjuvasse raptum videatur. Duo itidem calathi eversi visuntur effusis floribus, quorum alterum puella quædam genu nixa tollere e terra nititur: alia puella prope Cererem alata fasciam manibus erigit caput ambientem: at ipsa Ceres cum lampade non draconum curru vehitur, sed biga equorum: quod singulare esse existimo; neque (si hæc monumenta excipias) id uspiam cernere mihi licuit. At quoniam datam mihi ansam video,
B nolim dissimulare, quadrigas Plutonis in fascia nostra quorundam oculis diligentius intuentium non videri equorum, sed leonum: etenim supra monui, signa fasciæ adeo vetustate esse ambesa, ut nonnullis in partibus ægre dignoscantur. Id vero non minus singulare putandum est: quis enim poetarum, quis artificum Plutonem unquam finxit leonibus vectum? At quoniam Solare animal leo est ob caliditatem, non minus quam equus ob celeritatem, fulcitur hoc figmento nostra expositio, dum diximus Plutonis typo Solem intelligi suo calore semina foventem hibernis mensibus humi latentia. Illud etiam monendum putavi, marmora singula,
C quorum supra meminimus, sepulchra fuisse; eorum scilicet (ut reor) qui mysteriis Eleusiniis initiati essent: eo enim symbolo indicare forsitan volebant, æternam sese quietem nactos esse. Isocrates in Panegyr. de iis initiationibus loquens: *καὶ τὴν τελετὴν, ἧς οἱ μετέχοντες περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς, καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος, ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν*. *Et occultum illud sacrum, in quod recepti qui sunt, ii & de vitæ exitu, & de universo ævo spes jucundiores concipiunt*. Aristides in *Panathenaica*: *τὰς δ' ἀῤῥήτους τελετὰς, ὧν τοῖς μετασχοῦσι καὶ μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν βελτίω τὰ πράγματα γίγνεσθαι δοκεῖ*, &c. *Arcana illa mysteria, quorum qui fiunt participes, meliori*
D *quoque in loco res eorum post vitæ exitum collocari existimantur*, &c. Idem in *Eleusinia*: *ἀλλὰ μὴν τό γε κέρδος τῆς πανηγύρεως, οὐχ ὅσον ἡ παροῦσα εὐθυμία, οὐδ' αἱ τῶν ἐκ προτέρου χρόνου δυσκολιῶν λύσεις καὶ ἀπαλλαγαὶ, ἀλλὰ καὶ τὸ περὶ τῆς τελευτῆς ἡδίους ἔχειν τὰς ἐλπίδας ὡς ἄμεινον διάξοντας. καὶ οὐκ ἐν σκότῳ τε καὶ βορβόρῳ κεισομένους, ἃ δὴ τοὺς ἀμυήτους ἀναμένει*. *Verum id lucri erat hujuscemodi conventui, ut non tantum sibi adesset præsens animi tranquillitas, non tantum expiati liberique forent ab exacti temporis molestiis, sed & suaviori spe afficerentur, melius etiam post obitum secum actum iri, nec fore ut in tenebris sordibusque una cum profanis degerent*. Sperabant nimirum in piorum cœtum iri se receptum. Suidas: *ἐδόκουν οἱ μυούμενοι εἰς τοὺς εὐσεβεῖς τάττεσθαι*: quod
E & alii testantur: atque ea persuasio immane quantum addiderit dignationis illis mysteriis: quo fit, ut nullo pacto addubitem memorata monumenta iis adscribere.

# MICHAELIS ANGELI
# CAVSEI DE LA CHAVSSE
## DEORUM SIMULACRA,
## IDOLA, ALIAEQUE
### IMAGINES AEREAE.

TAB. II



Apud I.P. Bellorium in orbe æreo

TAB. III



Apud Authorem in statua ex ære.

TAB. IV



Apud E.P. Burghesium



DEA ROMA Apud Authorem

TAB. I.

# MICHAELIS ANGELI CAUSEI DE LA CHAUSSE DEORUM SIMULACRA, IDOLA, ALIÆQUE IMAGINES ÆREÆ.

## TABULA I.



ROMA gentium domina, & per excellentiam Urbs dicta, tanquam Dea summo cultu ab antiquis venerata est, templaque habuit tam apud Romanos, quam apud exteros. *Alabandenses* ( inquit Livius lib. 35. cap. 6. ) *templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt* ( in Senatu ) *ludosque anniversarios ei Divæ instituisse*. Alabanda fuit Cariæ oppidum, quæ regio est minoris Asiæ. Cæsar Octavianus templum Urbi Romæ, patrique Cæsari, quem Heroa Julium nominavit, Ephesi, & Nicææ clarissimis Asiæ, & Bithyniæ civitatibus fieri permisit, ut narrat Dio Cassius lib. 51. & sic in Græcis veteribus nummis ΘΕΑ ΡΩΜΗ sæpius inscribitur. In ipsa quoque Urbe plura ei templa ædificata sunt, inter quæ superbissimum fuit illud ab Antonino Pio erectum, cujus occurrit typus in nummis ejusdem Imperatoris cum epigraphe, ROMÆ ÆTERNÆ. Repræsentatur autem hæc Dea cum galea cristata, nudam habens mammam dextram Heroinæ instar, eo plane modo, quo exhibetur in hac imagine, & describitur a Corippo lib. 1. *de laudib. Justini:*

> *Addidit antiquam tendentem brachia Romam,*
> *Exserto & nudam gestantem pectore mammam,*
> *Altricem Imperii, libertatisque parentem.*

Cicero in *Catil.* Orat. 4. Romam vocat *lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium*. Tibull. lib. 2. el. 5. immortalitatis nomen ei tribuit:

> *Romulus æternæ nondum formaverat Urbis*
> *Mœnia.*

Martialis Ep. 8. lib. 12.

> *Terrarum Dea, gentiumque Roma,*
> *Cui par est nihil, & nihil secundum.*

Isidorus lib. 8. *Orig.* cap. 6. *Roma sola Urbs, cætera Oppida.* Sed non soli authores profani Urbem Romam his sublimibus titulis decorarunt; ipsum etiam audiamus Hieronymum lib. 2. *contra Jovin.* de illa sic loquentem. *Urbs potens, Urbs Orbis domina, Urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum, Roma, aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis juxta Hebræos.*

# TABULA II.

BACCHUS hic repræſentatur facie juvenili & muliebri, prout ab Albrico depingitur, teneroque ac delicato vultu, crinibus more puellarum collectis & pendentibus. Ovidius lib. 4. *Metam.*

*. . . . . Tibi enim inconſumpta juventas*
*Tu puer æternus, Tu formoſiſſimus alto*
*Conſpiceris cœlo; tibi, cum ſine cornibus adſtas,*
*Virgineum caput eſt.*

Vitium frondibus, & uvis coronatus exhibetur juxta ejuſdem Ovidii deſcriptionem lib. 3. *Metam.*

*Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis.*

Harum enim ferebatur inventor; cui tamen opinioni refragatur Tertullianus in *Apolog.* cap. 11. Bacchum non inventorem vitis, ſeu vini uſus, ſed tantum demonſtratorem fuiſſe ſcribens. Caput Dei mitra vincitur ſolito ejus ornamento. Propertius lib. 4. el. 2.

*Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Jacchi.*

Sed quare vinculo caput alligare ſolitus fuerit, declarat Diodorus apud Euſebium lib. 2. *Præp. Ev.* cap. 2. Πρὸς δὲ τὰς ἐκ τῦ πλεονάζοντος οἴνυ κεφαλαλγίας, ἀναδεδέσθαι τὴν κεφαλὴν μίτρᾳ. *Porro* (inquit) *mitra quidem revinctum illum caput habuiſſe ferunt, adverſus acutos capitis dolores, quos ex immoderato vini hauſtu pateretur.* Flores quidam roſis ſimiles mitræ annexi ſunt adverſus ebrietatem, ut docet Athenæus, valentiſſimis, quibus Veteres non convivarum frontes tantummodo, ſed & calices toroſque ſolebant adornare. Horatius lib. 1. *Car.* od. 36.

*Neu deſint epulis roſæ.*

Et Tibullus lib. 2. el. 6.

*Aut e veſte ſacris tendent umbracula ſertis*
*Vincta: coronatus ſtabit & ipſe calix.*

Bacchum diverſa nomina ſortitum fuiſſe refert Auſonius ep. 30.

*Ogygia me Bacchum vocat.*
*Oſirin Ægyptus putat.*
*Myſi Phanacen nominant.*
*Dionyſon Indi exiſtimant.*
*Romana ſacra Liberum.*

Dictus eſt *Liber* a *liberando*, quod vinum a curis mentem liberet, triſtitiæque mederi videatur: non autem ob licentiam linguæ. Auctor eſt Seneca lib. *de Tranq. vitæ*. Huic imagini ab una parte ſubjicitur patera, ſeu Bacchi poculum, quod & ſcyphus, & cantharus vocatur: ab altera phallum, cujus pompam Melampus in Græciam primus introduxit, teſte Herodoto in *Euterp.* Plutarchus lib. *de cupid. opum* deſcribens ſacram Bacchi pompam, amphoram vini cum palmite, hinc hircum quem trahebat aliquis, poſt ciſtam nucum, & phallum recenſet. Plura vide apud Euſeb. lib. 2. *Præp. Ev.* cap. 1. Arnobium lib. 5. *adv. Gent.* Diodorum lib. 1. cap. 2. Auguſtinum lib. 7. *Civit. Dei* cap. 21. & 24. & Æliam Cretenſem.


---

# TABULA III.

BACCHUM ſequitur Satyra, ſive Fauna caprinis auribus, & erectis in fronte cornibus inſignis, cincta eſt pelle animalis per ungues ante pectus adſtricta more Satyrorum, Bacchantium, Nebridum, aliorumque Liberi patris ſequacium, qui ſolebant ſe veſtire variis caprorum, cervorum, leonum, & tigrium pellibus, juxta Claudiani deſcriptionem lib. 1. *de rap. Proſerp.*

*——— Leniſque ſimul procedit Jacchus*
*Crinali florens hedera, quem parthica velat*
*Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.*


TAB V.
Apud Antonium de Cavaleriis.
TAB VI
Apud Antonium de Cavaleriis
TAB VII
Apud A de Cavaleriis.


TAB VIII
Apud I.P. Bellorium
TAB IX.
TAB X.
Apud Ant. de Cavaleriis

# TABULA IV.

DEPINGITUR Bacchus ab Herodoto lib.7. cap.74. læva thyrſum geſtans, dextra ſcyphum, cujus pedibus aſſidet Pantheriſcus. Baccho ejusque ſequacibus thyrſum ideo datum eſſe ſcribit Phornutus, quod ebriorum pedes ſuum officium difficiliter peragant, ſive, ut docet Lil. Gyraldus ſyntag. 8. quod raro ſine rixa compotationes finiantur. Caput habet cinctum mitra more Veterum, qui capitis vinculum adverſus ebrietatem ſubſidium continere putabant. Scyphum ſeu cantharum tenet, quod uſus vini repertor crederetur. Fauno, vel Sileno quaſi ebrius innititur, hos Bacchi ſequaces fuiſſe narrat Suidas. Panthera ei comes tribuitur teſte Philoſtrato *Imag.* lib. Πάρδαλις τῷ Θεῷ σύμβολον. *Panthera Bacchi ſymbolum*. Ea de causa inquit Oppianus lib.4. *de Venat.* quod illa vino gaudeat:

Παρδάλιας καὶ δῶρα Διωνύσοιο δάμασσαν.
*Pantheras etiam dona Bacchi capiunt.*

Vel ad indicandum efferatas mentes temperato vini uſu mulceri, Bacchus enim Lyæus dictus eſt, quaſi lenitatem præſtans, ſi Fulgentio fides lib.2. *Mytol.* Sic etiam Tibullus lib.3. el.6.

*Ille facit dites animos Deus, ille ferocem*
*Contundit, & dominæ miſit in arbitrium.*
*Armenias tigres, & Fulvas ille leænas*
*Vicit, & indomitis mollia corda dedit.*

---

# TABULA V.

CYLELE uxor Saturni vulgo repræſentatur cum corona turrita; quia ipſiſſima Terra habetur, quæ urbibus exculta eſt, ut notat Servius ad lib. 10. *Æneid.* Pedem ſiniſtrum roſtro navis imponit, forte ut denotet globum terreſtrem ex aqua & terra compoſitum eſſe, terræque extremitates maritimis undis allui. Varia hujus Deæ nomina recenſet Strabo lib.10. eamque nominatam ſcribit Berecyntiam a Phrygibus, Rheam a Troibus Idam accolentibus, Matrem Deorum, & Agdeſtin, & Phrygiam, Magnam Deam; a locis autem Idæam, Dindimenen, Pylenen, & Peſſinuntiam. Fuit etiam dicta Ops, quod terræ ope vita hominum ſuſtentetur; Veſta, ſive quod terra rebus omnibus veſtiatur, ſeu quia vi ſua ſtat, ut docet Ovidius lib. 6. *Faſtor.* Mater alma ab alendo; & Pales, quod ſit pabulorum Dea; Bellonam quoque, Deam Syriam, & Iſidem illam vocat Apulejus lib.8. *Metamorph.*

# TABULA VI.

SEQUITUR Ceres Saturni & Opis filia dextra facem gerens. Cererem ea de caufa inter Deas relatam fcribit Plinius lib.7. cap. 56. quod docuerit molere frumentum, panemque ex illo conficere, cum antea homines glande vefcerentur. Ovidius lib.5. *Metamorph.*

*Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,*
*Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.*

Unde Frugifera nominata eft, habituque cum Baccho vini potus inventore conjuncta facra; idem Ovidius lib.3. *Faftor.*

*Ipfe fuos ludos uvæ commentor habebat,*
*Quos cum Tedifera nunc habet ille Dea.*

Tediferæ nomen fortita eft, quod filiam Proferpinam a Plutone raptam inveftigando tedis in Ætna monte accenfis univerfum terrarum Orbem luftraverit, ut notat Apollodorus lib. 1. *Biblioth.* Sic etiam canit Statius lib.12. *Theb.*

*Qualis ab Ætnæis accenfa lampade faxis*
*Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ*
*Aufonium, Siculumque latus.*

Eadem legum inventrix credebatur, unde a Græcis Θεσμοφόρος, & a Latinis Legifera dicta eft.

---

# TABULA VII.

NEPTUNUS maris Deus hic exhibetur paluftribus juncis coronatus, cum capillo, & barba tortis, ac prolixis, more Deorum fluviatilium, finiftra elevata forte tridentem gerens, quo triplex aquarum virtus innuitur, liquida nempe, fœcunda, & potabilis, juxta Fulgentii interpretationem lib.1. *Mythol.* dextra extenfa fluctus marinos compefcens, plane ut defcribitur a Virgilio lib.1. *Æneid.* Cum hoc fimulacrum temporis injuria ambabus mutilatum fit manibus, quid illis geftaverit, conjectandum; fortaffe Delphinum tenebat, fiquidem tam Delphinus, quam tridens Neptuni funt infignia. *Qui Neptuno fimulacrum faciunt*, inquit Hyginus lib.2. *Aftronom. Delphinum aut in manu, aut fub pede conftituere videmus; quod Neptuno gratiffimum effe arbitrantur.* Hic Deus dictus eft a Græcis Ποσειδῶν, quod pedibus terram quatiat, ut & Εννοσίγαιος, ἀπὸ τ̃ ἔνοσις, *concuffio*, & γαῖα, *terra*. Similiter etiam Σεισίχθων *motor terræ*, a verbo σείω, *quatio*, *concutio*, & χθὼν, *terra*, *folum*. Unde fcribit Ammian. Marcel. lib. 17. Poetas veteres, & Theologos Neptunum humentis fubftantiæ poteftatem Ennofigæum, & Sifichthona nuncupaffe.

# TAULA VIII.

MERCURIUM dixerunt Veteres quasi mercium curam; omnem enim negotiatorem dici posse Mercurium docet Fulgentius lib.6. *Mythol.* De marsupio, quod gerit, hæc Georgius Codinus de *orig. Constantin.* τοῦ κέρδους αἴτιον λέγουσι, καὶ ἐμπόριον τοῦ Ερμοῦ. ὅθεν τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἱστῶσι βαστάζειν μάρσιπον. *Mercurium lucri authorem perhibent, & præsidem mercaturæ; quocirca simulacrum ejus marsupium gestare faciunt.* Aristophanes etiam statuit eum ἐμπομαῖον; unde apud Ovid. Mercator hunc Deum alloquens ait lib.5. *Fast.*

*Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,*
*Et fac ut emptori verba dedisse juvet.*

Et apud Plautum iu *Sticho* act.3. sc.1.

*Cum bene re gesta salvos convertor domum;*
*Neptuno grates habeo, & tempestatibus,*
*Simul Mercurio, qui me in mercimoniis*
*Juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.*

Etenim Mercurii duo sunt munera, nuncium Deorum agere, & lucrum afferre Mercatoribus. *Bonis nunciis* (inquit C. Cæsar lib.3. *de bel. Civ.*) *afficit homines Mercurius, & nunciis præest.* Utrumque autem munus ipsemet declarat expresse apud Plautum in *prolog. Amphit.*

*Nam vos quidem id jam scitis concessum, & datum*
*Mihi esse ab aliis Diis; nunciis præsim, & lucro.*

Hic Deus apud Græcos λόγιος dictus est, quasi studiorum, litterarum, & eloquentiæ præses juxta Budæi interpretationem in *Comm.* Illum Jovis & Majæ filium finxerunt Veteres, id est, mentis & prudentiæ, ut docet Georgius Codinus, cujus verba hic refero. Τὸν Ερμῆν οἱ Ελλήνες καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀρχαίων Ρωμαίων, κατὰ τὴν αὐτῶν πεπλανημένην μυθολογίαν, υἱὸν Διὸς λέγουσι καὶ Μαίας, οἷον τοῦ νοῦ καὶ τῆς φρονήσεως. ἐκ τοῦ γὰρ καὶ φρονήσεως ὁ λόγος γεννᾶται. διὰ τοῦτο καὶ πτερωτὸν αὐτὸν ποιοῦσι, ὡς ταχύν. οὐδὲν γὰρ λόγου ταχύτερον, καὶ Ομηρος, ἔπεα πτερόεντα. *Græci & Romani veteres secundum falsam eorum mythologiam dicunt Mercurium Jovis & Majæ filium esse, id est, mentis & prudentiæ, nam ex mente & prudentia oritur oratio. Propterea etiam alatum fingunt, quia sermone nihil est velocius, unde Homerus verba vocat alata.* Caduceum, quem sinistra manu tenet, apertæ orationis rectitudinem significare scribit Cælius Rhodiginus lib.21. cap.6. Serpentes vero implicitos diffidentes orationis virtute conciliari voluntates. De caduceo meminit Isidorus lib.8. *Orig.* cap.11. *Mercurius* (inquit) *virgam tenet, quæ serpentes dividit, id est, venena; nam bellantes & diffidentes interpretum oratione sedantur.* Unde vocatur hic Deus a Macrobio lib. 1. *Satur.* cap. 12. *vocis & sermonis potens.* Refert Jamblichus sect. 1. *de Myst.* cap. 1. Ægyptios scriptores Mercurio veluti omnium inventori suos libros scribere solitos fuisse, eumque præesse sapientiæ, & eloquio. Proclus etiam lib. *de Anim. & Dæm.* mentionem de illo facit his verbis. *Mercurius ut Jovis nuncius paternam animis explicat voluntatem, atque ita nobis exhibet disciplinam; atque iterum, ut inquisitionis est auctor, inventionem suis præstat alumnis.* Scribit Pausanias in *Arcad.* Mercurium mandata Jovis perferre, animasque mortuorum ad inferos deducere: eadem leguntur apud Petronium Satyr. cap.100. & Virgilium lib.4. *Æneid.*

*Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco*
*Pallentes, alias sub tristia tartara mittit;*
*Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.*

Caduceus erat apud Græcos signum pacis, & Caduceatores vocabantur, qui ad pacem mittebantur legati, ut innuit Amm. Marcell. lib.21. *Caduceatoribus missis ex more.* His injuriam intulisse maximum habebatur nefas teste Cælio Rhodigino lib.21. cap.6. Mercurium Ausonius furem vocat *Technopag.*

*Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.*

Etenim Tiresiæ fertur subripuisse boves, tridentem Neptuno, Marti gladium, sceptrum Jovi, Apollini arcum & sagittas, forcipem Vulcano, & Veneri cestum. Possidet —— le Fevre aurifex Gallus elegantem æream Mercurii statuam, aliasque imagunculas rei antiquariæ studiosorum inspectione non indignas.

# TABULA IX.

HOC elegantissimum Minervæ simulacrum in thesauro Christinæ Augustæ asservatur, cujus fere similis imago sub istius Deæ vel Aspasiæ nomine inter gemmas exhibita est. Galeam habet illa quadrigis, pegaso, & sphinge ornatam, quæ omnia propria sunt Minervæ symbola, & quæ alibi pro ingenii nostri modulo explicavimus. Gorgona ei ponitur in thorace ut favorabile amuletum, cui credebant Veteres inesse vim quandam præstandæ securitatis, & abigendi pericula.

---

# TABULA X.

SEQUITUR aliud pulcherrimum ejusdem Minervæ signum habitu currentis, dextra forte hastam, læva Gorgonam pectori affixam tenentis: cassidi superimpositæ sunt Sphingis, & Pegasorum imagines, de quibus alibi. Currit hæc Dea vel propter *acrem minimeque retrahendum ad res impetum*, si fides Phornuto, vel quod *ad depellendam injuriam, atque opem ferendam fatis est instructa, unde Victoria est appellata*.

---

# TABULA XI.

PINGITUR Diana Ephesia cum multis mammis, velut alma mater, quæ uberibus suis alit genus humanum. De illa mentionem facit D. Hieronymus in *Epist. ad Ephes. Erat Ephesi templum Dianæ, & ejusdem in ipso Multimammia, id est, multarum mammarum effigies, quia cultores ejus decepti putabant eam omnium viventium nutricem*. Celeberrimum hoc templum in nummis imperialibus occurrit, in eo centum viginti septem columnæ fuerunt sexaginta pedum altitudine, singulæ a singulis regibus factæ, ex quibus triginta sex mirabili artificio cælatæ, quales forte sunt Trajanæ, & Antoninianæ Romæ etiam nunc extantes. Elegantem hujus templi descriptionem vide apud Philonem lib. de VII. *Orbis Miraculis*, Plinium lib. 17. cap. 40. & Vitruvium lib. 2. de *Architect.* cap. 9. & lib. 3. cap. 1. qui de Ionica ejus exædificatione, ambitu, & Architectis plura referunt. Scribit Plutarchus in opusculo *de vitando ære alieno*, debitores ad hoc templum confugientes tutos a creditoribus & intactos remanere. Hæc Dea coronam turritam gerit in capite, quia eadem credebatur Isis, Ceres, & Cybele sive Terra, quæ urbibus exculta est. *Et quoniam* ( inquit Codinus de *Orig. Constant.* ) *cujusque urbis sedes terra est, fingitur turrita, quasi urbes gestaret*. Καὶ ἐπειδὴ ἕδρα πάσης πόλεως ἡ γῆ ἐστιν, ὡς βαστάζουσα τὰς πόλεις, πλάττεται πυργοφόρος. Audiamus etiam Macrob. lib. 1. *Satur.* cap. 20. Isidem ad instar Dianæ Ephesiæ describentem. *Isis cuncta religione celebratur, quæ est vel terra, vel natura rerum subjacens Soli. Hinc est, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne densetur: quia vel terræ, vel rerum naturæ halitu nutritur universitas*. Sic Apulejus lib. 11. *Metam.* Isidem, Deum Matrem, Minervam, Venerem, Dianam, Proserpinam, Cererem, Junonem, Bellonam, Hecaten, Rhamnusiam unam & eandem esse docet, *cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis*. Etenim tot numinum attributa in hoc simulacro conjuncta repræsentantur; muralis nempe Phrygiæ Cybeles corona, noctilucæ Isidis velum, Cancer Lunæ, Ephesiæ Dianæ Victoriæ & mammæ, ejusdem Siculæ Cervi & Apes, Magnæ Matris Leones, Cereris Eleusinæ Boves & Dracones, Minervæ



TAB XIII.
DIANA TRIFORMIS
*apud E. Card. Chigium.*



TAB XIV
*apud E. Card. Chigium*



TAB XII.

TAB XV.
*apud E. Card. Chigium*



TAB XI.
*Ex Schedis.*



*Apud IP Bellorium.*

Sphinx. Telluris denique glans & fructus. Vir præclari nominis, doctrinaque præstantissimus Jo. Petrus Bellorius quondam Claudii Menetreii cimeliothecæ Barberinæ Præfecti de Symbolica Dianæ Ephesiæ statua librum in lucem restituit, suisque eruditissimis notis illustravit, & adauxit, quem consulere poterit, qui ulteriorem hujus simulacri expositionem desiderabit.

# TABULA XII.

SIMILEM Dianæ Luciferæ imaginem exhibuimus inter gemmas, & explicavimus. Hæc ab illa tantummodo differt, quod Orbi insistat, quem lumine suo tanquam ardenti face conspicuum, lucidumque reddit: Scribit Firmicus *Mathes.* 2. & 4. eandem terræ imperium ex vicinitate sortitam cuncta animantia corpora concepta procreare, & generata dissolvere, ideoque omnem corporis humani substantiam ad potestatem lunaris numinis spectare. Dicta confirmat D. Ambrosius in 4. *Hexam.* docens Lunam id in se induere ministerium, in quod & frater ejus, ut illuminet tenebras, foveat semina, augeat fructus. Hæc Dea partubus quoque mulierum favere credebatur. In partu (inquit Tertullianus lib. de *Anima* cap. 39.) *Lucinæ & Dianæ ejulatur*. Ea de causa teste Macrobio lib. 7. *Saturn.* cap. 16. *Quia proprium ejus munus est distendere rimas corporis, & meatibus viam dare, quod accelerando partui salutare est*. Unde dux nascentium, mortalium corporum auctor, & conditrix vocatur ab eodem Macrobio lib. 1. in *somn. Scip.* cap. 11. Audiendus etiam Porphyrius apud Eusebium lib. 3. *Præp. Ev.* cap. 3. de illa sic loquens. Λοχία τε ἡ Ἄρτεμις καίπερ οὖσα παρθένος, ὅτι ἡ τῆς νεμηνίας δύναμις προσθετικὴ εἰς τὸ τίκτειν. *Ac partui quidem tametsi virgo Diana præest, quod novilunio vis quædam insit, quæ pariendi facultatem afferat*. Ideoque facem ardentem manu gerit; qua Veteres novilunii virtutem significabant, teste eodem Eusebio loco citato. De Velo disseruimus alibi.

# TABULA XIII.

PETRUS Abbas Seguinus in *selectis suis numismatibus* nummum æreum Philippi junioris ab Antiochensibus percussum protulit, in cujus aversa parte stantes exhibentur tres figuræ muliebres obversis tergis junctæ, modiis capitibus impositis, huic nostræ imagini fere similes; etenim illarum media facem utraque manu gerit; dexterior Serpentem dextra, læva clavim antiquæ formæ; sinisterior vero dextra stimulum, vel gladium, læva flagellum; pedibus illarum ab utraque parte Canis assistit. Vir eruditissimus insolitum hunc typum ad Furias putavit referendum, quibus divini honores a Romanis, Græcisque tributi fuere, ut narrant Pausanias in *Arcad.* & *Corinth.* & Cicero lib. 3. de *natura Deorum*, qui eas fanum Athenis, Romæ lucum habuisse scribit. Illustriss. Spanhemius in lib. de *Cæs. Imp. Jul.* fol. 44. Gordiani Pii nummum æreum maximi moduli in thesauro regio asservatum describit, cujus aversa pars simile typum exhibet, quem & ipse doctrina præstantissimus ad Furias credit pertinere. Summis Viris in re antiquaria facile Principibus vix audeo refragari; sed quia in obscuris versamur, quorum interpretationes possunt diversimode conjectari, mihi quoque licebit aliquam de hac imagine sententiam proferre. Hoc igitur Simulacrum ad Hecaten referendum censeo, quam Minutius Felix *Triviam* nominat trinis capitibus, & multis manibus horrificam. Quid autem horribilius tedis, funibus, serpentibus, & stimulis? Quid proprius infernorum Deæ? Canes ipsi in Seguini nummo expressi Hecatæ immolabantur, quam Veteres Equum, Taurum, Leænam, & Canem nominabant: auctor est Porphyr. lib. 4. *de abstin.* Τὴν δ' Ἑκάτην ἵππον, ταῦρον δὲ, λέαιναν, κύνα. Luna, Diana, Hecate idem credebatur numen, si fides Phornuto; unde harum trium figurarum prima Lunæ crescenti veluti diademate coronata exhibetur, cui persea imposita est, Isidi, quæ eadem cum Luna habebatur, consecrata, ut docet Plutarchus in lib. de *Is. & Os.* Facem ardentem utraque manu gerit, qua novilunii virtus significabatur.

# TABULA XIV

SECUNDA caput habet corona radiata ornatum, Reginæ Manium Infigni, virtutem folarem frugum productioni neceffariam forfan indicante: dextra gladium five ftimulum tenet, læva Serpentem. Paufanias in *Arcad.* defcribit fimulacrum Dianæ, altera manu lampadem, altera duos Dracones geftantis, fortaffe quia Proferpina, quæ eadem & Diana, pro fegetibus accipiebatur, fegetes autem ventis agitatæ Serpentum meatus imitantur; forfan etiam Dracones ifti ad iter Lunæ fluxuofum iifdem meatibus fimile referuntur, ut & ad viperea flagra, quæ Prudentius ad Hecaten pertinere docet:

*——————Putatur*
*Agmina vipereo fuperis inducere flagro.*

Audiamus, quid de ftimulo, & Dracone fentiat Eufebius lib. 2. *Præp. Ev.* cap. 5. Κύει μὲν ἡ Δημήτηρ, ἀνατρέφεται δ' αὖθις ὁ γεννήσας οὑτωσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ, τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ μετὰ τὴν μητέρα, Δηῶ, ἐκλαθόμενος τοῦ προτέρου μύσους, καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος, ὃς ἦν ἐλεγχθείς. Σαβαζίων γοῦν μυστηρίων σύμβολον τοῖς μυουμένοις ὁ διὰ κόλπου Θεός. Δράκων δέ ἐστιν οὗτος διολκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων, ἔλεγχος ἀκρασίας Διός. Κύει καὶ ἡ Φερήφαττα παῖδα ταυρόμορφον. ἀμέλει φησί τις ποιητὴς εἰδωλικός, Ταῦρος
Πατὴρ Δράκοντος, καὶ πατὴρ Ταύρου Δράκων,
Ἐν ὄρει τὸ κρύφιον βουκόλος τὸ κέντρον.

*Ceres quidem peperit, puella vero educatur: rurfum ecce tibi caftus Jupiter cum Pherephatta, quam ipfe genuerat, poft Cererem matrem congreditur execrandi flagitii prioris oblitus, & congreditur Draconis forma tectus, fic tamen, ut qui fub ea latet, manifefto poftmodum teneatur. Enim vero Sabaziorum utique myfteriorum iis, qui facris initiantur, fymbolum eft, Deus finum pervadens: Deus autem ifte Draco eft, qui per medium eorum, quos folemni ritu initiant, finum trahitur, certum plane impotentis Jovis libidinis argumentum. Parit etiam Pherephatta filium Taurina fpecie, nimirum ut Idolorum cultor poeta cecinit,*

*Taurus Draconem genuit, & Taurum Draco,*
*In monte occultum Bubulcus ftimulum.*

---

# TABULA XV.

BUBULCI enim Bacchico furore correpti arcana hæc facta ducentes paftoralem ftimulum celebrabant. Tertia clavim antiquæ formæ dextra gerit, finiftra funes. Jano clavis tribuebatur, quem a multis eundem creditum fuiffe atque Apollinem, & Dianam refert Macrobius lib. 1. *Satur.* cap. 9. *Apud nos* ( inquit ) *Janum omnibus præeffe januis nomen oftendit; quod eft fimile* θυραίῳ. *Nam & cum clavi, ac virga figuratur, quafi omnium & portarum cuftos, & rector viarum. Pronuntiavit Nigidius Apollinem Janum effe, Dianamque Janam appofita* D *littera, quæ fæpe* I *littera caufa decoris apponitur.* Paufanias vero in *El.* pr. defcribit fimulacra Plutonis, Proferpinæ, & Nympharum duarum, quarum altera pilam tenet, altera clavim, quæ Plutonis infigne dicitur ea ratione, quod ab eo inferorum fedes ita claufa fit, ut inde nemini reditus pateat, ficque innuere videtur Hecates clavim geftans inferorum portas ab ea referari. Funes etiam ad pœnas infernales referuntur, clavimque optime comitantur, fiquidem quod ligatum eft & claufum, effugere haud facile poteft. Virgilius lib. 6. *Æneid.*

*——————Facilis defcenfus Averni,*
*Noctes atque dies patet atri janua Ditis:*
*Sed revocare gradum, fuperafque evadere ad auras,*
*Hoc opus, hic labor eft.*

Laurus autem, qua coronatum eft hoc fimulacrum, convenit Hecatæ, five Lunæ, tefte Eufebio lib. 3. *Præp. Ev.* cap. 3. quoniam a Sole ignea fit.

TA-

TAB. XVI.



*Apud P. A. Rolandum M.*

TAB. XVII.



*Apud I. P. Bellorium.*

TAB. XVIII.



*Apud E. Card. Chigium.*

TAB. XIX.



*Apud I. P. Bellorium.*

# TABULA XVI.

MITHRAS hic exhibetur indumento perſico amictus, tiaraque redimitus, ut deſcribitur a Luciano in *Concilio Deorum*. Genu tauro innititur, altera manu roſtrum bovinum prehendens, altera cultrum ejus tergo infigens. Mithram Perſæ exiſtimabant eſſe Solem, teſte Suida in voce Μίθρης. Sic etiam Strabo lib. 15. Πέρσαι τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν. *Perſæ* (inquit) *colunt Solem, quem Mitram vocant*. Et Heſychius, Μίθρας ὁ Ἥλιος παρὰ Πέρσαις. Eundem & Apollinem, & Titanem, & Oſirim eſſe docet Statius lib. 1. *Thebaid.*

*Phœbe parens, &c.* (& deinde)
*Adſis o memor hoſpitii, Junoniaque arva*
*Dexter ames, ſeu te roſeum Titana vocari*
*Gentis Achemeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirim*
*Frugiferum, ſeu Perſæi ſub rupibus antri*
*Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.*

Bos proſtratus ſymbolum eſt terræ; Mithras eſt Sol calore ſuo fœcundans terram, eamque in ſigno Tauri cultro, id eſt, vi ſua penetrans, genitalemque humorem eliciens, ac ſemina foras protrudens ad rerum omnium procreationem, nutrimentumque animalium, quæ per Canem guttas ſanguinis defluentes lambentem indicantur: Canis etiam ut aſtrum Tauro proximum hic ponitur. Cauda Bovis in ſpicas deſinens terræ fœcunditatem in hoc ſigno innuit; etenim menſe Aprili ſpica e foliculo primum erumpit. Scribit Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 21. Cancrum obliquo greſſu Solis iter numquam rectum, ſed meatibus plenum oſtendere, & maxime in illo ſigno Solem a curſu ſupero incipere obliquum inferiora petere, ſicque virtus Solaris in Tauro invaleſcens incipit deficere in Cancro, virtuſque genitalis paulatim in illo comprimitur. Ægyptii Serpentis naturæ quandam ineſſe divinitatem putabant, teſte Euſebio lib. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 3. eumque ſpiritaliſſimum omnium animal, & igneum, proindeque fœcunditatis ſymbolum, unde per Serpentes & fœcunditatem, & in formarum productione varietatem deſignari docet eruditiſſimus Kircherius lib. 5. *Obel. Pamphil.* Aquila propter altiſſimam volatus velocitatem altitudinem Solis oſtendens in ſummo poſita eſt: illa etiam ob maximam pernicitatem Mithræ conſecrata fuit, ut & Corvus, & Accipiter, de quibus Porphyrius lib. 4. de *Abſtin. Decretum apud primos habetur de animarum in diverſa corpora transmigratione, id quod etiam in Mithræ myſteriis videntur ſignificare. Ut enim communionem nobis eſſe cum cæteris animalibus innuant, per animalium nomina conſueverunt nos interſtinguere; adeo ut, qui jam initiati participes ſunt eorumdem ſacrorum, Leones vocent, mulieres Hyenas, famulantes autem Corvos. Itidem in patribus, Aquilæ enim, & Accipitres hi appellantur; & qui leonina aſſumit, circumponit ſibi omnigenas animalium formas. Quorum cauſam afferens Pallas in iis, quæ de Mithra tradit, communem hominum opinionem eſſe inquit, ut ad Zodiaci orbis naturam hæc referenda judicentur.*

# TABULA XVII.

PRÆCLARUM Æſculapii ſignum exhibemus modium geſtantis in capite, baculo, cui Serpens involutus, innixi. Ejus imaginem deſcribit Albricus his verbis. *Æſculapius Deus medicinæ putatur cum barba valde prolixa, indutus habitu Medici, cujus manus baculum cum ſerpente geſtabat intorto.* Modium fœcunditatis, & abundantiæ typum habet in capite, dignum ſane hujus Dei ſymbolum, ſiquidem abſque bona, & perfecta valetudine nil jucundum, nil pretioſum; at cum optima ſalute ipſemet pauper dives, & felix habetur. Æſculapium a quibuſdam eundem cum Oſiride creditum fuiſſe ſcribit Tacit. lib. 4. *Hiſt.* cap. 84. unde non mirum habetur, ſi modium imponitur capiti. Eidem baculum quaſi ægrotantium ſuſtentaculum tribui alibi diximus; Serpens vero additur baculo circumvolutus, juxta Theodoreti mentem *Serm.* 7. quod *morborum malignitatem deſerant ægrotantes ope Medici, ut ſuam veterem pellem Serpentes.* De hoc ſimulacro ſic Statius Papinius;

*———Maximus ægris*
*Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens*
*Fata, ſalutifero mitis Deus incubat Angui.*

---

# TABULA XVIII.

SALUS Dea hic repræſentatur dextra pateram gerens, cui cibus impoſitus eſt, læva Serpentem. De Salute, quæ eadem eſt atque Hygiæa, plura diximus in Gemmis. Illa ferebatur Æſculapii filia, amboque precabantur, ut morbos depellerent, & adeſſe vellent ægrotantibus. Sic apud Terentium in *Hecyra* act. 3. ſc. 2.

*Male metuo, ne Philumenæ magis morbus adgraveſcat.*
*Quod te, Æſculapi, & te, Salus, nequid ſit hujus, oro.*

Serpens huic Deæ tribuitur, tum quia revaleſcentes renovantur, ut Serpentes, & quaſi ſenectutem exuunt, tum quia Serpenti multa inſunt remedia ſaluti & acquirendæ, & conſervandæ opportuna, teſte Plinio lib. 29. cap. 24. Patera vero cui cibus impoſitus eſt, ſive quod Salus medicamentis acquiratur, ſive quod ſola Deorum ope & adipiſcatur & conſervetur. Ædem Salutis C. Junius Bubalcus, quam Coſ. bello Samnitum voverat, Cenſor locavit, Dictator dicavit; hæc a Fabio pictore depicta fuit. P. Victor templum Salutis in ſexta Urbis regione conſtituit. Salutarem portam, quod prope ædem Salutis eſſet, Romæ appellatam ſcribit Feſtus.

# TABULA XIX.

VULCANUS hic exhibetur pileatus, malleum dextra tenens ad ſimilitudinem fabri deformis, & claudi, ut depingitur ab Arnobio lib. 6. *adverſus Gent.* & Albrico de *Deorum Imag.* cui forceps additur in ſiniſtra, & ſic in nummo gentis Aureliæ viſitur caput Vulcani barbatum cum pileo, & forcipe pone cervicem. Hunc Deum Jovis, & Junonis filium quidam aſſerunt; Lucianus vero Dialog. de *Sacrif.* illum ſolius Junonis filium declarat. Ομοια δὲ τέτοις καὶ περὶ τ̃ Ηρας ᾄδεσιν, ἄνδ τ̃ πρὸς τ̃ ἄνδρα ὁμίλιας ὑπηνέμιον αὐτλὼ παῖδα γεννῆσαι τ̃ Ηφαιςον, ἐ μάλα ἐυτυχῆ τ̃τον, ἀλλὰ βάναυσον, καὶ χαλκέα, ϗ πυρίτλω, ϗ ἐν καπνῷ τὸ πᾶν βιϐντα, ϗ σπινθήρων ἀνάπλεων. οἷα δὴ καμινευτλὼ, ϗ ἐδὲ ἄρτιον τὼ πόδε. χωλευθῆναι γὰρ αὐτὸν ἀπὸ τ̃ πτώματος, ὁπότε ἐρρίφη ὑπὸ τ̃ Διὸς ἐξ ἐρανε̃. *His autem ſimilia etiam de Junone canunt, nempe hanc citra virilem congreſſum, e ſubventaneo conceptu gravidam puerum edidiſſe Vulcanum, eum non valde fortunatum, ſed fornacarium, & fabrum ærarium, ignipotentem, & in fumo perpetuo viventem, & ſcintillis oppletum, utpote qui circa caminos verſatur: tum etiam ne pedibus quidem integrum, eum enim claudicare a caſu, ex quo a Jove de cælo deturbatus eſt.* Ille artem fabrilem in Lemno inſtituit; Jovi fecit fulgura; uxores duxit Venerem, & Gratiarum unam, teſte Homero, Gratiam proprio nomine appellatam. Ponitur aliquando hic Deus pro ipſo igne; hinc Mercurius Soſiam alloquens ait apud Plautum in *Amphit.* act. 1. ſc. 1.

*Quo ambulas tu? qui Vulcanum in cornu concluſum geris.*

Templum habuit Athenis ſupra Ceramicum, & Porticum, in quo poſitum erat ſignum Minervæ, ut refert Pauſanias in *Attic.* dicebatur enim cooperator Minervæ, quod hæc Dea ſit artium etiam illarum, in quibus uſus eſt manuum: ille vero Deus inſtrumentorum, ſine quibus hæ artes non poſſunt exerceri; unde Plutarchus in opuſc. *de Aq. & Ig. compar.* Τέχνας δὲ πάσας ϗ ἀνεῦρε τὸ πῦρ ϗ σώζει· διὸ ϗ τ̃ Ηφαιςον ἀρχηγὸν αὐτῶν ποιϐσι. *Ignis reperit omnes, & conſervat artes; itaque etiam Vulcanum Principem, ac Ducem artium faciunt.*

---

# TABULA XX.

FORTUNA duplex fuit apud Veteres; una cæca, quæ malos fovere, & extollere credebatur; altera videns, quæ Iſis erat, bonis omnibus ſalutaris, eorumque præmiatrix; ſic apud Apulejum lib. 11. *Metam.* Sacerdos Iſidis eundem Apulejum ſacris hujus Deæ initiatum alloquens: *In tutelam* (inquit) *receptus es Fortunæ ſed videntis, quæ ſuæ lucis ſplendore cæteros etiam Deos illuminat.* Eadem hæc Dea hic exhibetur dextra gubernaculum, ſiniſtra cornucopiæ gerens: capitis ejus ornamentum deſcribitur ab Apulejo libro citato his verbis: *Corona multiformis variis floribus ſublimem diſtrinxerat verticem, cujus media quidem ſuper frontem plana rotunditas in modum ſpeculi, vel imo argumentum Lunæ candidum lumen emicabat, dextra, lævaque ſulcis inſurgentium Viperarum cohibita.* Ideoque vocatur a Valerio Flacco lib. 4. *Argonaut. Aſpide cincta comas.* Iſidem creditam fuiſſe & Lunam, & Cererem nemo neſcit; unde iſti viperarum ſulci referri poſſunt ad iter Lunæ flexuoſum meatibus Serpentum ſimile, ut & ad Cererem, quæ Draconibus currui alligatis cælum, ut ita dicam, ſulcavit. Ovidius lib. 4. *Faſt.* de Cerere:

*Quo ſimul ac venit, frænatos curribus Angues*
*Junxit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.*

Globus Aſpidibus circumdatus numinis ſolaris vim fœcundativam, ſeu ſpiritum quemdam igneum univerſum permeantem ſignificabat apud Phœnices, & Ægyptios, qui, teſte Euſebio lib. 1. cap. 7. Draconis, & Serpentis naturam putabant divinam; ut & ipſe Taautes apud eundem Euſebium Serpentem ſpiritaliſſimum omnium animal, & igneum eſſe tradens, temperamento autem caloris hujuſmodi, & humoris provenientis ex Luna roris largiſſima juſta oritur conjunctio calidi, & humidi, in qua conſiſtit omnis generatio. De cornucopiæ, & gubernaculo in ſequentibus.

# TABULA XXI.

BUPALUS Sculptor primus omnium ſtatuam Fortunæ Smyrnæis fecit, polum capite ſuſtinentis, manuque Amaltheæ cornu ad declarandum illius bona: clavus eidem tribuitur, vel ad ſignificandam illius firmitatem, vel ad exprimendam vim & potentiam neceſſitatis, quæ Fortunam ſæpiſſime comitatur juxta hos verſus Horatii lib. 1. *Carm.* od. 35. ad eamdem:

*Te ſemper anteit ſæva neceſſitas,*
*Clavos trabaleis, & cuneos manu*
*Geſtans aena.*

*Fortunam a fortuitis nomen habere dicunt* (inquit Iſidorus lib. 8. *Orig.* cap. ult.) *quaſi Deam quamdam res humanas variis caſibus, & fortuitis illudentem: unde & cæcam appellant, eo quod paſſim in quoslibet incurrens ſine ullo examine meritorum & ad bonos, & ad malos venit.* Fortunam duplicem fuiſſe diximus, videntem & cæcam, ſeu bonam & malam: prima invocabatur, ut propitia eſſet; altera, ut mala imminentia averruncaret; utraque templa, & aras habuit Romæ. Plinius lib. 2. cap. 7. veſanos Fortunæ cultores irridens hæc de illa refert: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus fortuna ſola invocatur; una nominatur; una accuſatur; una agitur rea; una cogitatur; ſola laudatur; ſola arguitur; & cum convitiis colitur; volubilis, a pleriſque vero & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix.* Unde non mirum, ſi Juvenalis Sat. 6. illam vocat *improbam:*

*. . . . . . . ſtat Fortuna improba noctu*
*Arridens nudis infantibus.*

Scribit Plutarchus in *Æmil.* Fortunam metuere fortes, ignavos premere. Sic Ovidius lib. 8. *Metam.*

*. . . . . . . Ignavis precibus Fortuna repugnat.*

Lacedæmones eam admota manu invocabant, & forte clavo, quem tenet, innuitur vim illi afferendam eſſe, ut fixa, ſtabiliſque reddatur. Exiſtimabant Veteres hanc Deam hoc univerſum gubernare, Fortunamque reducem in numiſmatibus ſæpe cum clavo depingebant.

# TABULA XXII.

SEQUITUR aliud Fortunæ ſimulacrum modium habentis in capite abundantiæ ſymbolum, dextra navis gubernaculum, cui Delphinus, & Serpens ſuperpoſiti ſunt, ſiniſtra cornucopiæ ſuſtinentis. De Fortuna, ejuſque attributis loquentem audias Lactantium lib. 3. *de fal. Rel.* cap. 29. *Is, inquam, plane vulgi, & imperitorum opinionibus credidit, qui Fortunam putat eſſe, quæ hominibus tribuat bona, & mala; nam ſimulacrum ejus cum cornucopia, & gubernaculo fingunt, tamquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat: cui opinioni & Virgilius aſſentit, qui Fortunam omnipotentem vocat; & Hiſtoricus, qui ait: Sed profecto Fortuna in omni re dominatur. Quid ergo cæteris Diis loci ſupereſt? Cur non aut ipſa regnare dicitur, ſi plus poteſt; aut ſola colitur, ſi omnia? Vel ſi tantum mala immittit, aliquid cauſæ proferant, cur ſi Dea ſit, hominibus invideat, eoſque perditos cupiat, cum ab his religioſe colatur: cur æquior ſit malis, iniquior autem bonis: cur inſidietur, affligat, decipiat, & exterminet: quis illam generis hominum vexatricem perpetuam conſtituerit: cur denique tam malam ſortita ſit poteſtatem, ut res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret, obſcuretque? Hæc, inquam, philoſophos inquirere oportuit potius, quam temere innocentem accuſare Fortunam, quæ etiamſi ſit aliqua, nihil tamen afferri ab his poteſt, cur hominibus tam inimica ſit quam putatur.* Serpens gubernaculo ſuperpoſitus deſignat prudentiam ad ſtabilitatem Fortunæ requiri: Delphino vero innuitur eamdem navigationi præeſſe, & utrumque elementum ejus nutu gubernari; unde hominum hera vocatur a Plauto in *Mercat.* act. 5. ſc. 2.

*Divum, atque hominum quæ ſpectatrix, atque hera eadem es hominibus,*
*Spem ſperatam quoniam obtuliſti hanc mihi, grates ago.*

Catullus autem Ep. 64. omnes Deos *heros* appellat:

*Hoſtia cæleſtes pacificaſſet heros.*

Quod ad ſigna Panthea, quæ ſequuntur, referri poteſt, ſiquidem omnes fere Deos conjunctos repræſentant.

TAB. XXIV



Apud D. de Wit

TAB. XXV



TAB. XXVI



Apud P. P. Bellorium

TAB. XXVIII



In Musæo Authoris

TAB. XXVII



Apud Authorem

# TABULA XXIII.

FORTUNÆ ſuccedit Abundantia caput habens herbarum frondibus coronatum, altera manu cornucopiæ fructibus refertum, altera hydriam tenens. Ab humido elemento tamquam rerum omnium principio, quæcumque terra gignit, emanare juxta Thaletis ſententiam exiſtimant Ægyptii; unde Canopum Genium humidi elementi, Deorumque omnium victorem velut hydriæ clauſum referebant. Hujus ſententiæ meminit Cælius Rhodiginus lib. 27. *Lect. antiq.* cap. 5. hydriam apud Ægyptios ad templum ſumma religione deferri ſolitam narrans his verbis: *Quum aquarum infinitæ propemodum utilitates ſint, gratiſſimæque, qui ſacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum oſtendunt res omnes e liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cum hydria ad templum caſta religione defertur, tunc in terram procumbentes manibus ad cælum ſublatis divinæ gratias agunt bonitati.*

---

# TABULA XXIV.

ELEGANTISSIMUM exhibemus ſignum æreum in Muſeo Jo. Petri Bellorii aſſervatum, quod omnes fere Deos conjunctos refert, eaque de cauſa Pantheum a Jacobo Sponio in *Miſcellaneis* appellatum eſt. Etenim capitis ornamentum Iſidem; ſemicirculus Lunam; radii Solem; pharetra Cupidinem; alæ Victoriam, & Nemeſim; Cornucopiæ, cui ſuperpoſita ſunt Oſiridis, & Iſidis capita, Abundantiam ex benignis Solis, & Lunæ influxibus provenientem; Serpens brachio intortus Æſculapium, & Hygiæam, ſive Salutem, pellis caprina ex humero ante pectus dependens Bacchum; gubernaculum Fortunam; Fulmen denique Jovem indicant. Apud Sponium nihil de radiis, & fulmine.

---

# TABULA XXV.

HÆC imaguncula plures etiam Deos exhibet. Caput caſſide armatum Martem, & Palladem; radii Solem; urnula ſive cymbium capiti impoſitum Oſiridem humidæ naturæ dominum; globus Aſpidibus circumdatus Iſidem; alæ Nemeſim, & Victoriam; pharetra Cupidinem; Gorgona pectori affixa Minervam: cornucopiæ Cererem, & Abundantiam; Gallus Mercurium, & Æſculapium; caput arietinum Ammonem; Ibis Lunam; gubernaculum Fortunam ſignificant. Lucianus in opuſc. *de Dea Syria* deſcribit ſimulacrum a ſe viſum in Syria, quod quidem revera eſſet Juno, alios tamen Deos referret. Εχει δέ τι καὶ Αθlωαίης, καὶ Αφροδίτης, καὶ Σελlωαίης, καὶ Ρέης, καὶ Αρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρέων. *Cæterum habet quidpiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemeſis & Parcarum.* His ſymbolis diutius inſiſtere tædioſum eſſet; dicam tantummodo ad intelligentiam ſignorum Pantheorum veteres philoſophos unum ſolum Deum admiſiſſe, ſed pro ratione diverſorum officiorum variis nominibus appellatum. *Fragilis & laborioſa mortalitas,* ait Plinius lib. 2. cap. 7. *in partes iſta digeſſit, infirmitatis ſuæ memor, ut portionibus quiſque coleret, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, & numina in iiſdem innumerabilia reperimus.* Quod Macrobius etiam confirmat lib. 1. *Saturn.* cap. 17. his verbis: *Sicut Maro, cum de una Junone diceret: quo numine læſo, oſtendit unius Dei effectus varios pro variis cenſendos eſſe numinibus.* Scribit D. Hieronymus in divinis neque ſexum, neque genus eſſe ſpectandum, ſiquidem parens illa rerum omnium natura, quam ſub tot diverſis nominibus colebant Veteres, nihil aliud eſt, quam ipſemet Deus, ut doctiſſimo ſermone demonſtrat Seneca lib. 4. de *Benefic.* cap. 7. *Natura,* inquit, *hæc mihi præſtat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud eſt natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inſerta? quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum noſtrarum compellare; & Jovem illum optimum, ac maximum rite dices, & tonantem; & ſtatorem, qui non (ut hiſtorici tradiderunt) ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum fugientium ſtetit, ſed quod ſtant beneficio ejus omnia, ſtator, ſtabilitorque eſt. Hunc eumdem & fatum ſi*

*dixeris, non mentieris: nam cum fatum nihil aliud sit, quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua cæteræ pendent. Quæcumque voles, illi nomina proprie aptabis, vim aliquam, effectumque cælestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera.* (Et mox) *Ergo nihil agis ingratissime mortalium, qui negas te Deo debere, sed naturæ; quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura; sed idem est utrumque, nec distat officio.*

---

# TABULA XXVI.

HARPOCRATEM Osiridis, & Isidis filium inarticulatæ vocis præsidem facit Plutarchus lib. de *Is. & Osir.* Describitur ab Ovidio lib. 9. *Metamorph.*

*Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.*

Scribit Politianus in *Miscell.* cap. 83., Ægyptios suis sacris adhibere Harpocratem, qui silentio ostenderet colendum esse summum Deorum. De illo mentionem facit D. Augustinus lib. 18. de *Civit. Dei* cap. 5. *Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebatur Isis, & Serapis, erat etiam simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret; hoc significare Varro existimat, ut homines eos fuisse taceretur.* Hæc imaguncula habet in capite perseam typum silentii, & veritatis; dextræ digito indice ora comprimit, læva sustinet cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum, eo quod silentium sit res salutaris, multaque bona oriantur a tacendo, & loquendo opportune. Alis designatur contemplatio, sive perfecta mentis applicatio, ad sublimiora quæque studia, cui maxime opus est silentio. *Ubi decocti fuerint cibi* (ait D. Clemens Romanus Pontifex lib. 2. *recognit.* ad Jacobum fratrem Domini) *& mens acceperit nocturna silentia, opportunissime, quæ docentur, insident.* Serpens, & noctua prudentiam, & sapientiam in tacendo denotant; Cane pedibus assidente, pelleque canina ex humero dependente fidelitatem oriri ex silentio designatur. Est etiam Canis symbolum Laris sive domestici, sive compitalis, teste Ovidio lib. 5. *Fastor.*

*At Canis ante pedes saxo fabricatus eodem*
*Stabat, quæ standi cum Lare caussa fuit?*
*Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,*
*Compita grata Deo, compita grata Cani.*
*Exagitant & Lar, & turba Diania fures,*
*Pervigilantque Lares, pervigilantque Canes.*

Plutarchus in *Problem.* Lares vocat Deos familiares, domus præsides, caninis pellibus vestitos; quibus aliquando Canis assistit. Hæc imaguncula plures in se Deos continet, de quibus in sequenti.

# TABULA XXVII.

ALIUD Harpocratis fignum exhibetur, quod multa numina fimul conjuncta refert, ideoque Pantheum, ut & præcedens, nominandum. Radiis enim Sol defignatur; femicirculo Luna; perfea capiti impofita Ifis; digito ori appofito Harpocrates; alis Cupido; Noctua Pallas, five Minerva; pelle caprina Bacchus; cornucopiæ Ceres, & Abundantia; Serpente baculo circumvoluto Apollo, Æfculapius, & Hygiæa; Accipitre Ofiris; Cane Lares; Teftudine Cybele. Sed quid hæc numina cum Harpocrate, confiderandum. Harpocratem Ofiridis, & Ifidis filium effe diximus, Ofiris autem, Sol, Apollo, & Æfculapius pro uno eodemque Deo habebantur, ficut Ifis, Luna, & Ceres pro una eademque Dea, fi fides Macrobio lib. 1. *Saturn.* cap. 16. 17. 20. quod intelligendum eft etiam de Minerva, ut docet Porphyrius *de nat. Deor. interpr.* unde fymbola his numinibus attributa filio quoque poffunt convenire. Baccho videtur adeffe debere Harpocrates, ne in vino fecreta divulgentur. Cupido etiam optime fociatur cum Harpocrate, fiquidem in rebus amatoriis filentio nil æque neceffarium. Teftudo elinguis, tefte Plinio lib. 9. cap. 10. typus eft filentii; convenit illa Cybeli, quia hujus Deæ facra propalare nefas erat. De bulla, quæ ex ejus collo dependet, in Sectione ultima diffufe agemus: hæc pueris nobilibus, & prætextatis tantum concedebatur. Quid autem nobilius, quam tacere, & loqui opportune? debet etiam hic Deus confiderari, ut Lar domefticus, cui Canem affiftere folitum fcribit Plutarchus. De Laribus bullatis loquitur Petronius *Satyric.* cap. 38. *Inter hæc* ( inquit ) *tres pueri candidas fuccincti tunicas intraverunt; quorum duo Lares bullatos fuper menfam pofuerunt; unus pateram vini circumferens, Dii propitii, clamabat.* Bullas puberes facti Laribus fufpendebant. Perfius Sat. 5.

*Bullaque fuccinctis Laribus donata pependit.*

Sic virgines nupturæ, ut fauftum haberent matrimonium, Pupas Veneri donabant. Idem Perfius Sat. 2.

*Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine Pupæ.*

Meretrices quoque fpeculum huic Deæ dicare folitas docet Aufonius hoc jucundo epigrammate Laidem Veneri loquentem introducens:

*Lais anus Veneri fpeculum dico: dignum habeat fe*
*Æterna æternum forma miniflerium.*
*At mihi nullus in hoc ufus, quia cernere talem,*
*Qualis fum, nolo, qualis eram, nequeo.*

Omnes enim qui aliquam artem definebant, illius inftrumenta Diis ipfius artis præfidibus fufpendebant, facrabantque; ut legitur apud Horatium lib. 3. Od. 26. Tibullum lib. 2. el. 5. & plerofque alios authores.

---

# TABULA XXVIII.

ANGERONA Dea, Silentii præful eadem habebatur apud Romanos, qualis apud Ægyptios Harpocrates: digito falutari ora comprimit, forte ad indicandum nil fanctius effe ad falutem oris filentio, ut fcribit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 26. *Ideoque* ( fubjungit ) *facellum Angeronæ, quæ Dea præful filentii obligato ore effingitur, inter antiquiffimas religiones Romæ colebatur.* Erat enim hæc Dea tutelare Urbis numen, cui Pontifices XII. Calend. Januarii in facello Volupiæ facrum faciebant, tefte Macrobio lib. 1. *Saturn.* cap. 10. Illam fic dictam ait Verrius Flaccus apud eundem Macrobium loco citato, quod angores, animorumque follicitudines propitiata depellat. Mafurius vero ejus fimulacrum ore obligato in ara Volupiæ propterea collocatum refert, quod qui fuos dolores, anxietatefque diffimulant, patientiæ beneficio perveniant ad maximam voluptatem.

# TABULA XXIX.

VICTORIA pingitur aliquando alis carens: hanc refert Pausanias in *Attic.* sacellum habuisse Athenis in arce, ad cujus statuæ similitudinem Mantinenses quodam bello confecto unam dedicarunt. Hujus involucris Victoriæ simulacrum visitur in nummo Titi æternitatem ejus victoriarum denotans. Sæpius vero repræsentatur alata, de qua mentionem facit Latinus Pacatus in *Paneger. Recte profecto germana illa Pictorum, Poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum Fortuna euntium, non cursus est, sed volatus.* Sic Ausonius Ep. 1. eam alloquens ait:

*Tu quoque ab aerio præpes Victoria lapsu.*

Ista hic exhibetur orbi insistens cum alis expansis, sive ad designandam victoriam terrestrem diversam a navali rostro navis insistenti, ut in nummis Vespasiani, & Titi; sive quia hæc Dea per totum terrarum orbem dominatur. Palmam dextra gerit victoriæ symbolum, unde Palmaris Dea vocatur ab Apulejo lib. 2. *Metamorph. Attollebant statuas Palmari Deæ*. Læva coronam tenet victoris præmium, qua eumdem coronatura est. Ovidius lib. 2. *Trist.* ad Cæsarem Augustum:

*Sic adsueta tuis semper Victoria castris*
*Nunc quoque se præstet, notaque signa petat.*
*Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis;*
*Ponat & in nitida laurea serta coma.*

In Senatu affervabatur imago Victoriæ alatæ, de qua Ælius Lampridius in *vita Alexandri Severi: Pater ea nocte in somniis vidit alis se Romanæ Victoriæ, quæ in Senatu, ad cælum vehi*. Dicta est autem Victoria, teste Isidoro lib. 18. *Orig.* cap. 2. *Quod vi, id est, virtute adipiscitur; hoc est enim jus gentium vim vi expellere*. Tres fratres illi assignantur, Zelus, Potentia, & Vis, sine quibus Principes nec Victoriam obtinere, nec Imperium adipisci queunt. Prudentius Poeta Christianus Victoriæ numen irridet his versibus:

*Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,*
*Et Deus omnipotens: non pexo crine Virago,*
*Nec nudo suspensa pede, strophioque revincta,*
*Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.*

---


# TABULA XXX.


PULCHERRIMUM istud signum æreum extans in Museo nostro Herculem refert divinitatis coronam capite gestantem, dextra clavam, læva poma aurea, pelle leonina sinistro brachio imposita. Hercules vitam Cynicam duxit opes amore virtutis despiciens, quapropter nudus repræsentatur. Illius ærumnas vide apud Boetium de *Conf. Philosoph.* Apollodorum lib. 2. de *Deorum imag.* Ovidium lib. 9. *Metam.* & Ausonium *Edyll.* 19. Harum secunda pelle leonis in Nemea sylva occisi designatur, de qua hæc scribit Albricus. *Secunda victoria Herculis notabilis fuit, quia ipse pugnasse cum Leone, ipsumque clava mactasse, & interempto pellem abstulisse dicitur; quo deinde spolio incessit semper indutus, signum victoriæ perceptæ. In quo etiam ostentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ semper spolium Leonis, id est, vim virtutis defert*. Narrat Diodorus lib. 1. *Histor.* clavam, & Leonis exuvias Herculi antiquo ideo attributas fuisse, quia nondum inventis illo tempore armis homines secum bellantes lignis repellebant, pellibusque belluarum pro tegumentis utebantur. Firmitatem, & vires indicari ex quercu docet Pierius Valerianus *Hierogl.* lib. 54. nodosamque frugi clavam propter difficultates, quæ virtutem indagantibus sese contra magno errorum agmine contracto frequenter objiciunt. Poma aurea Hesperidum in hortis Atlantis Mauritaniæ Regis ab Hercule sublata Dracone custode interempto canit Ovidius lib. 4. *Metam.*


*Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro*
*Arbor: & hunc prædæ titulum Jove natus habebit:*
*Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas*
*Mœnibus, & vasto dederat servanda Draconi.*

Per


TAB XXIX.
Apud Authorem.


TAB XXX
TAB XXXI.


TAB XXXIV
Apud E. Card. Chigium.
TAB.XXXII
Apud E. Card. Chigium
TAB.XXXIII.
Apud E. Card. Chigium


TAB.XXXVI
Apud P.A.Rolandum M.
TAB.XXXV.
Apud E. Card. Chigium.

Per Draconem extinctum significatur impositus concupiscentiæ modus: per tria mala in manu Herculis intelliguntur tres illius virtutes insigniores, una excandescentiæ moderatio, altera avaritiæ temperamentum, tertia generosus voluptatum contemptus. Auctor est idem Valerianus loco citato referens, si quando Bos huic Deo immolandus aufugisset, malum eidem ramis quatuor compositis quadrupedis illius instar sacrificari, quod aliqui a Bœotis, alii ab Atheniensibus factum volunt. Hercules ob fortitudinem inter Deos relatus perhibetur, cujus consecrato per coronam divinitatis, & immortalitatis symbolum designatur. Illum autem eumdem cum Sole declarat Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 20. unde duodecim illius ærumnæ ad totidem zodiaci signa videntur referendæ. Lindii cum convitiis, & maledictis eum colebant; si quis enim inter solemnes ritus, sacrasque cærimonias bonum verbum imprudenter protulisset, sacra pro violatis habebantur. Mulieribus prohibitum erat hujus Dei sacris immisceri, eisque per Herculem jurare nefarium, & illicitum fuisse scribit Varro, cui tamen opinioni refragatur Plautus in *Trucul.* act. 2. sc. 1. Astaphium sic loquentem introducens:

*Ha, ha, ha! Hercle quievi, quia introivit odium.*

---

# TABULA XXXI.

SEQUITUR aliud Herculis simulacrum pariter asservatum in Museo nostro, caput habentis vitium frondibus, & uvis coronatum, altera manu scyphum gestantis, altera clavam, pelle leonina sinistro brachio imposita. *Scyphus Herculis poculum est*, inquit Macrobius lib. 5. *Saturn.* cap. 21. *ita ut Liberi patris cantharus; Herculem vero fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt, & nonnumquam quassabundum, & ebrium, non solum quod is heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quod antiqua historia est, Herculem poculo tamquam navigio ventis immensa maria transiisse.* De illius ebrietate consulendus est Athenæus, qui de ea multis in locis agit, refertque Herculem ex magno voluminum numero elegisse illum, cui titulus erat, OBSONIORUM APPARATUS.

---

# TABULA XXXII.

CANOPUS apud Ægyptios Genius humidi elementi habebatur, Deorumque potentissimus, quod ignem Chaldæorum Deum aqua Nilotica in circumdato vase contenta extinxisset. Jucundum hoc miraculum refertur a Ruffino lib. 2. *Histor. Eccles.* capit. 26. *Ferunt* (inquit) *aliquando Chaldæos ignem Deum suum circumferentes cum omnium provinciarum Diis habuisse conflictum, quo scilicet, si vicisset, hic Deus ab omnibus esse crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris, aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacumque materia constabant, quæ per ignem procul dubio corrumperetur; ex quo fiebat, ut omnis locis omnibus obtineret. Hæc cum audisset Canopi Sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri solent in Ægypti partibus fictiles undique crebris, & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus turbida aqua desudans defecatior, ac purior redditur. Harum ille unam cera foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam statuit in Deum; & excisum veteris simulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum diligenter aptavit. Adsunt post hæc Chaldæi; itur in conflictum: circa hydriam ignis accenditur: cera, qua foramina fuerant obturata, resolvitur: sudante hydria ignis extinguitur. Sacerdotis fraude Canopus Chaldæorum victor ostenditur: unde ipsum Canopi simulacrum pedibus perexiguis, attracto collo, & quasi sugillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorso æqualiter tereti formatur. Ex hac persuasione velut Deus victor omnium colebatur.* Ille hic veluti hydriæ clausus humana, & juvenili facie insurgit, basique innititur: caput velatum est fasciolis circa collum de more pendentibus, ac pectore medio, circaque humeros glans dependet, primi nutrimenti index. Tibullus lib. 2. el. 3. *Glans aluit veteres*. In prima hydriæ facie exhibentur duo Genii sedentium habitu baculis insignes, quorum unus canino vultu Anubin indicat, alter Felis specie Genium Lunarem. Canis etiam refertur ad Isidem, teste Plutarcho lib. de *Is. & Osir.* quæ ipsissima Luna est; unde istis Geniis videtur indicari præsidium tutelare in humidum elementum, a quo tamquam rerum principio, quæcumque terra gignit, emanare juxta Thaletis sententiam existimabant Ægyptii. Sedent ambo ad denotandam stabilitatem, quam mundo elementari Lunares Genii conferunt; mala etiam imminentia averruncare credebantur, quod per baculos malorum aversionis symbola designatur. Ve-

rum quia Lunares Genii humidæ naturæ præsides generationem perficere nequeunt, nisi adjuventur a cælesti Osiri, id est, a calore Solis fœcundativo; hinc Accipiter in summo positus est, quo picto Ægyptii Regem suum Osirim indicabant, ut docet Plutarchus loco citato: *Γράφουσι καὶ ἱέρακι τὸν θεὸν τοῦτον πολλάκις· εὐτονίᾳ γὰρ ὄψεως ὑπερβάλλει, καὶ πτήσεως ὀξύτητι. Accipitre etiam picto Osirim sæpe proponunt: avis enim ea pollet acumine visus & volatus celeritate*. Scribit Porphyrius lib. 4. *de Abstin.* Accipitrem apud Ægyptios Solis imaginem esse totam substantiam habentem ex sanguine, & spiritu constantem. Audiamus etiam Horum Apollin. lib. 1. *Hier.* 6. de Accipitre sic loquentem: Θεὸν βουλόμενοι σημῆναι, &c. ἱέρακα ζωγραφοῦσι. Θεὸν μὲν, διὰ τὸ πολύγονον εἶναι τὸ ζῶον, καὶ πολυχρόνιον ἔτι γε μήν, ἐπεὶ καὶ δοκεῖ εἴδωλον ἡλίου ὑπάρχειν παρὰ πάντα τὰ πετεινὰ πρὸς τὰς αὐτοῦ ἀκτῖνας ὀξυωπῶν, ἀφ' οὗ καὶ οἱ ἰατροὶ πρὸς ἴασιν ὀφθαλμῶν τῇ ἱερακίᾳ βοτάνῃ χρῶνται. ὅθεν καὶ τὸν ἥλιον ὡς κύριον ὄντα ὁράσεως, ἔσθ' ὅτε ἱερακόμορφον ζωγραφοῦσιν. Ὕψος δὲ, ἐπεὶ τὰ μὲν ἕτερα ζῶα εἰς ὕψος πέτεσθαι προαιρούμενα, πλαγίως φέρεται, ἀδυνατοῦσα κατ' εὐθὺ χωρεῖν, μόνος δὲ ἱέραξ εἰς ὕψος κατ' εὐθὺ πέτεται. *Deum quum volunt significare, aut sublimitatem, &c. Accipitrem pingunt, Deum quidem, tum quod fecundum sit, ac diuturnæ vitæ hoc animal, tum etiam quod Solis præter cæteras volucres simulacrum esse videatur, utpote peculiari quadam, atque occulta naturæ vi, defixis in ejus radios oculis intuens. Atque hinc est, quod Medici ad sananda oculorum vitia, hieraceo herba utuntur. Inde etiam fit, ut Solem interdum tamquam visus tutorem, & dominum Accipitris forma pingant. Sublimitatem vero, quia quum cætera quidem animantia, quoties in sublime tolli volunt, oblique ferantur, nec recta sursum evehi possint, solus Accipiter recta in altum volat*. Narrat Ælianus lib. 12. *de Animal.* cap. 4. solos Accipitres de avibus intentis oculis adversus Solis radios intueri, ac supino interdum volatu ferri, rerum inspectorem omnium libere, intrepideque aspectantes. Per calathum accipitrino capiti impositum numinis solaris omnia in altum trahentis potestatem designari testatur Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 20. *Cujus vertex insignitus calatho, & altitudinem syderis monstrat, & potentiam capacitatis ostendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur*. Harpocrates, qui idem est & Horus, sive, ut loquitur Plutarchus in opusculo *de Is. & Osir.* Ἡ πάντα σώζουσα καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὥρα καὶ κρᾶσις ἀέρος. *Tempestas, ac temperies aeris ambientis omnia servans, atque alens*, digitum ori admovendo silentium suadere videtur, ut monstret sapientiæ, & arcanorum majestatem profanis minime divulgandam esse, sacraque mysteria solo silentio veneranda; quæ omnia Porphyrius apud Eusebium lib. 4. *Præp. Ev.* cap. 8. expresse discipulo suo præcipit his verbis: Σὺ δὲ εἴπερ τι, καὶ ταῦτα πειρῶ μὴ δημοσιεύειν, μήδ' ἄχρι καὶ τῶν βεβήλων ῥίπτειν αὐτὰ, δόξης ἕνεκα ἢ κέρδους, ἤ τινος ἄλλης οὐκ εὐαγοῦς κολακείας ...... *Tu vero*, inquit, *cave, si quicquam aliud, ne res istas palam extuleris, & gloriæ, lucrive cupiditate, vel cujuscumque minus religiosæ assentationis studio ante profanorum hominum oculos projeceris* ...... ( Et mox ) Ταῦτά μοι ὡς ἀρρήτων τὰ ἀρρητότερα κρύπτειν. οὐδὲ γὰρ οἱ θεοὶ φανερῶς περὶ αὐτῶν ἐθέσπισαν, ἀλλὰ δι' αἰνιγμάτων. *Hæc tu*, inquit, *vide sis ut arcanis ipsis arcana magis, & occulta habeas, propterea quod nihil de se Dii planum, atque perspicuum, sed obscura omnia suis oraculis effati sunt*. Sic Basilides discipulis suis quinquennii silentium Pythagoræorum more præcipiebat, timens ne illius sacrorum impuritas evulgaretur, hoc dans eis præceptum: *Date operam, ut omnia cognoscatis, nemo vero vos cognoscat*. Ex Irenæo lib. 1. *advers. Hæres.* cap. 23. Epiphanio *Hæres* 24. & Theodoreto lib. 1. *hæret. fabul.* cap. 4. Eadem refert de hæreticis D. Augustinus lib. de *hæres.* cap. 70. *Docebant* ( inquit ) *discipulos suos, ut juramento interrogati, & requisiti, nihil umquam revelarent de illorum doctrina, & ad illius doctrinæ occultationem dicebant licitum esse perjurium; quapropter hanc semper in ore versabant sententiam,*

*Jura, perjura, secretum prodere noli.*

Hoc etiam videtur innuere Apulejus lib. 11. *Metamorph.* de cærimoniarum arcanis, Deorumque mysteriis loquendo. Verba ejus hæc sunt: *Tunc semotis procul profanis omnibus, linteo rudique me contextum amicimine, arrepta manu Sacerdos deducit ad ipsius sacrarii penetralia. Quæras forsitan satis anxie, studiose Lector, quid deinde dictum, quid factum? Dicerem, si dicere liceret; cognosceres, si liceret audire: sed parem noxam contraherent aures, & linguæ illæ temerariæ curiositatis*. Flagellum, seu scuticam tenet Harpocrates tanquam malorum expulsor. Globus Aspidibus circumdatus indicabat apud Ægyptios vim quamdam igneam universum penetrantem, & fœcundantem, vitamque, & motum singulis mundi partibus impertientem, ut refert Abenephius apud Kircherium lib. 5. *Obel. Pamph.* fol. 420. *Per figuram Aspidis sphæram circumdantem vitam, & motum, & fœcunditatem mundi designabant*. Aspides Globos habent capitibus impositos, quibus soliditatem, & virtutem corroborativam rebus conferendam innuebant; per alas vero Spiritum Dei mundum motu vivificantem, seu velocem divini spiritus in mundos sensibiles impulsum. Scribit eruditissimus Kircher. lib. cit. f. 399. & seqq. per globum, vel circulum, seu sphæram, significari æternam illam, & immensam Dei essentiam, puram, & simplicem, nullisque terminis definitam, quam nunc Patrem, nunc Mentem primam, nunc Intellectum supremum appellat Mercurius Trismegistus, qui primus admirandum SS. Trinitatis mysterium asseruit in Pimandro. Per Serpentem secundam Divinitatis formam exprimi, notarique Dei fœcunditatem. Per alas autem tertiam indicari, quam Platonici & Spiritum universi, & animam mundi appellant. Scarabæus in infima hydriæ parte positus est: ille mundum significabat apud Ægyptios, ut & multa alia, quæ recenset Horus lib. 1. *Hierogl.* 10. Μονογενὲς δὲ δηλοῦντες, ἢ γένεσιν, ἢ πατέρα, ἢ κόσμον, ἢ ἄνδρα, κάνθαρον ζωγραφοῦσι. *Unigenam autem significantes, aut ortum, aut patrem, aut mundum, aut virum, Scarabæum pingunt*. Ipsum etiam animatam Solis effigiem repræsentare testatur Eusebius. Plinius quoque lib.

30. cap. 11. de eodem insecto sic ait: *Ægypti magna pars Scarabæos inter numina colit, curiosa Apionis interpretatione, qua colligat Solis operum similitudinem huic animali esse, ad excusandos gentis suæ ritus*. Proprie tamen mundum, ad cujus figuram ejus procreatio, & fœtus accedit teste Horo loco citato, hic videtur designare, benignos Osiridis & Isidis, id est, Solis & Lunæ influxus ad rerum omnium procreationem necessarios in se recipientem, quibus fœcunditate, & ubertate repletur.

---

# TABULA XXXIII. XXXIV.

IN secunda, & tertia hydriæ faciebus exhibetur Isis, quam Apulejus lib. 11. *Metam.* vocat Matrem syderum, Parentem temporum, Orbisque totius Dominam: sindone tecta est, florem sacrum gerens in capite, globumque Aspidibus circumdatum, solitum ejus capitis ornamentum, vel modium abundantiæ, & fœcunditatis symbolum, sive calathum frugum maturitatis indicem, ut docet Porphyrius apud Eusebium lib. 3. *Præp. Evang.* cap. 3: Ὁ δὲ κάλαθος, ὃν ἐπὶ τοῖς μετεώροις φέρει, τῆς τῶν καρπῶν κατεργασίας, οἷς ἀνατρέφει καὶ τὴν τοῦ φωτὸς παραύξησιν. *Calathus autem is, quem ipsa gestat, ubi altiorem in locum subvecta jam est, frugum maturitatem, quam iis circa luminis incrementum alendis efficit, repræsentat*. Situlam tenet ad denotandam humidam vim Lunæ; etenim hæc Dea Lunaris vis credita est, quæ semina fovet humore, donec Sol eadem sublevat ad generationem: eaque de causa in ejus sacris amphoram aquæ inter mysteria efferri moris fuisse narrat Plutarchus lib. *de Is. & Os.* quod Lucianus in *Dea Syria* hisce verbis confirmat: Ἀγγήϊον ἕκαστος ὕδατι σεσαγμένον φέρουσι, κηρῷ δὲ τάδε σεσήμανται. *Vas unusquisque aqua repletum portat, idque cera obsignatur.* Situla refertur etiam ad mysticas Ægyptiorum cærimonias, denotabatque apud eos inundationem Nili, omniumque lacunarum fluentiam ex humida Lunæ vi provenientem. Isis omnium vita, si fides Jamblico sect. 6. *de Myster.* cap. 7. tamdiu perfecta, & permanens futura, quamdiu illius essentia nudis verbis minime propalabitur; natura enim gaudet abscondi, & ob id veteres philosophi silentium discipulis suis expresse præcipiebant, ut jam diximus. Verba Jamblichi sunt: Διὰ τοῦτο γὰρ μένει ἐν τάξει τὰ τοῦ παντὸς μόρια, διότι ἡ ἀγαθοποιὸς τοῦ Ὀσίριδος δύναμις ἁγνὴ, καὶ ἄχραντος μένει, καὶ οὐ συμμίγνυται πρὸς τὴν ἐναντίαν πλημμέλειαν καὶ ταραχήν. Μένει δὲ καὶ ἡ τῶν ὅλων ζωὴ καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος· ἐπειδὴ τὰ ἀπόκρυφα ζωογόνα τῶν λόγων κάλλη τῆς Ἴσιδος οὐ κάτεισιν εἰς τὸ φαινόμενον καὶ ὁρώμενον σῶμα. ἀκίνητα δὲ διατελεῖ πάντα καὶ ἀειγενῆ, διότι οὐδέποτε ἵσταται ὁ τοῦ ἡλίου δρόμος. τέλεια δὲ καὶ ὁλόκληρα διαμένει πάντα, ἐπειδὴ τὰ ἐν Ἀβύδῳ ἀποκαλύπτεται. οἷς οὖν ἔχει τὴν σωτηρίαν τὰ ὅλα, λέγω δὲ ἐν τῷ τὰ ἀπόρρητα κεκρυμμένα ἀεὶ διατηρεῖσθαι, καὶ ἐν τῷ τὴν ἄφθεγκτον τῶν θεῶν οὐσίαν, μηδέποτε τῆς ἐναντίας καταλαμβάνειν μοίρας. *Hanc etiam ob causam mundi partes in ordine permanent, quod benefica Osiridis potestas sincera permanet & incorrupta., neque contrario tumultu, & errore permiscetur. Permanet insuper omnium vita pura, & semper incorrupta, quatenus vivificæ, formosæque rationes, quæ in Iside reconditæ sunt, non descendunt in hoc nostris sensibus familiare corpus. Porro permanent omnia immobilia, & perpetuæ generationis successione æterna, quatenus numquam impeditur Solis cursus: deinde perfecta, & integra permanent omnia, quamdiu quæ in Abydo recondita sunt, nunquam aperiantur. In quibus igitur salus universi consistit? consistit autem in eo, ut quæ arcana sunt, semper maneant abscondita, & secretissima Deorum essentia numquam contrariam subeat sortem.* Hinc sindone tecta est, floremque forsan persicum gerit in capites silentii, & veritatis symbolum. Cercopithecus, seu Cynocephalus est species quædam Simiarum caudatarum: hoc animal magnam cum Luna sympathiam habere dignoscitur, siquidem ea deficiente fertur tristari, exoriente vero lætari; unde Luna crescenti tamquam diademate coronatum hic, ut in tabula Bembina, exhibetur. Cynocephalum Lunæ sacrum dicit Jamblichus sect. 5. *de Myst.* c. 8. Οἷον κυνὸς, κυνοκεφάλου, μογαλῆς, κοινὰς οὔσας πρὸς σελήνην. *Sic Canem, & Cynocephalum, & Mustellam Lunæ communes faciunt*. Hujus animalis cum Luna sympathiam exactissime refert Horus lib. 1. *Hierogl.* 14. his verbis: Σελήνην δὲ γράφοντες, &c. κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι. Σελήνην μὲν, ἐπειδὴ τὸ ζῶον τοῦτο συμπάθειάν τινα πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ σύνοδον ἐκτήσατο. ὅταν γὰρ ἐν τῷ μέρει τῆς ὥρας ἡ σελήνη συνοδεύουσα ἡλίῳ ἀφώτιστος γένηται, τότε ὁ μὲν ἄρσην κυνοκέφαλος οὐ βλέπει, οὐδὲ ἐσθίει. ἄχθεται δὲ εἰς τὴν γῆν νενευκὼς, καθάπερ πενθῶν τὴν τῆς σελήνης ἁρπαγήν· ἡ δὲ θήλεια μετὰ τοῦ μὴ ὁρᾶν, καὶ ταυτὰ τῷ ἄῤῥενι πάσχειν, ἔτι τε καὶ ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως αἱμάσσεται. διὸ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐν τοῖς ἱεροῖς τρέφονται κυνοκέφαλοι, ὅπως ἐξ αὐτῶν γινώσκηται τὸ ἡλίου καὶ σελήνης μέρος τῆς συνόδου. *Lunam demonstrantes, &c. Cynocephalum pingunt. Lunam quidem, propterea quod animal hoc consensum quemdam cum Dei congressu, ex quo & affici soleat, habet. Ubi enim aliquanto tempore Luna cum Sole congrediens, expers luminis, opacaque permanet; tum mas quidem Cynocephalus nec quoquam intuetur, nec vescitur: sed demisso in terram vultu indignabundus, velut Lunæ raptum deplorans, mœret. Fœmina vero, præterquam quod nusquam oculos contorquet, eadem cum masculo patitur, & insuper e genitali vase sanguinem emittit. Ideoque aa hæc usque tempora in sacris templis Cynocephali nutriun-*

*tur, ut ex ipsis conjunctionis Solis, & Lunæ tempus cognosci possit*. Duo Cynocephali, ut in hac hydria, sedentes Lunæ accessum, & recessum a tropico ad tropicum, quoque anni æquinoctia indicant, teste eodem Horo lib. 1. *Hierogl.* 16. Ισημερίας δὲ δύο πάλιν σημαίνοντες, κυνοκέφαλον καθήμενον ζωγραφοῦσι ζῶον. Εν ταῖς δυσὶ γὰρ ἰσημερίαις τοῦ ἐνιαυτοῦ, δωδεκάκις τῆς ἡμέρας καθ' ἑκάστην ὥραν οὐρεῖ. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ταῖς δυσὶ νυξὶ ποιεῖ, &c. ἐν ταῖς ἰσημερίαις μόνος τῶν ἄλλων ζώων δωδεκάκις τῆς ἡμέρας κράζει καθ' ἑκάστην ὥραν. *Rursum æquinoctia significantes, idem animal Cynocephalum sedentem pingunt. Duobus enim anni æquinoctiis duodecies in die per singulas nimirum horas urinam reddit, idemque & noctu facit* (Et deinde) *Solus ex omnibus animantibus æquinoctio duodecies in die per singulas horas adlatrat*. In hac hydria Cynocephali vestimento quodam reticulato induti sunt ad denotandam rerum omnium connexionem, sine qua mundus perfectus esse nequit. De hac necessaria connexione loquitur Trismegistus in Asclepio: *Fatum* (inquit) *o Asclepi, sive* εἱμαρμένη, *ea est necessitas omnium, quæ geruntur, semper catenatis nexibus juncta*. Et mox. *Hæc itaque* εἱμαρμένη, *sive fatum rerum omnium parit principia, altera vero cogit ad effectum, quæ ex illis primordiis dependent. Has ordo sequitur, id est, contextus, & distinctio temporis rerum perficiendarum. In omnibus his Mundus iste est perfectus, omnia itaque individuo connexa sunt glutino*. Apulejus lib. 11. *Metamor.* Simiam introducit in pompam Isidis; Cynocephali autem, sive Cercopitheci sunt in numero Simiarum, sed efferatioris naturæ perhibentur. Crocodilus malignam, & perniciosam Typhonis naturam denotat: Typhon nil aliud est, quam vis adustiva rerum omnium procreationi contraria, quam Isis, id est, Luna humidis suis influxibus corrigit; ideoque Crocodilo Cynocephalus insidet, hoc est, Genius Lunaris vi sua superdominativa perniciosam Typhoniam vim sibi subditam tenet, & destruit. Audiamus Plutarchum, qui de maligna Typhonis natura ab Iside superata hæc scribit lib. *de Is. & Os.* Τῆς δὲ Ισιδος πάλιν αναλαμβανούσης τὸν Οσιριν, καὶ αὐξανούσης τὸν Ὧρον ἀναθυμιάσεσι καὶ ὁμίχλαις, καὶ νέφεσι ῥωννύμενον, ἐκρατήθη μὲν, οὐκ ἀνῃρέθη δὲ ὁ τυφών. οὐ γὰρ εἴασεν ἡ κυρία τῆς γῆς θεὸς ἀναιρεθῆναι παντάπασι τὴν ἀντικειμένην τῇ ὑγρότητι φύσιν, ἀλλ' ἐχάλασε καὶ ἀνῆκε, βουλομένη διαμένειν τὴν κρᾶσιν· οὐ γὰρ ἦν κόσμον εἶναι τέλειον, ἐκλείποντος καὶ ἀφανισθέντος τοῦ πυρώδους. *Rursum ubi Osirim Isis recepit, & Horum educat exhalationibus, & nebulis, ac nubibus crescentem, & roboratum: superatus quidem, non tamen interfectus est Typhon; non enim passa est Dea, quæ terræ domina est, undiquaque aboleri naturam humori contrariam; sed dimittit eam, & laxat, cupiens temperiem relinqui, quia non poterat Mundus esse perfectus abolita ignea natura*. Typhon aliquando significat excessivum humorem plantis, aliisque rebus nocivum; omne enim in natura defectivum indicat. De illo in Crocodilum mutato hæc narrat idem Plutarchus loco citato: Εν δὲ Απόλλωνος πόλει νενομισμένον ἐστὶ κροκοδείλου φαγεῖν πάντως ἕκαστον. ἡμέρᾳ δὲ μιᾷ θηρεύσαντες ὅσους ἂν δύνωνται, καὶ κτείναντες ἀπαντικρὺ τοῦ ἱεροῦ προβάλλουσι, καὶ λέγουσιν ὡς ὁ Τυφὼν τὸν Ὧρον ἀπέδρα κροκόδειλος γενόμενος, πάντα καὶ ζῶα, καὶ φυτὰ, καὶ πάθη τὰ φαῦλα καὶ βλαβερὰ. Τυφῶνος ἔργα καὶ μέρη, καὶ κινήματα ποιούμενοι. *In Urbe Apollinis statutum est, ut quisque omnino de Crocodilo edat: certa autem die quadam venati, quotquot possunt, Crocodilos interficiunt, & ex adverso templi abjiciunt, Typhonem dicentes in Crocodilum mutatum Horo se fuga eripuisse: ita omnia animalia, stirpes, & eventa mala, atque damnosa, Typhonis opera, & effecta putant*.

# TABULA XXXV.

IN adverſa hydriæ parte exhibetur Genius Polymorphus utraque manu gladium tenens, quem Valerianus lib. 42. Imperii ſymbolum eſſe docet: omnia enim ille in ſingulis Geniis operatur, exceſſuſque defectuoſos rerum procreationi contrarios ad mediocritatem reducit. Hunc Genium paſſim Ægyptii cum ipſo ſupremo numine confundebant, unde ad eum reſpexiſſe videtur Jamblichus hæc ſcribens ſect. 8. *de Myſter.* cap. 3. Κατ' ἄλλην δὲ τάξιν προστάττει θεὸν τὸν Ημηφ, τῶν ἐπουρανίων θεῶν ἡγούμενον. ὅν φησιν νοῦν εἶναι αὐτὸν ἑαυτὸν νοοῦντα, καὶ τὰς νοήσεις εἰς ἑαυτὸν ἐπιστρέφοντα. τούτου δὲ τὸ ἓν ἀμερὲς, καὶ ὅ φησι πρῶτον μάγευμα προτάττει· ὃν καὶ Εικτὼν ἐπονομάζει. ἐν ᾧ δὴ τὸ πρῶτόν ἐστι νοοῦν, καὶ τὸ πρῶτον νοητὸν, ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μόνης θεραπεύεται. *Secundum vero alium ordinem Deum Emeth, tamquam ducem, Diis cæleſtibus præponit. Ait hunc eſſe mentem ſeipſam intelligentem, & alias intellectiones ad ſe convertentem. Ante hunc unum impartibile ponit, quod etiam primam effigiem appellat, & Eicton. In quo primum, quod intelligit, & intelligitur, reperitur, quodque ſolo ſilentio colitur.* Tutulum, ſeu calathoformem tiaram capite ſuſtinet Genii tutelaris, & Principatus ſymbolum; cujus ſummitas pennis, & globo inſignita eſt, velocem divini ſpiritus in mundos ſenſibiles impulſum indicantibus. Veſtitus eſt ille, quia divinarum idearum rationes occultæ ſunt: ſtat indiſcretis pedibus, quia, licet ſemper ſit in motu, ſua tamen natura immobilis eſt; unde ſcribit Heliodorus lib. 3. fol. 148. inceſſu maximum Deorum adventum notari; non ex dimotione pedum, neque tranſpoſitione exiſtentem, ſed ex impetu aerio, & vi expedita findentium magis auras, quam tranſeuntium. Διὸ δὴ καὶ τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγνῦντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν. *Quamobrem* (ait) *ſtatuas quoque Deorum Ægyptii ponunt conjungentes illis pedes, & quaſi unientes.* Idem Ægyptii Mercurium primum illorum legislatorem ſub Anubidis imagine divinis honoribus proſequuti ſunt; & apud eos Anubis rerum inventionis præſes habebatur, quia, teſte Servio ad lib. 8. *Æneid.* nihil Cane ſagacius. Colebatur etiam ut nuntius inter ſuperos, & inferos, ſi credendum eſt Apulejo lib. ult. *Metam. Hic horrendus ille ſuperum commeator & inferum, nunc atra, nunc aurea facie ſublimis attollens Canis cervices arduas Anubis.* Narrat Diodorus lib. 1. hunc Deum canina facie repræſentari apud Ægyptios indicantes Canem Oſiridi, & Iſidi corporis cuſtodem fuiſſe; vel illum Iſidi, quando Oſirim inveſtigabat, ducem, & ſocium inquiſitionis ſe præbuiſſe cum ululatu; ideoque in hujus Deæ feſtis Canes pompam antecedere. Quidam illum ſic pingi autumant, quod ipſe Patrem Oſirim in expeditione bellica ſecutus Canem pro inſigni geſtaverit: alii vero, quod Oſiridis, & Iſidis Prætorianus fuerit miles. Significabatur per eum Genius Nili, ſive illius incrementum ſub ortu Caniculæ, ex qua tanta fœcunditas ſolebat Ægypto provenire. Hinc duo Canes in imo hydriæ poſiti ſunt incrementum Nili promoventes, duo hemiſphæria, cuſtodiamque acceſſus, & receſſus Solis deſignantes, ut docet Clemens Alexandrinus lib. 5. *Stromat.* his verbis: Εἰσὶ γοῦν οἱ μὲν κύνες σύμβολα τῶν δυοῖν ἡμισφαιρίων, οἷον περιπολούντων. *Atque duo quidem Canes ſunt ſymbola duorum hemiſphæriorum. ut quæ circumeant, & cuſtodiant.* Et paullo poſt: Εἰσὶ δὲ οἳ τοὺς μὲν τροπικοὺς πρὸς τῶν κυνῶν μηνύεσθαι βούλονται, οἳ δὴ διαφυλάσσουσι καὶ πυλωροῦσι τὴν ἐπὶ νότον καὶ ἄρκτον πάροδον τοῦ ἡλίου. *Sunt autem qui volunt quidem tropicos ſignificari a Canibus, qui cuſtodiunt, & inſtar janitorum obſervant acceſſum Solis ad Auſtrum, & Septentrionem.* Sacrum quoque Scribam, & Vatem, ſeu Prophetam Cane indicari teſtatur Horus lib. 1. *Hierogl.* 37. Ιερογραμματέα δὲ πάλιν, ἢ προφήτην βουλόμενοι γράφειν, κύνα ζωγραφοῦσιν. Canis Iſidi ſacer erat, ſive ob rationes hic allatas, ſive quia, ut refert Plutarchus *de Iſ. & Oſ.* ſtella Caniculæ, quæ proprie Iſidis cenſetur, dicta eſt Kyſon, ſive Canis. Anubis habebatur etiam Genius tutelaris averruncus, eaque de cauſa ſcuticas virtutis averruncativæ ſymbola manibus tenet, quibus Typhonia vis maligna arceri, abundantia vero rerum omnium conſervari credebatur. Ob ſuperſtitioſum illum animalium cultum vehementer invehitur in Ægyptios Sedulius Poeta Chriſtianus lib. 1. *Car.* his verſibus:

*Quis furor eſt? quæ tanta animos dementia ludit?*
*Ut Volucrem, turpemque Bovem, totumque Draconem,*
*Semihominemque Canem ſupplex homo pronus adoret.*

Quam inſanam venerationem irridet, iiſdemque exprobat Juvenalis Sat. 15.

*Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.*

Etenim in Urbe Cynopoli a Canibus ſic dicta canes pro Diis habebantur, ut exponit Strabo lib. 17. Ἑξῆς δ' ἐστὶν ὁ Κυνοπολίτης νόμος· καὶ Κυνῶν πόλις, ἐν ᾗ ὁ Ανουβις τιμᾶται, καὶ τοῖς κυσὶ τιμὴ καὶ σίτισις τέτακταί τις ἱερά. *Sequitur Cynopolitana Præfectura, & Carum Urbs, in qua Anubis colitur, & bonor, & ſacer quidam cibus Canibus eſt conſtitutus.* Cane mortuo non ſolum ſupercilia eradebant Ægyptii, ut fieri ſolitum erat in Fele; ſed etiam totum corpus, quod maximi luctus erat indicium; ſi fides Herodoto in *Euterpe*, & Lactantio lib. 3. *de fal. ſap.* cap. 20. Nunc ad brevem Idealis hujus

lectionis contextum deveniamus. Rerum omnium opifex Deus, id est, juxta Hermetem, Mens prima, sive Intellectus supremus, Mens secunda, sive Mentis primæ fœcunditas, Spiritusque universi, quibus ille nominibus admirandum Sanctiss. Triadis mysterium primus adumbravit, per globum Aspidibus circumdatum, & alas designatur. Ille hic Deus est prima causa, mediantibus tamen aliis causis agens, quales sunt Sol, & Luna ambo virtute ab illo triuno, & æterno participata ad rerum procreationem simul concurrentes. Etenim Lunares Genii sub Anubidis, & Felis imaginibus expressi humidæ naturæ præsides, licet mundo elementari stabilitatem conferant, Typhoniamque vim malignam, hoc est, omne excessivum baculis coerceant, generationem tamen perficere nequeunt absque numinis Solaris omnia in altum trahentis calore fœcundativo, qui per Accipitrem tutelatum, & in summo positum indicatur. Et quia rerum procreatio consistit in perfecta calidi, & humidi mediocritate, adest Harpocrates, qui idem est & Horus, sive temperies aeris ambientis omnia servans, atque alens: silentium digito præcipit, quia superna mysteria incomprehensibilia sunt, soloque silentio veneranda: scutica vero nocivam adversorum Geniorum, immodici nempe frigoris, æstusque intemperati vim propulsat. In imo stat Mundus Scarabæo designatus benignos Solis, & Lunæ influxus in se recipiens, ex quibus fœcunditas, & rerum humano generi necessariarum abundantia emanat, vitaque omnibus largitur. Lunaris vis per Isidem tutelatam manu situlam gerentem demonstrata semina fovet humore, frugum maturitatem promovet, humidisque suis influxibus vim adustivam generationi contrariam corrigit. Hinc est, quod Cynocephalus vestimento reticulato indutus universi perfectionem in connexione rerum indicante Crocodilo insidet, hoc est, Lunaris Genius Typhoniam malignitatem conculcat. Genius Polyphormus, sive supremus calathoformi tiara Principatus Insigni decoratus gladios Imperii symbola manibus tenet. Ille defectuosos omnes excessus ad mediocritatem reducit: & quia, licet ipse semper sit in motu, quod per globum, & pennas ejus tiaræ impositas significatur, sua tamen natura immobilis est, ideo stat indiscretis pedibus: quoniam vero divinarum idearum rationes occultæ sunt, vestitus repræsentatur. Adest Anubis vim Typhonis malignam, sive omne excessivum ubertati nocivum scuticis coercens, Nilique, cujus ipse Genius est, incrementum sub ortu Caniculæ Canibus expressæ promovens, ex quo rerum omnium Ægypto necessariarum fœcunditas, & abundantia provenit, proindeque humanæ fœlicitatis complementum.

---

# TABULA XXXVI.

EXHIBETUR in hac Tabula Sacerdos Ægyptius nudus, derasus, discalceatus, femoralibus virgatis ab umbilico ad genua solummodo coopertus, characterem Tauticum manu tenens. De antiquis Ægyptiorum Sacerdotibus, eorumque modo vivendi plura referunt Herodotus *in Euterp.* & Porphyrius lib. 4. *de abstin.* sed mirabilem quorundam frugalitatem ac pene incredibilem abstinentiam narrat Cælius Rhodiginus lib. 13. *Lect. Antiq.* cap. 25. *Ægyptiorum Sacerdotum mores præparci in victu, ac frugi prorsum bonæ, & contemplationi dedita mens in stuporem usque a Chæremone Stoico narrantur: eos enim scribit negotiis omnibus, curisque rejectis semper in templo fuisse, & rerum naturas, causasque, ac rationes syderum esse contemplatos; mulieribus numquam se miscuisse, numquam cognatos, & propinquos, ne liberos quidem vidisse ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire: carnibus item, & vino semper abstinuisse, immo vero etiam pane raro vesci solitos, ne onerarent stomachum; quo si quando comederent, tonsum pariter hyssopum sumebant, ut escam graviorem illius calore decoquerent: oleum tantum in holeribus noverant. Quid loquar, inquit, de volatilibus, quum ovum quoque pro carnibus vitaverint, & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile eisdem ex foliis palmarum, quas bajas vocant; bidui, triduique inediam sustinebant.* Animalibus eos se abstinuisse docet Porphyrius loco citato, quod multa ex illis velut divina venerarentur, crederentque omnis animalis animam esse rationalem, quando a corpore fuerit separata, præsagam futuri, nobis divinantem, omniumque effectricem: sed aliam hujus abstinentiæ causam nobis suggerit Clemens Alexandrinus lib. 7. *Stromat.* fol. 718. edit. Colon. dum scribit exhalationem, quæ ex carne, & vino ascendit, cum sit crassior, & turbidior, offundere animæ tenebras, quam opinionem confirmat etiam Androcydis sententia: Οἶνος γάρ, φησὶν Ἀνδροκύδης, καὶ σαρκῶν ἐμφορήσεις, σῶμα μὲν ῥωμαλέον ἀπεργάζεται, ψυχὴν δὲ νωχελεστέραν· ἄθεος οὖν ἡ τοιαύτη τροφὴ πρὸς σύνεσιν ἀκριβῆ. διὸ καὶ Αἰγύπτιοι ἐν ταῖς κατ' αὐτοὺς ἁγνείαις οὐκ ἐπιτρέπουσι τοῖς ἱερεῦσι σιτεῖσθαι σάρκας, ὀρνιθείοις τε ὡς κουφοτάτοις χρῶνται, καὶ δι' ἄλλους μέν τινας μύθους, μάλιστα δὲ ὡς πλαδαρὰν τὴν σάρκα τῆς τοιᾶσδε κατασκευαζούσης βρώσεως. *Vinum, inquit Androcydes, & carnis ingurgitationes corpus quidem robustum efficiunt, animam vero debiliorem: est ergo impium, & a religione alienum hoc detrimentum ad perfectam intelligentiam: quocirca Ægyptii quoque in iis, quæ eorum ritu fiunt, sanctificationibus non permittunt Sacerdotibus vesci carnibus, & aviculis utuntur quam levissimis, & pi-*

*sces non tangunt, cum propter quasdam alias fabulas, tum maxime, quod ejusmodi cibus carnem reddat humidam.* Homo ad Deum incorporeum, & intellectualem elevari cupiens, ait Porphyrius, non debet quærere nutrimentum carnium, quo saginatum corpus pinguescens menti impedimento esse possit; nam sicut spiritu magnetis ferrum natura gravissimum leve evadit, sublevatumque lapidi accurrit; ita homo carnium exhalationibus minime gravatus Deo naturalius conjungitur, & inhæret, quam ferrum magneti. Vini quoque usus illis interdictus erat, ut & plerisque aliarum religionum Sacerdotibus: sic legitur in pagina sacra cap. 10. *Levitic.* quod Sacerdotes in tabernaculum intraturi prohibebantur vinum & siceram bibere, ne corda eorum gravarentur ebrietate: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu, & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum; inter pollutum, & mundum: Doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Deus ad eos per manum Moysi.* Omnes autem cibi, & potus ingurgitationes Sacerdotibus prohibet D. Hieronymus: *Venter, ait, & genitalia sibimet ipsis vicina sunt, ut ex vicinitate membrorum confœderatio intelligatur vitiorum: Sacerdoti itaque de altari vivere, non luxuriari permittitur.* Unde Apulejus sacris Isidis initiaturus dicit lib. 11. *Metamor.* Sacerdotem sibi præcepisse, ut nullum animal ederet, & invinius esset. Fabis vesci eis illicitum erat, quod faba excitet flatus, qui provocant ad Venerem; unde illud Pythagoreum, *a fabis abstine te.* Porrum quoque, & cæpe illis vetita scribit Juvenalis Sat. 15.

*Porrum, & cæpe nefas violare, & frangere morsu.*
*O sanctas genteis, quibus hæc nascuntur in hortis*
*Numina, lanatis animalibus abstinet omnis*
*Mensa, nefas illic fœtum jugulare capellæ.*

Capite deraso incedebant, ut docet Herodotus in *Euterpe*, ac tertio quoque die totum corpus solebant eradere, ne quis pediculus Deos colentibus, aut alia sordes crearetur: hinc Isiacorum calvities, de qua Polidorus Virgilius lib. 4. cap. 8. *Commune initiatis omnibus insigne est, vertex rasus, præcipuum sacri, profanique capitis discrimen, quod admonet Sacerdotes, spretis omnibus humanis voluptatibus, oportere cœlestia tantum meditari.* Cui sententiæ assentitur Pierius lib. 32. inquiens: *Quod vero Sacerdotes Ægyptii quotidie rasitabant, neque ullum vestigium capillorum toto capite cerni patiebantur, hieroglyphice significare volebant superflua omnia submovenda, cujusmodi significatum habetur XXI. Deuteronomii: ubi si mulierem quis ex hostico viderit, approbaverit, approbaveritque, ita ut eam uxorem ducere concupiscat; jubetur inter alia caput ejus detondere, unguesque præcidere: hoc est, ut Cyrillus interpretatur, si quid in profanis disciplinis deprehenderimus, quod approbemus, idque in usum nostrum transferre cupiamus, dandam operam, ut ex his, quæ superflua fuerint, amputentur.* Vestem tantum lineam gestabant huic similem, quæ in hac imagine repræsentatur, virgatam ex lini herbis contextam, quam J. Petrus Bellorius opinatur appellari limum, commodam ad usum aquæ, λίμνη enim apud Græcos significat *stagnum*, λιμνώδης vero *humidus, & herbosus.* Communis illorum sententia fuit materiam humidam, sive aquam omnium rerum originem esse, teste Plutarcho in tractatu de *Is. & Osir.* quod Cælius Rhodiginus etiam exponit lib. 27. *Lect. Antiq.* cap. 5. *Cum aquarum infinitæ propemodum utilitates sint, gratissimæque, qui sacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum ostendunt res omnes e liquoris potestate consistere. Itaque cum hydria ad templum casta religione defertur, tunc in terram procumbentes manibus ad cœlum sublatis divinæ gratias agunt bonitati.* Refert D. Ambrosius in Levit. Sacerdotes Ægyptios circumcisionis notam habuisse: *Ægyptii, qui & geometriæ, & colligendis syderum cursibus operam impedunt suam, impium judicant Sacerdotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. nam neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam judicant vim suam obtinere, sine circumcisionis signaculo. Et ideo, ut impetrandi vim operationi adhibeant suæ, purgationem quamdam vatum suorum circumcisionis arcano celebrandam existimant.* Sacerdos hic noster Crucem ansatam manu gerit; qui Character Tauticus fœcundus, & salutaris habebatur apud Ægyptios, eratque præcipuum illorum amuletum. Per circulum intelligebant orbes cælestes, & maxime Solem stellarum omnium Principem; per Crucis vero quatuor lineas quatuor elementa, & sic hoc mysterioso Charactere denotabant virtutis Solaris diffusionem in mundum elementarem, ex qua omnium rerum oritur generatio. Antiqui Sapientes Magi planetarum qualitates in diversis appropriatis Characteribus repræsentarunt, Veneremque uti generationis Deam hac Cruce ansata expresserunt; cujus virtute Genios cælestes allici, contrarios vero, & nocivos repelli credebant: unde non mirum est, si apparet illa in plurimis Ægyptiorum Idolis manibus eam gestantibus. Hic Character indicabat etiam apud illos vitam venturam, ut referunt Socrates lib. 5. *Hist. Eccl.* cap. 17. & Sozomenus lib. 7. cap. 15. narrantes in templo Serapidis Alexandriæ destructi inventos esse Characteres Crucis figuras habentes lapidibus insculptos, quos interpretantes futuram vitam significare dicebant. Ruffinus quoque de illis lib. 2. cap. 29. eadem scribit his verbis: *Signum hoc nostrum dominicæ Crucis inter illas, quas dicunt ἱερατικὰς, id est, sacerdotales litteras, habere Ægyptii dicuntur, velut unum ex cæteris litterarum, quæ apud illos sunt, elementis. Cujus litteræ, seu vocabuli hanc esse asserunt interpretationem: Vita ventura. Dicebant ergo hi, qui tunc admiratione rerum gestarum convertebantur ad fidem, ita sibi ab antiquis traditum; quod hæc, quæ nunc coluntur, tamdiu starent, quamdiu viderent signum istud venisse, in quo esset vita.*

# TABULA XXXVII.

FESTUS ait Camillum vocari nunc ſacrorum miniſtrum, nunc puerum ingenuum, nunc vas nuptiale. Flaminius Camillus proprie dicebatur puer ingenuus patrimus, & matrimus, qui Flamini Diali ad ſacrificia miniſtrabat; antiquitus enim ſacrorum miniſtri Camilli vocabantur; ſic Virgilius ait Metabum filiam nominaſſe Camillam, Dianæ ſcilicet præminiſtram. Pueri quoque, puellæve nobiles apud Romanos Camilli, & Camillæ dicebantur, ſi fides Macrobio lib. 3. *Saturn.* cap. 8. Significabat etiam Camillus Deorum præminiſtrum, ut refert Plutarchus in *Numa*, unde Mercurius ab Etruſcis hoc nomine appellabatur. Variæ Camillorum imagines in antiquis marmoribus reperiuntur: unam hic exhibemus æream, dextra pateram tenentem, læva cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum. Priſci Romani ſolebant Diis primitias offerre, teſte Plinio lib. 18. cap. 20. cujus moris inventor Bacchus perhibetur, qui Jovi & Junoni muſtum libavit. Hunc ritum expreſse præcipit agricolis Virgilius lib. 1. *Georg.*

*In primis venerare Deos, atque annua magnæ*
*Sacra refert Cereri, lætis operatus in herbis.*

Sic Tibullus lib. 1. el. 1.


*Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,*
*Libatum agricolæ ponitur ante Deos.*
*Flava Ceres, tibi ſit de noſtro rure corona*
*Spicea, quæ templi pendeat ante fores.*

Idem el. 5.

*Illa Deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam,*
*Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.*

Fruges autem, vel fructus aliunde raptos Diis offerre nefas erat, ſed primitiæ debebant eſſe de proprio rure. Coronas in ſacris adhibitas fuiſſe docet Plinius.


Pag. 792
TAB. XXXVIII
TAB XXXVII
TAB XXXIX
Apud I P Bellorum
Apud P S Bartolum


TAB. XLI.
TAB XL
TAB XLII
Apud P A Rolandum M
Apud I P Bellorum

# TABULA XXXVIII. XXXIX.

Laurentius Pignorius in libro, quem *de Servis* edidit, multa diffuse, & erudite de Miniſtris tricliniorum, & de Pocillatoribus ſcripſit. Erant illi juvenes loti, calamiſtrati, candidis præcincti tunicis, convivis pocula miniſtrantes, lanceſque menſis apponentes, de quibus Horatius Sat. 8. lib. 2.

———————— *Ut omnes*
*Præcincti recte pueri, comptique miniſtrent.*

Apulejus lib. 2. *Metam.* cœnam a Fotide ſua dilecta ſibi paratam deſcribens pueros calamiſtratos, puellaſque ſcitulas miniſtrantes recenſet. *Sic paratus*, inquit, *cœnæ me committo; frequens ibi numerus epulonum, & utpote apud primatem fœminam flos civitatis. Et opipari cibi, & ebore nitentes lecti, aureis veſtibus intexti, ampli calices variæ quidem gratiæ, ſed pretioſitatis unius. Hinc vitrum fabre ſigillatum; ibi cryſtallum impunctum; argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & ſuccinum mire cavatum in lapides, ut bibas, & quidquid fieri non poteſt, ibi eſt. Diribitores pluſculi, ſplendide amicti: fercula copioſa: puellæ ſcitulæ miniſtrantes; pueri calamiſtrati, pulchre induſiati, gemmas formatas in pocula vini vetuſti frequenter offerentes.* De variis hujuſmodi ſervorum officiis audiendus eſt Philo accurate illa deſcribens in tractatu de Vita contempl. *Triclinia lectos habent eburneos, aut teſtudineos, aut pretioſioris materiæ, gemmatos pleroſque, ſtratos auro, intertexta purpura, vel aliis floridis coloribus variis oculos allicientibus; poculorum etiam vim magnam digeſtorum per ſuas ſpecies: præſto ſunt enim ſcyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumataque clarorum artificum, miniſtrantibus formoſis mancipiis, non tam ad præſens miniſterium quæſitis, quam ad exhilarandos aſpectu convivis oculos. Ex his minores pueri Pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti, & nitidi, fucatique, ac cincinnatuli; alunt enim capillitium, vel omnino intonſi, vel a fronte tantum præſectis in orbem crinibus, tenuiſſimas, candidaſque præcincti tunicas, anteriore parte ad genua demiſſas, poſteriores ad poplites, utrimque mollibus tæniis adſtricti commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera ſinibus. Sic ornati adſtant nutus obſervando, quid quiſque poſtulat; adſunt & alii adoleſcentes prima lanugine malas veſtiti, qui paulo ante amatorum ſuorum deliciæ fuerant, curioſe docti gravioris momenti miniſteria, mera oſtentatio magnæ opulentiæ.* Poculis diverſimode effigiatis Veteres delectabantur, ſed vitreis maxime inſtar inguinum ad excitandam libidinem, teſte Juvenale Sat. 2.

*Vitreo bibit ille Priapo.*

Quod Plinius hiſce verbis confirmat lib. 14. cap. 22. *Jam vero, quæ vaſa adulteriis cælata? tamquam per ſe parum doceat libidines temulentia: ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio invitatur ebrietas.* Et in Prooemio lib. 33. *Didicit homo naturam provocare. Auxere & Artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare juvit, ac per obſcœnitates bibere.* Voluptas hominibus, non dicam, Romanis, ſed & barbaris, ſervilque effœminatiſſimis indigna, cui deinde magnæ opulentiæ ſucceſſit oſtentatio. *Abjecta deinde ſunt hæc*, inquit Plinius loco citato, *& ſordere cœpere & auri argentique nimium fuit. Murrina, & cryſtallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipſa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſet ſtatim totum perire. Nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſa tenere Indiam juvat, & aurum jam acceſſio eſt.* Duo Pocillatores hic exhibentur loti, cincinnati, ac tunicis præcincti plane, ut a Philone deſcribuntur; prior ſpeciem quandam lancis tenet; alter & lancem, ſive pateram, & poculum ad inſtar cornu, cujus extremitas in ſimilitudinem animalis effićta eſt: hoc vaſis genus ceras vocabantur, in conviviis ea de cauſa forte uſitatum, quod priſci ante poculorum inventionem cornibus Boum ad bibendum utebantur. Auctor eſt Cælius Rhodiginus lib. 27. c. 27. & lib. 30. c. 1. Liberum patrem poſt vinum inventum cornu Bovis ad bibendum uſum fuiſſe teſtatur Nonnus *Dionyſ.* 12.

Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.
*Et poculum curvum habuit Bovis cornu.*

Unde non mirum eſt Pocillatorem ſimile poculum manu geſtare in memoriam Bacchi, qui Deus apud Veteres epulis, & comeſſationibus præeſſe credebatur.

# TABULA XL.

ATYS hic repræſentatur cum pileo phrygio dextra gerens fiſtulam multis contextam calamis
Syringa dictam , læva pedum baculum videlicet incurvum , quo paſtores ſolebant pec
rum pedes detinere . Atym fuiſſe paſtorem ex Peſſinunte Phrygiæ emporio , ubi templu
erat miræ venerationis magnæ Deum Matri dicatum, ſcribit Tertullianus in *Apolog.* capit. 15. *V*
*dimus aliquando caſtratum Atyn illum Deum ex Peſſinunte*. Primus ille ſacrorum ritus, quibus Cy
bele colebatur , mortales docuit , cumque promiſſam huic Deæ caſtitatem commiſſo cum Sang
ritide ſtupro non ſervaſſet , irata Dea de Nympha pœnas exegit , Atys vero furore correpti
lapideo cultro ſeipſum caſtravit . Juvenalis Sat. 6.

*Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.*

De Aty ſcripſere Catullus epigr. 64. Arnobius lib. 5. *adv. Gent.* & Lactantius lib. 1. cap. 1
*Deum Mater*, inquit , *& amavit formoſiſſimum adoleſcentem , & eumdem cum pellice deprehenſu*
*exſectis virilibus ſemivirum reddidit*. Sic etiam Ovidius lib. 4. *Faſtor.*

*Phryx puer in ſylvis facie ſpectabilis altis*
*Turrigeram caſto vinxit amore Deam.*
*Hunc ſibi ſervari voluit , ſua templa tueri :*
*Et dixit , ſemper fac puer eſse velis.*
*Ille fidem juſſis dedit ; & , ſi mentiar , inquit,*
*Ultima , quam fallam , ſit Venus illa mihi.*
*Fallit : & in Nympha Sangaritide deſinit eſse,*
*Quod fuit : huic pœnas exigit ira Deæ.*
*Najada vulneribus ſuccidit in arbore factis :*
*Illa perit ; fatum Najados arbor erat.*
*Hic furit , & credens thalami procumbere tectum,*
*Effugit, & curſu Dindyma ſumma petit.*
*Et modo tolle faces ; remove , modo , verbera , clamat ;*
*Sæpe Palæſtinas jurat adeſse Deas.*
*Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto ,*
*Longaque in immundo pulvere tracta coma eſt.*
*Voxque fuit , merui : meritas dem ſanguine pœnas ;*
*Ah pereant partes quæ nocuere mihi !*
*Ah pereant ! dicebat adhuc ; onus inguinis aufert ;*
*Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.*

Ipſum deſignare flores cadentes , antequam ad fructum veniant , tradit Euſebius lib. 3. *Præp*
*Ev.* cap. 3. ideoque pudenda ei fuiſſe inciſa dici, quoniam flores defluxi ſemina non producunt
At D. Auguſtinus lib. 7. *de Civitat. Dei* cap. 25. non Atyn , ſed ejus virilia flores indicare do
cet his verbis: *Propter vernalem quippe faciem terræ , quæ cæteris temporibus eſt pulchrior , Por*
*phyrius philoſophus nobilis Atyn flores ſignificare perhibuit: & ideo abſciſsum, quia flos decidit ante fru*
*ctum : Non ergo ipſum hominem , vel quaſi hominem , qui vocatus eſt Atys , ſed virilia ejus flor*
*comparaverunt : ipſa quippe illo vivente deciderunt : imo vero non deciderunt , neque decerpta, ſe*
*plane diſcerpta ſunt : nec illo flore amiſso quiſquam poſtea fructus , ſed potius ſterilitas conſecut*
*eſt*. Pingitur autem cum ſinu veſtis aperto ad denotandam geminam ejus naturam, de qua ipſum
met loquentem audias apud Catullum *Epigr.* 64.

*Quod enim genus figuræ eſt , ego quod non habuerim ?*
*Ego mulier , ego adoleſcens , ego ephebus , ego puer ,*
*Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei ;*
*Mihi januæ frequentes , mihi limina tepida ,*
*Mihi floridis corollis redimita domus erat ,*
*Linquendum ubi eſſet orto mihi ſole cubiculum .*
*Egone Deum miniſtra, & Cybeles famula ferar ?*
*Ego Mænas, ego mei pars , ego vir ſterilis ero?*
*Ego viridis Algida Idæ nive amicta loca colam?*
*Ubi Cerva ſilviculatrix, ubi Aper nemorivagus?*
*Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus ?*
*Jamjam dolet , quod egi , jamjam pœnitet .*

Ovidius in *Ibin:*

*Attonitusque seces, ut quos Cybeleja mater*
*Incitat ad Phrygios vilia membra modos.*
*Deque viro fias, nec fœmina, nec vir, ut Attys,*
*Et quatias molli tympana rauca manu.*

---

# TABULA XLI.

QUatuor anni tempora in antiquis numismatibus quatuor puerulis indicantur. Primus canistrum habet impositum capiti floribus refertum, ver designans. Secundus altera manu spicas tenet, altera falcem falcandis frugibus idoneam, propria æstatis symbola. Tertius Leporem dextra, læva fructus, venationis opportunitatem, fructuumque abundantiam autumnali tempore innuens. Quartus denique avem, forsan Anatem, læva gerens vestitus est, quo hyemalis tempestas frigidissima vulgo denotatur. Nummulum Probi æreum cum hoc typo, & epigrap. FELICIA TEMPORA, in Museo nostro asservamus: similem protulit Franciscus Angelonius in Commodo cum inscriptione: TEMPCRUM FELICITAS; unde hac nostra imaguncula juvenem nudum, & alatum, Leporem dextra tenentem exhibente autumnalis tempestas videtur designari. Negotium tamen mihi facessit Scriptorum quorumdam auctoritas, qui Leporum venationi hyemale tempus opportunum tradunt. Virgil. lib.1. *Georg.*

*Auritosque sequi Lepores, tum figere Damas, &c.*
*Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.*

Quam sententiam tuetur & ipse Horatius Sat.2. lib.1.

*. . . . . . . Leporem venator ut alta*
*In nive sectatur.*

Unde hoc animal niveum dicitur a Calpurnio *Eclog.*10.

*Ordine quid referam, vidi genus omne ferarum,*
*Hic niveos Lepores, & non sine cornibus Apros.*

Attamen cum in omnibus & nummis, & toreumatibus antiquis hyemalis tempestas vestita semper conspiciatur, autumnalem hac nuda imagine repræsentari eo magis adducor, quod eadem Leporem tenens in nummis exhibeatur; & nix ad Leporum venationem ea sola forsan ratione videatur requiri, quod signis pedum nivibus impressis animalium gressus venatori facilius indicantur.

# TABULA XLII.

IBis eſt avis Ciconiæ non multum diſſimilis , roſtro maxima ex parte adunco , cruribus rigidis , ſoli Ægypto peculiaris , eidemque ſacra , quod Serpentibus alatis ex Arabia in Ægyptum ineunte vere volantibus ad ingreſſum planitiei occurrat , eoſque interimat , & devoret ; ut referunt Herodotus in *Euterpe*, & Pomponius Mela lib.3. unde illam vocat Juvenalis Sat.15. *ſaturam Serpentibus* . De Ibide mentionem facit Cicero lib. 2. *de nat. Deor. Ipſi , qui irridentur , Ægyptii nullam belluam niſi ob aliquam utilitatem , quam ex ea caperent , conſecraverunt , veluti Ibin. Ibes maximam vim Serpentum conficiunt , cum ſint aves excelſæ , rigidis cruribus , corneo, proceroque roſtro : avertunt peſtem ab Ægypto , cum volucres Angues ex vaſtitate Libyæ vento Africano invectas interficiunt , atque conſumunt ; ex quo fit , ut illæ nec morſu vivæ noceant , nec odore mortuæ* . Scribit Ælianus Ibin numquam extra Ægyptum progredi ; ſi quis vero eam ex Ægypto exportet , mortem fame ſibi conſciſcere : eamdem etiam Lunæ ſacram eſſe tradit , ovaque ad ejus rationem fingere totidem videlicet diebus , quot illa creſcit , & decreſcit . Perhibetur hæc avis uſum clyſteris monſtraſſe, teſte Plinio lib. 8. cap. 27. *roſtri aduncitate per eam partem ſe perluens , qua reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt*. Duas ejus ſpecies referunt Ariſtoteles lib.9. *Hiſt. anim.* cap.27. Strabo lib.17. & Plin. lib.10. cap.30. albam , & nigram : ſola nigra, ſi fides Herodoto in *Euterp.* cum Serpentibus pugnat. Illius interfectores apud Ægyptios morte afficiebantur , ut narrat Tertullianus in *Apolog.*

FINIS.



# JO. BABPTISTÆ HANSENII DE JUREJURANDO VETERUM LIBER.

Τῷ ἐνδοξοτάτῳ καὶ λαμπροτάτῳ
Φιλίππῳ Κοσπεαιῷ Ατυραίων
ἐπισκόπῳ.

## ΕΠΙ'ΓΡΑΜΜΑ.

Ε'Γκρατέουσα διπλοῦν γαίης μέρος ἀτρυτώνη,
Χώραν θ' ἥ σ' ἔτεκεν, παλλαδίαν τε πόλιν.
Αμφοτέρης ἕνεκεν πολλῶν ἐλέλειπτο χρεώσης
Σοι χαρίτων, τῶν καὶ λῦσις ἔην χαλεπή,
Η' μέν γάρ σε τεκοῦσα κλέος κατέληψεν ἄπειρον,
Η' δὲ πάλιν μεῖζον σοῖς φρονέουσα λόγοις.
Νῦν δ' αὐτὴ μὴ μήνγε τύχης χρήσασα προφάσει
Λύσιος, ἀλλὰ νέους ἐννοέουσα τρόπους.
Παλλαδίην δε φίλον φλαιδρὸν πέμψασα τολώσην
Παλλάδιον δῶρόν σοι παρέχοντ' ἀνάγει.
Εὖγε δέχου πρέσβυν δῶρόντ' ἀσπάζεο λύψας
Μάρτυρα πατρῴου τεκτοσάγων τε κλέους.

Ν Γειλλιαῖος.

ILLUSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D. DOMINO

# PHILIPPO COSPEANO
## ATYNENSIUM
### EPISCOPO

## *J. BAPTISTA HANNSENIUS.*



MOREM apud priſcos tondendi comam ac fluminibus offerendi fuiſſe dicunt Scholiaſtæ [a] veteres. Hunc ego ritum ad ſenſus meos traduco, qui ex litterario meo corpore comam hanc tuis virtutibus affero, adfectui in me tuo conſecro, non una de cauſſa. Tua Pietas, Doctrina, Eloquentia, facile perſuaſerunt, ut laboris hoc mei [b] *impendium, judicio tuo adſcriberem*. Alium externa movent, aut ementita virtutum elogia: me, quæ orbis hic hominum tua eſſe novit. Qua Pietatem, eam vidimus & videmus te nullo fuco prodere ſed præſtare, ac jam imitari audemus. Alii, [c] *inanibus ventilant hujus virtutis officia, tu actibus, & vita ſolidas*. Qua illam, tu, παλαιάτε πολλάτε εἰδὸς, ſi D. Auguſtinus non fuiſſet, Auguſtinus eſſe poteras, ita tuis abundans, alieno non indiges. Qua hanc, de te olim, ſi audiſſet, publicaſſet quod de Iſæo Plinius. [d] Is ad Nepotem ſcribens, teſtimonio ſuo eum clarum fecit; te hac in parte, omnium aures & judicia. *Magna*, inquit, *Iſæum fama præceſſerat, major inventus eſt: ſumma eſt facultas, copia, ubertas; dicit ſemper ex tempore, tamquam diu ſcripſerit torrentior*. Obmiſi ſalem, animam virtutum & *penum* [e]. Modeſtiam, ita tibi peculiarem, ut ſi paucos aliæ dotes tangant, hanc plerique in pelago illo laudum & honoris ignoret. Hæ cauſæ VIR ILLUSTRISS. depudentiæ meæ. Verum & altera. [f] *Antiquis temporibus bonarum artium ſtudia mandari litteris, eaque in libros redacta offerri Principibus viris*. Aut quod ex hujuſmodi hominum dignitate, æſtimationem operis ſuis quærerent; aut ut eorum tuitione muniti, minus formidarent, qui rancido deſpicientes cuncta neglectu, etiam edecumata condemnant. Si illos requiram, tu mihi es ἐν βασιλεῦσι [g] ſeveriorum Muſarum ἰσοβασιλεὺς: ſi hanc, reapſe [h] ἥλιος ἐπιφανεὶς ἀκτῖνας, ἀςέρων μὲν καλύπτει χορὸς, ἀμαυροῖ δὲ φέγγους σελήνης τῇ τῆς λαμπρότητος, ὑπερβολῇ τῶν φωςήρον συςέλλων τὴν θέαν. Ingenii tui hæc vis eſt [i] *volucriſque animus:* quem creſcentem adhuc magnum & vocare ſolebat & admirari V.C.I.

a *Iliad.* 4. *Tyrtæus in IV. od. Pythion. & Euſtath.*
b *Jul. Front.*
c *Joan. Saresb. c.* VIII. *l.* VIII.
d *d.* II. *Ep.* III.
e *Eurip. in Bac.*
f *Veget. in Antil.*
g *Græci in Kal. Eccl. Conſt. de Conſt.*
h *S. Baſi. Sel. Ep.*
i *Manil.*

LIPSIUS. Etenim cui potius [a] *ſæcularem hanc eruditionem* quam tibi etiam ſine cauſa anxie inveſtigata, nuncuparem? Impium ſcribit Appianus Romanis viſum, monumenta in alienos tranſire. Magis mihi fuiſſet, ſi ultra gentilitium honorem, alio labor hic & liber divertiſſet. Supereſt, ut quod offertur ἀσφαλείᾳ digneris, & inter Bibliothecæ tuæ ſanctos Codices locum concedas. Magnum hoc votum meum, fors & indignum ac pudendum. Sed ut gemmis nubeculæ quædam interveniunt, ſplendoremque nubilo offuſcant, ſine venuſtatis labe aut nævo; ita hæc [b] *levium ſpectacula rerum*, ſemel a te inſpecta, domi admiſſa, cæteris, ſpero, claritudinem non invidebunt aut imminuent. Vale VIR ILLUSTRISSIME, opuſque hoc Q. L. C. Q. virtutibus tuis & amori in me tuo inſcriptum DEVOTIONIS ſacro tutare & ſerva. Toloſæ, Cal. Maii. nominali tuo die, Anni Chriſtiani CIↃ. IↃCVI.

[a] *Chryſol. Ser. V.*

[b] *Virg. Georg. IV.*



# AD LECTOREM.



ABES, *benivole Lector, ex Collectaneorum meorum arbore excisum ramum, & velut ἀποσπασμάτιον e Musarum corpore avulsum, tuis commodis publici juris factum. Habes, inquam, ex Electis meis caput singulare. Lemma ejus ante didicisti; totum ex Reverendæ Antiquitatis est penu, velim ad palatum sit & stomachum hujus ævi, quo non sapit, qui antiqua pro novis; vix sapit, qui antiqua ut nova tractat. Hæc temporum, in quæ incidimus, intemperies est. Equidem, ut legendi molestiæ occurerem, in hoc vitæ compendio, quibus de hujusmodi studiis cura est, veram caussam habeo cur invulgaverim. Aliam,* vetera explicare ac conservare, *ut Julius Patavinus Jurisconsultus loquitur: postremam,* antiqua sepulta, mores veteresque novosque, *ut Agellius de Ennio, cis JUSJURANDUM edere in hoc proscenium. Qui VARIA scribunt, pulcram sane & eruditam operam collocant, sed per fragmina duntaxat prosunt;* ΕΡΓΟΝ *potius quam* ΑΠΟΤΕΛΕΣΜΑ *faciunt. Meus labor, quo eat, judica & cense. Restare quidem plurium testimonia scio: sed & hoc, pauca, quæ novam formulam suggererent; ideoque prætermissa: & observabis suis locis, satis mihi esse, indicinam Auctorum facere; nam unumquodque sigillatim dicere, non est mei otii, quo ægre abutor; ut fuit colligere, & disponere quæ nec prompta nimis aut obvia. Præstare parum bene, quam multum non sufficienter perficere docuit me Theæteti auctor. Quoad ordinem, fateor, vix ullus hic. Qui potui in undoso hoc mari cursum rectum tenere? impense volui, & totis annisum est viribus; sed scriptorum numerus impedivit, & rei argumentum. Non potui, inquam, velut presso pede insistere Antiquitatis huic semitæ, in qua prima, media, ultima, ut permista mutua, ita passim omnia adeo, ut agrestium inconditam spinarum texturam, facilius ad principia sua revoces, quam hanc viam purges aut componas. Volupe fuisset Duces imitari qui palantes vagosque primum colligere, mox in numerum ordinare solent;* sed longa hæc via esset, neque benigna materia, *ut Mela ait. Sunt arcto quodam vinculo nexi politiorum virorum animi, sed in pari unaque materia, & circa eam adfectu. Res quidem eadem, at alia passim ejus observatio, quam ut ordines aut refingas, novo Prometheo opus esset. Quin & multa* obliterata & mortua sunt, *ut loquuntur Latinus & Myrsonius, quæ ut revoces, aut vitæ reddas, nihil agas. Adhæc scio alios curiose & suspiciter nonnulla observasse, & lecta hæc mihi plæraque. Nemo tamen tam ubertim campum hunc sevit. Erant profecto multa vetustatis situ obruta. Ego in lucem revoco, satisque indubitanti fide auctorum præsto; utinam ad publici gustus saporem, id est, tuum; quem hoc sæculo, non satiare, sed vel oblectare, difficillimum. Ut ut est, tu fruere sine invidia, & laborem, si non rem, saltem æstima.*

# J. BAPTISTÆ HANSENII J C.

## DE

# JUREJURANDO VETERUM LIBER.

### CAP. I.

*De Fide Jurisque jurandi ortu.* Fides *navis nomen.*



A FIDE telam hanc ordior, prius quam a Jurejurando. Illa fundamentum Justitiæ, origine prior & natura; hoc vicarium operi nostro. Sane Romani vicinam Jovi Optimo Maximo eam esse voluerunt, forte quod senior & magis, *Cana fides*. Acutius autem Græci & verius, quos inter Hierocles Phytagoricus qui declarato ordine quem Deus creatis stabiliverat ultroneum Creatoris nexum erga mundum introducit, signatum divinitatis præsentia consecratumque, qua productis æternitatem pollicetur. Hoc vinculum, JUSJURANDUM inscribit, cujus ad exemplar, nostrum hoc introductum affirmat: quo velut sacro & inviolabili nodo, promissis præstandis adstringimur. Ex illo opportune prisci, summum Deorum Jovem Πίστιον cognominarunt, alii *ἀειγενέα*; quidam *θεηγενέα*; *αἰθρηγενέα* nonnulli. Ut ut est, prius Jusjurandum quam dignaremur mortalium usu & fede, abierat fides, conventorum dictorumque constantia: nusquam quid firmum humanis mentibus aut verbis. Hinc Menander: *Aetate nostra fides omnis confunditur*. Opus Deo erat teste & vindice, ut quod nequitia violarat mortalium, summa immortalium auctoritas cohiberet. Hæc Jurisjurandi origo, hæc cunabula, etsi pudenda Deus! infirmam hanc ossium compaginem, divinæ auræ particula adjutam, & terris tam cito pellere, quod tecum aut natum erat, quodve purius ex te natum, potuisse? Quod si subsidio quæ cesserat Fides, nos indigere arbitrabatur, cur non saltem firmo & quieto? cur statim furore pari & audacia, si non ejectum, læsum scissumque Jusjurandum ab Aegyptiis, Syris, Afris, Græcis, omnibus? sola specie retentum. Nec id simulabat ævo suo D. Aug. cap. II. lib. III. *de Civit. Corruptissimis etiam olim moribus adhuc mos Jurisjurandi servabatur antiquus, non ut a sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque sceleribus adderentur*. Fuerit olim Romanis sacrosanctum ut fides, at fori vox erat, ne humana societas inopiæ fulcro temporariæ careret; aut ne esset, non qui fas, sed jus eluderet. Porro fidem inter numina fuisse, minorum credo gentium, Inscriptiones docent: una quæ Romæ est, intra Jordani montem & Ecclesiam Oratorii:

P. CORNELIVS
THALLUS
P. CORNELI. ARCHITECTI. FIL.
MAG. QUINQ COLL. FABR
TIGNAR. LVSTRI. XXVII
NOMINE
P. CORNELI
ARCHITECTIANI. FIL. SVI
ALLECTI. IN. ORDINEM. DECVRION
FIDEI. SIGNVM. DONVM. DEDIT.

altera quoque Romæ Inscriptio, XCIX. Cl. Gruteri observatione dignissima hoc typo:

FIDEI
SIMVLACRVM

*Incisa sunt hic stemmata tria.*

| HONOR | *Primum Honoris, viri macilenti, togati, barba rasa & capite tonso, veritati quæ e regione est, dexteram porrigentis.* | *Alterum veritatis mulieris item macilentæ, veste ampla plicosaque in humerum injecta amictæ.* | VERITAS |
|---|---|---|---|

*Tertium, Amoris pueri veluti ex utroque nascentis in medio amborum collocatum.*

Atque hæc de ortu. Te Statina, te Anna rudem hunc partum, quia sustulistis, fovete precor, cum voto ut vitales ei sitis. Et quia Lustrico die adesse dignatæ, sedem ei deligite. Quod si res meis auspiciis fiat aut ductu, Romæ primum locabimus, nec injuria; urbis enim æternæ cultum præcipue in Jusjurandum proponimus, & ritus, sique externa tangimus, id M. N. Q. E. debebitur. Quapropter primus Numa Pompil. positis aliarum rerum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos terror hostium, *efferatos militia*, ferociores reddiderat, Deorum metum, & venerationem injiciendam ratus est. Ipse, ait Livius l. I. *ea pietate omnium pectora imbue-*

*rat, ut fides ac jusjurandum; propulso legum ac pœnarum metu civitatem regerent.* Et post: *soli Fidei solenne instituit.* Plutarchus etiam meminit in *Numa*: *πρῶτον δέ φασι καὶ πίστεως καὶ τέρμονος ἱερὸν ἱδρύσασθαι, καὶ τὴν μὲν πίστιν ὅρκον ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις μέγιστον*: *primum hunc fuisse asserunt, qui fidei templum fecerit, & Termino, Romanisque persuaserit, haud aliud æque religiosum, quam per fidem affirmasse, Jusjurandum existere.* Clemens quoque Alexandrinus huc vidit dum jam olim, etiam a Numa Pompilio, templum Paci ac FIDEI constructum fuisse lib. v. Strom. ait: *ὁ μὲν*, inquit, *βασιλεὺς Ῥωμαίων Νουμᾶς Πυθαγόρειος πρῶτος ἀνθρώπων ἁπάντων πίστεως καὶ Εἰρήνης ἱδρύσατο*: *Numa Romanorum Rex Pythagoræ institutorum æmulus, primus omnium mortalium statuit FIDEI & Paci.* Habemus itaque, quod faustum & felix sit, e cœlo ortum, & a Principe, in Urbe Principe sedem: Sed & Numen ejus *παράσημα*, ut tutelæ navium ostendunt, ut in Inscriptione:

D. M.

C. SENIO. SEVERO MANIPLARIO
EX III. FIDE. NATIONE BESSUS

---

## CAP. II.

*De Religione Jurisjurandi. Unde ortum* jurasse ad Aras? *Cicero illustratus. Sacris Evangeliis tactis. De perjurio, lux Persio & Virgilio. P. Damianus correctus.*

QUANTA religione & observantia priscis Jusjurandum Romanis fuerit Agellius docet c. XIIX. lib. VII. *Jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque habitum servatumque est. Id & moribus legibusque invitis ostenditur, & hoc quod dicimus, ei rei non tenue argumentum esse potest. Prælio Cannensi Annibal Carthaginensium Imperator, ex captivis nostris electos decem Romam misit, mandavitque eis, pactusque est, ut si P. R. videretur, permutatio fieret captivorum: & pro iis, quos alteri plures acciperent, darent argenti pondo libram scilicet & selibram. Hos priusquam proficiscerentur, jurejurando adegit, redituros eos esse in castra Punica, si Romani captivos non permutarent. Veniunt Romam decem captivi, mandatum Pœni Imperatoris in Senatu exponunt. Permutatio senatui non placita: parentes, cognati, affinesque captivorum amplexi eos postliminio in patriam rediisse dicebant, statumque eorum integrum incolumemque esse: ac ne ad hostes redire vellent, orabant. Tum octo ex iis, postliminium justum non esse sibi responderunt, quoniam dejurio vincti forent: statimque uti jurati erant, &c. itaque Jurejurando satisfacto rursum injurati, abissent, & CENSS. eos postea omnium notarum & damnis & ignominiis affecerunt, quoniam quod se facturos dictitaverant, non fecissent.* Nullum sane vinculum ad strigendam fidem Jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id lex XII. *Tab.* indicat, cujus caput de Jurejurando excidit. M. Tullius de *Off.* III. *Cum vero jurata dicenda est sententia, meminerit Deum se adhibere testem, id est, ut arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus divinius.* Dionysius Halicarnassæus lib. II. extremo: *οἱ θεοὶ γὰρ τὰς καλὰς καὶ δικαίας παραλαμβάνεσθαι φιλοῦσιν ὁμολογίας, καὶ οὐκ αἰσχρὰς καὶ ἀδίκους*. Polybius lib. VI. cis finem, tanti Romanis Jurisjurandi religionem valuisse ait, ut tam in Principatibus quam legationibus, ii qui admodum multis pecuniis utuntur, sola Jurisjurandi religione officium præstent; contra qui apud Græcos Magistratum gerunt, si talentum unum committitur, etsi decem antigraphas, & totidem sphragidas adhibeas, imo duplo plures testes scribendo adsint, fidem tamen servare nequeunt. Spectat huc etiam illa observatio, qua Jurisjurandi religionem declarabant. Si quis re verbove, cum quem læserat, jurejuraret, indignum ea injuria esse, quem læserat, & nollet factum, veniæ locus erat. In Plauti id exprimitur *Amphitr.* Act. III. scen. II. *Durare nequeo*: —— *Aut satisfaciat mihi ille, atque adjuret insuper Nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit.* Terentii quoque *Adelph.* Act. II. sc. I. negat leno se hanc accepturum excusationem, quod non faceret, nisi homines eo placari soliti essent. —— *Novi ego hæc vestra, nollem factum, Jusjurandum dabitur, te esse indignum injuria hac.* Etenim Imp. Arcadius & Honorius tanti Jusjurandum æstimaverunt, ut cum plæraque acta a Tyrannis aboleri voluerint, tamen, quæ jure fuerant jurando decisa, aut ut ipsi loquuntur, *sacramento terminata*, rata ut essent, edixerint l. IX. C. Theod. *de infirmand. his quæ sub*, &c. Unde, in quem nescio, jure inclamat Salustius Hist. I. —— *Ut te neque hominum, neque Deorum pudet, quos perfidia & perjurio violasti.* Exempla ab utriusque sermonis Historicis huc traducere supersedeo, firmoque hanc partem D. Augustini sententia c. XV. lib. II. de *Civit. Dei*, dicto Polybii subscribentis de Regulo —— *quia & Romano sanguini fidem præstare conveniens erat.* Ex hac forte erga Jusjurandum religione factum, ut ad Aras jurarent. Cujus ritu plena Antiquitas est. Ex qua promiscue promam quæ legi. Plautus in *Rudente* chorum ducet Act. V. sc. II. *G. Tange Aram hanc Veneris. L. Tango. G. per Venerem hanc jurandum est tibi, &c. Tene aram hanc. Teneo. G. Dejura te mihi argentum daturum, &c. L. fiat, &c. Quod si fraudassis, dic ut te in quæstu tuo Venus eradicet, caput atque ætatem tuam.* Eo etiam spectavit Cic. *pro Flacco*: *Is si*, ait, *aram tenens, juraret, crederet.* Datum id est venerationi earum, quas cum violari Optatus Milevitanus videret, exclamat lib. VI. in princ. *Quid tam sacrilegum, quam Altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere; in quibus Jusjurandum populi & vota & membra Christi portata sunt.* Idem eo antiquior Tertullianus lib. *de Pœnit.* Juvenalis quoque meminit sat. III.

*—— Jures licet & Samothracum,*
*Et nostrorum Aras.*

Et

*Cereris tangens aramque pedemque.*

Et Justinus lib. XXIV. *Ptolemæus sumptis in manibus Altaribus contingens ipsa simulacra & pulvinaria Deorum, inauditis ultimisque execrationibus adjurat.* Appianus in *Annibaleis*: *λεγόμενος δὲ καὶ ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐπὶ βωμῶν ἔτι παῖς ὁρκωθῆναι Ῥωμαίοις*, &c. res nota est. Philostratus in *Heroic. Protesil.* Adulteros jurasse ad Aram Protesilai ait. Sed & inscriptio vetus, quam vir doctus Jacobus Campius Romæ in Vaticanis ortis suggessit anno seculari sacro. Tacitus erat in ore, & utriusque causa sermo, de VETERIBUS, BONNA, ET VBIORUM ARA. de quibus cum anxie quærerem, & hac præsertim, lapidem se invenisse ajebat attritum, in quo hæc: VBIOS CVM AB AVGVSTO IN GALLIAM TRADVCTI ESSENT, ET IN PROXIMIS RHENO COLLOCATI ARAM CONSTITVISSE AD QVAM JVRISJVRANDI DEORVMQVE RELIGIONE SE ADSTRINGERENT IN FIDE MANSVROS. Quid vero mirum aut novum sanctum id Jusjurandum fuisse, cum & impium Suidas putarit *βωμοὺς κινεῖν καὶ τάφους*. Fuit etiam Atheniensibus

hic mos, pari cultu & obſervantia. Cic. *pro Balbo: Athenis ajunt, cum quidam apud eos qui ſancte graviterque vixiſſet, & teſtimonium dixiſſet publice, & ut mos eſt Græcorum jurandi cauſa ad Aras accederet una voce omnes Judices ne is juraret reclamaſſe*. Quis ille ſit, non exprimit: ego nomino, Xenocrates fuit ex Diog. Laertio. Hinc vetus verbum, ni fallor, *Amicus ad Aras*, reſponſum a Pericle. Rogabat eum amicus, ut in cauſa quadam ſua gratia dejeraret, δεῖ, inquit, με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχει βωμῶν; aut ut Plutarchus, περὶ δυσωπίας, μέχει τῦ βωμῦ φίλος εἰμί. Paullo aliter Agellius l. III. cap. I. *De Jurejur.* quod fiebat, ſacris Evangeliis tactis, lippis notum eſt, ἐκ τ̃ παλαιᾶς φορμύλας, *Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia*. De quo unum dico, prorſus errare qui docent ortum id a Juſtiniano habere: nec Concilia recito anteriora, ut rem non noſtram. Originem ejus Judæis debemus, qui, ut refert R. David *Jeſ.* VIII. v. XX. per legem jurabant, quod eſt, ut ait, cum homo dicit, *per legem erit illud ſic, vel ſic*. Fagius adnotat apud Oncelum *Exod.* XXI. Judæos hodie cum jurant, libro legis manum adponere, & hoc ſolum Juſjurandum in pretio habere, cætera non æſtimari. Unde & nos manum Evangeliis applicamus. Id Harmenopolus τῶν ἀχράντων ἐφαπτόμενος εὐαγγελίων vertit l. I. t. VII. qui περὶ ὅρκυ. Verum inter alia quæ religionem Jurisjurandi teſtantur, Perjurii facit ſevera vindicta: de quo Heſiodus, qui perjuros non tantum ipſos puniri ab immortali Deo, ſed & filios eorum ac poſteros; quia hoc religio violata videtur, eſt enim ipſum Juſjurandum religio, l. XXI. D. *de dolo malo*. l. XXV. D. *de Jurej.* & in Panormia Ivonis hic. Cicero II. *de Lege Perjurii pœna divina exitium, humana dedecus eſto*: notæ Cenſoriæ pura, illo ævo ex Macrobio, Agellio l. XIIX. cap. VII. & ipſo Tullio I. *de Off.* Illo ſæculo dixi, nam vetuſtiore Pontifex Max. perjurii cognitor & Judex ex Feſto, & Plauto *Rudent.* ſcena extrema. Comes quoque, nulla fides, perjurii, ex Cic. *pro Roſc. Poſth. Ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etſi per plures Deos juret, non oportet*. Augeo rem, ajoque deformitatem aliquam corporis comitem Perjurii fuiſſe in Horat. II. Od. VIII.

*Ulla ſi juris tibi pejerati*
*Pœna, Barine, nocuiſſet umquam,*
*Dente ſi nigro fieres, vel uno*
*Turpior ungue.*

Veterum ſuperſtitio putantium mentitis, depoſitum qui non reddiderant, aut perjuris in naſo, lingua, manu, alibi nævum fieri: Ovid.

*Eſſe Deos credamne? fidem jurata fefelit,*
*Et facies illi quæ fuit ante manet.*
*Quam longos habuit nondum perjura capillos.*
*Tam longos, poſtquam numina læſit, habet.*
*Candida candorem, roſeo ſuffuſa rubore*
*Ante fuit, niveo lucet in ore rubor.*

Propert. Eleg. V. lib. III.

*Adtulimus longas in freta veſtra manus;*

Hoc eſt, perjurio non debilitatas. Idem poſt ſubjungit,

*Portabat ſanctos alveus iſte viros;*

id eſt, non perjuros. Græcis etiam adnotatum id; Theocr. Eid. IX. Μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς. *Non amplius in ſummitate linguæ tuæ puſtulam produxeris*. In Eidillio XII. ſimile quid eſt. Dico amplius quod novam interpretationem Perſio dabit, perjuris pœnam ſtatui, ut fulmine de cœlo ab Jove tangerentur ex opinione Veterum, & indice Virgilio XII. *Aeneid.*

*Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine ſancit.*

Sancire fœdera fulmine is dicitur, qui fulmine vindicat, quod contra formulam Jurisjurandi commiſſum eſt. Ariſtophanes de fulmine rem integre firmat: τῦτο γὰρ δὴ φανερῶς ὁ Ζεὺς ἵησ' ἐπὶ τὺς ἐπιόρκυς, hoc enim plane Jupiter in Perjuros mittit. Homerus etiam Deos perjurii vindices indicat & invocat *Iliad.* I.

Ζεῦ πάτερ, ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακύεις,
Καὶ ποταμοὶ, καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας;
Ἀνθρώπυς τίνυσιν ὅ, τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ
Ὑμεῖς μάρτυροι ἔστε, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.

*Jupiter pater, qui Idæ præes, auguſtiſſime, maxime,*
*Solque qui cuncta inſpicis, & cuncta audis.*
*Et flumina & tellus, & qui infra functos vita*
*Homines punitis, quicumque perjurium juraverit,*
*Vos teſtes ſitis, conſervate vero fœdera fida.*

Idem *Iliad.* α. & *Odyſſ.* ξ. ut gravitatem perjurii indicaret, addit pejerantium capita ſacrata Diis inferis, quod & adnotavit Ariſtoph. νεφ. ideoque ſi is qui in Aram jurabat pejeraret, ſic illi divo, ad cujus aram jurabat, injuriam facere exiſtimabatur, ut non tangere, ſed flagellare potius *multa vibice*, ut Perſius loquitur ſat. IV. ſuo perjurio videretur, nam Aram tangit, qui ex animi ſui ſententia jurat; aram flagellat, qui pejerat, inquit Varro hujus ſæculi Marcilius. Philoſtratus *in Vita Apoll.* l. I. cis Thianum aquam eſſe narrat, Jovi ſacram: eam, ubi ſcaturit, *nive Gallica frigidiorem*; inde ebullire, velut urgeretur. Hauſtam pueris ſuavem, aliiſque extra perjuros, iis caput torquere pedeſque & manus. At hæc & hujus generis omitto dicta aliis, quæ Aegyptiis, Indis; perjurii pœna fuerit, quæ Juſtiniano, Alexandro Imp. ante eum, de quo l. II. C. *de reb. Cred.* Non tamen inſigne illud P. Damiani lib. VIII. epiſt. verbis onuſtum, at re venuſtum, & ait ſtilo ſuo, *Plane non otioſum credimus, ſi quod Richardus noſtri monaſterii Prior, vir videlicet honeſtæ vitæ, nobis heſterno die retulerit, attexamus*. *Vir*, inquit, *in Peruſino territorio nuper ad extrema deveniens, duobus liberis ſuis, totidemque filiabus patrimonium ſuum pro portione legavit (ignoſcendum ævo & viro) ut erciſcundæ hereditatis maribus quidem relinquere biſſem* (beſſem) *fœmineus vero ſexus ſuccederet in triennium* (trientem.) *Poſt cujus obitum unus quoque filiorum ejus defunctus eſt. Superſtes vero frater, parum putans quia res defuncti fratris cum ſororibus non diviſit, ſed ut in eorum quoque portiunculam, controverſiam calumniæ moveret adjecit. Quanto nimirum eſt aucta poſſeſſio, tanto magis eſt poſſidentis inflammata cupido. Quid plura? fit forenſe judicium, diverſarum partium allegatores accedunt, cauſidici perſtrepunt, movetur quæſtio, calumnia litis intenditur, ab obſiſtentibus intentio removetur. Tandem inter partes alterutra deliberatione convenit, ut Preſbyter quidam, qui viri contra Germanos* (germanas) *fautor erat, ſe defuncti patris interfuiſſe judicio perhibebat, Juſjurandum daret, ſicque deciſionis calculum cauſa ſuſciperet, omnemque controverſiam unius hominis teſtimonium conſopiret. Cumque Preſbyter pro viro contra fœminas juraturus accederet, jamque manum libro qui propoſitus fuerat, applicaret ſubito terribilis ſerpens, ex ea quæ ſupereminebat arbore, corruit, librumque complexus, ſpiris ſquamoſi corporis circumcinxit. Mirantur omnes attoniti, & quodam quaſi prodigio ſtupefacti, præſertim Preſbyter ipſe diriguit, & Juſjurandum, quod non veritati, ſed humanæ gratiæ devoverat, ejuravit.*

## CAP. III.

*Quid* jurare, abjurare? *Servius explicatus*. Abjuratio & abjurata ambitio. *Senecæ lux*. Pejerare & falsum jurare *qua differant?* Eccere. *Terentius emaculatus*. Ejurare. *In Conjuratione quid solenne?*

QUOD olim Principi delicato visum & placitum, monstra hominum adhibere ad cœnam, id mihi hoc capite vocabulorum. Etenim præter nomina nihil edam, eaque promiscue, ac velut una commissione tot imparia paria. Si quis monstrosa hæc aut prodigiosa, ut immatura, indigna quæ tollantur, dicat; secundum me pronuntiabit: adeo, & imperfecta nec vitalia, ante mensem septimum, vel octavo prodita, ideoque mergenda potius, quod istiusmodi partus lex Papia odio habuerit & SC. Si tamen legis veniam mereantur χάειν μὲ eo loco ut sint, satis mihi erit, quo ea quibus ampliata membrorum officia. Equidem fateor dubitasse hic me, an verba hæc singularia libello includerem, an omitterem. Grammaticorum isthæc tractatio est, vix inter auxilia ordinanda. Verum ut proponerem, & initio, scriptorum usus,

*Quem penes arbitrium est, & vis & norma*

impulit. Qui de re quappiam commentarios scribunt, a vocum positu flexuque auspicantur. Quocirca auctore usu in scenam hæc minutula produco; quæ etsi talia, non sunt extra argumentum fabulæ. Quæsitum quid *Jurare*: est Jusjurandum vel tanquam Jusjurandum mente conceptum proferre affirmative. Ita Clemens Alexand. *Strom.* VII. ὀμνύναι γάρ ἐστι, τὸ ὅρκον, ἢ ὡς ἂν ὅρκον ἀπὸ διανοίας προσφέρεσθαι παραστατικῶς. Idem ante eum Arnobius *ad Psalm.* XXIII. *Abjurare* quid sit Servius ad id D *Virg.* IIX.

*Abstractæque boves abjuratæque rapinæ*
*Cœlo ostenduntur*:

docet, *esse rem creditam perjurio negare*; & Plautum laudat quasi id censuerit: male; nam ita Comicus *Curcul.* Scen. I. *tu præ.* &c. *quibus sui nihil est, nisi una lingua, Qui abjurant si quid creditum est.* Et in *Rud.* prol. *in jure abjurant pecuniam*, alia notatione & sensu. Eodem viderunt Salust. & Ennodius in Epist. Constant. Symmachus quoque E epist. LXXXVI. lib. II. *Hispaniensis prædii sui partem pretii emptor abjurat*: ubi vir doct. Andreas Scottus *protervus* addit, & Pithœi Codex. *Improbum* vocat *emptorem* Valent. Imp. Novel. XI. *de confirmand. h. q.* &c. Neque hanc expositionem indignatur Constant. Imp. in l. II. Cod. Theod. *de bonis vac.* Adjurationem tamen Isidorus, etsi minus idoneus auctor, ad Servii gustum lib. *Orig.* V. dicit esse rei creditæ abnegationem; quo facit Seneca epist. LVII. interpretibus haud intellectus: *Non enim excisa desiit, sed fatigata, aut etiam abjecta, rebus sibi cedentibus.* Verbum *abjecta* quo non trahunt expositores? alii Codices reponunt, *aut etiam abirata*, aiii, *objurata*: ego lego *abjurata*; de ambitione loquitur, sensu, aut qui re ambita frustrati sunt, omnem in posterum ambitionem abjurant, & involentem affectant vitam. Hinc *abjurata ambitio*. *Pejerare*, est Fidem religiose & sancte datam non servare: id *falsum jurare* nonnullis visum: non Ciceroni *de Offic.* III. *Non enim falsum jurare pejerare est, sed quod ex animi tui sententia juraveris sicut verbis concipitur more nostro, id non facere.* *Eccere*, Jusjurandum est, ait Festus, *ac si dicatur per Cere-*

A *rem*. Ejus meminit non sine nævo Terentius *Phorm.* Act. II. Sc. II. *Geta, obsecro te. Ph. Si rogabit. G. In te spes est. P. Eccere.* Dubitabit quis, dispar rate hæc sint, ut vides, an conjunctim legenda, ut valeat, *Ecce rem*: ego quidem unio, exemplo in *Andria* Act. V. Sc. IV. *Ego Critonem video & certe is est*. Lege *Eccere is est*. Idem error *Eunuchum* insedit Act. V. Sc. II. & *Adelp.* Act. I. Sce. I. De *Conjuratione* sexcenti scriptores sunt: dicam tamen quod in ea solenne animadverterim. Apud Florum lib. IV. c. I. *Additum est pignus Conjurationis, sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere*: more tracto a Scythis, qui *interemptorum cruorem e vulneribus ipsis bibunt: numero cædium ho-* B *nor crescit, quarum expertem esse apud eos probrum. Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorum quoque usurpata disciplina.* Cæterum qua sanguinem, idem apud Sallustium & Appianum in *Civilibus*, & Melam l. II. c. I. Sanguis ille infantis anniculi (Θυέστια δεῖπνα vocat Athenagoras περὶ Χριστιανῶν) quem de toto ejus corpore punctionibus extorquebant, ut ex Epiphanio narrat D. Augustinus in Catalogo hæreseῶn. Nec omitto vocatam *Conjurationem* lapso Imperio φρατρίαν in Rigaltii Glossario: vetus Glossarium, φρατρία *contubernium* exponit. Item φρατρία, *fa-* C *ctio, Conjuratio*. Maurit. II. *Strateg.* εἴ τινες τολμήσουσι συνωμοσίαν ἢ φρατρίαν, &c. *Si qui audent conjurationem*. Leoni etiam & Constantino XLIV. tit. XXVIII. concitantes ad tumultum & conjurationem φρατριάζοντες dicuntur. *Conjuratio* Isidori c. III. l. IX. non est hujus loci aut sensus: erat enim militiæ species, de qua Servius ad *Virg.* VIII.

*Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce*
*Extulit.*

*Si esset*, inquit, *tumultus, id est, bellum Italicum vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus, quia singulos evocare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum quod pedites evocabat, unum cœruleum, quod erat equitum, dicebant*: Qui salvam vult remp. me sequatur. *Et qui convenissent simul jurabant, & dicebatur ista militia Conjuratio.*

---

## CAP. IV.

*Cicero explicatus*. Ecastor, Aedepol, me Hercules. *Viros olim non jurasse per Castorem, nec per Pollucem mulieres, nisi impendio raro. Ejus causa.* Medius Fidius. *Ovidius enarratus. In Abdicatione ejurasse liberos. Adnotata non ridicularia in* Obsecro & Resecro.

IN Cicerone multa correcta sunt a viris doctis, & præsertim Victorio *in Epist. ad Atticum*. Ibi est epist. X. l. I. *immortuis reliquiis Conjurationis*. Quod tamen tenebris obruisse nonnulli, quam luce donasse videntur non pauci. Exponunt illi ut mortua in urbe sit Conjurationis reliqua fæx, puta Lentulus, Cethegus, de quibus supplicium sumptum; male: Tullius vult, cum oppressa fuisset F Conjuratio diligentia & virtute ejus, reliquias tamen etiam in urbe superstites nondum mortuas esse, id est, immortuas. *Ecastor, Aedepol*, horum delubra Romæ vidimus, sanctiore cultu & auspiciis. Per illum non jurabant viri teste Agellio c. V. VI. lib. XI. idque studiose observatum antiquis: ut retro, nec fœminæ per istum, id est, Aedem Pollucis, aut ipsum. Mulierum firmat ritum Donatus *An-*

*driæ* sc. II. Act. III. ubi cum Lesbia dixisset, *Per Æcastor scitus puer natus est Pamphilo*, inquit Ælius; *per Castorem* ( glossema est, *Pollucem* ) *ornativa sunt jurandi, apta fœminis*. Et Macrobius, sed usu non stabili: & qui potuit tam varius & mutabilis sexus? miscuit sed tandem huic Jurijurando viris, ut Strabo docet lib. VIII. ex Sophocle. Cui tamen Plautus obloquitur, apud quem Artemona per Castorem jurat, sui sexus more; perque eundem mox parasitus; etsi venia facili, utriusque caussa. Qua cætera & Plautus aliique Comici sancte hæc discriminant, nisi ubi librariorum scæva manus, bonos male auctores flagellat, quod vereor ne sæpiuscule in Plauto: unde in eo audenter lego pro *Ecastor*, *Ædepol*, ubi id dicta Antiquitatis ratio perpetua requirit. *Me Hercules*, nec per hunc, a viro puerove domum egresso, fœmina jurabat, multis de caussis. Una in Plutarcho est in *quæst. Romanis*, quia inter Deos οὐκ ἦν θυρώρειος αὐτός, ἀλλὰ πόῤῥωθεν ξένος. Altera, quod ejus templum ingredi vetitum fœminis, ut nobis Bonæ Deæ, ut dicit Suidas. Institutum id a Nestore, Græcosque qui ad Trojam proficiscerentur, docuisse, Philostratus in Nerone refert. Hoc Jusjurandum, nonnunquam κατὰ συγκοπὴν, *Hercle* effertur, ut *labrata*, hoc est, *elaborata* apud Pediasimum, citante doctiss. Rigaltio: πάφρυς ἢ λαυράτα τιθέναι. Et in glossis, λαμβράτον, ἐκ τοῦ λαβράτυ, καὶ κατὰ λαβράτον. Porro non hic stetisse mulierum impotentiam moneo, jurasse videlicet nos solos per Herculem: lucem, si indigeo, L. Latinus Asini ille plastes aut Simius VI. *Metam.* mutuum dat, apud quem anus per Herculem jurat; *Bono animo esto me Hercules, nec vanis somniorum tormentis terreare*. Quod ridet Tertull. lib. *de Idolat. Consuetudinis*, ait, *vitium esse, etiam in Christianis dicere* me Hercules, *dicere &* me Dius Fidius *accedente ignorantia quorundam, qui norunt Jusjurandum esse per Herculem*. Valebant autem hæc verba, auctore Festo, *ita me Castor, Pollux, Hercules juvent*, rescissa a fine particula, Homeri exemplo ἔσαι ἀντὶ τοῦ ἑταῖροι, idque observasse Apollonii Scholiastem monitum apud Hesiodum. Adjungo his *Me Dius Fidius* ( *Phidius* alii ) quod quid sit non obvie notum. Et in ante quam hoc enarrem, ejus templa relata a Varrone, & Plutarcho. Sext. Pompejus lib. *de priscis verbis* duodecimum Jovis filium facit; unde hoc Jusjurandum *per Divi fidem* quidam dixerunt. Apud Plautum, Deus fidius est, quod fidei præsit. Hæc Romani veteres. Verum qui ista magis suspiciter examinant, ex Græco trahunt, ut a Deo ortum, diurnum sub cœlo lumen ἀπὸ τοῦ Διός, quia sub tecto negat per hunc jurare oportere Plurarchus, simili quo de Hercule diximus ritu. Unde in veteri Lexico Manuario Διὸς υἱός, ἡρακλῆς. Ælius Gallus Dijovis filium vocat. Idem hic cum Sanco & Semicapro in Ovidianis *Fastis* lib. VI.

*Quærebam Nonis, Sanco Fidione referrem,*
*An tibi Semicaper? tunc mihi Sancus ait;*
*Cuicumque ex istis dederis, ego munus habebo,*
*Nomina terna fero, sic voluere Cures.*

*Nonis*, ait; recte: addo in Quirinali sacrum ei fieri solitum, ubi & templum ex eodem:

*Hunc igitur veteres donarunt æde Quirini,*
*Inque Quirinali constituere jugo.*

Sanctissimum hoc erat Jusjurandum, quo magis obstringere vix quis posset: ut in Plaut. *Asin.* sc. I. Herum obstringit Servus, cui Herus respondit: *Per Dium fidium quæris, jurato mihi video necesse esse eloqui quicquid roges*. Quod de sanctitate dixi, id Inscriptionum compilator V. C. I. Gruterus aperit pag. XCVI. inf. V.

SEMONI
SANCO
DEO FIDIO
SACRVM
SEX. POMPEIVS SP. F.
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM DEDIT

Item alia Romæ:

SANCTO. SANCO
SEMONI. DEO. FIDIO
SACRVM DECVRIA
SACERDOTVM
BIDENTALIVM
RECIPERATIS
VECTIGALIBVS.

Parentes in *Abdicatione* ejurasse etiam liberos quasi solenni ritu comperio: nam velut sacramento negantur esse extra domum & familiam ac sepositos. Seneca ad hoc me ducit *in Consolat. ad Marciam: Ejurare parentes, non agnoscere, nec pro talibus habere*. Apertius VI. *de Beneficiis* cap. IV. *Quid, non tam duri, quidam & scelerati patres sunt, ut illos aversari & ejurare jus fasque sit?* Verum nugarum sat est aut verborum, & manum ab hac tabula. *Obsecro* & *Resecro* sistent has ineptias. Superstitiosa vetustas! Si quis *Obsecro* dixisset ei quo cum loquebatur, adstringere eum sacramento videbatur: quod si ejusmodi is esset, cui pudorem deberet, ut illum religione solveret, subjiciebat, *Resecro*; quo verbo Obsecrationem religabat. Clare id in Plauti *Aulul.* Scen. *Dixit tibi: nunc te obsecro, fac mentionem cum avunculo mater mea; Resecroque mater quod dudum obsecraveram*. Sed & qui obsecrabat, ne religione ea obligaretur, *Resecro* dicere consueverat. Idem auctor in *Persa* Scen. I. Io. *Obsecro*. So. *Resecro*. Imo & rei in Comitiis cum populum supplices orarent, continuo resecrabant. Hinc Verrius, *Resecrare, solvere religione, ut cum reus populum Comitiis rogarat, ut eo periculo liberaretur, jubebat Magistratus eum resecrare*. Id intellexit Marcellinus lib. XXIV. de Juliano Imp. *Exclamavit indignatus acriter Julianus, Jovemque testatus est, nulli Marti jam sacra facturum, nec resecravit, celeri more præceptus*. Atque hæc fontem e leporibus Plauti trahunt; etsi Festus *Obsecrare* dicat esse opem a sacris petere. Et Donatus in illud Terentii, *Obsecro te quam primum; Obsecrare*, ait, *est iratos rogare*. Qui ulteriora volet, Verrium inspiciat. Satis hæc stomacho meo, crudo & rudi, talia; vix ut vere dicam, intra nauseam; nisi quod mantisæ loco voces illas superiores auctores alio significatu usurpare observem interdum: ut Minutius Felix in *Octav. pejerare* pro *jurare* dixit: *Proculo pejerante Deus Romulus est*. D. Cyprianus: *Romulus pejerante Proculo Deus factus est*. Simile in Lactanto cap. XV. lib. I. & D. Augustin. cap. XV. lib. III.

CAP. V.

Conceptis verbis jurare *quid*? præscriptis. *Plautus explicatus*. In verba. *Antiqua Jurationum formula cum hodierna composita*. *Vetus Plauti lectio rejecta*. Ejurare judicium, forum, bonam copiam, bonam spem, malam mentem, *quid*? *Seneca emendatus*: morbum ejurare. *Tullio lux ex Paulo JC. Seneca & aliis*: adjurare benevolentiam. *Quid* dare Jusjurandum?

Hoc quoque caput Pancarpia erit, sine ordine & delectu. Ecquis amabo eum servet aut dirigat? utque investiget, neque argumenti ratio aut temporum admittit. Nam ubi gentium una Jurisjurandi formula suis momentis refingitur: sed nec ad Appium abire placet. Proposueram jurasse *conceptis verbis*; quid hoc sit, dico. Cum publice jurandum erat, præjurationes qui facerent adhibebantur. Hoc erat, conceptis ante verbis jurare, post, in eadem jurantes subjicere, *Idem in me*. Ex Festo hoc paret, verbo *Præjurationes*, & Livio II. ab V. C. ubi exercitus Romanus jurat se victorem pugna rediturum. *Ego*, inquit, *istos Cn. Manli posse vincere scio: velle ne scirem, ipsi fecerunt: itaque certum atque decretum est, non dare signum, nisi victores se redituros ex hac pugna jurent; Consulem Romanum miles semel in acie fefellit, Deos numquam fallet. Centurio erat M. Flavolejus inter primores pugnæ flagitator. Victor*, inquit, *M. Fabi revertar ex acie, si fallat, Jovem Patrem, Gradivumque Martem, aliosque juratus invocat Deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque jurat*. Plautus hujus compluries meminit, & nominatim *Asin.* Act. III. sc. II. *Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris, ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraveris*. Nec omisit Tullius *in Cluentiana*: *Non enim mihi exemplum summi & Cl. P. Africani prætereundum videtur, qui cum esset Censor, & in equitum censu C. Licinius Censor prodidisset, clara voce ut omnes audire possent, dixit scire se illum verbis conceptis pejerasse*. Similia in Valerio cap. I. lib. IV. Petronius id paulo fusius: *tetigit*, ait, *puer oculos suos, conceptissimisque verbis juravit sibi ab Ascylto nullam vim factam*. A. Gellius cap. XXIV. lib. II. ubi de antiquis legibus sumptuariis: *Legi adeo nuper in Capitonis Atteii Collectaneis Senatus decretum vetus, C. Fannio & M. Valerio Messalla Coss. factum, in quo jubentur Principes civitatis qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter se convivia agitarent, jurare apud Coss. verbis conceptis*. Cæterum hinc Plautus passim pro his ponit *præscriptis verbis*, in *Rudente*, formula qua nos hodie jurantibus præimus aut obligandis. In eo subsequitur leno verborum partem, non integra dicta. Hoc tamen nonnulli sentiunt, voluntque formulam singulis versibus repetendis constare ex Plauti mente: verum dum id existimant, faciunt quod ego sæpe, & errant: nam id tædium esset, & paratæ memoriæ res. Satis est, capita reddi, si non verbis, saltem sensu non dispari; ut hic. GR. *Tange aram Veneris*. LA. *Tango*. & mox. GR. *Tene aram hanc*. LA. *Teneo*. GR. *Dejura te mihi argentum daturum*. LA. *fiat*. Affine huic est, si non idem, *in verba*. Florus cap. XVI. lib. III. in seditione Apuleii Saturnini: *Senatum quoque cogeret in verba jurare*. Livius lib. VI. de Camilli animo, qui dictator creatus, *C. Servilium Halam Magistrum equitum dixit, &c. in verba sua juratos centuriaret*. Seneca epist. XII. *Perseverabo Epicurum tibi ingerere, ut isti qui in verba jurant*. Tacitus quoque Annali I. *Sext. Pompej. & sext. Apul. Coss. primi in verba Cæsaris Tiberii juravere*. Et Hist. IV. *Victos a victoribus adactos, ut in verba*

A *eorum, quos proponerent jurarent*, Plura apud Plaut. *Bach. Cistell.* Acronem & Porphyrionem, Senecam II. *de Clem.* Cæsarem I. *Gallici Belli.* Livium III. VII. XLV. Agellium c. IV. lib. I. Suetoniumque *Vespas.* cap. VI. Quid autem id sit, Priscianus cap. VIII. lib. XIIX. indicat: *In verba jurare alicujus, est jurare hoc ipsum quod ille præit; sive dictat, sive præjurat per se ipse aut per alium. Ejurare judicium, aut judicem* est sacramento rejicere. Hujus verbi meminit V. C. Cujacius ad lib. I. & II. C. *de reb. credit. & Jurejur.* quærens ultima tituli pars, de Jurejurando voluntatis intelligi debeat an legis; & utrumque negans, de illo ait: *An est de voluntario Jurejurando quo obligationes constrin-* B *guntur, quo quis ejurat militiam, forum, judicem*. Copiam ejurabant, qui æs alienum exolvere non poterant: Cicero lib. IX. epist. *ad Brutum*, de quo Festus in verbo *Ejuratio*, & Varro lib. VI. de L. L. *Omnes*, ait, *qui bonam copiam ejurarent, ne essent nexus dissoluti*. *Bonam spem* ejurasse in Seneca *de vit. beat.* invenio: *Existimatio me vestra, non meo nomine, sed vestro movet odisse, & lacessere virtutem; bonæ spei ejuratio est*. Idem alibi cap. IV. lib. V. *de Beneficiis*, *ejurare fas nefasque* interpretatur Varro sæculi omnis V. C. Doctor meus JUSTUS LIPSIUS, *juramento a se rejicere & abdicare; adeo virtutem non habere, ut nec ejus* C *spem reliquam*. Ejusdem meminit cap. XXV. & CCVI. de Jurejurando apud Gregorium, ubi additur, *fidem Christianam ejurasse*. Porro insignis locus est, & jocus in eodem Romano Magistro cap. XXVII. lib. III. *de Benefic.* qui quod in lemmate hujus capitis est exponit, *malam mentem jurare*: *sub D. Augusto*, ait, *nondum hominibus verba sua periculosa erant, jam molesta. Rufus, vir ordinis Senatorii, inter cœnam optaverat, ne Cæsar salvus rediret ex ea peregrinatione quam parabat, & adjecerat, idem omnes, & tauros & vitulos optare. Fuerunt qui illa diligenter audirent. Ut primum diluxit, servus qui cœnanti ad pedes steterat, narrat,* D *quæ inter cœnam ebrius dixisset; hortatur ut Cæsarem occupet, atque ipse se deferat. Usus consilio, descendenti Cæsari occurrit: & cum malam mentem habuisse se pridie jurasset, id ut in se, & filios recideret, optavit; & Cæsarem, ut ignosceret, rediretque in gratiam secum rogavit. Cum dixisset se Cæsar facere: nemo*, inquit, *te mecum* (quid si? *me tecum*) *in gratiam rediisse credet, nisi aliquid mihi donaveris, petitque non fastidiendam a Principe summam & impetravit*. Itaque solemnia hæc erant in satisfactione, Tibullus:

*Et se juravit mente fuisse mala.*

E Cui cognatum est in iisdem auctoribus: Seneca cap. XXXI. l. IV. *de Benef.* de impurissimo hominum M. Scauro. Is Pollioni Asinio jacenti dixerat se facturum id quod pati malebat; & cum Pollionis contractiorem vidisset frontem, *quicquid*, inquit, *male dixi, mihi & capiti meo*. Et Tibullus simile eleg. II. lib. I.

*Et mala si qua tibi dixit dementia nostra;*
*Ignoscas, capiti sint precor illa meo.*

Urbanissime etiam apud Aristophanem Ἀχαρνέων Dicæopolis, cum Megarensem χαίρειν jussisset, idque ille respondisset, sibi οὐκ ἐπιχώριον εἶναι, pre- F catur ut in caput suum recidat, Πολυπραγμοσύνης νῦν ἐς κεφαλὴν τρέποιτ' ἐμοί: ubi Scholiastes eam quam adnotavi consuetudinem etiam Atheniensium fuisse tradit. Adhæc quæri opportune potest, quid in Cicerone sit, *perpetuum morbum jurare*? Omittunt explicare interpretes: ego supplebo, remque aperiam ex Paulo JC. Verba Julii sunt: *quod erit*

*durius veniam , & ipse perpetuum morbum jurabo*. Cui addendum ἐν προθεωρίᾳ , quod apud Paulum est I. Sentent. tit. *de Sepulch. & lugendis*. *Qui luget abstinere debet a conviviis , ornamentis , & alba veste*. De veste dixi in GUSTU meo cap. VII. & ornamentis ad Tacitum prælectionibus: etsi, quod tunc omiseram , tristior ille habitus ex SC. fuerit interdum remissus l. *Decreto*. C. *Ex quibus caus. inf.* &c. At qua illud Ciceronis Jusjurandum , & adjunctum de cœnis , lucem capit e Seneca Patre Declam. I. *Pater quidem tribus liberis amissis assidebat sepulchro: cum inde abductus , interesse convivio coactus esset , eo nomine injuriarum egit*. *Credo* , inquit , *mirari aliquem quod in forum amissis modo liberis veniam , at ego modo in convivio fui*. Eadem mente Tullius & sensu. Augures Collegæ Ciceronem ad cœnam vocarunt : is neque abesse sine indignatione , aut adesse , ob Tulliæ obitum , poterat: velamento se morbi purgat, quod alioqui lex quoque vetabat. Facit etiam huc Suetonius *in Caligula* cap. XXIV. Drusilla *defuncta justitium indixit , in quo risisse , lavisse , cœnasse , cum parentibus aut conjuge , liberisve capitale fuit*. Idem cap. XLV. absentem Senatum , populumque gravissimo objurgavit edicto , quod Cæsare præliante & tantis discriminibus objecto , intempestiva convivia per circum , & theatra & amœnos secessus celebrarent. Clarius Seneca Pater lib. IV. Declam. proœmio : Mortuus in Syria Cæsar erat. Per codicillos questus Augustus quod in tam *magno recentique luctu homo charissimus sibi , pleno convivio cœnasset ; rescripsit Lollio , eo die cœnavi quo Herium filium amisi*. Tale quid de Davide , ob mortem filii D. Augustin. *de Consol. mort.* Serm. II. cis finem : *Epulatur* , inquit , *cum amicis , compressit suspiria , gemitu omni deposito , vultu jam læto*. Denique Ausonius Epist. XVI. ad Probum *benivolentiam adjurat : adjuro benivolentiam tuam verecundiæ meæ testem*. Et Herodianus ὅρκοις πιςῶσαι τὴν πρὸς αὐτὸν εὔνοιαν. *Suam erga eum benivolentiam Jurejurando firmare*. Petronius, *bilem ejurat*.

---

## CAP. VI.

Jusjurandum *unde dictum? Id definitum , divisum. P. Diaconus a Magnone emendatus. μέγας ὅρκος. Homerus explicatus : quid ἐπομοσία ? Jusjurandum λόγον dictum , ἔνδικος quid ? & ἐξομοσία , διομοσία , προμοσία. ἱερὰ συμβολή*. Jurandum *pro* Jurejurando. *ἀποκρυβῆς ὅρκος & ἀποκειβῆς quid?*

HACTENUS Velites rem manu gesserunt , ingloriis armis: nunc cum hastatis conflictus erit , pari fine & victoria. Princeps caput belli & libelli est Jusjurandum: quid id sit si quæratur definiet Aristoteles, ὅρκος ἐςὶ μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος. Ita quoque Clemens Alexandrinus , ὁμολογία καθοςικὴ μετὰ προπαραλήψεως: quasi Jovis jurandum dicatur , Ennio apud Cicer. *O fides alma , apta pennis jurandum Jovis*. Sic Nævius ; *jus sacratum , Jovis jurandum sanguine*. Unde recte Apul. lib. *de Deo Socratis* ; *Jurisjurandi honor proprius est summi Dei*. Nec incommode Tullius III. *de Offic.* est *affirmatio religiosa , testimonium fidele , conscientiæ sigillum*. Non minus apposite Cassiod. lib. XI. cap. VIII. ubi de Jurejurando Præf. Præt. *Tenete arbitrii mei idoneum vadem speculum cordis , imaginem voluntatis , ut quibus non sum facie notus fiam morum qualitate recognitus*. Quod autem religiosam affirmationem spectat , factum hinc video, Jusjurandum pro religione poni a cordatis scriptoribus , quia scilicet hac pleraque firmantur inter homines , Deo interposito judice & teste : aut quia ipse judicem adversarium suum de causa sua facit, l. I. D. *Quar. rerum act. n. d.* Et Cicero *in Cæliana ; Lucejus socius vestræ religionis*. Et *in Pisonem ; P. Lentulus Provinciam quam habebat , interposita religione deposuit*. Ex quo sacrosanctum etiam dictum observo , ut qui violasset , morte pœnas penderet : & *sacramentum* hoc significatu in Festo , Vegetio , Honorato , Quintil. cap. II. lib. XII. ad finem. Theologorum definitiones & Jurisconsultorum non sunt hujus pensi. Dividi vero a priscis invenio , ut aliud solenne & quasi publicum , vulgare aliud & privatum sit. Illud in re gravi & seria palam quasi publice dabatur ; hoc paucos inter. Præterea fictum aliud , aliud serium. Si quis aliud verbis simularet conciperetque , quam mens dictaret & ratio. Quo id Euripidis *in Hippolyto* referri potest;

> Τρο. Ω τέκνον , ὅρκους μηδαμῶς ἀτιμάσῃς.
> Ιππ. Η γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.
> Nut. *O fili , Jusjurandum ne contemnas*.
> Hipp. *Lingua juravit , mens vero manet injurata*.

Et Tullius III. *de Off. Si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris , nulla fraus est , ne si juratus id non feceris*. Cum Seneca ; *quid ad patres pertinet , quod amantes jurent ? mihi crede nec ad Deos pertinet*. At de hoc fusius suo loco. Porro Jusjurandum fictum biceps, vulgarium & jocosum. Hujus alibi accommodatior erit mentio: illius apud Plutarchum est. Erat insuper clarum aliud , aliud obscurum. Clarum , quod apertis verbis propriisque; quod ambiguis concipitur , obscurum dico. Ad cujus discrimen vox *liquido* apud Ulpianum l. *alias*. D. *de Jurej.* quod idem est cum Græcorum σαφῶς in Demosth. II. *in Aphobum*: ἣν μηδεὶς ὑμῶν νομιζέτω καθ' ἡμῶν , ποτ' ἂν ὀμνύναι ταῦτα ἐθέλειν εἰ μὴ σαφῶς: *quam nemo vestrum arbitretur , contra nos umquam jurare hæc velle nisi liquido*. Ejus P. quoque Diaconi notæ meminerunt Q. D. R. P. L. IV. quas ita interpretatur vulgus , *Qua de re peto , liquido jures*. Dixi vulgus , nam Magno notarius, qui Caroli Magni ætate vixit, aliter exponit , legitque Q. D. R. P. L V. expuncto I. & explicat , *Qua de re peto laudabilitatem vestram*, Etenim in meo codice est, Q. D. R. P. G. V. *qua de re peto gravitatem vestram*. Atque hæ sectiones Latinos spectant , nam Græci tria genera fecerunt; ἐπώμοτος ὅρκος , quod affirmandi gratia sponte suscipiebatur: κατώμοτος , quod inficiandi , Euripidi familiare , unde κατώμοσις, & ἐπακτὸς , cum quis non sponte sed invitus jurare cogebatur , apud Sophoclem ; quod adstrictum & adactum interpretor. Aliter tamen Zenodotus , qui explicat quasi peregrinum & aliunde adscitum ; ut si Græcus Scytharum more juret , νὴ τὸν ἀκινάκην , νὴ τὸν ἄνεμον , de quibus alibi. Placet tamen prior expositio Suidæ & Etymologico. Μέγας ὅρκος , meminit pluries Homerus Οδυσ. β.

> Ως ἄρ' ἔφη , γρηῦς δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ἀπώμνυ.
> *Dixit anus , magnumque hinc intulit adjurandum*.

Quod quid sit ipse *Odyss.* ε exponit voce Calypsus:

> ———— διὰ θεάων
> Ιςω νῦν τόδε γαῖα καὶ ὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν
> Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ ( ὅςε μέγιςος
> Ορκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι )
> *Et tellus sciat , & cœlum , & Stygis unda , beatis*
> *Dis magnum sacramentum*.

Quo non inconvenienter illa Sanctorum , D. *Matt.*

C. V.

c. v. ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ, &c. μήτε ἐν τῇ γῇ. D. Jacobi *Epist. Canonica* v. πρὸ πάντων δὲ, ἀδελφοί μου, μὴ ὀμνύετε, μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν, μήτ' ἄλλον τινὰ ὅρκον. Ita Mercurius Ulyssem instruens Ὀδυσ. κ. quo Circes pacto λυκανθρωπίαν vitaret, inter alia jussit Deam

—— Μακάρων μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι

cujus vim Circe agnoscens, mox, καρτερὸν ὅρκον appellat. Alia Plutarchus *in vita Demosthenis*. Ἐπωμοσίαν Scholiastes Aristophanis *in Pluto* Jusjurandum vocat ejus qui causam justam, quare ad diem præscriptum non apparuerit, prætexebat. Meminit quoque Lysias —— σεμνὸν, καὶ μέγαν ὅρκον διομοσάμενος, magno ac sancto jurejurando interposito. Λόγον etiam Jusjurandum dictum video in Novellis v. XVII. CXXIIX. ita vertente vetere interprete: dabatur enim λόγος interposito Jurejurando, ut Juliani Antecessoris Constantinopolitani Scholiographus probat, & Leonis Constitutio in l. ult. C. *de iis qui ad Eccles. confug.* Ἐξωμοσίαν καὶ ἐξόμνυσιν. Budæus vertit *Magistratus repudiationem cum Jurejurando*, de quo Interpres Aristoph. *in Vespis*, & Pollux lib. VIII. cap. VI. Ἔστι δὲ ἐκ τῶν δικαστικῶν ὀνομάτων, προμοσία, διομοσία, ἀντωμοσία, ἐξομοσία, ἐπωμοσία, ὑπομοσία. Προομοσία μὲν ὅρκος, ὃν ὁ κατήγορος προομνύει, ἦ μὴν ἀληθῆ κατηγορεῖν. Ἀντωμοσία δὲ ὅρκος, ὃν ὁ κατηγορούμενος ἀντωμνύει, ἦ μὴν μὴ ἀδικεῖν. Διομοσία δὲ, ὁ παρ' ἑκατέρου ὅρκος. Ἐξομοσία δὲ ὅταν τὶς ἢ πρεσβευτὴς αἱρεθῇ, ἢ ἐπ' ἄλλην τινὰ δημοσίαν ὑπηρεσίαν ἀῤῥωστεῖν, ἢ ἀδυνατεῖν φάσκων ἐξομνύται αὐτὸς, ἢ δι' ἑτέρου. ἐξώμνυντο δὲ καὶ οἱ κληθέντες μάρτυρες, εἰ φάσκοιεν μηδὲν ἐπίστασθαι τούτων, εἰς ἃ προκαλοῦνται. *Judicialia quoque nomina sunt, juramenti protestatio, dejeratio, contratestatio, contestatio, detestatio, sugillatio. Protestatio, juramentum est, quo accusator testatur, se vera dicere. Contratestatio id, quod reus contra jurat, se non deliquisse. Contestatio utrumque amborum juramentum. Dejeratio, cum quis ad legationem, aut aliud quoddam publicum munus electus, infirmitatis aut impudentiæ prætextu dejerat, aut ipse, aut per alium. Dejerant etiam citati testes, si nihil eorum ad quæ vocantur, scire esse affirmant.* Ἱερὰ συμβουλὴ Latinis est, cum Senatus Deum testem advocabat, se decreturum quod e fide sua, reque publica videretur, *Juratus* dicebatur. Græci id ἱερὰν συμβουλὴν vocabant. Ejus formula apud Xenophontem exprimitur περὶ Ἀναβάσεως Κύρου βιβ. ε in oratione Hecatonymi: εἰ δὲ μὲν συμβουλεύοιμι ἃ βέλτιστα μοὶ δοκεῖ εἶναι, πολλά μοι ἀγαθὰ μένοιτο· εἰ δὲ μὴ τἀναντία αὕτη γὰρ ἱερὰ συμβουλὴ λεγομένη εἶναι, δοκεῖ μοι παρεῖναι. *Jam vero quod me de vestro itinere consulitis, Deos omnes contestor ac precor, si vobis quod optimum duxero consilium dedero, multa mihi ut ex voto eveniant: sin aliter, adversa ut mihi sint omnia, devovi me jam*, inquit, *atque hoc est quod sacrum consilium dicitur*. Denique ἀποκρυβῆς ὅρκος & ἀποκειβῆς est Jusjurandum de rebus non amotis, aversis, aut occultatis teste Harmenopulo lib. I. tit. II. cap. XXXIX unde ἀγωγὴ τῶν ἀποκρυβέντων πραγμάτων, *rerum amotarum vel ad exhibendum actio* XIV. Eclog. II. cap. XXXV. in fine. *Jurandum* pro *Jurejurando* usurpatum inveniri partim ostensum, partim addo, observasse id Donatum ad Act. IV. Scen. IV. *Andriæ*, ubi Davus ait: *Quia si forte opus sit ad herum jurandum mihi non est*: qui subjungit: *sic locutus est ut explicari atque intelligi non possit, aut enim deest* jus, *ut sit* jurandum *pro* Jusjurandum, *aut, ut vulgo dicitur*, juramentum.

## CAP. VII.

*Quæsitum ubi Juratum, & a quibus? Imperatores jurasse, & cui? bulla aurea ad litteras Impp. cum Jurejurando. Dominos & Vassallos. Hi ut jurarent*: hominium *illorum dictum Jusjurandum. Dominos qui servos e monasteriis adducebant. Sacramentum Tuitionis quid? Bartolus & Felinus notati.*

TANDEM sapere patruos occipiemus, & rem explicare. Quæritur ubi jurarint: dico varie id observatum, pro rei usu & loci. Tamen juratum in Templis potissimum a sacrificiis, in foro, & domibus. Nec templum a Capitolii æde, ubi hoc sæpe præstitum, separo. In templis quidem cur id exactum summa ratio; ubi enim Deum potius testem quam ibi adhiberi æquum est, ubi destinatior ei cultus & religio? Qua Imperatores jurasse eos aut sub Imperii Natalem solenni ritu, aut post ἐν τῷ καιρῷ Romani Annales docent & Græci, ex quibus hæc pauca & de privato Jurejurando, nam de illo stato, numquam finis. Auctor est Photius in Praxagora Licinium Imperatorem Rom. cui pars illa Imperii obvenerat quam Maximinus tenuerat, intellecta in se expeditione; δείσας, ἔκρυπτέ τε τὴν ὠμότητα, καὶ φιλανθρωπίας προσχήματι, καὶ ὅρκους ὑπέτεινεν, ἀγαθόν τε ἑαυτὸν τοῖς ὑπὸ χεῖρα παρασχέσθαι, καὶ ἃς ἔθετο σπονδὰς συντηρεῖν ἀπαραβάτους: *metu perculsus immanitatem texit, humanitatisque speciem præferens Jurejurando etiam se obstrinxit clementem deinceps subditis futurum, quæque fœdere icto promisisset, integre servaturum*. Simile quid apud eundem in Procopio de Peroze Persarum Rege. Herodianus lib. II. narrat Severum Imperat. cum Prætorianis militibus Roma ob Pertinacis cædem interdiceret, jussionem Jurejurando firmasse: παραγγέλω τε ὑμῖν ἀπιέναι ὡς ποῤῥωτάτω τῆς Ῥώμης. ἀπειλῶ καὶ διόμνυμαι καὶ προαγορεύω, κολασθήσεσθαι κεφαλικῶς εἴ τις ὑμῶν ἐντὸς ἑκατοστοῦ σημείου ἀπὸ τῆς Ῥώμης φανείη. *Vobis autem sic impero discedatis quam longissime: edico item juroque ac denuncio capite pœnas daturum, si quis vestrum posthac intra centesimum ab urbe lapidem pareat.* Verum cui Majestas Imperatoria Jusjurandum commisit? Observo, aliud fuisse usurpatum in Roma Vetere, aliud in Nova. In illa, proprius vero est Seniori Consuli; argumento e Plinii scriptis in Gratiarum actione quam vulgus *Panegyricum* vocat, ibi Trajanus *apud defunctum senioremque Consulem, in sella sedentem curuli juravit, illo Jusjurandum præbente, & solennia verba præeunte*. In Novæ Romæ imperio ὁ μέγας λογοθέτης Jusjurandum a novo Imperatore accipiebat in templo Blachernarum, auctore Niceta in Manuele Comneno lib. III. οὐκοῦν λογοθέτης, &c. τοῖς ὅρκοις τοῦτον ἐπιστατῆσαι κατὰ τὸν ἐν Βλαχέρναις μέγαν νεών. Quis autem ille λογοθέτης, Cyrillus, Politus, & Cantacuzenus docet l. I. c. XIV. Solebant vero Imperatores litteras suas bulla aurea, argentea, cera, & plumbea munire. Clara hæc sunt apud Codinum de *Off. aul. Constantin.* His litteris Jusjurandum addebat Princeps ut ostendit Phranzes Chron. c. X. l. II. *Ego cum litteris bulla argentea insignitis & Jurejurando firmatis, & multo milite jussus sum, ut Athenas & Thebas in potestatem reciperem*. Hinc origo bullæ Aureæ & Romanorum Pontificum Bullæ. Nec hoc omitto Christianos Imperatores Summo Pontifici, ut seniori jurasse, ut ex Othonis juramento Joanni Papæ præstito liquet: *Tibi Domino Joanni Papæ ego Otho promittere & jurare facio per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, per lignum hoc vivificæ Crucis, & per has Reliquias Sanctorum*. Cætera supprimo, *ne fastidium nascatur ex plurimis*, ut Modestus ait de vocabulis rei militaris cis finem. Dominos quoque jurasse discrimine, ut colligo ex IV. *de Feudis*. Cum cognatis

sex jurasse Vassallum, cum XII. cognatis Dominum, vel cum XII. Vassallis; aut partim cognatis, partim extraneis. Priorem differentiam Gallicus Papinianus Cujacius aperit: *Vassallus*, ait, *semper sine mentione conscientiæ jurat, puta se investitum a L. Titio, non se credere aut existimare*, &c. *Dominus de suo facto quidem ejurat præcise, puta se investituram non fecisse, de facto parentum suorum non ita jurat. Sed se nec scire nec credere factam a parentibus investituram*. Jurabant vero tactis armis sacratis, ut indicat Aimonius cap. XXVI. lib. IV. Vassallorum hoc sacramentum, *homagium*, ut in cap. *Veritatis de Iurejurando*, dicitur: melius tamen *hominum*, ut in antiqua Decretali, & magis idoneis scriptoribus. Ivo Carnut. in epist. *hominatum*, ut & nos promiscue *dominum* aut *dominatum*, de quo plura apud Robertum in supplemento Chronici Sigiberti, Helmodium in Historia Slavorum, Othonem & Abbatem Uspergensem, Fridericum Imp. ad Othonem Frisingensem, Aimonium cap. XXIV. lib. V. Radevicum lib. II. de Concordia inter Adrianum Papam, & Fridericum Imp. ipsumque Sigebertum in Chron. ann. MCLXXVI. in libro denique legum Francicarum tit. XLIV. & Speculatore in tractu de homag. Verum quod ad formam de qua in titulo, ea non una est, ut in libris *de Feudis* videmus. Libri secundi tit. v. est *de Juramento fidelitatis, & qualiter Vassallus juret Domino. Ego juro ad hæc sancta Dei Evangelia, quodam modo inantea ero fidelis ei, ut Vassalus Domino: nec id quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, pandam alii ad ejus detrimentum, me sciente*. Titulus sequens, eodem pene lemmate, sed aliis appendicibus. Titulus dein VII. est *de nova forma fidelitatis*, ex qua, in Senatusconsultum transcripsit suum Vir integerrimus atque doctissimus, Amplissimi Tolosatum Præses Senatus D. Antonius de l'Estanc *Vassallorum Jusjurandum*, immutatis nonnihil verbis, & ad ritum moremque tractis quo nunc utimur. Vasallos jurasse Regi, nec vetus nec nova formula fidelitatis, quo nomine Jusjurandum significatur, exprimit. Olim, ut hodie, masculi, fœminæ, liberi, servi, spe vitæ melioris, imo fiducia, monasterii se claustris dabant. Quod de servis dixi, id haud minus rarum illo servorum usu. Sed neque ob eam rem, quia istiusmodi, sanctiore hoc vitæ genere arcebantur. Ratio in Novella est V. *Omnes enim in Christo unam mercedem speramus*. Circa hos tamen major cura, ne vitiis onerati, vitæ genus simulent. Si id intelligatur, reddantur Dominis suis, qui jurabant, nihil a se sinistri passuros reversos: imo, suscepturos benivole, ut Irnerius vertit, paulo diversus ad Haloandro: in Græco est, διδόναι τὴν καλουμένην πίστιν, ita Scrimgerus. Atque id C. V. Cujacii Observatio octava cap. ult. Jusjurandum λόγον vocat, de quo capite citeriore egi verbo. Restat sacramentum ἀσφαλείας, id est, ut vetus Græcolatinum glossarium interpretatur, *cautionis, tuitionis, præsidii*. Præstabatur id ab iis qui securitatis causa aliquem in tutelam suam accipiebant. Exemplum do in Appiani *Civil*. lib. II. ubi Cæsar Julius, inimicorum insidias & conspirationes veritus populi se credidit Romani præsidio, hac locutione; *Juramus Cæsarem ejusque corpus servaturos, quantum in nobis situm erit: quicumque vel ejus vitæ insidiaturus erit, vel contra ipsius caput coitionem fecerit, vel ei opem auxiliumque non tulerit, sacer & devotus esto*. Guntereus quoque lib. VII. *de gestis Friderici* Principibus Romanis præstita fuisse sacramenta narrat ejusmodi;

*Tunc proceres, clarique viri, turbæque minoris*
*Ambitiosa manus, studio devota fideli*
*Sacramenta dabant, cunctas servanda per urbes*
*Principis Ausonii jus, famam, corpus, honorem:*
*Nec se læsuros, & si quis lædere tentet,*
*Usque vel ad mortem tota vel morte reniti.*

Et hinc etiam corpora Tribunorum sacrosancta dicta, quique his vim intulissent, devoti, hostesque publici, quod publica humanæ societatis vincula, ac communis Jurisjurandi religionem violassent. Sic Principi, cujus corpus publico sacramento vallatum est, qui insidias struxisset, hostis vocari publicus, *Omnes*. l. *Heraclianus* C. Theod. *de pœnis*, & quasi reus læsæ Majestatis: non is, qui legatis injuriam facit, aut vim infert, neque enim Majestas læditur, ut putavit Felinus in cap. I. *de off. de leg.* & Bartolus, sed gentium jus violatur, teneturque non l. Julia Majest. sed de vi publica, lege Julia VII. D. ad l. Juliam *de vi publ.*

---

## CAP VIII.

*Reges Populo & vicissim populum Regibus jurasse. Comites, & P. Romanum jurasse. Jurasse Coss. quo ritu? Hos in Aquitaniæ Metropoli*, Juratos *dici. Præfectos Prætorio, Proconsules & Provinciales jurasse, Senatum*; Senatus Juratus. *Plautus emendatus. Lambinus, Turnebus notati. Jurasse Magistratum, etiam posito honore*; Juratissimi *qui?*

Ab Imperatoribus ad Reges, etsi horum Jusjurandum posterius sit. Jurabat autem Rex populo, populus Regi. Ita Athalaricus Rex Gothorum populo Romano jurat apud Cassiod. epist. III. lib. VIII. *Ecce ad condictionem* (*conditionem* emendat Fornerius) *clementissimam sacramento inclinando, nostrum eveximus Principatum, ut nihil dubium, nihil formidolosum populi habere possint, quos beatus noster auctor enutrivit. Ecce Trajani nostri* (Forner. *vestri*) *clarum sæculis reparamus exemplum*. (de quo cap. VI.) *Jurat vobis, per quem juratis, nec potest ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impune mentiri*. Simile quid epist. sequenti: *Et ideo, quod Divinitate propitia dictum sit, glorioso domino avo nostro feliciter ordinante, tam Gothorum quam Romanorum præsentium pro munimine indepti regni sacramenta suscepimus, quod vos quoque facturos esse libentissime judicamus*, &c. *Sed ut vobis benevolentiæ nostræ jam nunc integritas innotescat, Jurisjurandi vobis fecimus religione promitti, quod & nostrum possit declarare propositum, & spem debeat munire cunctorum*. Theodatus etiam Gothorum Rex Jusjurandum Justiniano præstat, ut & uxor ejus in Procopio *belli Gothici* cap. XXIV. lib. I. Idem Cassiodorus epist. V. lib. VIII. Comites jurasse ex formula demonstrat. *Illum verum Comitem vobis facimus jurata voce promittere, ut sicut vobis vestrum animum devotissime proditis, sic optata de sensibus nostris audiatis*. Sed & Populus Romanus nove jurat in Livio lib. II. *Omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne postmodo flecti precibus aut donis regiis posset Jurejurando adegit*. Consules non semel jurasse observo dum inirent Magistratum & ponerent, primis inquam honoris sui diebus. Hujus gemini sacramenti testem cito Plinium Nepotem, sed aliter quam dixi; semel, ait, in Gratiarum Actionis medio, cum designati Coss. essent, idque in manu Consulis defungentis: iterum in Rostris omni audiente populo. De hoc Cic. Consul epist. I. *ad Metellum*: *Atque ille, quod te audiisse credo* (alii Codices *certo scio*) *Prid. Cal. Januar. qua injuria nemo umquam, in aliquo Magistratu improbissimus civis effectus est, me Consulem affecit, cum Remp. conservassem: atque abeunte Magistratu concionis habendæ potestate privavit, cujus injuria mibi tamen honori summo fuit. Nam cum ille mibi nibil, nisi*

*ut jurarem permitteret, magna voce juravi verissimum pulcherrimumque Jusjurandum, quod populus item magna voce, me vere jurasse juravit.* Sed & juratum in ipsa administratione, per occasionem Florus lib. II. dicit de Proconsule: *Jurejurando se populumque adstrinxit neminem regnare passurum Tarquinium.* Livius ante Florum lib. II. initio dicto: *omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus, aut donis regiis posset, Jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare.* Qui requirit ritum, in Cæcilii *Panegyr.* videbit, & Conss. designatos jurasse præ aliis, cum statis ceremoniis: *Stabat designatus Consul ante gremium Consulis sedentis, eoque præeunte conceptis verbis jurabat.* Id tam religiose habitum, ut ipse Trajanus Consul designatus, jurare, ut cæteri, non abnuerit. *Parata*, inquit Plinius, *erant solennia Comitiorum: si Principem cogitares: jamque se omnis turba commoverat, cum tu, mirantibus cunctis, accedis ad Consulis sellam; adigendum te præbes, in verba Principibus ignota, nisi cum jurare cogerent alios; juravit inde Trajanus Consule præeunte, cum solenni execratione si falleret.* His liquet jurasse Consules at nondum mihi, cur in Galliæ nonnullis oppidis Consules *Jurati* dicantur, nisi ad Germaniæ populorum imitationem fiat, apud quos κατ' ἐξοχὴν Conss. Jurati sunt. Docuit id me doctissimus, eloquentissimus, & humanissimus V. I. Costa Tolosanus Antecessor, locumque indicavit, qui hoc firmat, in Bohemia *Juratos* dici, qui extra eam Consules. Epistola est Bohemorum & Moravorum ad Christi fideles anni M. CCCCXXXI. *Universis & singulis Christi fidelibus, Regibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, nobilibus, civibus, & omnis status, & conditionis hominibus, Barones, nobiles, milites, clientes, rectores communitatum, præfecti urbium, judices, Consules, Jurati, cives, totaque communitas Bohemiæ gentis, &c.* Præfectos Prætorio etiam jurasse Papinius docet Silvar. V. protreptico ad Crispinum:

*Felix, qui magno jam nunc sub Præside juras,*
*Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem.*

De Proconsulibus (aliquando *subconsules* dictos fuisse reperio in veteribus inscriptionibus) & Provincialibus, expresse idem Plinius lib. X. ubi se id exegisse & præivisse dicit. *Præivimus & commilitonibus Jusjurandum more solenni, præstantibus qui eadem certarunt pietate.* Amplissimi quoque Ordinis patres ait Plutarchus *Solone* κοινὸν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βȣλή. Initio anni addit Tacitus Ann. XIV. quo loco Cossutiani in Thraseam criminationem recitat. Jurat reliquus Senatus excepto Thrasea: *Olim & objectabat, principio anni vitare Thraseam solenne Jusjurandum.* Alibi idem scriptor lib. IV. de Senatu & Magistratibus cæteris, at re nata: *Senatus inchoantibus primoribus Jusjurandum excepit, quo certatim omnes Magistratus, cæteri ut sententiam rogabantur, Deos testes advocant, nihil ope sua factum, quo cujusque salus læderetur; neque se præmium aut honorem ex calamitate civium cepisse. Trepidis & verba Jurisjurandi per varias artes mutantibus, queis flagitii conscientia inerat.* Quin & Senatores post sententiam dictam jurasse invenio, o rem sanctam! E REPUBLICA ESSE QUOD CENSUISSENT. Plin. cap. XIV. lib. V. *Quin etiam Dextrum, qui primum diversum censuerat, perlata lege de Senatu habendo, jurare coegit, e Rep. esse quod censuisset.* Simili locutione Tacitus Ann. IV. *P. Suillum amovendum in insulam censuit, tanta contentione animi, ut & Jurejurando obstringeret e Rep. esse.* Imo & ipsum Augustum *in Tiberio* Suetonii cap. XXI. qui *vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes, præsertim cum & Reip. causa adoptare se eum pro concione juraverit.* Denique quod in ante dixi, jurasse Senatum, Plutarchus claudet *in Publicola*,



A ἐβȣ́λετο δὲ σφαγίων ὁρκῶσαι τ̀ βȣλήν. & *in Solone* κοινὸν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βȣλὴ τȣ̀ς Σόλωνος νόμȣς ἐμπεδώσειν. Hinc Juratus Senatus dici, quoties Deum testem advocaret, se statuturum, quod e fide sua publicaque re videretur. Liv. lib. XLII. *Ut Juratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret.* Et lib. XXX. *Patres igitur Jurati (ita convenerat) ita censuerunt, uti Consules Provincias inter se compararent.* Huc traham & inseram Plauti nonnulla male a quibusdam accepta: e *Trinummo* Scen. *Huic ego:* Chr. *Quid adolescens quæris? quid vis? quid istas pultas!* Sy. *Heus senex, census conjuratori si recte rationem dedi.* Hic Lambini contortuplicata

B interpretatio est, subscribentis doctissimo Turnebo, qui legunt, *cum juratori.* Si verum agnoscimus, *Jurator* omnino pro *censore*, non tam dictus ideo, quod ipse juraret, sed quod alios sub sacramento, ex animi sententia censeret. Melius fortean Valens cap. VII. *Conjuratores* legit, pro *collega juratoris*, sive uno ex Juratoribus: ad Censoriam enim rem alludit; simili prorsus modo *Pœnuli* prologo:

*Nomen jam habetis; nunc rationes cæteras*
*Accipite, nam argumentum hoc hic censebitur.*
*Locus argumento est suum sibi proscenium,*
*Vos Juratores estis, quæso operam date.*

C Quem in locum non ut illis, ita & mihi viri eruditiss. diversus sensus hic placet, qui testes quod jurati produci solent interpretantur. Verum Plautus aperte ludit in comparatione censionis: argumentum fabulæ quasi censetur: censendi locus proscenium est; censores sive Juratores populus & spectatores. Hi rationes accipiunt, ferente Prologi auctore. Itaque lego in Plauti illo versu,

*Census cum sum, juratori recte rationem dedi.*

Atque hæc de Senatu. Sed & cæteri Magistratus jurarunt, quod nunc eo assertum. Fas cuiquam non erat Magistratum ultra quinque dies gerere, nisi qui publice in leges jurasset. Liv. lib. XXXI. ex-

D tremo, de C. Valerio Flacco, *quem præsentem creaverant, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: Magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, &c.* Ni jurasset, ponere eum debebat. Modestius Leo Imp. Nov. XCVII. cui piaculum videbatur Magistratum sacramento adigi, vel sub ipsa initia lex, ait, quæ in Magistratuum initio, Jusjurandum præcipit, divino jussui, qui Jusjurandum prorsus evitandum præscribit, aliquo modo contradicere videtur. Fuerit id suo ævo & isti Principi visum, nos non duntaxat ineunte Magistratu ju-

E rasse scriptores docent, sed & eo posito. Plinius, *itaque & abiturus Magistratu jurasti nihil te contra leges fecisse.* Dio de Augusto: *defunctus Consulatu Juramentum patrio more præstitit.* Deinde Claudio: *Consulatu abiens, item ut alii, Juramentum præstitit, solitus id in omnibus suis Consulatibus facere.* Macrob. cap. III. lib. II. *Caninius quoque Revellius qui uno die (ut Servius retulit) Consul fuit rostra cum ascendisset, pariter honorem inquit Consulatus ejuravit.* Facit & huc quod de Cicerone in principio dixi, firmatum ab ipso *Pisoniana* sua: *Ego*, inquit, *cum in concione abiens a Magistratu, dicere a Tribuno plebis prohiberer, quæ constitueram; cumque*

F *is mihi tantummodo ut jurarem, permitteret, sine ulla dubitatione juravi Remp. atque hanc urbem mea unius ope esse salvam. Mihi populus Rom. universus, illa in concione, non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit.* Explicatius Plutarchus in *Cicerone*: οἱ μὲν ἀρχὴν παραλαμβάνοντες δημαρχȣ̃ντες, Metellus puta & Bestia, ἔτι τȣ̃ Κικέρωνος ἡμέρας ὀλίγας ἄρχοντος, ȣ̓κ εἴων δημηγορεῖν αὐτὸν, ἀλλ' ὑπὲρ τ̃ ἐμβόλων βάθρα θέντες, ȣ̓ παρίεσαν. ȣ̓δ' ἐπίτρεπον λέγειν, ἀλλ' ἐκέλευον εἰ βȣ́λοιτο μόνον περὶ τ̀ ἀρχῆς ἀπομόσασθαι, καταβαίνειν. Κἀκεῖνος ἐπὶ τȣ́τȣς, ὡς ὀμόσων προῆλθε. κ) γενομένης αὐτῷ

*σιωπῆς, ὤμνυεν ἐ τὸν πάτριον. ἀλλ᾽ ἴδιόν τινα καὶ καινὸν ὅρκον ἦ μὴν σεσωκέναι τὴν πατρίδα, καὶ διατετηρηκέναι τὴν ἡγεμονίαν, ἐπώμνυε δὲ τὸν ὅρκον αὐτῷ σύμπας ὁ δῆμος. Tribuni postquam Magistratum gerere cœpissent, ne concionem ad populum haberet, impedire: supererant autem pauci dies, quibus consulatu abire tempus permitteret. Quamobrem positis sellis intra Rostra, ingressu Tullium acerbant & concione, nisi ut Magistratum poneret, statimque discederet. Placuit id tum Ciceroni. At cum primum silere cœptum est, non patrio sed suo & insolenti Jurejurando affirmavit, sua diligentia & virtute rem Romanam stare. Quo audito, universus populus id asseruit.* Hodie, Magistratus omnis Jusjurandum interponit in leges Regias & alias, de quibus Francisc. Marc. *in Decis. Delphin.* q. CXXXIX. in I. parte, & Rebuffus in Procem. *Concord.* forte sumpto exordio ex Authent. sed hodie. Codic. de Judic. Finio hunc Senatum cum Ephororum ritu, & Jurejurando apud Xenoph. *de Rep. Lacedæm.* ὅρκους δὲ ἀλλήλοις κατὰ μῆνα ποιοῦνται, ἔφοροι μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως κειμένους νόμους βασιλεύσειν, τῇ δὲ πόλει ἐμπεδορκοῦντος ἐκείνου ἀστυφέλικτον τὴν βασιλείαν παρέξειν. *Ephori singulis mensibus Jure se jurando obstringunt: ephori quidem civitatis nomine, rex autem suo; Jusjurandum vero Regis est pro conditis civitatis legibus imperaturum; civitatis autem, illo Jusjurandum inviolatum servante, regnum inconcussum reddituros.* Denique *Juratissimi* Plinio sunt fide dignissimi: *Scito enim conferentem me autores comprehendisse ab juratissimis & proximis, veteres etsi transcriptos ad verbum, &c.*

---

## CAP. IX.

*Juratos Principi subdi. Cassiodorii lectio confirmata. Qui administrationes suscipiunt jurasse.* Corporaliter jurare *quid? Judices, Advocatos, defensores civitatum, Declamatores jurasse & Tabelliones.*

JURARE Principi hanc vim habebat, ut jurati ei subderentur ex Cassiod. epist. VI. lib. VIII. ubi Liberio Galliarum Prætorio Athalaricus Rex scribit, de quo in ante quam dicam, vacillantem Fornerii lectionem confirmo, cis verba *Præposito Galliarum*. Is in notis Var. hic —— *legendum*, ait, *videtur, pro Præposito Galliarum Præfect. Præt. Galliarum*, addo omnino ita legendum esse, neglecta Jurisconsultorum τῷ *videtur* usurpatione: Post tempora aut jam a temporibus Constantini, certissimum est quatuor Præfectos Prætorii fuisse, Imperium Orientale & Occidentale. Præfectos Prætorio Oriens habuit & Occidens, secundo ab Imperatore gradu. In Oriente Constantinopoli, sede Imperii, Imperator & Præfectus Prætorio. Romæ, ubi socius Imperii ibi & Vicarius Imperatoris, hoc est, Præfectus Prætorio. Tertium Illyricum habebat etiam in Oriente: quartus erat qui sub se habebat Gallias, Britannias, Hispanias, antequam Hispaniæ regerentur a Proconsule, Præfectus Prætorio Galliarum. Signate Præfectus hic Prætorio non Præpositus. Signatius tituli tam in C. Theodos. quam Justiniani, ubi alius est de Præfectis, alius de Præpositis. Signatissime l. Unica C. Theod. *de Præpos. Sac. cub.* separat, in qua Impp. Honorius & Theodosius de sacro cubiculo loquentes, *Præpositum*; de Prætoriana & Urbana dignitate, *Præfecturam* vocant. Verum juratos Principi subditos fuisse docere Cassiod. ut dixi, ita verba ejus subnoto: *Cui ordinationi Gothorum Romanorumque desideria convenerant, ut sub Jurisjurandi religione promitterent fidem se regno nostro devoto animo servaturos.* Pulchra sane Jurisjurandi est formula quam Justinianus ab his exigit, Nov. VIII. qui officia suscipiunt: *Testor*, (versio est Haloandri) *Testor ego Jurando*

A *omnipotentem Deum & unigenitum filium ejus Deum nostrum Jesum Christum, & Spiritum Sanctum, nec non sanctam & gloriosam Dei genitricem & perpetuam Virginem Mariam, & quatuor Evangelia quæ bisce manibus teneo, & sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem: quod sacratissimis & pientissimis Dominis nostris Justiniano & Theodoræ conjugi potentiæ illius existenti, occasione concessi mihi ab illorum pietate Officii puram conscientiam, & genuinum præstaturus sum servitium: quodque pro ipsorum imperio & reip. in concesso mihi ab ipsis officio, summa cum animi promptitudine, sine dolo & absque fraude, omnem operam ac laborem subiturus sum: & quod cum sanctissima Dei & Apostolorum Ecclesia communionem habeo, neque ei ulla umquam in re aut modo*
B *adversabor, neque, quantum in me erit, alicui alii permittam. Juro quoque* (versio communis est) *idem Jusjurandum, quod nulli penitus neque dedi neque dabo occasione dati mihi cinguli, neque occasione patrocinii, neque promissi, neque professus sum de Provincia mittere, neque mittam, neque occasioni dominici suffragii, neque famosissimis præfectis administrationem habentibus, neque iis qui circa eos sunt, neque alii hominum ulli: sed sicut sine suffragio percepi cingulum, sic etiam pure me exhibebo circa subjectos piissimorum nostrorum Dominorum, contentus iis quæ de fisco statutæ mibi sunt annonis. Et primo omne habebo studium, ut fiscalia vigilanter inspiciam,*
C *& indevotos quidem & indigentes necessitate* (melius Haloander *compulsione indigentes*) *cum omni exigam vehementia, nequaquam subinclinatus* (*in nullo eis cedens* Haloa.) *neque ob hoc lucrum ipsum considerans, aut per gratiam vel odium exigens citra quam competit, aut concedam alicui. Devotos autem paterne tractabo, & subjectos piissimorum nostrorum Dominorum illæsos undique, quantum possibilitatem habeo, custodiam. Et æquus in caussis utrique parti, & in publicis disciplinis ero: nulliqne parti, citra quam justum est, præstabo: sed exequar universa delicta, & omnem æquitatem servabo, secundum quod*
D *mibi visum fuerit justum; & eos quidem qui innoxii sunt, undique innoxios illæsosque conservabo: noxiis autem imponam supplicium secundum legem & omnem justitiam* (*sicut jam dictum est*) *in publicis & privatis contractibus eis servabo: & si comperero fiscum injustitiam pati, non ego solum hoc ago* (*tantum ista perficiam*, Haloa.) *sed etiam semper mibi assidentem talem studebo assumere, & circa me omnes, ut non ego quidem purus sim* (Hal. *ut non solus ego innocenter vivere*) *qui vero circa me sunt, furentur & delinquant. Si quis autem inveniatur circa me talis, & quod fit ab eo me sanare* (Hal. *præstat quod ipse admisit*) *& eum expellere. Si vero non hæc o-*
E *mnia ita servavero, omnibus incommodis ero expositus hic & in futuro sæculo in terribili judicio magni Domini Dei & Salvatoris nostri* JESU CHRISTI, *habeboque partem cum Juda & Lepra Giesi & tremore Cain: insuper & pœnis quæ lege eorum pietatis continentur ero subjectus*. Judices autem jurasse etsi non ignotum, testimoniis tamen assero scriptorum. Pedianus in II. Verrina ad verba *libelli nominum nostrorum: Moris*, inquit, *erat, celebrata Judicum rejectione, & haberi in Officio Prætoris, & in arca reponi nomina judicum selectorum. Rejectio autem idcirco dicitur, quia cum multi judices in consilio cum*
F *Prætore judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in publica causa, verbi gratia Repetundarum, ambitus, Majestatis, necesse fuit eos primum de decuria Senatoria conscribi, cum Senatus judicaret, deinde in urnam mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset; tertio, id est post urnam, permitti accusatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex more & fama judicum illorum quos aut rejiciebant aut retinebant, voluntatis con-*

*jecturam facere populus, quos causæ suæ confidere, quis corrumpere judices vellet: rejectione celebrata, in eorum locum qui rejecti fuerant, subsortiebatur Prætor alios, quibus ille legitimus judicum numerus compleretur, prima enim sortitio dicebatur. His perfectis, jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent: cum jurassent omnes præter ipsum Prætorem, &c.* Quo Demosth. referri potest illud, τῶ νόμων ἀκέετε, καθ' ὃς ὀμωμόκατε δικάσειν: *audite leges, secundum quas vos pronunciaturos jurastis*. Unde apud eundem ὀμωμοκότες δικαςαὶ dicuntur. Joannes Salesberiensis *Polycratico* cap. XII. lib. V. *Et quidem judices sacramento legibus alligantur jurati, quasi omni modo judicium cum veritate & legum observantia disponent. Ipsoque jure cautum est ut sacrorum Evangeliorum scripturæ terribiles ante sedem judicialem deponantur, ibique ab initio litium ad finem usque permaneant* (idem jubetur l. XII. C. *de Judiciis*) *nec amoveantur, nisi sententia recitata, quo totius consistorii latitudo, Dei ipsius repleta præsentia, omnibus ad sacrosanctas scripturas metum incutiat & reverentiam, & ab inquisitione veritatis omnis iniquitas propulsetur.* Quod de Evangeliis ait, id IC. corporaliter vocant in l. *Si minor*. C. *Si adversus vendit: cui diversum est jurare instrumento*, in l. III. C. *Si minor se mai. d.* Corporaliter jurat tactis sacrosanctis Evangeliis, de quo cap. II. vel manu sublata quod Balsamo vocat σωματικοῖς ὅρκοις. Idem Salesb. cap. XI. de Judicibus: *Sed ad religionem judicis hæc eadem pertinere certissimum est, cum ipsum juris oporteat habere notitiam, voluntatem boni, vires exequendi, & sacramento debeat esse legibus obligatus; ut sibi omnino illicitum noverit, ab earum sinceritate divertere.* Sed & ante eum Tullius non semel de Judicibus, *ut non nisi jurati sententias dicerent*: & alibi: *cum illam judicandi tabellam sumpserit, meminerit se Deum adhibere testem.* Asconius altera *in Verrem* ad verba, *Malim: & jurato suam*, ait, *Cum judex sit Metellus, tabellam judiciariam juratus accipiet*: idem ibidem ad verba *Juratorum hominum, Judicum scilicet, qui in leges ante quam judicarent, jurare consueverant.* Neque vero Romæ tantum Judices jurabant, sed & Athenis & tota Græcia, ut Demosthenem, Æschinem, Lysiam aliosque legentibus notum est. Atque Atheniensium Judicum jusjurandum apud Pollucem est cap. IX. lib. VIII. ἐπηρώτα δὲ ἡ βελὴ, ὤμνυον δὲ ἔτοι πρὸς τῇ βασιλείῳ ςοᾷ, ἤ ἐςι τῦ λίθυ, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τὰς νόμυς. *Interrogabat autem Senatus, hic vero jurabat apud porticum regiam, quæ est lapidea, se leges observaturum.* Coronidis loco erit de Sacramento Judicum illud Concilii Basileensis VI. cap. XIV. *Omnes judices quicumque tandem fuerint, ab ipsius litis primordiis ad sententiam, & in ipsa recitatione collocatis ante se sanctis Evangeliis judicent.* Avidiori stomacho supersunt analecta apud Heraclidem in *Ponticis*, Aristotel. libr I. *Rhetor*. cap. ult. Demosth. κατὰ μειδίυ in initio. Atque hæc de Magistratu & Judicibus clara sunt, non hoc unde originem Jusjurandum solenne Advocatorum habeat. Olim qui causas tractabant quadruplici nomine erant apud Asc. Pedianum *in Divin.* ad verba, *cognitorem juris sui*: *Qui defendit alterum, inquit, in judicio, aut patronus dicitur, si orator est, aut advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico, aut procurator, si negotium suscipit; aut cognitor, si præsentis causam novit, & sic tuetur, ut suam.* Ab his Jusjurandum exactum ubi lectum? Calumniæ excipio. Imo Tullius pro *Cæcinna* aperte ostendit oratores non jurasse: *Jurati testes hoc dicunt, quod ego injuratus insimulo*, cumque tota vis oratoris in persuadendo consisteret, intempestivum iis Jusjurandum. Et Quintilianus lib. V. cap. VI. *Instit. Orat. Jusjurandum litigatores aut offerunt suum, aut non recipiunt oblatum, aut ab adversario exigunt, aut recusant cum ab ipsis exigatur.* De Advocatorum Jurejurando ne γρύ. Dicamus Imperatorum Constitutionibus ortum deberi, & l. *Rem non novam*. C. *de Judiciis*, qua lege post litis contestationem ad omnes causas Jusjurandum extenditur. Fortean autem veterum Oratorum solennis illa Deorum invocatio sub initia Juris erat instar jurandi. Ritum illum anxie observatum in omnibus M. Catonis, Gracchorum, Galbæ, aliorumque orationibus adnotat Servius oculatus testis ad XI. Nec prætermisit Cicero in *Divinatione*: *Si quid ex vetere aliqua Oratione, Jovem ego Optimum Maximum.* Signatius Valerius proœmio; *si prisci Oratores, a Jove Opt. Max. orsi sunt.* Defensores quoque jurarunt Civitatis, se sacrosanctis Orthodoxæ religionis imbutos mysteriis l. XVI. C. *de Episcop. Audient.* quod in Advocatis Leo & Anthemius Impp. in l. *Nemo*. C. *de postuland.* requirunt. Declamatores addo qui a Jurejurando auspicabantur ex Seneca *suas.* VII. De Gorgonio: *nam cum cœpisset Scholasticorum frequentissimo jam more a Jurejurando, & dixisset multa.* Et ante de Surdino ingenioso adolescente: *solebat dulces sententias dicere, frequentius tamen prædulces & infractas. In hac suasoria cum Jusjurandum bellis sensibus complexus esset adjecit, &c.* Quando id cœperit desieritve non legi. Sane in *Declamationibus* utriusque Quintiliani & Calpurnii Flacci nihil tale. Postremo Chartularii judices, emplastra contractuum, Tabelliones etiam in hac Scena. Erat horum certum corpus in *Novell.* Leonis, περὶ πολυτικῶν σωματείων διατάξεων: quibus præses Primicerius, qui de sententia Collegii Tabellionum creabat probatæ fidei homines, loquendi, scribendi peritos & juris.

---

## CAP. X.

*Juratum in fœderibus, dextra juncta; ea fidei sedes.*

CAPUT hoc fœderibus inscribitur, in quibus solenne Jusjurandum jure gentium, ut illa: unde mos etiam hodie; at mihi Veterum proponere cura est. Qui feriundo fœderi præerat, *pater patratus* dicebatur. Hic Jurejurando fœderis pacta firmabat in Plutarchi *Problem.* & Livio lib. I. insigni hoc nomine, quia Romanis summa fœderum religio, ex quo summa adhiberi solennitas sueta ex Floro lib. II. Hinc Livii I. *Audi Jupiter, audite fines, audiat fas &c.* Et alibi: *Audi Jupiter & tu Juno, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres omnes, vosque inferni audite, &c. Ego testor.* Virgilius Homerum imitatus *Iliad.* γ. in fœdere faciundo, certam formulam non expressit. Tamen prope verba & mentem Livii hæc ejus sunt *Æneid.* XII. ubi Æneas præjurat Latino:

*Esto nunc sol testis & hæc mihi terra precanti,*
*Quam propter tantos potui perferre labores:*
*Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno,*
*Jam melior, jam diva precor: tuque inclyte Mavors,*
*Cuncta tuo qui bella pater sub numine torques:*
*Fontesque fluviosque voco, quæque ætheris alti*
*Relligio &c.*
*—— paribus se legibus ambæ*
*Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.*

Et mox Latinus Æneæ:

*Sic prior Æneas, sequitur sic deinde Latinus,*
*Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram.*
*Hæc eadem Aenea terram, mare, sidera juro,*
*Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,*
*Vimque Deum infernam, & duri sacraria Ditis:*
*Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit.*

Sed & Accesimarchus adolescens apud Plautum in *Cistel.* jurat Deos superos, inferos, medioxumos. Hi sunt qui Græcis Dii οὐράνιοι, χθόνιοι, & ὑποχθόνιοι, vocantur. Et Æschylus ὅρκων θεοὺς: Philostratus ὕδωρ Διὸς ὅρκον. Unde proprie hoc Jusjurandum: fœderis ὅρκιον Homero *Iliad.* β'. & γ'. Thucydid. lib. VI. & Luciano. Lysias in fœderibus Jusjurandum vocat σεμνὸν ϗ μέγαν ὅρκον, quo respexit Isocrates *in Archid.* ἐμμένετε ταῖς συνθήκαις ϗ ὅρκοις οὓς ἐποιήσασθε πρὸς τοὺς προγόνους: *conservate fœdera & juramenta quibus vos majoribus obstrinxistis.* Ejus tanta fuit habita ratio etiam a barbaris, ut Cambysem Ichthyophagas ad Phœnices misisse, rogatum, ut sibi adversus Carthaginenses opem ferrent, narret Herodotus lib. III. (ita vero est per numeros citandus is auctor, ex omnibus manuariis Codicibus & nupero pereleganti, beneficio eruditissimi & humanissimi P. Thomæ I. C. viso) negavisseque Phœnices, ὁρκίοισί τε γὰρ μεγάλοισι ἐνδεδέσθαι: *esse se magno illius jurejurando devinctos*, fœdus intelligens. Porro & ritus mittendi ultro ab antiquis est. Exemplum in Thucydide est, lib. IV. in fœdere sæculari inter Athenienses, Mantineos, & Eleenses. In Appian. *Punicis; Pace composita*, ait, *inter Romanos & Carthaginenses legati in urbem navigarunt, ut eam Jurejurando firmarent apud Consules: Romani etiam legati profecti Carthaginem, ut sacramentum a Magistratibus Carthaginensium acciperent.* Idem post repetitum ab A. Gellio cap. V. lib. VI. Apertius tamen in Xenophonte lib. V. Ἑλληνικῶν de pace ab Artaxerxe cum Atheniensibus, Lacedæmoniis, aliis proposita, neque ob Jusjurandum non præstitum non secuta: ὁπότεροι ταύτην τὴν εἰρήνην μὴ δέχονται τούτοις ἐγὼ πολεμήσω μετὰ τῶν ταῦτα βουλομένων, ϗ πεζῇ ϗ κατὰ θάλατταν, ϗ ναυσὶ ϗ χρήμασιν. Ἀκούοντες οὖν ταῦτα οἱ ἀπὸ τῆς πόλεως πρέσβεις, ἀπήγγελον ἐπὶ τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πόλεις. ϗ οἱ μὲν ἄλλοι πάντες ὤμνυσαν ἐμπεδώσειν ταῦτα. οἱ δὲ Θηβαῖοι ἠξίουν ὑπὲρ πάντων Βοιωτῶν ὀμνύναι. ὁ δὲ Ἀγησίλαος οὐκ ἔφη δέξεσθαι τοὺς ὅρκους, ἐὰν μὴ ὀμνύωσιν, ὥσπερ τὰ βασιλέως γράμματα ἔλεγεν. *Quicumque pacis conditiones has non susceperint, his ego cum iis qui eadem quæ ego sentiunt, terra marique, navibus ac pecuniis, cunctis denique viribus bellum inferam. Hæc quum civitatum audissent legati, domum renunciant, & reliqui omnes pacem Jurejurando firmarunt, exceptis Thebanis, qui omnium Thebanorum vice jurare voluerunt: quod Jusjurandum Agesilaus haud suscipiendum esse asseruit, nisi, ut id regiæ litteræ juberent, præstaretur.* Ad cujus extremam partem facit Livius lib. XXI ubi de jure fœderum pop. Ro. cum Carthaginiensibus; *cum in Lutatii fœdere diserte additum esset, ita id ratum fore, si populus censuisset.* Simile quid in eodem lib. IX. ubi Coss. cum Pontio de fœdere agitantes, *negarunt injussu populi fœdus fieri posse.* Cæterum germana fœderis cum Jurejurando formula in lib. I. est ab V. C. ubi fœdus icitur inter Romanos & Albanos, nec ullius vetustior fœderis memoria est. *Fetialis regem Tullum ita rogavit: jubesne me Rex cum patrepatrato populi Albani fœdus ferire? jubente rege, sagmina*, inquit, *te rex posco: rex ait; Puram tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea regem ita rogavit: Rex facisne me tu regium nuncium populi Romani Quiritum? Vasa comitesque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romanique Quiritium fiat. Fetialis erat M. Valerius; is patrempatratum Sp. Fusium fecit: verbena caput capillosque tangens (paterpatratus ad Jusjurandum patrandum; id est, sanciendum fit) fœdus, multisque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis; Audi Jupiter, audi Paterpatrate populi Albani, &c. Populus Romanus prior non deficiet. Si prior deficit publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego porcum hunc hodie feriam. Sua item carmina Albani, suumque Jusjurandum per suum Dictatorem, suosque sacerdotes peregerunt.* Polybius libro III. in fœdere facto Romanos & Carthaginenses inter alterius ritus meminit quem vetustissimum appellat: *In primo*, ait, *fœdere Jusjurandum ita factum accepimus. Primum Carthaginienses Deos patrios juraverant. Deinde Romani per lapidem secundum vetustissimum ritum, Martis, Quirinique numinibus additis Jusjurandum præstiterunt. Ritus vero lapidis fuit hujusmodi: Fetialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes tenuerat, hæc verba dixit: si recte, ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc Jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præstent. Sin aliter aut cogito, cæteris omnibus salvis in propria patria, propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ero peream, ut hic lapis e manibus meis decidet.* Plutarchus quoque in *Numa* & *Camillo* de Fetialium hoc munere: ut & Agellius de Jurejurando per Jovem lapidem, de quo suo loco. Huic adjungo junxisse dexteras, non Romanos duntaxat, sed & externos. in Virgilio reliquiæ plures hujus ritus *Æneid.* I.

*Lætitiaque metuque avidi conjungere dextras.*

Statius quoque *Thebaid.* I.

*Jam pariter coeant amborum* (male *animorum*) *in pignora dextræ.*

Tacitus Ann. II. *juravere amici dextram contingentes.* Et quod propius fœdera spectat Aristophanis Scholiast. III. *Nebul.* ait: ἔθος δ' ἐπὶ πίστει, ϗ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις, Xenophon ἔτι ϗ Τραχινίης, οἷς τοὺς ὅρκους ϗ τὰς δεξιὰς ἔδωκα. Etsi Comici hoc ut plurimum efferant, *dare in manu.* (manu prehendi, alius ritus est) Sophocles *Electra* οὐκ οὐδ' ὅπου μ' ἔδωκας εἰς χεῖρας ποτέ, Barbaris dixi hunc morum non insolentem extitisse, Persis maxime. Erat iis sanctissimum fidei pignus, dextra data apud Diodor. Sicul. l. XVI. ἡ πίστις αὕτη βεβαιοτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις, ait. Narrans deinde Sidoniorum rebellionem adversus Artaxerxem rem explicatius aperit: Μέντωρ, inquit, ὃς, &c. *Mentor qui Sidone opibus pollebat & autoritate, audito ingentem numerum Persarum adventare, judicans Phœnices ei minime pares esse, saluti suæ privatim consulere deliberavit. Itaque ex suis familiaribus fidum maxime Thessaliona, clam Sidoniis omnibus misit ad Artaxerxem, Sidona ei prodere recipiens simulque ad bellum Ægyptium cum eo proficisci: in quo utpote locorum & eruptionum, quas Nilus faceret, cognitionem exactam habens, adjumentum magnum adferre posset, Thessalionem omnia ea narrantem Rex audiens, mirifice est gavisus, commissæque defectionis gratiam Mentori se facere respondit. Cæterum si quæ offerebat fecisset, magnis muneribus abs se donatum eum iri pollicitus est. Adhæc cum Thessalio sibi a Mentore, ut ejus dexteram fidei causa reciperet, injunctum dixisset; Rex veluti fides dicto suo non haberetur commotus, Thessalionem, ut capite plecteretur, jussit. Cum ita ad pœnam is duceretur, Regique dixisset, facies quidem quod tibi libuerit: sed Mentor, cui illa omnia peragere in promptu est, quod fidem dare detrectaveris, nihil prorsus promissorum efficiet. Admonitionem eam Rex secum volvens resipuit, apparitoribusque revocatis, dimisso Thessalioni dexteram dedit, quæ res apud Persas pro firmissima fide habetur.* Idem scribit & de iisdem Gemistus Plethon lib. II. *rerum Græcanicarum*: Μέντορα δὲ διὰ τὸ δεξιὰν δοῦναι περιεποίησε. Μεγίστη γὰρ αὕτη παρὰ Πέρσαις πίστις. Aemilius Probus, sive quisquis ille est, in Datame de Mithridate: *Namque pollicitus est Regi se eum interfecturum, si ei Rex promitteret, ut quodcumque vellet, liceret impune facere fidemque de ea re, more Persarum, dextra dedisset: hanc ut accepit, simulat se suscepisse cum Rege inimicitias.* Non omisit hunc ritum Plutarchus in *Alexandro*, ubi narrat Darium, data Policrati manu, novissimis his vocibus decessisse: Ἀλέξανδρος

ἀποδώσει σοι τὴν χάριν, Ἀλεξάνδρῳ δὲ οἱ θεοὶ τῆς εἰς μητέρα, καὶ γυναῖκα, καὶ παῖδας τοὺς ἐμοὺς, ἐπιεικίας ὧ ταύτην δίδωμι τὴν δεξιὰν διὰ σοῦ. Nec Xenophon. III. παιδ. Κυρ. Alloquitur Gobriam Cyrus; ἐγὼ, ait, ἀληθευόμενος δίδωμί τέ σοι τὴν ἐμὴν καὶ λαμβάνω τὴν σὴν δεξιάν. Idem in libro qui de laudibus Agesilai: Κότυς δὲ ὁ τῶν, &c. Josephus de Parthis hunc morem refert cap. XII. lib. XVIII. *Antiq. Judaic.* ὁ δ' Ἀρτάβανος τούς τε πατρώους θεοὺς ἐπόμνυτο, μηδὲν κακὸν δράσειν αὐτούς· καὶ τὴν δεξίαν ἐδίδου· ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνη βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιῶν ὑπ' αὐτοῦ δόσεως γενομένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδιάσοιεν, εἰ τοίας δὲ ἀσφαλείας δόσις γένοιτο παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικήσειν καθεστηκότων. Dio Chrysost. περὶ ἀπιστίας: Τισσαφέρνης δὲ οὐκ ὤμοσε μὲν τοῖς περὶ Κλέαρχον, τί δὲ βασιλεὺς, οὐχὶ καὶ τοὺς βασιλείους θεοὺς καὶ τὴν δεξιὰν ἀπέστειλε; Atque hæc Curtio lucem adferre poterunt, ubi de fide Alexandri, credo lib. VI. & VIII. de eodem: *Lætus*, ait, *simplicitate barbari, Rex dexteram, fidei suæ pignus dedit*. Recte hoc extremum, nam dextera fidei sedes ex Plinio, cujus rei causam Varro Callimachum secutus esse ait, quod omnis Veterum auctoritas, dextræ manus virtute constaret; aut quod ex religione denarii numeri, moris fuit veterioris, ut justissimi quique fidei comparandæ gratia dextras jungerent. Imo Scythæ, Armenii, alii privatim publiceque sanciendis amicitiis fœderibusque non dextras tantum implicare soliti, sed pollices mutuo vincire, nodoque perstringere; mox sanguine in artus extremos se effundente, levi ritu cruorem elicere, atque invicem lambere. Denique in dextra honoris laus est ex Eunapio in Ædeseo, & D. Chrysost. in *Epist. ad Hebræos*. aut quia ea manus Imperii signum, cujus & instrumentum est. Unde elegans illud Crinagoræ in Cæsarem epigramma *Anthol.* lib. I. *Non si Oceanus se quantum potest, inflet; non si Germania Rhenum suum epotet, Romæ ullum ab iis periculum esse:*

——— ἄχρι κε μίμνῃ

Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέην.

——— *dextera donec*

*Sufficiat nostro Cæsari ad Imperium.*

Sic apud Senecam in Satyra, manus jubet: & apud Pomponium l. II. §. I. D. *de Orig. jur. Omnia manu a regibus gubernabantur*.

## CAP. XI.

*Jurasse Patronos, libertos, fidejussores, testatores, morientes, prostitutas, testes, hæredes, legatarios, tutores, curatores. In divortio, obstetrices, minores, in nuptiis. Lux e Cicerone Agellio. Suetonius explicatus. Patrem familias in Censu, Litigatores, Salutantes jurasse.*

JURASSE patronos adnotavi, & libertos; illos quidem se patronos esse l. VIII. l. XIV. *de Jure Patron.* aut non esse, indidem. Item adegisse libertum jurare uxorem non ducturum, libertamve ne nuberet; D. l. VIII. & l. VI. ibid. vel liberos tollat. ibidem. Libertos etiam alia jurasse liquet ex l. VII. *de op. lib.* l. XLIV. D. *de liber. caus.* l. XIII. *de Accept.* Jurabant quoque hi se tot operas daturos patrono, quot patronus arbitraretur l. *si libertus* XXX. D. *de op. libert.* quarum operarum præstatio non creditur arbitrio cujuslibet, sed viri boni duntaxat; ideoque non aliter patroni ratum arbitrium haberi debet, quam si ad æquitatis nomen fuerit arbitratus, secundum mentem Celsi l. XXX. Fidejussores jurasse patet ex l. I. §. III. D. *Quar. rer. act.* l. XXVIII. §. II D. *de Jurejur.* Jurabat quoque moriens quantum haberet in bonis ex *Novell.* XLVIII. quam descriptionem sive testamento, sive alia scriptura fecerit, omnino hæredes ejus sequi debent, sive sui sint, sive extranei, nisi malint hæreditate multari, secundum *Novell.* I Contenti igitur, ait V. C. Cujacius, eis bonis esse debent, nec alia requirere quasi hæreditaria per tormenta servorum hæreditariorum, vel alio modo. Jusjurandum exigimus, alioquin nihil veritati officit, quod defunctus modum patrimonii sui moriens declaravit l. I. C. *Arb. tut.* l. *scriptura* C. *Comm. utriusq. jud.* l. *si fundum* XXCI. §. *si libertas*. D de leg. I. l. *quum pater* §. *pater qui filio*. D. de leg. I. l. XV. §. ult. D. ad l. falcid. Ratio autem cur bonorum descriptio Jurejurando firmata plus obliget, quam ea quæ largiter facta est, quia moriens quum Jusjurandum adjicit enixius hoc velle videtur, ut bonorum descriptioni stetur, & ita in specie l. *quum pater.* §. *filius*. D. de leg. II. Jusjurandum enixæ voluntatis argumentum est. Prostitutæ adhæc jurabant, numquam se ab impio illo & turpi ministerio destituras (de professione apud Æediles, & pœnitudine prætereo) quod abrogatur *Novell.* LI. ut nec Jurejurando obstringantur quo minus possint ad bonam frugem redire, quia Jusjurandum contra bonos mores, nullius est momenti, l. *Jurisgentium*. §. *& generaliter* D. *de pact.* l. *si quis inquilinos* §. ult. D. de leg. I. l. *non dubium*. C. *de legib. & Senat.* Jurabant & testes, non expresse, etsi compertum iis esset de quo interrogabantur, sed supense arbitrari se dicebant. Cicero *pro Fontejo*; & plura huc *in Academ.* & *pro Balbo*. Isidorus cap. XXIV. lib. V. conditiones, testium sunt proprie: & dictæ *conditiones* a *condicendo*, quasi *condictiones*, quia non ibi testis unus jurat, sed vel duo vel plures. Hæredes quoque ex l. VIII. §. *quoties*. D. *de Condit.* Instit. *l. quæstionem C. de fideicom.* l. II. C. *Quando & quibus q. p.* l. XXIX. D. *de testam. milit.* §. ult. Instit. *de fideic. hæreditat.* & ex *Constitut. Friderici Imp. de Tregua & pace*: quo loco ejus qui hominem occiderit bona mobilia populo a Judice diripienda dari statuit Princeps, non fisco; immobilia hæredibus ejus relinqui, *si modo juraverint se nihil ex eis pro scripto suppeditaturos, si Jurijurando non paruerint, jam non amplius ea ex proprio, sed feudi jure tantum ab Imperatore tenere posse*. Jurabant legatarii ex d. l. XXIX. & l. CXII. §. I. D. *de legat.* I. l. *non dubitamus* XX. D. *de condition. & demonstrat.* l. LXII. D. *de acq. vel omitt. hæred.* Nec non tutores & curatores l. II. C. *de jur. propt. calum.* jurabantque, *de utilibus faciendis & prætermittendis inutilibus*, ut ait glossa in verbo XII. Tab. Instit. *de legit. agnat. tut.* quod firmatur l. III. & final. D. *de administ. tut.* & l. *cum etiam* C. *si certum petatur de Jurej.* estque singulare in. l. ult. C. *de fideicom.* l. XIX. C. *de Episcopali Audient.* Juratum quoque in divortiis, *rem se non amovisse*, ait Ulpian. in l. *in duobus* §. VII. *de jurej.* Et ab obstetricibus, ut relationem faciant cum juramento, cujus usus in Titulo *de inspiciendo ventre*. Quin & jurasse minores l. I. C. *si advers. vendit. docet, cum Authent. sacramenta puberum*, ibid. quam Authenticam si quis Jurisconsultorum intellexit, aut explicuit, unus est non Romani Senatus, sed universorum sententia atque decreto VIR OPTIMUS, eruditiorum omnium TER MAXIMUS D. GUILIELMUS DUVARIUS NARBONENSIS PRIMÆ PRÆSES INTEGERRIMUS, in Senatusconsulto suo quo quærit, an donatio a minore facta favore & intuitu matrimonii alteri minori, restitutionis beneficio convelli atque rescindi possit. In nuptiis adhibitum Jusjurandum

hæc Agellii lib. IV. docebunt. *Quingentis amplius annis a V. C. nullæ uxoriæ rei actiones cautioneſque in urbe: primus qui has neceſſarias fecit, Sp. Carbilius fuit, auctor Sulpitius de Dotibus. Vir ille nobilis divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea, corporis vitio, non gignerentur. Atque is Carbilius traditur uxorem, quam dimiſit, egregie dilexiſſe, cariſſimamque morum ejus gratia habuiſſe, ſed Jurisjurandi religionem, animo atque amori prævertiſſe, quod jurare a Cenſoribus coactus erat, uxorem ſe liberorum quærendorum gratia habiturum.* Eum tamen reprehendit Val. Max. lib. II. *qui quamquam*, inquit, *tolerabili ratione motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum, conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrabantur*. Simile quid in Dionyſ. Halicarn. lib. II. Atque hoc Jusjurandum Cenſores exegiſſe Gellius narrat. Cenſor agebat de uxoribus ſolenne Jusjurandum: verba ita erant concepta; *& tu ex animi tui ſententia uxorem habes?* qui jurabat, cavillator quidem & canicula, & nimis ridicularius fuit. *Is locum eſſe ſibi joci dicendi ratus, cum ita, ut mos erat, Cenſor dixiſſet, & tu ex animi tui ſententia uxorem habes? habeo equidem inquit uxorem, ſed non hercle ex animi tui ſententia.* Cenſoris nomen non exprimit nec cavillatoris, ego eos profiteor ex Cicerone II. *de Orat. Ridicule etiam illud*, ait, *L. Portius Naſica Cenſori Catoni, cum ille ex animi tui ſententia tu uxorem habes? non hercle ex animi tui ſententia*. Agnovit & hunc morem Quintil. ſive Florus ſive Poſthumius, quiſquis ille ſit *Declam.* CCCLXXVI. *Et quales futuræ nuptiæ quæ perjurio junguntur*. Suet. *in Tib.* cap. XXXV. *Equiti Romano Jurisjurandi veniam fecit, ut uxorem in ſtupro generi deprehenſam dimitteret, quam ſe numquam repudiaturum ante juraverat*. Quid hoc, *fecit Jurisjur.?* ne perfidiæ actione teneretur aut perjurii, quam gratiam Principes olim faciebant l. *Imperatores in princ.* D. *ad Municip.* Controverſiæ X. lib. II. apud Senecam Inſcriptionem habet quæ huc facit, *Jusjurandum mariti & uxoris*, ubi & formula concipitur, *Ita patri placeam*; ut *Controv.* XXVII. *Ita mihi ſuperſtite filio mori liceat*, Et in *ἀποκολοκυντώσει*: *ab hoc ego quæcumque audivi, certa claraque adfero, Ita illam almam & felicem habeam*. Petronius, *Junonem meam iratam habeam*. Videſis Caſſiodor. lib. IV. epiſt. XII. Nec id Romanis tantum notum, ſed & Ægyptiis: auctor Breviarii Trogi Pompeii lib. XXIV. de Ptolomæo; *inauditis ultimiſque execrationibus adjuraſſe ſe ſincera fide matrimonium petere*. Apud Demoſth. quoque aliquid tale de Neæra & Stephano, quem Theomneſtus accuſat. Pater etiam familias jurabat hoc ritu: Romæ olim moris fuit, unuſquiſque pater ut familiæ tabulas haberet domi, quibus quicquid in dies expenderet acciperetque perſcribebat. Ex harum tabularum fide, quinto quovis anno ad Jusjurandum adigere Cenſores populum Romanum. Hæc in Tulii *Cluentiana*, & Halicarnaſſæi Hiſtoria lego. Litigantes juraſſe ex Roſcii Ciceronis Oration. colligo, & hanc juramenti utrinque præſtationem, Heſychius *ἀμφωμοσίαν* vocat. Poſtremo ſalutantes juraſſe comperio in Terent. *Hecyra* Act. I. ſc. II. Ibi Philotim, quam Parmeno ſalutaverat, ille reſalutat; at Syra addit; *ſalve mecaſtor Parmeno*: quo loco Donatus: *olim*, ait, *ſalutantes addebant jusjurandum, ut hoc ſedule facere viderentur*.

## CAP. XII.

*De vetere ſacramento contendendi ratione quædam non vulgaria.*

TOTUM hoc caput translatitium eſt e puriſſimo libello de Protribunalibus, de quibus Ulpianum X. libros ſcripſiſſe Index auctorum, Pandectarum Florentinorum membranis appoſitus, ſignat. Erat autem univerſa hæc ratio, hic modus. Cum in jus ventum eſſet cognitionum die, actiones quæ poſtulationum actis continebantur, eo quo editæ erant ordine recitabantur. Et tunc quidem reus, qui die poſtulationum aut intentionis contradixerat, aut diem ad ſui defenſionem poſtulaverat audiebatur, ejuſque audita defenſione, moris erat, ut ſe invicem ſacramento interdum quadracenario, interdum quingentenario litigatores provocarent: eratque ſacramentum certus aſſium numerus, qui apud Pontificem, hoc eſt, in æde ſacra hac intentione deponebatur, ut is qui judicio vicerat, ſuum ſacramentum ex loco ſacro auferret, victi ad ærarium rediret, quemadmodum ex Feſto & Varrone lib. IV. de L. L. docemur. Hæc provocatio fieri ſponſione ſolet: eaque ſponſio, ſi negaret omnino intentionem actoris reus, ab actore concipiebatur hoc modo; *Ni mea hæreditas ſit, ni fundus Tuſculanus meus ſit, ni res, quam detines, mea ſit*. Si vero intentionem actoris non negaret omnino reus, ſed eam excluderet quadam exceptione, tunc non actor, ſed reus concipere ſponſionem ſolet. Veluti ſi centum peteret ex ſtipulatu actor, & reus dolo malo actorem ſtipulatum, aut ſe minorem eſſe annis vigintiquinque contenderet, ſic a reo concipiebatur ſponſio. *Ni dolo malo inſtipulatus ſis, Ni vigintiquinque annis minor ſim*. Eoque arbitror Plautum reſpexiſſe, quum ſic in *Rudente* ſcriberet, Act. V. ſcen. III.

——— GR. *Si vidulum*
*Iſtum redegiſſem in poteſtatem ejus, juratus dare*
*Mihi talentum magnum argenti.* LA. *cedo qui cum habeam judicem,*
*Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nive etiam dum ſiem*
*Quinque & viginti natus annos?*

Explicatio Lambini flocci eſt ad hunc locum, imo pene diſſimulat: ſenſus eſt; quis id quod juratus ſum dare, auferet a me judicio, ſi probaverim te ſtipulatum eſſe dolo malo, & per hoc ſtipulationem non valere, meque vigintiquinque annis minorem eſſe, & ob id Lætoriæ legis beneficio uti poſſe? Quod de l. Lætoria dictum, ita eſt, nam antea lege ea non dabantur curatores minoribus, niſi cauſa cognita malis moribus fuiſſent deprehenſi. Porro omne ſacramentum ſponſionem requirebat; ſed non contra, omnem ſponſionem ſacramentum. Sic enim ſcribit Iſidorus *Orig.* lib. V. *Sacramentum eſt pignus ſponſionis; vocatum autem ſacramentum, quia violare quod quiſque promittit perfidiæ eſt*. Sponſioni autem ſine Sacramento locus eſt in lite vindiciarum. Et per ſponſionem ſacramentum nonnumquam intelligi, ex Cicerone probatur, qui *Verrina* III, ſcribit: *aut pro præ litis vindiciarum cum ſatis accepiſſet, ſponſionem faceret, & ita de hæreditate certaret*.

## CAP. XIII.

*Ritus & formulæ Jurisjurandi. Manum levasse. Ex animi tui sententia. Si fallo. Ita me Dii ament. Malum hoc mihi eveniat. Ita Deos mihi velim propitios. Ita sim felix. Ita vivam. Jurare nolle esse factum. Plauto & Terentio lux data.*

QUOD Plinius ingenui esse viri dicebat, profiteri Auctores per quos didiceris, id a me observari hoc capite is animadvertet, qui Musas colit elegantiores. Fateor compendio fuisse in hoc Formularum breviculo, aut periculo non pœnitendas selectorum hominum curas. Et qui posset homo non incuriosus, negotii amans non otiosi, propriore versura quin proficeret. Neque tamen ideo minus auctores ipsi consulendi, tardo progressu, ut fit in tam numerosa scriptorum classe. Scholicos & proletarios non sum moratus. Et tamen hac anxia cura non sum assequutus quod volui. Nam Forenses formulas diu & non supine, non perfusorie, ut Scævola IC. loquitur, investigavi, nedum inveni, utinam reperiam. Crediderim mutatas fuisse a temporibus moribusque. Ideo alias promam, ut hanc *Manum levasse* in Jurejurando, ritu hujus ævi. Rem ego veterem non esse existimaveram; neque adhuc aliter sentio: pene tamen suasisset Vir doctus in observationibus suis, ubi Aristotelem IV. *Politic.* hujus meminisse dicit. Sed μνημονικὸν σφάλμα est, nec in toto Polit. opere quicquam istiusmodi. Non me latebat, ritum levandi manus aut tollendi supplicibus fuisse usitatum in Homeri Ιλιαδ. Ω. Priamus Hectoris redempturus ab Achille corpus, inque Græciam eam ob rem profecturus, uxori abiens inquit,

Εσθλὸν γὰρ Διὶ χεῖρας ἀνασχέμεν αἴκ᾽ ἐλεήσῃ
*Bonum enim Jovi manus elevare, si forte misereatur.*

olim devoto capiti quod tangebant manum imposuisse l. IV. D. *de Jurejur.* docet, de quo latius alibi. In Eurip. *Iphig.* adorantes manum tollunt, θεοσεβὴς δ᾽ ἡμῶν τις ὢν ἀνέσχε χεῖρα, καὶ προσεύξατο εἰσειδών: *quidam vero de nobis religiosior sustulit Manus, & adoravit intuens.* Festus in verbo *Manceps* alio vidit, *Manceps dicitur, qui quid a populo emit conducitve, quia manu sublata significat auctorem se emptionis esse*, an ut hoc signo, velut tacito Jurejurando firmet quod agit? In tabella marmorea Romæ, quæ olim in Æsculapii fuit, moris hujus fit mentio:

ΑΥΤΑΙΣ ΤΑΙΣ ΗΜΕΡΑΙΣ ΓΑΙΩ ΤΙΝΙ ΤΥΦΛΩ ΕΧΡΗΜΑΤΙΣΕΝ ΣΕΛΘΕΙΝ —— ΕΠΙ ΙΕ
ΡΟΝ ΒΗΜΑ ΚΑΙ ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΑΙ ΕΙΣ ΑΠΟ ΤΟΥ ΔΕΞΙΟΥ ΕΠΙ ΤΟ ΑΡΙΣΤΕΡΟΝ
ΚΑΙ ΘΕΙΝΑΙ ΤΟΥΣ ΠΕΝΤΕ ΔΑΚΤΥΛΟΥΣ ΕΝΑΝΩ ΤΟΥ ΒΗΝΑΤΟΣ ΚΑΙ ΑΡΑΙ ΤΗΝ ΧΕΙ
ΡΑ ΚΑΙ ΕΠΙΘΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΙΔΙΟΥΣ ΟΦΘΑΛΜΟΥΣ.

*Hisce diebus, Cajo cuidam cæco, oraculum veniret ad sacrum altare, & genua flecteret, a parte dextra veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare & elevaret manum, & poneret super proprios oculos, &c.*

Elevaret manum, ut Jusjurandum Aræ tactu sacraret, majorque inde ad oculos iret sanctimonia. Huc spectare potest illud Tzetzis hist. CCXXXI. Chiliad. VIII. ubi de creatione Magistratuum, & qui mos fuerit antiquæ creationis:

Τὸ παλαιὸν ἢ στρατηγὸν, ἢ ἄλλον τῶν ἀρχόντων,
Ον ἔμελον ποιήσασθαι, τὸ ὄνομα ἐκάλουν.



A Αν, ὧν τῷ δήμῳ ἀρεστὸς ἦν ὁ προβεβλημένος,
Ηρων οἱ πάντες δεξιὰς τὰς ἑαυτῶν εἰς ὕψος,
Εὐθύς τε προεβάλλετο εἰς τὴν ἀρχὴν ἐκεῖνος.
Τοῦτο τὸ ἔθος γίνωσκε τῆς πρὶν χειροτονίας.
Αν δ᾽ οὐκ ἦν τῷ ἀρεστῶν ὁ τὴν ἀρχὴν λαμβάνων,
Η οὐδαμῶς, ἢ καὶ βραχεῖς ἀνέτεινον τὰς χεῖρας,
Καὶ τῶν τὰς χεῖρας τὰς αὐτῶν συνόλως μὴ τεινάντων,
Σκέψις πάλιν ἐγένετο πολλάκις περὶ τούτου.
*Antiquitus Imperatorem, vel alium ex Principibus*
*Cum vellent creare, nomen proclamabant.*
*Cum igitur plebi placeret, qui propositus erat,*
*Tollebant omnes dextras suas in altum,*
*Statimque eligebatur in Magistratum ille.*
*Hunc morem scito veteris designationis.*
B *Cum autem non placeret is qui Magistratum inibat,*
*Vel nequaquam, vel breves extendebant manus.*
*Atque magistratu indignus visus, a sorte labebatur.*
*Si autem erat æqualitas numeri extendentium manus,*
*Et eorum qui manus suas omnino non extenderant,*
*Deliberatio rursus fiebat sæpius de hoc.*

Popularis autem erat & vulgaris hæc Jurisjurandi formula *ex animi tui sententia*, de qua cap. x. verbo. Ciceroni in stylo est non rarenter, in *Acad. Quæst. Quam rationem etiam majorum comprobat diligentia, qui primum jurare ex sui animi sententia quemquam* C *voluerunt*. Et. III. *de Offic. Quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro*. Ac *de Orat.* ubi pro *animi tui*, legerem, *animi sui*, ut & in l. *cum & Judices* II. §. *quod observari*. C. *de Jurej.* prop. cal. d. Apud Livium lib. XXII. eadem locutio: *Ex animi mei sententia juro, ut ego non deseram, neque alium civem deserere patiar*. Iterum lib. XLIII. *Cujus nondum justa missio visa esset, ita Jusjurandum adigebant, ex animi tui sententia, tu ex edicto D. Claudii, Tiberii, Sempronii, Censorum, in Provinciam redibis*. Neque neglexit Arbiter Petronius: *Initæ pœnitentiæ occasione dux Eumolpus,* D *& castigato ante vehementissime Licha, tabulas fœderis firmat, queis hæc formula erat, ex animi tui sententia, ut tu Tryphœna, neque injuriam tibi factam, &c.* Et mox. *Item Licha ex tui animi sententia, ut tu Eucolpion nec verbo contumelioso insequaris nec vultu* Quid autem hoc sibi verbi sit, quis sensus, Quintilian. aperit cap. v. lib. VIII. initio. *Sententiam Veteres, quod animo sensissent, vocaverunt. Id cum est apud Oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet: nam & juraturi ex animi nostri sententia, & gratulantes ex sententia, dicimus*. Nostro verbo, *ex conscientia*, sincera fide, ut in l. III. §. *ejusdem* D. *de testib.* at non ita in l. *hac consultissima* VIII. C. E *Qui testam. fac. poss.* Alia formula est, *si fallo*, de qua Tull. lib. VII. epist. I. *Deliciæ vero tuæ, noster Æsopus* (de hoc Macrob. III. *Saturnal.*) *ejusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret, is jurare cum cœpisset. vox eum defecit in eo loco, si sciens fallo*. Plinius Junior in *Gratiar. Quin etiam sedens præivit Jusjurandum, & ille juravit, expressit, explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset*. In Plauto plura hujus farinæ sunt & Livio lib. II. *Ita me Dii ament*, erat formularum una. quod Græcis est νὴ vel μὰ τοὺς Θεοὺς in Xenoph. Demosth. Plutarcho, Juliani Misopog. μὰ Δία καὶ μούσας, Comicis nostrisque passim obvium. Simile quid observavi in *Genesi* cap. F XXXI. de Laban & Jacob. Porro illa in Juliano Antecessore *si Deus*, & alia in Gregorio Turonensi, *si valeas*, Jus spectant. Apud Demosthenem, *Malum hoc mihi eveniat*, pro Jurejurando accipi, aut, quod placeret magis, pro imprecatione, lego εἰ μὲν, ait, εὐορκῶ, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο: εἰ ἐπιορκῶ, ἐξώλης ἀπολοίμην: *Si hanc te juro, multa mihi bona eveniant, si pejero, funditus peream.*

A Pari vero sensu & usu, *Ita mihi Deos velim propitios* ex Cic. *Divinat.* ad quæ verba Asc. Pedian. *Genus*, inquit, *Jurisjurandi id est, quod dicimus; tantum mihi divinitus faveat, quantum verum est illud, quod dico tibi*, De ea, *ita sim felix*, loquitur Tranquillus in *Tib.* de patre cap. XXI. *Vale jucundissime Tiberi, & rem gere feliciter* ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις ϛρατηγῶν. *Jucundissime, & ita sim felix, vir fortissime & dux νομιμώτατε. Ita vivam* Valer. Max. usurpat cap. XIII. lib. IX. de Bruto. *A Furio quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio substraxit, sed constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis juravit, ita* B *vivam, dabo*. Idem Seneca epist. de eodem; *hic est enim Brutus, qui cum periturus, mortis moras peteret, ad exonerandum ventrem secessit, & evocatus ad mortem, jussusque præbere cervicem, præbebo, inquit, ita vivam*. Afer Comicus in *Adelph.* Act. II. sc. I. æquitatis plenum Jusjurandum, *Nolle esse factum*, indicat. Sannio loquitur:

*Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle*
*Factam esse, hujus non faciam: crede hoc; ego meum jus persequar.*
*Neque tu verbis solves umquam, quod mihi re malefeceris.*
C *Novi ego vestra hæc, Nollem factum: jusjurandum dabitur, te esse*
*Indignum injuria hac, indignis cum egomet sim acceptus modis.*

Ubi Donatus, *jurabimus*, inquit, *te esse indignum cui injuria fiat hujusmodi*. Dixerat id ante eum Plautus *Amphit.* Scena. *Durare nequeo*: Alcmena intolerans probri, quo trinoctius ille Jupiter eam affecerat, non alias in gratiam redituram ait nisi *satisfaciat mihi atque adjuret insuper nolle esse dicta, quæ in me insontem protulit*: quod mox præstat miser: *Mane*, ait, *arbitratu tuo Jusjurandum dabo*, D *Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier, Id ego si fallo, tum me summe Jupiter Quæso Amphitruoni, ut semper iratus sies*. Atque hic expressus solennisque satisfactionis mos erat: nam qui offensi sine ea satisfactione condonabant, ignavi habebantur, vel indigni qui legibus spem vindictæ haberent.

---

## CAP. XIV.

*Jurasse per Deum Deosve. Miscellanea de Fide Attica, Græca, Thessala, Spartana, Punica.* E Bona fide *apud Jurisconsultos quid?* Græcula cautio. Disperii. *Præsides Jurisjurandi Deos. Per capillos Dei juratum, & per fidem*, herilis fides *quid in Plauto? ea furciferis non habita.*

PICTORUM est tabulis suis ornatus quædam addere gratia, non sine lepore aut Venere: Græci ea πάρεργα vocant. Imitetur hic libellus tabellas, & inter ἔργα, πάρεργα hoc loco, sed illis adfinia legantur. Dixi juratum per Deum Deosve; ita est, & passim Plautus hoc Jusjurandum evomit. Vegetius cap. V. l. II. id a Militibus præstitum dicit: & ab iis qui se purgare nitebantur, jurantes de F conscientia, can. *si peccatum* XXII. q. I. Harmenopulus huc facit lib. I. tit. VII. περὶ ἀνήβων; οὐδεὶς κατὰ τοῦ Θεοῦ ὀμόσας κινδυνεύει. ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχειν τιμωρὸν τὸ Θεῖον, εἰ κατὰ τοῦ Θεοῦ γέγονεν: *nemo qui per Deum pejeravit periclitatur: satis enim Deum ultorem habet Jurisjurandi per Deum præstiti contempta religio*. Sed & Jurisconsultus in l. *ait Prætor* §. ult. D. *de Jurejur.* meminit. Nec tamen hoc perpetuum est Jusjurandum; nam in l. *cum pater* D. *de leg.* I. l. II. C. com. *de leg.* l. III. *de jur. fisc.* §. I. Instit. *de fidei hæred.* obtestantis vox est testatoris hæredem ut det vel faciat. Simili pene modo Cassiod. lib. *de divinis lectionibus* cap. XV. *Jurare Deum pro confirmare dicitur*. Mysticum illud *Genesis* est cap. XXII. *Per memet ipsum juravi dicit Dominus*. Apud Sophonium Patriarcham Constantinopolitanum, sive Joannem Moschum, ut vult Photius, quidam *jurare per Deum omnipotentem cœpit*. Et apud Xenophont. lib. V. *Pæd.* per Deos. Longe alia mens Platoni qui XI. *Leg.* ait, πάντως μετὰ δὴ καλὸν ἐπιτήδευμα, &c. *utile quidem & pulchrum institutum, non temere Deorum nominibus uti, ne Deorum majestas violetur*. *Exodi* XX. & *Levit.* XIX. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* *Matt.* V. ne per caput quidem jurare permittit. Suidas in verbo Ναὶ μὰ τὸ, &c. ait Veteres temere per Deum non jurare solitos, verum per id quod primo se offerebat. Ita in Callimacho *in Hecate, per arborem hanc*: & Menander *testem Apollinem hunc & hanc portam voco*. Isocrates apud Stob. ser. XXV. in pecuniæ caussa per nullum Deum jurare debere dicebat ἕνεκα χρημάτων μηδένα Θεὸν ὀμόσῃς. De fide dixi cap. I. dicam & hic confusanee quædam. In Collectaneis Diogeniani Attica fides est incorruptissima: Athenis enim templum erat Fidei Deæ, cujus Plaut. in *Aulul.* meminit. Clare Vellejus lib. I. *Si quis hoc rebellandi tempus quo Athenæ a Sulla captæ sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est: adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper & in omni re, quicquid sincera fide peteretur, id Romani Attica fide fieri prædicarent*. Affine huic Græca fide in Ausonio *ad Paulum*,

*Nobiscum inveniens κατενόπλια, si libet uti*
*Non Pœna sed Græca fide.*

Plautus forte aliter interpretatus videtur; Clareta lena *in Asin.* inquit:

*Diem, aquam, solem, noctem, hæc argento non emo,*
*Cætera quæ volumus uti, Græca mercamur fide.*

Contra Euripides in *Iphig.* Taurica: πιϛὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν Tullius cum Euripide stat *Orat. pro Flacco*, loquens de Græcis: *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit*. Itaque Attica est quam Flaccus IV. *Argon. certam* appellat, & Horat. III. Od. XVI. *Impollutam.* Silius Italicus lib. XII. *Puram.* Ovid I. *Am.* & III. *Integram* Fabius cap. III. lib. V. Nec Ciceronis hæc opinio duntaxat aut de Græcis judicium, sed & Amelii Plotini discipuli. Is Apamensis Philosophus, Porphyrii magister, aut ut de eo Theodoretus, qui Porphyrii scholis præfuit (eum Proclus non rarenter τὸν γενναῖον Ἀμέλιον vocat.) Is inquam argumento huic facit, qua Græcorum levitatem, apud quem hæc sunt in Theologia Phœnicum: φύσει γὰρ Ἕλληνες εἰσὶ νεωτεροποιοὶ καὶ ἥττονες φέρονται πανταχῆ, οὐδὲν ἔχοντες ἕρμα ἐν ἑαυτοῖς, οὐδ' ὅπερ ἂν δέξονται παρά τινων διαφυλάττοντες, ἀλλὰ καὶ τοῦτο ὀξέως ἀφιέντες πάντα κατὰ τὴν ἄστατον εὑρεσιλογίαν μεταπλάττουσι. *Græci natura nova appetunt, levique momento quovis feruntur, nil stabilis in se habentes, acceptaque ab aliis non continentes, sed ipsum id amittentes, cuncta refingunt, instabili verborum copia fluctuantes*. Thessalis quoque ex arbitrio pendebat fides apud Eurip. in Phœn. καί πως νοήσας Ἐτεοκλῆς Θεσσαλῶν εἰσήγαγε τὸ σόφισμ' ὁμιλίᾳ: *Sentiens id Eteocles mox Thessalam adhibuit artem ob gentis commercium*: alibi πολλοὶ παρῆσαν, ἀλλ' ἄπιϛοι Θετταλοί: *multi aderant, sed lubrica fide Thessali*: Idem Spartanorum fidem notat aut perfidiam; Σπάρτης ἔνοικοι δόλια βουλευτήρια: *Spartæ incolæ, dolosa consilia*. Aristophanes quoque Lacones reprehendere solitus, quod iis οὔτε βωμὸς, οὔτε πίϛις, οὔθ' ὅρκος μένει, *nec ara, nec fides, aut ulla durent fœdera*. Id exemplo probari, quod corrupto rege muneribus Aristocrate, bello contra Messenios, læsa fide Jurisjurandi, primi Martiam

virtutem venalem fecerint. Pœni etiam intra hæc vitia in Livio lib. XXXI. *Has tantas virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deorum metus, nullum Jusjurandum, nulla religio.* Idem plane Appian. *in Pœnicis*; P. Cornelium Lentulum de Pœnis querentem inter alia, hæc dixisse scribit: *Non Jusjurandum, non Deos esse credunt*: firmatque, *quod cum Nuceriam, Romanæ ditionis urbem, in deditionem accepissent, ex fœdere, jurasse se permissuros, ut oppidani binis vestibus abirent; Senatum nihilominus in balinea conclusum, æstu suffocasse, populum abeuntem jaculis confixisse*. De iisdem Tertullianus *adversus Marcionem* lib. II.

*Postquam fracta fides refugis spirantibus hostis,*
*Et glomerata dolis emersit pestis operta*
*Sponte sua.*

Pari infamia Parthos Justinus vellicat lib. XLI. *Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit.* Ceterum quod ICti. *bona fide detineri quid* dicunt hunc sensum habet, ut putemus nos ex justo titulo tenere: mala fide contra, quum nullam justam possidendi causam nos habere scimus, l. *qui a quolibet*. D. *de contrah. empt.* De ea Valer. loquens cap. VI. lib. IX. ait: *jam & insidiosum malum perfidia, latebris suis extrahatur, cujus efficacissimæ vires mentiri ac fallere fructus in aliquo admisso scelere consistit, tum certus, cum crudelitatem nefariis vinculis circumdedit: tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quam illa laudis consequitur.* Eruditis hominibus crucem fecit Græcula cautio quid apud Cicer. sibi vellet: equidem propter Græcam fidem dictum puto, de qua in Comico, & Ausonio epist. II. & VIII. *Dispersii* V. G. *per Deos perii* exponunt. Aristænetus vero lib. II. Præsides facit Jurisjurandi, Deos. Per capillos juratum Dei, *Novella* LXXVII. indicat, κατὰ τριχός τε κεφαλῆς. Per Fidem Petronius jurat: an auctor is hujus Jurisjurandi Gallis? *Per fidem, inquam, pater, cujus hæc navis est, aut quos vehat dicere potes?* alibi: *per fidem saltem nobis parce.* Apud Plautum *Herilis fides* quid sit verbo indico; dixerat ibi puer: *scio fidei hercle, herili, ut soleat impudicitia improbari; nec subigi querantur umquam, ut pro ea fide habeant judicem vult*; impudici servi a conservis sæpe insimulantur, qui se student dominis infideliores: hoc *herilem fidem* vocat, puta servum qui sit fidelis hero. Fides non fuit habita furciferis, huic adnectam: qui vero illi sint, Isidor. lib. X. ostendit, id est, servi qui ob scelus aliquod perpetratum furcam collo gestabant. Donatus id asserit, & Glossarium vetus, *furcifer* σαυροκόμιστος, δικρανοφόρος. Alia apud Plautum *Mostell.* Lucilium, Nonium in voce *patibulum*. Hos fidem non habuisse Plutarchus *in Coriolano* aperit, ubi de servis humane a Dominis habitis: ἦν δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτε πλημμελήσαντος, εἰ ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδεσιν ἀράμενος διεξέλθοι παρὰ τοῖς πέλας. τοῦτο γὰρ παθὼν, καὶ ὑπὸ ὀφθεὶς, ἐκέτι αὐτῷ ἐπίστον· ἐκαλεῖτο δὲ φυρκίφερ. *Erat autem magna castigatio servi delinquentis, si lignum currus, quo temonem sustentat, tollens & ferens, exiret circa viciniam: id enim passus, & sic conspectus, non ultra fidem habebat, dicebatur autem furcifer.*

## CAP. XV.

*Per salutem jurasse. Per hastam. Ciceroni ex Eustathio lux nova: eam sceptrum esse: cur Deorum simulacris hastæ additæ? Parentum cineres; caput suum, alterius: cur per caput jurarint? per liberorum capita: liberos caros dictos; quid ejurare liberos, parentes; abjurare senectam?*

TERTULLIANI auspiciis ordiemur hanc farraginem. Is in *Apologetico* cap. XXXI. per salutem juratum ostendit: *sed & juramus sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus Geniis.* Et mox; *ideoque salvum volumus esse quod Deus voluit, & pro magno juramento habemus.* Alibi quoque *ad Scapulam*. Idem Zonaras in principio, & Suetonius pluries. Plinius Nepos lib. X. epist. a Nicensibus rogatus publice per æternitatem & salutem Trajani obsecratur. Luitprandus loquens de προελεύσει, id est, festa processione, de qua Codinus *in Orig.* Balsamon *ad Conc.* & Cedrenus *per salutem meam quæ mihi mea carior extat.* Meminerunt & ICti. non semel. Usitata etiam a Francis juris hæc jurandi formula, sed post legibus Clodovei, Childeberti, Clotarii Regum Franciæ abolita, ex Manusc. Per hastam autem ideo jurasse crediderim, quia olim religiosum erat, hastas pro diis habere. Unde Eustathius *Iliad.* I. Καινέα φασὶν. ἐν ἀγορᾷ μέσῃ πήξας εἰς ὀρθὸν ἀκόντιον, Θεὸν τοῦτο προστέταξεν ἀριθμεῖν: *hastam in medio foro erexit, mandavitque pro Deo ipsam numerare*; id est, colere & venerari: quo modo Tullius capiendus est, I. *de Nat. Deor. Negare Deos non audes: sapienter id quidem, etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos Deos. Novi ego Epicureos omnia sigilla numerantes.* Obscurius hoc quidem, *numerantes sigilla*, pro adorantes & colentes imagunculas, Græco more; illis enim ἀριθμεῖν inter cætera pro adorare & venerari accipitur. Anne ideo antiquos hastas non ut nunc fit jacentes, pendulas, sed intra ligneam columnam reconditas, asservare consuevisse dicemus? apud Homerum *Odyss.* I.

Ἔγχος μὲν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν
Δερυδόκης ἔντοσθεν ἐΰξου, &c.
*Hastam quidem ferens posuit ad columnam longam*
*Intra thecam hastarum.*

Iterum lib. XVII. Ad quam fortasse consuetudinem allusit Virg. *Aeneid.* XII.

*Exin quæ mediis ingenti adnixa columnæ*
*Aedibus astabat, validam vi corporis hastam,*
*Actoris Arunci spolium.*

Quem locum ex superiorum versuum ignoratione expositores non recte excipiunt: neque placet quod Donatus de columnæ adminiculis dicit. Sed hæc non sunt mei aut hujus fori. Itaque solenne Jusjurandum per hastam, id est, sceptrum, quia in sceptro jura dabant, & tum se maxima fide obstrictos arbitrabantur. Homerus huc ducit *Iliad.* I.

——— ὅρκον ὀμοῦμαι
Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον.
*Jure ratum facio jurando, hoc esse futurum*
*Per sceptrum hoc.*

Id sanctissimum Regibus Jusjurandum visum, asserente Plutarcho *in vita Dionys.* Hujus sceptri variæ inde figuræ. Athenæus baculum fuisse existimat, auro eboreque ornatum, Homero adstipulante Odyss. XIII. Verumtamen has hastas, hæc

sceptra, a Regibus pro diademate usurpavit Trogi truncator lib. XLIII. *Per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixere. Nam & ab origine rerum, pro Diis immortalibus Veteres coluere, ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum simulachris hastæ adduntur.* Hinc scribunt Apollonii interpretes ab Cœneo compulsos per hastam jurare, cui, neglecto Deorum cultu, preces fundebant, rem quoque faciebant divinam: de quo Eustathius *ad Iliados* I. Quod de Deorum simulachris dixi, id ex Livio firmari potest, lib. I. secundi belli Punici, & lib. XL. Sextus Pompejus refert, hastam summam imperii & armorum fuisse; unde & captivos sub ea solitos venire, quos Græci δορυαλώτες καὶ δορυλήπτες vocant.. Omitto in sceptri summis expressas aves; in regum aquilam ex Interprete Aristophanis *in Avibus*: εἰώθασιν ἐν τοῖς σκήπτροις ἐπὶ τῦ ἄκρυ ἐκτυπῦν ὄρνιθας, εἰς κόσμον. ἐν δὲ τοῖς τῶν βασιλέων σκήπτροις ἦν αἰτός. Denique apud Æschylum Parthenopæus per hastam jurat, eamque ut Deum colit:

> Ὄμνυσι δ᾽ αἰχμὴν, ἣν ἔχει, μᾶλλον θεῦ
> Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων βοπέρτερον.
> *Expedit matris cineres opertos*
> *Fallere.*

Quo Propertii hoc lib. II. el. XV. referri potest;

> *Ossa tibi juro per matris, & ossa parentis*
> *Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis.*

C Frequens olim fuit jurare per caput suum, liberorumve suorum. Ovid. v. *Trist.* IV.

> *Quod scio non illi vilius esse tuo.*

*De Ponto* III. eleg. III.

> *Per mea tela faces, & per mea tela sagittas;*
> *Per matrem juro Cæsareumque caput.*

Poeta Princeps *Iliad.* sua IX.

> *Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:*

Quo loco Servius: *trahi id ad causam religionis*, ait, *quæ præcipit, ut filii imitentur in omnibus rebus suos parentes.* Silius Italicus *Punic.* VIII.

> ——— *juro caput Anna, tibique,*
> *Germanæque tuæ.*

D Iterum Ovidius *Heroid.*

> *Perque tuum nostrumque caput, quod junximus una*
> *Perque tuos enses, cognita tela meis,*
> *Nulla Mycœnæum sociasse cubilia mecum*
> *Juro.*

Juvenalis:

> ——— *nondum Græcis jurare paratis*
> *Per caput alterius.*

Plinius in Grat. Act. *Jusjurandum & ille juravit, expressit, explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, Deorum iræ consecraret.* Meminerunt & IC. aliquoties; & Homerus *Iliad.* II. ubi Ulysses jurat Thersitæ:

E

> Μηκέτ᾽ ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆϊ κάρη ὤμοισιν ἐπείη
> Μηδ᾽ ἔτι Τηλεμάχοιο πατὴρ κεκλημένος εἴην.
> *Si rursum in populo discordia verba ferentem*
> *Repperero, caput hoc juro, nec vivus Ulysses*
> *Telemachi pater esse ferar.*

Quod si causam quis quærat, cur tantus capiti cultus & honor, dicam caput pro salutis Hieroglyphico poni solitum, idque in extremo discrimine, adjurare, devovere. Hinc totiens apud Homerum ea loquendi formula, ἐπ᾽ Ὀδυσῆϊ Κάρη, ἐπ᾽ ἐμοῖο κάρη.

F Consueverant autem manum capiti imponere, ex Livio, & Aristophane *in Acharnanibus*, cujus ritus meminit Cl. V. Cujacius ad lib. IV. D. *de Jurejur.* Sed & Aben-Esræ ævo, externi, puta Ægyptii per caput Regis jurabant, quod qui Jusjurandum violaret, capite plectebatur, nec ullo se pretio redimere poterat. Verba ejus *Exod.* cap. X. v. VII. *Consuetudo Ægyptiorum est hodie, ut jurent per caput regis.* Verum hoc Jusjurandum olim usitatum in-

A terdicit D. Matth. cap. v. subnectens aliis vetitis & hoc μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ συ ὀμόσῃς: & decreta Pii Papæ Conciliorum tomo primo: Constitutiones quoque Apostolicæ Clementis lib. v. cap. XI. Jurarunt & parentes in liberorum capita. Aristo Atheniensis Cononem verberationis accusat, se ab eo, ab ejus filio verberibus cæsum conquerens, ejusque facti testes producit: sed & adversarios Conon, quibus ne crederetur, ut flagitiosis, persuadet Orator, idem esse filiis scelus. Patrem contra dicentem adduxisse liberos, & κατὰ τούτων, ὀμεῖσθαι, imprecationibus diris & atrocibus eos devoturum. D. Paulus cap VI. *ad Hebræos*, inquit, κατὰ παίδων ὀμνύναι *in capita liberorum jurare*, quod fiebat tactis eorum

B capitibus. Sueton. Caligulam ait cap. XV. voluisse, *ut omnibus sacramentis adjiceretur*, NEQVE ME LIBEROSQVE MEOS CHARIORES HABEO QVAM CAIVM ET SORORES EIUS. Dio huc allusit: περὶ δὲ δὴ τε Λυγ... τότε ἄλλα ὥσπερ εἴθιστο, καὶ ὅτι καὶ σφῶν αὐτῶν καὶ τῶν τέκνων ἐκεῖνον τὰς ἀδελφὰς αὐτῦ προτιμήσυσιν ὤμοσαν. Liberos caros vocat Tryphiodorus Ægyptius poeta in excidio Ilii, αἱ δὲ φίλοις ἐπὶ παισὶ, &c. *ipse vero super caris liberis*: & ante eum Hom. *Iliad.* II. Horat. Od. v. *Epod.*

> *Per liberos te si vocata partubus*
> *Lucina veris affuit.*

Tale quidpiam in Plauti *Asinaria* Act. I. scen. I.

> *Sicut tuum vis unicum gnatum tuæ*, &c.

Plura hujus farinæ apud Terent. *Heautont.* Senecam *Controv.* IV. lib. IX. & Senecam fil. *Consol. ad Marc.* cap. VII. Ejurantur autem liberi, qui velut juramento negantur, quod fit in Abdicatione, nam tales extra domum, & familiam sepositi, spem aliis faciebant in vacuum veniendi. *Ejurare parentes* est non agnoscere, nec pro talibus habere. Seneca c. IV. lib. IV. *de Benef. Quid? non tam duri quidam & tam scelerati patres sunt, ut illos aversari & ejurare jus fasque sit?* Nove dictum est ab Ennodio Ticinensi,

> *Abjurant priscam te Præsule tecta senectam.*

---

## CAP. XVI.

*De Jurejur. Kalumniæ. Jurasse per Genium. per sepulchra. manes. per ignes, ubi de purgatione per eos. Juramentum Palici in aqua quid? per Stygis aquam jurasse.*

A KALUMNIA titulum commisi, & scripsi litera K. ita Veteres soliti, immo antiquissimus Grammaticus L. Terentius Scaurus addit pri-

E scos Klumnia scripsisse, ut & Krtago, Kput, Klendæ, Krus, & Knus. Jusjurandum vero Calumniæ ortum a gladiatorum consuetudine habet, nam ἀμφιορκία & ἀμφιμοσία ab illis dicebatur, quia uterque jurare cogebatur. Ita postquam uterque advenit litigator, Judex utrique, juret, jubet. Id *Calumniæ Juramentum* appellarunt. Cicero *jurare in litem* vocat, ut pro Mil. & Q. Roscio. Jurisconsultis est, actorem jurasse, se litem ex æquo & bono æstimaturum. Porro Non. Marcellus ita eam describit: *Est malitiosa & mendax infamatio. Calumnia rursum, calliditas. M. Tullius de Rep. lib.*

F *II. ut Carneadi respondeatis, qui sæpe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet.* Isidor. *in Orig.* paulo aliter lib. v. cap. XXVI. *Calumnia est jurgium alienæ litis; a caluendo, id est, decipiendo dicta.* Inventum hoc Juramentum ad expediendas lites ex l. I. D. *de Jurejurando. Maximum remedium expediendarum litium in usum venit Jurisjurandi religio.* Ejus formula frequens in legum libris. Quod autem in initio *Kalumniam* per K scripsi, id fieri ita debere originatio vult dictionis, trahitur enim a

*Kaluor* pro *decipio*, quæ vox in XII. tabulis reperitur: inde Kalumniatores, *qui per fraudem & frustrationem alios vexant litibus*. l. CCXXXIII. *de verbo signific.* & Priscianus lib. X. illud Sallustii laudat ex lib. III. *Historiar. contra ille Kalui ratus. Kalui*, inquit, *pro decipi, & puto Kalumniam ex hoc esse derivatam*. Tertullianus Romanos ridet, quibus summa religio erat per Genium jurare: *Majore formidine & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem, citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejuratur*. Minut. Felix: *& est eis tutius per Jovis Genium pejerare, quam regis?* Seneca epist. XII. *Jurat per Genium meum se omnia facere, in nulla re cessare curam suam*. Idem qui supra Septimius *Apologet.* cap. XXXI. *Sed & juramus sicut non per Genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis*: & mox: *ideoque salvum esse volumus, quod Deus voluit, & pro magno id juramento habemus*. Ita Polycarpus jussus est a Proconsule per Genium Cæsaris jurare Eusebio III. *Histor. Ecclesiast.* XIV. Apulej. IX. *Metam.* etiam meminit: *contra commilitones, ubi, nec usquam illum delitescere adjurantes, Genium Principis contendebant*. Martial. lib. VII. epig. XI. per famæ Genium, & Musarum jurat:

*Ludimus innocuis verbis; hoc juro potentis*
*Per Genium famæ Castalidumque gregem.*

Meminerunt & Jurisconf. Ulpianus in l. *si duo.* §. *si quis.* D. *de Jurejur. Si quis*, inquit, *juraverit in re pecuniaria per Genium Principis dare se non oportere, vel intra certum tempus se soluturum, nec solverit, Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimittere*. Et Harmenop. qui ex Domitio sublegit lib. I. tit. VII. περὶ ἀνήβων: ἐπὶ χρήμασι κατὰ τοῦ βασιλέως ὀμόσας καὶ ἐπιορκήσας, ῥοπαλίζεται: *si quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis, & pejeraverit, fustibus castigatus dimittitur*. Observo autem viris duntaxat Genium attributum. In tabula Cebetis senex superne stat, chartam manu tenens una, altera nescio quid ostendens; atque is Genius est. Mandat autem vitam ingredientibus quid faciendum sit, cuique se viæ debeat committere. Si quæratur, quid adjurando Genium significarint? forte Deum, aut cujusque sui custodem, ex Vett. Theologis. Epictetus c. XIV. l. I. Differt. *Deus*, ait, *etiam custodem cuique nostrum addidit, & Genium curatorem: cum igitur fores adduxeris & tenebras intus feceris, ne succurrat dicere* solus sum: *non enim es, sed Deus intus est, & Genius noster intus est, quibus quid opus illato lumine, ut videant quid faciatis; Ille autem Genius est habitans in nobis Deus*. Seneca eodem abit, epist. LXXXIII. Charisius tamen interpretatur τὴν ἑκάστου τύχην *cujusque fortunam*: quo spectavit Apulejus; *per Fortunas Geniosque vestros*. Græcis εὐδαίμων, quasi εὖ τὸν δαίμονα ἔχειν. Plutarchus Genios *tutelas* interpretatur, eosque Pausanias in *Eliacis* & *Bœot.* omnibus pene rebus tribuit. Custodem eum nobis datum Censorinus voluit. At Philo cum Suida facultates animæ Genios appellat. Hinc Imperatorum nummis, puerulus plærumque additur, dextra patinam velut sacrificaturus porrigens, sinistra Copiæ cornu, cum lemmate, GEN. PR. unde illa gravis animadversio in eos qui per Genium pejeraverant Principis. Facit ad nummos, & Pausaniam Inscriptio quæ Puteolis:

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTO
RVM. DEO. MAGNO. GENIO. COLONIÆ
PVTEOLANORVM. ET PATRIÆ. SVÆ.
AVRELIVS. HERMODION. SEVIR. AVGVST
ET. CVRATOR. EORVM. EXTRVXIT. ET
DONVM. D.

Item Cumis:

PILIVN. SANCTISSIMO. GENIO. MVNI
CIPI. SACRVM. P. IVBENTIVS. ACHARIVS
II. VIR.

Hesychius etiam Pausaniam firmat, dum Genium Εὐφράδης vocat, & Εὐφράδης παταικὸς ἐπιτραπέζιος appellat παταικόν; eorum instar, quos Herodotus in navibus sculpi aut cælari solitos ait. Per sepulchra juratum, docet me Seneca pater *Suasoria* II. *per sepulchra nostra jurabitur*: quod Jusjurandum etiam extat apud Demosthenem Orat. περὶ στεφάνου pro Thesiphonte. De hoc Quintilian. cap. IX. lib. IX. *Demosthenes jurando per interfectos in Marathone & Salamine, id agit, ut minore injuria cladis apud Chæroneam acceptæ laboret*. Verba Demosthenis sunt: οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένοις, &c. *Juro per majores nostros qui in Marathone pro aliis dimicarunt, & qui ad Platæas in acie steterunt*. Idem Fabius lib. XI. extremo: *Neque Demosthenes jurando per Marathonis & Platæarum, & Salaminis propugnatores recto sono juravit*. Quod ait, *recto sono*, firmat. Aristides qui ἐν τῷ περὶ σεμνότητος negat Jusjurandum esse, sed exemplum. Unde Hermogenes cap. περὶ τῆς λαμπρότητος illud Jusjurandum censuit esse μεθόδου τῆς λαμπρότητος. Eupolis tamen, hæc verba, οὐ μὰ τὴν Μαραθῶνος μάχην, diserte Jusjurandum esse, & sine figura, dicit. Verum inquirere hic, ὅρκος fuerit an σχῆμα aut μέθοδος, etsi Rhetoris professionisque sit meæ, quia tamen nihil ad telam, prætermitto. *Per Manes jurare* idem Seneca dicit, Argentarium, Cestii imium, auditorem eumdem & imitatorem solitum præceptoris sui Cestii, cum Cestius adhuc viveret. Per ignes jurat Virg. II. verbo:

*Vos æterni ignes, & non violabile vestrum*
*Testor numen, ait.*

Scholiastes Euripidis *in Iphigenia* ad versum εἰς ἔμπυρ, ἦλθε aliquid tangit. Jusjurandum Palici, cujus in aqua periculum fiebat, hujusmodi initium habuit, Compresserat Thaliam in Sicilia Jupiter: ea Junonem metuens, optat ut sibi terra dehisceret: terra eam in viscera sua recipit: post legitimo tempore se aperiens, gemellos pariens, terra in lucem edidit; unde & Palici dicti ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκεσθαι *quod in terram demersi redierint*. Hic accolæ duos lacus ostendunt, ex quibus fratres hos emersisse arbitrantur. De quibus Stephanus ἐν τῷ παλίκη jurandi ritum talem tradit: ἔστι δὲ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι; ὅσα γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν οὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει. ἐὰν δὲ μὴ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. *Juramentum sanctum ibi est. Quæcumque jurat aliquis, ea schedulæ inscripta abjicit in aquam: in qua si supernatat, pro legitime jurato habetur: sin minus, sed sidit, tunc ipse uritur*. Denique per Stygem jurasse video in Maronis Scholiaste, qui ad illud *Æneid.* VI.

*Ipsa Deum pietas docuit*, &c.

ait ideo dici, quia fertur ab Orpheo, quod Dii pejerantes per Stygem paludem, novem annorum spatio puniuntur in Tartaro. Unde ait Statius VIII.

——— *& Styx perjuria Divum*
*Arguit.*

Herodotus lib. III. inquit Cleomenem in animo habuisse primores Arcadum ad urbem Nonacrim (Arcadiæ Stephano, aliis montem) ductos adigere ad Jusjurandum per aquam Stygis. De qua Plutarchus *in Laconicis*, Plinius cap. CIII. lib. II. & cap. II. lib. XXXI. Seneca III. *Natur.* Andinus vates ipse *Æneid.* VI.

*Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,*
*Dei cujus jurare timent & fallere numen.*

Et lib. IX.

*Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris,*
*Per pice torrenteis, atraque voragine ripas,*
*Annuit.*

Auson. in *Monosyll.*

*Quæque piat Divum perjuria noctiicolor Styx.*

Sed ante hos apud Homer. *Iliad.* II. in Catalogo Græc.

ὅρκυ γὰρ δεινῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπόῤῥωξ.
*—— Stygia non flumen ab unda,*
*Illius exoritur, quam Dii jurare verentur.*

Claudo cum Minucio Felice in *Octavio*, cum de Stygia Palude dixisset, addit: *Et ideo apud eos etiam ipse Rex Jupiter per torrentes ripas, & atram voraginem jurat religiose.* Plura apud Euseb. Cæsariens. *Præparat. Ev.* cap. VII. lib. III. & cap. XX. lib. XI. Josephum lib. II. *contra Appion.* Tertull. *de Anima.* Theodor. *de provid.* Orat. IV. Lactan. cap. XI. lib. I. & lib. VII. cap. VII. Apollodorus vero Bibliothecæ lib. I. late exponit Jusjurandum hoc; Στυγὸς ὕδωρ ἐκ πέτρας ἄδυ ῥέων, Ζεὺς ἐποίησεν ὅρκον, &c.

---

## CAP. XVII.

*Jurare in acta Principum: quando cœptum? in nomen: in leges. Juratum in furtis. Benedictus Levita explicatus:* intertiare *novum verbum quid? per ferreos nummos, ferro candenti.*

STANTE Rep. non juratum in cujusquam Acta: tamen posito finitove Magistratu, ad disquisitionem Senatus Acta revocari poterant. Probabat is aut rescindebat. Primi Triumviri Cal. Januariis & ipsi jurarunt, & alios adegerunt rata se habituros acta D. Julii: inde secutis Principibus exemplum. Dio lib. XLVII. Ἔν τε τῇ πρώτῃ τῦ ἔτυς ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν, καὶ τὺς ἄλλυς ὥρκωσαν βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνυ γενόμενα, καὶ τῦτο καὶ νῦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς τὸ κράτος ἴσχυσιν, ἢ καὶ ἐπ' αὐτῦ ποτὲ γενόμενος, καὶ μὴ ἀτιμωθεῖσι γίγνεται. *Kalendis*, inquit, *novi anni, & ipsi Triumviri jurarunt, & alios jurare coegerunt, omnia Acta Julii rata se habituros: quod & usurpatur in omnibus qui tenent imperium, aut tenuerunt, nisi forte infamia ignominiaque publice notati sunt.* Repetitum id vivo Augusto ex eodem Dione lib. LIII. ἐν δὲ τῇ νυμηνίᾳ ὅρκος ἡ βυλὴ βεβαιῦσα τὰς πράξεις αὐτῦ ἐποιήσατο. Tacitus hæc aperte firmat Ann. XVI. *Ejusdem animi est Poppæam divam credere, cujus in Acta divi Augusti, & divi Julii non jurare.* At non juratum in Acta Caii; ita est, sed is sceleribus atque flagitiis aliter meruerat. Dio testis & auctor est, lib. LX. καὶ διὰ ταῦτα τὸ μὲν ὄνομα αὐτῦ ὐκ ἔστιν ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν αὐτοκρατόρων, ὧν μνήμην ἐπὶ τοῖς ὅρκοις καὶ ἐπὶ ταῖς εὐχαῖς ποιύμεθα, ὥσπερ ὐδὲ τὸ τῦ Τιβερίυ. *Ob eas causas non est ejus* (Caii) *nomen in Catalogo alboque Principum, quorum mentionem facimus in Juramentis votisque, uti nec Tiberii.* Jurarunt autem non singuli, sed uno aliquo Magistratu verba præeunte. Quod de Tiberio ait, id factum nova adulatione, idem Dio docet lib. LVIII. Reduxit præ jurationem Claudius, e Dionis ultimo. Post, ea abrogata, ad singularia Juramenta reditum, in Cornelio Ann. extremo; *principio anni vitare Thraseam solenne Jusjurandum.* De hoc Jurejurando Tacitus Ann. *Claudium cum in Acta Principum juraret Magistratus, in sua Acta collegam Antistium jurare prohibuit.* Suetonius alia suggeret, idemque jurasse in Nomen ostendit cap. X. *Claudii*: *Verum postero die Senatu segniore in exequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diversa censentium, & multitudine quæ circumstabat, unum rectorem jam & nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est.* In *Galba* cap. XVI. *Ergo primi obsequium rumpere ausi, Kalendis Januarii adigi sacramento nisi in nomine Senatus, recusarunt.* Tacit. Ann. I. *Addebat Messala Valerius renovandum per annos Sacramentum in Nomen Tiberii.* Et Ann. VI. Hist. I. & IV. Spartianus in *Severo*. At Julianus apud Marcellinum lib. XXXI. non obvio ritu milites adegit: *jussique*, ait, *universi in ejus nomen jurare solenniter, gladiis cervicibus suis admotis sub execrationibus diris, verbis juravere conceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos: quæ secuti rectores omnesque Principis proximi, fidem simul religione firmarunt.* Plato etiam in legum suarum libris ait, ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτῦ ὀμῆ: *jurabis per nomen ejus.* Quæ in legibus ferendis observata olim, aliis dicta sunt: quod huc spectat, adscribo. Cum ab eo quem Magistratum primum delegisset, & ab aliis ejusdem tribus centuriæve perlata suffragia essent; tum in utramque dinumeratis sententiam suffragiis, & voce veteri diremptis, numeroque eorum punctis notato, ejus centuriæ voluntas tribusve cognoscebatur, & a præcone renunciabatur; eademque inde in reliquis tribubus centuriisque ratione servata, ex majore earum numero antiquabatur vel sciscebatur lex: scita acceptaque, omnium civium confirmabatur Jurejurando. Quapropter Q. Metellus Numidicus, ne in legem Saturnini per vim latam juraret, in exilium abire maluit, sibique potius de patria quam de sententia decedendum putavit. Tangit Valer. lib. IV. cap. I. Hunc, annis quadraginta post, non est imitatus posterior Cato: leges P. Clodii nullo jure, more, perlatas agnoscebat, in eas tamen juravit, consilio usus optimo, ut Tullius in *Sextiana*: *nam ab eo, quod omnino ne fiat fieri non potest, cum periculo dissentire, temeritatis est.* Adhæc Consules abituri magistratu, jurabant se nihil contra leges fecisse, auctore Plinio in *Gratiar. Act.* Dionys. Halicar. lib. VI. jurasse in leges populum dicit: *id enim volebat populus sancte ut juraret, parituros se legibus.* Idem Appian. in Prologo. Juratum in furtis Benedictus Levita cap. CCIX. lib. VI. me docuit: *Si res*, inquit, *intertiata furto ablata fuerit, liceat ei super quem intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto.* Ubi *intertiare* quis legit? vox est inter Athla Maniliana numeranda: e pono tamen, esse quod nos sequestro deponere diceremus ex ἐντριτος, ut Glossæ Latino-Græcæ dicunt *sequester*, μεσίτης, συνθηκοφύλαξ. Inde *intertiare*, pro *apud sequestrum deponere*. Ansegisus lib. III. *Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere noluerit, campo vel cruce contendant.* Aristophanes Act. I. sc. III. *Nubium*, per annulos ferreos ridicule juratum inquit. Ibi Strepsiades cum per Deos jurasset, Socrates respondet;

Ποίυς θεὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοὶ
Ἡμῖν νόμισμ' ὐκ ἔστι. Στρ. τῷ γὰρ ὄμνυτ'; ἢ
Σιδαρέοισιν ὥσπερ ἐν Βυζαντίῳ;
*Quosnam Deos testaris? nam primum Dei*
*Nobis non sunt recepto more.* St. *Quomodo*
*Jurabis igitur; an per nummos ferreos,*
*Sicut Bizantii?*

Ubi Scholiastes ad verbum Σιδαρέοισιν, τῦ νομίσματος σημαίνοντος δύοι τότε νόμιμον ἔθος καὶ τὸ τύμμα τῦ τετυπωμένυ χαλκῦ ἢ χρυσῦ ἐπὶ τῦ χαλκῦ ὁ Στρεψιάδης ἐδέξατο. καὶ ὐ πρὸς τὸ ὑπὸ Σωκράτυς ῥηθὲν ἀπελώτησεν. ἀλλ' ἔμιξεν ἀμφότερα. κεπτοῖς δὲ νομίσμασι φαίνονται κεχρῆσθαι Βυζάντιοι. διὸ καὶ δωρικῶς εἶπεν. ἔνιοι δὲ κατὰ πολυμάθειαν δωρίζυσι. Πλάτων Πεισάνδρῳ. χαλεπῶς ἂν

*ὠνήσαμεν ἐν Βυζαντίοις. ὅπου σιδαρέοισι νομίσμασι χρῶνται. ἄλλως ἐδόκει τὸ τῶν Βυζαντίων νόμισμα ἐλάχιστον εἶναι πάντων καὶ φαυλότατον, ἅτε σιδηροῦν ὑπάρχον. ἢ ὅτι ἐκεῖ μέταλλον ἦν, ἐν ᾧ ὤμνυον.* Extremum capitis hujus erat lemma, ferro cadenti fieri Jusjurandum. Interpres Sophoclis *in Antigonem* ſcribit quod *εἰώθασι ὀμνύοντες, καὶ πίστεις διδόντες, μύδρους βαστάζειν, καὶ πῦρ ὑπερβαίνειν*: *Jurantes fidemque adſtringentes ſoleant ferrum ignitum geſtare & ignem ſuperare & tranſgredi*, ( de quo Balſamon *ad Concil. Trull.* Cyrus Michael Conſtantinopolitanus Patriarcha, & D. Chryſoſt. ) Hinc tractus hujus ſuperſtitionis uſus, de quo Pierius lib. XLVI. & Aventinus lib. IV. *Annalium Bojorum*

## CAP XVIII.

*Juratum per pecuniam depoſitam. Teſtari Deos, homines, Jurisjurandum eſſe. Quid obteſtatio? Puteus Juisjurandi. Juraſſe per animam, hinc Belgicæ primæ nonnullis populis id peculiare. Affirmatio religioſa quid?*

QUID ſit jurare per pecuniam depoſitam cap. XI. explicui: nunc unum addo, lege cautum fuiſſe, ut ſi quis peteret quod inficiaretur dubia argumentorum fide, petitor & reus quingentos æreos deponerent; qua cætera, eadem quæ ſupra: adi ſi lubet *Adverſar.* doct. P. Pithœi cap. XVIII. lib. I. Cum Deos teſtarentur, verbo, *Teſtor*, utebantur. Virg. II. *Aeneid.*

*Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum*
*Teſtor numen ait.*

Et V.

*—— Xanthum Simoentaque teſtor,*

Ac XI.

*—— accipe teſtor*
*Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.*

Similiter lib. IV. XII. VIII. XI. VII. XII. Naſo I. *Metamor.* IX.

*—— omnia feci,*
*( Sunt mihi Dii teſtes ) ut tandem*, &c.

Martial. lib. XI. epig. XXIII.

*—— ſuperos ac ſidera teſtor.*

Propert. lib. IV. eleg. extrema:

*Teſtor majorum cineres.*

De quo cap. XIV. Additum interdum, *homines*; Liv. lib. II. A. V. C. *Appianus contra teſtari Deos atque homines Remp. prodi*. Et lib. XXII. de Varrone: *teſtaturque Deos & homines, hic nullam penes ſe culpam eſſe*. Porro Jusjurandum hoc fuit, ut Donatus *in Phorm.* ad verba Act. V. Scen. I. *—— Deos atque homines teſtor*, &c. docet dicitque, *Adjurationis genus eſt*. Idem Ælius *And.* Act. I. Sc. V. ad verba

*Per tuam fidem, perque hujus ſolicitudinem*
*Te obteſtor,*

quid obteſtatio ſit, aperit; *obteſtatio dicitur quando eum adjuramus, quem rogamus, oramus per eas res propter quas rogamus. Virgil.*

*—— per everſæ genitor fumantia Trojæ*
*Excidia obteſtor.*

In finibus Judææ & Ægypti puteus fonſve Juramenti eſt terminus terræ Iſraelis ab Auguſto, de quo Joſephus cap. XIII. lib. VIII. *Judaic. Antiq.* I. *Reg.* III. & II. *Regum* XXIV. III. *Reg.* XIX. IV. *Reg.* XXIII. Hebræis *Beerſcheba*, alias *Berſabee* dicitur, quæ in ſortem filiorum Simeonis cecidit, *Joſuæ* XIX. I. Paralipomenωn V. Sic vocata a juramento & percuſſo fœdere Abrahæ cum Abime-A lech rege, *Geneſ.* XXI. ſimiliter Iſaac cum eodem *Geneſ.* XXVI. Nomen autem habet a *Beer* quod fontem, & *Saba* quod Jusjurandum, vel ſeptem, quod ſeptem Agnas Abimelech de manu Abrahæ acceperit, Gen. XXI. Illic judicabant Joel & Abila filii Sabati. Ibi aliquandiu Iſaac habitavit, *Geneſ.* XXVIII. Ptolomæus *Barnaſam* appellat. Meminit Cedrenus putei Injuriæ, Inimicitiæ & Amplitudinis pag. XXVI. Juramenti autem p. XXII. ubi ait: *μετὰ ταῦτα τῆς κατὰ μαμβρῆ δρυὸς, ἀπαναστὰς ὁ Ἀβραὰμ, ἐπὶ τὸ φρέαρ κατασκηνῶσαι τοῦ ὅρκου*: *Inde a quercu quæ ad Mambren erat digreſſus Abrahamus, ad puteum Jurisjurandi tabernaculum fixit*. Et pag. XXV. cum de Abrahamo & Abimelecho locu-B tus, ſubjungit: *ἐκεῖ οὖν παρὰ τὸ φρέαρ γενόμενοι, καὶ μόσχους τεθυκότες, διαθήκην εἰρήνης ἀμφότεροι διέθεντο. ἐν ἑπτὰ δὲ ἀμνάσιν ἑτέραις τὸν ὁρκισμὸν κατ' ἔθος ποιήσαντες εἰς ἀπόδειξιν ὅτι ὤρυξεν αὐτὸς, διὸ καὶ φρέαρ ὅρκου ὀνομάσαι.* *Ibi ergo ad Puteum congreſſi, mactatis ovibus & vitulis, fœdus pacis invicem ſanxerunt. Aliis porro agnabus ſeptem juramentum rite peregerunt: ad demonſtrandum quod ipſe foderit, itaque etiam puteus Jurisjurandi appellatur*. Euripides *in Oreſte* Phrygem introducit cum eo loquentem. Ei, quod metu mortis ſubblandiri, aut palpum Oreſti videretur obtrudere, cum dixiſſet Oreſtes,

*Δειλίᾳ γλώσσῃ χαρίζῃ, τἄνδον οὐχ οὕτω φρονῶν.*
C *Propter metum lingua gratificaris, intus non ita ſentiens.*

Reſpondet Phryx,

*Οὐ γάρ; ἥτις Ἑλλάδ' αὐτοῖς Φρυξὶ διελυμήνατο;*
*Cur non? quæ perdidit Græciam cum ipſis Phrygibus?*

Subnectit Oreſtes quod huc facit:

*Ὄμοσον, εἰ δὲ μὴ, κτενῶ σε, μὴ λέγειν ἐμὴν χάριν.*
*Jura; ( alias te necabo ) te hoc non dicere in meam gratiam.*
D Φρ. *τὴν ἐμὴν ψυχὴν κατώμοσ', ἣν ἂν εὐορκοῖμ' ἐγώ.*
Phr. *Per animam juravi, & quidem bona velim fide.*

Ergone a Phrygibus, aut Euripidis invento ad Belgicæ inferioris populos, vulgare hoc Jusjurandum? Erat & genus cujuſdam prope Jurisjurandi antiquis, dum dicerent, *nihil mihi credas divini & humani*, quod eſt, nihil mihi ullius rei credas. Plautus in *Aſinar.* Scen. *Ain tu meum:*

*Neque divini neque mihi humani quicquam accreduas*
*Artemona, ſi hujus rei eſſe mendacem inveneris.*

E In *Trucul.* Scen. *Quis iſtic. Numquam ædepol mihi quiſquam homo mortalis duarum rerum creduit.*

## CAP. XIX.

*Cives juraſſe concordiam. Edicto vocatos ſolenniter ad Jusjurandum. Jusjurandum femori ſubjecta manu. Per crucem, per fata. Juraſſe victos in victorum verba. In facinus. Navitas juraſſe per maria. Per Aves & Anſerem.*

F XENOPHON *Memorabil.* lib. IV. legem latam toti Græciæ narrat, jurarent cives, ſe concordiam colere velle; *καὶ πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται, τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν*. Edicto etiam vocatos ad Jusjurandum Cæſar oſtendit lib. III. cap. XIX. extremo: *Erat edictum Pompeii nomine Amphipoli propoſitum, uti omnes ejus provinciæ juniores, & Græci, civeſque Romani jurandi cauſſa convenirent*. Jusjurandum femori manu ſubjecta apud Cedrenum proponitur pag. XXXI. ubi Ja-

cobi morituri cum Josepho actio declaratur : Ἰακὼβ , &c. ἤγγιζε μὲν ἡ ἡμέρα τ̃ αὐτȣ̃ τελευτῆς. αὐτὸς δὲ τ̃ Ἰωσὴφ προσκαλȣ́μενος , θεῖναι τ̀ χεῖρα ὑπὸ τ̃ μηρὸν , ὡς ἔθος αὐτοῖς κατεδυσώπει , μὴ θάψαι αὐτὸν ἐν Αἰγύπτῳ , ἀλλ' ἐν τῷ τάφῳ τ̃ πατέρων αὐτȣ̃ ἀναγαγεῖν . αὐτȣ̃ δὲ καταθεμένȣ καὶ ὀμωμοκότος , εὐθὺς προσκυνῆσαι τ̃ Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τ̃ ῥάβδȣ Ἰωσήφ . *Jacobus* , &c. *ut finem vitæ suæ advenisse intellexisset ad se evocatum femori suo ( ut moris erat ) manum subjicere jussit ; juramentoque obstrinxit , ne se in Aegypto humaret , sed ad majorum suorum sepulcrum reportaret . Cum Josephus ita ut pater jusserat , manu ejus femori supposita jurasset , illico Israelus ad extremum virgæ Josephi adoravit* . Adfine illud Livii VIII. ab V. C. in devotione Decii avi : *Pontifex eum togam prætextam* , ait , *sumere jussit , & velato capite manu subter togam ad mentum exerta , super telum subjectum pedibus stantem sic dicere* . Per Crucem , exemplo singulari jurasse apud Sophronium Patriarcham Constantinopolitanum indico : *juravi* , inquit , *per Crucem , ultra illi non reconciliari* . Sed & per Fata jurat Virgilianus ille legationis Princeps *Aeneid.* VII.

*Fata per Aeneæ juro , dextramque potentem* .

Jurasse adhæc victos in victorum verba M. Varro apud Cæsarem II. *belli Civilis* docet : *provinciam omnem in sua & Pompeii verba per Jusjurandum addicebat* . In facinus jurat Ovid. III. *Metam.*

—— *qua terra patet , qua regnat Erynnis ,*
*In facinus jurare putes .*

Per maria nautas jurasse Servius dicit ad Virg. *Aeneid.* VI. ubi Palinurus respondens Æneæ ait:

—— *maria omnia juro ;*

ibi Honorius , *jurare eum* , dixit , *quasi navitam per maria* . Aristophanes *in Avibus* per eas jurat peculiari Jurejurando ;

Ὤμνυε τ' ȣ̓δεὶς τότ' ἀνθρώπων θεόν . ἀλλ' ὄρνιθας ἅπαντες .
*Jurabatque nullus tunc hominum Deum , sed aves omnes* .

Et has inter , anserem , versu proximo ;

Λάμπων δ' ὄμνυσιν ἔτι καὶ νῦν τ̀ χῆνα , ὅταν ἐξαπατᾷ τις τί .
*Lampon autem jurat etiam & nunc anserem , quando decipit aliquis aliquid* .

Ortum id a sacrifico Lampone . Oraculorum ille interpres erat , perque anserem solitus , tanquam per avem auguralem jurare .

---

## Cap. XX.

*Jurare in verba Magistri . Sacrata resolvere jura . Phocensium execratio , ejus ritus . Explicata parœmia* , viri Jurejurando , pueri talis .

Horatii est lib. epist. I.

*Nullius addictus jurare in verba Magistri* .

per translationem , ductum ab iis qui in ducum Imperatorumve verba jurabant ; quo Symmachus vidit : *ubi in leges* , ait , *vestras & verba juravimus ?* ( plura dixi de hoc cap. IV. quibus addo quæ in Sueton. *Galba* cap. XI. & in XVI. *in Othon.* cap. VIII. *Vitell.* cap. XV. *in Vespas.* cap. VI. ) Aut , si mavis , hærere Flaccum in eadem adlusione dicamus : supra de rude egerat , de armis gladiatorum emeritis , ad Herculis appensis , ideo quia ille Athletis præses. Hic translate eodem spectat , & magistrorum nomine , aperte præfectos ludorum , lanistas intelligit . Horum varia nomina ; *Curatores* enim dicti , in lapide prisco : CVRATOR. MVNERIS. PVBL. GLADIATOR. Tacitus Annali XI. *Procuratores* vocat : *Decius quoque Calpurnianus & Sulpitius Rufus Procurator ludi , eadem pœna adfecti :* Inscriptio alia vetus :

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CÆS. FL.
DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDISSIMO
PONTIF. MINOR. PROC. XX. HER.
PROC. PATRIMONI. PROC. LVDI
MAGNI
PROC. LVDI. MATVTINI.

Dicebantur etiam honestiori & invidendo verbo *Doctores* apud Valer. Maxim. & Quintil. *Declamat.* CCCII. *Quæro an si* , &c. *In ludo fuit . Fuerunt & Doctores , & medici & ministri* . Denique quod huc facit , *Magister* a Cicerone III. *De Orat.* nominantur : *Magister hic Samnitium summa senectute est* . Quapropter jurabant in verba gladiatores Magistri . Hæcque germana Horatii mens , aut ego amens . Verum qui illi addicti ? aperio . Duo gladiatorum genera ; Coacti & Voluntarii : hi , liberi , pretio se *addicebant* , jurejurando solenni interposito , quod vinclum servitutis : jurabatque novitius , se omnia passurum ausurumque , quæ legitimum gladiatorem ferre , jus & mos esset . In Petronii Eumolpo quid tale , & Seneca . Illud & Virgilii *Aeneid.* II.

*Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura ;*

huc traduco , ad Jusjurandum inquam . Servius præit , aitque , ideo dici , ne in sacramenti pœnam incidat . *Re vera* , Juramento fidem aucupatur . Budæus id sacrosanctum vocat , quia Jurejurando interposito erat institutum , ut , qui violasset , morte pœnas penderet . Juri adhæc jurando execrationes aliquando additas , præsertim in fœderibus , de quibus cap. IX. in caput ejus qui a pactis descisceret . Id ex Euripid. *Iphig. Aulid.* colligere est :

Ὅρκȣς συνάψαι δεξιάς τε συμβαλεῖν
Μνηστῆρας ἀλλήλοισι , καὶ δι' ἐμπύρων
Σπονδὰς καθεῖναι κἀπαράσασθαι τάδε.
*Uti coirent Jurejurando proci ,*
*Atque inter ipsos jungerent dextras ; adhæc*
*Adolenda Divum ponerent aris sacra ,*
*Ac semetipsos adstringerent , ad id diris*
*Caput obligantes execrationibus .*

Hinc vulgatum illud Φωκέων Ἀρὰ , de Jurejurando vinculis adstricto , ortum hoc casu . Communi Phocensium consilio patria relinquebatur , addicti execrationibus , ne quis de domuitione cogitaret : incertum quo irent , consultum Oraculum Dianæ , & Aristarcho duce Galliam Narbonensem adeunt ; ibi Massiliam condunt , auctor Herod. lib. I. Strabo IV. Quo Horat. respexit , *Epod.* od. XVI.

*Forte , quid expediat , communiter , aut melior pars ,*
*Malis carere quæritis laboribus :*
*Nulla sit hac potior sententia , Phocæorum*
*Velut profugit execrata civitas .*

Ritum aut formulam mox subjungit :

*Sed juremus in hæc , simul imis saxa renarint*
*Vadis levata , ne redire sit nefas ;*
*Neu conversa domum pigeat dare lintea .*

Stephanus *de Urbibus* hoc φωκικὴ ἀπόνοια expressit , & desperationem intelligit , addit enim ἐπὶ τ̃ τᾶ ἀναγκῇ βȣλȣομένων , *qui consultant de relinquendis molestiis* . Servius ad illud Virgil. lib. III. *Aen.*

*Auri sacra fames* .

tractum

tractum ait ex more Gallorum sermonem: quoties pestilentia Massiliense oppidum invaserat, unus e plebe se offerre, alendus purioribus & publicis cibis. Hic postea verbenis sacrisque ornatus vestibus, per urbem duci cum execrationibus, ut in caput hominis mala urbis reciderent, & sic projiciebatur. Verbum vetus est, *viri Jurejurando, pueri talis fallendi*, tractum ex Æliano lib. VII. *Var.* Lysandri quidam esse, Philippi existimant alii. Lysandro Lacedæmoniorum duci adscribit Plutarchus; quod ideo dicitur, quia nulla re citius viris imponitur quam Jurejurando, quod nemo tam improbus esse credatur, qui id velit violare; Græce sonat; ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατέον. *Objurare*, est Jurejurando obstringere; ut in Pentasileo: *formidabant objurare*; Festus.

## CAP. XXI.

*Romanos per lapidem, & Jovem lapidem jurasse, quo ritu? Polybius explicatus: ἐνυάλιος quis? jurasse per oculos: sacramento rogari, adjurator quid? per solem: per integra sacra. Patrium Jusjurandum: per obscœna, & in voluptate jurasse.*

POLYBIUS lib. III. fœderis tertii inter Carthaginienses & Romanos meminens in primo Jusjurandum ita factum narrat. *Primum Carthaginienses Deos patrios jurati sunt. Deinde Romani per lapidem secundum vetustissimum ritum, Martis, Quirinique numinibus additis Jusjurandum præstiterunt. Ritus vero lapidis fuit hujusmodi. Fæcialis sumpto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes convenerat, hæc verba dixit: Si recte, ac sine dolo malo hoc fœdus, atque hoc Jusjurandum facio, Dii mihi cuncta fœlicia præstent. Sin aliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris, solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidet. Nec plura loquutus, manu lapidem dejecit.* Græca Polybii ista sunt: τὸν δὲ ὅρκον ὀμνύειν ἔδει τοιοῦτον, ἐπὶ μὲν τῶν πρώτων συνθηκῶν, καρχηδονίους μὲν τοὺς θεοὺς πατρώους, Ῥωμαίους δὲ διὰ λίθου, κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος. ἐπὶ δὲ τούτῳ τὸν Ἄρην καὶ Ενυάλιον. Ἔστι δὲ τὸ διὰ λίθου τοιοῦτον. λαβὼν εἰς τὴν χεῖρα λίθον ὁ ποιούμενος τὰ ὅρκια περὶ τῶν συνθηκῶν ἐπειδὰν ὀμόσῃ δημοσίᾳ πίστει λέγει τάδε, εὐορκοῦντι μὲν ποιεῖν τ' ἀγαθὰ, εἰ δ' ἄλλως διανοηθείην, ἢ πράξαιμι, πάντων τῶν ἄλλων σωζομένων ἐν ταῖς ἰδίαις πατρίσιν, ἐν τοῖς ἰδίοις νόμοις, ἐπὶ τῶν ἰδίων βίων, ἱερῶν, τάφων, ἐγὼ μόνος ἐκπέσοιμι οὕτως, ὡς ὅδε λίθος νῦν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ῥίπτει τὸν λίθον ἐκ τῆς χειρός. Ubi inquiri pretium, quis ille Ενυάλιος, *Quirinum* vertit Nic. Perottus. At Macrobius cap. XIX. lib. I. *Saturnal.* ait. *Plærique Liberum cum Marte conjungunt, unum Deum esse monstrantes. Unde Bacchus ἐνυάλιος cognominatur, quod est inter propria Martis nomina.* Glossæ pro bello capiunt, quasi ἐνυοῦς υἱός. Car. Hannibal Fabrotus, eruditissimus in Sextaquensi Narbonensis Provinciæ Academia Antecessor, cum Perotto Quirinum intelligebat ex Plutarchi *Romaicis*: ibi hæc sunt; τὸ γὰρ δόρυ κύριν ἐκάλουν οἱ παλαιοί. διὸ καὶ φασὶ κύριν ὀνομασθῆναι τὸν ἐνυάλιον. Omissa hæc aut neglecta a Triariis illis Cujacio, & Brissonio, qui hujus Jurisjurandi meminerunt, admiror. Epitheton Martis esse tradit. Homer. Xenop. & alii. Apud Sophoclem *in Ajace* χαλκοθώραξ ἢ ἐνυάλιος Scholiastes distingui Martem ab Enyalio tradit: significari enim τοῦ χαλκοθώρακος nomine Martem. Doctissimus Casaubonus *Martem* & *Gradivum* vertit, pro Quirino Perotti. Aristophanes *in Pace* meminit distincte a Marte Scen. Σπένδοντες:

——— μόνον λέγω.
Τρ. Ἑρμῇ, χάρισιν, Ὥραισιν, Ἀφροδίτῃ, Πόθῳ.
Χο. Ἄρει δέ. Τρ. μὴ μή. Χο. μηδ' Ἐνυαλίῳ γε. Τρ. μή.

——— *solum canam.*
T. *Mercurio & Horis, Veneri, Amori, Gratiis.*
Ch. *Marti, quid? Tr. Haudquaquam. Ch. Quid Enyalio? T. Haud magis.*

Ubi Scholiastes in verba, Ἄρει δὲ πρὸς τοὺς οἰομένους, τῶν νεωτέρων τὸν αὐτὸν εἶναι Ἄρεα καὶ Ενυάλιον· οἱ δὲ, Κρόνου καὶ Ῥέας. Ἀλκμᾶνα δὲ λέγουσιν ὁτὲ μὲν τὸν αὐτὸν λέγειν. ὁτὲ δὲ διαιρεῖν, ait. *Novitios quosdam existimare eundem esse Martem cum Enyalio, esseque Saturni & Rheæ filium. Alcman etiam eosdem arbitrari, nomina tamen divisim efferre.* Eustathius de hoc ita: Ενυάλιος, ἐπίθετον Ἄρεως, παρὰ τὸ ἐνύω, τὸ φονεύω, ἢ παρὰ τὸ ἐνάυω τὸ φωνῶ. Ἄρης δὲ Ενυάλιος ἐπεκλήθη διὰ τὸ φονεῦσαι Ενυάλιον τὸν Θρᾷκα μὴ ἐθελήσαντα αὐτὸν ξενίσασθαι. Ενυάλιος μέντοι ἐκλήθη καὶ εἷς τις τῶν Κρόνου, καὶ Ῥέας παίδων. Τινὲς δὲ τὸν Ἄρην, καὶ τὸν Ενυάλιον τὸν αὐτὸν εἶναι νομίζουσι. τινὲς δὲ θεοὺς διαφόρους εἶναι λέγουσιν, ὡς δῆλον ἐκ τοῦ Διονυσίου τοῦ Ἁλικαρνασσέως, ὃς ἐν τῷ β. τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας οὕτω γράφει. Τὸν δὲ Ενυάλιον οἱ Σαβῖνοι, καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρίνιον ὀνομάζουσιν, οὐκ ἔχοντες εἰπεῖν τὸ ἀκριβὲς εἴτε Ἄρης ἐστὶν, εἴτε ἕτερός τις ὁμοίας Ἄρει τιμὰς ἔχων. Hinc apparet non esse eundem Martem & Enyalium, etsi hunc pro illius epitheto accipiant Grammatici, imo censent quidam Enyalium Martis & Enyus filium esse; alii Saturni & Opis. Alcman hæc duo nomina, interdum eadem, interdum diversa facit. Cæterum quod ad lapidem M. Tull. epist. XII. lib. lib. VII. *ad Trebatium* hujus meminit: *Quomodo autem tibi placebit, Jovem lapidem jurare, cum scias Jovem iratum esse nemini posse.* Agellius cap. XXI. lib. I. *Jovem lapidem*, inquit, *quod sanctissimum Jusjurandum est habitum, paratus sum ego jurare, Virgilium hoc numquam scripsisse.* Apulejus lib. *de Deo Socratis*: *Nam & Jusjurandum dicitur, ut ait Ennius. Quid igitur jurabo? per Jovem lapidem, Romano vetustissimo ritu.* Arabes etiam teste Herodoto lib. III. in fœderibus lapidem adhibebant. Livius quoque lib. XXI. Hannibal præmia suis pronuncians, *agnum læva manu, dextra silicem retinens, si falleret, Jovem cæterosque precatus Deos.* An & huc trahi potest Ovid. *Metam.* XI. de Batto?

——— *perjuraque pectora vertit*
*In durum silicem.*

etsi proprie de lapide Heraclio, ut eum Theophrastus libro *de lapidibus* vocat; vel de Lydio de quo Plinius cap. VIII. lib. XXXIII. & Vitruvius IX. Addubito vero errentne qui Jovem lapidem dici arbitrantur, cum Jovem lapidem jurantes proferimus. Vera mihi sententia est, *Jovem lapidem tenens juro.* Festus hoc docet; lapidem scilicet tenebant juraturi per Jovem, cum dicto: *Si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Fuit quidem fictilis in Capitolio Jupiter, qui miniabatur in Plin. citato: & Cicer. lib. IX. *ad fam.* Jovis miniati mentio. Lapidea autem hæc simulachra pro Deis ipsis colebantur, quod firmare testimoniis supersedeo. Demosth. in Orat. *contra Cononem* ait, καὶ πρὸς λίθον ἄγοντες, καὶ ἐξορκοῦντες: *& ad lapidem ducentes, ut per illum eos adjurarent.* Arist. Athenienses, *sic quoque jurare solitos alibi scribit.* Apulejus *Milesiar.* IV. morem rogandi ac jurandi per oculos fuisse observat, in quo dum *per istas papillas* juratur; ego, *pupillas* legerim. Plaut. *Mœnech.* sc. ult. Ovid. II. *Am.* & Petronius per oculos eciam jurarunt, & Tibullus:

*Et si perque suos fallax juravit ocellos,*
*Junonemque suam, perque suam Venerem.*

*Sacramento rogari*, est cum Princeps aliusve militem ad Jusjurandum adigit, quod eum eosve suis armis defensabunt ex Plin. lib. x. Epist. Tacito Ann. I. & Hist. ult. Quintil. c. II. lib. XII. Qui Censori aderant censum agenti, adjuratores e re dicebantur, ex Plaut. *Trinummo*, & *Pœnuli* procemio. Sed *adjurare* est *exorcizare*, ut & *exorcistas*, Latine *adjurantes* verti, Isidorus scripsit, & ante me observavit doctissimus P. Pithoeus *in subces.* cap. VIII. lib. II. ubi alia dat, quæ ad cap. IV. faciunt. Latinus Rex apud Virg. XI. per solem jurat, ex mente Interpretis ad verba.

——— *terram, mare, sidera juro;*

qui inquit pro *sideribus solem poni*. Demosthenes καθ' ἱερῶν τελείων *per integra sacra* jurat. Supra ex Polybio Pœnos τὰς πατρῴους θεοὺς jurasse dixi. Huic adde cognatum patrium Jusjurandum de quo Plutarchus *in Pericle*: ὀμνύειν τὸν πατρικὸν ὅρκον, *jurejurando se adstringere patrio more*. Et alibi ὅταν ὀμνύωσι τὸν πατρικὸν ὅρκον, cum patrium Jusjurandum jurant. Ciceroni ita jurare vetitum Plutarchus in eo enotat, de quo cap. VII. Plinius cap. VII. lib. II. *Nat. Hist.* per obscœna & fœtida juratum dicit: *Gentes quædam animalia & aliqua obscœna pro Diis habent, ac multa dictis magis pudenda; per fœtidos cibos & alia multa jurantes.* Novum est in Lamprid. *Heliogab. Mulieribus uteretur & ipse & amici cum Jurejurando, quod efficerent voluptatem.*

## CAP. XXII.

*De Militari Sacramento. Quando primum jurarint milites? Cur jurarint? Quis ordo in Sacramento?*

PRIUSQUAM armis decretoriis acies committatur, lusoriis præliabimur & anquiremus; quid sit prima matriculæ vox, *Sacramentum*. Id non una notatione est. Varronis quidem illa, lib. IV. extremo, ad cap. XI. & XVII. spectant, ut & Sacramentum Festi & Pauli. Isidori vero cap. XIX. lib. VI. ad Theologos. At altera cap. III. lib. IX. huc facit: *Tria sunt*, inquit, *militiæ genera, sacramentum, evocatio, conjuratio. Sacramentum, in quo post electionem jurat unusquisque miles, se non recedere a militia, nisi post completa stipendia, id est, militiæ tempora, & hi sunt qui habent plenam militiam; nam vigintiquinque annis tenentur.* Idoneis authoribus *sacramentum* absolute pro sacramento militiæ ponitur, hoc enim sacramentum proprie. Idem Glossæ στρατεία *sacramentum* ὅρκος στρατιωτικός; item στρατιωτικὸς ὅρκος *sacramentum*. Servius in VIII. *Æneid. sacramentum*, ait, *legitima erat militia, cum singuli milites jurabant*. Quando vero jurarint primum aperit Frontin. *Str.* cap. I. lib. IV. *L. Flacco & C. Varrone Coss. milites primo Jurejurando facti sunt, ante enim Sacramentum tantum a Tribunis rogabantur: ipsique inter se conjurabant, se fugæ atque formidinis caussa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi cibi petendi, feriendive hostis, aut civis servandi caussa.* At hi Coss. cis annum V. C. DXXXIV. in Fastis Sigonianis, & ibi pro L. Flacco L. Æmilius Paulus est. Etiam apud Livium lib. II. *Deinceps omnis exercitus in se quisque jurat*, bello puta Vejenti. Clarius Florus cap. XII. lib. I. eodem bello: *Tunc primum*, ait, *biematum sub pellibus: taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte Jurejurando.* Quapropter dicam non cum adverso sibi Livio, sed diverso, *statim a regibus pulsis* institutum militi Jusjurandum: diverso, inquam, nam in bello Punico

A secundo lib. XXII. ait: *Milites tum primum, quod numquam antea factum erat, Jurejurando adacti a Tribunis militum, jussu Consulum conventuros, neque injussu abituros.* At sui meminens discriminat ipse; *Ad eum diem nil præter Sacramentum fuerat, & ubi decuriatum aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, pedites centuriati conjurabant, sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi caussa. Ideo voluntario inter ipsos fœdere, a Tribunis ad legitimam Jurisjurandi adactionem translatum.* Locus non sine ambage & nodo, quem solvit Doctor meus *in Milit.*
B *suæ Dia.* VI. lib. I. cui addo, dum ait, *Sacramentum quoddam inter ipsos fuisse*, Quintil. cap. II. lib. XII. *Sed hæc inter ipsos, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere.* Jurabant autem, quia omisso sacramento, justi militis nomen non merebantur, eoque soluti, in hostem legitime pugnare non poterant. Hinc Servius legitimam militiam vocat eorum qui jurarant. Et Veget. lib. II. Imo nefas etiam in provocantem pugnare, ex Livio lib. VII. & XXXIII. quo alludebat Sil. Italic. *Punic.* XIII.

C *Prævetitum capiti pœnæ, committere Martem*
*Sponte viris,*

Cato Major in filio id observat litteris ad eum datis, si complesset stipendia missionemque ab Imp. esset consequutus, rediret: si id nollet, facultatem postularet, uti conferre manum & trucidare permitteret. Caussam signat *in Romaicis* Plutarchus, quod necessitate Jurisjurandi sola adactus miles, necare hostem poterat aut ferire; ὅτι τὸν ἀνάγκην μόνην ἐξουσίαν εἶναι δεῖ τοῦ ἀνελεῖν ἄνθρωπον, ὁ δὲ ἄνευ ὁμοσίας καὶ προστάγματος τοῦτο ποιῶν, ἀνδροφόνος ἐστιν. Ordo Jurisjurandi hic ex Cæsare, *Civil.* lib. I. Imperator sacramentum a Legatis, Legatus a Tribu-
D nis, Tribuni a Centurionibus, Centuriones a militibus exigebant: *Petreius Princeps in hæc verba jurat, ipse idem Jurandum adigit Afranium, subsequuntur Tribuni militum Centurionesque.* Nonne ergo Consules ipsi exigebant? non apparet. tamen in verba eorum jurasse ipsos certum est, & iis obtemperaturos se. Sed Tribuni, ut alia, vice Consulum, sic hoc quoque administrarunt.

## CAP. XXIII.

*Ubi jurarint & quando Milites? Singuline an legionatim? Formula Jurisjurandi Militaris investigata.*

E UTRUMQUE Agellius cap. IV. lib. XVI. indicat, *Cum delectus antiquitus fieret, & milites scriberentur, in Jusjurandum eos Tribunus militum adigebat, hoc modo. In magistratu C. Lælii C. F. Consulis L. Cornelii P. F. Consulis, in exercitu, decemque millia passuum prope furtum non facies.* Colligo jurasse, *in ipsis jam castris*, sed posteriore sacramento: Nam prius, *statim a conscriptione. Istud ad Disciplinam modo pertinuit; illud ad militiam ipsam.* Prius Polybius exprimit; ἐπιτελεσθείσης δὲ τῆς καταγραφῆς τὸν προειρημένον τρόπον
F ἀθροίσαντες τοὺς ἐπιλεγομένους οἱ προσήκοντες τῶν χιλιάρχων, &c. *Finita jam conscriptione ad modum dictum, Tribuni militum suæ cujusque legionis*, &c. ἐξορκίζουσιν, *sacramento adigunt*. Idem, palam & *signanter unum ex tota legione electum, qui singula juramenti verba conceperit*: ἐκ πάντων ἕνα ἐπιτηδειότατον, *ex omnibus maxime idoneum*. Recte; non itaque singillatim, quod tamen Polybius non oscitanter adnotat; οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀμνύουσι καθ' ἕνα

*προπδόμενοι. reliqui autem omnes adjurant singuli prodeuntes; nisi præivisse unum velit; alios deinde secutos, hoc saltem dixisse, Jurare se idem.* Hoc est quod Festus notaverat: *Præjurationes* . ( dixi cap. XIX. ) *facere dicuntur, qui ante alios conceptis verbis jurant, post quos in eadem verba jurantes tantummodo dicant, Idem in me.* Cæsar. I. *Civil. Centuriatim producti, milites idem jurant.* In Livio tamen aliter: nam *ille: post seditionem Hispaniensem ad Sucronem: Citati*, inquit, *milites nominatim apud Tribunos militum in verba P. Scipionis jurant. De Tribunis, idem est, quod in Polybio: sed militibus, nominatim citatos facit & jurasse. Potest tamen flecti ad hanc sententiam, ut singuli citati & progressi, juraverint in ea quæ unus aliquis præisset. Si hic aliter factum, noviter esto, & majori vinculo ob priorem fidem in seditione violatam. Tale aliquid in Appiano lego a Fimbria tentatum, cujus milites cum ad Sullam spectarent, ipse, subornatis quibusdam, nova religione sacramenti adstringere voluit.* ἐκβοησάντων δὲ τῶν Ενετῶν, ( ὠνητῶν corrigit Doctor meus ) ὅτι δέοι καλεῖν ἐπὶ τὸν ὅρκον ἐξ ὀνόματος, ὁ μὲν ἐκήρυττε τὸς εὖ τι παθόντας ὑπ᾽ αὐτῦ: *clamantibus autem Venetis ( corruptis & venalibus* legit Ocellus ille litterarum LIPSIUS ) *oportere nominatim citare ad Sacramentum, ipse quosdam ex beneficiariis suis citabat. Ecce hic nominatim vocandi erant, eodem illo fine. Ergo viritim jurarunt plurimum, nescio an semper. Dixeris quod per Centurias etiam*, ex Cæsaris I. *Civil.* cap. anterioris. *Sed potuit & in Centuriis præjuratio esse, & mox viritim conjuratio.* Formulam Jurisjurandi inscripsi capitis titulo, sed investigatam: tangunt eam scriptores, integram non dant. Dionysius aliquoties commemorat, sed verbis non iisdem. Lib. XI. Polybius ita; ἦ μὴν πειθαρχήσειν καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν. *Obtemperaturum se & facturum quicquid mandabitur ab Imperatoribus juxta vires.* Quæ verba Dionysius alibi transcribit: ὁ στρατιωτικὸς ὅρκος, ὃν ἁπάντων, μάλιστα ἐμπεδῶσι Ρωμαῖοι, τοῖς στρατηγοῖς ἀκολυθεῖν κελεύει ὅποι πότ᾽ ἂν ἄγωσι: *Sacramentum militiæ, quod omnium maxime Romani servant, jubet sequi Duces quocumque duxerint.* Lib. X. *discedit, aut certe plura adjungit*: Ακολυθήσειν τοῖς ὑπάτοις, ἐφ᾽ ὃς ἂν καλῶνται πολέμυς, καὶ μήτε ἀπολήψειν τὰ σημεῖα, μήτε ἄλλο πρᾶξαι μηδὲν ἐναντίον τῷ δήμῳ: *Secuturos se Consules ad quæcumque bella vocaverint, neque signa deserturos, neque aliquid adversum populum facturos. Hæc ita in Dionysio: at in Livio diversim ejus formulam reperio, & brevem istam* lib. III. *Conventuros se jussu Consulum, neque injussu abituros.* Hoc ille statim a regibus pulsis ita producit, ubi P. Valerius Capitolium recuperat. Iterat & reponit ipsa verba in bello Punico secundo lib. XXI. *Milites, &c.* ut in cap. proximo. Paulo secius lib. X *jurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque & stirpis composito, nisi isset in prælium, quo Imperatores dixissent; & si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset.* Ex his liquet jurasse milites statim a conscriptione, in castris Tribunis, Coss. inter se. In conscriptione, id est, scriptis militibus dies præfiniebatur, quo adessent, utque Consulibus citati responderent. Excipio, excusasse funus familiare, feriasque denicales ( vulgaris Cod. *vindemiales*, male, docet in præcedens τὸ funus ) Kalendasque quæ non ejus rei causa in eum diem collatæ sunt, quo isto die minus ibi esset: morbum sonticum, ( claret id ex Livio lib. VI. ) auspicium quod sine piaculo præterire non liceat; sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non possit, nisi ipsus eo die ibi sit; statutum condictumve diem cum hoste. Si cui eorum, harumce quæ causa erit, tum se postridie quam per eas causas licebit, eo die venturum, aditurumque eum qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit. L. Cincius apud Agellium cap. IV. lib. XVI. aliud juramentum suggerit: *Cum delectus antiquitus fieret, & milites scriberentur, in Jusjurandum eos Tribunus militum adigebat hoc modo. In Magistratu C. Lælii C. F. Consulis L. Cornelii P. F. Consulis, in exercitu decemque millia passuum prope furtum non facies dolo malo solus neque cum pluribus, &c.*

---

## Cap. XXIV.

*Ut Juratum sub Imperatoribus? Christianorum militum Jusjur. Imperatores aliquando vicissim se militibus suis Jurejur. obligasse. Scipionis novum Jusjur. & Samnitum. Quid sit militum quarta manu jurare? Jurasse per signa. Pœna militi ob violatum Jusjurandum.*

MILITES sub Impp. in Salutem Principis jurabant. Arrianus cap. XIV. lib. I. τῷ θεῷ ἔδει καὶ μᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι, ἀλλὰ ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύυσι πάντων προτιμήσειν τὴν τῦ Καίσαρος σωτηρίαν. *Deo præstandum nobis Jusjurandum est, quale militibus, Cæsari: at illi mercede accepta jurant rebus omnibus se præposituros salutem Cæsaris.* Tertull. *de Cor. Mil. Credimusne humanum sacramentum divino superduci licere? Et in alium Dominum respondere post Christum, & dejerare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari præcepit?* Vegetius cap. V. lib. II. Christianorum militum sacramentum indicat: *Picturis*, inquit, *in cute punctis, milites scripti, cum matriculis inseruntur, jurare solent: & ideo sacramenta dicuntur. Jurant aut per Deum & Christum & Spiritum sanctum, & per Majestatem Imperatoris, quæ secundum Deum generi humano diligenda est, & colenda.* Et mox; *jurant autem milites, omnia se facturos quæ præceperit Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Republica.* Porro Dio lib. I. Imperatorum Jusjurandum militibus præstitum asserit de Antonio: Καὶ ὁ Αντώνιος ἀντώμοσε τοῖς ἑαυτῦ στρατιώταις: *Antonius se quoque suis militibus juramento obstrinxit.* Livius lib. XXII. refert P. Scipionem stricto super capita deliberantium ferro jurasse pro hoste se habiturum eum, qui in verba sua non jurasset, effecit ut omnes minime relictum iri a se Italiam Jurejurando astringerentur. Quo traho & transcribo illud Livii X. ubi Samnites superstitioso quodam Sacramenti genere & ritu initiantur: *Opes Deorum etiam adhibuerant ritu quodam Sacramenti vetusto velut initiatis militibus, delectu per omne Samnium habito nova lege; ut qui juniorum non convenisset ad imperatorium edictum, quique injussu abesset, caput Jovi sacratum esset, tum exercitus omnis Aquiloniam est indictus ad quadraginta millia militum, quod roboris in Samnio erat, convenerunt: ibi mediis fere castris locus est conseptus cratibus, pluteisque & linteis contectus, patens ducentos maxime pedes in omnes pariter partes. Ibi ex libro vetere linteo sacrificatum, Sacerdote Ovio Paccio quodam, homine magno natu, qui se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitium religione, quo quondam usi majores eorum fuissent, cum adimendæ Hetruscis Capuæ clandestinum cepissent consilium. Sacrificio perfecto, per viatorem Imperator acciri jubebat nobilissimum quemque genere factisque; singuli introducebantur: erat cum alius apparatus sacri, qui perfundere animum religione posset: tum in loco circa omni contecto aræ in medio, victimæque circa cæsæ, & circumstantes centuriones strictis gladiis. Admovebatur altaribus miles, magis ut victima, quam ut sacri particeps,*

*adigebaturque Jurejurando, quæ visa auditaque eo in loco essent, non enunciaturum: dein jurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque & stirpis composito, nisi isset in prælium; quo imperatores duxissent.* Novum quoque militibus est quarta manu jurare. Id Fridericus Imp. instituit Constitutione de Pace: *Si rusticus*, ait, *de violata pace pulsans manu sua juraverit, quod non de voluntate sua, sed de necessitate hoc fecit, manu militari* (lege quarta) *se miles expurgabit.* Quod ita explicat consultissimus Cujac. *Si rusticus militem violatæ pacis reum deferat, jurare prius debet de Calumnia, miles autem manu quarta se debet expurgare.* Signa militum dicta, & habita sacra, ex Dionys. lib. VI. τ̃ ἱερῶν σημείων (ita emendat Doctor meus, pro ταγμάτων) *Ad hoc ipsum autem, de Signis in Sacramento, Seneca aspexit epist.* XCVI. *Primum militiæ vinculum est religio, & signorum amor, & deserendi nefas.* Atque hinc apud Signa Jusjurandum exactum & præstitum sæpe, in Tacit. Ann. XV. *Jurejurando Pæti cautum apud signa.* Sed & solennes plærique castrorum actus ibi habiti: jus dictum; præposita edicta; litteræ lectæ & habitæ adlocutiones: castigatio ac interdum animadversio & discinctus cinctusque ibidem, de quo fuse Brissonius cap. VI. lib. II. *Sel. Antiq.* Pœna vero militi ultra perjurii, sanguinis dimissio in Agellio cap. VIII. lib. X.

## CAP. XXV.

*Græci milites ut jurarint cum Xerxis copiis congressuri? Ut a milite juratum sub Imperatoribus? Christianorum militum Jusjurandum. Tumultuarii milites ut jurarint? de Gladiatorio Jurej. Athletas jurasse, eorum patres, propinquos & quid? Jupiter* ὅρκιος. *Athletarum judices vicissim.*

GRÆCI omnes, adversus Xerxis copias dimicaturi, plenum Spiritus Jusjurandum juravere: ὐ ποιήσομαι περὶ πλείονος τὸ ζῆν τ̃ ἐλευθερίας, ὐδὲ καταλείψω τὺς ἡγεμόνας, ὔτε ζῶντας, ὔτε ἀποθανόντας. ἀλλὰ τὺς ἐν τῇ μάχῃ τελευτήσαντας τῶν συμμάχων ἅπαντας θάψω. καὶ κρατήσας τῷ πολέμῳ τὺς βαρβάρυς, τῶν μὲν μαχησαμένων ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος πόλεων ὐδεμίαν ἀνάστατον ποιήσω. τὰς δὲ τὰ τῦ βαρβάρυ προελομένας ἁπάσας δεκατεύσω, καὶ τῶν ἱερῶν τῶν ἐμπρησθέντων, καὶ καταβληθέντων ἀπὸ τῶν βαρβάρων ὐδὲν ἀνοικοδομήσω παντάπασιν, ἀλλὰ ὑπόμνημα τοῖς ἐπιγινομένοις ἐάσω καταλείπεσθαι τῆς τῶν βαρβάρων ἀσεβείας. *Vitam libertate pluris non faciam: neque deseram Imperatores, neque vivos neque mortuos, sed eos e sociis, qui in prælio occubuerint, omnes sepeliam: & cum barbaros devicero ex iis quidem civitatibus, quæ pro Græcia pugnaverint, nullam devastabo: quæ autem barbari partes sequi maluerint, omnes decimabo. Fanorum quæ a barbaris incensa & diruta sunt, nullum omnino excitabo, sed sinam impietatis barbaricæ exstet in omni posteritate monumentum.* Sub Imperatoribus milites ante omnia jurabant, in salutem Principis: Arrianus cap. XIV. lib. III. τῷ θεῷ δεῖ καὶ ἡμᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι. ἀλλὰ ἐκεῖνοι μὲν τ̃ μισθοφορίων λαμβάνοντες ὀμνύυσι πάντων προτιμήσειν τὴν τῦ Καίσαρος σωτηρίαν. *Deo præstandum nobis Jusjurandum est, quale militibus Cæsari: at illi mercede accepta jurant rebus omnibus se præpostituros salutem Cæsaris.* Aliquid de hoc Tertull. *in Coron. militis.* Cæterum Tumultuarii milites non jurarunt singuli: necessitate enim aliqua electi, ad unum duntaxat bellum militant, cum vicinum urbis periculum, singulos jurare non patitur. Virgilius *Æneid.* VII. id indicat;

*—— simul omne tumultu*
*Conjurat trepido Latium.*

De duplici gladiatorum genere dictum. Et liberi quidem jurabant quod legitimi, id est, coacti servi damnati, captivi. Formula adeo ipsa juramenti in Petronii Arbitri fragmentis: *In verba Eumolpi*, inquit, *sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari: & quidquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores Domino, corpora animosque religiosissime addicimus.* Horat. II. Serm.

*Quid refert, uri, virgis ferroque necari*
*Auctoratus eas? an turpi clausus in arca?*

Seneca epist. XXXVII. *Eadem honestissimi hujus & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, uri, vinciri, ferroque necari. Ab illis qui manus arenæ locant, & edunt ac bibunt quæ per sanguinem reddant, cavetur ut ista vel inviti patiantur; a te ut volens libensque.* Allusit Tibullus Eleg. X. lib. I.

*Ure meum potius flamma caput, & pete ferro*
*Corpus, & intorto verbere terga seca.*

Sed in Senecæ loco *vinciri* verbum suspectum habeo, & fortasse lego *virgari*: (suspiciter se semper hoc legisse sagacis ingenii, & severi judicii vir Petrus Simon Buetus Tolosæ Senator Amplissimus testatus est sæpe, etiam invisa lectione Doctoris mei) Placet autem legi *virgari*: In tria enim jurabant, ustionem, verbera, necem: quæ gladiatores patiebantur ex more. Necem, cum cecidissent, & ferrum juberentur recipere: flammam & verbera, si quando timidius pugnarent, aut fugerent a ferro. De Athletarum Jure hæc jurando reperio. Statua erat Phidiæ, omnium quæ cogitari poterant terribilissima, fulmen manibus habens: ibi Olympici Athletæ, præsidibus Amphyctionibus maximis Græciæ judicibus jurare se sine dolo malo legitime certaturos. Dico apertius ex Tzetze, Ἑλλανοδίκαι non solum de palmario, quod βραβεῖον vocabatur, judicabant, sed etiam instar Censorum Romanorum disciplinam severe ab Athletis exigebant. Quemadmodum Censores ex animi sententia equitem ad Jusjurandum adigebant, an equum bene curarent, ita etiam Ἑλλανοδίκαι Athletas jurare cogebant, ut intelligerent, an omnes disciplinæ numeros, per decem menses ante certaminis diem, complessent. Quamobrem in Curia Elidensium, terribile nomen erat Jovis cognomento ὅρκιος, utraque manu fulmen tenens. Coram hoc signo, non γυμνασταὶ καὶ ἀθλεταὶ, sed etiam illorum patres, fratresque jurabant, nihil ab athletis eorum quæ ad disciplinam pertinent, omissum aut neglectum fuisse. Si scientes fallerent, sibi omnia mala imprecari. Cujus rei gratia porculo piaculo faciebant, ad cujus cæsa & porrecta Jusjurandum concipiebatur, quo peracto porcum abjiciebant, neque eo vesci fas erat. Omnia enim τόμια ὅρκια, non alia victima quam porco fiebant. Docet id Homericus Præco dicens:

Η καὶ ἀπὸ σφαράγυ κάπρον τάμεν νηλέϊ χαλκῷ
Τὸν μὲν Ταλθύβιος.

& Pausanias: τῷ κάπρῳ δὲ ὅ, τι χρῆσθαι σφίσι, μετὰ τῶν ἀθλητῶν τ̃ ὅρκον καθέστηκεν; ὐκ ἐμνημόνευσα ἐπερέσθαι. Jurabant & ipsi Hellanodicæ vicissim se nullum munus neque ab eorum affinibus, neque eorum nomine accepturos.

## CAP. XXVI.

*Transitum ad externos. De Iurejurando Pharisæorum, Aegyptiorum, Hebræorum: jurasse hos per Deum, mare, aquam, æthera, cœlum & terram. Judæos etiam per habitaculum sive templum jurasse, per legem, ritu ævi nostri.*

HACTENUS unius pene constitit populi Jusjurandum Imperio; nunc Diludia dabuntur, non ut mos, in ludi medio: sane pari fine, tædii levandi inquam. Itaque cum venia licet ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν; & sit hoc inter laboris mei delicta. Dodralis erunt quæ sequuntur Ausonianæ potionis instar, mixta, permixta, omnia. Enimvero quid mirum aut novum, si tot Juramenta, cum diversarum gentium mentiumque tot jura, tot religiones, tot ritus, tot Dii? quid variarum dico? imo Divus Pius l v. D. *de Jurej. Jurejurando quod propria superstitione juratum est, standum rescripsit. Matthæi* v. cap. v. xx. Scribas & Pharisæos arguit Dominus injustitiæ: v. XXXIII. perjurii, ubi & subindicare illorum in Jurejurando usum reprehensione videtur: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ, μήτε ἐν τῇ γῇ, ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ. μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως. μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque in cœlo, quia thronus est Dei: neque in terra, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis: neque in capite tuo juraveris, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.* Mos ille Pharisæorum per cœlum, forte ex locis Scripturæ male intellectis ortum ducit, *Amos* VIII. v. VII. *Juravit Dominus per excellentiam Jacob*: quod enarrant R. David & Aben-Esra, *per cœlum*, cum sensus sit, per seipsum. Alibi, *per me juro*. Ejusdem sententiæ est, *juravit Dominus per animam suam*. Per terram jurare suos docebat cogebatque Elxai: ejus in D. Epiphanio mentio: πονηρὸς δὲ ἄρα καὶ ἐν τῷ Ἠλξαῒ λαλήσας, ὁ καταναγκάσας οὐ μόνον ἐν θεῷ ὀμνύναι, ἀλλὰ καὶ ἐν ἁλί, ἐν ὕδατι, ἐν αἰθέρι, καὶ ἐν ἀνέμῳ, καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ ἐν οὐρανῷ. quod & ad Hebræos referri potest. Juravere quidem ita, sed irrito Jurejurando. Capito in Oseam: *Judæi negant*, ait, *Jusjurandum esse, si quis per cœlum aut per terram dejeret, nisi edixerit per eum qui habitet in cœlo*: & iterum, *execrationi neminem existimant obnoxium, nisi eum qui nomen Dei addiderit*. Id probat ex Thalmud tractatu *de Jurejurando*. Anne hinc Græci illa Deos credebant? sane Menander de Epicharmo clare:

> Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
> Ἀνέμους, ἥλιον, γῆν, ὕδωρ, πῦρ, ἀστέρας.
> *Epicharmus esse censuit quondam Deos*
> *Ventos, aquam, terram, atque solem, & sidera.*

Porro qua Aegyptios, illi Aben-Esræ ævo, per caput Regis jurabant, quod qui Jusjurandum violasset, capite plectebatur, nec pretio se redimere poterat. Ait is *Exodi* x. v. VII. *Consuetudo Aegyptiorum est bodie, ut jurent per caput Regis: quod si juraverit, nisi ratum habuerit verbum suum, reus est mortis. Nec pondo auri, quod offert pro redemptione sua, eum liberare potest, quandoquidem publice contempsit Regem.* Juratum præterea ab Hebræis (ita prius dictos D. August. lib. x. *de Civit. Dei* docet) sive Judæis per habitaculum, Baba ben Buta, Rabban, Gamaliele & aliis formula; Abraham Salmanticensis id asserit: *Baba filius Buta jurabat per hoc habitaculum*: & post; *Zacharias filius Havaseb dicebat, per hoc habitaculum non mota fuit manus ejus*. Rabb. Zema Haggaon quid hoc verbo intelligeret exposuit, *quia viderat destructionem templi, ideo juravit, per hoc habitaculum*. Sed errat, nam & Baba filius in fine *Cheritbuth*, & R. Gamaliel in principio ejusdem sic jurant ex more, talis enim in Israel. At R. David *Jes.* XIII. cap. xx. aliud Juramentum narrat per legem, quod est, cum homo dicit, per legem erit istud sic vel sic, Fagius adnotat ad Onkelum *Exod.* XXI. Judæos hodie cum jurant ponere manum super librum legis, & hoc solum Jurandum pretii esse, cætera vilipendi. Hinc fortean ad nos consuetudo, qua manus Evangeliis adponimus, de quo cap. II.

## CAP. XXVII.

*Pharisæos in templo vanum æstimasse, in auro templi, ratum, si juratum; idem, in altari, non in dono, quod super illud. Thesmothetæ ut jurarint Athenis? Hospites jurasse; Euripidi lux.*

TOTUM caput D. Matthæi XXIII. in Pharisæos est, quorum etsi nomen desiit, Deus! quam multi re & effectu; quod indigneris, minorum gentium quisquiliæ & sordes, πλατύνοντες τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. At de Pharisæis Apostolus affirmat quod in cap. est lemmate, vers. XVI. οὐαὶ ὑμῖν ὁδηγοὶ τυφλοί, οἱ λέγοντες, ὃς ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ, οὐδέν ἐστιν. ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ, ὀφείλει. μωροὶ καὶ τυφλοί. τίς γὰρ μείζων ἐστὶν ὁ χρυσός, ἢ ὁ ναὸς ὁ ἁγιάζων τὸν χρυσόν; καὶ ὃς ἐὰν ὀμόσῃ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδέν ἐστιν. ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ δώρῳ τῷ ἐπάνω αὐτοῦ, ὀφείλει. μωροὶ καὶ τυφλοί. τί γὰρ μεῖζον, τὸ δῶρον, ἢ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον, ὁ οὖν ὀμόσας τῷ θυσιαστηρίῳ, ὀμνύει ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ. καὶ ὁ ὀμόσας ἐν τῷ ναῷ, ὀμνύει ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν τῷ κατοικοῦντι αὐτόν. καὶ ὁ ὀμόσας ἐν τῷ οὐρανῷ, ὀμνύει ἐν τῷ θρόνῳ τοῦ θεοῦ, καὶ ἐν τῷ καθημένῳ ἐπάνω αὐτοῦ. *Væ vobis duces cæci*, *dicentes: Quicumque juraverit in templo*, seu per templum, *nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti & cæci: quid enim majus est, aurum, aut templum sanctificans aurum? Et quicumque juraverit in altari, nihil est, quicumque autem juraverit in dono quod super illud, debet. Stulti & cæci: quid enim majus, donum, an altare quod sanctificat donum? Ergo jurans in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud. Et jurans in templo, jurat, in illo, & in habitante illud. Et jurans in cœlo, jurat in throno Dei, & in sedente super eum.* In vetustissimis δευτερώσεων Judaicarum legibus cavebatur, *non jurare per Korban* assertum *Matth.* cap. XXIII. Etsi Græcus id ἐν τῷ ναῷ *per templum*, vertat: cum Syrus Paraphrastes utatur hic verbo *Korbona*. Theophrastus vero ait, *Korban*, *juramenti genus est*. D. tamen Marcus VII. v. XI. nominatim *Korban* interpretatur ὅ ἐστι δῶρον. Est siquidem proprie donum sive munus, quod Deo offertur. Unde apud Epiphanium δῶρον τῷ θεῷ: & in Theophylacto δῶρον τῷ θεῷ ἀνατεθειμένον. Jurare vero per Korban hanc sententiam habet, juro per munus, si quacumque re a me, sive quod ad me attinet, juvaberis. Qui sic jurasset, non tenebatur jurare parentes, aut eorum inopiam sublevare. Julius Pollux cap. IX. lib. VIII. *Onom.* nomina Atheniensis Magistratus proponit. Hos inter Thesmothetas, de quibus sic: ἐκαλεῖτο δέ τις θεσμοθετῶν ἀνάκρισις, εἰ Ἀθηναῖοι εἰσὶν

κἀκατέρωθεν ἐκ τριγονίας, καὶ τῶν δήμων ποθέν. καὶ εἰ Ἀπόλλων ἐστὶν αὐτοῖς πατρῷος, καὶ Ζεὺς ἕρκιος, καὶ εἰ τοὺς γονέας εὖ ποιοῦσι, καὶ εἰ ἐστρατεύοιτο ὑπὲρ τ πατρίδος, καὶ εἰ τὸ τίμημα ἐστιν αὐτοῖς. ἐπηρώτα δὲ ἡ βουλή, ὤμνυον δὲ ἐπὶ πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ, ἢ ἐπὶ τῷ λίθῳ, ἐφ' ᾧ τὰ συμβολαῖα, ἢ χρυσῆν ἀνδριάντα ἀποτίσαι. ἐπὶ ἐντεῦθεν εἰς ἀκρόπολιν ἀνελθόντες, ὤμνυον ταῦτα. *Erat & quædam Thesmothetarum discussio appellata, num scilicet ex utroque parentes Athenienses sint, a tertia usque generatione, & ex quibus populis oriundi: num Apollo ipsis sit patrius, & Jupiter Hercæus: num. &c.* Medea apud Euripidem Aegeo hospes futura, fidem ei non prius habet, tutum sibi apud eum hospitium futurum, quam id Jurejurando rogatus firmet: quod cum ille miraretur, & an sibi diffideret quæreret; prudens & callida mulier respondet:

Μη. Πέποιθα. Πελίου δὲ ἐχθρὸς ἐστί μοι δόμος,
Κρέων τε. τούτοις δ' ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς
Ἄγουσιν οὐ μεθήσειν ἐκ γαίας ἐμέ.
Λόγοις δὲ συμβὰς, καὶ θεῶν ἀνώμοτος,
Φίλος γένοι' ἂν, κἀπικηρυκεύμασιν
Οὐκ ἂν πίθοιο. τὰ μὰ μὲν γὰρ ἀσθενῆ,
Τοῖς δ' ὄλβος ἐστὶ, καὶ δόμος τυραννικός.

Me. *Confido. Sed domus Peliæ est mihi inimica,*
*Et Creon. his enim si Jurejurando devinctus fueris,*
*Abducere volentibus me ex agro non permittes, nec trades.*
*Verbis vero compositione facta, & Diis Jurejurando obstrictus*
*Amicus eris mihi, & inimicorum meorum legationibus*
*Non parebis, ut ipsis me dedas. Res enim meæ sunt infirmæ,*
*Illis vero sunt opes, & domus regia.*

Versus & interpres subobscuri: clarius sic, Fido tibi Aegee, at inimica domus Peliæ mihi; inimicus & Creon: si venerint, animo ut me finibus abducant tuis, tu id non permittes, neque me trades eis: nam Jurejurando mihi obnoxius deterreberis. Quod si nudis duntaxat verbis mecum conveneris, neque Deos testes adhibueris, tum te amice fortassis cum illis geres, neque conventis stabis. Et mox mulieris prudentiam probans Aegeus subdit:

——— ἐξηγοῦ θεούς.
*Præi verbis quos jurem Deos.*

Medea præit:

Μη. Ὄμνυ πέδον γῆς, πατέρα θ' ἥλιον πατρὸς
Τοὐμοῦ, θεῶν τε συντιθεὶς ἅπαν γένος.
Αι. Τί χρῆμα δράσειν; ἢ τί μὴ δράσειν; λέγε.
Μη. Μήτ' αὐτὸς ἐκ γῆς σῆς ἔμ' ἐκβαλεῖν ποτε.
Μήτ' ἄλλος ἤν τις τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν ἄγειν
Χρήζῃ, μεθήσειν ζῶν ἑκουσίῳ τρόπῳ.
Αι. Ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς,
Θεούς τε πάντας, ἐμμένειν ἅ σου κλύω.
Μη. Ἀρκεῖ. τί δ' ὅρκῳ τῷδε μὴ μένων πάθοις;
Αι. Ἃ τοῖσι δυσσεβοῦσι γίγνεται βροτῶν.

Med. *Jura solum terræ, & Solem patrem patris*
*Mei, & totum simul genus Deorum.*
Aeg. *Quam rem facturum, aut quid non facturum? dicito.*
Med. *Quod neque tu ejecturus me sis unquam e terra,*
*Neque alius si quis meorum inimicorum me abducere*
*Velit, permissurum te id viventem & volentem.*
Aeg. *Juro terram, & splendidum lumen Solis,*
*Et omnes Deos, me his staturum, quæ ex te audio.*
Med. *Satis est: quid autem patieris, si non præstiteris hoc Jusjurandum?*
Aeg. *Quæ hominibus impiis solent accidere.*

---

CAP. XXVIII.

*Persarum Regum Jusjurandum per Mithram, quid hoc? Assyriorum. Laconum, Thebanorum, Cappadocum, Ionum, Syracusanorum, Armeniorum, Aphrorum, Aethiopum. Jusjurandum Athenis a futura uxore fieri solitum. Scytharum per Acinacem. Arcadum, Frisionum, Longobardorum, & Francorum: qui accusati homicidii duodecima manu se purgabant Jurejurando.*

De Mithra multa multi, quam sincere aut tempestive non dico, neque enim hic Massoritam agere institui. Jurasse per eam Persas dixi; idque ut autorum fide probem, restat. Xenophon *in Oeconomico* id docet, ubi Lysandro respondet Cyrus ὄμνυμί σοι τὸν μίθρην, ὅταν ὑγιαίνω, μηπώποτε δειπνῆσαι πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τῶν πολεμικῶν ἐργῶν μελετῶν φιλοτιμούμενος. Egregia & regia vox: *juro testorque Mithram* (solem) *me cum valeo, nunquam prius accumbere, quam aut bellicum aut rusticum opus exercitatione meditans, aut aliquid ex eo genere, quod magni facio & efficere contendo perfecerim.* Solem dixi, quia Mithra Sol ipsis, & per eum jurare solenne. Hujus simulacrum rictu Leonis fingebant, cum tiara prisco habitu, utraque manu tauri premens cornua. Statius hujus meminit 1. *Thebaid.*

*Adsis o memor hospitii, Junoniaque arva*
*Dexter ames, seu te roseum Titana vocari*
*Gentis Achemeniæ ritu, seu præstat Osirim*
*Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri*
*Indignata sequi torquentem cornua Mithram.*

Aperte Strabo lib. xv. Persæ cœlum Jovem putarunt: colunt Solem quem Mithram vocant. Madaurensis Milesiorum scriptor lib. extremo, pro summo sacerdote usurpat, ipsumque Mithram illum suum sacerdotem, præcipuum sacrorum ministrum facit. Meminit & Curtius lib. iv. Lutatius, Xenophon lib. iv. & viii. Pausanias *Laconicis* & Justinus, Tertullianus *adversus Marcionem*, & *de Præscriptionibus*, ac *de Corona Militis*, Martianus Capella lib. iii. D. etiam Hieronymus, etsi de sacris Mitricis (de his & Lampridius *Commodo* Romam advectis) *ad Lætam* de institutione filii, & in iii. *Amos*. lib. i. *adversus Jovinianum*; Suidas, Eusebius, Nicephorus & alii. Callisthenes *in vita Alexandri* Darium per Jovem jurasse coram Alexandro ait: ὄμνυμί σοι Δία τὸν μέγιστον, καὶ ἐμὸν πατέρα, *Juro tibi Jovem maximum, meumque patrem*, alia usurpatione & ritu quam a cæteris acceptum. Aliam etiam Herodotus lib. 2. tangit, ubi Mithram Venerem esse vult, non Clemens Alex. *in Protrep.* & Plutarchus *in Artaxerxe*. Tzetzes quoque solem Mithram esse Persis affirmat. Eum firmat Suidas, Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις, & vetus Inscriptio:

SOLI MITHRÆ

Et alia,

ΗΛΙΩΙ ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩΙ.

Item Plethon *in Oraculis Magicis* ex Plutarcho alio trahit hanc vocem: *ὡς τειχῆ τὰ ὄντα διέλοι καὶ τῇ μὲν πρώτῃ αὐτῶν μοίρᾳ Ὡρομάζην ἐφιστῶν; τοῦτον δὲ εἶναι τὸν ὑπὸ τῶν λογίων πατέρα καλούμενον. τῇ δὲ ἐσχάτῃ Ἀριμάνην, Μίθρην δὲ τῇ μέσῃ*; refert autem Plutarchus de Zoroastre, *quod res omnes in tria genera distribuerit, & primæ quidem illarum parti sive generi Horomazen præfecerit, eundem cum eo quem Oracula patrem vocitant; ultimæ vero Arimanem, mediæ Mithram*. Denique Moschopuli Μίθρα, quam πολεμικὴν ζώνην appellat, nihil ad nos. Per Semiramin jurasse Assyrios testatur vetus Glossarium MS. verbis, Semiramis ὅρκος. Hinc Semiramis ATOSSA SABE dicitur, quasi ATOSSA SABE, id est, *Semiramis juramenti*, sive *columba Juramenti*. Hesychius eam columbam nominatam docet, Σεμίραμις περιστερά. Sabe vero dicebatur Semiramis a Syris in signum Religionis, & vocabatur SABE, quasi Bethsabe, hoc est, filia Juramenti. De Lacedæmoniorum Jurejurando ab Ephoris præstito dixi cap. VIII. cis finem, qui etiam jurabant Argivos per Deos. Thebani per Osiridem. Cappadoces montem colebant, & per hunc jurare iis solenne. Iones per cramben apud Teleclidem, Epicharmium & Eupolim. Cereis ignitis tactis jurabant Syracusani. Templum erat Armeniis Agnaitidis Deæ, quam mire observabant; hi de rebus maximis juraturi, Deam jurabant. Per viros insignes, quorum eximia viventium virtus, Aphri jurare. Aethiopes corpora defunctorum quos in vita colebant vitro adservata adjurabant: per aquam Sardaricinam Indi, quæ apud Magos e fonte manabat. Si quis autem sancte jurare instituerat, eum per octo numina attestari Orpheus voluit, Ignem, Aquam, Terram, Cœlum, Lunam, Solem, Phanem, Noctem. Prienensium quoque spectatum Jusjurandum. Ad locum, Quercus, cum Milesiis decertarunt, ibique liberis aliisque amissis, si quid sanctiore fœdere firmare vellent per tenebras, quæ apud Quercum jurabant. De Siculorum Juramento dictum cap. XVI. ubi de Palici. Illis addo Aristotelem non dissimile de fonte Acadino narrare, in quo tabellas inscripto juramento, si recte juratum foret supernatare, neque liquore perfundi asseverat; si perperam, mox in profundum rapi, neque apparere ultra. Sardiniam habere ejusmodi aquarum scaturigines fabulantur, in quibus mersus, si pejeraret, cæcitate crimen luebat; integer scelerisque purus, clarius videbat. Lex Athenis erat, ut si Atheniensis peregrinam virginem uxorem duceret, ea venderetur. Ducit Neæram Stephanus, concubinæ loco esse affirmat, non uxoris. Jurasse autem uxorem futuram se virginem esse hac formula; *ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας*. *Sancte jura quod pura sum e cæteris immundis, & a viri congressu*. Lepidum illud Luciani est *in Toxari*, sed non indignum quod imitentur, qui quævis dicta pro veris obtrudunt. Narraturus Amicitiæ exempla Græcus & Scytha, veritatem sacramento obstringunt. Atque hic prior, *age*, inquit, *Mnenippe, dicito, verum adjuratus, nimirum nihil a veris dicturum: nam fingere ejusmodi proclive est, & obvium, palam autem refelli non queant. At si juraris, nefas sit non habere fidem*. *Respondet Toxaris* (id Scythæ nomen) *jurabimus si quid etiam Jurejurando opus esse censes, &c.* Et post jurat Mnenippus: *Testis esto Jupiter, quæcumque dicturus sum apud te, ea nimirum, vel quæ viderim ipse, vel quæ ab aliis, quoad fieri poterit, diligentissime perceperim, narraturum, nihil ex me ipso comminiscentem elevantemque*. Mox narratione finita, jurat Toxaris Jusjurandum Scytharum: *non per ventum & Acinacem* hunc Deum coluisse Scythicas gentes Ar. lib. VI. ait) *quicquam mentiturus sum apud te de Scythicis*. *Risit juramen-*

A *ta Græcus, quod Deos testes non adhiberet*. *At* Toxaris, *Scythas inquit, per ventum, vitam; per acinacem mortem intelligere affirmat; quod ille vitæ, hic mortis auctor sit*. Arcades per aquam Stygis jurasse testis est Herodotus lib. III. ubi Cleomenes primores Arcadum ad Nonacrim ductos ad id Jusjurandum adigit; de quo etiam Plutarchus *in Lacon*. Plæraque ad Boream habitans populus Jure olim jurando firmare consueverat aut solvere, Francos inquam, Langobardos, Westphalos, Bojos, Frisiones, idque legibus eorum statutum erat. Apud hos tit. XIV. *de homine in turba occiso*, hæc lego: *Si homo quislibet in seditione ac turba populi*
B *fuerit interfectus, nec homicida potuit inveniri, propter multitudinem eorum qui aderant, licet ei qui compositionem ipsius quærere vult de homicidio, usque ad septem homines interpellare, & unicuique eorum crimen homicidii objicere; & debet unusquisque eorum sua duodecima manu objecti criminis se purificare sacramento. Tunc ducendi sunt ad Basilicam, & sortes super altare mittendæ, vel si juxta Ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias sanctorum, quæ sortes tales esse debent. Duo tali de virga præcisi, quos* tenos *vocant, quorum unus signo Crucis insocatur, alius purus dimittitur, & lana munda ob-*
C *voluti super altare seu reliquias mittuntur, & si Presbyter deest, puer quilibet innocens, unum de ipsis sortibus de altari tollere debet, & interim Deus exorandus, si illi septem qui de homicidio commisso juraverant, verum jurassent, evidenti signo ostendat. Si illum qui Cruce signatus est, sustulerit, innocentes erunt qui juraverunt: si vero alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem, faciat suam sortem, id est, tenum de virga, & signet signo suo, ut eum tam ille quam cæteri qui circumstant cognoscere possint, & obvoluta lana munda, & altari, seu reliquiis imponantur, & si Presbyter adfuerit, si vero non, ut superius, puer innocens, unumquemque*
D *illorum sigillatim de altari tollat, & ei qui suam sortem esse cognoverit, rogat cujus sortem extremam esse contigerit, ille compositionem homicidii persolvere cogatur, cæteris, quorum sortes prius levatæ sunt, absolutis*.

---

## CAP. XXIX.

E *Livonium Jusjur. ferro candenti adhibito. Jusjur. Aphrodisæum seu Venereum. Constantini Magni sanctissimum. Pythagoræ, Socratis, Sophoclis, Zenonis, Arnobii, Cleopatræ. Judæi cujusdam ridiculum ex Talmud. An per hæc Christiano jurare permissum?*

P. VALER. *fuit*, inquit, *apud quosdam e nostris populos Juramenti atque judicii ferro candentis superstitiose potius quam pie per æditumos templi in Livonia observata consuetudo: sceleris alicujus accusati ad ferri cadentis judicium vocabantur, & id subire nonnunquam vel inviti compellebantur. Id*
F *erat ejusmodi ut criminis reus, ferrum candens e mediis prunis exemptum, in manus caperet, observatoribus & judicibus ostentaret, sique adustione nulla subsequuta illæsus esset, absolveretur. Purgabat vero se prius jejuniis, confessione, & Eucharistia, mox ad horrificum illud experimentum accedebat. Id, quia periculosum erat, & insontes aliquando ex eo condemnabantur, præcipue vero contra Christianæ pietatis mores erat, Deusque tentari videbatur, Honorius* III. *fieri per gravissimum edictum vetuit, ut Decretalium lib. V. tit.* XXXVI. *de Injuriis cap.*

III. *habetur*. Scribit interpres Sophoclis in Antigonem: *εἰώθασιν ὀμνύοντες, καὶ πίστεις διδόντες, μύδρους βαστάζειν, καὶ πῦρ ὑπερβαίνειν*, *jurantes fidemque adstringentes soleant ferrum ignitum gestare, ignemque superare & transgredi*. Jusjurandum Aphrodiseum multis obvium, aliisque Venerium, Amatorium, volaticum, mihi ridicularium dicetur. Plautus enarrationis chorum ducet, qui *in Pœnulo* Aphrodisia Veneris esse festum diem ait. Plato *in Convivio*; Ἀφροδίσιος, inquit, ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. Ex quo forte Ovid.

*Juppiter ex alto perjuria ridet amantum.*

& Horatii Od. VIII. lib. I.

*Ridet hoc inquam, Venus ipsa, rident*
*Simplices Nymphæ.*

Tibulli Eleg. extrema lib. III.

*——— perjuria ridet amantum*
*Juppiter, & ventos irrita ferre jubet.*

Hoc Juramentum, quia amantum est, irritum putabant, neque ad Deos quicquam pertinere, tamquam jocosum. Meminit & Procopius Epistola ad Epiphanium ultima: *καλῶς ἄρα ᾔδει τὸ τῶν ἐρώντων πάθος ἡ παροιμία, κἂν ἐπιορκεῖν ἐθέλωσι συγγνώμην αὐτοῖς ἐκ θεῶν ἐπαγγέλλεται*: *pulchre novit amantium affectum proverbium, etiamsi pejerare voluerint, veniam illis a Diis pollicetur*. Volaticum dixi etiam hoc Jusjur. quod *ταχυβάμων ὅρκος* efferebant Græci, quasi dicto citius avolaret & evanesceret. Aristarchus apud Eudemum, *κατ' ἀντίφρασιν* accipit, tardum jubens esse oportere Jusjur. neque statim interire si quid juraris. Lucianus in illo sæpe cavillatur, dum amatores per Cererem, Proserpinam & Minervam jurare facit. Porro Constantini M. Imp. pulcherrimum ( ut de singulariis Juramentis nonnulla ) sanctissimumque Jusjur. est l. IV. C. Theod. Tit. *de Accusat. & inscriptio*. *Si quis cujuscumque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque judicum, comitum, aulicorum, vel Palatinorum meorum, aliquid veraciter & manifeste probare posse confidit, quod non integre atque juste gessisse videatur; intrepidus & securus accedat; interpellat me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo, dicat securus & bene sibi conscius dicat: si probaverit, ut dixi, ipse me vindicabo de eo qui me usque ad hoc tempus simulata integritate deceperit. Illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa divinitas semper propitia sit, & me incolumem præstet, ut cupio felicissima & florente Rep. P. P. XX. Kal. Octob. Nicom. Paulino & Juliano Consf.*

O aurea vox! atque utinam Principes legant & imitentur. Pythagoræ suum Jusjurandum erat. Lucianus *in Vitar. Auct.* id aperit, ubi mercatorem Arithmeticam docturus Pythagoras id profert: Merc. *unum, duo, tria, quatuor*. Pythag. *vides decem esse ea quæ tibi videntur quatuor, perfectum trigonum, nostrumque Jusjurandum*? Merc. *per maximum igitur Juramentum quatuor, nunquam, &c.* Plutarchus *de Opin. Philosophorum* cap. III. lib. I. cum denarii & quaternarii vim declarasset, addit: *διὸ καὶ ἐπεφθέγγοντο οἱ Πυθαγόρειοι ὡς μεγίστου ὅρκου ὄντος τῆς τετράδος*. *Solent Pythagorici quaternarium, tanquam maximum Jusjurandum jurejurare*. Laert. lib. VIII. *in vita Pythagoræ*, cum per aerem quem spirat, jurasse dicit, per aquam quam bibit. Socrates per canem ( Horatii Scholiastes ad serm. IV. lib. II. id Pythagoræ tribuit ) & Platanum in Luciani vitis, jurat, cum ratione: Sophocles per Castorem & Pollucem; Zeno per capparim, de quo Athenæus lib. IX. Arnobius lib. IV. *per humani generis jura, atque ipsius mortalitatis consortia*. Dio Cass. lib. I. Cleopatram solitam esse, *ὁπότε τι ὀμνύοι, ποιεῖσθαι τὸ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ δικάσαι*, *si quid Jurejurando affirmaret, jus quod esset datura in Capitolio juramento adstringebat*. Misceamus condiamusve dulciario hoc Jurejurando caput, Judæi sacramento; Rabbi Eliezer morti proximus impetravit a Domino, cui se addixerat, ut ad portas cœli adduceretur, ut cœlitum duntaxat inspiceret bona lætusque moreretur. Adductus a dæmone quo voluerat, caput intra portas cœli intulit, cumque placuisset, juravit se non recessurum: Deus, ne ad perjurium hominem compelleret, coactus est in cœlo retinere. Autores mihi rei levissimæ viri gravissimi Sixt. Senensis *Biblioth. littera*. T. Ludovicus Granatensis in *Institutionibus ad Symbolum fidei*, & R. Bozius lib. VI. *de signis*. Cæterum, ut pertexam hanc telam, hoc nobis modo Christianis jurare vetitum, de quo Decretum est Synodi Constantinopolitanæ in Trullo: *τοὺς ὀμνύοντας ὅρκους ἑλληνικοὺς* ( lego *ἐθνικοὺς* ) *ὁ κανὼν ἐπιτιμίοις καθυποβάλλει, καὶ ἡμεῖς τούτοις τὸν ἀφορισμὸν ὁρίζομεν*: *Jurantes juramenta ethnica canon pœnis subicit, & nos eosdem excommunicandos decernimus.*

---

## CAP. XXX.

*Abstinuisse quosdam a Juramentis, Pontifices, Flamines Diales. Plutarchus emendatus. Augures an inter hos? Virgines Vestales raro jurasse. Prætor an jurarit? Essenos non jurasse, qui illi? Rufinus reprehensus: nec Phryges. Olivas carpi solitas ab iis qui virginitatem nondum interfecissent, id Jurejurando probatum: hinc oleæ feraciores. Phlorentinus & Paxamus Geoponici scriptores nove producti. Christianos veteres non jurasse. Non Antistites, Presbyterosque. Cur hodie Episcopi in Gallia jurent? idem de legatis a Latere.*

QUOD bene sit cursui, portum adspicio, & dum in mari, seu quieto & stante. Agitatum satis est per saxa, per undas instabili vado; & si exerratum a Cynosura, quis admiretur inter tot Syrtes & monstra. Ecquis anchoram figat certo morsu in lubrico & vasto tot Scriptorum solo? & tamen

*——— immensum pelagi tranavimus æquor.*

Nunc securus colligo me & mea; cumque expectoratum sit —— *quicquid erat intus aquai*, comprimo cursum. Quapropter de iis qui jurarunt hactenus. Fuere quibus religio erat jurejurare, at pauci; adeo malum hoc serpebat in omnium pene gentium mentes & ora. Stobæus Serm. XXV. Isocratem noluisse, utquis juraret, affirmat, neque tamen *ἁπλῶς* nisi pecuniarum gratia; ut & Pontifices; de quibus Servius in illud *Virg.* lib. IX.

*Per caput hoc juro per quod pater ante solebat.*

ait Pontificibus non licuisse jurare per homines, sed per Deos, per caput suum, per caput liberorum suorum; ( illud frequens est Demostheni, ut observavit Jurisconsultorum Roscius Cujacius ) male vir doctus, libertorum. Flaminem quoque Dialem fuisse inter eos qui non jurarent Livius libro XXXI. docet: *Constant. Valerius Flaccus, quem præsentem creaverant, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat, magistratum autem, plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solveretur, Senatus decre-*

*decrevit , ut si ædilis qui pro se juraret , arbitratu consulum daret : consules , si eis videretur , cum tribunis plebis agerent , ut ad plebem ferrent . Datus qui juraret pro fratre , L. Valerius Flaccus Prætor designatus : tribuni ad plebem tulerunt , plebesque scivit , ut perinde esset , ac si ipse ædilis jurasset .* Addit Servius id ei lege perpetua vetitum. Plutarchus *in Problem.* cap. XLIII. rationem dat hujus , *ὅτι βάσανός τις ἐλδθέρων ὁ ὅρκος ἐςὶ , δεῖ δὲ ἀβασάνιςον εἶναι ϗ τὸ σῶμα ϗ τὴν ψυχὴν τοῦ ἱερέως. ἢ ὅτι περὶ μικρῶν ἀπιςεῖσθαι τὸν τὰ θεῖα ϗ μέγιςα πεπιςευμένον οὐκ εἰκός ἐςιν . ἢ ὅτι πᾶς ἄλλοις ἐπαρᾶσαι νομίζεται τοῖς ἱερεῦσιν . ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας , κατάρα δὲ δύσφημον ϗ σκυθρωπὸν , ὅθεν οὐδὲ ἀλλ'* &c. & paulo post . *ἢ κοινὸς ὁ τῆς ἐπιορκίας κίνδυνος , ἂν ἀνὴρ δυσεβὴς* ( ita meus codex , legendum *ἀσεβὴς* ) *ϗ ἐπίορκος εὐχῶν κατάρχεται , ϗ ἱερῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως* : *sive quod gebenna sit & pœna liberis Jusjurandum , oportet enim Flaminem sacerdotem a tormentis , qua corpus , qua animum , immunem esse : sive quod haud conveniat ei cui sacra , id est , maxima credimus , in minimis fidem non adhibere : sive quod omnis Jurisjurandi execratio , perjurii finis sit aut exitus , at hæc funesta est & exitiosa : aut quia perjurii discrimen omnibus commune futurum esset , si nefario & perjurio , supplicationum sacrorumque urbis cura committeretur* . Plutarchus Flaminem ait nude , sed Dialem cogitat : Romæ XV. Flamines : tres tantum patritii , quos quasi solos Flamines agnoscit D. August. *de Civ. Dei*. Dialis , Martialis , Quirinalis ; at reliqui plebeii . Agell. cap. XV. lib. X. de Diali inter cæremonias impositas ei , quæ in libris qui de Sacerdotibus publicis compositi sunt leguntur ; tertio loco hanc recitat ; *Item jurare Dialem fas numquam est* . Romæ Collegium Augurum fuisse sciunt qui nondum ære lavantur ex Cic. II. de LL. Livio , Fest. Pomp. aliis . Hi tametsi auspiciis præerant & auguriis , id est , sacra nonnulla tractarent , Jurejurando tamen non solvebantur : imo qui inaugurabatur , Jurejurando adigebatur , se e mysteriis nihil enunciaturum . Plutarchus id asserit : *ἢ κατειλημμένον ὅρκοις τὸν αὔγουρα , μηδενὶ φράζειν τὰ τῶν ἱερῶν ἀπολῦσαι τῶν ὅρκων οὐ θέλουσιν ἰδιώτην γενόμενον* . At Pontifices , Flaminesque nonne in leges jurare adacti ? prorsus , sed Vicario & subadjuvo Jurejurando . Vestalem Virginem raro jurasse , si jurarit . Seneca Pater *Controvers.* per Vestam jurasse ait . *Sacerdos raro juret , nec umquam nisi per suam Vestam* . Memini Romæ Magistratum plus quinque dies nisi qui jurasset in leges , gerere licitum fuisse : docuit ante Patavinus Historicus . De Prætore quid dicemus ? nonne Magistratus ? & eum annuum gerere solens ? ita ; an ergo jurarit ? Negat Asconius Pæd. clare in II. *contra Verrem Action.* ad illa Tulliana , *libelli omnium vestrorum* : subnectit : *his perfectis , jurabant in leges judices , ut obstricti religione judicarent , cum jurassent omnes præter ipsum Prætorem , nomina eorum libellis , &c.* & post : *Cum judex sit Metellus , tabellam judiciariam juratus accipiet , cum Prætor fuerit , & non jurabit , quia non est moris , & in potestate habebit tabellas omnium judicum* . Verum Livio ut stabit autoritas integra ac fides adversus hæc Pædiana ? Respondeo , labi eos qui existimant ex Asconii verbis Prætorem non jurasse , nam non isthæc Asconio mens est : sed , non jurare cum Judicibus insolentem Prætorem ; at ineunte Magistratu jurasse nemo eruditior ambigat . Hæc de Romanis qui non , aut rarenter jurarint . Externos etiam his adjungo , puta Essenos , de quibus Salmaticensis ; *custodiunt seipsos a juramento . Quin ipsum Juramentum , ut ait Josephus , quasi perjurio deterius existimant , jam enim mendacii condemnatum arbitrantur , cui sine Deo non creditur* . *τὸ δὲ* , inquit cap. VII. lib. II. *de Bello Jud.* *ὀμνύειν αὐτοῖς περίςαται , χεῖρόν τι τῆς ἀπιορκίας ὑπολαμβάνοντες . ἤδη γὰρ καταγνῶσαί φασι τὸν ἀπιςούμενον δίχα θεοῦ* . rationem alibi dat ; *πᾶν μὲν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν , ἰσχυρότερον ὅρκου* . Rufinus tamen de iis sic : *quamvis aliarum rerum nihil faciant sine præcepto curatoris , in duobus tamen , hoc est , Jurejurando & miserendo sui juris sint* : etsi pro postremo in Græco sit *ἔλεος* . Essenos Plinius cap. XVII. lib. X. Palæstinæ populos gentem solam vocat , & in toto orbe præter cæteras miram , sine ulla fœmina , omni venere abdicata , sine pecunia , socia palm. &c. Plura de Essenis Josephus lib. II. *de Bell. Jud.* & XVII. cap. II. *Antiq.* Philo *in Sapientia* , Eusebius qui quatuor millia fuisse ait . His adscribo Phryges ex Nicolao *περὶ ἐθῶν* , qui nec juramento ullo adigi , nec alios ad dejerandum cogere consueverant . Videndus Stob. cap. XLII. Quod de olivis dixi , nunc afferam . Phlorentini verba sunt lib. IX. *Γεωπονικῶν* . *Καθαρὰ δὲ οὖσα ἡ ἐλαία , βούλεται καθαροὺς εἶναι ϗ τοὺς δρέποντας αὐτὴν* , *cum pura sit oliva , puros etiam carptores petit , ita ut jurare possint , se ab omni adulterio immunes esse , atque ita in posterum feraciorem se legenti præbebit* . Imo inquit , *φασὶ ἐν Αζάρβῳ τῆς κιλικίας παῖδας ἀγνοὺς γεωργεῖν τὴν ἐλαίαν , ϗ διὰ τοῦτο εὐφορωτάτους εἶναι* : *dicunt in Azarbo Siciliæ pueros innocentes vindemiare oleam , propterea apud Siculos feraciores oleas esse* . Idem Paxamus eodem libro . Simile veri est Christianos illos aurei sæculi & purioris animi non jurasse . Id Tertull. *Apol.* cap. XXXII. insinuare videtur , apud quem gentes ad exaggerandam invidiam contra Christianos Majestatis eos læsæ insimulabant , quod cogi non possent , uti per Genios eorum adjurent . Observatum id frigide , & crescens ætas a Majorum defecit sanctimonia . Antistites tamen & Episcopi non abiere ab illa puritate , aut , si vis major adhiberetur , cautum ne jurarent , ut hoc legis imperio , aliorum malitas , ut Labeo loquitur , cohiberetur , & staret . Asserere hoc opera esset abuti , & usus probat , Italiæ , Hispaniæ , Germaniæ , & fors aliarum gentium . Quod si quis instet & quærat de Gallia Ecclesiæ Catholicæ primogenita ; dicam id paulatim introductum , & hæc consuetudo est . Qui rationes hujus investigant Jurisjurandi , varias imaginantur . Equidem duas esse primarias didici , ab elegantioris ingenii , summi judicii , atque singularis officii Viro D. Raymundo Delsherms LL. Doctore : priorem , quod Galliæ Reges omnium sint Ecclesiarum fundatores , ex quo eis hoc jus : tum , quod cum in utriusque ordinis viros , suæ diœcesi subditos , magna jurisdictionem autoritate tueantur , eamque cum permissu Regis exerceant , ut id sine dolo fraudeve fiat , an non Sacramenti fidem præstatione Regi securam præstant ? Omitto solum quo vivunt & aluntur Regis esse . Firmabat ex Historiarum monumentis quod dixerat Juris ille peritus , fuisse qui hoc Regi Jusjurandum detractarant Archiepiscopum Ausciorum ( vulgo Ecclesiastico *Auxitanum* , male ) & Nannetum Episcopum , qui Senatus id consultis damnati præstitere . Ivo Carnutensis Episcopus epist. CLXXXVII. ad Paschalem II. Senatum Ludovici Crassi Genabi Aurelianorum ( inepte vocant *Aureliam* ) coactum decrevisse commemorat , non ante Rodulphum in Remensem Archiepiscopum , quam Regi fidem Jurejurando obstrinxisset , assumendum , cum id a cæteris Galliæ Episcopis præstari juris sit , & moris . Idem de Legatis Summi Pontificis , qui in Galliam ablegantur .

## CAP. XXXI.

*De Jurejurando Concordiæ. Gallica lingua qualis Caroli magni ævo? Silentii, Fidelitatis, Christianos scriptores solitos olim libris suis Adjurationes addere; qua formula?*

DENIQUE, manum a Tabula, Concordiam jurasse Græcos, imitando exemplo, Xenoph. *Memorab.* IV. refert: *καὶ πανταχοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι νόμος κεῖται, τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν. Et ubique in Græcia lex est lata, jurent ut cives se concordiam colere velle.* Cassiodorus epist. VII. lib. *Variar.* VIII. tradit inter Romanos & Gothos id observatum: *unde vos quoque prædicta convenit imitari, ut Gothi Romanis præbeant Jusjurandum, & Romani Gothis sacramento confirment se unanimiter regno nostro esse devotos.* Verum longe pulcherrimum Concordiæ Jusjurandum inter filios Ludovici Pii, beneficio Pithœi publicatum, ex Historia Nithardi nepotis Caroli Magni, quo Ludovicus & Carolus conveniunt. Præstitum id diverso sermone: nam Ludovicus Romano, id est, corrupta Gallica, Carolus Teudisco. Ludovici hæc sunt:

*Pro dõ amur, & pro Xpãian poblo, & nostro commun salvament, dist di en avant in quant ds savir & prodir me dunat si salvarai eo cist meon fradre Karlo & in adiuha & in cadhuna cosa si cum om per dreit son frada salvar dist ino quid il mi altre si fazet & abludher nul plaid numquam prindrai que meon vol eisi, meon frade Karlo in damno sit.*
Caroli ista:

*In godes minna induites Xpãnes folches ind unser bedhere gealt nisi von tesemo dage frammordesse Framso mir got geuuiz ei indi madh furgibit so hald ibtis an minam bruher scal inthi ut ha zermig soso madno indunit luberem in nothe in mit hing nege gango theminam vuillon imo ce scadhen vverhen.*

Jusjurandum Silentii apud Persas observatum. Ammia. Marcell. lib. XXI. ibi Silentii numen, quod Ægyptiis Sigalion, Græcis Harpocrates, Romanis Angerona est: *speculatores*, ait, *& transfugæ subinde venientes repugnantia prodebant, ideo futurorum incerti, quod apud Persas nemo futurorum est conscius, præter optimates taciturnos, & Jurejurando fidos.* An hinc nuperum in Britannia silentii Jusjurandum in Conjuratione illa graviore tractum? Catesbius ibi: *monet nihil ante moliendum, quam omnes in Silentium jurassemus*, &c. *Nemo præter nos in conclavi erat; ibi manu libellum tangimus, in quo preces ad numen descriptæ sunt, conceptisque Jurisjurandi verbis, invicem Silentii fidem damus.* De fide & fidelitate dictum non semel: quibus ut Coronidem adjicio in Concessione Advocationis officii fidelitatem jurasse ex Petro de Vineis epist. XXI. lib. VI. *Quapropter*, ait, *fidelitati vestræ præcipiendo mandamus, quatenus postquam vobis constiterit justitiarum regionis ipsius, ipsum fidelitatis & officii præstitisse debitum Juramentum, de omnibus quæ ad officium advocationis, &c.* Et post cap. XXIV. ab Medicinam exercitaturis Juramentum exigit: *propter quod de ipsius prudentia & legalitate constit, recepto ab eo in Curia fidelitatis Sacramento.* Jusjurandum pacis tuendæ aut invenit, sane usurpari voluit, Fridericus Imp. Constituti. *de Incendiariis & pacis violatoribus*, qua illud primum constituitur, ut pacem jurent omnes ab anno octavo decimo usque ad septuagesimum. Unde & Constit. sequenti legendum *a* XVIII. non *a* XVI. & Radevici III cap. XLI. non XIV. Hæc est plena pubertas Romanorum jure, Langobardorum legitima ætas l. I. *Lang. de prohibit. alien. min.* quod Accursius refert in l. II. D. *de eo quod cert. loc.* & qui eam non compleverunt, Gunthero *pupilli*, at improprie dicuntur. Proponitur & hoc edicto pœna gravissima in eum qui pacem jurare noluerit: *præterea*, inquit, *bona ejus publicentur, & domus ejus destruatur, qui pacem jurare & tenere noluerit, & lege pacis non fruatur.* Huc Guntherus alludit:

*Qui pacis jurare modum formamque tenere*
*Improbus abnuerit, quæ possidet, omnia vulgo*
*Diripienda patent, evertendaque penates.*

Postremo, veteres Christianos dixi Adjurationis cautiones libris suis adscribere solitos. Irenæus in fine operis sui tanquam signaculum formulam adjecit, Eusebio sublectam, ut ea libros suos adversus falsarios muniret. Eusebii, Irenæum imitantis, eadem sententia & pene verba. Is Chronicorum Canonum librum priorem ita orditur: *ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. Adjuro te qui cum hoc descripseris libros per Dominum nostrum Jesum Christum, & ejus gloriosum adventum, in quo veniet judicare vivos & mortuos, ut conferas, quod scripseris, & emendes ad exemplaria ea, de quibus scripseris, diligenter: ut & hoc Adjurationis genus transcribas, & transferas in eundem Codicem quem descripseris.* Extant apud eundem in Ecclesiastica Historia eadem. Præter hæc in Manuscripto Ecclesiasticæ historiæ Codice, interprete Rufino, eadem Irenæi cautio fronti operis prænotata est. Sed & Rufinus Presbyter, verbis quidem non per omnia iisdem, sed tamen ejusdem sententiæ idem jurat: *Omnem, qui hos libros vel descripturus est, vel lecturus est, in conspectu Dei Patris, & Filii & Spiritus sancti contestor atque convenio, per futuri regni sedem, per Resurrectionis ex mortuis sacramentum, per illum qui præparatus est diabolo, & Angelis suis, æternum ignem, &c.* Ne quis addat aliquid *huic scripturæ, ne auferat, ne inserat, ne immutet: sed conferat cum exemplaribus unde scripserit: & emendet ad literam & distinguat, & inemendatum, & non distinctum Codicem non habeat, ne sensuum difficultas, si distinctus Codex non sit, majores obscuritates legentibus generet.*


# STEPHANI TRELIERII

DE

# JUREJURANDO

LIBER.

# LECTORI S.



*NON omnes qui ad ingenuarum artium ſtudia animum adjungunt, unum eundemque laboribus ſuis finem præſcribunt. Sed perincioſiſſimum genus eſt eorum, qui juris civilis fructum ex ſtipe advocationum, non ex artis ipſius pulchritudine atque honeſtate petendum eſſe exiſtimant. Hi namque ab adoleſcentulo ad vile ad ſordidum lucrum accincti, nullum eſſe putant officium tam ſanctum atque ſolemne, quod non quæſtus gratia comminuere atque violare liceat. Proinde qui hoc animo ad legitimam diſciplinam accedunt, idem mihi facere videntur, quod puer ille, quem ab Areopagitis idcirco damnatum ferunt, quod coturnicum oculos erueret. Ut enim oculis ademptis, reliquum corpus inutile eſt, ita etiam ſublata ex jure civili honeſtate, ars tota corrumpitur. Præclare M Fabius, Ne velim quidem, inquit, lectorem dari mihi, quid ſtudia referant computaturum. Præclare item Ulpianus noſter, qui civilem ſapientiam rem eſſe, ait ſanctiſſimam, quæ pretio nummario non ſit æſtimanda, nec dehoneſtanda. Valeant ergo ejuſmodi homines, quorum avaritia mentes ita obſtrictas tenet, nunquam ut eas acquieſcere, nunquam reſpirare permittat. Hic mihi præcipue ſcopus in perdiſcendo jure civili propoſitus fuit, ut ejus fructum non meis commodis, ſed honeſtate metirer. Ac ſi qua in re cæterorum ſtudia juvare poſſem, ea de re celare neminem unquam volui. Quocirca putavi me operæ pretium facturum, ſi ea quæ de Jurejurando confuſe ac ſine ulla methodo ex juris auctoribus a Triboniano collecta ſunt, hoc libello concluderem. In quo dicet fortaſſe aliquis, me non omnia quæ ad hoc argumentum pertinent, comprehendiſſe. Cui reſpondeo, me ſumma duntaxat rerum capita proponere voluiſſe, ut ad univerſum tractatum juris ſtudioſi aditum aliquem habere poſſent. Nec enim præterit, quam multa in hoc genere a multis conſcripta ſint. Certe magna me ſpes tenet, non defuturos qui hæc ſcripta noſtra quamvis rudia & ἄτεχνα æqui bonique conſulant.*

Iſta nec hi forſan ſpernent, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan,

*ut ait Satyricus. Tales enim lectores dari mihi opto, non autem invidos & calumniatores, quorum omnis in maledicendo cura conſumitur. Vale.*

# STEPHANI TRELIERII
# DE
# JUREJURANDO
# LIBER.

## CAP. I.

### *Quid ſit Juſjurandum?*



USJURANDUM, de quo dicturi ſumus, primum definitione explicetur. Hinc enim qui artificioſe dicere volunt, totius diſputationis ducunt exordium. Mihi vero cum in qualibet re definienda brevitas maxime placeat, ut qui eam Chryſippo placuiſſe ſciam homini in primis bene definienti, non alia videtur commodior eſſe Jurisjurandi definitio, quam quæ a M. Tullio traditur in lib. III. *Offic. Juſjurandum*, inquit, *eſt affirmatio religioſa*. Hoc neque brevius quicquam judicio meo, neque luculentius dici potuit. Sciendum eſt autem in hac definitione ſumi affirmationem non ſimpliciter pro eo quod negationi opponitur, ſed generaliter pro omni aſſeveratione ſeu aſſertione rei alicujus, ſive affirmativa ſit, ſive negativa, quod Græci ἀπόφανσιν dicunt: nam & negative jurari aliquando, infinitis exemplis probari poteſt, lib. 3. *§. ſed & ſi de conditione*. l. *ſed & ſi poſſeſſori*. l. *ſi duo*. l. *ſi ſervus*. D. hoc. tit. Nomen, religioſa, differentiæ loco poſitum eſt. Cum enim religio ſit erga Deum, jurari autem niſi per Deum non poſſit, palam eſt eam demum affirmationem Jurisjurandi appellatione cenſeri, quæ religioſa eſt. Porro autem vix eſt, ut Latine juramentum dici poſſit, quamvis hoc vocabulo Seneca & Ulpianus uſi fuerint. Donatus in *Andr.* Terentii: Jurandum pro Juſjurandum, aut (ut vulgo dicitur) juramentum. Addunt quidam & pro ſynonymo ſacramentum, quod tamen in hac ſignificatione a bonis auctoribus nunquam uſurpatum invenias, niſi cum de militibus loquuntur, ut l. 2. *§. miles*. D. *de his qui not. infa.* l. *ex militari*. D. *de teſta. milit.* l. *milites* 2. *§. miſſionum.* & l. ult. *de re milit.* l. *ab adminiſtratione*. C. *de legat.* & alibi ſæpe. Erat enim proprie ſacramentum ſponſio quædam judicialis, quæ præter rem, de qua erat controverſia, apud pontificem fiebat, ut eſt apud Varronem *de lingua Lat.* lib. I.

---

## CAP. II.

### *Quotuplex ſit Juſjurandum?*

JUSJURANDUM vel in judicio defertur, vel extra judicium. In judicio defertur vel ab adverſario, vel judice. Hoc judiciale vocatur, illud neceſſarium. Quod extra judicium defertur, volun-
A tarium appellatur, quia ex conventione utriuſque partis defertur. Atque ita Jurisjurandi tres ſunt ſpecies, voluntarium, neceſſarium & judiciale, ut patet ex Rubrica, quæ his verbis concipitur, *De Jurejurando ſive voluntario, ſive neceſſario, ſive judiciali*. Quod a judice defertur, neceſſarium vocare malunt interpretes: judiciale autem, quod ab adverſario. Citantque Pauli reſponſum in l. ult. D. *de in lit. jur.* ubi Juſjurandum in litem ex neceſſitate juris deferri dicitur, quod a ſolo judice deferri certum eſt, l. *videamus §. deferre*. D. eod. ſed hoc argumentum non ita magni momenti eſt, cum & Juſjurandum ab adverſario delatum neceſ-
B ſitatem in ſe contineat. Julius Paulus *recept. ſent.* lib. II. tit. I. *Si reus*, inquit, *cum jurare velit, actor illi neceſſitatem jurisjurandi remiſit, & hoc liquido appareat, actio in eum non datur*. Hæc enim verba de eo jurejurando intelligenda eſſe, quod ab adverſario defertur, indicat Aniani interpretatio, cum l. *remittit*. D. hoc tit. Dici fortaſſe commodius poterit, Juſjurandum quod a judice defertur, ideo neceſſarium eſſe appellandum, quia referri non poſſit, c. ult. *de Jurejurand.* Sed hac ratione voluntarium etiam Juſjurandum, neceſſarium dicendum eſſet: nam neque in eo relationi locus eſt, ut mox dicemus. Proinde Juſjurandum quod a judice
C defertur, judiciale malo appellare. Sed hæc hactenus.

Sciendum eſt, nomen Juſjurandun, apud juris auctores his fere verbis adjungi ſolere, Do, defero, refero, remitto, ſuſcipio, exigo. Datum Juſjurandum dicitur, cum juratum eſt, l. *non erit. §. dato*: & l. *nam poſtea*. D. hoc tit. ſunt enim hæc tria ſynonyma, præſtitum, datum & interpoſitum. Deferre Juſjurandum quid ſit, neminem eſſe reor, qui non intelligat. Referre is dicitur, qui cum ei delatum eſt Juſjurandun, ait ſe non teneri jurare, ſed ipſum qui detulit. Suſcipere autem is dicitur, qui jurare paratus eſt: Remittere, qui Jurisjurandi quod ſemel detulit, gratiam facit, l. *re-*
D *mittit*. l. *Labeo*. D. hoc tit. Exigere Juſjurandum, idem eſſe puto, quod deferre, vel petere, l. *quoties*. l. *in duobus*. *§. exceptio*. l. *juſjurandum & ad pecunias*. *§. ait prætor*. D. eod. His expoſitis, conſequens eſt ut videamus in quo Jurejurando relationi locus ſit. Et quidem referri non poſſe Juſjurandum voluntarium, certi juris eſt, l. *Juſjurandum quod ex conventione*. D. hoc tit. ei namque jurandi neceſſitas incumbit, cui ex conventione delatum eſt Juſjurandum. Idem obſervatur in judiciali, hoc eſt, eo quod a judice defertur, d. c. ult. *de Jurejurando*. Aliud eſt in eo, quod ab adverſario defertur: hoc enim aut ſuſcipi, aut recuſari & referri debet, d. *§. ait prætor*. l. *manifeſtæ*. D. hoc tit. l. *delata*. C. eo. l *illud*. *§.* I. D. *de conſtit. pec.* Ergo ſolum neceſſarium referri poteſt, d. c. ult. Quid enim ſi is cui delatum eſt, adeo ſuperſtitio-

sus sit, ut conditionem Jurisjurandi nolit accipere? l. *quæ sub conditione*. §. 1. D. *de condit. instit. quid si procurator sit, aut defensor, aut tutor curatorve?* d. l. *jusjurandum & ad pecunias*. §. *procurator*. & l. *videamus*. §. 1. D. *de in lit. jur.* Nam quibus ex causis recusari Jusjurandum potest, ex iisdem referri potest. Contra, certi sunt casus, in quibus Jusjurandum quidem necessarium referri potest, ut puta in actione rerum amotarum, l. *Marcellus. in fi.* & l. *idem Labeo*. D. *rer. amot. & in actione furti*: cum scilicet ab eo qui furti agit, Jusjurandum exigitur an ipse fur sit, hoc enim casu relationi locus non est, l. *non magis*. illo tit. Idem est in omnibus famosis actionibus, d. cap. ult. Si enim furti, damni injuria, vi bonorum raptorum, aut de dolo malo actionem adversus te instituero, tibique Jusjurandum detulero, qua fronte hoc recusabis? quomodo verebere innocentiam tuam Jurejurando approbare? Nam (ut recte ait Cicero) negligere quid de se quisque sentiat non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Sit igitur hæc summa, ubi recusatio locum habet, ibi & relationi locum esse: rursum, ubi recusatio locum non habet, ibi nec relationi locum esse. Jusjurandum judiciale ex justa causa recusari potest, ergo & referri: Jusjurandum necessarium in famosis actionibus recusari non potest, ergo nec referri. E contrario illud quoque statuendum est, ubicumque relatio locum non habet præcise jurandum esse, nec recusari Jusjurandum posse. Idque regulariter tam in Jurejurando voluntario, quam in judiciali locum habet, ut ante diximus.

Sunt & aliæ Jurisjurandi species, ut Jusjurandum de calumnia, quod ab eo præstari debet, qui ipse adversario Jusjurandum defert in judicio, l. *jusjurandum & ad pecunias*. §. *qui jusjurand.* l. *si non fuerit*. D. hoc tit. Est & Jusjurandum in litem, de quo agitur in Tit. *De in lit. juran.* Item est alia Jurisjurandi species, de qua l. *jurisjurandi*. C. *de testib.* Verum hæ tres species Jurisjurandi judicialis appellatione contineri possunt, cum a solo judice deferantur.

---

## CAP. III.

### *De personis quæ jurare seu deferre Jusjurandum possunt, quæque non possunt.*

PUPILLO deferri Jusjurandum non debet, l. *jusjurandum & ad pecunias*. §. *pupillo*. D. hoc tit. Si tamen juraverit, valet Jusjurandum, modo ne ipse captus sit: tunc enim in integrum restitui posset, l. *qui jurasse*. & l. ult. *in princi.* D. eo. Ipse vero pupillus deferre sine tutoris auctoritate non potest, l. *jusjurandum quod ex conventione*. §. 1. eo. Quod si sine tutoris auctoritate detulerit, exceptio non obstabit, l. 1. §. 1. D. *quar. rer. act. non dat.* aut obstabit quidem, sed replicatione elidetur, quod magis est. d. l. *jusjurandum quod ex conventione*. Sed & si tutore auctore detulerit, & circumscriptus fuerit, causa cognita in integrum restitui debet, l. 1. *si. tut. vel curat. intervener.* Idque etiam in pubere locum habet, l. *nam postea*. §. *si minor*. D. hoc tit. quamvis ab eo præstitum Jusjurandum omnimodo custodiri debeat. *auth. sacramenta*. C. *si adver. vendit.* l. pen. ad fi. C. *si min. se majo. dixer.* Quæ de pupillo diximus, eadem ad prodigum quoque & furiosum producenda sunt, *l. tutor*. §. 1. D. hoc tit. d. l. *jusjurandum quod ex conventione*. §. *si tutor*. Mulieres & jura-

A re, & deferre Jusjurandum possunt, l. 3. §. *unde Marcel.* l. *si patronus*. l. *qui jurasse*. D. hoc. tit. C. *cum contingat. eo.*

Si pater filium dare non oportere juraverit, & patri & filio Jurisjurandi exceptio competit, d. l. *qui jurasse*. §. 1.

Jusjurandum a filio familias, aut servo delatum vel interpositum valet omnimodo, si uterque liberam peculii administrationem habeat, l. *servus*. D. hoc tit. Alias autem quod ipsi detulerint, vel juraverint, patri aut domino prodest, non etiam nocet, l. *si servus*. & l. seq. D. hoc tit. *nec filius*. C. eo. Eorum enim conditio, quibus subjecti sunt,
B melior ab ipsis fieri potest, deterior non item, l. *melior. de regul. jur.* l. 3. & l. *filius*. C. *de pact.*

Tutoris, aut curatoris Jusjurandum minori prodest, l. *videamus*. §. 1. D. *de in lit. jur.* nam & pactum prodest, l. *tutoris*. D. *de pact.* cujus instar habet Jusjurandum, l. *tutor*. §. 1. De hoc tit. Nocere vero non potest, nisi transactionis causa interpositum sit: quod etiam de pacto convento a juris auctoribus nominatim proditum est, l. *pactum curatoris*. C. *de pact.* l. *si pignore. in fi.* l. *interdum*. §. *qui tutelam*. D. *de furt.* Æque Jusjurandum a tutore delatum valet, si probationes aliæ deficiant. d. l. *jusjurandum quod ex conventione*. §. *si tutor*.
C & d. l. *tutor*. D. hoc tit. Jurare tamen ipse non cogitur, d. l. *videamus*. ideoque delatum sibi Jusjurandum referre potest, secundum ea quæ in præcedenti capite dicta sunt. Procurator vel defensor jurare non compellitur, d. l. *jusjurandum & ad pecunias*. §. *procurator*. Si tamen juraverit, actionem domino & exceptionem adquirit, actionem quidem, si datus ad agendum fuerit: exceptionem, si ad defendendum, l. *nam postea*. §. pen. D. hoc tit. Ergo procuratoris Jusjurandum domino prodest: quod scilicet ipse præstiterit: quod autem detulerit, ratum habendum non est, l. *alias*.
D D. eo. nisi aut in rem suam procurator sit, aut universorum bonorum administrationem sustineat, aut idipsum nominatim ei mandatum sit, d. l. *jusjurand. quod ex conventione*. § ult. His namque duntaxat casibus delatum a procuratore Jusjurandum valet.

Defensor municipii vel civitatis, vel cujuslibet corporis, deferre Jusjurandum non potest: nisi aut in rem suam datus sit, aut super hoc mandatum habeat, d. l. *jusjurand. & ad pecunias*. §. *defensor*. Utique autem de eo defensore loquimur, qui ad certam causam agendam vel defendendam electus est. l. ult. §. *defensores*. D. *de muner. & hono.* qui & ab Ulpiano civitatis actor vocatur in l. *nec civitatis*. D. *de procuratoris*. Hic enim procuratoris partibus fungitur, l. *item eorum*. §. *actor*. D. *quod cu-*
E *jusque univer. nom.* Defensor vero is, qui & Græco nomine syndicus, & Latino administrator rerum civitatis dicitur, d. §. *defensores*, & ult. in fi. D. *quod cujus. univer. nom.* Jusjurandum deferens audiendus est, ad exemplum tutoris ejusque procuratoris, cui generaliter libera administratio rerum commissa est. Quod mihi videtur utilitati rerum esse consentaneum. Idem si juraverit, non magis civitati, quam tutor pupillo obesse potest, arg. l. *præses*. C. *de transact.* & l. *imperat.* D. *de pact.*

Ex duobus reis stipulandi, ab altero delatum Jusjurandum etiam alteri nocebit, l. 28. in princi. D. hoc tit. Idem dicendum videtur, & si ipse juraverit: nam & unius petitione tota solvitur obliga-
F tio, l. 2. D. *de duob. reis*: idque indistincte, hoc est, sive socii sint, sive non, l. *fidei commissa*. §. *plerunque*. D. *de legat.* 3. Contra, ex duobus reis promittendi ejusdem pecuniæ, si alter juraverit, alteri quoque prodesse debebit, d. l. 28. §. *ex duobus*. Ab uno tamen delatum Jusjurandum, alteri non puto nocere: quamvis agnitio debiti ab uno

facta, alteri quoque noceat. l. ult. C. *de duob. reis.* l. ult. C. *de fidejusso.*

Rei Jusjurandum fidejussori prodesse non ambigitur. d. l. 28. §. 1. & l. ult. in fi. D. hoc tit. Fidejussor vero si de contractu ipso juraverit, puta se dare non oportere, Jusjurandi exceptione reum promittendi tutum facit. Quod secus est, si de persona propria juraverit, veluti se non fidejussisse. Hoc enim Jusjurandum reo non prodesse, Pomponius, Paulus & Ulpianus ajunt. d. l. 21. §. 1. & d. l. ult. §. *si fidejussor*. D. hoc. tit. l. 1. §. *si fidejussor.* D. *quar. rer. act. non dat.*

---

## CAP. IV.

### *Quibus de rebus jurare liceat?*

DE omnibus pecuniariis causis jurari potest. Ulpianus ad edictum lib. XXVI. *Jusjurandum*, inquit, *& ad pecunias, & ad omnes res locum habet*: etiam de operis Jusjurandum deferri potest. Paulus lib. II. *Sentent.* tit. 1. In pecuniariis causis si aliter ex litigatoribus Jusjurandum deferat, audiendus est: hoc enim & compendio litium, & æquitatis ratione provisum est. Idem lib. V. tit. *de testib.* In re pecuniaria tormenta, nisi cum de rebus hereditariis quæritur, non adhibentur. Aliæ autem Jurejurando, aut testibus explicantur. Unde principali rescripto continetur, in bonæ fidei contractibus, nec non etiam in cæteris causis, ubi est inopia probationum, per judicem Jurejurando causa cognita rem decidi oportere, l. 3. l. *in actione*. C. *de reb. cred.* Quinimo Imperatores Diocletianus & Maximianus Bessio rescripsere, ex conventione partum Jurisjurandi religione generis & ingenuitatis quæstionem decidi posse. l. *cum proponas*. C. eod. tit. Quare & si de libertinitate quæstio sit, Jurijurando locus erit. l. *adoptivum §. patroni.* D. *de in jus vocan.* l. *si duo.* l. *cum qui.* §. pen. D. hoc tit. Sed & si juraveris te in potestate mea non esse, tuendum erit Jusjurandum. l. 3. §. *sed & si de conditione*. D. eo. Denique Marcellus scribit etiam de eo jurari posse, an prægnans sit mulier, vel non sit, & Jurijurando standum esse: quamvis hoc partui nec proficiat, nec noceat. d. l. 3. §. pen.

In delictis vero an jurare liceat, magnæ quæstionis est. Ego verissimam arbitror sententiam existimantium si civiliter agatur, Jurijurando locum esse. d. l. 3. §. 1. si criminaliter, non item. Ibi enim deferri solet Jusjurandum, ubi legitimæ probationes deficiunt. l. 3. C. *de reb. cred.* At in delictis nisi accusator probationes luce (ut dicitur) meridiana clariores adferat, reus absolvitur. l. ult. C. *de Probat.* Proinde sic accipiendum est, quod ait Ulpianus, lege Cornelia de injuriis permitti actori Jusjurandum deferre, ut reus juret injuriam se non fecisse. l. 5. §. *hac lege* D. *de injur.* Nam de omni injuria & criminaliter, & civiliter, agi potest. l. *prætor.* §. *posse.* l. *constitutionib.* D. *de injur.* §. *in summa. Instit.* eo. Item quod Julianus scribit, eum qui juravit furtum se non fecisse, videri de toto jurasse. l. *si duo.* §. *item si Julianus*. D. hoc tit. quia furti quoque & civiliter, & criminaliter agi posse receptum est. l. *interdum.* §. *qui furem* & l. ult. *de furt.*

Quod ad matrimonii causam attinet, eo decursum est, ut ex conventione partium extra judicium, vel in judicio etiam a parte altera deferri Jusjurandum possit, valeatque si de contrahendo, vel non contrahendo matrimonio juratum sit. c. *mulieri. de jurejur.* c. *attestationes. de despon. impuber.* non item si de dissolvendo. Judicem vero sunt

A qui dicant deferre Jusjurandum nullo modo posse. Alii posse tradunt, sed considerata diligenter & personarum, & causæ qualitate. c. ult. *de jurejur.* Cui sententiæ ipse quoque accedo.

Jusjurandum contra bonos mores, & juris auctoritatem præstitum, nullius momenti est. l. *non dubium.* in fi. C. *de legib.* c. *non est. obligatorium. de regul. jur.* lib. 6. Ideoque Jusjurandum de hoc adactum non valet, ne ob furtum, aut aliud maleficium agatur, l. *juris gentium.* §. *& generaliter.* D. *de pact.* c. *quemadmodum.* §. *illud autem. de jurejuran.* Pactum tamen, quo filia dote accepta, hæreditati paternæ renunciat, Jurejurando confirmari B Pontifices volunt. c. 11. *de pact.* lib. 6. quamvis aliud jure civili constitutum sit. l. 3. C. *de collatio.*

---

## CAP. V.

### *Quomodo jurandum sit?*

EO modo jurare oportet, quo delatum est Jusjurandum. l. 3. §. ult. D. hoc tit. Quare si ego detuli ut per Deum jurares, tu per caput tuum jurasti, vel filiorum tuorum, non erit ratum habendum Jusjurandum. l. *non erit.* l. *qui per salutem*. D. eo. Deferri autem Jusjurandum non nisi C licitum potest. Licitum vero esse censetur, quod publicæ religionis est. Si quis enim propria superstitione juraverit, veluti per Ventum & Acynacem, hoc est, per vitam & mortem, quomodo Scythas olim jurare solitos fuisse testatur Lucianus in *Toxari*: vel ut Iones, per cramben, auctore Athenæo: tali Jurijurando standum non esse rescriptum est. d. l. *non erit.* §. *Dinus*. Proinde cum apud Christianos homines unius Dei cultus, publica religio sit, consequens est ut explosa illa veteri consuetudine, qua per salutem suam aut principis jurare quis poterat, per solum Deum jurari possit, cujus majestate nihil apud nos pretiosius haberi debet. c. *& si* D *Christus de jurejur.*

Solemnis olim jurandi mos apud Romanos hic fuit, ut qui juraret, lapidem tenens eum projiceret, his verbis enunciatis: SI SCIENS FALLO, ME DIESPITER SALVA URBEQ. ARCEQ. BONIS EIICIAT, UT EGO HUNC LAPIDEM. Quod vel in Capitolio fiebat, ut scribit Plut. *in Sylla*, & indicat illud Plauti *in Curcul.*

*Si quidem incubare velint, qui pejeraverunt,*
*Locus non præberi potis est in Capitolio.*

Vel ut Dionys. lib. 1. *Antiquit.* in ara maxima, ad forum boarium. Porro autem idcirco addebantur hæc verba, SI SCIENS FALLO, quia Veteres ita teE neri quemque voluerunt, si sciens falleret, postea quam ex sui animi sententia jurasset, ut ait M. Tullius *in Lucullo*. Et hac ratione Paulus scribit pupillum non videri pejerare, quia sciens fallere non videatur. l. *qui jurasse*. D. hoc tit. Plinius *in Panegy.* Ille juravit, expressit, explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecraret. Græcis fuit suus quoque jurandi mos, cujus meminit Cælius Rhodiginus *Lectio. antiq.* lib. XXI. cap. XV. More nostro, tactis Evangeliorum libris juratur. §. 1. Novel. *Jusjurand. quod præst. ab iis qui administ. accip.* idque in templo, ut ab Harmenopulo adnotatum est lib. 1. *Epito.* tit. F VII. in fine. Quod in testium Jurejurando locum non habet: hi namque extra templum jurant, tactis tamen Evangeliis. At neque hoc in sacerdotibus procedit, qui propositis quidem, sed non tactis Evangeliis, manu vero pectori apposita jurant. c. ult. *de juram. calum.* Idque domi eorum, & intra privatos parietes, non in foro & propalam fieri debet, ut Novella

vella Justiniani constitutione cautum est. §. *nulli vero* in Novel. *de sanctiss. episcop.* Romanis quidem virgines Vestales in foro & judicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuit, auctore Tacito Annalib. lib. II.

---

## CAP. VI.

### *De vi & effectu Jurisjurandi.*

MAXIMAM apud eosdem Romanos vim & potestatem habuisse Jusjurandum, his verbis ostendit Cicero: *Nullum vinculum ad adstringendam fidem Jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in* XII. *tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notationes animadversionesque Censorum, qui nulla de re diligentius, quam de Jurejurando judicabant.* Hæc Cicero, qui deinde M. Pomponii & T. Manlii exemplo, (cujus meminit quoque Seneca in extremo lib. III. *de Benefic.*) docet vel metu olim interpositum Jusjurandum valuisse. Nobis vero (proh dolor) Jusjurandum jocus est, & ita contemnitur, ut eo viri proinde circumveniantur, ac pueri tesseris, quemadmodum dicebat Lysander, aut, ut alios velle refert Ælianus *variæ historiæ* lib. VII. Philippus Macedo: ut Plutarchus lib. I. de fortuna vel virtute Alexandri, Dionysius: verissimumque est, quod ait Antiphanes, Ὁ διδὺς ὅρκον τῷ πονηρῷ, μαίνεται. Quod plerunque non tam jurantium culpæ, quam deferentium temeritati adscripserim, qui sæpenumero etiam de re levissima Jusjurandum deferunt hominibus, alioqui facilibus ad jurandum contemptu religionis. l. *quæ sub conditione*. D. *de condition. instit.* Qua de re quidam jure optimo conqueritur. Sed utinam extaret aqua illa, cujus haustu detegi perjuria finxit Philostratus *de vita Apollonii* lib. I.

Jusjurandi religio maximum est remedium expediendarum litium: ideoque pacti conventi, transactionis, solutionis, novationis delegationisque loco cedit. l. I. l. II. l. *qui jurasse*. in fi. & l. seq. l. *tutor*. §. I. D. hoc tit. l. *quod si deferente*. D. *de dolo*. imo majorem habet auctoritatem, quam res judicata, ut ait Paulus in d. l. II.

Jusjurandum actionem in factum, & exceptionem parit ad similitudinem, seu exemplum judicati. l. *actori*. C. *de reb. credit.* §. *item si quis postulante*. Instit. *de actio.* §. *æque de exceptio.* Ut enim in Actione judicati non de hoc quæritur, an debeatur, sed an judicatum sit. l. I. §. *pen.* D. *de lib. exhib.* ita in actione Jurisjurandi hoc tantum quæritur, an juratum sit. l. *non erit*. §. *dato*. l. *nam postea*. §. I. & l. 28. in fin. D. hoc tit. l. *post rem*. D. *de re judic.* Proinde recte dicimus ex Jurejurando in factum actionem dari, ad exemplum judicati. Hoc enim verbo cum utiles actiones significentur. l. *locum* in fi. D. *de usufr.* l. *sed & si proprietatis*. D. ad l. *Aquil.* l. *a Divo Pio*. D. *de ritu nupt.* & l. *is cui*. §. *quæri*. D. *ut possess. legat.* palam est ex Jurejurando utilem actionem nasci. l. *si duo* §. I. l. *quod si juravi*. D. hoc tit. autem de eo Jurejurando est accipiendum quod ab adversario defertur in judicio. Item de eo quod ex conventione partium extra judicium. Nam in utroque quasi contrahitur. l. *depositi*. §. I. D. *de pecul.* ideoque mirum non est, si nascatur obligatio. Ex eo vero Jurejurando, quod a judice defertur, nullam dari actionem Placentius putat, & recte putat. Jusjurandum enim a judice non idcirco exactum fuit, ut eo litem diffiniret, sed ut eo potius probationis de-

A fectum suppleret. Cum itaque judices, auctore Gajo, in dubiis causis exacto Jurejurando, secundum eum judicare soleant, qui juravit. l. *admonendi*. D. hoc tit. par est, ut inde judicati actio, non jurisjurandi nascatur. Idque indicat Justinianus, cum ait: Item si quis postulante adversario juraverit deberi sibi pecuniam quam peteret, neque ei solvatur: justissime accommodat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, sed an juraverit. Ideo dixit, postulante adversario, quia si deferente ipso judice juratum sit, Jurisjurandi actio non datur, ut diximus. Item dixit, postulante adversario, quia Prætor id Jusjurandum non tuetur, quod nemine sibi deferente quis interposuerit. l. 3. §. I. D. hoc tit. Postremo, ubicunque lex ait ex Jurejurando
B actionem dari, certum est ibi de voluntario, aut necessario, agi, non etiam de judiciali. Ex quibus omnibus illud efficitur, non ex omni Jurejurando actionem nasci, sed ex voluntario duntaxat, ac necessario. Quod rursum ita est intelligendum, si non adjecta causa juratum sit. Nam si adjecta causa juretur, ut puta deberi mihi centum ex causa stipulationis, dabitur ex ea quoque actio. l. *si duo*. §. *si quis juraverit* & §. *Marcellus*. D. *eod.* l. *illud*. §. I. D. *de constit. pec.* Neque obstat, si quis dicat hoc modo nullam novationem fieri per Jusjurandum, quod tamen vim
C novationis habere dicitur. l. *qui jurasse*. in fi. D. *eo.* Primum enim respondeo, Jusjurandum non semper novationis loco cedere: deinde non eam habere vim, ut nova constituta obligatione, priorem perimat, cum tamen idipsum novatio faciat. l. I. D. *de novat.* §. *præterea*. Institut. *quib. mod. tol. oblig.* Et qui juravit rem suam esse, sive petitor sit, sive possessor, Jurisjurandi actio competit. Petitori quidem, ut possessionem consequatur: possessori vero, ut eam quandoque amissam una cum fructibus recuperet. lege *nam postea paragrafo* ultimo lege *sed & si possessori*. *paragrafo* I. D. hoc tit. Sed & petitori Publiciana actio dari potest, si possessionem quam actione in factum
D semel nactus erat, amiserit. l. *eum qui*. §. *si petenti*. D. *de Public. in rem act.* Possessori autem, qui actione in factum recuperatam possessionem denuo amisit, Publicianam dari nunquam legi. Unde hoc quoque casu puto in factum actionem ei competere. d. l. *sed & si possessori*. §. I. Quod sic accipi debet, si ipse rem suam esse juraverit. Si enim rem petitoris non esse juraverit, actionem nullam habet, ut semel amissa possessio ei restituatur, ne quidem si is possideat, qui Jusjurandum detulit: quamvis adversus eum petentem Jus-
E jurandi exceptione uti possit, si possideat. d. l. *eum qui*. §. *sed & si possessori*. Sed sive Publiciana, sive in factum actione quis experiatur, non nisi adversus eum uti potest, qui Jusjurandum detulit, eosque qui in ejus locum successerint. d. l. *nam postea* in fi. & d. §. *si petenti*. Ei enim soli nocere debet Jusjurandum, qui detulit. l. 3. §. pen. & l. *quia non debet*. D. hoc tit. Ut pactum ipso jure obligationem non tollit. §. *præterea*. Instit. *de exceptio*. ita nec Jusjurandum. §. *æque*: & ibi Theophil. eo tit. Loquor autem de civili obligatione, non etiam de naturali, quæ cum proprie obligatio non sit. l. 17. §. *fidejussor*. D. *de fidejusso.* etiam ipso jure per Jusjurandum tolli potest. l. ult. D. hoc tit. & l. *Stichum*. §. *naturalis* D. *de solutio*.
F CAUSA Jurejurando decisa ex conventione partium, vel alterius tantum delatione, tractari non potest, ne perjurii quidem prætextu; stari enim religioni debet. l. *quod si deferente*. D. *de dolo*. l. *admonendi*. in fi. D. hoc tit. Ideoque adversus exceptionem Jurisjurandi replicatio doli mali non

debet dari, cum Prætor id agere debeat, ne de Jurejurando cujusquam quæratur. l. *adversus* D. *de exceptio*. Intellige, nisi specialiter hoc a lege excipiatur. l. 1. C. *de reb. credit*. Cujus rei exemplum est in l. ult. C. eod. ubi si delato ab herede Jurejurando, deberi sibi legatum vel fideicommissum quis juraverit, postea invento forte testamento nihil ei relictum fuisse liquido appareat, heredi permittitur eandem causam retractare, ac solutum ab eo qui juravit, repetere. Quod ad judiciale Jusjurandum attinet, idem in eo statuendum esse existimo, quod in cæteris Jurisjurandi formis: ut si cui delatum id a judice fuerit, isque juraverit, causa facile retractari non possit. l. ult. D. *de in lit. jur.* Dixi, facile, nam ex magna causa potest: veluti si postea novæ probationes repertæ sint. d. l. *admonendi*. & l. *videamus*. §. ult. D. *de in lit. jur.* aut si ex falso Jurejurando quid judicatum sit. l. *si ex falsis*. C. *de transact.* In quo differt hæc forma Jurisjurandi a cæteris, cum causa Jurejurando voluntario vel necessario decisa retractari nullo modo possit, ne si aliæ quidem probationes emergant. Hæ namque Jurisjurandi species transactionis instar habent. d. l. *quod si deferente*. & l. 11. D. hoc tit. Porro quæ transactione finita sunt, ne prætextu quidem novorum instrumentorum rescindi possunt. l. *sub prætextu*. C. *de transactio*.

Et qui per Deum pejeravit, supplicium nullum a jure infligitur: hic enim Veteribus Deum ipsum satis idoneum ultorem habere videbatur. l. 11. C. *de reb. cred. quam simul.* & l. 1. his versibus inclusimus;

*Jurasti, ac pro te semel est sententia lata:*
*I, vel ab austero judice tutus eris,*
*Non ausit judex perjuria plectere, vindex*
*Ipse Deus spretæ religionis erit;*
*Nec si quisquam iratus eo proruperit, ut per*
*Principis Augustum pejeret imperium,*
*Aut majestatis peragi reus, aut leve porro*
*In proprio damnum corpore ferre queat.*

Unde Tibullus eleg. IX. lib. I.

*Ah miser, & si quis primo perjuria celat,*
*Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Et Constantinus Imperator Arrio juranti se nihil hæreticum sentire, ita respondisse fertur: Si recte juras, tuo Jurijurando fides esto, tuque insons discedito: si vero dolose ac fraudulenter, ulciscatur te is, in quem jurasti, ut scribit Athanasius oratione prima in Arrianos, & Theodoretus libro I. *Ecclesiast. Histor.* cap. XIIII. Ita perjurium inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus, ut de ingrati crimine, ait Seneca libro 3. *de Benefic.* cap. 6. Ei vero qui per Principem pejeravit, si quidem calore iracundiæ hoc fecerit, ignoscitur. d. l. 11. l. *quicquid de reg. jur.* & l. 11. C. *ad leg. Jul. majest.* sin minus fustium castigationi subjicitur. l. *si duo*. in fi. D. hoc tit. Et hoc quidem ita diserte tradit Harmenopulus tit. VII. libro I. Idem adjicit ei linguam exscindi debere, qui tactis in templo Evangeliis Jusjurandum præstiterit, ac deinde pejerasse deprehensus fuerit. Quæ sententia licet nullo jure, quod sciam, probetur, tamen sanctissima est. Illud animadversione dignum est, perjuros nostris legibus infames fieri. l. *si quis major.* C. *de transact.* cap. *infames*. 6. quæst. I. & cap. *si quis convictus*. 22. quæst. 5. Quod & a M. Tullio in iis legibus constitutum est, quas bene morato populo dedit, his verbis: Perjurii pœna divina, exitium: humana, dedecus. Sed neque illud silentio prætermittendum, quod si quis dolo malo rem alienam pignori obligaverit, suumque esse pignus instrumento juraverit, stellionatus reus erit, ideoque ad tempus exulabit. l. ult. D. *de crim. stell.* Verum hæc pœna stellionatui, non perjurio statuitur, ut Accursius recte annotavit.



# ERYCII PUTEANI
## DE
# JUREJURANDO ANTIQUORUM
## SCHEDIASMA,
in quo de
# PUTEALI LIBONIS.

ILLUSTRISSIMO
*VIRO*
# D. LAURENTIO POLO,
## QUÆSTORUM REDITUUM
### EXTRAORD. DITIONIS
MEDIOLANENSIS PRÆSIDI.



*E Jurejurando Antiquorum Judicum Schediasma, ante Annos aliquot scriptum atque recitatum, moroso nunc satis adfectu sustuli: an dignum vita, tu judica, Illustrissime Præses, cujus in arbitrium ac potestatem dedo, quasi dignum. non invita plane Themide natum est; cui nisi sacro Themidis Mystæ exponam? nec invitis Musis; cui, nisi Musarum velut Phœbo? sed tu quidem & Mysta ille es, qui magnis Prudentiæ, Doctrinæ, Virtutisque auspiciis ad magnæ Deæ sacra Insubres ducis: & Phœbus ille, aut ipse potius Urbis sive Reipub.* polus, *quem respiciunt, quicumque in magna & publica ista navi: quem mirantur in tanto munere, velut rerum civilium unda tranquillum; in nube serenum, animo, & simul vultu. Sic eminere, difficile est: & in alto pauci, qui non in motu.. ecce volvuntur, dum volvunt; aguntur, dum agunt, lucentes illi orbes, illi ignes; ut ubicunque Imperium est, servitutem scias inveniri. Quies igitur mihi & modesta tranquillitas curæ est, & exemplo morum ac doctrinæ malo, quam Imperio eminere; animo, quam gradu.*

*Quid magna, Puteane, ambias (mecum enim loquar) & magnarum Cogitationum votis æstues? Nosce Teipsum: magnus es, Mundus es. Nam Physici, ut Macrobius scribit, Mundum, magnum hominem dixerunt; & hominem, brevem mundum. Scrutare: in corpore Elementa, in animo Cœlum habes. imo scrutare: invenies quod regas, quodque corrigas. Pax bellumque in nobis sunt. Rident adfectus norma Rationis comprimendi, ne lasciviant: ringunt, ne turbent, aut rebellent. Mens ipsa adserenda est, ne Corpori succumbat. Magnum Imperium, cum quis sibi Dominus; magna servitus, cum quis sibi servus. Et tamen ut mori mores Mortalium sunt, nemo sibi vivit, se æstimat. Ambitionis atque Avaritiæ innatus turbo transversum omnes rapit in oblivionem sui. scilicet plures Alexandros rideas, qui cum suos adfectus nondum subjugarunt, vanissimo voto in alienos Imperium extendunt. hinc, ut cum Plinio dicam,* pessum iere vitæ prætia, omnesque a maximo bono Liberales dictæ Artes in contrarium cecidere. *ipsa Themis; quam tu quidem, Illustrissime Præses, magnis ingenii doctrinæque fulcris sustines, in solatium urbis & ævi. Themidis igitur causa Schediasma hoc cape; imo mea, quem a Sacris suis Themis non arcet. sed Themidis nunc me ama etiam; quem Musarum cæpisti. Mediolani,* IX. *Kal. Febr.* ∞ IↃCVI.

# ERICIO PUTEANO

## PRIMAM JURIS LAUREAM GULIELMUS BARCLAYUS GRATULATUR.

VIrtutes, Puteane, si latentes,
Quas nulli nisi noverint amici,
Tuas dixero, dicar esse mendax
A valgo, vario, invidoque vulgo.
An, si dixero quicquid universi
Mereri, Puteane, te fatentur;
Carebit tamen ista dente charta;
Non carebit. habet suos aperta
Virtus, tunc quoque cum probatur, hostes.
Quid tu, pergone? non tacebo Amicum,
Rumpant ilia, frendeant licebit.
Mathesis tibi vindici, patrono
Debet ipsam animam; tibi reliquit
Ceris barbiton Orpheus supremis;
Tibi tempora Phœbus ipse cinxit,
Quem cum carmina delicatiora
Delectant, tua cantat, aut canentem
Audit te sua; nec pudet Sorores.
Hæc, cui nomen inambulationes
Dederunt, schola te gregi Sophorum
* Pridem miscuit. Euge cur moraris?
Aut cur non peragis viam hanc honorum?
Ascendisti hodie gradum, sed unum:
Quin & culmina scandis ipsa? differs.
Dicet forte diem tibi Minerva,
Dicet dia Themis diem: caveto.
Nam dum sic trahis hos tuos honores,
Detrahis Themidi, & Minervæ honores.

* Nam Coloniæ Agrippinæ anno 1595. solenniter Philologi & Philosophi titulo donatus est.

## LEX JUSTINIANÆA, CODICE DE JUDICIIS.

*Rem non novam, neque insolitam aggredimur; sed antiquis quidem legumlatoribus placitam: cum vero contemta sit, non leve detrimentum causis inferentem. Cui enim non est cognitum, Antiquos Judices non aliter Judicialem calculum accepisse, nisi prius Sacramentum præstitissent, omnimodo sese cum Veritate & Legum observatione Judicium esse disposituros?*

# ERYCII PUTEANI

## DE

# JUREJURANDO ANTIQUORUM JUDICUM

## SCHEDIASMA.

UOD in reliqua vitæ ſtudiorumque ratione ſollemne mihi, in hoc etiam publico Honoris, ut ita dicam, auſpicio erit; *Λεωφόρυ μὴ βαδίζειν, publica via non gradi*. Prudentis enim, atque adeo Sapientis eſt, ſegregare ſe a turba; non qua itur, ſed qua eundum gradum transferre: per viam itur, per ſemitam eundum eſt. Nec unquam, ut Ille ait, tam bene cum rebus humanis actum eſt, ut optima plurimis placuerint. Itaque ne morem jam moroſum ſequar, veteremque nauſeam nova crambe recolligam, a decantatis Juriſprudentiæ encomiis abſtinebo. Saturæ jam delicatiores aures hoc ferculo, & ſcholæ tragemata quædam poſcunt. dabo: ſed ſcholæ, & ab ipſo Juris Civilis penu prompta. Tragemata? inquies. omnino. nec enim tam ſevera ſive auſtera noſtra Themis, ut Philologiæ delicias ſpernat. Quid mirum? Philologiæ ipſa mater eſt. ut Mare, etſi natura ſua ſalſum, per terræ ſpatia benignum liquoris ſuccum ad fontes mittit, & a fontibus recipit: ſic Juriſprudentia, primo guſtu amara, ad artes, & ab artibus reliquis, omnes Muſarum ſuavitates. ſed averto ab hac imagine dictionis ſeriem; elogia enim ſunt. averto, & ſubtiliorem Eruditionis lineam ſequor. Illuſtrare enim, non laudare Divam noſtram inſtitui: in pulcherrimo Corpore membrum aliquod Critica ceruſſa expolire. laudare quidem imperitus quiſque poteſt: illuſtrare, niſi peritus, non poteſt. Veſtem aut pallam, velut a Chorago, dare, in proclivi eſt: colorem & ſuccum, Jureconſulti proprium munus. hoc ipſum igitur nunc aggredior, ſive exempli cauſa, quod rarum eſt: ſive rei, quæ ipſa rara.

Lucem, inquam, Legi Juſtinianææ dabo, libro III. tit. I. *de judiciis*, verba hæc ſunt: *rem non novam, neque inſolitam aggredimur; ſed antiquis quidem legumlatoribus placitam: cum vero contempta ſit, non leve detrimentum cauſis inferentem. cui enim non eſt cognitum, antiquos judices non aliter judicialem calculum accepiſſe, niſi prius ſacramentum præſtitiſſent, omnimodo ſeſe cum veritate & legum obſervatione judicium eſſe diſpoſituros?* itane cognitum? illo fortaſſis ævo: at hodie antiquos judices juraſſe, vitio corrupti ævi pene dubitamus. Ego tollam hanc umbram: breviterque ipſam Jurisju-

A randi formulam, locumque curioſa indagine perſcrutabor. Qui Juris, moriſque veteris ſtudioſi eſtis, recto purgatoque judicio pauca mea verba cenſete. juraſſe olim Romanos judices, etſi Juſtiniano credam, paucorum aliquot Scriptorum punctis ſignandum eſt. Apuleii in *Apologia*, judices alloquentis: *Qui Jurejurando adſtricti judicatis*. Ciceronis Actione I. in Verrem: *hoc factum eſſe in hac civitate, cum Senatorius ordo judicaret, ut diſcoloribus ſignis juratorum hominum ſententiæ notarentur*. in quem locum Aſconius: *juratorum hominum) Judicum, qui in leges, antequam judicarent, jurare conſueverant*. Ejuſdem Aſconii; qui celebrata rejectio-
B ne, & ſortitione perfecta judices in leges juraſſe, ut obſtricti religione judicarent, alibi teſtatus eſt. Judices, ſed Romanos: & quo exemplo? an Athenienſium? apud hos quidem Theſmothetæ ſolemni juramento Magiſtratum auſpicabantur. Heraclides Ponticus in *Politiis*: *εἰσὶ δὲ καὶ ἐννέα Ἄρχοντες, ὧν Θεσμοθέται, καὶ οἱ δοκιμασθέντες ὀμνύουσι δικαίως ἄρξειν, καὶ δῶρα μὴ λήψεσθαι, ἢ ἀνδριάντα χρυσοῦν ἀναθήσειν. Sunt & novem Archontes, ex quibus Theſmothetæ, qui electi mox ſollemne juramentum præſtant, juſte ſe in magiſtratu verſaturos., dona non*
C *accepturos, nec auream ſtatuam poſituros*. Et Julius Pollux lib. 8. cap. 6. *ἐπηρώτα δὲ ἡ βουλή, ὤμνυον δὲ οὗτοι πρὸς τῇ βασιλείῳ στοᾷ, ἢ ἐστι τοῦ λίθου, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι. Interrogabat autem Senatus. hi vero jurabant ad porticum Regiam, quæ eſt lapidea, ſe leges obſervaturos, nec munera ſumpturos, aut auream ſtatuam perſoluturos*. De ſtatua aurea locum Laertii in *Periandro* addo, nec tamen explico; Ἀλλὰ καὶ Ἔφορος ἱστορεῖ ὡς εὔξαιτο, *εἰ νικήσειεν ὀλύμπια τεθρίππῳ. χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀναθεῖναι. Porro Ephorus ſcribit voviſſe illum, ſi Olympia quadriga*
D *viciſſet, auream ſtatuam Deo poſiturum*. Quid autem Periander? voti compos, ſed auri vacuus, ludis popularibus, cum mulieres ornatæ procederent, mundum & monilia rapuit, & his velut ſpoliis donarium miſit. Romani igitur exemplo Athenienſium obſtrictos Judices ſuos Jurejurando voluere. quod neglectum poſtea aut ſpretum, reſtituendum bono jure Juſtinianus cenſuit, imo reſtituit. Ego nunc ad ipſam Jurisjurandi formulam, Eruditionis, ad locum, nominis mei cauſa. ſcilicet veniendum ad Puteal, & obliterata priſci ritus memoria in lucem protrahenda. formula quidem ſimplex ſeu varia fuerit, in populo quærenda & ſimul explicanda

est, ut ad Judices referatur. Jurabat ille communiter & sollemniori ritu, ut Brissonius quoque notavit, *per vitam, per salutem, perque caput suum liberorumque, per deos, per genium Principis*. A

Videbo singulas, & qua demum judices usi, arbitrabor. per vitam quidem certa & concepta verba erant, *Ita vivam*. Exemplum in Valerio Maximo lib. IX. cap. 13. de Bruto: *Quid? Brutus exiguum & infelix momentum vitæ quanto dedecore emit! nam a Furio, quem ad eum occidendum Antonius miserat, comprehensus, non solum cervicem gladio subtraxit; verum etiam constantius eam præbere admonitus, ipsis his verbis juravit: Ita vivam, dabo. o fati cunctationem ærumnosam! o jurandi stolidam fidem!* Sollemne exemplum est, & lubet B adjungere: *sed hos tu furores immoderata retinendi spiritus dulcedo subjicis, sanæ rationis modum expugnando; quæ vitam diligere, mortem non timere præcepit*. Acrius Seneca, qui eandem hanc historiam Philosophico supercilio recensens, etiam juramentum expressit, & momordit epistola 82. *hic enim est Brutus, qui cum periturus mortis moras peteret (sine offensa aurium prolatum cupio) ad exonerandum ventrem secessit: & evocatus ad mortem, jussusque præbere cervicem*, præbebo, *inquit*, Ita vivam: *quæ dementia est fugere, cum retro ire non possis? præbebo inquit*, Ita vivam. *pene adjecit*, vel sub Antonio: *o hominem dignum, qui vitæ dederetur!* C *Molle hoc tuum nimis, & dictum, & factum. Brute, fratrem, imo Te cogita. pro Rep. & cum Republica occumbis. Vitam cum gloria atque sapientia egregie actam hic finis non finit, sed extendit & æternat*

*per titulos memoresque fastos.*

*Mitto Stoicæ sapientiæ studia, imo decreta. Nomen ipsum pro exemplo est, Brutus es. & hinc constantia in universam Rempublicam effusa. vides illum Senatorem? illum Equitem? illum de plebe? insontes tecum, sed fortiter occumbunt, jugulum præbent, ferrum attemperant sibi ipsi. Publicum fatum,* D *tuum puta, mori.*

Τὸ γὰρ θανεῖν οὐκ αἰσχρὸν, ἀλλ' αἰσχρῶς θανεῖν. *nam turpe non est emori, sed turpiter*. recte Seneca: *Mortem nec malum esse, nec bonum. Cato illa honestissime usus est, turpissime Brutus. omnis res, quod non habuit decus, virtute addita, sumit*: paulo post: *mors honesta est, per illud quod honestum est*. Sed ego vitæ formulam, mortis hoc exemplo claudo. ad *salutem* transeo: per hanc frequens olim juramentum. Lege 5. D. *de Jurejurando*: *quod si exegi ut per salutem tuam jurares, & jurasti, stabitur*. Modi erant: *Ita sim salvus, ne salvus sim, dii me perdant*; similesque, obvii in scriptoribus & tri- E ti. *per caput suum liberorumque*, formulam e Lege 3. 4. & 5. D. *de Jurejurando*, colligo, Ulpiani, atque Pauli verbis: *Jurari autem oportet, ut delatum est Jusjurandum, cæterum, si ego detuli ut per deum jurares, tu per caput tuum jurasti, vel filiorum tuorum; non erit ratum habendum Jusjurandum*. Scævum illud, apud Quintilianum lib. IX. cap. 2. *frequens illud est, nec magnopere captandum, quod petitur a Jurejurando, ut pro exheredato, ita mihi contingat herede filio mori*:

Illa vero *per Deos immortales*, forma nimis nota, quam ut auctoritates proferam. Sancta & summa, F imo antiqua, *per Jovem lapidem*: ideoque digna scriptorum suffragio. Agellii lib. I. cap. 21. *Jovem lapidem, quod sanctissimum Jusjurandum est habitum, sum paratus jurare*. Apuleii, de deo Socratis: *quid igitur? Jurabo per Jovem lapidem*, (aut potius *jurabo Jovem lapidem*. Græce, δία λίθον, quod perperam etiam expressum, διὰ λίθου.) *Romano vetustissimo ritu*? Execratio quoque addi solita, quam Festus explicat: *Jovem lapidem juraturi silicem tenentes, his verbis utuntur: si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*. in Polybio, Livio, aliisque idem ritus expressus. atque propria etiam superstitione concipi Jusjurandum fas erat, Leg. 3. D. *de Jurejurando*: *D. Pius Jurejurando, quod propria superstitione juratum est, standum rescripsit*: videntur Christiani atque Hebræi intelligi. Denique, *per genium Principis* jurari cœptum, oppressa Republica: atque adeo, post Julii Cæsaris cædem, senatus decrevit, verbis utar Dionis, τὴν αὐτὴν ψυχὴν ὀμνύναι. *per ipsius Genium jurare*. hujus formulæ Ulpianus meminit, Lege 13. D. *de Jurejurando*, ubi de pœna perjurii: *si quis juraverit in re pecuniaria per Genium Principis, dare se non oportere, & pejeraverit; vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus juraverit se soluturum, nec solvit: Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eum castigatum dimitti; & ita ei superindici*, προπετῶς μὴ ὄμνυε. *temere ne jura*.

In rescripto Alexandri hoc genus juramenti *veneratio Principis* nominatur, Codice, *de rebus creditis, & Jurejurando*: *Jurisjurandi contempta religio satis deum ultorem habet. Periculum autem corporis, vel majestatis crimen secundum constituta parentum meorum, etsi per Principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet*. Christiani vero postea mutarunt, ut non per *Genium*, sed *salutem Principis juraretur*. vide Tertullianum in *Apologetico* cap. 32. Rescriptum Arcadii, & Honorii, lege, *si quis major*, Codice *de Transactionibus*: verba, quia in promptu, reddo; *eos etiam hujus legis, vel jactura dignos esse jubemus, vel munere, qui nomina nostra placitis inserentes, salutem Principum confirmationem initarum juraverint esse pactionum*: his igitur formulis populus passim in privatis publicisque negotiis sive actionibus usus: quid judices? censeo iisdem: maxime vero illa *per deos, perque Genium* sive *salutem Principis*. nam profecto nihil ad Rempublicam magis pertinet, quam ut suum cuique tribuatur, id est, recte judicia ac sincere exerceantur: ad judicia nihil magis, quam ut judex summo & augustissimo sacramento teneatur. quod vero augustissimum? quod *per deos* concipitur, *perque salutem Principis*: per caput tuum juras? nonnunquam & pejeras: Liberorum? etiam pejeras. Vindicem Deum times, Principem Ultorem.

Uterque ille est, *qui quæ nos gerimus*, ut Comici verba usurpem, *auditque & videt*. ad *locum* nunc transeo, in quo præstari juramentum solet: nec promiscue quemcunque fuisse arbitror; sed, quo major religionis reverentia esset, certum aliquem & sacratum. *Aram* dico. quid ni? hic numen ipsum præsens, hic terror, hic metus est; & a scelere mens improba sceleris conscientia revocatur. Religionem ipsam veterum inspice: Aras deorum tangere, sanctissimum Jusjurandum fuit. rationes etiam sunt; sed compendii causa totam rei controversiam luculentissima Symmachi auctoritate tollam: ille quidem lib. 10. Epistola 54. sacram hanc scenam graphice explicat; Aramque ipsam, a Gratiano complanatam eversamque *ornamentum Curiæ* nominat, & instaurari a Valentiniano, Theodosio, & Arcadio postulat. Videamus: *ubi in leges vestras & verba jurabimus? qua Religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? omnia quidem deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus: sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia Religionis urgeri: illa Ara concordiam tenet omnium: illa Ara fidem convenit singulorum. neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia juratus ordo decernit*: an quidquam potuit expressius? Et tamen lubet nunc etiam (per vos liceat)

liceat) curiosius inquirere, de situ ipso, & conditione. In Comitio fuisse, ex Plauto arbitrarium, imo vero certum. qui Comico, aut potius Satyrico morsu perjurium judiciale haud obscure carpens, Comitii facit mentionem. Choragus enim in *Curculione* commonstraturus quo quisque homo facile inveniretur loco, inclamat

*Qui perjurum convenire vult hominem,*
*Mitto in Comitium.*

In Comitio scilicet Ara, & ad hanc jurare judices soliti, sed & pejerare, ne labem fœdissimam nostro primum ævo natam indignere. sane fuit illo prisco. idem Plautus indicium facit, in *Rudente:*

*Jusjurandum rei servandæ, non perdendæ conditum est.*

Item severa punctura Petronius: *nemo cælum putat, nemo Jusjurandum servat, nemo Jovem pluris facit; sed omnes opertis oculis bona sua computant.* de Comitio vero Comici verbis nunc etiam quis me roget:

*Quid istuc est? aut ubi istuc est terrarum loci?*
*Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.*

Quo me agis, & cogis? ut rudera illa revolvam Dominæ Urbis? ossa recolligam magnæ Matris? reddam tibi Comici voces:

*Jubeas una opera me piscari in aere,*
*Venari autem rete jaculo in medio mari.*

Quia tamen operam hanc sumpsi inquirendi, non refugiam. neque etiam ludam operam, si conari occipiam. diruta quidem vetus illa Roma, & subruta; quæ tamen etiam nunc stat, æternumque stabit, non una facie aut forma. stabit, inquam, sed literarum Historiæque tibicinibus atque fulcris. Antiquitatis velut imagines libri sunt; hi æterni, & illæ æternæ, quibus non mores tantum, ritus, res gestas, sed universam prisci ævi faciem cognoscas, ipsam Urbis. luce tamen opus & strictutis, in his structuris: ipso Phœbo nostro opus, *Justo Lipsio*, qui lucem illam mittit & stricturas. o nos beatos exemplo & auxilio viri! ter beatos, præsentia & humanitate! Incomparabilem namque doctrinam tanta modestia temperat, ut neminem nisi propria verecundia a benignissimo illius conspectu, & consuetudine arcuerit. Amat omnes, sed bonos: juvat omnes, sed quos amat; Ego ipse (gloriari fas est) quanta voluptate Eundem adeo! quo fructu audio! sed tuas ego laudes, Vir Clarissime, Vir optime, libentius alibi gentium, quam hoc in loco pangam: Non quod honor tui præsentis & gloria satietate apud me languescat; sed quod modestia illa tua desiderium dicendi coerceat: apud exteros autem (eos consilio tuo cogito) veritas libera & irreprehensa futura sit. ac certe, si vel paululum frænum hoc laxem, annon & aliorum quoque insignium virorum merita, tua *Philippe Sueri*, tua *Petre Vermi*, tua *Jacobe Hæsti*, explicanda sunt? debet vobis Jurisprudentia, cujus cum fama professores estis; debet schola hæc, in qua cum fructu; Ego debeo, qui vestra imprimis opera ad publicum hunc honoris gradum promotus sum. Itaque, posito paulisper hoc onere, cœptum carpam sermonis mei iter, vetusque illud Comitium brevibus lineis describam. Latini *conventum populi*, a simul itando, & locum conventus: Græci ἀρχαιρεσίας, καὶ τὰ ἀρχαιρέσια vocant: Glossæ veteres ἀρχαιρέσια, scilicet ab eligendo magistratu. Varro a *coeundo*, quod convenire huc populus litium & Curiatorum Comitiorum caussa soleat. ita quoque *conciones* appellatas censeo, quasi *Comitiones*, quam vocem di-



A tioni T. litteræ Glossarium vetus subjecit. Et per T. lapides antiqui repræsentant. adde tabulam æream legis Serviliæ, quæ in Museo Bembi: & legis Judiciariæ apud Fulvium Ursinum, in qua etiam *Conctio*.

Comitium igitur locus, & teste Asconio, in foro prope Curiam fuit: hoc ipsum e Cicerone colligas, qui in oratione pro Sestio, forum, Comitium, Curiam conjungit: *Cum forum, Comitium, Curiam, multa de nocte, armatis hominibus ac servis plerisque occupassent, impetum faciunt in Fabricium.* Consentiunt ii, qui de Regionibus Urbis scripsere: consentiunt effigies & picturæ. ut quærere nodum in

B scirpo videar, si longiori investigatione sermonem extendam.

Ipsa Conditio inquirenda est, an potius proponenda? nam fuisse *Puteal Libonis*, non dubiis conjecturis adducor. *Puteal*, inquam, *Libonis*, cujus frequens apud antiquos mentio, & in quo explicando variis opinionibus Interpretes laborant. Ego nomen & cognomen breviter libo; ut Aram ipsam ab utroque discas. Nomen a *Puteo*, in quo Accii Navii novacula cum cote defossa. ita Cicero lib. I. *de divinatione: Cotem autem illam & novaculam defossam in Comitio, supraque impositum Puteal accepimus.* Tarquinius enim Priscus, ut Livia-

C nis verbis historiam hanc referam, *Equitem maxime suis deesse viribus ratus, ad Ramnenses, Tatienses, Lucenses, quas Centurias Romulus scripserat, addere alias constituit, suoque insignes relinquere nomine. Id, quia inaugurato Romulus fecerat, negare Accius Navius, inclytus ea tempestate augur; neque mutari, neque novum constituit, nisi aves dixissent, posse. ex eo ira Regi mota: eludensque artem, ut ferunt,* agedum, *inquit*, Divine tu, inaugura, fierine possit, quod nunc ego mente concipio. *Cum ille in Augurio rem expertus, profecto futuram dixisset*, atqui hæc animo agitavi, *inquit*, te novacula cotem discissurum. Cape hæc, & perage quod aves tuæ fieri posse portendunt. *tum il-*

D *lum haud cunctanter discidisse cotem ferunt.* Addit Livius quod ad rem nostram facit; *Statua Accii posita capite velato, quo in loco res acta est, in Comitio, in gradibus ipsis ad lævam Curiæ fuit. Cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, ut esset ad posteros miraculi ejus monumentum.* In eodem argumento Appulejus corrigendus, de dogmate Platonis: *Accio Navio navem velificet*: Monstrum sermonis; rescribo: *Accio Navio cotem secet*, id est, *fecet*. jam vero cognomen accepit *Libonis*, a L. Scribonio Libone, qui puteum illum exstruxit, imposuitque labrum. ita *Puteal* a Pomponio definitur, lege 14. D. *de Actionibus empti & ven-*

E *diti, quo puteus operitur.* Quid verbis utor? Confer sodes cum Ara *Puteal*: Imago ipsa rem nomenque commune faciat. Exstat, notusque est nummus, cujus pars adversa effigiem Libonis repræsentat, cum inscriptione BON. EVENT. LIBO. Aversa vero Aram ipsam, sive Puteal coronis citharisque exornatum, cum inscriptione, PVTEAL SCRIBON. An quidquam potest luculentius? Alius etiam, in quo præter figuras, CONCORDIA expressa. & alius, in quo BONVS EVENTVS. quia vero Symmachus aram quam restitui postulat, *Concordiam tenere omnium* diserte scribit: aut hanc ipsam *Puteal* fuisse *Libonis* certum est, aut ejus certe tandem eversi locum oc-

F cupasse, Jurijurando religiose suscipiendo destinatum. Quæ enim illa *Concordia*, nisi Judicum? quis *bonus Eventus*, nisi Judicii, ac sententiarum? in mentem memoriamque verba Symmachi revoca: an ipse potius revoco? *illa Ara*, inquit, *Concordiam tenet omnium: illa Ara fidem convenit singulorum. neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia Juratus Ordo*

A *decernit*. Sed & meæ sententiæ auctoritatem ab ipso nunc situ faciam. Aram nostram in Comitio fuisse liquido ostendi: sed *Puteal Libonis* in Comitio.

An pondus inest rationi, sine cavillatione, hoc ipsum *Puteal*, hæc ipsa Ara. Argumenti causa verba Ciceronis repetenda sunt, ut & *Puteal* fuisse in Comitio fateare, *de Divinatione*: *Cotem autem illam & novaculam defossam in Comitio supraque impositum Puteal accepimus*. Livius locum illum expressius, *in gradibus ipsis ad lævam Curiæ* signavit. Sextum Rufum adjicio, qui in Octava Regione, quæ B *forum Romanum* dicitur, inter Senaculum aureum, & Comitium locat. Verba ejus: *Senaculum aureum*, *Puteal Libonis*, *Comitium*. quod si tamen hæc omnia infirma aut dubia, fidem Glossæ veteres adstruant, in quibus, Ἱερὸς τόπος περικεκλεισμένος, *Puteale*; iterum, Ἱεροῦ φραγμὸς, *Puteale*, de Ara, aut certe sepimento quodam Aræ, ac sane nescio quomodo *Puteus* olim Judiciis, Justitiæque destinatus. Nam *Judicialem Puteum* (unde Romani acceperint) in Pyræo ad mare fuisse in *Atticis* indicat Pausanias: Athenis, Aristoteles, libro 4. *Politicorum*, ubi de Judiciis: οἷον Ἀθήνησι λέγεται, καὶ τὸ ἐν φρεαττοῖ δικαστήριον. *Sicuti Athenis dicitur, & Tribunal vocatum in Phreatte*. etsi Harpocration in C Lexico suo, sic vocatam Curiam fuisse a *Phraate*, heroe quodam, censet, ejusdemque opinionis extitisse etiam Theophrastum. Sane Græcis φρέαρ φρέατος, *Puteus*; & φρεατιαῖος, *Putealis*, sive *Puteanus*. ac sic quidem & meum nomen, & scriptionis hujus argumentum conveniunt. ut in Puteo quieta quidem est aqua, sed viva tamen atque pura: sic in me animus putus atque purus. imo sic in Jurejurando Judicioque esse debet: aut Justitia, nec non Respublica ipsa vacillet. Puteum Judex cogitet, & incorruptus erit. Nemo aquam emit: ille malus, qui sententiam. merces Judicem venditorem facit. ex vero in omni causa pronunciandum est. Sed in puteo sive profundo abstrusam latere veritatem Democritus respondit: quare ut optimam esse aquam Pindarus censuit: (adde Plutarchi de eodem argumento Libellum) sic ego veritatem. Judicem igitur veracem esse oportet? imo siccum, sobrium, continentem, ut verax sit. sic edictum Horatii explico, Epistola 19. ad Mæcenatem:

*—— forum Putealque Libonis*
*Mandabo sicciis.*

Sicci enim homines Latine *sobrii*, & uno verbo, boni sunt. idem Horatius lib. 1. Ode 18. ad Bacchum invitans:

*Siccis omnia nam dura Deus proposuit.*

Plautus *Asinaria*:

*Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxime.*

Talem & ipsum Advocatum Antiqui voluerunt, ita dico Advocatum, qui exemplo Judicum, ad Puteal cum litigatoribus suis jurare solet: hi, nihil se dedisse; ille, nihil se accepisse. atque hoc sensu idem Horatius capiendus, libro 2. *Sermonum* Satyra 6.

*—— Ante secundam*
*Roscius orabat, sibi adesse ad Puteal cras.*

Ostendi *jurasse Antiquos Judices*, ostendi *qua formula*, & *quo in loco*, votum meum est, ut exemplum corruptissimi nostri mores admittant. Non ad *Puteal*, sed ad seipsum quemque duco, ut juret, ut mentem bonam servet, ut Juris Justitiæque pariter consultus sit. faciam ipse, si ad Rempublicam quandoque accessero, *ita vivam, ita fælix mihi & fæcunda Laurea ista sit*.



# MARCI ZUERII BOXHORNII

# QUÆSTIONES ROMANÆ.

Quibus ſacri & profani ritus, eorumque cauſſæ & origines, plurima etiam Antiquitatis monumenta, eruuntur, & explicantur.

# NOBILISSIMIS AMPLISSIMISQUE

## *VIRIS,*

JOHANNI a MATHENESSSE, Domino in Mathenes, Reviere, Opmeer, Souteveen, &c. ex Equestri Ordine ad præpotentum Ordinum Hollandiæ Comitia delegato.

JACOBO CATS, Equiti, eorumdem Ordinum Consiliario & Syndico supremo.
JOHANNI CAMERLING, Equiti, Reipub. Delphensis Syndico;

Curatoribus Academiæ Leidensis.

JOHANNI a GROENENDIICK,
GERARDO a LANSCHOT, Med. Doct.
GUILIELMO a MOERBERGEN, M. Doct.
ROBERTO a ROSSEM,

Curatorum Collegis, & Consulibus Reipub. Leidensis.

JOHANNI a WEVELICHOVEN, J. C. ejusdem Reipub. Syndico dignissimo, & Curatoribus Academiæ a Secretis.



UEMADMODUM multi ætate nostra sunt, Nobilissimi Viri, a quibus sive ignorantia sive contemptu præcipua rerum & eruditionis negliguntur; ita nos, qui fructum studiorum experimur, tanto animosius sæculi scelus supergredimur, & aliorum pertinacia nondum constantiam nostram disjecit. Stamus adhuc immoti; & de mortalium ineptiis, ringente licet invidia, feliciter triumphamus. Ac ut hunc ardorem nostrum aliorum ignorantia, vel ignorantiæ delinimenta exstinguant, nunquam siverit Deus immortalis. Nec nos primi hoc malo laboramus. Omnis quippe ætas ignava ejusmodi nomina semper tulit. Sed nec unquam defuere, qui aut susciperent litterarum defensionem, aut spernerent contemptum. Nec a magnis exemplis adeo defecta est hæc ætas, ut erectas, excitatas, majores sæculo mentes haud possit exhibere. quibuscum ut comparandi non sumus, ita famam in posteros pretium studiorum opperimur; & præsentibus uti, vel contemnere, inter solatia habemus. stuporem suum illis relinquentes, qui omnem præclaram eruditionem aut ignorare aut odisse decreverunt; qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil hominis præter corpus habent. Me quidem hic animus, assiduus, indefessus, nunquam destituet; qui ut in omnium bonarum artium amplexum præceps ruit, ita de successu non desperat; qui ut ignorantiam suam non nescit, ita eam expugnare indies contendit; qui ut in æstimandis eruditissimis quibusque nemini cedit, ita ad eorum exemplum magis magisque se componit; qui denique quidquid potest liberaliter impendit. Quod & vos testor, & meminisse posteros volo. qui satis memoriæ meæ tribuent, si quæ sæculum hoc in odium vertit quanquam exigua, majora me semper voluisse crediderint. Cæterum hujus ardoris nostri fructum, opus hoc, vobis jam & publico consecramus. Non tam ritus & ceremonias Antiquitatis Quiritium Romanæ, quam caussas eorum & origines explicamus. quod ætate nostra neglectum veterum quorundam exemplo ausi sumus. Nihili enim est quid factum sit scire, nisi etiam quare factum sit intelligamus. Ut enim illud tantum delectat, ita hoc docet. Frustra autem amœnitates sectatur, qui simul ad usum non adtendit. Et facillime docetur, qui inter delitias ex iis quod profuturum est discit. Nihil profecto tam leve, tam ridiculum

in veterum Romanorum five publicis, five privatis inftitutis, quod rationem fuam fibi non includat. Ratio autem fere omnis ad fapientiam vel civilem, vel quæ ex ufu vitæ privatæ ferio inculcandam eft comparata. quod vel illa oftendunt, quæ hoc opere perfequuti fumus. In quibus explicandis ut commiffa quædam effe ipfi non dubitamus, ita id diligentiam noftram laudi non exemerit. Facile enim eft in tantis pene fepultæ Antiquitatis tenebris cæcutire. Et id peritiffimis fere ufu venit. Quibus quam veniam ipfi dedimus, nobis hercle denegari non velimus. Ut enim ab iis nonnunquam diffentire debuimus, ita modeftiam noftram maledicendi ftudio onerari paffi non fumus. Longe aliter atque illi, quorum fcripta fummorum hominum contumeliis referta cum faftidio paffim leguntur. Vobis autem, Ampliffimi Viri, hunc fætum meum fifto. Non quod fplendori veftro parem præfumem; cum non adeo indulgens fim pater, ut perfectum fætum a vitiofo vel abortu non diftinguam: nec fpe præmii, qui pro innata quantilli ingenii mei liberalitate venales Mufas aliis obtrudere, quas fæpe inviti emunt, inter prima fæculi dehoneftamenta femper exiftimavi: nec etiam quod veftris in me meritis hoc pacto refpondere me poffe confidam. quippe mihi juveni admodum, eum locum in Academia veftra deftinaftis, in quo pofitus ambitiofis nonnullis, in quibus nunc evehendis nunc deprimendis quotidie Fortuna jocatur, majorem me puto. In cultu enim ftudiorum noftrorum id omne eft, quod illi mifere affectant, & fubinde non confequuntur. Jactent opes fuas, ut lubet, nos, quotiens vacat, cum Cn. Lentulo quater millies feftertium numeramus. Loquantur quas gerunt five togæ, five militiæ primas dignitates, nos ne quidem hac parte minores fumus. Ut enim de cæteris jam non dicam, nunquam nobis aditus præclufus eft ad Rempub. Romanam, &, ubi bellum delectat, fine periculo cum Scipione Carthaginem expugnamus. Verum hoc tantum nunc ago, ut induftriam meam veftro in me favori poffim approbare. quam nunquam in me paffus fum languere, mihi potius, quam Academiæ veftræ defuturus. quæ ad priftinum fplendorem fuum jam fere eft eluctata, poft miferam folitudinem illam & vaftitatem, quam graffantis peftilentiæ tabes, qua major nunquam incubuit, nuper confciverat. Et ut illam fugere coacti tunc fuimus, ita pro gloria ejus & incremento alacriores nunc ftamus. Valete, Nobiliffimi Viri, & huic homini imponite, quidquid eum exfequi poffe exiftimatis. Lugd. Bat. cIɔ Iɔ cxxxvi. Aug. viii.

*Nobilit. Vef. & Ampl.*

dicatiffimus

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

## *Candido & Benevolo*

# L E C T O R I

### S. P. D.



*X quo bonarum litterarum ſtudia, oppreſſa diu & neglecta, ſuperioribus ſæculis inſtaurata ſunt, Amice Lector, plerique eruditorum in Antiquitate Romana eruenda illuſtrandaque præclaram operam poſuere. At vero vix tentatum illis, quod hoc opere aggreſſi ſumus. In quo, præter alia, id potiſſimum agere inſtituimus, ut origines ſacrorum profanorumque rituum, & quod per eos olim denotatum, pro viribus ingenii noſtri erueremus. Inter antiquos, Marcus Varro idem argumentum* in libris Ætiologicis, ſive Cauſſarum, *diligenter eſt perſequutus. cujus operis non niſi nomen, & levia quædam fragmenta, quæ apud Servium exſtant, ad nos perveniſſe ſerio dolemus. Quod ipſum Caſtori etiam evenit; cujus non ſemel meminit Plutarchus. qui inſtituta Romana cum Pythagoricis ſingulari volumine contendit. Numa enim Pythagoræ ſectator, primus fere rituum, præſertim ſacrorum, conditor fuit, qui proinde ad diſciplinam Pythagoræ commodiſſime referri potuere. horum quidem exemplum in hoc commentario noſtro* Quæſtionum Romanarum *ſequuti ſumus. In quibus fere conjecturis innitimur, &, quod Plutarcho etiam viſum eſt, ſæpe interrogando reſpondemus. Aliter enim ſacra hæc non conſtant. Sicut multa adhuc ſuperſint, in quibus alii ingenium ſuum poſſint exercere. Nec enim tam felices ſumus, ut omnia, nec interea etiam tam infelices, ut nihil nos aſſequutos exiſtimemus. Si autem non ingrati fuerint hi labores mei, animus eſt* Commentario de ſupellectile Romana *de ſtudiis antiquitatis porro bene mereri. cui operi prodeſſe poterit, quæ Neomagi eſt Pinacotheca eruditiſſimi viri* Joannis Smithii*; quam cimeliis & monumentis Antiquitatis Romanæ inſtructiſſimam, ex nobiliſſimo* Conſtantino Hugenio, *doctrinæ & ingenii incomparabilis viro, nuper audivimus. Cujus in hanc rem elegiam longe venuſtiſſimam heic exhibere voluimus; ut qui in Italia & alibi terrarum ſunt eruditi, intelligant quid ex Belgio noſtro poſſint exſpectare.*

DEfuncti cinis Imperii, grandæva ſupellex,
 Parva peregrino relliqua Roma ſolo;
Fruſta deum, putres Genii, fumoſe Penatum
 Horror, & ararum ſic quoque ſancte lapis;
Crinibus in nodum tortis, fera ſigna, Sicambri,
 Quæ deriſerunt qui timuere Patres;
Fibula decepti toties jam fabula vulgi,
 Annule, quem fracto gemma nitore decet;
Arma virum, phaleræ, mage nunc deflebilis urnæ
 Teſta frequens, laceræ lampades, oſſa, ſtyli;
Veſtigata diu pedis uncia, trita fritillo
 Teſſera, pertuſo debilis ære lebes;
Gutte, triens, phialæ, Setini cara lagenæ
 Vitra, Saguntino pocula ficta luto;
Ridiculi periamma Dei, bene nupta ſigillo
 Clavis, inaſſueti cymbala fiſſa ſoni;
Numme ſitu præſtans, vili venerande metallo,
 Quem ſenium, rara ſorte, virere facit;
Cara ſtrues carie, regina pecunia certe,
 Quæ Regum titulos reddis, & hos pecudum:
Vobis, theſauri, fumos & inania rerum
 Et maris & terræ viſcera poſthabeo.

Nec satior visis tamen ; en, quicumque voracem
  Creditis aspectu pascier, esurio.
Nec moveor tactis, nihili est tractata rubigo,
  Sollicita nihili testa voluta manu.
Ardet ab amplexu totius avara metalli
  Mens magis antiquæ noctis inire specum;
In sæcli penetrare sinus, in viscera veri
  Ire juvat, te, te, Roma, priore frui.
Quis genii genius, quæ diis reverentia, quæ dos
  Propria, quæ lapidi victima, thura, merum;
Cur aurita siet rusi persona Batavi,
  Qua quondam, qua nunc parte Sicamber aret:
Qua lacerarit acu qualem, cui fibula vestem
  Vinxerit, unde sagum strinxerit, unde togam;
Annulus in dextra quando, qua fulserit, in qua,
  Fulmina non nocui sanguinis, arma virum;
Qua phaleras gestarit equus, quas flebilis urna
  Relliquias trunco carmine muta notet,
Lampas ad humanos quæ non descenderit usus,
  Cui magis in cultu, cui minus apta Deum;
Vixerit æternæ, tantum se pasta, lucernæ
  Flammula, an invisæ larva sit illa rei;
Osseus argenteo num cesserit, hic aurato
  Ipso vertendus sub Cicerone stylus,
Rettuleritne parum cui se præberet arandam
  Nacta cedro dignam cera beata manum;
Unde sat inventi constet pedis uncia, de qua
  Non dubiam faciat marmore sumpta fidem;
Qua se parte cubi damnosa canicula, qua se
  Felici dexter senio prodiderit;
Aretina quid antistent quibus inter amicos
  Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus;
Qui calices, qui non vili de pulvere nati,
  Quod Surrentinæ leve toreuma rotæ;
Unde sit exanguem Lemures timuisse Priapum,
  Quem, puto, nec vivum tota Suburra timet;
Quæ promi fuerit, quæ duræ densa novercæ,
  Quæ non morosi pandula clavis heri;
Æra Celænæos lugentia matris amores
  Quanta Corinthiaci præda sonora juvet:
Quis nummo pretium Consul, quotus arroget annus,
  Quid sibi serratus, biga, quadriga velit;
Quis solidum, qua parte crepet, cui lamina fucum
  Fecerit, aut ferrum in viscera condiderit,
Qui referat rerum dominos, qui fronte Quiritem
  Præferat hesterno sordidus ille situ;
Quo spiret non falsus Otho, quot curta Tribunos
  Puncta, quorum Imperium cæca litura probet;
Cur magis hunc illo firmet consulta senatus
  Gratia, an argenti pluris an æris honos;
An pretium utrivis duplicarit miles inauri,
  An proba missilium pondera, forma, valor.
Singula nosse juvat, juvat omnia; & omnia jam, jam
  Singula perspiciens omnia percipio:
Erudit incautum prisci facundia Smithi,
  Ambiguoque piam præstat ubique facem.
Invisi Romæ Smithi, quem Roma superstes
  Si videat, civem non neget esse suum.
Nunc age, qui rerum tot ad hæc portenta stupebas,
  Omnibus hoc unum rarius hospes habe;
Largitur dominus quod non habet, integra mecum
  Aufero, quæ lacera hic aut mutilata vides:
Exeo non satur, & satur exeo, Roma nequivit
  Auro, quam pepulit Smithius aure famem.

*Et ita quidem magnus* Hugenius *noster; qui rudera antiquitatis Romanæ adeo accurate exponit, ut quasi præsentia oculis nostris usurpare videamur. Vale, Lector, & instituto nostro fave.*

SILVA

# SILVA
## IN
# MARCI ZUERII BOXHORNII
*Juvenis Clarissimi*,
# QUÆSTIONES ROMANAS.



*Lbanos obsessa timet dum Leida furores,*
*Baldæique minas, dum millia pabula præbet*
*Dira fames, qualem posset vix ferre Saguntus,*
*Pestiferæque lues Erebo; cum Pallade Phœbus*
*Advenit, & media templum sibi fabricat urbe.*
*Candida quo vigeat pietas; quo jura Quiritum*
*Det tabulis insculpta Solon; Epidaurius herbas*
*Quo trutinet, morbosque abigat; quo regula veri*
*In Sophiæ stet fixa manu; quo Græcia quicquid*
*Quicquid Arabs, Solimæque tegunt sapientia dictet.*
*Scilicet hoc pretium fidei pater esse Deorum,*
*Auriacusque volunt, Batavis a numine summo*
*Numen honorandum. Tutelam suscipit ædis*
*Dousa, togaque sagum commutat, & ultra*
*Oceanum docti transfundit murmura cantus.*
*Nec fluit ex illo retro sublapsa Lycæi*
*Gloria: durat adhuc clarum per secula nomen,*
*Ostentatque viros, quorum mens inclyta famam,*
*Et laudis spolia ampla meret. Quos Heinsius inter*
*Eminet, ille suo Phœnix pucherrimus ævo.*
*Priscaque cui Druidum nutat Salmasius arbor,*
*Germinibus librata suis: Suadæque medulla*
*Cunæus, Themidisque decus. Scriverius & cui*
*Pulchra Palatina circumundique tempora lauro*
*Bilbilis incinxit, Musæ servator Iberæ.*
*Vernantes sed enim postquam solertia messes*
*Prævenit, & juvenis toti miracula mundo*
*Boxhornl mens dia facit, linguæque seniles*
*Grandiloquæ dulci promit moderamine curas,*
*Majorem solito sibi se natura tremiscit,*
*Et proprium veneratur opus, geniumque potentem*
*Suspicit, ac tantas labenti robore vires.*
*Quodque videt vidisse negat, nisi forsitan axem*
*Cynthius, atque citos valuit compescere currus,*
*Dum lucis remoratur iter; Clymeneia proles*
*Quam nimium subitis olim turbaverat horis.*
*Et Scytha festini passim legit ipse laboris*
*Pignora, nec vasti restat pars cultior orbis,*
*Quo non rumor abit, patrio sub sidere Belgam*
*Vivere, qui famam primævo flore juventæ*
*Solis ab occasu Solis metitur ad ortum.*
*Hæc vero monumenta decus, titulosque parare,*
*Si fuerant non ante, queunt, quibus abdita doctis*

*Hactenus Ausoniæ monstrantur rudera gentis,*
*Marmoribusque patent insculpti nomina ritus.*
*Hertam Teuto colit, lucent delubraque silvis*
*Herculeas exstructa faces. Deus uritur aris,*
*Seu Magusanus, seu vult Tricosus haberi.*
*Hic Cybelen mors atra timet. Felicior illic*
*Fit puero Fortuna Jovi. Matrisque patescunt*
*Ideæ simulacra Deum. Lar mœnia servat*
*Publicus, & comites assumit curia Consos.*
*Ælia nec mulier, nec mas est Lælia Crispis,*
*Nec sexu ( nihil & tamen omnia ) gaudet utroque,*
*Et vitam sub morte premit. Medicamine nullo*
*Progeniti Phœbo nymphaque Coronide morbos*
*Dextra fugat. Larvam noctu spectare mariti*
*Uxor avet, fatoque suo lachrymabilis addi.*
*Sarcophagus num sit peregrinus quæritur Orcus.*
*Olibii presso latitat sub cespite flammans*
*Lychnis humi. Digitum defuncti dissecat orbus*
*Ante rogos summumque Vale. Barbata Cythere*
*Dicitur; exequiis succedunt gaudia sponsi:*
*Nuptaque lanatos vittis adjungit amictus,*
*Insuetum scansura torum. Nil cætera refert*
*Scribere, quæ grandi componit pagina libro:*
*Relliquiasque dapum mensis servasse vetustas*
*Fertur, & ardentes non exstinxisse lucernas.*
*Oedipus, implicitæ solvens ænigmata Sphingis*
*Tot tricas solvisse nequit. Lua panditur uni,*
*Clausaque Boxhorni retinet mysteria pectus.*

IANUS BODECHERUS BANNINGIUS.

---

# IN

*Doctissimi Viri,*

# MARCI ZUERII BOXHORNII,

Eloquentiæ Professoris Clarissimi

# QUÆSTIONES ROMANAS.



*Axima jam nostro succrescit gloria Belgæ,*
*Quodque olim potuit vix petiisse, videt.*
*In Batavos tandem deduxit Leyda Quirites,*
*Belgaque nunc Romam restituisse potest.*
*Plaudit Eques, plaudunt jucunda voce Batavi,*
*Atque rediisse sibi tempora docta putant:*
*Tempora quæ veteri componat Scaliger ævo,*
*Dum reducem Romam, maxime Marce, facis.*
*Desine grassari per mille pericla juventus;*
*Leyda tibi Romam, qua capiare, dabit:*
*Sed priscam tibi Leyda dabit. quam suspicit ipsa,*
*Et pater agnoscit Romulus esse suam.*

ROD. NYPOORTIUS, I. C.

# MARCI ZUERII BOXHORNII

# QUÆSTIONES ROMANÆ.

### QUÆST. I.

*Quid sibi vult lapis Herculi Magusano inscriptus?*



EXSTAT hodie, inter cætera Romanæ antiquitatis monumenta, lapis Herculi Magusano inscriptus hoc modo;

HERCVLI
MAGVSANO
M. R. R. I. M. F. F. I.
V. I. S.
TERTIVS
V. S. L. M.

Quid sibi velit Hercules Magusanus (ita enim legitur, non *Marcusanus*, ut alii tradunt) & qua de caussa ita nominatus, quærunt eruditi. Quorum conjecturas, ut & nostram priusquam exsequamur, paullo altius quædam sunt repetenda. Inscriptio igitur hæc antiqua, quam nunc exhibuimus, & illustrandam suscepimus, Westcappellæ, qui pagus est in ea Zelandiæ insula, quæ Walachria appellatur, a Philippo Burgundo, qui Oceano tunc temporis præfectus erat, anno post natum Christum cIↃ IↃ XIIII. reperta est, ut testatur non indiligens Batavicarum antiquitatum scrutator, Gerardus Noviomagus, *in epistola, quam de Zelandiæ situ* ad Sebastianum Ciriacinum, sive Siericzeensem illo, quem proxime jam diximus, anno perscripsit. *Walachriam*, inquit, *a Gallia denominari persuasit mihi vir Princeps, Philippus Burgundus, Oceani præfectus, qui & hoc anno Westcappellæ marmor repperit* HERCVLIS *nomine vetustissimis inscriptum litteris, quare & Herculem aut ibi aliquando appulisse, aut Zelandiam Herculi sacram fuisse asserere nititur. Quod a vero, meo judicio, non longe abest.* Westcappella autem pagus prope Ulissingam est mari objectus, cujus violentiæ validissimum aggerem opponit, cum quo regio tota aut stat, aut cadit. Nomen habet ab ædicula sacra, sive sacello, & positu versus occidentem. Adeo ut mirari ego satis non possim aretalogos nostrates tam suave commentum prætermisisse, quod mihi scribenti hæc sese offert. Nempe pagum hunc ex eo nominatum, quod in eo positum olim sacellum esset, in quo Herculi, cui devota & sacrata tota regio dicitur, divini honores deferebantur. Valde mihi in hoc commento placerem, nisi in illud sæculum incidissem, quo ejusmodi ineptiarum satietas coætaneos meos cepit. *Credibile est*, inquit Noviomagus, *Herculem in Zelandiam appulsum.* Risum vix possum continere. Caussa tamen non est, cur soli illi debeam succensere, cum temporibus suis, & ingenio usus sit. Illa enim ætate scripsit, qua sepultæ aut ignotæ gentium origines & antiquitates ad fabulosa initia, Trojanos ut plurimum & Herculem, referebantur. Trojani quippe sedibus expulsi relliquias suas, quæ Græcorum vim effugerant, ad omnes terrarum oras transmisere. Hercules autem ad purgandum orbem fataliter natus, totum illum peragravit. Nempe quæ pro fabulis olim tradita, pro certis & confessis majorum ætas accepit. *Nisi autem in Zelandiam appulsus Hercules sit*, addit idem Noviomagus, *certe tota regio numini ejus & majestati fuit devota.* Habet hoc majorem speciem veritatis, sed speciem tantum, ut mox dicemus. Singulæ enim gentes singulos & peculiares Deos suos habuere, quorum fidei & tutelæ rem publicam committebant. Dii alii communes, alii singularum nationum proprii fuerunt. Sic distinguit M. Furius Camillus lib. 5. apud Livium in ea oratione, qua consilia eorum, qui relicta Roma Vejos migrandum putabant, graviter reprehendit. *Urbem*, inquit, *auspicato inauguratoque habemus conditam. Nullus locus in ea non relligionum Deorumque est plenus. Sacrificiis solemnibus non dies magis stati quam loca sunt, in quibus fiant. Hos omnes Deos publicos privatosque, Quirites, deserturi estis?* Communium Deorum meminit vetus lapis quem e Fulvii Ursini schedis descripsit Gruterus pag. 3. augusti operis *Inscriptionum antiquarum*:

JOVI. O. M.
FORTVNÆQVE
MELIORI. . AVG
ET. DIIS. DEABVS
QVE. COMMVN
IBVS. M. GELLIVS
STEPHANVS. IVN
CVM. STEPHANO. PATRE
DOMV. TERTIANA. EX
DIRVTION. RESTIT. DEDICARVNT
QVE.

Dii publici appellantur *in antiqui marmoris inscriptione*, quæ exstat pag. CVI. ejusdem operis, num. 3.

DEIS. PVBLICIS
SACRVM
C. CÆSIVS SABINVS.

Inter Deos communes sive publicos præcipue Juppiter & Fortuna habebantur. Unde & ille Deorum hominumque pater est appellatus. Quo facit illud Themistii *in oratione ad Valentem de pace: Homerus*, inquit, *quoties Jovem nominat, non Græcorum tantum, Barbaris exclusis, patrem, sed plenius, Divum hominumque parentem vocat. Quisquis itaque Principum, qui in terris agunt, non Romanis (id est, qui in orbe Romano sunt) solum se patrem exhibet, sed & Scythis: hic Jovis æmulus est & hominum amator*, &c. Fortuna autem OMNIPOTENS, & PUBLICA appellatur in Inscriptionibus antiquis, quod illa non aliter, atque Juppiter ipse, nihil a providentia sua curaque alienum habeat. Qui Dii tamen aliquando peculiares facti, certas ob caussas certis epithetis adjectis. Ut *Jupiter* cum *Capitolinus*

atque *conservator possessionum Resciorum*, & *Custos Augustæ Taurinorum*, & aliter nominatur. Ut Fortuna, cum *conservatrix horreorum Galbianorum*, *Flavia*, *hujus diei*, *secunda Cæsaris*, & ita porro, appellatur. Dii igitur publici & omnium, peculiares fiebant, si non omnibus nec in omnibus, sed quibusdam, & in quibusdam vim suam probassent & favorem. Dii autem peculiares erant, qui a singulis nationibus singulari & peculiari cultu afficiebantur. Patrii non semel appellantur *in Inscriptionibus antiquis*: Ut Pag. CCCCLXXXIV. ubi DEI. PATRII. N. sive NEAPOLITANI disertim habentur. In fragmento lapidis antiqui, qui Ranzani, ditionis Brixianæ, & pag. CVII. num. 3. legitur, DII PATERNI dicuntur:

DIS. PATERNIS
SVRGASTEO
MAGNO
PAI... RO
.......R..
Q.. M.. TRV.. ON
V. S. L. M.

Erant autem Dii patrii, sive paterni duum generum. Quidam cæteris quidem communes, sed majore, quam alibi, religione culti; sive quod virtutem eorum & favorem magis quam cæteri experti, sive quod ibi aut nati dicerentur, aut educati. Ita in veteri lapide scriptum; APOLLO MAIOR MVNICIPVM REGINORVM IVLII. Alii tutelares, quibus gentium & urbium salus peculiari & arcano ritu dedicata. Quanquam unusquisque præter genium custodem, Deum etiam habuerit tutelarem. Et hoc ex lapide antiquo apparet, qui in propylæo templi HazaKiensis legitur:

MERCVRIO ET MINERVÆ
DIIS TVTELAR R. S.

Et huc refero omnes inscriptiones certis diis a privatis dedicatas, quorum aut semper, aut tunc peculiariter favorem vel consequi volebant, vel erant consequuti. Nam aut ex voto natæ, post rem bene gestam; (unde totiens repetita formula V. S. L. M. *votum solvit libens merito*. Nemo autem votum solvit, nisi nata & accepta conditione, qua vovit) aut ante eam, magna & bona spe, collocatæ. Et tunc servire hominibus dii dicebantur. Unde Juvenalis Satyr X. ubi de Xerxe agit,

*Quisquam huic vellet servire deorum?*

Sic singula collegia, & eandem artem professi, suos Deos habuere. Singulis etiam familiis solenne & singulare sacrum fuit. Quod docet Fabius ea oratione, de qua proxime dixi: *Quam*, inquit, *par vestrum factum, quod in obsidione nuper, in egregio adolescente Fabio non minore hostium, quam vestra admiratione conspectum est, quum inter Gallica tela digressus ex arce sollemne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit? An gentilitia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra & Romanos Deos etiam in pace deseri placet? & Pontificem flaminesque negligentiores publicarum religionum esse, quam privatus in solemni gentis fuerit?* Locus totus adscribendus fuit, quia id, de quo agimus, inprimis probat. Apparet ex eo, gentilitia & publica sacra, privatas & publicas religiones, Deos Romanos & Fabiorum disertim distingui. Sed hæc obiter ad illustrandam antiquitatem. Nunc de Diis tutelaribus gentium agimus. In his illud peculiariter observabant veteres ut gentem aliquam aut urbem expugnaturi, eos evocarent, ut ex gente illa aut urbe emigrarent. Quamobrem & nomen patriorum Deorum vulgo ignorabatur ne hostibus ejus invocandi aut evocandi occasionem

A præberent. Rebus adversis Dii patrii discedebant. Virgilius:

*Excessere omnes adytis, arisque relictis*
*Dii, quibus imperium steterat*, id est, paterni.

Rebus autem feliciter gestis redire credebantur. Unde Silius lib. VIII. de *bello Punico*,

—— *Placavimus iras*
*Cœlicolum. Redeunt Divi.*

Quod jam nemo nescit. Et sic Germanis Dii alii communes, alii singularum inter eos gentium proprii fuere. Unde apud Tacitum *Historiarum* lib. 4. *Tencteri Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud concilium Agrippinensium edi jubent. Quæ ferocissimus e legatis in hunc modum protulit:*
B *Redisse vos in corpus, nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti grates agimus.* Propriorum passim meminit idem Tacitus libello de moribus Germanorum. Hercules inter communes Germanorum Deos fuit. Tacitus ibidem: *Herculem ac Martem concessis animalibus placant.* Ex quo loco frustra probare conatur Philippus Cluverius lib. I. Germaniæ antiquæ cap. XXVIII. coluisse Germanos idem numen duobus, Herculis scilicet & Martis, nominibus. Frustra dixi. Contrarium quippe vult Tacitus cum utrumque disertim distinguat. Nec ad rem facit, quod ex Macrobii
C *Saturnaliorum* lib. I. cap. XII. producit. Ubi verba sunt: *Salios Herculi libertate doctrinæ altioris, adsignat Virgilius: quia is Deus & apud Pontifices idem qui & Mars habetur.* Apud Romanos ita se res habuit, igitur etiam Germanos. Lepidum hercle & ridiculum argumentum, quo si omnes uti velint, idem brevi omnium gentium erit institutum. Ut omittam quod verbis Macrobii fuerit abusus dum eo refert, ubi locum non habent. Aliud est de ipso Deorum apud vulgum cultu, aliud de eorum arcanis atque interpretatione agere. Romæ diversa Herculis & Martis sacra, templa, & proinde etiam Dii diversi. Sed qui inter Quirites cu-
D ra & scientia sacrorum præstabant per Herculem & Martem ejusdem numinis diversam vim atque potestatem indicari non ignorabant. Unde non absque caussa addit Macrobius, *apud Pontifices habetur*. Sed hoc præter institutum: de quo uberius alias, cum bono Deo, agemus. Constet modo Herculem cultum fuisse apud Germanos. Quod quomodo accipiendum paullo accuratius excutiemus, & tanto quidem libentius, quo magis ad illustrandam veterum paganorum religionem facit. Mirum enim alicui prima fronte posset videri, quomodo Herculis, ut & Mercurii, Martis, aliorumque Deorum nomina Romana fuerint apud
E Germanos. Quamobrem sic statuendum. Quod Theologiam sive religionem gentium spectat, eam ubique locorum apud omnes parem fuisse. Quotquot tandem fuere & naturæ simul & Deorum varietatem invenere. Cum enim ad verum naturalium rerum auctorem non possent penetrare, illæ ipsæ pro numinibus ubique habitæ sunt. Et in hanc rem præclare D. Paulus cap. I. *epist. ad Romanos*: μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Adeo ut πολυθεΐα omnis nata sit ex rerum, quæ a natura sunt, & videntur, diversitate. Idem hic paganorum omnium consensus. Solum in nominibus, & nonnullis ritibus agnoscimus discrimen. Ritus alii & alii, pro populorum & ingeniorum
F in iis varietate. Nomina quisque ex lingua sua desumpsit, quibus tandem idem, quod aliis nominibus alibi locorum, denotabatur. Δημήτηρ apud Græcos, Ceres apud Romanos, Osiris & Apis apud Ægyptios, eadem numina, quamquam nominibus diversis, eidem rei, agriculturæ dico, præesse credebantur. Et sic in cæteris etiam se res habet.

Quæ etiam caussa cur peregrina sacra aliæ gentes A non difficulter sint amplexæ. Præcipue autem Romana. Forsan quod omnium gentium Deos sibi voluerint demereri, cum omnes statuissent subjugare. Quod tanto facilius, quanto magis cum aliarum gentium sacris Romana conspirabant. Solam Judæorum relligionem non amplexi, cum cæteras omnes probarent. In cujus rei caussam accuratius mihi intuenti duplex videtur. Prima est, quod gentium sacra exsecrati semper fuerint Judæi. Quamobrem quæ Judæorum detestati pagani. Secunda est, quod divinus cultus, qui apud Judæos obtinebat, plane a gentium relligione esset alienus. Utramque illam rationem non obscure innuit Tacitus lib. 5. *Histor.* ubi de urbis Hierosolymitanæ extremis agit: *Plurimi*, inquit, *auctores* B *consentiunt, orta per Ægyptum tabe quæ corpora fœdaret, Regem Occhorim* (nomen videtur ex Pharaonis nomine corruptum) *adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, & id genus hominum*, Judæos, *ut invisum Deis alias in terras avehere jussum*. Et mox: *Moses ut sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque cæteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta*. Et: *Instituta eorum sinistra, fœda, pravitate valuere*. Et tandem paulo post: *Non quidquam prius Judæi imbuuntur, quam contemnere* C *Deos, exuere patriam*, & quæ ibi porro sequuntur. Idem ergo gentilium omnium in sacris institutum. Nomina Deorum diversa, pro linguarum diversitate, sed res eadem. Sic ut facile jam possit videri, quomodo Herculem divino cultu affecisse Germani dicantur. Non apud eos in usu Herculis nomen (ne quis erret) ut nec Mercurii, Martis, aut aliorum numinum, prout vocabantur a Græcis vel Romanis, sed idem numen, quod iisdem apud Germanos, quibus apud Græcos Romanosque præesse credebatur. Nisi forsan Romani, cum viderent a Germanis Deum nomine *Her*, hoc est, D domini (id enim eorum lingua designat) coli & compellari, statim Herculem suum esse existimarint. Et Herta Dea, quam ab omnibus religiose cultam dicit Tacitus, forsan ex eodem vocabulo apud Germanos nominata. Quod mihi hæc scribenti in mentem venit, & se probat, improbandum denuo, ubi intellexero aliis non persuaderi. Nec enim ignoro argumenta ejuscemodi admodum esse imbecilla, sæpe etiam inepta; ut subinde satis non possim mirari adeo iis insistere quosdam inter eruditos. Quidquid sit, cum Romani vel similem E numinis alicujus formam, vel pares ritus, vel alia Herculis apud se sacris affinia viderent, Herculem Germanos coluisse in litteras misere. Quod eleganter *Deos interpretari* dixit Tacitus lib. *de moribus Germanorum*: *Apud Naharvalos*, inquit, *antiquæ relligionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu: sed Deos interpretatione Romani Castorem Pollucemque memorant*. Aliquando tamen gentilitia nomina retinebant, ut Hertæ, Teutatis, Hæsi, aliorumque. Forsan quod talia hæc numina, ut nonnullorum apud Romanos numinum, cultui, sacris responderent. Quanquam interea nolim differi, potuisse aliquando fieri, ut per assidua cum F Romanis bella commerciaque quædam sacrorum ab iis instituta, Deorumque Germani acceperint nomenclaturas. Cum enim parem gentes omnes amplexæ sint relligionem, sicut paullo ante probavimus, haud difficulter in sacra & ceremonias Romanorum Germani concedere potuerunt. Quod subinde etiam factum. Nam & quidam ex Germanis ad sacerdotia allecti a Romanis. Quod vel unum exemplum Segimundi Segestis filii, sacerdotis creati apud aram Ubiorum, liquido satis ostendit. Tacitus lib. 1. *Annal. Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum, sed juvenis conscientia cunctabatur. Quippe anno, quo Germaniæ descivere, sacerdos apud aram Ubiorum creatus ruperat vittas, profugus ad rebelles*, Nam & in provinciis aræ atque templa, in quibus miles sacris operam daret, constituta. Quo facit inscriptio, quæ videtur Lugduni, & legitur pag. XIII. *Inscrip. Antiq.*

IOVI. O. M.
Q. ADGINNIVS. VRBICI. FIL.
MARTINVS. SEQ.
SACERDOS. ROMÆ. ET. AVG.
AD. ARAM. AD. CONFLVENTES.
ARARIS. ET. RHODANI.
FLAMEN. II. VIR. IN. CIVITATE.
SEQVANORVM.

Et Dianii in Hispania;

M. LVC. IOVI.
VOT. SOL.
IDEMQVE. TEMPL.
D. D.

Ex quo præterea etiam apparet ædiculas potius in provinciis excitatas fuisse, quam magnifica & vastæ molis templa. A privato enim hoc est dedicatum. Quæ caussa quoque cum tot Romanarum arcium vestigia in provinciis adhuc exstent, ut nullæ vel raræ admodum ædium sacrarum relliquiæ videantur. Enimvero hæ tanti operis non fuere, ut in hanc ætatem possent durare. Nisi etiam (conjecturis quippe hic insistendum) propagata passim relligione Christiana, ejus antistites diruenda paganorum templa curarint. Quod non semel factum, si standum sit fidei eorum, qui acta & historias Sanctorum in litteras miserunt. Sed & inter milites provinciales sacerdotes fuere. Sodalis Titii meminit marmor vetus, quod legitur Budæ in insula Leporis, & refert Gruterus pag. *Inscrip.* XIX.

DIIS.
CONSERVATORIBVS.
GEMINIVS. CAPEL
LIANVS.
LEG. AVG. PR. PR. SOD.
TITIVS.

Nec enim in castris ab usu religionis Deorumque cultu vacare miles debebat. Sic ut nemini mirum aut alienum possit videri, factum tandem progressu temporis, ut sacris Romanorum sese præbuerint Germani. Testantur conditores vitarum Sanctorum, primos religionis Christianæ antistites & propagatores, cum Germaniam ab idolorum cultu statuissent purgare, passim in silvis Jovis, Martis, Mercurii, Herculis, aliorumque omnium numinum Romana simulachra & statuas repperisse. Quod si verum est, quemadmodum caussa non est cur in dubium vocare debeamus, ea quæ diximus, imprimis probat. Sed tempora distinguenda. Herculem Romanum, modo & ritu Romano, postea demum longo usu & exemplo militis Romani Germania amplecti potuit, & venerari. At cum dicit Tacitus Germanos Herculem concessis animalibus placasse, non de sacris Romanis, quæ recepta a Germanis, sed propria & a majoribus per manus tradita Germanorum circa Herculis cultum relligione agit. Adeo ut nemo debeat suspicari primum Herculis sacrum & nomen a Romanis ad Germanos esse derivatum. Deum similem Herculi suo apud Germanos Herculem interpretati sunt Romani: quemadmodum satis superque jam ostendisse nos arbitramur. Atque hæc quidem de Herculis apud Germanos sacris necessario dicenda fuere; ut ex iis liqueret quomodo Herculem Germani dican-

tur coluiſſe, quomodo etiam inter eos qui nunc Zelandi vocantur, peculiari relligione eum potuerint venerari, ut quidem vult Noviomagus, ſed tamen probare non poteſt. Quod ex inſcriptione hac aſtruere id velit, omnino alienum eſt & ineptum. Quid ſi enim aliunde huc advectus ſit lapis? Quod adhuc quotidie fieri videmus. Quid quod non a Germano, ſed uno ex militibus Romanis ſit dedicatus, ut nomen ipſum ſatis oſtendit? Quid quod communi totius gentis nomine non ſit conſtitutus? Adeo ut huic ſententiæ nemo, qui ſanum modo ſinciput habet, poſſit adſentiri. Et profecto facilius mihi quid non ſatis probet oſtendere, quam quid revera aut fuerit, aut non fuerit adſeverare. Reſtat jam ut de Maguſani cognomento aliquid dicamus. Quod tamen commode fieri non poteſt, niſi quædam in anteceſſum de attributis Deorum apud paganos fuerint prolata. Et certe diſquiſitio hæc plurimum lucis conferet ad percipiendas ſacras inſcriptiones Romanas, quæ inter potiſſima monumenta antiquitatis, cui illuſtrandæ hoc opus eſt deſtinatum. Quanta vis ſit ſuperſtitionis, & quantopere illa invaſerit gentium relligionem nemo eſt, qui ignorat. Quemadmodum autem relligionis eſt Deum pura caſtaque mente venerari (quod paſſim inculcant paganorum veterrimi) ita proprium ſuperſtitionis pompa non neceſſariarum formularum & rituum ſeſe onerare. Adeo ut non ſine cauſſa Plato ſuperſtitionem Deorum adulationem nominarit. Quippe ſicut adulator eorum ſibi neceſſitatem imponit, quæ neceſſaria non ſunt, ita ſuperſtitione occupatus ea Diis defert, quibus non eſt opus. Hinc nata illa pompa ſacrorum, & varietas ceremoniarum, & tot infinita attributa nominaque Deorum. De his autem nunc propius agendum. Ita de Diis pagani judicabant, quemadmodum ipſi erant animati. Unde quæcunque in vita humana uſu veniunt, Diis adſcripſere. Multitudo nominum inter ſplendoris majeſtatiſque indicia olim, quemadmodum etiam hodie, fuit. Unius ſyllabæ aut nominis ſervos, tria nomina nobiliorum nemo eſt, qui neſcire poteſt. Nec aliter cum Diis actum fuit. Ad numinis majeſtatem nominum multitudinem plurimum conferre exiſtimabant. Quod falſe ridet Lucianus in *Timone* ubi de Jove agit: Locus digniſſimus eſt, qui adſcribatur, & huc inprimis facit. Ὦ Ζεῦ, inquit, φίλιε, καὶ ξένιε, καὶ ἑταῖρε, καὶ ἐφέστιε, καὶ ἀστεροπητὰ, καὶ ὅρκιε καὶ νεφεληγερέτα, καὶ ἐρίγδουπε, καὶ εἴ τι σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα. τότε γὰρ αὐτοῖς πολυώνυμος γινόμενος, ὑπερείδεις τὸ πίπτον τοῦ μέτρου, καὶ ἀναπληροῖς τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ. Id eſt, *Juppiter Philie, hoſpitalis, ſodalitie, domeſtice, fulgurator, juris jurandi præſtes, nubicoge, grandiſtrepe, & ſi quod aliud tibi cognomen attoniti Poetæ tribuunt, maxime cum hærent in verſu. Nam tum illis tu multi nominis factus, carminis ruinam ſiſtis, metrique ſupples hiatum.* Quod profecto dentem habet. Imo qui accurati in precibus ſuis eſſe volebant, vix ullo tam multorum nominum prætermiſſo, Deos Deaſve compellabant. Sive quod illa coacervatio attributorum venerationis aliquid aut Majeſtatis conferret, ſive quod ignorarent, quo potiſſimum nomine cælites delectarentur. Quo ſpectant illæ Apuleii preces, quæ exſtant ſtatim in principio lib. XI. *Metamorphoſeon*, ubi Deam Lunam ſic alloquitur; *Regina cæli ſive tu Ceres alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetuſtæ glandis ferino remoto pabulo, miti commonſtrato cibo, nunc Eleuſiniam glebam percolis, ſeu tu cœleſtis Venus, quæ primis rerum exordiis ſexuum diverſitatem generato amore ſociaſti, & æterna ſobole humano genere propagato, nunc circumfluo Paphi ſacrario coleris: ſeu Phœbi ſoror, quæ partu ferarum* (Ita editio Vulcanii. Neceſſario legendum eſt, *fœminarum*) *medelis lenientibus recreato, populos tantos educaſti; præclariſque nunc veneraris delubris Epheſi, ſeu nocturnis ululatibus horrenda Proſerpina, triformi facie larvales impetus comprimens, terræque clauſtra cohibens, lucos diverſos inerrans vario cultu propitiaris: quoquo nomine, quoquo ritu, quaque facie te fas eſt invocare*, &c. Exempla alia paſſim occurrunt apud auctores, quæ partim collegit magnæ diligentiæ & eruditionis vir Barnabas Briſſonius lib. I. *Formularum*. Qui tamen fallitur, dum putat Romanos omnes eorum numinum, quæ invocabant ac venerabantur, appellationes precationibus ſuis complecti ſolitos fuiſſe. Qui enim hoc fieri poteſt? Quam miſera hic & operoſa diligentia fuiſſet requiſita? Quomodo etiam vulgo de ſingulis Deorum Dearumve cognomentis potuit conſtare? Vix ipſos Pontifices ſatis huic rei, in tanta appellationum copia, crediderim pares fuiſſe. Utar exemplis a Briſſonio allatis, & quid ex iis elici poſſe mihi quidem videatur, paullo accuratius, niſi fallar, exponam. Quæ ex poetis aliiſque auctoribus deſumpta nihil eorum hic probant, quæ vulgo, aut ſacerdotibus uſitata. Nam oſtentandi ingenii & eruditionis, & elegantiæ cauſſa adhibita ſunt. Vulgo uno & ſimplici nomine compellaſſe numen erant contenti. Nec quid ultra requirebatur. Pontifices tamen paullo accuratiores cum ſollennes inſtituerent precationes, unum aut alterum epithetum uſurpabant. Cætera hac formula complectebantur: SEV QVO ALIO NOMINE APPELLARI VOLVERIS. Sic Servius ad lib. IV. *Æneid.* tradit Pontifices precari conſueviſſe hoc modo; JVPPITER OMNIPOTENS SEV QVO ALIO NOMINE APPELLARI VOLVERIS. Vel etiam vulgo id Deo Deæve nomen adſcribebant, quo vis numinis indicata ad id præſtandum, quod petebatur. Parturientes Junonem Lucinæ, nuptias contrahentes Cinxiæ nomine compellabant. Et hoc probe oſtendit Martianus Capella, ubi Philologiam ita ad Junonem preces convertentem inducit: *Juno pulcra, licet aliud nomen tibi conſortium cæleſte tribuerit, & nos a juvando Junonem, unde & Jovem dicimus, nominemus: ſeu te Lucinam, quod lucem naſcentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari. Nam Fluoniam, Februalemque ac Februam mihi poſcere non eſt neceſſe, cum nihil contagionis corporeæ ſexu intemerata pertulerim. Iterducam & Domiducam, Unxiam, Cinxiam, mortales puellæ debent in nuptias convocare, ut earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas, & cum poſtes ungent, fauſtum omen affigas, & cingulum ponentes, in thalamo non relinquas. Opigenam te, quas vel in partus diſcrimine, vel in bello protexeris, precabuntur, Populoniam plebes, Curitim debent memorare bellantes. Hic ego te Aeriam potius ab aeris regno nuncupatam volo.* Quæ verba præterea adhuc quædam huc facientia me docent. Primo perſuaſum paganis numina aliter in cœlo a Diis, aliter in terris a mortalibus nominari. Diſertim enim nomen Junonis, quod apud homines receptum, iſti, quod in conſortio cœleſti uſurpatum, opponitur. Secundo licuiſſe unicuique nova Deorum Dearumve ephitheta comminiſci; talia dico, quæ cum eorum vi & poteſtate quadrabant. Quemadmodum Aeria Juno hic vocatur. Ex qua licentia vulgi ſubinde factum, ut quæ alterius numinis propria, alii ſint attributa. Quod non mirandum in gentibus, quibus tanta varietas & incertitudo relligionis. Sic Minerva medicinæ præſes dicta in veteri lapide, qui exſtat pag. LXXXI. *Inſcrip. Antiq.*

MINERVÆ
MEMORI

COELIA. IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

Nisi pro suppositilia inscriptio hæc sit habenda. Ego nihil affirmare audeo, & juvenili meo judicio tantum non credo. Videant qui in castris litterarum nostrarum veterani, quibus emunctæ magis purgatæque sunt nares. Nisi forte Cœlia Juliana mente ad tempus capta, rationis infirmitate laboraverit, postmodum autem sibi restituta, Minervæ, velut sapientiæ & rationis præsidi Deæ, lapidem hunc dedicarit. Conjectura modo est, quam, cum ineptam aliis videri intellexero, statim ubi licuerit ipse expugnam. Quidquid sit, cognominum varietate in Diis suis delectati sunt pagani. Quod tractum a Judæis, ut jam pridem observatum eruditis. Attributa quædam communia, quæ nemo nescit, ut *Deus*, *dominus*, *sanctus*, *pollens*, aliaque infinita. Quædam propria, nata ex multitudine specierum, ut loquitur Apulejus libro *de Mundo* ubi de Jove agit: *Cum sit unus*, inquit, *pluribus nominibus cietur propter specierum multitudinem, quarum diversitate fit multiformis, & a juvando Juppiter dicitur: quem ζῆνα Græci, quod vitæ nostræ auctor sit, rectissime appellant. ( Saturnum etiam illi* Κρόνον *quasi* χρόνον *quemdam inceptum ab origine, interminum ad finem tempus appellant, ) Fulgurator, & Tonitrualis, & Fulminaris, & jam Imbricitor, & item dicitur Serenator. Et plures eum Frugiferum vocant, multi urbis Custodem, alii Hospitalem Amicalemque, & omnium officiorum nominibus appellant: Militaris, & Triumphator, & Propagator*, ( Malim legere, *Propugnator*, & sic in lapide antiquo mentio ÆDIS JOVIS PROPUGNATORIS. Et idem restituendum haud dubie in fragmento inscriptionis; quæ exstat Vesunæ Petrocoriorum; JOVI PR....... PAC. &c. ) *Tropæophorus, & multo plura ejusmodi apud Aruspices & Romanos veteres inveneris*. Propria igitur quædam aut numinum, aut hominum respectu. Quod ad ipsa numina, ut *Apollo Granius*, *Attis Menotyrannus*, *Virgines*, *Matres*, *Matronæ*, *Sol Hierobus*, *Sol Mythra*, *Fortunæ Antiates*, *Janus ad theatrum Marcelli*. Quæ aliquando simpliciter posita, ut *Ardoinna* pro *Diana*, *Deus Fulgurator* pro *Jove*, *Lucina* pro *Junone*, *Nortia* pro *Fortuna*; Quod ad homines, ut *Annona Augusti Ceres*, *Attis populi Romani*, *Bellona Rufiliana*, *Concordia Collegii Bractearìorum inauratorum*, *Dii & Genius Rhodonis*, *Diana Valeriana*, *Dii*, *Deæque hujus loci*, *Fortuna bona domestica*, *Genii Cæsarum*, *Genius T. Attilii Urbiani*, *Hercules comes & conservator Dominorum nostrorum*, *Junones Juliæ & Sextiliæ*, atque ita porro. Cætera enim peti possunt ex Indice Inscriptionum, quo attributa Deorum Dearumque, quæ in lapidibus & tabulis antiquis accurate continentur. Inter Herculis autem propria cognomina, inter alia trita & vulgaria, *Saxanus*, *Gilius*, *Jovis*, *Tricosus*, *Aelianus*, *Magusanus*. Saxani nomen ex eo natum existimaverim quod in saxeto coleretur. Ut *saxetanus* dixit Martialis lib. 7.

*Quum saxetani ponetur cauda lacerti.*

Et eundem Herculem saxanum puto cum eo qui *in petra* in antiquo monumento nominatur. Exstat autem hoc Mediolani in lupanari publico;

HERCVLI
IN. PETRA. SACR.
C. CALVISIVS
SECVNDINVS
VI. VIR. IVN. DECVR.
ITEM. Q. ARAM.
V. S. L. M.

*Jovius* vocatur forsan, quod filius Jovis ex Alcmena. Sicut alibi in veteribus lapidibus *Juppiter Cœlius*, & *Solis Aesculapius* dicuntur. Porro vir eruditione & nobilitate illustris Jacobus Eyndius cap. VIII. lib. I. *Chronici Zelandiæ*, quod nuper in vulgus emissum est, pluribus de Magusani cognomento agit. Existimat autem ille Herculem in Walachriam, Zelandiæ insulam, aliquando concessisse, atque in ea fanum sive arcem ejus fuisse. Quod profecto quomodo satis probari possit, ego non video. Quæ de Herculis peregrinatione fabulosa passim narrant auctores, nemo est qui non legit. Quibus tantam fidem habeo, quantam illis, quibus non credo. De fano Herculis idem dicit Abrahamus Ortelius, in Thesauro Geographico. Ad quem, ne singula exscribam, lectorem meum remitto. Addit idem in nummo Postumi, qui Trans-Rhenani hujus limitis dux, & Galliarum præses fuit sub Valeriano, quemadmodum disertim Trebellius Pollio testatur, mentionem HERCVLIS MAGVSANI exstare. Fanum Herculis in Zelandia, necne fuerit aut abnuere aut adseverare non possum. Nec lapis iste hoc probat. Alia autem testimonia non sunt, quibus id nobis queat persuaderi. Magusani cognomentum a Goesa Zelandiæ non ignobili civitate derivatum facile mihi esset asserere, si aut urbs illa tantam antiquitatem præferret, aut mendacio ejus gloriæ statuerem velificari, aut ætas hæc ineptias probaret. Quanquam interea non abnuerim Herculem sic nominatum a loco, cujus vestigia hodie non habemus. Quemadmodum infinita Deorum Dearumque sunt attributa, in quorum rationem penetrare non possumus, partim quia pleraque, ex quibus nata, jam omnino periere, partim quia in scriptis antiquorum mentio eorum non exstat. Dicam interea libere, quod sentio, & fas mihi sit in tanta caligine per conjecturam, si non verum, certe quod vero simillimum est ariolari. Cum aliter atque aliter inscriptionem hanc legerint eruditi, alii nempe MARCVSANVS, alii MAGVSANVS, quidam PRIMVS, alii Notis singulariis, idque ob litteras jam exesas fere, & præ vetustate fugientes, sæpe mecum cogito, an non pro HERCVLI MAGVSANO scriptum fuerit HERCVLI MAGNO SANCTO, quod a priore lectione tam longe non abit. Hoc ipsum tamen quo minus probem facit nummus, de quo jam dixi, in quo HERCVLES MAGVSANVS dicitur, si modo recte legerint & exceperint eruditi. Quidquid sit, miles Romanus Herculi tanquam custodi & conservatori suo lapidem hunc libens meritoque dedicavit. Enimvero Deum hunc post Martem militibus bello præ cæteris opitulari persuasum olim fuit. Quo faciunt tot marmora antiqua, & inter cætera illud, quod Malacæ in Hispania videtur:

Q. SERVILIVS. VVLNERE
SERVATVS. HERCVLI. DEO
INVIC. SING. AEREVM EX
VOTO. POS. PROPE. MARTEM
ARGENT. IN. MAGNA.
ARA.

Quodcunque enim fortitudine & virtute se probat, id in Herculis tutela esse credebatur. Illa autem

A in bello potissimum est opus. Belli proinde præstes & militum patronus Hercules: qui ex eo etiam *Invictus*, *Defensor*, *Magnus Custos*, *Potens*, *Victor* in monumentis Romanorum appellatur.

---

### QUÆSTIO II.

*Quare Hercules* Tricosus *in antiquo marmore nominatur?*

EST & illud vix obvium alibi Herculis cognomen, quod Romæ in Capitolio sub ejus Dei signo tale legitur;

B ALCMENÆ. IOVIS. ET. MAGNI. FORTISSIMA. PROLES.
TRICOSVS. SVBITO. POST. MEA. FATA. VOCOR.

Animus mihi est exquirere, quid sibi velit *Hercules tricosus*. Et primo quidem sic existimabam, tricosi nomine hominem vafrum, callidum & denique ex dolis omnibus consutum denotari. Nimirum a tricis connectendis. Quippe Hercules tot & tam sæpe laudatos labores suos artibus quibusdam confecisse videbatur. C Sed interpretatio hæc displicere cœpit, ex quo in mentem venit, Herculem a simplicitate passim ab antiquis commendari; unde *minime vafer* dicitur Senecæ in *Apocolocyntbosi*, ubi de artibus Claudii agit: *Et imposuerat Herculi homini minime vafro, nisi fuisset illic Febris*. Placidus vocatur in veteri inscriptione, quæ est Romæ:

HERCVLI. PLACIDO
IABOLENUS. AVG. LIB.

Nec deest ratio, cur hoc creditum olim fuerit, si recte & serio cogitemus. Quemadmodum enim virtutis est, semper agere quod agendum, & eo modo quo oportet, ita cum dolo conjuncta virtus D bonum quidem agit, sed non sicut agere debebat. Hoc autem a simplicitate illa veteri & cordata omnino abhorrebat. Utriusque, illius quidem in Hercule, hujus vero in Ulysse, exemplum dare nobis voluerunt antiqui. Quare alter iste *duplex* & *dolosus* ab Horatio, *inventor*, & *hortator scelerum*, & *fandi fictor*, & *artificis scelus*, & *pellax* a Virgilio passim nominatur. Per tricosum igitur Herculem, vafrum aut callidum non satis commode intelligi posse existimamus. Nec eo opus est, dum aliud, verissimum illud, meo quidem judicio, sese offert. E Tricosus idem est, ac ille, qui nullius amplius usus, vim suam & robur diutius non potest probare. Et sic veteres Glossæ interpretantur; *Tricosus* Αχεῖρος Εκλυτος, Λαγγώνδυς. Atque ita Hercules merito post fata tricosus nominatur. Quamdiu vixit par omnibus aut major fuit: postquam fato concessit, subito simul cum vita invidendam, qua tot facinora edidit, tot labores decertavit, virtutem amisit.

---

### QUÆSTIO III.

F *Quid est in veteri lapide* post mortem iratam Cybelen experiri?

CUM tam multa variaque defunctorum monumenta Romana hodie adhuc spectentur, tum vel unum reconditi aliquid continere mihi visum est, quod in Hispania ejusmodi videtur:

P. POPIL. AVITUS. P. F. INDUL.
GENTIA. PONTIFI. ICEDITA
NOR. LOCVM. SEPVL. AC
CEPI. ANTE. AED. DEAE
MAGNAE CYBELES. QVAM
IRATAM. MORTE
SENSI.

Quæ magna Dea Cybele sit quemadmodum satis in vulgus constat, ita nemini hactenus explicatum invenio, quid sit post mortem Deam illam iratam sibi infestamque sentire. Nos autem hic conabimur expiscari. An ideo formula hæc usurpata, quia inter Deas infernales Cybele etiam habita fuit? Id enim persuasum paganis, ut satis probat illud Celsi Philosophi commentum, quod profert Origenes lib. 2. adversus eumdem Celsum: ubi dicitur Ægyptium quemdam jam defunctum apud inferos cum Cybele Dea alea lusisse. Adeo ut iratam Cybelen sentire nihil sit aliud, quam vita privari & in domum Plutoniam deferri. Quidquid sit Cybeles numen, præter multa alia, ad fato functos etiam spectabat: quemadmodum liquet ex veteri epitaphio, quod in lapide exaratum videtur Romæ, & propter elegantiam hic legi meretur:

*Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin,*
*Dum vacat, & tacita Dyndima nocte silent;*
*Flete meos cineres, non est alienus in illis*
*Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor,*
*Ille ego qui magni parvus cognominis hæres,*
*Corpore in exiguo res numerosa fui.*
*Flectere doctus equos, nitida certare palæstra,*
*Ferre jocos, astu fallere, nosse fidem.*
*An tibi dent superi quidquid Domitilla mereris,*
*Quæ facis exigua ne jaceamus humo.*

An vero, cum Cybele sit terra mater, ut veteres interpretantur, Avitus hic terra conditus iratam eam & gravem se dicit sentire? Quo faciunt veteres formulæ in piis votis: SIT TIBI TERRA LEVIS, in exsecrationibus, SIT TIBI TERRA GRAVIS. Porro Deos iratos habere se profitebantur pagani cum aut res ex voto non succederent, aut præter & contra votum evenirent. Et ita in veteri monumento, quod exstat Celeiæ.

KAL. AELIONIN. DI. IR.
ET. BAL. ET. INO. COS
CELEIAE
AVG.
P. AELIVS. P. F.
COS. PRO. SE
ET SVIS
V. S. L. M.

DI. IR. idem est, quod DII IRATI. Impios dixit illa magicarum artium insimulata apud Tacitum lib. XVI. *Annalium*: *Nullos*, inquit, *impios Deos, nec aliud infelicibus precibus invocavi*. Numina maligna apud Juvenalem Sat. X.

*Votaque numinibus non exaudita malignis.*

Impii, maligni iidem qui irati. Quid autem est pro se & suis libenter meritoque votum solvere Diis iratis? Profecto nihil aliud, quam avertere iram Deorum, eosque, quemadmodum par est, placare. Sic Silius; *Placavimus iras Cælicolum*. Mens igitur inscriptionis esse videtur, Avitum contra animi sententiam sive terra conditum, sive ad inferos delatum.

QUÆ-

## QUÆSTIO IV.

*Quid per* Fortunam Primigeniam Jovis pueri *in Romanis inscriptionibus denotatur?*

PRÆNESTE effossi lapides duo, quorum uterque Fortunæ Primigeniæ Jovis pueri est dedicatus. Unus sic habet:

FORTVNAE.
PRIMIGENIAE
IOVI. PVERO
EX. TESTAMENTO.
TREBONIAE
SYMPHERVSAE
P. ANNIVS. HERMA
HERES
L. D. D. D.

Alter talis:

FORTVNAE
IOVIS. PVERI
PRIMIGENIAE
D. D.
EX. SORTE. COMPOS
FACTVS
NOTHVS. RVFICANAE
L. F. PLOTILLAE.

Sæpe mecum cogito quid Juppiter puer, ejusque Fortuna Primigenia sibi velint. Varia autem conjicienti unum placet, quod verissimum puto, & statim exponam, ubi nonnulla de Fortuna Primigenia fuerint præmissa. Quantum Fortunæ vulgo tributum sit nemo ignorat. Sapientiores inter paganos plerumque in earundem rerum eventu & fatum & fortunam statuebant. Fatum Deorum, Fortunam autem hominum respectu. Quidquid accidebat, a Diis semel & certo decretum, fati lege necessario fieri non ignorabant. Sed cum homines extra cœli & Deorum consortium positi, & futurorum ignari sæpe præter exspectationem & contra votum eventa experirentur, casum & Fortunam comminisci, atque huc omnia referre necesse habuerunt. Sic fatum in Diis & Fortunam in hominibus simul conjunxit Juvenalis Sat. X.

*Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii.*
*Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum*
*Impulsu, & cæca magnaque cupidine ducti*
*Conjugium petimus, partumque uxoris, at illis*
*Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.*

Ex fato conjugia Diis nota, hominibus ignota, & proinde apud eos Fortuna. Idem dicitur eadem Satyra sub finem:

*Nos te*
*Nos facimus Fortuna Deam, cæloque locamus.*

Fortuna in cœlo Dea non est, sed sit in terris. Fit autem ex ignorantia mortalium, quia nec bona nec mala sua ante eventum certo possunt explorare, & propterea fingunt quod non est quasi ex eo sit, quod est. Hæc mens illius versiculi, & falluntur, qui aliter interpretantur. Quemadmodum propediem in Animadversionibus nostris ad Juvenalem pluribus, si Deus volet, docebimus. Porro fortuna pro varietate eventorum in vita humana diversa cognomina accepit. Quamobrem in nonnullis inscriptionibus plurium numero positum, *Fortunis*, *Fortunis Antiatibus*, *Fortunis Seiis*. De singulis autem non est hic agendi locus. De Primigenia modo



A Fortuna, cujus rationem non accurate satis expedivisse videntur eruditi, nunc dicemus. Constat ejus ædem a Servio Tullio Romanorum rege in Capitolio dedicatam. Primigenius idem quod primogenitus, πρωτογένητος, καὶ πρωτότοκος. Sic *Primigenia femina*, *primigenia pecuaria* dixit Varro. Festus: *Primigenius sulcus dicitur, qui in nova urbe condenda tauro & vacca imprimitur.* Adeo ut Primigenia Fortuna dicta videatur, quod omnium prima culta illa atque instituta fuerit apud Romanos. Quanquam & exinde nomen accepisse potuerit, quod primum natis opitulari eosque ad magna provehere crederetur. Quod ab historia Servii Tullii non abludit, cui in cunis jacenti exorta circum B caput flamma illustrem fortunam, atque regnum ipsum portendit. Et Cicero Primigeniam Fortunam a gignendo dicit nominatam. Nec aliter Primigenia Jovis pueri Fortuna in his, quæ præ manibus habemus, monumentis. Nemo enim ignorat, quantis cum periculis Juppiter & in nativitate sua, cum pater Saturnus eum devorare statuisset, & in educatione fuerit colluctatus, & quomodo forte fortuna evaserit; quemadmodum Poetæ passim fabulantur. Credebant autem Romani Primigeniæ Fortunæ numen ad promovendas dignitates, & res magnas obtinendas plurimum conferre. Liquet id vel ex una hac inscriptione, quæ exstat C Præneste.

D. FORTUNAE. PRIMIGENIAE
C. VALERIO. C. F. MENDOLV
TIO. MARTIANO. VI. VIR. AVG
DEC. OMNIBVS. HONORIBVS
CVRIIS. MVNERIBVS. FVNCTO
VALERIA. SATVRNINA. PATRI
L. D. D. D.

Sic ille in altera, quam proposuimus, inscriptione EX SORTE COMPOS FACTVS. Sic Juppiter, sic Servius, D a quo nomen atque originem Fortuna Primigenia accepit, ad maxima, ille ad Deorum, hic ad Romanorum regnum evecti. Et huc sententia harum, quas exhibuimus, inscriptionum facit. Talis Fortuna Primigenia nobis sit, qualis Jovi puero fuit. Quemadmodum ille cœli & terrarum imperio donatus, ita in augendis honoribus nostris ea favere nobis atque opitulari velit.

---

## QUÆSTIO V.

*Quid per* Ideam Jovis, & magnam Ideam Palatinam *in Romanorum monumentis denotatur?* E

VARISII oppido agri Mediolanensis disertim legitur, IDEA. JOVIS. Tertio a Marsilia lapide etiam Ideæ nomen occurrit in hoc monumento:

MATRIS. DEVM. MAGNÆ. IDEAE
PALATI
NAE. EIVSQ. M. RELIGIONIS. AD. PA-
NOR.
NAVIVS IANVARIVS.

Et Romæ in ædibus Colutianis, in ara; M. D. M. IDEA. ET. ATTIDI. MINOTAVRO. Super- F fluum I, vitio statuarii, existimaverim. Nec enim minus illi in litterarum notis errarunt, quam librarii, qui tot mendosos codices nobis dederunt. Ita alibi veterum inscriptionum invenire est DIRVITA pro DIRVTA, MEDIOLANIENSIS pro MEDIOLANENSIS; quanquam postremum hoc ita scribi potuerit, quemadmodum *Carthaginiensis*. Igitur pro IDEA JOVIS legendum DEA

JOVIS, quæ eſt Juno. Nihil facilius quam in notis ſtatuarum lineolam unam, qualis I. littera, ſuperaddere. Atque hoc ideo monendum hic putavimus, ne quis in quærenda & explicanda Jovis Idea fruſtra laboraret, & quia prætermiſit illuſtris Scaliger in accurato illo Indice, quem de rebus ad Grammaticam ſpectantibus in antiquas Inſcriptiones concinnavit. An vero eo recurrere non eſt neceſſe, & bene ſcriptum IDEA JOVIS, ſicut IDEA MATER DEUM? ut IDEA JOVIS ſit mater Deum, & proinde etiam Jovis. Mater autem Deum bene IDEA dicta ab Ida monte, quem ſacrum dedicatumque ſibi habebat: quod nemo neſcit.

---

## QUÆSTIO VI.

*Qui in veteri monumento* Lares publici *nominantur?*

ROMÆ in via ſacra effoſſum eſt hoc, quod ſequitur, monumentum;

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM
IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNIC. POTESTAT. XVIII.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI.
CONTVLIT. K. IANVAR. APSENT.
C. CALVISIO SABINO
L. PASSIENO. RVFO. COSS.

Quæro qui hic Lares publici appellentur. Lares domeſticos, ſingularum familiarum, privatim cultos nemo neſcit. Sic lapis, qui Eboræ repertus: LARIBVS. PRO. SALVTE. ET. INCOLVMITATE. DOMVS. Q. SERTORII, &c. LARES. AVGVSTI. ET. CÆSARVM alibi dicuntur. Quemadmodum autem Lares domeſtici & privati eorum animæ credebantur, qui ejuſdem familiæ jam defuncti ejus ſplendorem bonumque promoverant; ita etiam exiſtimaverim Lares publicos fuiſſe appellatos eorum animas, quos in gerenda Reipub. præclara merita in cœlum vocarant. Quales Romulus & plures alii. Inter Lares publicos eos etiam retulerim qui Lares viales dicti in veteri lapide:

FORTVNAE
REDVCI. LARI
VIALI. ROMAE
AETERNAE
Q. AXIVS. AELIA
NVS. VE. PROC
AVG.

Perſuaſum autem antiquis non cum corporibus exſtingui animas, eaſque cœlo donatas vi quadam occulta adhuc curare res humanas. Unde ad eas tanquam præſentes teſteſque provocare ſolebant. Tacitus lib. 1. *Annalium*, ubi Germanicum loquentem inducit, *Tua dive Auguſte cœlo recepta mens, tua pater Druſe imago*, &c. Erant enim Lares non nisi imagines & vultus illuſtrium majorum, quæ & relligionis, & nobilitatis probandæ cauſſa habebantur. Quæ nobilitatem generis ſpectabant, in atriis triumphales, curules, equeſtres, & aliæ ſimiles collocatæ. Quæ ad relligionem faciebant, in loco, qui exinde Lararium vocabatur, cum aris cæteriſque divinis ſignis conſtitutæ. Sic ut imagines & nobilitatis, & relligionis, hoc eſt, Larum, plane eſſent eædem: nempe defunctorum vultus, ex ære vel marmore, aliave materia conflati; niſi quod loco, & ſignis diſtarent. Nuper beneficio amici cujuſdam noſtri Laris imago ærea exhibita nobis fuit. Quam hic quoque ſpectandam voluimus offerre, in eorum gratiam, qui veteris ævi relliquias æſtimant & admirantur. Forma erat ejuſmodi:



Ea magnitudine hic videtur, qua fuit. Erant enim tales imagines majores & minores. Quemadmodum etiam ab eodem amico noſtro habuimus antiquam imaginem Herculis ex ære, pelle leonina cincti, & una manu clavam, altera tria mala (quæ Heſperidum putamus) tenentis, quæ majoris digiti menſuram non excedebat. Utraque autem illa & Laris & Herculis imago effoſſa prope Santam in agro Cliveníi inter reliqua multa rudera ſupellectilis Romanæ. Quivis jam videt, quæ Larum forma fuerit, ſive illi publici, ſive privati. Duplex autem eorum munus atque officium exiſtimabant. Primum rem vel privatam familiæ, vel publicam omnium tueri & conſervare. Unde ſagis caninis veſtitæ Larum ſtatuæ, quod canum inſtar ſuorum bono invigilarent. Quam rationem in *Quæſtionibus Romanis* adducit Plutarchus. Alterum eſt preces & vota mortalium ad Deos, Deorumque ad homines mandata deferre. Quod latius exſequitur Apulejus libro *de Mundo*. Et ſic Romulus jam cœlo ſublatus ad Proculum Julium, ut quidem refert Livius, loquutus eſt: *Abi, nuncia Romanis, cœleſtes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum ſit. Proinde rem militarem colant.* Publici igitur Lares dici videntur, Reges principeſque defuncti, qui inter Deos translati Rempub. ope conſiliiſque apud cœlites juvabant. Nec aliter in veteri lapide LARES. CIVITATIS. PUTEOLORUM appellantur, qui dum viverent bene de ea meriti, poſt mortem adhuc favere credebantur. Et Lares publici iidem haud dubie qui comitiopotentes apud Tertullianum lib. *de Spectaculis*: *Et nunc ara Conſo illi in Circo defoſſa eſt ad primas metas ſub terra cum inſcriptione hujuſmodi*; CONSUS. CONSILIO. MARS. DUELLO. LARES. COMITIOPOTENTES. Quam omnium inſcriptionum veterrimam putamus.

---

## QUÆSTIO VII.

*Quid per* Æliam Læliam Criſpin *in veteri ænigmate denotatum?*

NON poſſum hoc loco prætermittere venuſtiſſimum ænigma, quod Bononiæ antiquo lapidi inciſum legitur;

AM. PP. D.
ÆLIA. LÆLIA. CRISPIS. NEC. VIR. NEC. MVLIER
NEC. ANDROGYNA. NEC. PVELLA. NEC. IVVENIS.
NEC. ANVS. NEC. MERETRIX. NEC. PVDICA. SED. OMNIA.

SVBLATA. NEQVE. FAME. NEC. FERRO. NEQVE. VENENO
SED. OMNIBVS
NEC. COELO. NEC. AQVIS. NEC. TERRIS
SED. VBIQVE. IACET
LVCIVS. AGATO. PRISCVS. NEC. MARITVS. NEC. AMATOR
NEC. NECESSARIVS. NEQVE MOERENS. NEQVE. GAVDENS
NEQVE. FLENS. HANC. NEC. MOLEM.
NEC. PYRAMIDEM. NEC. SEPVLCHRVM.
SED. OMNIA
SCIT. NESCIT. QVID. POSVERIT.
HOC. EST. SEPVLCHRVM. INTVS. CADAVER. NON. HABENS.
HOC. EST. CADAVER. SEPVLCHRVM. EXTRA. NON. HABENS.
SED. CADAVER. IDEM. EST. ET. SEPVLCHRVM. SIBI.

De mente illius ænigmatis varie inter se contendunt eruditi. Conjecturæ meæ forsan non displicebunt. Quid si tempus ejusque edacitas denotetur? Non injucundum erit si ænigma huc revocemus. Tempus fœminæ nomine *Ælia Lælia Crispis* vocatur, quia omnium rerum parens est & mater. Idem *neque vir* est, *neque fœmina*, *neque androgyna*, *neque juvenis*, *neque anus*, *neque casta*, *neque meretrix*, *sed omnia*. Hoc est, nulli rei peculiari modo addictum est, sed omnia fert & viros, & fœminas, & juvenes, & castas, & meretrices. Unum hoc omnia est, quia in ipso omnia. Nihil excludit, quia nihil est quod se huic non includit. Quidquid in orbe terrarum est huic se debet, ab hoc originem & incrementum & finem accipit. *Neque cœlo*, *neque terris*, *neque aquis*, *sed ubique jacet*. Et hoc cum temporis natura omnino quadrat. Nam sive in cœlo, sive terris, sive aquis simus, tempus numeramus. Quicquid est & quod fuit, hoc ipso, quod esse, aut fuisse dicitur, in tempore est, aut fuit. Nusquam autem terrarum tempus ignoratur, & si ignoretur, sentitur. Puta horas, dies, menses, annos, sæcula a quibusdam populis non numerari, tempus tamen est. Quod cum usquam sit, est ubique, quia ex eo nascitur, quod est ubique. *Sublata neque ferro*, *neque fame*, *neque veneno*, *sed omnibus*. Nempe infiniti omnino modi sunt, quibus tempus perit. *Nec ferro*, *nec fame*, *nec veneno* aufertur, sed omnibus perit, & omnia pereunt, quæ in ipso. Nec perit tantum, sed cito. Imo citius periit, quam periisse dixi. Est illud quidem, sed qui esse dixit, dum esse videtur, jam omnino mentitur. Citius enim effluit, quam esse putant. Ne momentum quidem hic interest inter esse & fuisse. Idem semper tempus & non idem. Idem, quia omne id ex motu numeratur. Non idem, quia hoc ipso distat, quod tempus vocamus. Faciunt huc verba Isidori Pelusiotæ libro tertio Epistola 173. *Tempus*, inquit, *partim jam abiit*, *partim cum jam adesse videtur*, *latet*, *cum adhuc exspectatur*, *jam præteriit*. Tempus non est nisi jam præteritum. Præsens dum dicis, præsens illud jam evanuit. Futurum cum appellas, jam elapsum est, dum loqueris. *Nam*, ut breviter sed eleganter alibi de tempore loquitur. Ovidius, *quod fuit ante*, *relictum est*, *Fitque quod haud fuerat*. Tempus simul & cadaver sibi est & sepulchrum. Seipsum enim occidit, & dum momentum vix interest inter esse & fuisse, suum sibi cadaver est & sepulchrum. Si enim & dum est, ab alio quam a se contineri non potest, multo minus dum fuit. Porro facit huc ænigma illud veteris inter Græcos Philosophi, fœminam fuisse, quæ duodecim filiorum erat mater. Nato autem uno alter, qui proxime præcedebat, obtruncabatur. Tandem postremus omnium, cum de parricidio hoc vindictam sumere decrevisset, matrem suam, &, cum aliter fieri non posset, seipsum simul occidit. Quo vix facto statim per vices & filiis omnibus & matri vita est redonata. Nimirum per matrem annus, per liberos duodecim menses, qui mutuo se excipiunt, pereunt & renascuntur, venuste satis hic denotantur. Totum illud paucis versibus aliquando sum complexus, quos argumenti caussa apponam. Loquitur autem mater:

*Bis senos peperi, lectissima pignora, natos,*
*Illa animo nimium pignora grata meo.*
*Hos tamen, hos omnes mactavi ex ordine natos,*
*Hoc veniente alter percutiendus erat.*
*Ultimus instituit tantas ulciscier iras,*
*Et tantum nostra morte piare nefas.*
*Ultimus ille meo, & pariter (sic fata volebant)*
*Impressit jugulo vimque necemque suo.*
*Mi tamen hoc ipso momento est reddita vita,*
*Et sensim natis reddita vita meis.*

An etiam ad umbram ænigma hoc referendum? Videor mihi eo facile posse revocare. Umbra & nihil est & omnia. Nihil, quia præter umbram non est. Nihil autem est, quod umbram vocamus. Omnia, quia omnia refert, & in omnia se convertit. Et puella, & anus, & casta, & meretrix, prout se habent, quæ eam constituunt ex gente fœminarum. Sibi ex alio nascitur & sibi perit. Placuit nobis in hanc rem aliquando versu ludere. Ignoscent autem Lectores si poeta non sit, qui quia non est, talis non vult haberi. Ænigma est, per quod umbram volui designatam. Sed conjecturam præoccupare non debebam:

*Tu pinge, pingam, cum tamen desint manus;*
*Tu perge, pergam, cum tamen desint pedes;*
*Eapse qua tu forma, iisdem passibus.*
*Sede sedebo, tunde contundam parem,*
*Consiste sto, connecte connectam simul,*
*Lachrymas refunde, vel cachinnos, jam meas*
*Lachrymas videbis & cachinnos. Omnia*
*Præstabo, quamvis destituta ab omnibus.*

Ita de Ælia Lælia Crispi aliquando conjeci: in qua excutienda forsan frustra mecum multi eruditorum diligentiam & acumen ingenii sui exercuere. Qui optime conjecerit vates optimus est futurus.

---

## QUÆSTIO VIII.

*Quid de ægris, qui in veteri Tabula ab Æsculapio sanitati restituti dicuntur, est sentiendum?*

NUPER ardor animum meum cepit in miracula, quæ a Diis paganorum patrata dicuntur, paullo accuratius inquirendi. Occasionem autem dedit Tabula, quæ Romæ in templo Æsculapii suspensa, litteris Græcis notata, in linguam Latinam conversa sic habet:

*Hisce diebus Caro cuidam cæco oraculum edidit. Veniret ad sacrum altare: & genua flecteret, a parte dextra veniret ad lævam & poneret quinque digitos super altare: & elevaret manum, & poneret super proprios oculos. Et recte vidit, populo præsente, & congratulante, quod grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.*

*Lucio affecto lateris dolore, & desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus. Veniret; & ex tribomo tolleret cinerem, & una cum vino com-*

*misceret, & poneret supra latus. Et convaluit & publice gratias egit Deo; & populus congratulatus est illi.*

*Sanguinem removenti Juliano, desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus, Veniret, ex tribomo caperet nucleos pini & comederet, una cum melle per tres dies. Et convaluit, & veniens publice gratias egit, praesente populo.*

*Valerio Apro militi, caeco, oraculum reddidit Deus. Veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel; & collyrium conficeret; & tribus diebus uteretur supra oculos. Et vidit, & venit & gratias egit publice Deo.*

Quaeritur quid de his aliisque similibus apud paganos sit sentiendum. Certe non una ratione potest responderi. An credendum reapse haec miracula fuisse patrata? Quanta enim experientia valeat, quantumque possit Daemon, ut veteres Christiani loquuntur, nemini dubium aut ignotum esse potest. Ex hoc voluit Tertullianus in *Apologetico*: *Operatio*, inquit, *daemonum est hominis eversio, sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos: animae vero repentinos & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis adeundum subtilitas & tenuitas sua. Multum spiritalibus viribus licet, ut invisibiles & insensibiles in effectu potius, quam in ictu suo appareant.* Et paulo post: *Benefici plane & circa curas valetudinum. Laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiunt ad miraculum nova, sive contraria, post quae desinunt laedere, & curasse creduntur.* Nimirum facile daemonibus fuit, Deo ita permittente, ingredi corpora & occupare, & mox deserere; sic ut aegra paullo ante eorum beneficio pristinae sanitati restituta crederentur. Hoc enim pacto divinae virtutis de se opinionem in animis mortalium excitare sunt conati. Quod inter praecipuas caussas & idololatriae & in ea exercenda conservandaque pertinaciae paganorum ponunt veteres & Graeci & Latini Patres Christiani. Daemones autem ingredi corpora Historia sacra novi Foederis abunde potest testari. Unde eos ἐκβάλλειν, hoc est, *ejicere* dictus est Sospitator noster Christus. Proinde mirum videri non debet, si reapse haec omnia gesta, ingressumque daemonem corpora & infirma reddidisse, & reliquisse denuo, & sic a morbis liberasse dicamus. Pro miraculo autem censeri non oportet id tollere, quod factum non fuisset, nisi fecisset ille, qui tollit. Talis enim nil admiratione dignum agit, sed tantum non agit diutius, quod agere ipse primum coepit. Nec vim praestat cum sanat, sed aufert, quam primo intentavit, & intentavit ut auferret, & aufert ut in eo divinam virtutem probasse credatur, in quo suam diminuit, & nihil minus quam illam probavit. Idem sentiendum de nonnullis oraculis, quae a daemonibus prolata eventus vera esse indicavit. Cum enim subtilioris sint leviorisque substantiae, res praesentes vident, quae nobis futurae. Nec tamen pro oraculis illa sunt habenda. Haec enim esse debent de rebus futuris respectu eorum qui dicunt, & qui audiunt. Nec enim vates est qui de eo loquitur, quod, quanquam aliis nondum exploratum, ipsi jam fit & praesens est. Faciunt huc inprimis verba Athanasii in vita S. Antonii: *Quid enim admirabile, cum ipsis subtiliora, quam hominibus, sint corpora, si quos iter ingredi videant, cursu antevertere, & annuntiare? idem & eques posset peditem praevertendo. Quare neque in hoc sunt admiratione digni. Nihil enim prius quam fit factum norunt: estque solus Deus qui novit omnia, antequam fiant. Illi, quae cernunt, tanquam impostores furtim praecurrendo quam multis jam quae inter nos geruntur, referunt,*

A *( quis dubitet ) & convenisse nos, & contra ipsos colloqui, significant, priusquam a nobis discessurus quis idem narret. Quod nemo non velociter currendo, & cunctatorem praevertendo, similiter posset. Hoc ita intelligo. Si quis e Thebaide aut ex alia quadam regione ambulare instituerit; ambulaturum nesciunt prius, quam initium fiat: ambulantem ubi viderunt praecurrunt, ejusque adventum annunciant; itaque post dies aliquot is advenit. Saepe autem numero illi ipsi sunt mentiti, quod pedem egressus revocasset. Pariter nugantur nonnunquam de fluminum exundationibus. Cum enim in Aethiopiae partibus crebros incidisse imbres perspexerunt, inde conjecerunt, fluvium exundaturum esse: id cursu accelerato, antequam in*
B *Aegypto accidat, indicat. Quod neque homini esset difficile praestitu, si eadem ad cursum velocitate valeret. Et quemadmodum Davidis speculator, conscenso loco edito, facilius & prior vidit venientem, quam qui inferius subsistit; & ipse ante alios praecurrens, non infecta, sed quae jam fierent, indicavit: ita & illi daemones dicuntur laborare, & alii aliis referre, tantum ad decipiendum. Quod si divina providentia neque exundatio aquarum subsecuta, neque viator conficit iter: tum illi mentiti, quique illis auscultarunt, decepti sunt. Talia fuerunt Graecorum oracula; neque aliter a Daemonibus fuerunt olim homines in errorem pertracti.* Locus totus adscribendus fuit, quia id, de quo loquimur, valde probat.
C An vero pro falsis fictisque omnia haec sunt habenda? Ex talibus enim tota fere paganorum relligio est conflata: ut res ipsa, & Christiani Patres, tam Latini quam Graeci, ubique testantur. Nec aliter se habent illa restitutae aegris sanitatis ab Imperatoribus exempla in historia Romana. Certe fecisse hoc Vespasianum locupletissimi autores tradidere, qui excremento oris resperfit genas caeci, & oculorum orbes, & statim illi dies illuxit. Alium manu aegrum, pede suo calcatum, morbo solvit. Quin & Spartianus memorat, foeminam oculis captam recepisse lumen, quod genua Adriani fuisset exosculata. Me quod attinet, in ea sum opinione, ut sub specie putidae cujusdam adulationis fucum populo
D factum credam, a quo accepta ejusmodi miracula auctores in litteras miserunt. Fucum factum dixi, quia credibile est Imperatores ad excitandam de se divinitatis opinionem, subornasse quosdam, aut ab aliis qui aliquam hoc pacto ab eis gratiam inire volebant, subornatos, qui caecos se, exempli gratia, aut claudos simularent, & accedentes ad Imperatorem, ab eo restitutam sibi lucem, restitutosque pedes palam profiterentur. Et in hoc censu forsan ea, quorum tabula haec meminit, reponenda: Constat certe paganos, nata & propagata passim relligione Christiana, & proinde celebri ubique fama miraculorum, quae a Christo ejusque Apostolis edita, ni-
E hil prius aut antiquius habuisse quam similia de Diis suis & sacerdotibus in vulgus spargere, ut parem iis majestatem atque venerationem apud suos conciliarent. Quod, praeter alios Patres Christianos, prolixe & graviter deducit Eusebius libro *contra Hieroclem*, qui ex Philostrati historia Apollonium Tyanaeum cum Salvatore nostro Jesu Christo impie nimis contenderat.

---

## QUAESTIO IX.

F *Quid est in sepulchrali lapide* horis nocturnis maritum videre, & se fato addi velle?

ROMAE, in horto secretiore Monasterii S. Sebastiani in ara magna marmorea, legitur sepulchrale hoc monumentum, quod marito bene de se merito pia conjunx posuit:

ANIMÆ. SANCTÆ. COLENDÆ
D. M. S.
FVRIA. SPES. L. SEMPRONIO. FIRMO
CONIVGI CARISSIMO. MIHI. VT. COG
NOVI
PVER. PVELLA. OBLIGATI. AMORI.
PARITER
CVM. CVO. VIXI. TEMPORI. MINIMO.
ET
QVO. TEMPORE. VIVERE.. DEBVI
MVS. A.
MANV. MALA. DISPARATI. SVMVS.
ITA. PETO. VOS. M. . . ES. SANCTIS
SIMÆ.
COMMENDAT. . . . . HABEATIS
MEVM. CA. . . . M. ET VELLITIS
HVIC. INDVLGENTISSIMI. ESSE.
HORIS. NOCTVRNIS
VT. EVM. VIDEAM
ET. ETIAM. MI. FATO. SVADERE
VILLIT. VT. ET. EGO. POSSIM.
DVLCIVS. ET. CELERIVS
APVT. EVM. PERENIRE.

Verba omnia pessime a quadratario excepta sunt. Nos sic corrigimus. & lacunas explemus. *Animæ. sanctæ. colendæ. Diis. Manibus. sacrum. Furia. Spes. L. Sempronio. Firmo. conjugi. carissimo. mihi. ut. cognovi. Puer. puella. obligati. amore. pariter. Cum quo. vixi. tempore. minimo. & quo. tempore. vivere. debuimus. a. manu. mala. disparati sumus. Ita. peto. vos. Manes. sanctissimi. commendatum. habeatis. meum. maritum. & velitis. huic. indulgentissimi. esse. horis. nocturnis. ut. eum. videam. & etiam. me. fato. suo. addere.* ( nulla sententia scriptum est, *suadere* ) *velit. ut. &. ego. possim. dulcius. & celerius. apud. eum. pervenire.* Duo hic notanda. Primo, cur Furia a Diis Manibus petat, ut horis nocturnis maritum suum possit videre? secundo, cur fato suo addi velit? Utrumque rationem apud paganos habet. Prius illud quod concernit, creditum jam olim, imagines & umbras defunctorum subinde viventibus exhiberi. *Morte obita quales*, ut loquitur Virgilius, *fama est volitare figuras*. Non sine caussa *figuræ* hic dicuntur. Nec enim aut animam, aut corpus, sed ejus simulachrum modo putabant repræsentari. Quippe post mortem animam cælo, corpus terræ, ejus imaginem inferis adscribi ab illis dicebatur, qui inter gentiles cæteris sapientiores habebantur. Sic Maro:

*Et nunc magna mei sub terras ibit imago.*

Totum hoc ad lib. 4. *Æneid.* docet doctissimus veterum Grammaticorum Servius: *Valde*, inquit, *quæritur apud Philosophos, quid illud sit; quod inferos petat. Nam tribus constamus, anima, quæ superna est, & originem suam petit; corpore, quod in terram deficit; umbra, quam Lucretius sic definiit*, superi spoliatus luminis aer. *Ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo, nec est quidquam reliquum in homine, quod inferos petat. Sed deprehenderunt esse quoddam simulachrum, quod ad nostri corporis effigiem pictum petat inferos; & est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus.* Videte operosas ineptias paganorum. Porro imagines defunctorum non quovis, sed nocturno tantum tempore per terras vagari, & suis spectandas se offerre credebantur. Lucem enim & diem videre non debebant. Sic Propertius lib. 4. eleg. 7. ubi umbras loquentes proponit:

*Nocte vagæ ferimur. Nox clausas liberat umbras,*
*Errat & abjecta Cerberus ipse sera.*

A *Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti:*
*Nos vehimur; vectum Nauta recenset onus.*

Claudianus de umbra Theodosii:

*Dixit, & afflatus vicino sole refugit.*

Alia exempla Martinus Delrio *ad Herculem furentem Senecæ* coacervavit. Quærat autem ex me aliquis, unde nata sit hæc opinio paganorum. Variæ in medium proferri possunt rationes. An ideo, quod, quia umbræ sunt, plena & tota luce tollerentur? An vero, quod id quisque amet, in quo B continuo versatur? Furva autem & Proserpina & ejus regnum. An etiam, quod quemadmodum sol eorum est, qui aura ætherea vescuntur, ita luna defunctorum? Unde infera & infernalis alibi antiquarum inscriptionum appellatur. Et ipsa Luna hæc de se testatur apud Apulejum lib. 11. *Metamor. Vives* inquit, *beatus, vives in mea tutela gloriosus, & cum spatium sæculi tui permensus ad inferos demearis: ibi quoque in ipso subterraneo semirotundo, me quam vides Acheronticis tenebris interlucentem, Stygiisque penetralibus regnantem, Campos Elysios incolens ipse, tibi Propitiam frequens adorabis.* Quæcunque tandem caussa sit, lucifugæ umbræ fuere, C & nocturnis tenebris delectatæ. Quod Furia hæc non ignoravit, quæ poscit Deos Manes, ut nocturnis horis maritum suum, jam fato functum, complecti possit, & exosculari. Ad secundum jam venio. Quid est *velle fato suo addi*? Dicendum hic nonnihil de termino vitæ humanæ, quidque de eo senserint gentiles. de quo nuper inter eruditos, eliciente eorum judicia clarissimo doctissimoque Beverovicio, cœptum est disputari. Natos omnes aliquando denasci oportere nemo eorum, qui nati sunt, unquam in dubium vocavit. Necessitas hæc omnes constringit, & ideo vivimus ut moriamur, imo vivimus & morimur simul, non tam mortales, quam D morientes. Statum etiam unicuique vitæ terminum esse nemo nescire potest. Quem ubi advenerit amplecti debemus, nec datum est evitare. Fatum fere vocant plerique antiquorum. Quod simul & immotum, & adamantinis, ut loquitur Plato, constrictum vinculis, & mutari natum pagani credidere. Nec duo illa se mutuo hic subvertunt, si ex eorum sententia loquamur. Fatum mutari potest, & tamen est fatum. Fatum manet cum mutatur, & cum non mutatur. Cum non mutatur manet, quod fuit, cum mutatur fatum fit, quod antea non erat. Adeo ut duplex fuerit fatum, alterum quod nunquam mutandum, alterum quod poterat exorari. Sic *Dii faciles* dicti apud Juvenalem Sat. x.

E

*Evertere domos totas optantibus ipsis*
*Dii faciles.*

*Leves* Hecubæ apud Senecam in *Troad.*

*Quicunque regno fidit, & magna potens*
*Dominatur aula, nec leves metuit Deos.*

Leves, faciles, quod aut revera mutarent fatum, aut mortalibus mutare viderentur. Quod de vitæ termino creditum vulgo fuit. Locus illustris est in Apuleii libro 11. ubi verba Lunæ ad authorem: *Quod si sedulis obsequiis, & religiosis ministeriis, &* F *tenacibus castimoniis numen nostrum promerueris; scias, ultra statuta fato tuo spatia vitam quoque tibi prorogare mihi tantum licere.* Et sine dubio huc facit mens illorum lapidum, qui Parcis Augusti sunt inscripti. In Veronensi agro:

PARCIS. AVG
P. FALERIVS. TROPHIMVS
ORNAMENTIS DECVRIONALIB.
RESTITVTOR. R. VER.

Veronæ:

LOCO. PVBLIC. DAT. D. D.
PARCIS. AVG. SACR
CASSIVS. VERVLICI. F.
NIGRINVS. VI. VIR. AVG.
V. S. L. M.

Quid enim hic aliud a Parcis postulatur, quam ut stamina vitæ Augusti non modo non abrumpant, sed latius exserant atque producant? Quemadmodum de Nerone loquutus est Seneca in *Apocolocynthosi* ubi de Parcis agit:

*Nec modus est illis, felicia vellera ducunt*
*Et gaudent implere manus, sunt dulcia pensa,*
*Sponte sua festinat opus, nulloque labore*
*Vincunt Tithoni, vincunt & Nestoris annos.*

Et paullo post:

*Ne demite Parcæ,*
*Phœbus ait, vincat mortalis tempora vitæ,*

Et tandem: *At Lachesis, quæ & ipsa homini fortissimo faveret, fecit, & plena orditur manu, & Neroni multos annos de suo donat.* Ubi pro *de suo* legendum forte *de fuso*, nempe Parcarum. Sed & lectio vulgata stare potest. Huc etiam referenda sollemnis formula in acclamationibus publicis. TANTUM. DE. ANNIS. NOSTRIS. DEMAT. JVPPITER. OPTIMVS. MAXIMVS. QVANTVM. AD. ÆTATEM. TVAM. ACCEDAT. IMPERATOR. Quanquam hoc maximam sapiat adulationem. Creditum igitur olim vitæ terminum, quanquam fixum semel, ita mutari posse, ut aut majori aut breviori temporis spatio includeretur. Et ea mens Furiæ cum fato suo se addi vult, hoc est, citius, quam decretum est, mori, ut tanto celerius ad maritum suum posset pervenire.

## QUÆSTIO X.

*Quis est in monumento Romano* Orcus peregrinus?

ORCI peregrini mentio est in antiquo lapide, qui legitur Neapoli:

D. M.
TERTIO. FRATRI
SOROR
BENEMERENTI
FECIT
VIXIT. ANNIS. PLVS
MINVS. XXXI.
ORCO PEREGRINO

Illustris Scaliger inter Deos retulit in indice inscriptionum, quo Deorum nomina, eorumque attributa continentur. Orcum pro Deo habitum non abnuerim. Didici id ex Festo, cujus verba sunt: *Orcum, quem dicimus, ait Verrius dictum Vragum, quod & V. litteræ sonum pro O. efferebant, & per C. litteræ sonum nihilominus usurpabant, sed nihil adfert exemplorum, ut ita esse credamus: nisi quod is Deus nos maxime urgeat.* Ædes etiam ejus Romæ fuit, ut Lampridius testatur. Inter selectos Deos habitum ex Varrone ostendit Augustinus. Porro Dii peregrini dicebantur, quos ex aliarum gentium institutis amplectebantur Romani. Quod vetitum primis temporibus legibus regiis. Postea parce, tandem tamen, accrescente imperio Romano, & publice & privatim omnino usitatum. Partim ut omnium gentium Deos demererent, omnium victores futuri. Unde Cæcilius apud Minutium Felicem: *Dum captis in manibus hostibus adhuc ferociente victoria numina victa venerantur, dumque undique hospites Deos quærunt & suos faciunt: dum aras exstruunt etiam ignotis numinibus & Manibus, sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt: hic perpetuus venerationis tenor mansit. Qui longa ætate non infringitur sed augetur: quippe antiquitas cærimoniis atque fanis tantum sanctitatis tribuere consuevit, quantum astruxit vetustatis.* Partim ob confluxum populi ex universo orbe terrarum. Cum enim sua quisque sacra coleret, interfuit publicæ securitatis & quietis ut ex magistratus auctoritate peregrina sacra publice etiam colenda & observanda admitterentur. Sed Orcus hoc modo peregrinus dici neutiquam potest. Alia igitur ratio indaganda. An ideo sic appellatus, quia extra cælum & terras regnum ejus esse censeretur? An vero quia mortis auctor est & præstes? Per eam autem homines defuncti ex hac luce in alia & peregrina loca deferuntur. Profecto, ut quod res est dicam, neutrum eorum arridet. Aliud quid latet. Per Orcum peregrinum alienum sepulchrum puto denotari. Sepulchra trium generum aut communia, aut propria, aut peregrina. Communia in quibus promiscue multi ex plebe condebantur. Neque enim unicuique ex populo sepulchrum suum erat. Quanquam non ignorem communia etiam dici, quæ tantum ad omnes ejusdem stirpis spectabant. Propria, quæ quis aut sibi, aut familiæ toti, aut quibusdam ex ea extruxit. Quo faciunt infinitæ formulæ in Romanorum monumentis, quibus disertim cavetur, ne cui alteri liceat inferre cadaver. Libenter enim inter suos, suorum tantummodo cineribus volebant admisceri. Peregrina voco, in quibus aut honoris, aut amicitiæ, aut necessitatis caussa alii non ejusdem familiæ sepeliebantur, quorum respectu peregrina dicuntur. Ita Ennius impositus tumulo Scipionum, ut Livius aliique prodidere. Sic Servator noster Christus in Josephi ab Arimathia sepulchrum est delatus. Orcum autem pro sepulchro poni non est novum. Narbonæ in veteri Epitaphio:

*Orbem sub legem si habeas, num vivis, ad Orcum*
*Quid valet? hic nulla est divitis ambitio.*

Ubi *num* male aut excusum, aut in lapide sculptum fuit. *Dum* omnino est scribendum. Festus quietalem orcum antiquitus vocatum notat. Quiescere autem de illis dicitur, qui in sepulchris. Nec aliter Hebræi una eademque voce שאול sepulchrum & infernum notant. Ut notum illis qui vel a limine illius linguæ sacra salutarunt.

## QUÆSTIO XI.

*Cur lucernæ ardentes in monumentis Romanorum?*

LUCERNAS ardentes in sepulchris Romanorum fuisse nemo nescire potest. Inscriptio Salerni inventa:

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI.
TERRA. LEVIS QVIS. Q.
HVIC. TVMVLO. POSVIT
ARDENTEM. LVCERNAM
ILLIVS. CINERES. AVREA
TERRA. TEGAT.

Et in omnibus fere monumentis lampades invenire est. Quæ non ejusdem cunctæ magnitudinis, aut unius materiæ vel formæ. Fictilem talem aliquando vidi.



Quasdam perpetuo arsisse compertum est, stupendi cujusdam liquoris beneficio, de cujus conficiendi ratione varie decertatum inter eruditos. Auctorem ejus invenio Maximum Olibium, de quo verba Bernardini Scardeonii ex lib. I. quo de priscis civibus Patavinis agit, in gratiam Lectoris & miraculi caussa apponam. *Quis sanæ mentis Maximum Olibium connumerandum hic esse neget, atque a nobis inter Patavinos censendum? quem constat fuisse virum maximæ præstantiæ, & summo ingenio præditum; quandoquidem tam admirabili arte Lucernam concinnaverit, ut perpetuo fulgore lucens mille, & quingentos annos plus minus Plutoni dicata sub terram accensa permanserit. Nam annum circiter millesimum quingentesimum nostræ salutis juxta Athesten municipium Patavinum, dum foderetur a rusticis terra solito altius reperta est urna fictilis & in ea altera urnula, in qua erat lucerna adhuc ardens inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, altera argentea, purissimo quodam liquore plenas, cujus virtute lucerna illa per tot annos arsisse creditur, & nisi retecta fuisset, perpetuo arsura. In urna majori hi versus legebantur;*

Plutoni. sacrum. munus. ne. attingite. fures:
  Ignotum. est. vobis. hoc. quod. in. orbe. latet.
Namque. elementa. gravi. clausit. digesta. labore.
  Vase. sub. hoc. modico. Maximus. OLIBIVS.
Adsit. fæcundo. custos. tibi. copia. cornu.
  Ne. precium. tanti. depereat. laticis.

*In altera vero minori urna legebantur hæc carmina:*

  Abite. hinc. pessimi. fures.
  Quid. vostris. vultis. cum. oculis. emissitiis?
  Abite. hinc. vestro. cum. MERCURIO.
  Petasato, caduceatoque.
  Donum. hoc. maximum. Maximus. OLIBIUS.
  Plutoni. sacrum. facit.

*Legitur de hac re Francisci Maturantii Perusini viri eruditissimi epistola ad Alphenum amicum ita dicentis; Nihil ex omni antiquitate vidisti mirabilius mi Alphene: in vase illo interiori, lucerna fuit fictilis, miræ pulchritudinis, lumine tot sæculis inextincto, super eam duæ ampullæ parvulæ. Aurum in altera, in altera argentum fuit; utrumque liquidum, ut ex ramentis cognoscitur; primarium argentum, aurum vero obrizum. Ego chimicæ artis (si modo vera potest esse ars chimica) jurare ausim elementa, & materiam omnium. Vas utrumque cum epigrammatibus. Lucerna, ampullæ aureæ,* OLIBII *munera ad me venere; & penes me sunt. Quas si videas obstupescas. Ego eas cum mille aureis non sum commutaturus.* Atque hoc ipsum a gentibus mutuati sunt Christiani. Quare Vigilantius apud D. Hieronymum sic loquitur: *Prope ritum gentilitium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, & ubicunque pulvisculum nescio quod in modico vasculo pretiose est circumdatum, osculantes adorant. Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus: quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Angelus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis suæ illustrat.* Quemadmodum multos paganorum ritus apud veteres Christianos in usu fuisse comperimus. Quod mirum videri non debet. Plerique enim eorum Gentiles primo, inveteratas cerimonias non ita statim dimittere potuerunt. De quo alias, si vitam Deus dederit, pluribus dicemus. Nunc in caussas istius ritus inquirendum. An honoris caussa factum existimabimus? Isti enim probando faces etiam aliis in rebus destinatæ. An vero dicendum defunctos, tanquam fortissimos athletas, post decertatum hujus vitæ certamen, hoc præmio fuisse ornatos? Innuit id D. Chrysostomus homilia quarta in *Epistolam ad Hebræos*. Εἰπὲ γάρ μοι, τί βούλονται αἱ λαμπάδες αἱ φαιδραί; οὐχ ὡς ἀθλητὰς αὐτοὺς (τοὺς τεθνηκότας ἢ νεκροὺς) προπέμπομεν. *Dic mihi, quid sibi volunt lampades & faces. An non mortuos jam ac defunctos non aliter atque athletas præmittimus.* An etiam id dimanavit ex ea opinione, qua animas corporibus suis terra conditis continuo adsidere existimabant? Num vero ex stolida, sed quæ ex nimia in defunctos pietate nata, persuasione id factum putabimus? Videntur enim credidisse sensum adhuc aliquem defunctis restare. Quo faciunt alii ritus infiniti. Sic concepta vota: AVE ET SALVE. SIT TIBI TERRA LEVIS. Ita mensa in sepulchris strata, in eaque variæ dapes appositæ fuerunt. Plura enim talia in Antiquitate sunt, quorum ratio non nisi ad vanam superstitionem referri debet.

---

## QUESTIO XII.

*Cur nunc his, nunc illis Diis Deabusve lapides inscripti?*

QUANDOQUIDEM in eo jam sum, ut excutiam antiqua Romanarum inscriptionum monumenta, animus mihi una, quod ajunt, fidelia multos parietes dealbare. Caussæ variæ, cur numinibus diversis lapides dedicati. Potissimas earum exponam. Aliquando solius relligionis caussa. UT DIVO. PANTHEO. & COLLEGIO. DEORUM. DEARUMQUE. Sic cælites omnes venerabantur. Subinde non tam relligionis, quam proprii aut suorum commodi caussa. Pro cujus varietate etiam institutus numinum delectus. Alios Deos milites, alios mercatores, alios agricolæ, alios ægri, alios sani, alios valetudini suæ restituti, alios denique alii statuebant demereri. Subinde unius, aliquando plurium opem poscebant. Si plurium, quidam in exprimendis eorum nominibus ordinem non observabant, quemadmodum apparet passim in opere inscriptionum, in quibus sæpe Dii minorum gentium majoribus præpositi sunt. Alii contra accuratiores ne in ordine cuique aut loco tribuendo peccarent, nomina eorum circulo inscripsere, in quo nec prius nec posterius discerni potest. Imo nomina Deorum Dearumve sæpe ficta, prout qui dedicabant votis & commodis suis putabant expedire. Sic accipio inscriptionem, quæ in urbe Lingonum in altari.

H. D.
IS. DEA
BIVIS. TRIVIS. QVADRIVIS.
AVREL. VICTORINVS
MIL. LEG. XXI. P. IM
COS. GERM. SVPERIORIS
V. S. L. M.
IMP. SE. SEVERO. AV. . . .
EX. IT. ET.
MARCELLO. COS

A Videntur Scaliger & Gruterus ignorasse, quid IS DEA sibi velit. Ille in indice prætermisit, aut Isidis nomine complexus est. Quemadmodum apud Gruterum pag. 54. legitur inscriptio hæc, inter illas, quæ Isidi dedicatæ aut ejus meminere. Quod profecto factum nollem. Alia Is, alia Isis Dea. Is haud dubie ἀπὸ τοῦ *ire* aut *via* sic nominata est κατ' ἀναλογίαν, ut Grammatici loquuntur. Cum enim auctor inscriptionis videret in terminatione horum vocabulorum *Bivis*, *Trivis*, *Quadrivis*, syllaba postrema id denotari, quod aut *ire* aut *viam* dicimus. elegantiæ caussa nomen hoc Is commentus est, ut primum esset sequentium, quæ a binario, ternario & quaternario dicuntur. B Non dubito quin omnes hanc interpretationem nostram sint probaturi. Amœnitatem & risum agnosco in hoc lapide, qui legitur Lindanii in Helvetia:

DIIS. MAXIMIS
BACCHO. ET. SOMNO
HVMANÆ. VITÆ
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIBVS
SACRVM.

C Aliquando adulatio occasionem dedit. Quemadmodum legere est: ÆTERNITATI. DOMVS. AVGVSTI. GENIO. AC. MAIESTATI. IMPERATORIS. ANTONINI. Nonnnunquam vicina dedicantium nomina in caussa fuere, cur hi aut illi Dii eligerentur. Unum in medium proferam exemplum, & satis erit. Præneste in Ara marmorea:

IOVI. O. M. ET
FORTVNÆ. PRIMIGEN.
V. S. L. M.
L. PRIMIGENIVS
CVM
FIL. TORQVATO
D. D

D Nomina enim liberis sæpe a Diis deabusve imposita apud Romanos, ut Martialis, Apollonius, Phœbadius, aliaque infinita. Idque boni ominis gratia usitatum. Sic postea Christiani ex veteri Testamento Patriarcharum, ex novo Apostolorum, aliorumque sanctorum virorum nomina liberis suis indidere. Partim memoriæ, partim exempli caussa. Imo videor mihi in nominibus propriis veterum Christianorum id etiam observasse, quod iis dogmata E quædam Relligionis suæ fuerint complexi, ut per Anastasium resurrectio, per alios aliud fuerit denotatum. De quo alibi commodior erit dicendi locus.

---

## QUÆSTIO XIII.

*Quid sibi vult lapis, sive Deo, sive Deæ inscriptus?*

F ROMÆ in S. Urso hæc verba lapidi inscripta leguntur:

SIVE. DEO
SIVE. DEÆ
C. TER. DEXTER
EX VOTO
POSVIT.

Forsan Juppiter innuitur, qui ex veterum superstitione & mas & fœmina credebatur. Quare Orpheus, ubi Jovem describit:

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

Quod lib. *de mundo* sic vertit Apulejus:

*Juppiter & mas est, estque idem Nympha perennis.*

Mihi autem Orpheus nihil aliud velle videtur, quam Deum sexu non distingui, omnia ipsum esse, & in ipso omnia, contra quam postea visum est paganis, quibus in Theologia sua nihil prius aut antiquius fuit, quam humana omnia Diis adsignare. Sic ad conjugia Deorum comminiscenda delapsi sunt, postquam πολυθεΐαν amplecti voluere. Cum enim omnes primitus non exstiterint, nasci debuere, & ut nascerentur Deorum Dearumque sexus in cælum transferendus fuit. Unde θεογονίαν Hesiodus nominavit. Ad quod etiam adulatio accessit, qua fato functi, & bene meriti de genere humano inter Deos sunt relati, sive viri illi, sive fœminæ fuerint. Imo non masculi tantum aut sequioris sexus numina, sed inter ea etiam hermaphroditos habuere. Dum idem alii atque alii nunc tanquam virum, nunc tanquam fœminam coluere. Lunam enim etiam Lunum dictam & pro viro habitam satis apud omnes, qui has litteras leviter modo attigere, compertum est. Attis etiam & vir & fœmina. In quam rem sunt verba Catulliana, quibus de se Attis loquitur,

*Quod enim genus figuræ est, quod ego non habuerim?*

*Ego mulier, ego adolescens, ego Ephebus, ego puer,*

*Ego Gymnasii fui flos, ego eram decus olei.*

Et Arnobius ubi de Attidis imagine agit, eam inter virginem & puerum eximiam fuisse disertim testatur. Attidis autem nomine solem venerati sunt Phryges, ut docet Macrobius lib. *Saturnal.* I. cap. XXI. Mascula etiam & barbata Venus fuit. Docet illud Servius ad lib. II. *Æneid.* ubi dixit Virgilius:

*Descendo, ac ducente Deo flammam inter & hostes expedior*

*Loquitur*, inquit, *secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus*, Pollentemque Deum Venerem. *Item Virgilius*; Nec dextræ erranti Deus absuit; *quum aut Juno fuerit aut Allecto. Est etiam in Cypro simulachrum barbatæ Veneris*. Bacchus etiam & vir & fœmina dicebatur. Quod notat Aristides *Orat. in Bacchum*, & pluribus auctorum locis adstruit eruditissimus Hieronymus Aleander junior in accurata *Tabulæ Heliacæ* explicatione. Diversitas illa sexus ejusdem numinis non tantum ex diversarum gentium aliis atque aliis institutis, sed vero maxime ex interpretatione nata est. Interpretari autem numina proprium Pontificum erat. Quod infinita veterum auctorum loca probant, qui ubi de sacris agunt Librorum Pontificum meminere. In quibus numina aliter atque aliter explicari notant. Interpretatio illa ad naturam rerum fere spectabat. Nam ex ea omnis veterum Theologia est conflata. Sic in eodem numine aliquando quod viri, aliquando quod fœminæ proprium esset invenere. Luna quatenus lucem a sole mutuatur, conjunx ejus, quatenus ipsa vim suam in inferiora hæc exserit atque expandit, mas esse videtur. Eodem modo sese Attis, id est, Sol

Sol habet. Venus & mas & fœmina, quia & virorum eſt & fœminarum. Quanquam vero omnia numina utriuſque ſexus nomine compellata fuiſſe non inveniamus, creditum tamen ſapientioribus, utriuſque ſexus cælites omnes eſſe, quemadmodum aperte ſatis probant verba Servii, quæ jam adduximus. Quod non ſic accipiendum, quaſi revera ſimul & mares & fœminas fuiſſe exiſtimaverint. Nihil minus. Numen & mas eſt & fœmina, hoc eſt, omnia eſt & complectitur. Quomodo de Iſide dictum in veteri inſcriptione, quæ legitur Capuæ in templo S. Benedicti:

TE. TIBI
VNA. QVÆ.
ES. OMNIA
DEA. ISIS
ARRIVS. BA
BINVS. V. C.

Quare & *Myrionuma* vocata, id eſt, infinitorum nominum, in antiquo lapide, qui legitur apud Iſaram fluvium in Bojaria:

ISIDI
MYRIONVMÆ
SACRVM.

Omnium nominum, quia omnia eſt & moderatur. Quemadmodum de vero Deo Sacræ Litteræ loquuntur eſſe eum *omnia in omnibus*, *Alpha & Omega*. Si igitur numen utriuſque ſexus eſſe ſtatuerent ſapientiores, indicabant non tam ſexu illud diſtingui, quam utrumque & omnia continere. Aliter tamen hic vulgus ſentiebat, quod cum verba caperet, in arcana non penetravit. Quæ cauſſa eſt cur Patres Chriſtiani hanc de diis opinionem ſemper ridere ſint conati. Inter quos graviter Arnobius libro ſeptimo *adverſus Gentes*: *Sed erras, inquit, & laberis: nam Diis fœminis fœminas, mares maribus hoſtias immolare, abſtruſa & interior ratio eſt, vulgique a cognitione dimota. Non inquiro, non exigo, quid ſacrorum præcipiant vel quid contineant leges: ſed ſi vicerit ratio, atque obtinuerit veritas, differentiam generum nullam in Diis eſſe, neque ullis ſexibus eos eſſe diſcretos, nonne ſolvi neceſſe eſt? nonne rationes has omnes e ſtultiſſimis creditas opinationibus, comprobari, inveniri? Sapientium virorum non advocabo ſententias, qui riſum nequeunt continere, cum diſcrimina ſexuum diis audiunt immortalibus attributa. Unoquoque ab hominum quæro; an ipſe apud ſe credat, ſibique ipſe perſuadeat, diſtinctum eſſe Deorum genus, mares, ac fœminas hos eſſe, & ad generandos fœtus convenientium membrorum diſpoſitione formatos.* Roget aliquis, ſi ea ſapientiorum inter paganos de ſexu numinum ſententia fuerit, quam dixi, cur eam adeo exſibilent Patres Chriſtiani? Dicendum hic nonnihil de argumentis, quibus gentiles, eorumque ſacra oppugnabant primi relligionis noſtræ antiſtites. Faciet hæc diſſertatio plurimum ad intelligenda ea omnia, quæ adverſus gentes a ſanctis Scriptoribus producuntur. Proinde ignoſcent Lectores, ſi paullo latius excurram. Unicum enim mihi inſtitutum eſt quantum poſſum docere. Eccleſia Chriſtiana cum hæreticorum ſeges domi nondum eſſet nata acerrimos foris hoſtes paganos habebat. Hi autem

A tria potiſſimum agebant: aut fabulas ſuas loquebantur, aut principia Chriſtianæ relligionis negabant, aut falſa quædam de ea in vulgus ſpargebant. Quibus animoſe obviam ivere Chriſtiani. De poſtremo prius dicemus. Falſa ſpargebant aut fama, aut ſcriptis. Illius exemplum in Tacito habemus, qui diſertim teſtatur Neronem Chriſtianos tanquam incendii urbis Romæ autores ſubdidiſſe, & exquiſitiſſimis pœnis affeciſſe. Scripta autem fingebant, quibus atrocia de Chriſto & horrenda continebantur. Unicum ejus rei exemplum adducam, quod ſuppeditat alibi Euſebius Pamphilus Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus. Maximus Tyrannus & acerrimus Chriſtiani nominis hoſtis, litteras ſub
B Pilati nomine confictas, contumeliarum, & dirarum plenas, ludimagiſtris in ſcholis pueris dedit prælegendas, ut illi prima jam ſtatim ætate a Chriſtiana religione, tanquam impia, & flagitioſa, abhorrerent. Fuerunt e Chriſtianis, qui paribus armis oppugnandos gentiles fortaſſe cenſuere. Emiſſæ ab his in publicum Senecæ & Pauli Epiſtolæ, quibus illum maximæ inter paganos famæ inſuper habitis gentilium ineptiis Chriſtiano nomini ſeſe dediſſe teſtarentur. Tale etiam illud quod de Sibylla, quæ Auguſto in circulo Virginem matrem ulnis infantem Chriſtum complexam exhibuit, ſic tradit D. Antoninus in Chronico: *Cum Senatus*
C *Romanus* AUGUSTUM *pro Deo colere decreviſſet, evocata in cameram Sibylla eſt, ut an Auguſto aliquis ſucceſſurus eſſet, reſponderet: quæ circulum aureum in ſublimi fulgentem, in cujus medio Virgo erat puerum complexa, Imperatori oſtendit: auditaque confeſtim vox fuit. Hæc eſt ara Cæli. Tunc Imperatorem Sibylla monuit, ut puerum illum adoraret, atque inde prædicta camera Ara cæli dicta eſt. Unde Mantuanus*:

*Fulgentem nitido monſtravit in æthere circum*
*Irideque incluſam parva cum prole parentem:*
D *Atque manum tendens vultuque ad ſidera verſo,*
*Ille puer Deus eſt, inquit.*

Sic Simoni Mago, cujus mentio eſt in *Actis Apoſtolorum*, aram dedicaſſe, eumque divinis honoribus affeciſſe Romani dicuntur. Quod ego certe non crediderim. Legerunt haud dubie Chriſtiani mentionem paſſim fieri Semonis Sanci, Dei, & de Mago hoc vel per malignitatem vel per ignorantiam ſunt interpretati. Simile eſt, quod apud Epiphanium obſervaſſe memini, Evan vocem ab prima matrum Eva, conjuge Adami, eſſe deriva-
E tam. Unde occaſionem captat, quemadmodum ad fingendum crimen pronum eſt odium, inſultandi paganis, tanquam qui eam, quæ cauſſa omnis mali, quo tenemur quotquot ſumus mortales, in ſacris ſuis ſint venerati. Quaſi vero ab aliis gentilium ineptiis in medium proferendis fuerint deſtituti. Abſit ut dicam immerito irriſos paganos. Nihil eorum ſacris putidius vel ineptius potuit excogitari. Hoc tantum volo, alia quandoque, quam quæ vera, iis impacta fuiſſe. Quod veriſſimum eſſe & illa ſatis probant, quæ jam dixi, & aliis, ſi opus eſſet, exemplis a me poſſet confirmari: quod tamen factum non eſt ex inopia argumentorum, quæ infinita erant adverſus paganos, ſed nimio
F forte contentionis æſtu, qui cum cauſſa ſat multas & graves haberet, alias adhuc, quæ non erant, voluit inveſtigare. Sed de his jam ſatis. Ad tuenda relligionis ſuæ principia argumentis ab antiquitate, a veritate divinorum oraculorum, ab effectu, a miraculis, deſumptis

Christiani utebantur. In antiquitate probanda duo fere agebant. Nam & Mosen antiquissimum omnium Scriptorum, quem Musæum vocasse videntur Græci, quod non nemo ex Patribus observavit, & veterrimos inter paganos auctores, plurima ex historia Mosis in opera sua transtulisse, ejusque verba proxime expressisse ostendebant. Quanquam in hoc nimis mihi acuti Christiani subinde fuisse videantur, & inter eos præcipue acerrimus relligionis nostræ propugnator Justinus Martyr in *Cohortatione ad Græcos*. Sic enim ille procedit. Dixit Moses: *In principio Deus fecit cœlum, & terram: deinde solem, & lunam, & stellas*. Homerus autem scribit: *Juppiter terram, cælum, mare condidit & indefessum solem, & plenam lunam & astra, quibus cælum coronatur*. In libris Prophetarum de Cherubim hæc verba extant: *Et exivit e domo gloria domini, & adscendit super Cherubim: & elevaverunt Cherubim alas suas, & rotæ cum eis, & gloria Dei Israel erat super eos*. Plato vero scribit; *Volucri Jovem in cælo curru vehi*. Tertio *Regum* libro hæc leguntur; *Non in spiritu dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem vox auræ tenuis*. Plato autem igneæ Deum essentiæ esse tradit. Ex hac sententiæ & verborum affinitate probare ac paganis persuadere Justinus Martyr conatur, dicta illa Homeri atque Platonis ex libris Mosis atque Prophetarum esse translata. Non abnuerim nonnullos inter primos Græcorum libros veteris Testamenti & præcipue Mosis perlustrasse. Multa enim sunt ex quibus hoc colligi potest. Verum enim vero nimis quæsitum mihi videtur, continuo statuere ea quæ in Homeri & Platonis libris veritati Sacrarum Litterarum consentanea leguntur, ex Mose aliisve Auctoribus sacris esse desumpta. An non, haud inspecto Mose, solo naturæ & ingenii ductu, scribere atque credere potuit Homerus, Deum cælum & terram & mare condidisse? Certe hoc tradit ipse Paulus Apostolus cap. I. Epistolæ *ad Romanos*. An non illa Platonis, *volucri Jovem in cælo curru vehi*, poetica magis (quemadmodum phrasiologia & numeris Poetarum magnus auctor ille præ cæteris maxime est delectatus) quam ex libris Propheticis mutuata videntur? Quis etiam tandem est inter sapientiores paganos, qui non igne quodam, ut ille loquitur, volucrem essentiam Deo adsignavit? Quod fabulas gentium spectat, multa in iis observabant scriptores Christiani. Quæ omnia ad duas classes possunt revocari. Aut enim ipsas fabulas, aut earum allegoriam & interpretationem concernunt. Quod ad ipsas fabulas spectat, in iis aut ineptias & inania damnabant, aut ex Historia sacra veteris Testamenti derivatas probabant. Quemadmodum hortos Alcinoi ex descriptione Paradisi, expulsum Saturnum a Jove ex historia exacti e Paradiso Adami, Gigantomachiam ex turri Babel extructa, Diluvium Deucalionis ex cataclysmo sub Noacho, incendium Phaethontæum ex combustis cælestibus ignibus Sodoma & Gomorra, fabulam Arionis Delphinis beneficio rabiem maris elapsi ex historia Jonæ, aliaque infinita ex veteris Testamenti libris nata esse adseverant. Quod passim apud Justinum Martyrem, Tertullianum, Eusebium, aliosque videri potest. Et hoc institutum fuit Theoduli, qui vixit circa annum Christi CCCCLXXX. ea Ecloga, qua Pseustin, Alethian, & Phronesin ita differentes introducit, ut historiam sacram & pares gentium fabulas ex ea natas componat. Quanquam dubitari non debeat, multum in his etiam ingenio suo indulsisse veteres Christianos, & non omnia ex ea origine esse, quam ipsi statuunt. Ut enim apud cordatos omnes & eruditos abunde constat, paganos non nisi simias fuisse eorum, quæ ab Hebræis tradita sunt, ita omnia huc velle revocare, nihil est aliud, quam magna contentione magnas nugas agere. Quod interpretationem fabularum concernit, illam nunc tanquam dubiam, nunc velut longius petitam, nunc ut imperfectam reprehendebant. Imo frustra sapientes allegoriis fabulas suas interpretari existimabant, quia populus ut plurimum eas ignorabat. Et quia in dissertatione hac exorbitare paullulum cœpi, libet etiam in hanc rem adscribere verba Eusebii, quæ exstant lib. III. *de Præparat. Evangel. Ut fabularum*, inquit magnus ille auctor, *coactam adeo, atque violentam accommodationem refellamus, non longa oratione opus esse arbitror. Enimvero, ut Ægyptiorum deliramentis, ac florida nugarum anilium congerie prætermissa, ad politiorum Græcorum physiologiam transeamus; quis obsecro sanæ mentis, eos qui tam alienum in sensum ejusmodi fabulas detorquere conantur, non suopte ingenio confutare, atque ex figmentorum ipsorum ratione possit? Nam esto sane Juppiter, non jam ignea, ætherea que natura, ut veteres auctore Plutarcho statuebant, sed potius mens illa suprema, rerum molitrix universarum, quas vi etiam vitali foveat, quomodo igitur Saturnu, quem tempus esse ajunt, pater ejus erit, Ops vero mater, quam interpres noster lapidosam ac montanam vim esse confirmat? Nam Junonem sane, quam sive aerem sive æthera quoque nominarunt, quomodo Mentis illius mundi effectricis, rebusque omnibus vitam largientis sororem simul & uxorem esse velit, equidem non intelligo. Præterea Latona per me* λυθω *quædam, id est*, oblivio, *nuncupetur, partim quod sentiendi vis, ut ajunt, somni tempore nulla sit, partim quod animos illos, quos infra lunam procreari contingit, oblivio comitetur; Qui ergo fieri potest, ut Solis ac Lunæ mater oblivio sit, Apolline ac Diana Latonæ liberis in Selem Lunamque traductis? Jam cum tanquam Deum aut Opem aut Cererem venerari oporteat, si altera quidem lapidosi ac montani, altera vero plani patientisque soli symbolum quoddam esse dicatur; qua ratione* κόρην, *hoc est*, Proserpinam, *quam ipsi* κόρον satietatem *interpretantur, venerando illo nomine appellandam esse opinantur? Cur item Bacchum Attin, & Adonin divino cultu prosequendum esse contendunt, quos modo vim seminalem, ac fructuum eorum, quibus ligni simile putamen est, modo vel florum, qui primo vere cum excludantur, necdum integro maturoque fructu decidunt, vel messis fructuum maturorum symbola nuncupant, nec, quod longe verius erat, humanum genus rebus iis, quas universi conditor Deus eo tantum esse voluit, ut ei ad usum alimentumque in promptu essent, æstimatione anteponunt? Ex his si ad reliqua descendere libeat, quicquid ex præclara physiologia superest similem in modum facile coargues, adeoque homines illos impudentiæ jure postulabis, qui unum eundemque solem, ut hoc præcipue seligam, non Apollinem modo, sed etiam & Herculem, & Bacchum & Æsculapium esse statuerunt. Namque modo pater idem fuerit simulque filius, Apollo, inquam, & Æsculapius. Quomodo ipse ad Herculem traducatur, cum Alcmena matre mortali utique muliere natum ipsimet Herculem esse fateantur? Quomodo Sol in furorem actus liberos suos jugularit? nam utrumque sane Herculi attribuitur. At Herculem nimirum qui duodecim illa certamina confecerit, Zodiaci circuli, quem Solem ajunt sua controversione lustrare, in duodecim animan-*

*tia divisionem repræsentare dictitant. Quem ergo nobis Eurystheum assignabunt, qui Solem quemadmodum & Herculem, ejusmodi certamina conficere jubeat? Quomodo autem quinquaginta Thestiæ filiæ, ac reliquum captivarum vulgus, quibuscum rem habuisse Herculem fama est, ad Solem, quibus ex omnibus suscepti ab eo liberi gentis suæ seriem longissimo tempore propagarent. Quem porro nobis Centaurum fingent, cujus sanguine infectum a Dejanira indusium Solem, veluti Herculem in decantatam illam calamitatem induxerit?* Certe dubiam & incertam fuisse fabularum interpretationem facile unicuique ex libris Pontificiis potest constare, qui passim a Macrobio, aliisque laudantur. In iis videmus alios aliter atque aliter de ejusdem fabulæ significatione sensisse. Erant autem libri Pontificum duum generum. In quibusdam ratio & modus peragendorum sacrorum continebatur. Ad quos proxime accedebant libri, qui Rituales dicebantur, quorum Festus aliique non semel meminere. In nonnullis vero interpretationes sacrarum fabularum proponebantur. De quibus diversimode sacrorum antistites sentiebant, quemadmodum jam dixi. Posterioribus autem temporibus multi exstitere, qui curam atque industriam ingenii in hoc solo occupabant, ut novas fabularum allegorias in medium proferrent. Has ad civilis sapientiæ, illas ad naturæ rerum, alias ad morum doctrinam retulere. Sed nimia affectatione factum est, ut in plerisque putidissimas ineptias non potuerint evitare. Quod in Alberici Imaginibus Deorum, & libris Mythologicis Fulgentii, cæterisque ejus argumenti scriptoribus, quivis videre poterit, qui cum judicio ad legendum accedet. Quod autem notat Eusebius, imperfectas esse plerasque veteres & communes fabularum interpretationes, dum plus in illis, quam in his continetur, nimis profecto videri potest quæsitum. Enimvero in fabulis veterum sapientum ad duo est adtendendum; ad interpretationem, quæ maxima ex parte vel ad naturam rerum, vel ad historiam referri debet, & ad œconomiam ipsarum fabularum. Oeconomiam hic voco totius fabulæ constitutionem. Ad hanc autem obtinendam perficiendamque, nonnulla necessario erant adjicienda, quæ ad mysticum, ut ita dicam, fabulæ sensum, nihil faciunt. Non aliter atque Æsopus fecit, qui cum bonos mores per fabulas instituisset docere, œconomiæ caussa multa inferuit, quæ ad instituti finem per se nihil omnino conferrent. Jam vero satis in fabula est, si potissima ad propositam interpretationem possint referri. Sed de his jam satis. Nunc ad institutum revertamur. Numina sua utriusque sexus, hoc est, omnia esse, omnia continere credebant pagani. Nec enim, qui inter eos sapientes habiti sunt, revera sexu numina distingui, aut simul utriusque sexus fuisse, unquam sibi persuasere. Aliud loquebantur, aliud sentiebant. Juppiter igitur hac, quam præ manibus nunc habemus, inscriptione potuerit denotari. Forsan tamen non ad unum numen, sed omnia simul referri debet, ut singulorum numero, quod alibi plurium, hic proferatur. Sicut in nonnullis monumentis est, DIIS OMNIBUS, & DIIS DEABUSQUE OMNIBUS. Nisi etiam intelligendum arcanum numen Tutelare, quod unicuique civitati veteres adsignabant, cujus nomen & sexus latebat, sive majoris relligionis caussa, sive ne illud hostes, quemadmodum moris quidem olim erat, solennibus precibus, de quibus in *commentario ad Quæstiones Plutarchi* diximus, evocarent. Sic in veteri Evocationis formula disertim legitur: SI DEUS, SI DEA EST, CUI POPULUS CIVITASQUE CARTAGINIENSIS IN TUTELA EST.

Forsan quoque formula hæc, SIVE DEO, SIVE DEÆ, de sexu numinis ambigentis est. Sic Cato, ubi de luco, more Romanornm, collucando agit, SI DEUS, SI DEA EST. Nihil enim æque incertum, ac Theologia paganorum. Sic in natalibus, matrimoniis, liberis eorundem numinum explicandis sæpe antiquos poetas inter se convenire non videmus. Cujus rei ratio non obscura est, si recte cogitemus. Unusquisque enim veterum poetarum sacras fabulas aut comminisci poterat, aut ab aliis proditas pro libitu suo immutare. Licentiam illam non obscure indicat Julianus Imperator sermone primo in Constantii Imperatoris laudem. Ἀλλ' οἱ μὲν, inquit de Poetis agens, *ἐπειδὰν καινόν τινα μῦθον, καὶ μηδέπω τοῖς πρόσθεν ἐπινοηθέντα φέρωσιν αὐτοὶ συνθέντες, τῷ ξένῳ τοὺς ἀκούοντας ψυχαγωγήσαντες πλέον θαυμάζονται. Poetæ cum novam aliquam fabulam a nemine priorum excogitatam, atque a se ipsis repertam attulerint, & auditores suos ipsa novitate detinuerint, majori in admiratione versantur.* Quod potissimum cyclicis poetis evenit. Cyclicos voco, qui non seorsim singulas fabulas, sed conjunctim omnes, observata rerum & temporum, mutuo se excipientium, serie, persequebantur. De quibus vide quæ Heinsius noster, delitium illud generis humani, ad Horatium suum erudite observavit. Talis Naso fuit, qui Cyclicum suum poema, divinam *Metamorphosin* dico, perpetuum carmen scite nominavit, statim in principio operis:

*Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.*

Ad perpetuam autem seriem deducendam opus erat nova quædam comminisci, quibus apte omnia inter sese connecterentur. Et inde nata varietas illa fabularum. Hinc etiam factum, ut uni numini cæterorum omnium nomenclaturæ subinde sint assignatæ. Quidam enim omnia uni adscribebant, quia a singulis diversa, & sic a singulis omnia ei attribuebantur. Sic Lunam loquentem introducit Apulejus lib. XI. *Metamorphoseos*: *Meum numen, inquit, unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deum matrem: Autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cypri Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam.* Cætera exscribere non vacat. Sic in veteri inscriptione dicitur quasi a dubitante, *Deæ Nemesi, sive Fortunæ.* Legitur illa Albæ Juliæ:

DEÆ. NEMESI
SIVE. FORTV
NÆ.
PISTORIVS
RVGIANVS
V. C. LEGAT
LEG. XIII. G
GORD.

Fortassis etiam verba hæc, SIVE DEO. SIVE DEÆ, significant numen Ignotum. Ignoto Deo aram positam Athenis meminit D. Paulus apud Lucam in *Historia Actorum Apostolicorum* cap. XVII. Ara certe Athenis sita, & sic scripta circumfertur:

A ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΟΙ ΑΓΝΩΣΤΟΙ
ΚΑΙ
ΞΕΝΟΙ.

Hoc eſt, *Diis Aſiæ, & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto, & peregrino*. Apud antiquos etiam ſcriptores multæ ejuſcemodi dicendi rationes occurrunt, quibus quaſi obſcurum aliquod numen indicatur. Ovidius lib. I. *Metamorph.* ubi de condito orbe, ejuſque auctore agit, tanquam ignorans certum numen, inquit,

B *Quiſquis fuit ille Deorum.*

Per Ignotum numen non aliud denotaſſe Athenienſes crediderim, quam quod omnium erat princeps, omnibus præerat, cum ſingula tantum ſingulis adſcriberentur; cujus originem ignorabant, cum cæterorum haberent exploratam; cujus nomen neſciebant, cum cætera omnia nominibus ſuis compellarent: cujus rite colendi rationem atque modum non habebant, cum reliquis peculiaria ſacrificia eſſent adſignata. Et ſic inſcriptionem Athenienſis illius ante accepit ipſe Paulus, ubi ejus oblatæ occaſione ſic Athenienſes alloquitur; *Præteriens, & contemplans ſacra veſtra, inveni & aram,* C *in qua ſcriptum erat*, IGNOTO DEO. *Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Deus faciens mundum, & omnia quæ in eo: ſic cæli & terræ dominus exiſtens, non in manufactis templis habitat; nec a manibus hominum colitur, indigens aliquo; ipſe dans omnibus vitam & inſpirationem & omnia.* Ignotus igitur Deus eſt ille omnium maximus, quem Athenienſibus Paulus cæleſti illa oratione commendabat. Sic ut ara hæc nihil aliud voluerit, quam illa Romana, quæ in Tranſylvania legitur:

DEO. QVI. EST. MAXIMVS
D AVREL. SEPTIMIVS
ROMANVS

Hæc ſcripſeram, cum opportune acceſſit illuſtris Heinſius, qui ſuggeſſit Lucani locum, ex lib. *Pharſaliæ* II.

*Cappadoces mea ſigna timent, & dedita ſacris*
*Ignoti Judæa Dei.*

Ignotum autem Deum, & incertum Judæorum, ideo habitum a paganis idem vir magnus aſſerebat, quod nomen tetragrammaton ab illis non exprimeretur. Nam expreſſum *Schem hamphoras* dicebatur: ac ſi, *pronunciatum*, ſive, *expreſſum*, dicas. E Quod cum factum *Levit.* XXIV. a filio Iſraelitidis cujuſdam eſſet, lapidatus eſt. Helleniſtæ, *ϰ ἐπονομάσας ὁ υἱὸς τ̃ γυναικὸς* Ἰσραηλίτιδος *τὸ ὄνομα. κατηράσατο.* Ubi eleganter, *ἐπονομάσας τὸ ὄνομα*, is dicitur, qui nomen tetragrammaton, ut ſcribitur, expreſſerat. Id cum viderent, nec intelligerent, gentiles, ignotum aut incertum Deum dixerunt, cujus cultui ac ſacris dedita gens Judæorum eſſet. Adde, quod *Eſaiæ* IX. verſ. 6. in admiranda illa de Dei Filio prophetia, *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, nomen ei פלא, *Phele*, tribuitur, & Deus fortis, quod eſt, Admirabilis. Atque id a פלא, *occultus fuit*. Quemadmodum & פלאי, *admirabile*, & *occultum*. Quod no- F men ſibi *Jud.* XIII. Angelus tribuit, qui nativitatem nunciat Samſonis, ut diſſimulet quod quærebatur: ipſum, nempe, nomen. Atque hinc פלוני, *Pheloni, ὁ δεῖνα*, cujus nomen non exprimitur. De quibus plura ille ipſe Heinſius dicturus eſt in opere *Animadverſionum ad novum Teſtamentum*, quod avide omnes exſpectamus. Sed manum de tabula. Conjecturam non unam expoſui. Quiſque eam ſequatur, quæ maxime arridebit. Si quis autem nullam probet, ſuam nobis conetur approbare. Quidquid ſit, Theologiam gentium non parum nos hac diſſertatione illuſtraſſe exiſtimamus.

---

## QUÆSTIO XIV.

*Quid ſentiendum de Diſtichis, quæ Catonis nomine vulgo circumferuntur?*

DECRESCENTE ſimul cum Imperio eruditione Romana, duo potiſſimum ſplendorem ejus afflixerunt. Nam & clariſſimorum hominum ſcripta, quæ priſcæ cordatæque elegantiæ omnis atque ſcientiæ faciem ſine fuco nobis potuiſſent repræſentare, &, niſi ſequuta eſſent tam maligna tempora, ſupereſſe poterant in omnium ſæculorum æternitatem, ſocordia ad tam præclara faſtidientium intercidere, & præterea etiam a ſemieruditis quibuſdam, ſubinde omnino barbaris & ineptis, quædam vetuſtis ſcriptoribus aſſuta, quæ non tantum antiquitate ipſa, ſed quovis, qui primordia tantum deguſtaſſet bonarum litterarum, plane erant indigna: adeo ut primæ anguſtæque eruditioni injuriam illatam ſolummodo poſſent teſtari. Quod adhuc quotidie experimur, & in maximos errores conjecit noſtra & patrum memoria primi nominis eruditos, qui & deteſtabili hoc fuco, & titulis, qui inania vocabula præferebant, & judiciis aliorum, qui non tam juſtam rationem, quam ſtuporem ſuum ſequuntur, miſere decepti, antiqua, bona, erudita credidere, quia oſtentabant nomen antiquitatis, quæ frivola, inepta, ex meris ſolœciſmis conflata, & diligenter excuſſa, cumque veteris ævi venuſtate comparata, tantum ejus deſiderium, & ejuſcemodi nugarum liberale tædium animis legentium poſſunt ingenerare. Si quis injurius in principis ſui majeſtatem, affingat ei litteras, quas ab eo non accepit, expiando ſceleri ſubjicere ſecuri debeat funeſtiſſimum caput, quid cum illis agendum cenſebimus, qui aliena & ſtolida affingunt illis, penes quorum monumenta ſtat principatus litterarum, ex quorum norma & loqui & ſilere debemus? Certe non effugient, quamdiu guſtus aliquis eruditionis, quin tanquam falſarii antiquitatis habeantur, & ſuppoſititia eorum ſcripta, tanquam adulterina, & abortus infelicium ingeniorum proſcribantur. Perſuadeant quod volent hominibus ſui ſimillimis, fungis meris & miſeræ juventutis ad imperitiam pedagogis, iis, qui antiquorum in ſcribendo ſimplicitate & venere ſunt imbuti, qui nihil temere credunt, & recto judicio ad legendos autores accedunt, nunquam palpum obtrudent. Aliter his catuli olent, aliter ſues. Non inſtitui omnia quæ huc faciunt recenſere. Actum enim agerem, cum pleraque communibus ſuffragiis exploſa jam ſint ex cavea eruditiorum. De Diſtichis moralibus, quæ Catoni olim, & noſtro ſæculo veteri alicui & Latiniſſimo autori a doctiſſimis viris adſcripta, nonnihil differendum ſuſcepi, ut hallucinationem, ne quid gravius dicam, ſecus judicantium candidis omnibus rerum æſtimatoribus ſemel approbarem. Intererit Reipubl. literariæ gnomologicum hoc poema loco, quem a maximis viris accepit, tanquam injuſtum poſſeſſorem, moveri, & ad infima fere barbarorum ſubſellia damnari. Mirabuntur, ſcio, multi ſententiam hanc & atrocem adeo & novam; ſed faxo ego ut hac diſſertatione omnibus, qui pertinaces eſſe nolent, veritatem ejus liquido exponam. De autore Diſtichorum variis jam olim ſententiis eſt certatum. Dio-

nyſium Catonem laudant Simeonis Boſii veteres membranæ, quas citat illuſtris Scaliger, quarum inſcriptio erat DIONYSII CATONIS DISTICHA DE MORIBUS AD FILIUM. In codice Melchioris Goldaſti ( de quo vide Cl. Barthium in *Adverſariis*, & *Animadverſionibus ad Claudianum*) Octavianus nominatur. Eſt penes me vetus liber in membrana exaratus, in cujus præfatione Gloſſematum autor de horum Diſtichorum ſcriptore agens meminit cujuſdam Tullii & Joannis Clothomii, hominum Chriſtianorum, quorum alibi, quod ſciam, mentio non exſtat. Verba ipſa apponam. Poſtquam de utroque Catone, Cenſorio & Uticenſi egiſſet gloſſator, atque neutrius eorum eſſe confirmaſſet: *Alii dicunt*, inquit, *quod Tullius, qui jam erat ad fidem converſus, hoc opus compoſuerit; ſed quia non audebat fateri nomen Chriſtiani, adſumſit nomen gentilis & fecit ſe Catonem appellari Alii vero dicunt, quod quidam vir religioſus ad inſtitutionem humanæ vitæ opus iſtud compoſuit. Quidam dicunt, quod Johannes Clothomius hoc opus conſcripſerit*. Satis mihi eſt gloſſas iſtas bona fide exhibuiſſe. Videant quid elicere poſſint eruditi. Baptiſta Pius, quem ſuis temporibus cymbalum inanis juventutis fuiſſe judicat Scaliger, Diſticha Catonis Auſonio adſignavit. Quod lib. II. *Auſoniarum lectionum* cap. XXXII. ſtrenue ridet atque exſibilat idem Scaliger. Nec ſine cauſa. Comminiſci enim non poſſum, quid Baptiſtam in hanc ſententiam impellere potuerit. Forſan ſub calcem codicis antiqui, qui Auſonii opera complectebatur, Diſticha hæc exarata invenit. Quemadmodum Sulpiciæ Satyra adverſus edictum Domitiani, de expellendis urbe philoſophis, aliaque aliena, eodem loco olim legebantur. Sed nemo mediocriter eruditorum ignorare poteſt, quomodo veteres librarii ejuſdem argumenti ſcripta uno volumine conjungere aſſueverint. Unde facile factum, ut poſtrema opuſcula, non expreſſis autorum nominibus, quemadmodum ea ſæpe in antiquis codicibus prætermitti ſcimus, prioris & potiſſimi operis ſcriptori ſint attributa. Vellem autem illuſtris Scaliger in ſua adverſus Pium diſſertatione, quam proxime indicavi, inter cæteras rationes, quibus probare nititur, & omnino probat, Auſonium auctorem non eſſe Diſtichorum, hanc prætermiſiſſet, quod Auſonius ſerio Chriſtianus fuerit. Diſticha autem hæc erroribus gentilium inſigniter ſint delibuta. Idque ait ex multis illius opuſculi partibus poſſe comprobari. Et in ſuis ad eadem Diſticha Animadverſionibus ethnicum gnomologum nominavit. Neſcio certe quare magno viro id viſum. Aliter ego ſentio, & omnino credo autorem fuiſſe Chriſtianum. Id jam olim perſuaſum ſatis apparet ex gloſſis antiquis, in quibus magnam Diſtichorum partem ex Libris ſacris, præſertim *Eccleſiaſte*, deſumptam eſſe, adductis teſtimoniis confirmatur. Noſtræ, quas jam laudavimus, auctorem Chriſtianum eſſe diſertim aſſeverant. Certe phraſiologiam ſacram ubique obſervamus. Statim inter monita, quæ in limine opuſculi leguntur: *Cum bonis ambula*. Ambulare hic converſari eſt, & ſic paſſim utitur vetus Sacri Codicis Interpres. Nec aliter lib. II. diſticho IX.

*Nolo putes pravos homines peccata lucrari,*
*Temporibus peccata latent, ſed tempore parent.*

*Lucrari peccata* hoc loco nihil eſt aliud, quam non tantum non pœnam, ſed etiam commodum atque emolumentum ex peccatis reportare. Quam phraſin Chriſtianam eſſe, quis non videt? Paſſim legas Chriſtum, fratres, cælum, lucrari. Primum diſtichorum,

*Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,*
*Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.*

A expreſſum ſine dubio ex verbis Servatoris noſtri: Πνεῦμα ὁ Θεὸς, ϗ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι ϗ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν. *Deus eſt ſpiritus, & adorantes eum in ſpiritu & veritate adorare oportet*. Præterea ſortilegia diſertim damnat author diſticho XXX. lib. II.

*Quid Deus intendat, noli perquirere ſorte,*
*Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe.*

Per ſortem hic intelligit κληρομάντειαν. Qua quemadmodum imprimis uſi ſunt pagani, ita omnino abſtinendum Chriſtiani ſemper cenſuere. Quod plurimis Conciliorum canonibus, & Pontificum decre-
B tis poteſt comprobari. Videantur, qui de ſortilegiis inter Chriſtianos ſcripſere. Somniorum etiam vanitas indicatur diſticho XXXII. ejuſdem libri:

*Somnia ne cures. Nam mens humana quod optat*
*Dum vigilans ſperat, per ſomnum cernit id ipſum.*

Sic quidem vulgo legitur. Mihi certum eſt, reſcribi oportere;

*Somnia ne cures. Nam mens humana quod optat*
*Dum vigilat, ſpectat per ſomnum ſemper id ipſum.*

C Sic commodus ſenſus erui poteſt, quem in vulgata lectione deſideramus. Pro *vigilans*, *vigilat* habet liber noſter MS. Jam autem in divinationibus ex ſomniis incredibile dictu eſt, quam ſuperſtitioſæ fuerint nationes. Paſſim ejus rei exempla atque teſtimonia occurrunt apud antiquos auctores, quæ ab aliis diligenter obſervata, hic repetere non eſt neceſſe. Porro quæ de non cædendis victimis non ſemel hic inculcat auctor, Chriſtianum eum fuiſſe, & a ſacrificiis gentium longe alieniſſimum ſatis probant. Sic diſticho XV. lib. IV.

D *Quum ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?*
*Stultitia eſt morte alterius ſperare ſalutem.*

Melius, purius non loqueretur ſummus aliquis fidei noſtræ conſultus. Nec aliter ſe habet diſtichon XXXIX. eodem lib.

*Thure Deum placa: vitulus ſine creſcat aratro:*
*Ne credas placare Deum, cum cæde litatur.*

Vellem legeretur, *Tute Deum placa*, hoc eſt, *Tu ipſe*. Et forſan ſic ſcripſit auctor. Sed nihil adſeverare audeo. Interea tamen thymiamata præſertim
E ex thure, in ſacris Chriſtianorum aliquando uſum habuiſſe, nullus ignorare poteſt, qui veteris Eccleſiæ ritum cognitione eſt inſtructus. Nemo autem hic exiſtimet, latere me, Pythagoram etiam, ejuſque ſectatores improbaſſe cædes victimarum. Sed dogmata eorum, inter reliqua gentilium Philoſophorum, quam maxime olim commendabant Chriſtiani. Quod neſcire non poſſunt, qui Patrum antiquorum ſeria lectione ingenium ſuum imbuere. Puto jam ſatis luculentis teſtimoniis a me probatum, aut omnino Chriſtianum, aut, ſi cui id nimium videatur, ſemi-Chriſtianum fuiſſe horum Di-
F ſtichorum conditorem. Semi-Chriſtianos voco, qui aut ad Chriſtianam fidem amplectendam haud leviter nutabant, aut ea arrepta, nondum plane exuerant omnem gentium ſuperſtitionem. Unde etiam factum, ut in veteri Eccleſia multi ritus fuerit uſurpati, qui a paganis derivati eorum ineptias adhuc redolebant. Quod ipſum pluribus hic excutere ſuperſedeo. Atqui, inquit Scaliger, multa in his Diſtichis erroribus gentilium delibuta continentur. Certe mihi omnia diligenter iterum & iterum evolventi nihil tale eſt compertum. An paganus eſt author, quia hominem prudentem imitari vult il-

lum Deum, qui partem utramque aspicit, id est, Janum? Profecto si valeat hæc ratio, pro paganis habendi sunt plerique Christianorum Poetarum, & nos ipsi, qui ejusmodi dicendi rationes quotidie usurpamus. An paganus est auctor, quia vult pareri Fortunæ? Quasi vero Fortunæ vocabulum commodo & recto sensu ex Christiano homine non possit audiri. Magnus Erasmus, ille nostras, scriptorem de quo agimus, a fide nostra aversum fuisse conatur ostendere ex disticho XIV. lib. III. quod ita habet;

*Uxorem fuge, ne ducas sub nomine dotis,*
*Nec retinere velis, si cœperit esse molesta.*

Ad quæ verba ita commentatur Erasmus: *Cave ne ducas uxorem dotis caussa. Et si duxeris dotatam, ne dotis respectu eam retineas, si tibi gravis sit: sed contempta dote repudies. Quanquam id apud Christianos non habet locum.* Certe simpliciter hoc vult: Noli dotis solius gratia uxorem ducere. Ne postea molestam tibi factam relinquere velis, & non possis. Quod nihil adversum fidei Christianæ habet. Fixum igitur esto, Christianum hunc authorem fuisse. Restat, ut videamus, sitne tam elegans, Latinum, accuratum gnomologicum hoc opusculum, ut volunt eruditi. Dixi tantum ab ea laude abesse, ut ad infima fere Barbarorum subsellia debeat damnari. Judicium id mihi extorsere continua tautologia, & tam dictionis, quam rerum & rationum, quæ adducuntur, ineptiæ. Tautologia passim occurrit. Idem dicitur distichis XVIII. lib. I. & XXVII. lib. IV. Nec aliter se habent XXII. lib. I. & IV. lib. II. XXIV. & XVIII. lib. II. Et quid opus est omnia ejuscemodi exempla hic a me coacervari? Diligens Lector ipse per se observabit. Satis mihi est indicasse. Id interea adseverare audeo, ex quatuor distichorum libellis, vix unum justi numeri superfuturum, si supervacuæ omnes eorundem monitorum repetitiones tollerentur. Nempe mos hic posterioris & insulsi ævi scriptorum fuit, ut non tam rerum, quam verborum copiam ostentarent. Ineptiæ partim in brevibus illis præceptis, quæ in limine leguntur, partim in singulorum librorum præfationibus, partim in ipsis distichis, hoc est, ubique, tam quoad res, quam quoad verba, dominantur. In sententiis præliminaribus mera confusio, merum chaos, nihil magnificum, nihil erectum. Atqui dicat aliquis, præcepta sunt, quæ ætatem puerorum decent, ad quos diriguntur. Fateor, pueros alloquitur, cum inquit, *Trocho lude*. Sed spectat ad maritum, *Conjugem ama*, ad patrem, *Liberos erudi*, ad judicem, *Patere legem, quam ipse tuleris*, ad militem, *Pugna pro patria*. Quæ qui a pueris præstanda existimat, næ ille ætates omnes confundit, & ipsum naturæ jus evertit. Mitto præcepta mutila & hiantia, & imperfecta, & parum Latina. Quæso, quid sibi vult postremum omnium, *Libenter ferto amorem?* Si hoc velit, *Gratum tibi sit ab aliis amari*, supervacuum est præceptum, quod quisque seipsum docet. Si autem intelligit, *Libenter ama*, Latinum vix erit, certe ambiguæ sententiæ, *ferre*, pro *deferre amorem*. Præfationes quod concernit, illa quæ præfixa lib. II. non video quomodo ad rem faciat. An non ineptirem, si amorem militiæ filio instillaturus sic ordirer. *Si gulæ tuæ prospectum voles, fili, lege Cælium Apicium, summum medicinæ adulatricis artificem. Si ad struendas ædes magnificas animum tuum appellere decreveris, ea evolve, quæ Vitruvius de architectura veterum consignavit. At vero si ad militiam te componas, consule Vegetium, Frontinum, aliosque, qui de militia & stratagematis veterum præclara multa prodidere.* A risu abstinere non possum, dum hæc scribo. Idem tamen Cato eo, quem dixi, loco egit. Cur *Georgicorum* Virgilii, *Botanologiæ* Macri, *Pharsalidos* Lucani, Nasonis *Amorum* mentionem facit, de cordatis vitæ morumque præceptis acturus? An non ineptus est versiculus eadem præfatione:

*Si quis amare velit, vel discere amare legendo.*

An non putidum est, ibidem versu antepenultimo legere:

*Ut sapiens vivas, audi quæ discere possis,*

Et ultimo versu idem repetere,

*Ergo ades, & quæ sit sapientia disce legendo.*

Reliquorum librorum præfationes non tam libros, quibus præfixæ sunt, quam totum opusculum concernunt. Quod non potest non reprehendere, qui solido judicio instructus ad legendum accedit. Jam autem in ipsis distichis quam multa sparsim occurrunt, quæ sine ratione prolata, quæ Latinas purgatasque aures merito offendere deberent. Omnia, quæ pro me stare video, jam referre, otium meum non patitur. Potiora si breviter excussero, quis judicio meo assensum non præbebit? Lib. I. dist. V.

*Si vitam inspicias hominum, si denique mores,*
*Cum culpas alios, nemo sine crimine vivit.*

Vix video, quid sibi velit. Sententia & constructio omnino est inepta. Nec aliter sentio de disticho XXV. ejusdem libri,

*Ne dubita, cum magna petas impendere parva;*
*His etenim rebus conjungit gratia caros.*

Ergo summum, si Diis placet, amicitiæ vinculum est, petere magna, & parva præstare. Disticho XXXIX. *labor in damno esse* dicitur, pro, laborari in damno resarciendo. Obscura est dicendi ratio. Et quis Latine sic loquitur? Disticho XI. lib. II. legitur,

*Cui scieris non esse parem te, tempore cede,*
*Victorem a victo superari sæpe videmus.*

Versiculus secundus nihil cum priori commune habet, cum tamen rationem ejus reddere velle videatur. Disticho XIV. ejusdem lib.

*Invidiam nimio cultu vitare memento,*

scio quid velit, nimio scilicet cultu invidiam non debere provocari: sed an non ita loquitur, ut contrarium facilius intelligi possit? Memento per nimium cultum invidiam vitare. Nescio quomodo concoquere hæc potuerint eruditi. Quam insulsus etiam versiculus prior dist. XXI.

*Noli tu quædam referenti credere semper.*

*quædam* hic stolide ponitur. Pro eo, *multum*, fuerat dicendum. Disticho XXI. quis ferat illud?

*Sit tibi præcipue, quod primum est, cura salutis.*

*Præcipue*, &, *quod primum est*, nunquid idem significant? Nec aliud videbis dist. VII. lib. III.

*Segnitiem fugito, quæ vitæ ignavia fertur.*

Asinina tautologia est. Quid putidius fingi potest, quam distichon V. lib. IV. si recte se habeat lectio vulgata:

*Dilige denarii, sed parce dilige, formam:*
*Quam nemo sanctus vel honestus captat ab ære.*

Quid est, *parce diligere denarii formam, eamque neminem sanctum vel honestum ab ære captare?* Scio vulgo sic exponi; Prudentis esse amare pecuniam, quoad usum; stulti vero esse & avari, pecuniam amare, ut forma ejus atque specie oculi tantum pascantur. Præclara quidem sententia, sed quomodo ea ex verbis distichi elici queat, nondum video. Forsan tamen stupor hic non tam auctori, quam descriptoribus debet imputari. Facile crediderim primitus ita scriptum fuisse:

*Dilige denarium, sed parce dilige. Famam*
*Nam nemo sanctus vel honestus captat ab ære.*

*Denarium* habent omnes libri Mss. etiam noster. Primus Scaliger restituit *denarii*, nempe formam,

non alia de caussa, quam quia secunda in *denarius* produci debet. Sed ea emendatione non est opus, *Denarium* hic trissyllabon est, per licentiam poeticæ contractionis. Cujusmodi exempla apud alios, etiam castigatissimos, auctores exstant. Quidquid sit, nihili est, quod vulgo legitur. Ut & quædam alia, quæ feliciter nuper eruditissimus Scriverius noster emendavit. Atque hæc e multis pauca. Cætera ingenio & judicio legentium remittimus, & satis nos pro sententia nostra dixisse existimamus. Non tamen inficias eo quædam, sed valde pauca, bona, acuta hoc opusculo exstare, quæ facile est a reliquis discernere, & credibile est multa talia antiquitus Catonis nomine fuisse evulgata, quæ jam periere. Et sic factum ut ejus meminerit vetus scriptor Vindicianus, Comes Archiatrorum, in Epistola ad Imperatorem Valentinianum, ubi ait, quendam oculorum rheumate laborantem, flentem, & gementem illud Catonis sæpe repetiisse,

*Corporis auxilium medico committe fideli.*

Vulgo, sed male, pro *auxilium*, *exigua*, legitur. Et Catonis sententias in ore omnium fuisse, vel sola Sulpiciæ Satyra testari potest, in qua inter alia dicitur,

*Quos inter prisci sententia dia Catonis.*

Crediderim uno libello eas olim fuisse comprehensas. Sed postea inepti homines, cum quæ bona non æstimarent, quia non didicerant, quæ bona more suo corrupere, substituentes sua, meras febres & oscitationes: quod hac extemporanea dissertatione indicandum censuimus. Si cui tamen secus videatur, judicium per me quidem integrum ipsi esto. Aliorum enim insaniam tollere non possum, sed volui castigare.

---

## QUÆSTIO XV.

*Quid sibi vult usitatum illud apud Romanos & narratum Senecæ proverbium*; Aut Regem, aut fatuum nasci oportere?

INTER ea, quæ ex antiquorum monumentis salsa & ingeniosa dicacitate se commendant, Senecæ *Apocolocynthosi*, sive ludo in mortem Claudii Cæsaris merito primas deferimus. Enimvero quidquid satyricæ venustatis sub acumen styli venire potest, in eo opusculo sine exemplo dominatur. At, quod inprimis est dolendum, magna sui parte, vitio & imperitia descriptorum, non modo fœdissimis mendis passim conspurcatum, sed mutilum etiam & imperfectum ad nos pervenit. Nec enim ventrem tantum trahit, ut sentiunt eruditi, sed & finem deesse semper mihi visum fuit. Titulus enim ipse facile persuadet sub calcem libelli id egisse Senecam, ut falsee ostenderet tandem Claudium ab imposita primitus pœna, ut scilicet alea luderet pertuso fritillo, liberatum, & ob vastum, tremulum atque funginum caput inter cucurbitas fuisse relatum. Quippe alias frustra libelli inscriptio a colocynthide, sive agresti cucurbita fuisset desumpta, quod miror non observatum eruditis. Sed de eo alibi erit dicendi locus. In præsens enim id modo agere institui, ut mentem proverbii exponam, quod plenum reconditæ sapientiæ ibi exstat, &c, ut multa alia, hactenus, quod sciam intellectum non fuit. Verba Senecæ statim in principio sunt: *Ego scio me liberum factum, ex quo diem suum obiit ille, qui verum proverbium fecerat; Aut Regem, aut fatuum nasci oportere.* Beatus Rhenanus, qui primus lepidissimum hunc libellum, scholiis suis illustratum, in lucem exire jussit, ita hujus adagii verba & mentem excepit, ut regum vecordiam, & adsentationes, quibus vitia sua quotidie ali patiuntur, putet taxari. Nec aliter magno illi Desiderio Erasmo, quem Bataviæ nostræ deberi merito gloriamur, visum fuit in augusto illo *Adagiorum* opere, quod penum omnis rectæ & cordatæ eruditionis appellare soleo. In quo tamen subinde humani aliquid passus fuit. Quo nomine qui magnitudini doctrinæ ejus, & ingenii aliquid detractum volunt, næ illi canes se magis, quam homines ostendunt. Quod meum de iis judicium erumpens animo adversus maleferiatorum quorumdam latratus indignatio extorquet. Ego ut in præsens a tanto viro dissentire debui, ita in cæteris majestatem famæ ejus atque existimationis statui religiosissime venerari. Itaque illud nunc agamus. *Aut Regem aut fatuum nasci oportere* nihil aliud, meo quidem judicio, significat, quam interesse Reipub. ut jure naturalis successionis admovendus imperio & præficiendus summæ rerum aut exquisitæ virtutis, aut, si ab ea destituatur, summæ sit stoliditatis. Qui illam ad principatum confert, magna Reipub. bona procurat, qui hanc, ut non magna bona, ita etiam non magna mala inferre potest. Ille regere potest, & bene regit; hic regere non potest, & proinde ne quidem male regit: dum nomine quidem princeps est, & imperator; reapse autem se suaque aliis necessario relinquit. Adeo ut mediocris virtutis & sapientiæ Reges hoc adagio excludantur. Nec sine caussa id censuere antiqui, si diligenter omnia perpendamus. Quippe qui mediocritate ingenii tantum sunt instructi, necessario aliquid insaniæ conjunctum habent, quæ in summæ sapientiæ defectu consistit. Ex ejusmodi autem mediocritate ut aut parva aut nulla bona, ita semper maxima mala in summam rerum solent concitari. Cum enim bona maxima ex maxima ingenii promptitudine & dexteritate nascantur, profecto ea referri neutiquam possunt ab illis, qui ab illa ingenii consummata virtute maxima ex parte destituuntur. Et cum summa mala excitentur per insipientiam, cui admixtum aliquid rationis, necessario sequitur, & experientia omnium temporum confirmatur, gravissima in Respub. damna derivari per eos, qui in imperandi artibus mediocres sunt, id est, nec toti, ita ut par est, sapiunt, nec toti insaniunt. Insania enim in talibus potens redditur particula rationis. Insania vero, quæ æstu aliquo & calliditate armata est, immane dictu quam atrociter soleat grassari. Multis exemplis non est opus, nec ibo extra Rempub. Romanam. Plurimum Nero & Domitianus æternæ urbis imperio nocuere, Claudius autem parum. Illi enim ut reges, id est, veris omnibus imperatoriis virtutibus ornati non erant, ita non omnino desipiebant, hic autem animo obtinebat omnem stultitiæ principatum. Verum igitur proverbium, dicente Seneca, extrema insania sua Claudius fecerat, *Aut Regem, aut fatuum nasci oportere.*

---

## QUÆSTIO XVI.

*Cur nomina in sacris Romanorum usurpata tam longe abiere a communi ratione & analogia loquendi?*

DISQUISITIONE dignissimum semper mihi visum fuit, quam ob caussam nomina in sa-

cris solemniter usitata apud Romanos, a vulgata A loquendi ratione, & ipsius linguæ communi analogia tantopere distarent. Quæstionem hanc sic movet Arnobius libro septimo *adversus Gentes*: *Quid sibi reliqua hæc volunt magorum cohærentia disciplinis, quæ in sacrorum reconditis legibus pontificalia restituere mysteria, & rebus inseruere divinis? Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexabo, isicia, silicernia, longano? quæ sunt nomina & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? Quid tædæ? quid teniæ? quid offæ? non vulgi, sed quibus est nomen appellatioque pœnitæ? Quid polimina? quid omenta? quid palasea, sive (ut quidam nominant) plasea? ex quibus est omenti pars quædam, quo receptacula ventrium circumretita finiuntur. Bovis cauda est plasea, siligine & sanguine delibuta. Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus, a vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari. Quid fritilla, quid frumen, quid afritia, quid gratilla, catumeum, consposium, cubula? ex quibus duo, quæ prima sunt, pultum nomina, sed genere & qualitate diversa? Series vero, quæ sequitur, liborum significantia continet: & ipsis non est una eademque formatio. Non enim placet carnem strebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur, pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt, animata prius & torrefacta carbonibus: non salsamina denique, quæ sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus. Non magmenta, non augmina, non mille species, velamen sanguinum, vel fritillarum quibus nomina indidistis obscura, vulgoque ut essent augustiora fecistis.* Apud Festum, Servium, aliosque ejuscemodi scriptores infinita talia sacrorum vocabulorum portenta leguntur. In caussam autem hujus instituti mihi accurate inquirenti hæc videtur, quod simul cum sacris antiquis, antiquas etiam dicendi formulas in cultu sacrorum usitatas, relligiose observandas retinendasque Romani existimaverint. Quemadmodum & veterrimam sacræ supellectilis formam, sacrarum etiam vestium modum, jam inde a priscis Latinis derivatum, nunquam immutari voluere. Enimvero ita judicabant, quod semel sacrum fuit, semper esse oportere, & si vel levissimum quid in relligiosis formulis mutetur, facillime omnem sacrorum rationem everti atque conturbari. Quippe ad augendam in animis populi religionis venerationem nihil magis facit, quam si primos ejus ritus, formulas, instituta eodem semper modo exerceri patiamur. Ubi enim vel minimum quid intervertitur, de toto sacrorum cultu mox dubitatur. Quam dubitationem necessario neglectus & contemptus religionis consequitur. Sacrorum igitur primævi ritus, & proinde etiam dicendi formulæ nulla ex parte corrigi debebant. Et sit factum, ut expolita in cæteris emendataque analogia sermonis Romani, in sacris nominibus locum habere non potuerit. Ad quod præterea accedit, censuisse antistites sacrorum, incognitis ejusmodi & a vulgari usu remotis vocabulis majestatem religionis promoveri, & in populi animis majorem ejus cultum excitari. Quidquid enim non satis intelligimus, majus quam est ut plurimum cogitamus.

B C D E F

## QUÆSTIO XVII.

*Cur secures & fasces consulibus atque prætoribus præferebantur?*

QUID si indicium hoc fuerit summæ potestatis, cui in suos jus vitæ erat, & necis? Formula medicorum vetus est, URE ET SECA, atque ab iis ad Reipub. administrationem, quatenus in distributione pœnarum versatur, non sine ratione accommodata. Jam autem hoc per secures, illud per fasces potuerit designari. Et cum pœnæ sint duum generum, quædam capitales in extremis, quædam multo leniores, in minoribus delictis; illæ per fasces, quibus terga cædebantur, hæ per secures, quibus caput amputabatur, non male olim fuerint indicatæ.

## QUÆSTIO XVIII.

*Cur annos suos per consules numerabant Romani?*

AN quia memorabilis ille magistratus, cui auspicium libertatis post reges exactos debebatur? Numerant autem pleræque gentes a re maxime insigni ad memoriam ejus conservandam. An quia anni ab urbe condita ignorabantur? Nec enim in iis accurate colligendis certi quid statuendum habebant. Quamobrem & variis olim sententiis certatum. Quod non mirandum in initiis adeo vel fabulosis vel obscuris. Fateor quosdam veterum annos ab Urbe condita supputare. Quod etiam videre est in antiqua lapidis inscriptione, quæ Romæ legitur:

PRAESENTIAE
MATRIS. DEVM
P. SEPTIMIVS. FELIX
OB. CORONAM
MILLESIMI
VRBIS. ANNI

Ubi per *coronam millesimi anni* non nisi periodum mille annorum auctor voluit designare. At vero hæc Chronologiæ ratio valde incerta erat, & tantum conjecturis eruditorum, diversa fere sentientium, innitebatur. Acta autem & edicta publica cum veris constantibusque annis probari deberent, nominibus consulum, mutuo sese excipientium, tanquam annorum indiciis, in omnium temporum indubitatam memoriam notari confirmarique voluerunt.

## QUÆSTIO XIX.

*Quare Romani initia sua ad pastores referre voluerunt?*

ORIGINEM æternæ urbis, prout eam nobis auctores prodidere, maxima ex parte fabulosam esse, ut olim ipsis Romanis creditum, ita hodie in dubium vocari non debet. Singulis tamen subest sua ratio. Pastorum traduces se esse forsan ideo finxerunt, quod Respub. pleræque & civitates a pastoribus agrestibusque primum fuerint constitutæ. Antiquissimi enim mortales, agriculturæ potissimum addicti, & proinde rudes ante atque vagi, civilis societatis, mutuique præsidii caussa, in unum convenere. Et sic civitates natæ. Omnium enim interfuit, ut singuli convenirent, & singulorum interfuit, ut uno in loco unius simul & omni-

A omnium id esset, quod antea dispersum habebatur. Nisi forsan alicui verius videatur, quod virtutem suam atque felicitatem hoc figmento magis voluerint commendare. Quippe inusitati exempli est, ex tam humilibus abjectisque initiis, ad tantam majestatem, ex casis & tuguriis pastorum ad totius terrarum orbis principatum Romanos potuisse eluctari. Qui ex magnis ortus majorem se non facit, ludibrium; qui licet ex parvis prodierit, maximos tamen gloria rerum vicit, stuporem sui merito omnibus imponit.

---

## QUÆSTIO XX.

*Cur dicitur Romulus a lupa educatus, inter Deos post mortem habitus, & Quirini cognomentum in cœlo adeptus?*

QUID si nutricem ejus lupam ideo tradiderint, ut miraculum in ipso imperii conditore præter spem omnem exhibitum, majestatem gentis augeret? Ubi enim illud est; Deus creditur; & ubi Deus, nemo imperium aversatur. An vero ardens & ferox Romuli ingenium hac fabula fuit denotatum? quod de ipso scriptores omnes testantur. Quam ob caussam etiam factum crediderim, quod notat Varro, ut in sepulchrali monumento, quod ante rostra positum Romulo fuit, duorum leonum imagines fuerint collocatæ. Adeo ut ex poetica loquendi ratione hoc omne sit natum. Solent enim dicere Poetæ, quotiens de eo agunt, qui ferocia ingenii præstabat, eum aut ad lupæ, aut leænæ, aut tygridis ubera fuisse admotum. Quemadmodum & ejuscemodi homines in ejus generis animantia commutatos legimus in iis antiquorum fabulis, quibus metamorphoses narrantur. Ideo autem forsan post mortem consecratus Romulus, ut major imperio auctoritas constaret, primo ejus conditore in consortium Deorum adscito. Ex auctoribus enim facta plerumque sive magnifice, sive leviter æstimamus. Nomen vero Romuli in Quirini idcirco crediderim commutatum, quod persuasum fuerit antiquis, aliam hominum linguam esse, aliam Deorum. Quippe indignum cœlo & Diis videbatur, vocabula humana usurpare. Sic Homerus, omnis veterum sapientiæ consultus, fluvium ab hominibus Scamandrum dictum, a Diis Xanthum, avvem ab hominibusCymindin, a Diis Chalcidem statuit appellari.

---

## QUÆSTIO XXI.

*Quare natali, cum Genio litarent, ab hostiis abstinuerunt, mero autem & pulte sacrificia fecerunt?*

AN, ut Varro testatur in eo libro, cui titulus est ATTICUS, atque ex eo Censorinus, id moris institutique veteres tenuerunt, ut, cum die natali munus annale Genio solverent, manum a cæde ac sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent? Vino autem sacra fecere, quia illud facit ad promovendam hilaritatem. Natura enim innatum lætari ob id ipsum, quod sumus, dolere autem, cum perimus. An non puls, quam fritillam nominabant, ideo adhibita, quod primum natis illa præstet alimentum? Vix dubitamus.

## QUÆSTIO XXII.

*Cur perpetuum ignem, & Palladis simulachrum in templo Vestæ, tanquam imperii pignora, habuere?*

FORSAN ignis perpetuus, vigilantiæ cujusdam infinitæ, & Palladis imago, civilis sapientiæ fuerit documentum. Utraque autem virtus illa magna imperia & constituit, & conservat. Sed & æternitas imperii non obscure indicatur, quam ut votis omnes petimus, ita tantum sapientiæ beneficio obtinemus.

B

---

## QUÆSTIO XXIII.

*Cur fœminis per Herculem jurare non licebat?*

AN quia fœminis iratum Herculis numen credebatur? Cujus rei caussam & historiam sic refert Macrobius; *Mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse: quia Herculi, cum boves Geryonis per Italiæ agros duceret, sitienti respondit mulier, aquam se non posse præstare, quod fœminarum Deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset: propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est.* Num vero, quia uxoris suæ insidiis Hercules est circumventus? An potius, quod indignum visum fuerit, imbellem & infirmum sexum ad terrarum domitoris & invicti Herculis vim ac numen provocare? Magna enim & excelsia tantum Herculem decere existimabant. Ita illustris illa Fabiorum familia, quæ tot virtutum prodigia Reipub. Romanæ dedit, Herculi peculiariter olim sacrata fuit. Facit huc etiam, quod Juvenalis Satyr. III. *Verba Herculis* dixerit, sermonem masculum, plenum virtutis, & cordatum. Qualis ab imbecilli illo sexu expectari non potest. Nec aliter Cynici, severi admodum instituti, sectæ suæ principia ad Herculem retulere.

C D

---

## QUÆSTIO XXIV.

*Cur mortuo, priusquam efferretur, digitus abscindebatur?*

AN vera est ratio, quam adducit Festus, ideo nimirum hoc institutum, ut absumpto cadavere ad digitum servatum sacra fierent, quotiens memoriam defuncti recolere vellent? Verba ejus sunt: *Membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur, ad quem servatum justa fierent, reliquo corpore combusto.* Quid si aliud latere existimemus? Ut indicatum fuerit, quam ægerrime superstites a defuncto amico fuisse divulsos. Adeo ut inter mortui oscula, & arctissimos amplexus digitus trahentem & tenentem amicum fuerit sequutus. Nisi potius digito abscisso & asservato constans etiam post mortem amoris fides fuerit denotata. Manu enim amicitiam signamus, manu porrecta confirmamus.

E F

---

## QUÆSTIO XXV.


*Quomodo cineres cadaveris a cineribus lignorum, aliorumque, quæ in pyram conjiciebantur, dignosci potuere?*

QUÆSTIO hæc dignissima mihi semper visa, quæ semel accurate excuteretur. Quippe fieri

non potuisse videtur, ut cadaveris cineres cineribus lignorum non commiscerentur. Si autem inter se commixtos statuamus, quo pacto discerni & dignosci potuere? Operæ vero pretium est hoc loco referre, quæ diligentissimus Kirchmannus in hanc rem collegit & sentit lib. III. *de funeribus Romanorum*, cap. VII. *Sunt*, inquit, *qui tunicas factas existimant e lino quodam Indico, quod exuri minime potuerit, atque iis operta cremandorum corpora, ut ita illorum favilla ac ossa a reliquis cineribus separarentur*. Ad istam opinionem stabiliendam abutuntur auctoritate Plinii, qui libro XIX. cap. I. de hoc lino sic loquitur: *Inventum est etiam quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas sordibus exustis splendentes magis, quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo separant cinere*. Sed hos raritas hujus lini & pretium facile refutaverit: ut mittam, quod Plinio non de Romanis sermo, sed de iis gentibus, apud quas illud linum nascebatur, quarum reges tantum eo sint usi. Nugis etiam similiora, quæ alii de Amiantho lapide comminiscuntur, cujus sententiæ cum nullum veteris scriptoris testimonium afferant, assensum illis accommodare minime possum, sed potius cum clarissimo Viro Is. Casaubono ita sentio, cadaver cremandum sic in pyra fuisse collocatum, ut cineres & ossa separata manerent, neque aut ligni cineribus aut animantium, quæ simul cremabantur, ossibus commiscerentur; atque ita ex situ & collocatione cadaveris facultatem fuisse discernendi cineres ac ossa. Cujus opinionis fundum habemus Q. Smyrnæum in *descriptione funeris Achillei*, lib II.

> Δὴ τότε πυρκαϊὴν οἴνῳ σβέσαν, ὀστέα δ' αὐτοῦ
> Φαίνετ' ἀριφραδέως, ἐπεὶ οὐχ ἑτέροισιν ὁμοῖα
> Ἦν, ἀλλ' οἷα γίγαντος ἀτειρέος. οὐδὲ μὲν ἄλλα
> Σὺν κείνοις ἐμέμικτο. ἐπεὶ βόες ἠδὲ καὶ ἵπποι
> Καὶ παῖδες Τρώων μίγδα κταμένοισι καὶ ἄλλοις
> Βαιὸν ἄπωθε κέοντο περὶ νέκυν. ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις
> Ῥιπῇ ὑφ' Ἡφαίστοιο δεδμημένος οἶος ἔκειτο.

Hoc igitur modo positi in rogo cadaveris ossa, quæ supererant *μετὰ τὴν τοῦ πυρὸς μάρανσιν* colligebantur: & quicquid cinerum inde decuti atque detergeri potuit in urnam conditum existimo: nam alias omnes cineres combusti corporis distingui situ potuisse ab iis, qui e lignis nascebantur, vero non est simile. Et ita quidem Kirchmannus. Pro cujus & incomparabilis Casauboni sententia nonnihil superaddam. Primo quidem rogum a cadavere distinctum fuisse disertim indicat Servius ad lib. III. *Aeneid. Apparatus*, inquit, *mortuorum funus dici solet, exstructio lignorum rogus, subjectio ignis pyra, crematio cadaveris bustum, locus ustrina, operis constructio sepulchrum, nomen inscriptum monumentum*. Igitur rogus, & crematio cadaveris omnino erant diversa. Tres enim hic ordines observare mihi videor. Primus erat, cupressorum, quæ ustrinam circumdabant, & incendebantur ad tollendum fœtorem cadaveris, quod cremabatur. *Varro dicit*, (laudante Servio ad lib. VI. *Aeneidos*) *pyras ideo cupresso circumdari solitas propter gravem ustrinæ odorem, ne eo circumveniatur populi circumstantis corona*. Secundus erat rogi, qui forma quadrata, ex vario lignorum genere, addita pice, connexus erectusque, & a cadavere ipso nonnihil distans, incendebatur. Tertius erat cadaveris, quod vi & æstu flammæ circumlambentis haud difficulter in cineres resolvebatur. Nos sic aliquando rudi forma rem totam delineavimus.




Non abnuerim interea facile fieri potuisse, ut & cypressorum ramuli, & rogi partes quædam subinde super cadaver conciderent. Sed in eam rem adhibiti custodes, qui id, quam maxime fieri poterat, uncis hamisque prævenirent. Ejuscemodi custodum meminit Lucanus lib. VIII.

> *Sic fatus, parvos juvenis procul adspicit ignes,*
> *Corpus, vile suis, nullo custode cremantes.*

Miror de his non cogitasse illos, qui totum funeris Romani apparatum ætate nostra singulari industria exhibuere. Si enim illi adhibiti fuerint, quemadmodum adhibitos jam probasse nos existimamus, pauci admodum lignorum cineres cum cineribus cadaverum commisceri potuere. Et sic nobilissimæ huic controversiæ omnino satisfactum arbitramur.

## QUÆSTIO XXVI.

*Cur nova nupta* flammeo *tegitur? a* pronubis, *quæ semel tantum nupsere, deducitur?* senis crinibus *ornatur? quasi* rapi *videtur? Cur denique in* pelle lanata *decumbit?*

NIHIL obstare video, quo minus mortualibus nonnulla de nuptiarum ritibus subjungam. Accurato enim ordine non est opus, dum sparsim locum suum hic habet, quidquid Romanam antiquitatem concernit. De *flammeo* verum haud dubie est, quod dicit Festus, ideo nubentem eo ornatam fuisse, quod Flaminica, id est, Flaminis uxor eo assidue uteretur. Jam autem divortium inter Flaminem & Flaminicam nunquam interveniebat. Adeo ut flammeum quasi omen fuerit indissolubilis nexus, & individuæ cujusdam societatis.

De *pronubis* idem Festus: *Pronubæ adhibebantur nuptiis, quæ semel nupserant, matrimonii perpetuitatem auspicantes*. Igitur boni ominis caussa hoc institutum; futurum nempe existimabant, ut nuptias contrahentes, exemplo pronubarum, aut unius tantum viri uxores, aut unius uxoris viri essent. A secundis enim nuptiis plerique abhorrebant.

De *senis crinibus* mentionem facit idem Grammaticus: *Senis*, inquit, *crinibus nubentes ornantur, quod is ornatus vetustissimus fuit. Quidam quod eo Vestales Virgines ornentur, quarum castitatem viris suis sponsæ spondeant*. Ita enim supplendus est mutilus hic locus, ut quivis videt. Porro antiquitatis omnis unicus vindex Scaliger in *Animadversionibus suis ad Festum*, *senos crines* dici putat in capite matronæ Romanæ sex sertas crinium, vitta & crinibus ipsis implexas, quas vulgus *tricias* vocant, Belgæ *tuitas* appellant. Et eo adducit locum Martialis;

> *Portabat uxor rufa crinibus septem.*

A Ubi nihil aliud significari putat, quam capillos in septem sertas distinctos. Sed vereor ne fallatur Scaliger. Quomodo enim proprius nuptiarum hic ornatus fuerit, si aliæ matronæ promiscue eo usi fuerint? Hoc autem verum esse, & multis veterum scriptorum testimoniis, & nummis aliquot Romanis posset comprobari. Proinde suspicari cœpi, an non *Senis* hic positum sit, secundo sive gignendi casu. Ut mens Festi sit, Senis alicujus, sive canis capillis novæ nuptæ caput fuisse exornatum. Senis vero capilli indicaverint longævitatem. Sed sufflaminanda est licentia ingenii, cui forsan nimis indulgemus. De quo judicent eruditi.

B De *simulato raptu* virginis agit ipse ille Festus in *Rapi*: *Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur. Quod videlicet ea res feliciter Romulo cesserit.* Igitur hoc factum ad exemplum primarum matrum, quæ ludis solemnibus raptæ, & sic viris Romanis junctæ fuere. Ni verius sit, quod hoc ritu virgines ostendere voluerint, quam invitæ virginitatis suæ jacturam, legitimo licet conjugio, subirent.

De *pelle lanata*, ejusque ritus caussa sic scribit idem author: *In pelle lanata nova nupta considere solet, vel propter morem vetustum, quia antiquitus homines pellibus erant induti, vel quod testetur lani-* C *ficii officium se præstituram viro.* Eam ob caussam ad fores sponsi etiam lana suspendebatur. Lanam enim facere, proprium fœminarum.

## QUÆSTIO XXVII.

*Quid sibi vult* Venus barbata *apud Romanos?*

QUID si ideo hoc institutum, quod utriusque D sexus Venerem esse existimarent? De quo supra nonnihil me dixisse memini. An vero hoc in caussa est, quod refert Suidas? Veneris statuam ideo effingi solitam cum pectine & barba, quod Romanas aliquando fœminas horrendus quidam pruritus invaserit, quem Græce Κνήφην vocant: quo morbo cum pili deciderent omnes, pectinum non erat usus. Sic factum, ut tam deformi & invenusto morbo plurimum fœminæ angerentur. Sic vota ad Venerem contulere, subsidium ejus implorantes. Et mox pili iterum succrevere. Proinde gratitudinis & religionis ergo, Deæ Veneris imagini & pectinem & barbam addidere. E Notat Lilius Gyraldus, ubi hujus rei mentionem facit in illo infinitæ diligentiæ & eruditionis opere Historiæ Deorum, Syntagmate XII. suo tempore similem morbum fuisse grassatum, ex Venerea contagione natum, quo tam mares, quam fœminæ, toto corpore glabri & depiles reddebantur. Forsan etiam barbatam Venerem Romani coluere, quod masculæ prolis desiderio imprimis tenerentur: qua maxime opus habebant, partim quia virorum plerique ferro jam ceciderant, partim quia multa adhuc gravissimaque bella restabant, ad quæ feliciter gerenda mares requirebantur.

## QUÆSTIO XXVIII.

*Cur in aleæ lusu jactus damnosus canis, felix autem Veneris dicebatur?*

NEMO in antiquitate Romana versatus nescire potest, ab aleatoribus jactum felicem Veneris, infelicem canis habuisse cognomentum. An ille Veneris dictus, quia ad Æneam originem gentis suæ referebant Romani? Suam autem Æneas a Venere derivabat, quemadmodum Maro, aliique prodidere. An quia Venus hominum, ut ille loquitur, Divumque voluptas, ejusque nomine quidquid gratum esset acceptumque veniebat? Hic autem canis dictus, quod ejus animalis instar bona ludentis & opes arroderet? Num vero quia canes Diis inferis sacri sunt? Nisi potius credendum sit, Romanos canes fuisse exsecratos ob Capitolium negligentia eorum fere a Gallis Senonibus expugnatum. Captum enim haud dubie fuisset, nisi, illis dormientibus, clangore anserum Romani fuissent excitati. Quæ historia nota est, & proinde pluribus hic inseri non debet.

## QUÆSTIO XXIX.

*Quare Saturnalia mense Decembri celebrata, iisque durantibus libertas servis concessa? quare etiam servus eodem curru, quo triumphator, vectus fuit?*

DECEMBRI mense festos Saturnaliorum dies celebratos fuisse vel unus Senecæ lepidissimus jocus ostenderit. Dicit ille in *Apocolocynthosi*, sive Satyra in mortem & apotheosin Claudii, stolidissimi Cæsarum, eum toto anno unum mensem celebrasse; nempe Decembrem. Saturnalia enim, optimi dierum, in eum incidebant. Quo tempore epulis omnes & poculis vacabant. Quod tota vita sua egit Claudius; etiamsi annos quinquaginta cum eo febris habitaverit, ut idem author disertim testatur. Placuit ne December mensis, ut laborem & finem omni festivitate aliqua coronarent? An per delitias transigendum tempus putavere, cum illud continuo exspirare, nec dies, qui fuerant, redonari viderent? An quia brumam potissimum pocula decent? Unde Horatius Oda IX. lib. I.

*Vides, ut alta stet nive candidum*
*Soracte, nec jam sustineant onus*
*Silvæ laborantes; geluque*
*Flumina constiterint acuto?*
*Dissolve frigus, ligna super foco*
*Large reponens: atque benignius*
*Deprome quadrimum Sabina,*
*O Thaliarche, merum diota.*

Servis autem libertas ad id tempus concessa, vel ut nonnihil a labore respirarent, & ad cætera alacriores redderentur; vel ut monerentur domini instabilis Fortunæ, fieri nimirum posse, ut, forte & necessitate temporum ita ferente, ex dominis servi, ex servis domini rederentur. Quam ob caussam in curru triumphali servus etiam considere solebat. Juvenalis Satyr. X.

*& sibi Consul*
*Ne placeat, curru servus portatur eodem.*

F In quam rem faciunt verba doctissimi Latinorum Patrum, sed molestæ dictionis, Tertulliani: *Hominem se esse*, inquit, *etiam triumphans in sublimissimo illo curru admonetur. Suggeritur enim a tergo:* RESPICE POST TE. HOMINEM MEMENTO TE ETIAM. *Utique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, ut illi admonitio conditionis suæ sit necessaria.*

## QUÆSTIO XXX.

*Cur Feciales lana & verbenis ornati?*

LANA capita Fecialium velata fuisse docet Livius lib. I. *Legatus*, inquit, *ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen erat)* &c. Virgilius tamen lini meminit lib. XII. *Aeneid.*

*Velati lino, & Verbenis tempora cincti.*

Qua de re & controversia Clarum Sylvium ad leges Regias differentem hic audiamus. Ait autem ille; Servium dicere Virgilium contrarium religioni Fecialium scripsisse: nam oratores illi numquam lineis vestibus utebantur. Eum fefellit velamenti ratio, quo putabat totum corpus utpote veste operiri. Sed hoc de apice accipiendum est, qui facer a Varrone dicitur, ex quo amenta pendebant infra mentum, eaque dicuntur offendices quod se mutuo offenderent & convenirent: sed hoc licet errorem arguat Servii, non tamen difficultatem explicat. Nam Livius non lino, sed filo lanæ Fecialis caput revinctum esse ait: & ex Servio liquet & ex Capro & Ignio antiquis auctoribus legatos istos abstinuisse a lino. Verum ideo Poeta lino velatos fingit, ut quum huic rei agendæ per Feciales denegetur exitus, detur etiam infirmum principium, inquit Servius. Paulo post ait eos auctores scripsisse Virgilium censuisse non lino, sed linio, quæ vestis erat, indutos fuisse legatos. Melius emendasset velati lana, non lino, ut vetus consuetudo notaretur. Ex lino fit muliebre potius vestimentum, quam virile. Idcirco res bellicas gerentibus haud convenit. Plinius XIX. cap. I. lana decet virum ut durior & fortior, deinde Diis gratior lino, quum illa ex animali hostia detrahatur in prima sacrificii libamina, ut patet ex cap. quæ quoque ad imaginem humani corporis, ex quo vivente capilli abrasi, ad placandos deos libari consueverant, eos maxime, qui generationis & augmentationis essent auctores, ut Tzetzes docet in Hesiodum. At linum ex terra est nullo sensu præditum in quo possit esse quædam animæ species, (qua sola dæmones delectari dicuntur) sed tantum vegetativa, quæ neque sanguinem, neque vim sanguinis habet. Eos autem oratores fingit verbenis coronatos, ut antiquum ritum exprimeret. Herba erat quam vocabant sangmina, eamque ferebant ne quis eos violaret, l. 8. §. I. ff. *de rer. div.* Servius ibidem; *verbena*, inquit, *proprie est herba sacra sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales & pater patratus fœdera facturi & bella indicturi.* Eadem etiam gramen appellatur, cui tantum honorem veteres tribuere, ut nulli unquam Senatus gramineam coronam decreverit, nisi in suprema desperatione, nullique contigit, nisi ab universo exercitu servato, servatori decreta (inquit Plinius lib. XXII. cap. IV.) unde eodem libro cap. III. *Corona quidem* (ait) *nulla fuit graminea nobilior in Majestate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ gemmatæ, aureæ, vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales post hanc fuere.* Atqui unde fit ut tantus honos & tanta auctoritas surdis & ignobilibus rebus, utpote herbis, perhibeatur? Verum hoc non vim herbæ demonstrat, sed symbolum tuendæ Majestatis, in cujus conservatione salus est Reip. Nam ex arce gramen simul cum sua terra evellebatur, in quo est nota patrii soli, in quo nutriti & educati sumus, & in quo est quoddam principium nostræ originis; tum etiam initium quoddam humationis & sepulcri. Nam ut ex ea terra nostri corporis substantia quodammodo coaluit, sic in eam dissolvenda est, ita ut mutui lex servetur reddendo non idem numero quod acceptum est, sed idem genus l. 2. §. *mutui ff. de reb. cred.* hinc sumpta parœmia qua victus herbam victori porrigit, eo signo fatens se totum dedere arbitrio victoris, eique cedere vitæ amorem & mortis honorem: quod sic Plinius docte notat ibid. *Namque summum apud antiquos signum victoriæ erat herbam porrigere victos, hoc est, terra & altrice ipsa humo & humatione cedere: quem morem etiam nunc durare apud Germanos scio.* Hæc salutis & mortis ratio apud omnes gentes observatur, non tamen sub eodem ritu & signo, soli Romani hoc argumento usi sunt ad conservandam tutelam Majestatis suæ, ne bello lacessantur injuste, tum ut bellum inferendo vincant, injuriam sibi factam ulciscentes. Ita quidem Sylvius. Forte tamen Feciales ornati lana, ut ostenderent pace se potius, quam bello delectari. Lanigera enim animantia cæteris magis pacata, ut quivis novit.

---

## QUÆSTIO XXXI.

*Quamobrem rotunda erat ædes Vestæ? & cur qui in ea perpetuus ignis a Virginibus asservabatur?*

QUID si vera sit ratio, quam in *Numa* adducit Plutarchus? *Ferunt*, inquit, *Numam ædem quoque Vestæ sacro igni orbicularem circumjecisse, ut ibi asservaretur; adumbrans non effigiem terræ, quasi ea Vesta sit, sed universi mundi, cujus in medio ignem locant Pythagorei, eamque Vestam nominant & unitatem. Terram vero non putant immobilem, neque mediam tenere regionem globi, sed esse in gyrum circa ignem suspensam, neque numerari inter elementa mundi præcipua & prima. Eadem Platonem volunt jam senem de terra sensisse, alio eam loco reponentem, medium vero domicilium alteri cuipiam tribuisse præcellentiori.* Festus in *Rotunda ædes*: *Rotundam ædem Vestæ Numa Pompilius consecrasse videtur, quod eandem esse terram crediderit, eamque pilæ forma esse: ut sui simili templo Dea coleretur.* Certe sive Vesta terram denotaverit, sive totum universum, sive ignem etiam, ut quidam volunt, in omnibus illis rotunditatem observamus, & proinde ædes Vestæ rotunditati eorum debebat adæquari. Virginibus autem commissa sacri ignis custodia in templo Vestæ; vel quod purissimum elementum ab iis deberit asservari, quæ libidinis impuritati nondum succubuerant; vel quod domesticis curis non deberint illæ distineri, quas infinitam sollicitudinem ad æterni ignis custodiam conferre oportebat; vel quod indicare voluerint, illibatam semper & sui juris futuram populi Quiritium Romani majestatem, cujus pignus, ignem dico, virgines nullius libidinem expertæ, nulli viro subjectæ, liberæ & plane suæ, custodiebant.

---

## QUÆSTIO XXXII.

*Cur sacra militiæ signa apud Romanos? Et quamobrem aquilæ, draconis, & porci imagines potissimum præferebant?*

SACRA signa a Romanis habita, vel ut ostenderent pro aris & Diis se decertare: vel ut cogitaret miles tanto acrius pro & sub iis certandum,

quo sanctiora habebantur. Quin etiam tanto majus delictum futurum, si desereret. Aquila autem, quæ altissima petit, Rempub. Romanam, reginam rerum: Draco, qui acutissimum videt, vigilantiam & prudentiam militarem; porcus, pacis caussa bellum geri, denotaverint. Constat enim finito bello & constituta pace, porca cæsa enim fuisse confirmatam. Festus; *Porci effigies inter militaria signa, quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos populos pax fiebat, ea cæsa porca fœdere firmari solet*. Porcus itaque inter signa militaria indicabat pacis & tranquillitatis ergo bella geri a populo Romano. Injustum enim bellum est, quod pacem non intendit. Quippe si ob violatam pacem suscipitur, ea oblata, nisi impii simus, necessario finiri debet. Unde in Panegyrico Trajanum laudat Plinius, quod innutritus bellicis laudibus pacem amaret, quod non ex omni occasione quæreret triumphos, quod nec timeret bella, cum necessitas urgeret, nec, oblata pace, provocaret.

## QUÆSTIO XXXIII.

*Cur Roma fingitur condita sub libra?*

AETERNAM urbem sub libra conditam finxit Manilius lib. IV.

*Quod potius regat Italiam, si seligis astrum*
*Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,*
*Designat summas, & iniquum separat æquo,*
*Tempora quo pendent, cedunt quo noxque diesque*
*Hesperiam sub libra tenet qua condita Roma,*
*Et propriis frænat pendentem nutibus orbem,*
*Orbis & imperium retinet, discrimina rerum*
*Lancibus, & positas gentes tollitque premitque,*
*Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.*

Quem locum observavit eruditissimus Clarus Sylvius libro singulari in leges Regias. Verum autem id non est, sed poeticum modo Manilii commentum. Quippe cæteri omnes diem urbis natalem II. Kalend. Maii esse asseruere. Sed innuere voluit Manilius, justitia, cui libra abscribi vulgo solet, bello usos, ejusque beneficio ad terrarum orbis principatum evectos fuisse Romanos. Quanquam sæpe magis speciem ejus, quam ipsam habuerint. Quod facile observabit, qui ad arcana illius Reipub. adtendet.

## QUÆSTIO XXXIV.

*Quid sibi volunt Romani, cum Numam leges laturum cum Egeria Nympha congressum tradidere?*

FORSAN hoc a fabulis antiquorum est, qui cum viris magnis Deos Deasque familiariter conservari prodidere? Verba Plutarchi in hanc rem audiamus: *Haud obscurum est*, inquit, *hoc de Egeria commentum multas redolere veteres fabulas, quas Phryges de Atte, Bithyni de Herodoto, & de Endymione Arcades, deque aliis compluribus, quos beatos ducebant & Diis gratos, a majoribus acceptas probaverunt. Et sane non mirum est, cum non equorum vel avium Deus, sed hominum amore teneatur, cum iis qui virtutibus excellunt, cupere eum una esse, & non respuere hominis divini & sapientis fami-*

A *liaritatem. At corporis quoque humani & speciei Deum Laremque trahi consuetudine & gratia, id vero est difficile creditu: Et quidem non absurde putantur Ægyptii digerere, nihil prohibere, quin halitus Dei appulsus mulieri, principia infundat generationis, sed viro nullum cum Dea patere congressum vel corporis consuetudinem. Verum ignorant hi parem invicem reddere commixta communicationem. Sed enim esse Diis charum hominem, atque hinc amorem illum, quem ajunt, existere ad tuendam modestiam & virtutem, haud sit absonum. Neque errent illi qui Phorbantem, Hyacinthum, Admetum, ab Apolline fabulantur adamatos, sicut etiam Sicyonium Hippolytum, cui ajunt, quotiens a Sicyone*
B *transmitteret Cirrham, sortes Pythiam, quasi sentiente deo & exultante, dedisse, vaticinarique hunc versum solitam;*

Jamque iterum Hippolyti charum caput æquora sulcat.

*Jam Pindari quoque ejusque carminum Pana desiderio captum fuisse esse in fabulis. Ad hæc Archilocho & Hesiodo carminum gratia fato functis habitum a Deo honorem. Sophoclis etiam vivi Æsculapium hospitio usum fama est, quæ multa ad hanc usque memoriam vestigia retinet: & defuncto alium Deum sepulturam perhibent curasse. Sed quum his*
C *fidem habeamus, quid? num abnuemus Zaleuco, Minoe, Zoroastre, Numa, Lycurgo regna moderantibus & constituentibus Respublicas Deum usum familiariter? An vero potius cum his Deos dicemus, ut recta suggerant iis & moneant, esse serio congressos, poetis vero & lyricis vibrissantibus, si tamen unquam, per lusum frui? Si cui videtur aliter, lata est via, ut verbis Bacchylidis utar*. Certe veteres Platonici cum statuerent, quidquid divinum est, esse ubique & Deos quosdam esse summos, qui generatim orbem universum curarent, dæmonas etiam quosdam commenti sunt, quos peculiariter unicuique adsignabant. Erant autem illi duum generum. Quidam videndos se suis, quidam non vi-
D dendos præbebant. De quibus multa commenti sunt Platonici, præsertim posteriores. Breviter rem omnem expediam. Per dæmones, sive genios ejusmodi non nisi vim mentis, & promptitudinem animi, qui in singulis est, voluerunt denotare. Genios suos non videre illi dicebantur, qui sive ob organa corporis non recte se habentia, sive ob studium delitiarum & voluptatum, sive ob pertinacem quandam negligentiam, obtundebant nonnihil ardorem animi, ejusque magnos impetus sufflaminabant. Videre contra Genium suum illi dicebantur, qui cogitatione pulcherrimarum rerum distenti,
E divina tantum & cœlestia sectabantur, res humanas recte curabant, atque ita ingenii & virtutum suarum venerationem cum stupore omnibus merito imponebant. Genii cum his familiaritatem, qualis inter amicos esse solet, inire, & præcepta sapientiæ ipsis continuo dictare credebantur. Ita ajunt Socratem, divinum mortalem, Genium suum vidisse: quod de oculis humanis accipi non velim. Quomodo enim viderit, quod non poterat videri? Vidit Genium suum Socrates, hoc est, magnitudine animi & usu rerum cæteros mortales, tanquam ignavos, tanquam seipsos ignorantes, longissime post se reliquit, de corpore securus fuit, & vim ingenii rerum cœlestium seriæ contemplationi impendit. Ita quoque congressum Numæ cum Ege-
F ria Nympha recte acceperim. Nimirum optimus ille & prudentissimus Numa, sacras profanasque leges populo, rudi etiamnum & feroci, laturus, de se excitavit magnam integritatis, & sapientiæ opinionem, secessit in sese, & omnes animi vires atque cogitationes eo evexit, ut ea populo instituta

daret, quæ ex usu rerum divinarum & humanarum forent, quæ quisque amplecteretur. Conditæ ejusmodi leges, tanquam cœlestes, & a numine aliquo dictatæ ab omni populo acceptæ probatæque fuerunt. Forsan etiam famam hanc de suo cum Egeria congressu spargendam Numa curavit, ut si humana non posset, divina saltem auctoritate leges suas populo approbaret.

---

QUÆSTIO XXXV.

*Cur Flamini Diali in sacris servientes patrimos atque matrimos esse oportebat?*

VERBA Festi sunt, *Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat.* Idem in *Flaminia*; *Flaminia dicebatur sacerdotula, quæ Flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrima & matrima erat, id est, patrem matremque adhuc vivos habebat.* An non hoc ideo placuit, ut ostenderetur in sacris perfecta omnia, & nihil in iis desiderari oportere? Perfectiores autem videntur, quibus parentes supersunt, quam qui pupilli. Imo qui pupillum dicit, mortuum aliquem subintelligit. De quo inter sacra cogitare Flamini non licebat. Unde & funebres tibias audire, & ex mortuæ pecudis corio calceos vel soleas fieri Flaminicis nefas habebatur. Quippe hæc omnia polluere sacra credebantur. Porro non possum, quin breviter hac occasione excutiam vexatos illos versiculos, qui exstant statim Epig. I. apud Catullum, ubi pro operis sui æternitate ita Minervam alloquitur:

*quod, o patrona Virgo,*
*Plus uno maneat perenne sæclo.*

De hujus loci vera sententia & lectione disputant eruditi. Magnus Scaliger pro *patrona Virgo*, reponendum censebat, *Quod o patrima Virgo.* De qua emendatione merito dubitamus. Primo enim vocem *patrima* alii controversi juris faciunt, & secundam non longam, sed brevem volunt. Præterea quomodo Minerva, quam Poeta hic poscit, patrima possit appellari? Equidem scio sine matre ex Jovis cerebro natam esse Minervam. Sed interea, *patrima*, non significat illam, quæ matrem nunquam habuit, verum quæ matrem quidem habuit, sed amisit, patre solo adhuc superstite. Quomodo igitur *Patrima Virgo* recte dicitur, quæ matrem nunquam habuit? Miror id illustri Scaligero in mentem non venisse. Vir singularis & subactæ eruditionis, Joh. Isacius Pontanus, nuper mihi per litteras indicavit, omnino existimare sese legendum esse; *Quod o paterna Virgo:* præsertim cum vox hæc *paterna* proprius accedat ad lectionem, quæ in codicibus Mss. esse dicitur, *patrona*. Epithetum autem istud, *paterna*, optime Minervæ convenire existimabat, quæ ἀμάτωρ patrem tantum habuit, ut jam diximus. Addebat expressisse hæc Catullum ex Martialis illo, quod exstat lib. VIII. Epig 72. Ubi *Narbo* ei *paterna* dicitur, ob Julium Cæsarem, ejus conditorem, qui Cæsar pater appellatus fuit. Unde & in veteri inscriptione disertim legitur, COL. JULIA. PATERNA. Qua de re pluribus disserit idem Pontanus in eruditissima appendice Itinerarii sui Gallicani. Si quis interea me sequi volet, vulgatam lectionem, quæ *patrona* habet, mutare non tentabit. Caussam enim nondum video, ob quam Poeta, Minervam, præsidem sapientiæ Deam, haud potuerit Patronam suam appellare.

---

QUÆSTIO XXXVI.

*Quare Luperci instituti, nudi per urbem discurrebant, scutica obvios percutiebant, & Canem mactabant.*

EXISTIMAVERIM Lupercalia apud Romanos non exhibuisse nisi imaginem Romuli Remique expositorum & educatorum. Disertim id Butas, vetus scriptor, & ex eo Plutarchus indicant. Quorum verba apponam, ut meis parcam. *Lupercalia pro tempore dicas lustralia esse, quia diebus nefastis aguntur mensis Februarii, quem interpreteris lustralem. Diem veteres Februarum vocabant. Videtur vero e nomine solemnitas illa admodum vetusta, ab Arcadibus Evandri comitibus accepta. Cæterum hæc vulgata est fama. Nam deduci nomen potuit a lupa, quod inde Lupercos (unde educatum Romulum ferunt) auspicari cernamus cursum per urbem. Verum quæ aguntur, causam præbent conjectu difficilem. Jugulant capras, inde nobilibus duobus adolescentibus adductis alii cruento gladio frontem tingunt, alii statim imbuta lacte lana detergunt eam, detersa ridere adolescentes oportet. Hinc tergoribus dissectis caprarum, in subligaculo discurrunt nudi, obvium quemque scuticis cædentes. Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum ratæ. Celebritas ea hoc quoque habet peculiare, quod canem immolent Luperci. Causas fabulosas Butas quidam in Elegiis rerum Romanarum prodit; Romulum devicto Amulio cursu se exultantem contulisse in locum eum, ubi lupa infantibus ipsis summiserat mammam, atque hac solemnitate eum cursum referri, nobilesque in cursu adolescentes,*

Pulsare oblatos strictis velut ensibus Alba
Tunc sese extulerant, Romulus atque Remus.

*Ensem vero cruentum fronti admotum cædis notam esse & periculi. Abstersionem per lac ipsorum monimentum nutrimentorum. Acilius ante conditam urbem autor est Romuli & Remi pecus amissum fuisse, eosque Fauno voto facto nudos, ne molestus iis sudor foret, ad requirendum id, excurrisse. Hinc nudos discurrere Lupercos. Canem arbitror, si lustratio id sacrum est, immolari, quod eo utantur lustrati. Etenim Græci in sacris lustralibus catulos efferunt, ac passim exigunt catulos, quam ceremoniam vocant* περισκυλακισμόν. *Quod si in Lupercalibus gratitudinis causa sacrum faciunt, ob eductum & servatum Romulum, non absurde canem immolant, quia lupis est inimicus.* Et sic quidem illi.

---

QUÆSTIO XXXVII.

*Cur culeo simul cum parricida simia, serpens & gallus insuebantur?*

JUSTITIÆ est magnitudini sceleris magnitudinem pœnæ adæquare. Proinde cum gravissimum

sit parricidii crimen, gravissimum etiam supplicium decerni ei debebat. Visum Romanis culeo includere parricidas, & comites addere, gallum, simiam & serpentem. Glossæ, quæ Fulgentio adscribuntur; *Culeus est saccus, in quo parricidæ inclusi, cum simia, serpente, & gallo mergebantur in mare*. Totidem verba in MS. nostro leguntur, ex quo Glossas illas & auctiores & emendatiores dare possemus. Quærimus cur hæc animantia cum parricida conjunxerint Romani? An viperam, quia dum nascitur arroso perruptoque ventre matris eam occidit? An simiam, quia catulos suos, quos maxime diligit, compressu brachiorum & vi osculorum necat? Num vero, quod parricida, instar simiæ, magis vultum hominis, quam hominem repræsentet? An gallum, quia innatum illi est, cum parentibus & liberis suis colluctari? Voluit hoc Theophilus in paraphrasi ad §. *alia deinde lex*. Inst. *de publ. jud.* ubi verba ejus sunt; *Ideo animantia hæc parricidæ culeo induntur, quia ipsi sunt simillima. Quædam enim eorum e medio tollunt proprios parentes; quedam a pugna inter se invicem non possunt abstinere*.

## QUÆSTIO XXXVIII.

*Quid sibi voluerunt Romani, cum Annibalem tendentem in Italiam Alpes aceto perrupisse tradiderunt?*

HISTORIÆ hujus & Livius & Plutarchus disertim faciunt mentionem. Totam apud eos legere potest, qui volet. Adducam unum modo Juvenalis locum ex Satyra x. ubi de Annibale agens, inquit,

*Opposuit natura Alpemque nivemque,*
*Diducit scopulos, & montem rumpit aceto.*

Quid si ad reliquas fabulas & commenta veterum historicorum hæc adjiciamus? qui ubi aut in obscuris temporibus, aut in rebus magnis consignandis versantur, miracula fere & prodigia loquuntur. Annibalem per inaccessas Alpes exercitum in Italiam duxisse acceperant. Non ignorabant etiam esse aceti quoddam genus, quo tabescunt margaritæ, ipsa denique saxa dissolvuntur. Quale fere est illud, quod in officinis *Aqua fortis* appellatur, quæ ferrum ipsum consumit. Cum igitur aliam rationem, qua cum copiis suis Alpes transmittere Annibal potuerit, excogitare non possent, aceti beneficio diductos scopulos, perruptosque montes in litteras misere. Quod tamen nemo facile crediderit. Unde enim tanta aceti copia, quæ discutiendis tot cautibus, prosternendæque tam vastæ, inæquali, & præruptæ saxorum moli potuerit respondere? Nisi forte credendum sit, quibusdam tantum in locis, quæ reliquis difficiliora, aceto opus habuisse Annibalem, cætera Alpium plana, per varias ambages, & viarum anfractus, sequutum. Quemadmodum Dio Cassius lib. xxxvi. testatum reliquit, turres quasdam lateritias aceti beneficio fuisse prostratas. Num vero per acetum aliud quid hic indicatum fuit ab antiquis? Nempe per varias difficultates, cum siti, cum fame, cum frigore atque æstu colluctatum militem Annibalis in Italiam venisse, ut acetum omnium inopiam denotaverit. Ita milites Romani, quotiens per steriles provincias iter facerent, aqua, cui nonnihil aceti infusum, sitim exstinguebant. Acetum enim vim habet præsentem corpus refocillandi. Quamobrem etiam crediderim in more positum fuisse Romanis, ut, quotiens crucis supplicium de reo sumerent, aceto vires sensusque deficientis, quantum quidem fieri poterat, revocarent: ut hoc pacto & magis & diutius dolores cruciatusque reus sentiret. Sic Servatori nostro, pendenti in cruce, & clamanti se sitire, acetum a scelestis mortalibus propinatum existimaverim, non tam ad tollendam sitim, quam ad præveniendum deliquium animi, sensumque atrocissimi doloris magis & magis in crucifixo excitandum. Scio alia in hanc rem a theologis & antiquis & recentioribus adduci; quæ ut refellere jam non vacat, ita sententiam meam breviter exponendam putavi. Verum hæc alterius & loci sunt, & instituti.

## QUÆSTIO XXXIX.

*Quare templum Jani aperiebatur belli, claudebatur autem pacis tempore?*

OPERÆ pretium est audire hujus ritus rationes, quas adducit Servius ad illa Virgilii lib. I. *Æneid.*

*Diræ ferro & compagibus arctis*
*Claudentur belli portæ.*

*Hujus*, inquit, *aperiendi vel claudendi templi ratio varia est. Alii dicunt Romulo contra Sabinos pugnante, cum in eo esset, ut vinceretur, validam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugavit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad spem pristini auxilii. Alii dicunt Tatium & Romulum, facto fœdere, hoc templum ædificasse: unde & Janus ipse duas facies habet, ut quasi ostenderet duorum regum coitionem, vel quod ad bellum ituri debeant de pace cogitare. Est alia melior ratio, quod ad prælium ituri optent reversionem*. Quid si tamen bello exorto ideo aperuerint templum Jani, ut unicuique aditus pateret, ad concipienda in eo vota & preces pro publica imperii pace & securitate? Pacis enim & quietis præses Deus Janus habebatur, quod adventu ejus & regno totam olim Italiam pacatam accepissent.

## QUÆSTIO XL.

*Quis Consus Deus? quare ara ejus sub terra? cur Consualia instituta, inque iis equi ac asini coronati?*

CONSUS consiliorum Deus, sine dubio ab iis nomen reportavit. Ara ejus sub terra condebatur, argumento, consilia, donec perfectum sit quod consuluimus, secreta esse oportere. De arcanis loquor, quæ sciri non debent nisi cum peracta. Qui statim post convivium cibum evomit, ab eo nutriri non potest: & qui secreta prodit, fructum eorum non capit, quia secreta non mansere. Si arcanum est, cur alteri patefactum? An ut contineret? similem tui arbitrare, qui continere non potuisti; & si non sit, in te exemplum habet quod sequatur. Imo secretum non putabit, qui a te accepit. Neque enim tale videtur, quod quis præter te novit. Sic ut dum aliis tradis, non commendes secretum sed propales. Minimum hic cum aliis, cum nobis multa loquamur. Quæ enim aliis dicuntur arcana non sunt; quæ nobis, manent, quæ

fuere. Illa nec gaudio, nec spe, nec metu, nec amicis extorquenda. Scire enim hæc debemus tanquam ignoremus, imo ignorare, tanquam sciamus. Arcanum si soli tibi commissum, si solus exequi potes, solus habeto. Si aliis, quorum interest, prodendum, non statim prode, sed cum usus & necessitas cogit. De ipso exequendi arcani momento & articulo loquor. Quæ enim diu multi sciunt, mox nemo ignorat. Sola hic certa fides quam quis sibi tantum habet. Ita ne quidem filio suo Antigonus rex, sed nec togæ suæ Celius Metellus credebat: quod alibi in *Emblematis* nostris pluribus docemus. Porro cum consilium de raptu Sabinarum prospere & feliciter Romulo cessisset, ludi in Consi honorem in posterum celebrati, qui Consualia appellabantur. In quibus equos atque asinos coronatos traditum est antiquorum monumentis. Quid si equi asinique hoc præmio fuerint ornati, quod per eos virgines Sabinæ Romam sint deportatæ? Num vero consiliorum Deo aliquid commune est cum equo asinoque? Ut nimirum per asinum prudens quædam mora in sumendis consiliis, per equum excitata quædam celeritas in iis exsequendis denotetur. Quippe satis cito consuluit, qui consuluit bene; & frustra bene consuluit, qui quod bene consultum est magno animo effectum non reddit. Atqui, dicat aliquis, asinus vulgo symbolum est stoliditatis. Fateor, sed quis vetare potest, quo minus etiam aliquid recti & boni per eum indicetur? Unde apud Hebræos, præsertim Caballistas, notante in *Hieroglyphicis* Pierio, asinus est sapientiæ symbolum, cujus ideam constituunt *Sephirot*, eam afferentes rationem, quod eum, qui sapientiæ sit operam daturus, victu admodum tenui, & ut plurimum plebejo contentum esse oporteat, cujusmodi parsimonia præditum esse asinum, ignorat nemo. Adhæc penuriam, laborem, famem patientissime tolerare, neque ad ullam excandescere contumeliam, undecunque illata fuerit: qui corde sit minime vafro, minime cupiditatibus contaminato, bile ita careat, ut cum omni animantium genere pacem sibi perpetuam conciliaverit, nec ullum sit onus quod detrectet, denique totius humanæ commoditatis assiduus & indefessus minister. Merito itaque Ammonius Alexandrinus, magno Origene & Porphyrio discipulis clarus, asinum his condiscipulum fertur adhibuisse. Neque pudore suffusus Cleanthes ad appellationes ejusmodi confidentissime respondit, *Asinus quidem sum, sed qui portare possum sarcinam Zenonis*. Sed desino, ne laudationem Asini hic videar suscepisse. Quod sine exemplo, hac ætate, magnus Heinsius noster fecit. Cujus festivissimum opusculum, ineptiarum omnium equuleum soleo appellare.

## QUÆSTIO XLI.

*Quamobrem Romulus in meditullio urbis, fossam, cui Mundo nomen, faciendam curavit, inque eam a peregrinis particulam terræ patriæ injiciendam imperavit?*

PLUTARCHUM in *Romulo* ita loquentem audiamus; *Circa Comitium, quod nunc est, fossa est rotunda circumducta. In eam primitias detulerunt omnium, quibus aut ex lege tanquam bonis, aut ex natura tanquam necessariis utebantur. Postremo ex qua quisque advenerat regione, ejus terræ portiunculam collatam eo conjecerunt. & commiscuerunt. Fossam hanc Mundum dixere*. Apud Festum Cato in commentariis juris civilis tradit, mundo huic nomen impositum ab eo mundo, qui supra nos est. Enimvero & pars ejus superior concamerata, instar cæli, inferior instar terræ se habebat. An fossa hæc ideo facta, ut fama rerum adæquandam cælo, & ad totius terrarum orbis imperium perventuram Rempub. Romanam indicarent? An rerum omnium primitiæ in eam conjectæ, quod per clementiam cæli, & terræ fœcunditatem bonis fere omnibus & necessariis possimus expleri? An ab advenis & peregrinis portio soli patrii in eam delata, ut ostenderent, velle sese urbem & ditionem Romanam tanquam patriam suam habere & tueri, ac cum cæteris, tanquam ex eodem omnes loco essent oriundi, concordes & unanimes conversari?

## QUÆSTIO XLII.

*Cur aqua calida cadaver lavabatur? conclamabatur? Vale & Salve defunctis dicebatur?*

AQUA calida abluta olim cadavera indicat Virgilius lib. 6. *Æneidos*:

> *Pars calidos latices, & ahena undantia flammis*
> *Expediunt, corpusque lavant frigentis & ungunt.*

An ideo aqua calida adhibita, quod, ut lib. VII. cap. XXV. docet Plinius, ejus ope spiritus vitales, si qui superessent, facillime elici potuerint, & caloris relliquiæ provocari? Subinde enim factum, ut quasi revixerit, qui mortuus credebatur; delitescente ad dies aliquot spiritu vitali, sed non sublato. Quamobrem etiam institutum, ut, priusquam cadaver cremaretur, ter, magna voce, nomine suo defunctus compellaretur. Quo facto, si signa vitæ non edidisset, conclamatum cadaver dicebatur. Unde etiam res illæ omnes conclamatæ vocantur, quarum aut retinendarum, aut consequendarum spes nulla restat. Porro Varro dicit in libris Logistoricis ideo mortui Salve & Vale dici; non quod valere aut salvi esse possint, sed quod ab iis recedimus, nunquam amplius eos visuri.

## QUÆSTIO XLIII.

*Quare sacros quosdam libros a populo inspici nefas habebatur?*

A GALLIS urbe capta, ut notat Aerodius in *Pandectis*, postquam placuit eam reparari, Tribuni militum, consulari potestate, cum primum magistratum iniissent, nulla de re prius quam de religionibus Senatum consuluerunt. Placuit, fœdera ac leges (erant hæ XII. tabulæ & quædam Regiæ leges) requiri quæ comparebant. Legati Erythras missi, P. Gabinius, M. Octacilius, L. Valerius, qui descriptos a privatis Sibyllæ versus Romam deportarent, mille detulerunt. Ergo alia quidem edita in vulgus: sed quæ ad sacra pertinebant, decreta Senatus, & a Pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa sunt. Ita post Livium Lactantius scribit. Non alia ratione Heraclitus Ephesius, & alii fere omnes seu Poetæ, seu Philosophi, Ægyptii, Græcive sapientes, si quid scripserunt de religione, obscurius scripserunt, quam ut a solis eruditis legi possent: Druidæ literis Græcis; quam quod in vulgus disciplinam efferri nollent, inquit Julius. Quid? hanc artem nonne ipsi Prophetæ secu-

secuti? Certe id ita scribit Clemens Alexandrinus, lib. v. *Strom. Temeratur quod tritum est : & , eo amplius , quæ per ænigma designantur multo magis æstimantur. Ut corpora majora, densiorave ad oculos fiunt, quæ ex aqua, aut per nebulam intuemur.* Quid si tamen hoc fuerit arcanum imperii Romani? Præ se ferebant quasi secreta quædam sacra, secretos quosdam de voluntate Deorum libros haberent, cum nulli tales exstarent. Ideo autem hoc factum, ut, ferente ita rerum necessitate, populo ex iis persuaderent, placere Diis ut hoc vel illud ageretur, aut intermitteretur. Consulti libri, qui non erant, ut populo consuleretur. Voluntas patrum populo exhibita, tanquam illa Deorum foret. Et sequutus populus est arbitrium patrum, cum Deorum se sequi existimaret. Ut prætextus divinitatis obsequium extorserit, quod alias non potuisset obtineri. Hæc sunt Rerumpub. præsertim Romanæ, arcana, quæ artes potius, & umbras rerum & simulachra Tacitus nominavit. In quibus aliud est, aliud videtur; imo hoc ipsum non est, quod plerique credunt. Et fingitur, quod non est, ut fit, quod esse debebat. Quippe ita cum populo est comparatum, ut speciosis nominibus inescatus falso credat, quod non crederet, si verum audiret.

## QUÆSTIO XLIV.

*Unde ovatio dicta? Quare in sacris ejus ovis mactata? ovans myrto coronatus? fœdera ante meridiem tantum percussa?*

OVATIO dicebatur, cum hostes fœdus iniissent cum Romanis, priusquam ad manus deventum esset. Nomen autem ab ove accepit, quæ in sacris ejus mactabatur, quod id animal, simplex & pacatum, pugnam & vulnera aliis non inferret. Myrto coronatus, qui ovabat, quod Veneri illa sit sacra, & quietis charitatisque mutuæ symbolum haberetur. Porro cum ovationem ex fœdere cum hostibus ante pugnam inito natam dixerim, non prætermittendum hoc loco, sollenne fuisse Romanis, ut tantum ante meridiem fœdera inirent & confirmarent. Quem ritum boni ominis caussa institutum crediderim. Quemadmodum ad id plerumque Romani in agendis rebus adtendebant. Qualis vero ominum ratio, quanta in eorum observatione superstitio veterum Romanorum fuerit, docte & eleganter, præter alios, Johannes Isacius Pontanus, cognatus noster, in Animadversionibus suis ad Macrobium est persequutus. Ante meridiem dies & sol altius provehuntur. Proinde percussum tunc fœdus magis magisque indies augendum & firmandum indicaverint. Post meridiem dies & sol decrescunt. Proinde evitandum id tempus existimavere, ne sinistrum fœderi percutiendo omen præberet.

## QUÆSTIO XLV.

*Quamobrem servi cum manumitterentur in gyrum acti, caput radebant, & pileo donabantur.*

VERSOS & circumactos a dominis servos, qui manumittebantur, passim auctores tradidere. An vertigo hæc, ut loquitur Persius, species quædam erat lustrationis, & servum a contagio servitutis liberum esse indicabat? An vero hoc ritu ostendere voluerunt domini dare se servis potestatem eundi quo vellent? Unde hæc formula manumissionis exstat apud Plautum;

*Liber esto, atque abito quo voles.*

Caput autem radere soliti servi manumissi, ut ostenderent quasi ex servitutis tempestate se esse eluctatos. Nautæ enim post naufragium incolumes domum reversi capillos omnes strictim detondendos curabant. Atque hanc rationem reddit Nonius: *Qui liberi fiebant*, inquit, *ea caussa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbantur effugere, ut naufragio liberati solent.* Aliam rationem reddit Baptista Pius commentariis *ad Plauti Amphitryonem*. Scio, inquit, observari ut capillitium radatur, quoniam scilicet omnis servitus capiti, tanquam primario membro excutiebatur, renovabaturque servus, qui ad libertatem spectabat, & quod non undique fieri poterat in omnibus corporis partibus per digniorem locum perficiebatur. Pileo autem donati sunt manumissi, quod pileis servi non uterentur. Et proinde pileum libertatis symbolum habuere: quæ omnia ab aliis & erudite & liberaliter pertractata, præsertim Guilielmo Stuckio lib. II. *Convivialium Antiquitatum.*

## QUÆSTIO XLVI.

*Cur veteribus Romanis mos fuit, ut semper aliquid in mensa relinquerent, atque lucernam in ea positam nunquam exstingui paterentur?*

IN *Quæstionibus Romanis* nonnihil hac de re scripsit Plutarchus. At vero cum in *Symposiacis* fusiorem dissertationem instituerit, eam huic loco inferendam existimavi. *Florus*, inquit, *Philarchus nunquam ita sinebat plane mensam tolli, ut non aliquid cibi in ea relinqueretur; ajebatque sibi probe compertum non hoc modo patrem avumque suum studiose curasse, sed ne lucernam quidem passos a cœna exstingui, alioqui cavere solitos ne oleum frustra insumeretur. Aderat una Eustrophus Atheniensis; Is, Quid proderat hoc, ajebat, iis nisi astum Polycharmi nostri didicerunt? qui se multo tempore meditatum dicit, vix tandem invenisse quomodo caveret ne oleum pueri suffurarentur. Statim se exstinctas lucernas oleo implere, & postridie invisere an etiamnum plenæ sint. Tum Florus ridens, Quando, inquit, hæc quæstio soluta est: agedum caussam dispiciamus, qua inductos priscos probabile sit istam lucernis mensisque adhibuisse cautionem. De lucernis prius quæsitum fuit. Ac sententia Cæsernii, quem is generum habebat, hæc fuit; Antiquos ob cognationem cum sacro & perenni igne omnis ignis interitum abominatos fuisse; eum autem, ut hominem quoque interire vel vi exstinctum, vel naturæ suæ ductu languescentem, ac sacro quidem adversus utrumque opem ferri semper alendo & custodiendo: alterum passos fuisse ultro exstingui, si ipsi non fecissent, neque ei vitam invidisse tanquam pecudi, quæ frustra aleretur. Sub hæc Lucius Flori filius dixit, reliqua sibi probari: cæterum sacrum ignem ideo non fuisse cultum, quod eum alio igne putarent meliorem digmioremve esse, sed quemadmodum Ægyptiorum alii totum genus canum venerantur atque honorant, alii luporum, alii crocodilorum, unicum tamen vel canem, vel lupum, vel crocodilum alunt, quia universos non possunt: sic priscorum cultum & custodiam sacri istius ignis, tesseram fuisse observantiæ & cultus erga omnes ignes. Nihil enim animato similius esse, quam est ignis: qui per*

A *se movetur & nutritur, suoque splendore animæ in morem res manifestat omnes: & maxime vim non expertem vitalis principii ostendit, dum exstinguitur ac perit: inter pereundum vocem edens, ac reluctans interitui, animalis instar, quod vi necatur. Nisi tu, ajebat, in me respiciens, habes aliquid melius. Ego vero, inquam tum, eorum quæ dicta sunt nihil reprehendo. Adderem autem, hunc morem ad docendam humanitatem inserviviſſe. Nam neque fas est nobis nutrimentum perdere, ubi affatim nos saturati sumus, neque fontem obturare aut occultare, quando aquæ satis bibimus, neque signa navigationis itinerisve abolere postquam usi sumus iis. Sed relinquenda illa sunt, ut aliis etiam post nos usui esse possint. Proinde indecorum etiam est ob avaritiam*

B *lumen lucernæ, quando ejus usum porro nos non desideramus, exstinguere. Sed conservandum relinquendumque est, si quis forte veniat, cui eo etiamnum ardente & splendente sit opus. Quippe, si fieri quiret, etiam visum atque auditum, immo prudentiam quoque & fortitudinem aliis utendam dare debebamus ipsi dormituri aut quieturi. Hoc vero considera, an non gratitudinis inculcandæ causa antiqui neutiquam absurde nimii in hoc fuerint genere, cum & quercus venerarentur frugiferas, & ficum quandam Athenienses sacram appellarent, & morum exscindi prohiberent. Non enim hæc faciunt ad superstitionem propensos, quod nonnulli dicunt: sed in rebus*

C *sensu animaque carentibus ad studium referendæ mutuo gratiæ præstandæque adsuefaciunt. Itaque recte Hesiodus vetat cibum apponere ex ollis, nondum libato: sed igni vult suas primitias suumque ob ministerium offerri honorem: & recte Romani quod alimentum lucernæ dediſſent, iis usi reliquerunt, paſſique sunt vivere & fulgere. Hæc ego cum dixiſſem, Eustrophus: Ista, inquit, etiam ad rationem de mensa quæsiti aditum præbent. Nimirum semper aliquid censuerunt a cœna relinquendum servis & vernulis. Gaudent enim communicatione hac magis, quam alioquin accipiendo. Idcirco Persarum reges, ut fertur, non amicis modo & proceribus ac stipatoribus solebant de cœna portiones mittere: sed semper servorum quoque & canum cœna in ipsorum mensa pro-*

D *ponebatur: cum, quantum omnino fieri poterat, omnes, quorum utebantur opera, mensæ suæ facerent participes. nam cibi communicatione etiam feriſſima cicurantur animalia. Heic ego ridens, Piscem vero repositum, ajebam, non trahimus in medium, qui proverbio est nobilitatus, & Pythagoræ chœnicem, cui probibuit insideri. docens nos semper aliud de præsenti in futurum relinquere, & crastinæ diei hodie meminiſſe? Nobis quidem Bœotis in ore est semper; Relinque aliquid etiam Medis: ab eo tempore quo Medi Phocidem, & extrema Bœotiæ incursando po-*

E *pulandoque vexaverunt. Perpetuo autem & ubique id in promptu esse debebat, Relinque aliquid etiam superventuris hospitibus. Quamobrem etiam Achillis inanem semper & famelicam improbo mensam. Nam & Ajace ac Ulysse legatis ad ipsum venientibus, nihil parati habens de integro cogitur coquere & obsonio mensam instruere; & rursus Priamum volens comiter tractare,*

> Proripuit sese, & candentem protinus agnum
> Mactavit.

*Quo dividendo aſſandoque majorem noctis partem consumpsit. Sed Eumæo, (sapiens videlicet viri sapientis alumnus) nihil negotii exhibuit Telemachi ad-*

F *ventus. Statim enim ei ad mensam collocato cœnam præbuit, lances apponens plenas*

> Assatæ carnis, cœnæ de nocte priori
> Relliquias.

*Quod si hoc vile videbitur, illud certe exiguum non est, appetitum posse inhibere, dum adhuc fruendi adest copia. Minus enim absentia concupiscunt, qui adhuc volunt abstinere præsentibus. Sed hic Lucius; Audiviſſe me ex avia memini, mensam esse sacram: porro autem sacrarum rerum nullam debere esse inanem. Mihi vero, inquit, mensa etiam terræ videtur simulachrum. Nam præterquam quod nos alit rotunda etiam est, & stabilis, & recte Vesta a quibusdam appellatur. Sicut ergo terram volumus semper aliquid nobis utile producere & proferre: ita censemus mensam quoque nunquam debere vacuam, & omni destitutam apparatu relinqui.* Et sic quidem Plutarchus.

---

## QUÆSTIO XLVII.

*Cur is locus, qui Consularis appellatus, in honore babebatur?*

SECUNDUM *hæc*, verba sunt Plutarchi in *Symposiacis, incidit quæstio de locis: alius enim apud alios locus æstimatur; ut Persis medius, quem accumbens rex occupat, videtur honestiſſimus: apud Græcos primus: apud Romanos mediæ mensæ ultimus, quem ipsi Consularem vocant: apud quosdam Græcorum juxta Pontum babitantium, ut Heracleotas, mediæ mensæ primus. Maxime autem de consulari loco dubitatum a nobis fuit, qui cum apud nos haberetur præcipuus, causa ejus rei neque ut quia primus, neque ut quia medius esset, definiri poterat: tum quæ ei accidunt partim non sunt propria, partim nullius videntur momenti. Tria tamen ex his quæ dicta sunt, nos moverunt. Unum, quod ejectis regibus consules, cum ad popularem formam omnia redigerent, seipsos e medio & regio loco deorsum subduxerunt: ne vel ipse locus, tanquam regii imperii ac potestatis reliquiæ, molestus esset civibus. Secundum quod cum duæ mensæ invitatis tribuuntur: tertia, ejusque primus locus maxime convivatori congruit; ibi enim tanquam auriga aut gubernator dextre potest intueri in ministeria, & a proximis locis non ita longe removetur, quin compellare poſſit & colloqui. Locus enim infra eum uxoris est aut liberorum, qui supra, is, ut par est, tribuitur convivarum honoratiſſimo. Tertium fuit, quod hujus loci proprium videbatur: opportunitas nimirum ad actiones obeundas. Non enim Consul Romanorum more Archiæ Thebanorum polemarchi agit; ut litteris inter cœnandum aut sermone aliquo considerationem requirente oblatis, tantum fatus, in crastinum seria, epistolam rejiciat, ac poculum Thericleum arripiat. Sed in hoc ipso temporis articulo solicitum admodum ac circumspectum se præbet. Quippe non modo*

> Nox incutit gubernatori, qui sapit,
> Dolorem,

*Ut est apud Æschylum: sed & in quovis convivio, quavis animi recreatione & oblectatione, convenit magistratui ac principi curare, ut & audiat, & mandet quæ opus est, & subscribat. Quod ut facere poſſit, hunc habet locum eximium: ubi secunda mensa ad primam applicata angulus flexu suo intercapedinem facit, quæ spatium accedendi, alloquendi, & audiendi præbeat scribæ, lictori, stipatori, nuncio ab exercitu venienti: cum interim Consul neque molestiam cuiquam convivarum exhibeat, neque ipse obturbetur a quoquam; sed & dextram & vocem liberam habeat atque expeditam.* Hæc Plutarchus.

QUÆSTIO XLVII.

*Cur dies ab antiquis in duodecim horas distributus, & Romani hæreditatem omnem, ac pondera mensurasque plurimas in duodecim partes divisere?*

CAUSSAM ejus rei reddit Galenus lib. de cujusque animi peccatorum notitia atque medela. Loquitur autem de duodenario. *Porro*, inquit, *numerum hunc tanquam omnium utilissimum delegerunt. Dimidium enim continet & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum, quæ nullus alius post ipsum numerus, usque ad vigesimum quartum, continere videtur.* B *Hunc etenim tanquam longiorem repudiarunt, & duodenarium numerum tanquam commodiorem judicantes in tot particulas totius diei tempus diviserunt. Hanc autem partitionem ex usu esse alii multi, & Romani ipsi experientia comprobantes atque utentes ostendunt. Siquidem hæreditatem omnem, cum testamentum condunt, in duodecim portiones distribuunt, & ponderum ac mensurarum, quibus in vita opus est, plurimas in duodecim partes dividunt.* Quem locum cap. xv. lib. I. *Miscellaneorum* laudat eruditissimus Hieronymus Magius. Et sane, si duodenarium recte & accurate excutiamus, maximi illum usus esse in rerum divisione inveniemus. Qua de re consulendus Petrus Bungus Bergomas in commentario suo de Mysteriis numerorum. Habet enim hic numerus divisiones ordinatas, multiplicatione senarii per bina- A rium, binarii per senarium, ternarii per quaternarium, & denique quaternarii per ternarium. Quod hoc schemate indicamus:

DUODENARIUS

*colligitur*

ex multiplicatione

*Senarii per binarium.*

1 2
3 4
5 6
7 8
9 10
11 12.

*Binarii per senarium.*

1 2 3 4 5 6
7 8 9 10 11 12.

*Ternarii per quaternarium.*

1 2 3
4 5 6
7 8 9
10 11 12.

*Quaternarii per ternarium.*

1 2 3 4
5 6 7 8
9 10 11 12.

C Itaque duodenarius commodissime findi in æquas portiones, & in partes suas resolvi potest. Et proinde placuit veteribus Romanis in dividenda hæreditate, in ponderibus item & mensuris.

---

# ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ
## ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ ΚΑΤΑΓΡΑΦΗ.
# ΡΩΜΑΙΚΑ.
# PLUTARCHI
## CAPITULORUM DESCRIPTIO:

*Hoc est,*

Quæstionum solutio, sive problematum.

## QUÆSTIONES ROMANÆ.

*Cum NOTIS & ANIMADVERSIONIBUS*
GUILIELMI XYLANDRI, &
M. ZUERII BOXHORNII.

---

SYLLABUS Quæstionum Romanarum quæ discutiuntur in hoc libro.

PLUTARCHI

# ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ

Κεφαλαίων καταγραφή.

## ΡΩΜΑΙΚΑ.

ΔΙΑ τί τὴν γαμουμένην ἅπτεσθαι πυρὸς καὶ ὕδατος κελεύουσι; πότερον τούτων, ὡς ἐν στοιχείοις καὶ ἀρχαῖς, τὸ μὲν ἄῤῥεν ἐστὶ, τὸ δὲ θῆλυ· καὶ τὸ μὲν ἀρχὰς κινήσεως ἐνίησι, τὸ δὲ ὑποκειμένου καὶ ὕλης δύναμιν; ἢ διότι τὸ πῦρ καθαίρει, καὶ τὸ ὕδωρ ἁγνίζει, δεῖ δὲ καθαρὰν καὶ ἁγνὴν δια-

# [a] PLUTARCHI

Capitulorum descriptio: hoc est Quæstionum solutio, sive Problematum.

## [1] QUÆSTIONES ROMANÆ.

I QUID causæ est cur sponsa in nuptiis jubeatur aquam & ignem tangere? An quod horum, quatenus in elementis ac principiis numerantur, [2] alterum mas est, alterum femina: & ignis principia motionis suggerit, aqua subjecti ac materiæ facultatem obtinet? An quia ignis lustrat, aqua purgat: debet autem quæ nubit puri-

1 QUÆSTIONES) Hunc librum Plutarchus in Camillo & Romulo citat sub nomine *αἰτίων* & *αἰτίων Ρωμαϊκῶν*, Vulgo Problematum titulo citatur. *Xylander*.

2. *Alterum mas est, alterum femina.*) Recte in generatione ignem maris vicem dicit præstare. Et sic Hebræi virum ab igne denominarunt, si Eusebio credimus lib. XI. *Præparationis Evangelicæ*, ubi verba sunt: Εβραῖοι τὸν ἄνδρα Ις καλοῦσι. παρῆκται δὲ αὐτοῖς τοὔνομα, ἀπὸ τοῦ Ες, δι' οὗ σημαίνουσι τὸ πῦρ, ἵνα ᾖ παρὰ τὸ θερμὸν, καὶ ἔμπυρον τῆς τοῦ ἀνδρὸς φύσεως ὁ ἀνὴρ ὠνομασμένος. *Virum Hebræi vocant* Is: *quod nomen ab* Es, *quod ignem significat, derivatur: ut viro nomen ab calida & ignea viri natura inditum fuerit*. Et hinc quoque in Phœnicum Theologia Generis, Ævi, ac Primogeniti liberi, Lux, Ignis, Flamma dicebantur, ut testatur & probat idem Eusebius lib. I. ejusdem operis. Nec alia de caussa Veneris Maritum Vulcanum dixerunt Græci & Romani, & Japetum ignem cœlo surripuisse, ut hominem conderet, fabulati sunt. *Boxbornius*.

μένειν τὴν γαμηθεῖσαν; ἢ ὅτι καθάπερ τὸ πῦρ χωρὶς ὑγρότητος ἄτροφόν ἐστι καὶ ξηρὸν, τὸ δὲ ὕδωρ ἄνευ θερμότητος ἄγονον καὶ ἀργὸν, οὕτω καὶ τὸ ἄρρεν ἀδρανὲς καὶ τὸ θῆλυ χωρὶς ἀλλήλων, ἡ δὲ σύνοδος ἀμφοῖν ἐπιτελεῖ τοῖς γήμασι τὴν συμβίωσιν; ἢ οὐκ ἀπολειπτέον, καὶ κοινωνητέον ἁπάσης τύχης, κἂν καλοῦ μηδενὸς, ἢ πυρὸς καὶ ὕδατος μέλλωσι κοινωνεῖν ἀλλήλοις,

Διὰ τί οὐ πλείονας οὐδὲ ἐλάττονας, ἀλλὰ πέντε λαμπάδας ἅπτουσιν ἐν τοῖς γάμοις, ἃς κηρίωνας ὀνομάζουσιν; πότερον ( ὡς Βάῤῥων ἔλεγεν ) ὅτι τῶν στρατηγῶν τρισὶ χρωμένων, σὺν τοῖς ἀγορανόμοις πλείονας, παρὰ δὲ τῶν ἀγορανόμων ἅπτουσι τὸ πῦρ οἱ γαμοῦντες, ἢ διότι πλείοσι χρωμένων ἀριθμοῖς, πρός τε τὰ ἄλλα βελτίων καὶ τελειότερος ὁ περιττὸς ἐνομίζετο, καὶ πρὸς γάμον ἁρμοδιώτερος; ὁ γὰρ ἄρτιος διάστασίν τε δέχεται, καὶ τὸ ἴσον αὐτοῦ μάχιμόν ἐστι καὶ ἀντίπαλον· ὁ δὲ περιττὸς οὐ δύναται διασχισθῆναι παντάπασιν, ἀλλὰ ὑπολείπει τὶ κοινὸν ἀεὶ μεριζόμενον. τοῦ δὲ περιττοῦ μάλιστα γαμήλιος ἡ πεντάς ἐστι. τὰ γὰρ τρία πρῶτος περιττὸς, καὶ τὰ δύο πρῶτος ἄρτιος, ἐκ δὲ τούτων, ὥσπερ ἄρρενος καὶ θήλεος, ἡ πεντὰς μέμικται. ἢ μᾶλλον ἐπεὶ τὸ φῶς γενέσεώς ἐστι σημεῖον, γυνὴ δὲ ἄχρι πέντε τίκτειν ὁμοῦ τὰ πλεῖστα πέφυκε, τοσαύταις χρῶνται λαμπάσιν, ἢ ὅτι πέντε δεῖσθαι θεῶν τοὺς γαμοῦντας οἴονται, Διὸς τελείου, καὶ Ἥρας τελείας, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Πειθοῦς, ἐπὶ πᾶσι δὲ Ἀρτέμιδος, ἣν ταῖς λοχείαις καὶ ταῖς ὠδῖσιν αἱ γυναῖκες ἐπικαλοῦνται.

Διὰ τί πολλῶν ὄντων ἐν Ῥώμῃ ναῶν Ἀρτέμιδος, εἰς μόνον τὸν ἐν τῷ καλουμένῳ Πατρικίῳ στενωπῷ ἄνδρες οὐκ εἰσίασιν; ἢ διὰ τὸν λεγόμενον μῦθον; γυναῖκα γὰρ αὐτόθι τὴν θεὸν σεβομένην βιαζόμενός τις ὑπὸ τῶν κυνῶν διεσπάσθη, καὶ ἀπὸ τούτου δεισιδαιμονίας γενομένης, ἄνδρες οὐκ εἰσίασι.

Διὰ τί τοῖς ἄλλοις Ἀρτεμισίοις ἐπιεικῶς ἐλάφων κέρατα προσπατταλεύουσι, τῷ δὲ ἐν Ἀβεντίνῳ βοῶν; ἢ τοῦ παλαιοῦ συμπτώματος ἀπομνημονεύοντες; λέγεται γὰρ ἐν Σαβίνοις Ἄντρωνι Κορατίῳ βοῦς εὐπρεπὴς ὄψει καὶ μεγέθει διαφέρουσα τῶν ἄλλων γενέσθαι, μάντεως δέ τινος αὐτῷ φράσαντος, ὅτι τοῦ καθιερεύσαντος Ἀρτέμιδι τὴν βοῦν ἐκείνην ἐν Ἀβεντίνῳ, πέπρωται μεγίστην γενέσθαι καὶ βασιλεῦσαι τῆς Ἰταλίας ἁπάσης τὴν πόλιν, ἐλθεῖν μὲν εἰς Ῥώμην τὸν ἄνθρωπον ὡς θύσοντα τὴν βοῦν· οἰκέτου δὲ κρύφα τῷ Βασιλεῖ Σερουΐῳ τὸ μάντευμα φράσαντος, ἐκείνου δὲ Κορνηλίῳ τῷ ἱερεῖ, προστάξαι τὸν Κορνήλιον τῷ Ἄντρωνι λούσασθαι

tatem ac caſtimoniam conſervare? An quod ſicut ignis abſque humore nutriendi vi deſtituitur, eſtque aridus, aqua autem abſque calore ſterilis eſt & ocioſa, ita mas quoque & femina ſeorſim nihil valeant, ſed conjunctione eorum vitæ conſuetudo perfecta a nuptiis reddatur; An id ſignificare volunt, alterum ab altero deſeri non debere, ſed eos in ſocietate qualiſcunque fortunæ perſiſtere, etiam ita rebus ferentibus, [1] ut præter ignem & aquam nihil boni una frui detur?

II. Cur in nuptiis quinque faces, ( cereos ipſi vocant ) non plures his aut pauciores accendunt? An quia, ut Varro ait, prætores trinis, [2] pluribus ædiles utebantur, ab his autem ſponſi accendunt ignem? An quod cum utantur compluribus alias etiam numeris, tum alioqui præſtantior atque perfectior impar creditus eſt, tum ad nuptias melius quadrare viſus? Par enim dividi ſe patitur, parteſque ejus æquis inter ſe viribus contendunt. Impar autem omnino diffindi ſe non fert, ſed diviſus ſemper aliquid relinquit. [3] Inter impares porro omnium maxime congruit nuptiis quinarius; nam ternarius primus eſt de imparibus, binarius primus de paribus: ex his tanquam mare & femina miſcetur quinarius. Aut potius, quoniam lumen procreationis ſignum eſt, mulieres autem ad quinque plerumque pariunt, totidem utuntur facibus? Aut quia [4] matrimonium contrahentes quinque deorum ope indigere putant, Jovis perfecti, Junonis perfectæ, Veneris, Suadæ, ac Dianæ, ( ea Lucina eſt ) quam parturientes invocant.

III. Quamobrem de multis quæ Romæ ſunt Dianæ templis, id ſolum non intrant viri, quod eſt in vico Patricio? An id fit ob ſermonem vulgatum? narrant enim mulierem ibi deæ cultum exhibentem a quodam vi fuiſſe compreſſam, eumque a canibus diſcerptum. inde ſuperſtitionem natam, ne viri eo intrarent.

IV. Cur reliquis Dianæ fanis ſoliti cervorum cornua affigere, ei quod in Aventino eſt boum cornua affixerunt? Fortaſſis ut monimentum eſſet antiqui caſus. Fuit quidam in Sabinis Antro Coratius: is vaccam habebat magnitudine & forma reliquis præſtantem: monituſque a vate quodam, qui in Aventino bovem hanc Dianæ immolaſſet, ei fata ſummam poteſtatem deferre, urbemque ipſius Italiæ totius regno potituram: Romam ſe contulit bovis ibi mactandæ gratia: ſervus autem regi Servio clam id vaticinium propoſuit, & rex Cornelio pontifici indicavit, tum Cornelius Antroni mandavit,

---

1 *Ut præter ignem & aquam nihil boni una frui detur.* ) Aquæ & ignis nomine omnia ad vitam neceſſaria veteres complectebantur. Unde in exilii indicendi formula aqua & igni, hoc eſt, omnibus, quæ ad vitam eo in loco ſuſtentandam requiſita, interdicebatur. *Boxhor.*

2 *Puribus ædiles* ) Σὺν τοῖς ἀγορανόμοις πλείονας. Hic locus eſt corruptus, credo hanc eſſe ſententiam: Prætores tribus uſos facibus, pluribus ædiles. Χρωμένων legendum, non χρώμενον, liquet. Et μεριζόμενος pro μεριζόμενον. *Xyland.*

3 *Inter impares porro omnium maxime nuptiis convenit quinarius.* ) Aliter tamen apud Clementem Alexandrinum *Stromatum* lib. VI. ſtatuunt Pythagoræi: *Pythagoræi*, inquit, *a mundi ortu ex ſententia Prophetæ numerum ſenarium perfectum exiſtimant, & eum appellant* μεσευθὴν *&* γάμον, μεσευθὴν *quidem, id eſt, medirectum, quod ſit medium recti, hoc eſt, decem & duorum. Videtur enim ex æquo abeſſe ab ambobus.* Γάμος *autem eſt conjugium. Nam ut conjugium generat ex maſculo & fæmina, ita ſex ex impari quidem ternario, qui dicitur maſculus, ex pari autem, qui fæmina exiſtimatur, gignitur. Bis enim tria fiunt ſex.* Sed utrumque, quod & hic de ſenarii, & a Plutarcho de quinarii uſu in nuptiis dicitur, non caret ratione, ſi ex decretis Pythagoricorum loqui velimus, qui doctrinam morum numeris magna ex parte inculcabant. Quinarius impar numerus eſt. Impar autem diffindi non poteſt. Nec abrumpendum vinculum matrimonii ſemel contracti. Senarius par numerus eſt. Paria autem inter ſe arctiſſime conjunguntur. Conjunctio vero animorum conjugia & incipit & abſolvit. Quare & matrimonia ineuntes pares vocamus. Porro & in proponenda, & in diſſolvenda hac quæſtione nimis curioſus eſt Plutarchus: quod alibi quoque in hoc opuſculo diligens Lector obſervabit. Cerei quinque in nuptiis accenſi non alia de cauſſa quam quia quinque ſufficere credebantur. *Boxhor.*

4 *Matrimonium contrahentes ope indigere putant Jovis perfecti.* ) Forſan Juppiter, quatenus promovet generationem, perfectus a perficiendo fœtu nominatur. Quemadmodum etiam Juno perfecta hic dicitur, quam Pronubam, Lucinam & aliter appellabant Romani. Intera conſule Lilium Gyraldum, ubi de Jove & Junone Teleis in *Syntagmate Deorum* agit. *Idem.*

πρὸ τῆς θυσίας ἀπὸ τοῦ Θύμβρεως. νενομίσθαι γὰρ οὕτω τοὺς καλλιεροῦντας. ἐκεῖνον μὲν οὖν ἀπελθόντα λούσασθαι. τὸν δὲ Σερούϊον φθάσαντα, θῦσαι τῇ Θεῷ τὴν βοῦν καὶ τῷ ἱερῷ τὰ κέρατα προσπατταλεῦσαι. ταῦτα καὶ ὁ Ἰόβας ἱστόρηκε καὶ Βάῤῥων· πλὴν ὅτι τοὔνομα τοῦ Ἄντρωνος Βάῤῥων οὐ γέγραφεν, οὐδὲ ὑπὸ Κορνηλίου φησὶ τοῦ ἱερέως, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ νεωκόρου παρακρουσθῆναι τὸν Σαβῖνον.

Διὰ τί τοὺς τεθνάναι φημισθέντας ἐπὶ ξένης ψευδῶς, κἂν ἐπανέλθωσιν, οὐ δέχονται κατὰ θύρας, ἀλλὰ τῷ κεράμῳ προσβαίνοντες εἴσω καθιᾶσιν αὐτούς; ὁ μὲν γὰρ Βάῤῥων αἰτίαν μυθικὴν ὅλως ἀποδίδωσι. φησὶ γὰρ ἐν τῷ περὶ Σικελίαν πολέμῳ ναυμαχίας μεγάλης γενομένης, καὶ κατὰ πολλῶν φήμης οὐκ ἀληθοῦς, ὡς ἀπολωλότων, ῥυείσης, ἐπανελθόντας αὐτοὺς ὀλίγῳ χρόνῳ πάντας τελευτῆσαι. ἑνὶ δὲ εἰσιόντι τὰς θύρας ἀπαντῆσαι κλειομένας ἀπὸ αὐτομάτου, καὶ μὴ χαλᾶν ἐπιχειρούντων ἀνοίγειν. τὸν δὲ ἄνθρωπον αὐτοῦ καταδαρθέντα πρὸς τῶν θυρῶν ἰδεῖν κατὰ τοὺς ὕπνους ὄψιν ὑφηγουμένην αὐτῷ τὴν ὑπὲρ τὸ τέγος εἰς τὴν οἰκίαν, καθίμησιν. ποιήσαντα δὲ οὕτως, εὐτυχῆ γενέσθαι καὶ γηραιόν. ἐκ δὲ τούτου τὸ ἔθος καταστῆναι τοῖς ὕστερον. ὅρα δὲ μὴ καὶ ταῦτα τρόπον τινὰ τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔοικεν. οὐ γὰρ ἐνόμιζον ἁγνούς, οὐδὲ κατεμίγνυσαν ἑαυτοῖς, οὐδὲ εἴων ἱεροῖς πλησιάζειν, οἷς ἐκφορὰ γεγόνει καὶ τάφος ὡς τεθνηκόσι. λέγεται δέ τινα τῶν ἐνόχων ταύτῃ τῇ δεισιδαιμονίᾳ γεγονότων Ἀριστῖνον, εἰς Δελφοὺς ἀποστείλαντα δεῖσθαι τοῦ Θεοῦ, καὶ παραιτεῖσθαι τὰς παρούσας αὐτῷ διὰ τὸν νόμον ἀπορίας. τὴν δὲ Πυθίαν εἰπεῖν.

Ὅσσά περ ἐν λεχέεσσι γυνὴ τίκτουσα τελεῖται,
Ταῦτα πάλιν τελέσαντα θύειν μακάρεσσι θεοῖσι.

τὸν οὖν Ἀριστῖνον εὖ φρονήσαντα παρασχεῖν ἑαυτὸν ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς τικτόμενον ταῖς γυναιξὶν ἀπολοῦσαι καὶ σπαργανῶσαι καὶ θηλὴν ἐπισχεῖν, οὕτω τε δρᾶν καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας, ὑστεροπότμους προσαγορευομένους. ἔνιοι δὲ καὶ πρὸ τοῦ Ἀριστίνου ταῦτα γίνεσθαι περὶ τοὺς ὑστεροπότμους, καὶ τὸ ἔθος εἶναι παλαιόν. οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν εἰ καὶ Ῥωμαῖοι τοῖς δοκοῦσιν ἅπαξ τεθάφθαι καὶ γεγονέναι τῆς τῶν φθιτῶν μερίδος, οὐκ ᾤοντο δεῖν παριέναι τὴν αὔλειον, ᾗ θύσοντες ἐξίασι, καὶ θύσαντες εἰσίασιν, ἀλλὰ ἄνωθεν ἐκέλευον εἰς τὰ ὕπαιθρα καταβαίνειν ἐκ τοῦ περιέχοντος. καὶ γὰρ τοὺς καθαρμοὺς ἐπιεικῶς πάντας ἐν ὑπαίθρῳ τελοῦσι.

A ut ante ſacrificium aqua Tiberis profluente ſeſe ablueret: ſic enim legibus præſcriptum eſſe litaturo: ita hic lotum abiit. Interim Servius occaſionem immolandæ vaccæ in honorem Dianæ præcepit, mactatæque cornua templo affixit. Hoc & Juba narrat, & Varro: niſi quod hic Antronis nomen non habet, deceptumque non a Cornelio ſacerdote Sabinum, ſed ab æditiuo refert.

V. Cur quos peregre mortuos falſo fama nunciavit, reverſos non per fores admittunt, [1] ſed conſcenſo tecto in domum demittunt? [2] Fabula omnino eſt, quod Varro pro cauſa adfert. Cum B bello apud Siciliam magnum navale prœlium fuiſſet commiſſum, multoſque fama mentiretur periiſſe, qui erant ſuperſtites, hos domum reverſos, intra breve tempus univerſos fuiſſe mortuos: unum ex illis domi ſuæ januam forte fortuna occluſam offendiſſe, neque aperire potuiſſe: ipſum cum ante fores obdormiviſſet, per quietem ſpectrum vidiſſe, quod ei præciperet, ut ſe de tecto in domum demitteret: eumque conſilio huic paruiſſe, longamque vitam feliciter exegiſſe: atque hujus ab exemplo iſtam fuiſſe introductam conſuetudinem. Quid vero, ſi ea quoque Græcis moribus eſt ſimilis? Græci enim profanos habebant, neque iis ſeſe permiſcebant, neque ad ſacrificia C admittebant eos, quibus factum fuerat funus & ſepulcrum tanquam mortuis. Et relatum in commentarios reperi, Ariſtinum quendam ea ipſa obſtrictum religione Delphos miſiſſe, qui pro ſe deprecarentur, & quo pacto difficultatibus, in quas legum autoritate compulſus erat, ſeſe extricaret, rationem oſtendi peterent: atque ei ſic a Pythia fuiſſe reſponſum:

*His peragit quæcunque puerpera rite peractis*
*Omnibus, ad ſuperum tua dona altaria ſiſtes.*

eumque oraculo probe intellecto, mulieribus ſeſe quaſi renatum præbuiſſe lavandum, vinciendum, lactandum; idque reliquos deinde, quos idem caD ſus excepiſſet, imitatos fuiſſe omnes, nomenque iis factum [3] Hyſteropotmi: quod ſcilicet a credito exitio quaſi poſtliminio reverriſſent. Sunt qui hunc de Hyſteropotmis expiandis morem ipſo putent Ariſtino priorem, priſcumque fuiſſe. Non itaque mirum eſt, ſi Romani tunc quoque eos quos ſemel ſepultos ac rebus humanis exemtos eſſe fuerat creditum, exiſtimaverunt non debere per oſtium ingredi, per quod ſacrificatum exitur, ac ſacrificatu reditur: [4] ſed eum deorſum ex aere voluerunt in atrium ſub dio poſitum demitti. Expiationes enim omnes ſolent fere ſub dio peragere.

---

1 *Sed conſcenſo tecto in domum demittunt.*) Τῷ κεράμῳ προσβαίνοντες εἴσω καθιᾶσιν ἀυτούς. Quid ſi legas, *ſed ii conſcenſo tecto ſeſe inde in domum demittunt*? Hæc quidem lectio cum Varroniana fabula melius cohærebit, & unica lævis in aſperum ſpiritum mutatione conficietur; ut αὑτοὺς legas pro ἀυτούς. *Xylander*.

2 *Fabula omnino eſt, quam Varro pro cauſſa adfert.*) Et certe mihi etiam ſic videtur. Incredibile dictu quantopere in fabulas prona fuerit omnis antiquitas. Miſeri dicam an fatui mortales cum inquirerent in cauſſas rerum, nec invenirent, pro libitu ſuo veroſimiles ſunt commenti. Sic ut fabulæ proponerentur tanquam cauſſæ rerum, cum res ipſæ eſſent cauſſæ fabularum. Quæ obſervatio imprimis facit ad percipiendam Mythologiam antiquorum: in qua fabulæ exhibentur, tanquam ex iis natæ eſſent res naturales, cum e contra fabulæ ex rerum natura ſint conflatæ. Adeo ut ordo ibi omnis præpoſterus ſit, quo cauſſa dicitur, quod effectum, & effectum quod cauſſa. Rem ita ſe habere nemo dubitabit, qui ſingula veterum commenta accurate volet examinare. *Boxhorn*.

3 *Hyſteropotmi*) ὑστεροπότμους. Interpres ὑστεροπότμους legit, itaque legendum credo, ignarus liberne ei, an vero judicium hanc lectionem ſuggeſſerit: vox enim ea ſignificat eos, qui crediti jam fato ſuo defuncti, denuo ei ſervire opus habent: in proxima Quæſtione. *Xyland*.

4. *Sed eum deorſum ex aere voluerunt in atrium ſub dio poſitum demitti.*) Recte, ex aere. Enimvero defunctus falſo creditus, & Kenotaphio jam ſepultus, redux factus, veluti cælitus reſtitui videtur. *Boxhorn*.

A Διὰ τί τοὺς συγγενεῖς τῷ στόματι φιλοῦσιν αἱ γυναῖκες; πότερον ( ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσιν ) ἀπειρημένον ἦν πίνειν οἶνον ταῖς γυναιξὶν, ὅπως οὖν αἱ πιοῦσαι μὴ λανθάνωσιν, ἀλλ᾽ ἐλέγχωνται, περιτυγχάνουσαι τοῖς οἰκείοις, ἐνομίσθη καταφιλεῖν; ἢ δι᾽ ἣν Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος αἰτίαν ἱστόρηκε; τὸ γὰρ πολυθρύλλητον ἐκεῖνο, καὶ πολλοῦ γενέσθαι λεγόμενον, ὡς ἔοικεν, ἐτολμήθη ταῖς Τρῳάσι καὶ περὶ τὴν Ἰταλίαν. τῶν γὰρ ἀνδρῶν ὡς προσέπλευσαν ἀποβάντων, ἐνέπρησαν τὰ πλοῖα, πάντως ἀπαλλαγῆναι τῆς πλάνης δεόμεναι καὶ τῆς θαλάττης. φοβηθεῖσαι δὲ τοὺς ἄνδρας, ἠσπάζοντο τῶν συγγενῶν καὶ οἰκείων, μετὰ τοῦ καταφιλεῖν καὶ B περιπλέκεσθαι, τοὺς προσυγχάντας. παυσαμένων δὲ τῆς ὀργῆς καὶ διαλλαγέντων, ἐχρῶντο καὶ τὸ λοιπὸν ταύτῃ τῇ φιλοφροσύνῃ πρὸς αὐτούς. ἢ μᾶλλον ἐδόθη τοῦτο ταῖς γυναιξὶν, ὡς τιμὴν ἅμα καὶ δύναμιν αὐταῖς φέρον, εἰ φαίνοιντο πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἔχουσαι συγγενεῖς καὶ οἰκείους; ἢ, μὴ νενομισμένου συγγενίδας γαμεῖν, ἄχρι φιλήματος ἡ φιλοφροσύνη προῆλθε, καὶ τοῦτο μόνον ἀπελείφθη σύμβολον καὶ κοινώνημα τῆς συγγενείας; πρότερον γὰρ οὐκ ἐγάμουν τὰς ἀφ᾽ αἵματος, ὥσπερ οὐδὲ νῦν τιτθίδας οὐδὲ ἀδελφὰς γαμοῦσιν, ἀλλ᾽ ὀψὲ συνεχώρησαν ἀνεψιαῖς συνοικεῖν ἐκ τοιαύτης αἰτίας. ἀνὴρ χρημάτων ἐνδεὴς, τὰ δὲ ἄλ- C λα χρηστὸς, καὶ παρ᾽ ὁντιναοῦν τῷ δήμῳ τῶν πολιτευομένων ἀρέσκων, ἐπίκληρον ἀνεψιὰν ἔχειν ἔδοξε, καὶ πλουτεῖν ἀπ᾽ αὐτῆς. ἐπὶ τούτῳ δὲ γενομένης αὐτοῦ κατηγορίας, ὁ δῆμος ἀφεὶς τὴν αἰτίαν ἐλέγχειν, ἔλυσε τὸ ἔγκλημα, ψηφισάμενος πᾶσι ἐξεῖναι γαμεῖν ἄχρις ἀνεψιῶν, τὰ δὲ ἀνωτέρω κεκωλῦσθαι.

Διὰ τί δὲ δῶρον λαβεῖν ἀνδρὶ παρὰ γυναικὸς, καὶ γυναικὶ παρὰ ἀνδρὸς ἀπείρηται; πότερον, ὡς Σόλων, γράψας τὰς δόσεις κυρίας εἶναι τῶν τελευτώντων, πλὴν εἰ μή τις ἀνάγκῃ συνεχόμενος, ἢ γυ- D ναικὶ πειθόμενος, τὴν μὲν ἀνάγκην ὡς βιαζομένην ὑπεξείλετο, τὴν δὲ ἡδονὴν ὡς παραλογιζομένην. οὕτως ὑπενοήθησαν αἱ γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν δόσεις; ἢ φαυλότατοι ἡγούμενοι σημεῖον εὐνοίας τὸ διδόναι, ( διδόασι γὰρ καὶ ἀλλότριοι καὶ μὴ φιλοῦντες ) ἐκ τοῦ γάμου τὴν τοιαύτην ἀρέσκειαν ἀνεῖλον, ὅπως ἄμισθον ᾖ καὶ προῖκα καὶ δι᾽ αὐτὸ, μὴ δι᾽ ἄλλο, τὸ φιλεῖσθαι καὶ φιλεῖν; ἢ, ὅτι τῷ λαμβάνειν διαφθειρόμεναι, μάλιστα προσίενται τοὺς ἀλλοτρίους, σεμνὸν ἐφάνη τὸ μὴ διδόντας ἀγαπᾶν τοὺς ἰδίους, ἢ μᾶλλον ὅτι δεῖ κοινὰ καὶ γυναιξὶν εἶναι τὰ ἀνδρῶν, καὶ ἀνδράσι τὰ γυναικῶν; μανθάνει γὰρ ὁ λαβὼν τὸ δοθὲν, ἀλλότριον ἡγεῖσθαι E τὸ μὴ δοθέν. ὥστε ὀλίγον διδόντες ἀλλήλοις, τὸ πᾶν ἀφαιροῦνται.

Διὰ τί δὲ παρὰ γαμβροῦ καὶ παρὰ πενθεροῦ λαβεῖν ἐκείνοις κεκώλυται δῶρον; ἢ παρὰ γαμβροῦ μὲν, ἵνα μὴ δόξῃ διὰ τοῦ πατρὸς εἰς τὴν γυναῖκα περιχωρεῖν τὸ δῶρον. παρὰ πενθεροῦ δὲ, ὅτι τὸν μὴ διδόντα δίκαιον ἐφάνη μηδὲ λαμβάνειν.

Διὰ τί, κἂν ἐξ ἀγροῦ κἂν ἀπὸ ξένης ἐπανίωσιν, ἔχοντες οἴκοι γυναῖκας, προπέμπουσι δηλοῦντες

VI. Quare mulieres oſculo ſalutant cognatos ſuos? An id ſentiendum eſt, quod pleriſque probatur? Interdictum uſu vini mulieribus fuiſſe: ac proinde ne latere poſſet ſi qua vinum bibiſſet, ſed a familiaribus inter congreſſum deprehenderetur, oſculandi morem fuiſſe inſtitutum. An vero quam adfert Ariſtoteles philoſophus cauſſam, ea recipienda eſt? Id enim quod fama pervulgatum eſt, [1] multiſque locis adſcribitur, facinus Troadum, ab iis in Italia perpetratum fuit. nam ibi cum poſt navium appulſum viri eſſent digreſſi, mulieres ignem navibus injecerunt, ut erroribus finem imponerent ac navigationi. deinde ſibi metuentes a maritis, cognatos & familiares, ut quiſque ſe obtulerat, cum ſuavio ſunt amplexæ. iraque placata ut in gratiam fuit reditum, hoc deinde eis blandiendi genus retinuerunt. Aut potius datum eſt hoc mulieribus, ut honorem ſimul eis potentiamque concilians, ſi viderentur multos ac probos habere cognatos & propinquos? Sive hoc verius eſt? cum eſſet legibus interdictum cognatarum nuptiis, uſque ad oſculum tamen amori permiſſum progredi, eaque fuit conſanguinitatis teſſera & communicatio. Antiquitus enim ſanguine junctas Romani non copulabant ſibi matrimonio, ut ne nunc quidem materteras aut ſorores. Sero conceſſum fuit, ut ducere conſobrinas liceret: idque tali de cauſa. Vir quidam, pecuniæ indigens, alias honeſtus, & gratia populari nemine inferior, conſobrinam habere putabatur uxoris loco ad quam hæreditate dos magna pervenerat, eaque ratione dives ipſe eſſe. cui cum eſſet eo nomine dies dicta, populus omiſſa cauſæ cognitione eum abſolvit, decretoque facto nuptias conſobrinarum permiſit publice, conjugio autem ſuperiorum graduum interdixit.

VII. Cur donationes inter maritum & uxorem prohibitæ ſunt? An quemadmodum Solon donationes mortis cauſa factas valere voluit, iis tantum reſciſſis quæ neceſſitate extortæ, aut muliere perſuadente factæ eſſent: nimirum quod neceſſitas vim animo faceret, voluptas autem eidem imponeret. an, inquam, eodem modo Romanis ſuſpectæ erant conjugum donationes? Aut potius, quod ſignum benevolentiæ [2] futiliſſimum putarent eſſe donum (dant enim etiam alieni & non amantes) ideo iſtud demerendi genus e conjugio ſuſtulerunt, ut abſque mercede gratis, ac propter ſe non alius cauſa conjuges invicem amarent? An, quia muneribus capiundis maxime corrumpuntur mulieres ut alienos admittant viros, gravitatem iis conciliare cenſuerunt quod ſuos nihil dantes diligerent? An hæc eſt verior ratio, quod mariti & uxoris omnia debeant eſſe communia? Qui enim accipit quod datur, is diſcit pro alieno putare quod datum non eſt: itaque pauca invicem dantes, reliqua omnia adimunt.

VIII. Cur a genero aut ſocero donum capere vetitum fuit? A genero, quia id per patrem videbatur ad uxorem rediturum. a ſocero, quod juſtum videbatur nihil accipere eum, qui nihil daret.

IX. Quamobrem rure aut peregre domum redeuntes mariti, præmittunt qui adeſſe ipſos ſignificet? An quia hoc eſt probitati uxoris ſuæ

---

1 *Multiſque locis adſcribitur* ) πολλῷ γενέσθαι non probo, forte πολλαχοῦ. res eſt nota. *Xyland.*

2 *Futiliſſimum putarent*. ) Lego φαυλότατον ἡγούμενοι. legebatur ἡγούμενον, ſed male. Verba antecedentia ſatis obſcura ſunt, neque piget interim ſententiam de iis meam aperire. ὑπενοήθησαν inquit. Suſpectæ vitii & illiberalitatis erant Romanis donationes conjugum, nimirum, quod non ab animo liberali profectæ, ſed adulatione conjugis extortæ eſſent: quomodo etiam donationes mortis cauſa factas, ad uxoris petitionem, irritas eſſe voluit Solon, non minus quam vi extortas. quia nimirum non minus prave fit, quod illecebris voluptatis obtinetur, quam quod vi. Corrector bene reddita a Lucenſi, inſcite notavit. *Xyland.*

αὐταῖς ὅτι παραγίνονται; πότερον ὅτι τοῦτο πιστεύοντός ἐστι τὴν γυναῖκα μηδὲν ῥᾳδιουργεῖν· τὸ δὲ ἐξαίφνης καὶ ἀπροσδοκήτως, οἷον ἐνέδρα καὶ παρατηρήσει σπεύδουσιν ὡς ποθούσαις καὶ προσδεχομέναις διαγγελίζεσθαι περὶ αὐτῶν; ἢ μᾶλλον αὐτοὶ περὶ ἐκείνων πυθέσθαι ποθοῦσιν εἰ σωζομένας καὶ ποθούσας ἐπὶ τῆς οἰκίας καταλαμβάνουσιν; ἢ πλείονες ταῖς γυναιξὶν οἰκονομίαι καὶ ἀσχολίαι τῶν ἀνδρῶν ἀπόντων τυγχάνουσι, καὶ διαφοραὶ καὶ ὀργαὶ πρὸς τοὺς ἔνδον; ἵνα οὖν ἀπαλλαγεῖσα τούτων ἀθόρυβον τῷ ἀνδρὶ παρέχῃ τὴν ὑποδοχὴν καὶ ἡδεῖαν, ἡ προδήλωσις γίνεται.

Διὰ τί τοὺς Θεοὺς προσκυνοῦντες ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλὴν, τῶν δὲ ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις τιμῆς ἀπαντῶντες, κἂν τύχωσιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντες τὸ ἱμάτιον, ἀποκαλύπτονται; τοῦτο γὰρ ἔοικε κἀκείνῳ ἐπιτείνειν τὴν ἀπορίαν· εἰ μὲν οὖν ὁ περὶ Αἰνείου λεγόμενος λόγος ἀληθής ἐστι, καὶ τοῦ Διομήδους παρεξιόντος, ἐπικαλυψάμενος τὴν θυσίαν ἐπετέλεσε, λόγον ἔχει καὶ ἀκολουθεῖ τῷ συγκαλύπτεσθαι πρὸς τοὺς πολεμίους, τὸ τοῖς φίλοις καὶ ἀγαθοῖς ἐντυγχάνοντας ἀποκαλύπτεσθαι. τὸ γὰρ πρὸς τοὺς θεοὺς οὐκ ἴδιόν ἐστι, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς, καὶ ἀπ' ἐκείνου μεμένηκε τηρούμενον. εἰ δὲ ἄλλο τι λέγειν

[1] confidentis viri, (nam ex improviso & subito supervenire, speciem insidiarum & infensæ observationis habet) ideo dant operam desiderantibus se atque exspectantibus uxoribus lætum sui adventus nuncium offerant? Aut potius quod ipsi rescire cupiunt, salvasne & desiderio sui affectas uxores domi sint offensuri? Vel quod plura sunt mulieribus domestica negotia & rei familiaris occupationes plures, mariti ubi absunt, variæque curæ & discursus: ideo adventus nuncium accipiunt, ut omissis istis negotiis absque tumultu ac suaviter maritum excipiant.

X. [2] Cur deos velato capite adorant, cum alioquin hominibus obviam facti venerandis caput, si forte eo tecto incedunt, detegant? hoc enim est, quod quæstionem videtur facere difficiliorem. Narrant Æneam cum rem sacram faceret, Diomede prætereunte caput velasse, itaque sacrificium absolvisse. Hoc si verum sit, non est alienum a ratione, sed consentaneum, ut quemadmodum adversus hostem caput tegimus, ita amicis & præstantibus hominibus obviam dati idem nudemus. & quod Deos velato capite venerantur, non proprium id est, sed fit per accidens, facto isto Æneæ in consuetudinem tracto. Quod si alia est

---

1 *Confidentis viri.*) πιστεύοντος ἐστί. ἐπὶ legebatur notis ob similitudinem confusis. Sed linea sequente καὶ παρατηρήσει σπεύδουσιν male cohærent. lego ἐνέδρα καὶ παρατήρησις. σπεύδουσιν, &c. Non me fugit, doctissimos homines e Tibulli I. III. ad hoc respicientes, dissentire: versus sunt:

*Tunc veniam subito, nec quisquam nunciet ante:*
*Sed videar cælo missus adesse tibi.*

Ego quod sentio plane dico. Deliam non fuisse uxorem Tibulli constat: itaque nihil ad rem hæc consuetudo. Alibi plura. *Xyland.*

2 *Cur Deos velato capite adorant, cum alioquin hominibus obviam facti venerandis caput, si forte eo tecto incedant, detegunt?*) Duo hoc loco quærit Plutarchus. Primo cur velato capite Deos adorarint? secundo cur e contra honoris caussa, alicujus nominis & dignitatis viris aperuerint caput? Rationes, quæ a Plutarcho adferuntur satis profecto frigidæ sunt. Videbimus proinde an nos aliquid vero similius possimus expiscari. Velato capite Deos adoratos fuisse, multis exemplis potest probari. Virgilius,

*Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.*

Fulgentius ad Chalcidium Grammaticum: *Numa Pompilius dicit tutulum esse pileum, quo sacerdotes caput velabant, cum ad sacrificium accessissent.* Capita igitur sacrificia peracturi velabant. Imo sic principes salutare nihil olim erat aliud quam divinos honores ipsis præstare. Quod Domitianus aliique intellexere, qui cum pro Diis vellent haberi, hunc ipsum honorem deferri sibi volebant, quemadmodum rerum Romanarum scriptores non semel testantur. Quare autem velatis capitibus Dii culti? An quia magis suus, & sacris intentus animus, ubi opertum caput aliis externis, quæ offerre se solent, non distrahitur? Devotus autem animus in eo potissimum requiritur, qui sacris operatur. Unde solennis formula, *Hoc age*. Num vero maximæ reverentiæ signum hoc fuit! Apud eos enim, qui longe nobis majores, & splendore majestatis suæ omnes percellunt, vix exserere vultum audemus. Plautus *Most.*

*Quin etiam hoc illi dicito,*
*Facturum me ut nec etiam adspicere ædes audeat,*
*Capite obvoluto, ut fugiat summo cum metu.*

Dii autem metuendi. An etiam discriminis caussa hoc usitatum? Forsan enim cum apertis capitibus homines salutarent, non humano more, sed alio, velatis nimirum, Deos colendos censuere. Quid si etiam Hebræorum institutum hic fuerint amplexi? Quemadmodum magnam partem sacrorum apud paganos ex iis non obscure liquet derivatam. Velato autem capite sacris operatos sacerdotes Hebræorum dubitari non debet. Nam *Levit.* XVI. 4. Aaroni sacrarium ad sacris operandum ingressuro injungitur, ut inter cæteras vestes sacras, cidari (quæ מצנפת dicitur, & capitis velamen fuisse ex *Exodi* cap. XXIX. vers. 6. liquet) linea cingatur: additurque causa, *quia vestes sanctitatis sunt*: nempe tunica, femoralia, baltheus, & quam dixi cidaris. Nihil eorum omitti debuit, quia ad sanctitatem omnia pertinebant. Quod & de cæteris sacerdotibus, Aaronis filiis dicendum esse, patet ex *Exod.* XXVIII. vers. 40. & 42. ubi eadem quatuor vestimentorum sacrorum genera ipsis adaptantur. Nisi quod Pilei eorum non מצנפת *cidaris*, sed מגבעות *galeri* dicuntur: ad quam vocem Kimchius, הם הבעים אשר משימים על הראש לתפארת, *sunt galeri quos imponunt ocapiti rnatus gratia*. Quæ testimonia accepta refero reconditæ eruditionis, & inculpatæ integritatis Viro, Ludovico de Dieu, qui ea mihi humanissime suppeditavit. An non etiam ideo velata sacerdotum capita, ut hoc pacto liberos se esse testarentur? Pileo enim donari est accipere libertatem, quod nemo nescit. A servis autem signa sacra tangi subinde nefas habebatur. Docet inscriptio, quæ Lanuvii legitur;

M A V O R T I O
S A C R.
HOC SIGNUM
A. SERVO. TANGI
NEFAS. EST

Alias servi etiam sacra curabant. Juv. Sat. XII.

*Ite igitur pueri linguis animisque faventes,*
*Sertaque delubris, & farra imponere cultris,*
*Ac molles ornate focos, glebamque virentem.*

Pueri servi sunt. Quod nemo ignorat. *Boxhorn.*

χρὴ, σκόπει μὴ μόνον ἐκεῖνο δεῖ ζητεῖν δι' ὃ τοὺς Θεοὺς προσκυνοῦντες ἐπικαλύπτονται, θάτερον δὲ ἀκόλουθόν ἐστι. τῶν γὰρ ἀνθρώπων ἀποκαλύπτονται τοῖς δυνατωτέροις, οὐ τιμὴν αὐτοῖς προστιθέντες, ἀλλὰ τὸν φθόνον αὐτῶν μᾶλλον ἀφαιροῦντες, ἵνα μὴ δόξωσι τὰς αὐτὰς τοῖς Θεοῖς τιμὰς ἀπαιτεῖν, μηδὲ ὑπομένειν, μηδὲ χαίρειν θεραπευόμενοι παραπλησίως ἐκείνοις· τοὺς δὲ Θεοὺς οὕτω προσεκύνουν, ἢ ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς, ἢ μᾶλλον εὐλαβούμενοι τινα φωνὴν προσπεσεῖν αὐτοῖς ἔξωθεν εὐχομένοις ἀπαίσιον καὶ δύσφημον, ἄχρι τῶν ὤτων ἀνελάμβανον τὸ ἱμάτιον. ὅτι γὰρ ἰσχυρῶς ἐφυλάττοντο ταῦτα, δῆλόν ἐστι τοῦ προσιόντας ἐπὶ μαντείαν χαλκωμάτων πατάγῳ περιεψοφεῖσθαι· ἤ, ὡς Κάστωρ λέγει, τὰ Ῥωμαϊκὰ τοῖς Πυθαγορικοῖς συνοικειῶν, τὸν ἐν ἡμῖν δαίμονα δεῖσθαι τῶν ἐκτὸς Θεῶν, καὶ ἱκετεύειν τῇ τῆς κεφαλῆς ἐπικαλύψει, τὴν τῆς ψυχῆς αἰνιττόμενον ὑπὸ τοῦ σώματος ἐγκάλυψιν καὶ ἀπόκρυψιν.

Διὰ τί τῷ Κρόνῳ θύουσιν ἀπαρακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ; πότερον ὅτι τὴν ἐγκάλυψιν Αἰνείας παρέδωκεν, ἡ δὲ τοῦ Κρόνου θυσία παμπάλαιός ἐστι; ἢ ὅτι τοῖς οὐρανίοις ἐπικαλύπτονται, τὸν δὲ Κρόνον ἡγοῦνται Θεὸν ὑπουδαῖον καὶ χθόνιον; ἢ ὅτι τῆς ἀληθείας οὐδὲν ἐπίκρυφον ἢ ἐπίσκιον. ἀληθείας δὲ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πατέρα τὸν Κρόνον εἶναι.

Διὰ τί δὲ τὸν Κρόνον πατέρα τῆς ἀληθείας νομίζουσι; πότερον, ὥσπερ ἔνιοι τῶν φιλοσόφων, χρόνον οἴονται τὸν Κρόνον εἶναι. τὸ δὲ ἀληθὲς εὑρίσκει χρόνος; ἢ τὸν μυθολογούμενον ἐπὶ Κρόνου βίον, εἰ δικαιότατος ἦν, εἰκός ἐστι μάλιστα μετέχειν ἀληθείας.

Διὰ τί καὶ τῷ λεγομένῳ Ὀνώρει θύουσιν ἀκαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ; τὸν δὲ Ὀνώρεμ, δόξαν ἄν τις ἢ τιμὴν μεθερμηνεύσειε; πότερον δὲ ὅτι λαμπρὸν ἡ δόξα καὶ περιφανὲς καὶ ἀναπεπταμένον. δι' ἣν αἰτίαν τοῖς ἀγαθοῖς καὶ τιμωμένοις ἀνδράσιν ἀποκαλύπτονται, διὰ ταύτην καὶ τὸν ἐπώνυμον τῆς τιμῆς Θεὸν οὕτω προσκυνοῦσι.

Διὰ τί τοὺς γονεῖς ἐκκομίζουσιν, οἱ μὲν υἱοὶ συγκεκαλυμμέναις, αἱ δὲ θυγατέρες γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς καὶ ταῖς κόμαις λελυμέναις; πότερον ὅτι τιμᾶσθαι μὲν ὑπὸ τῶν ἀρρένων δεῖ τοὺς πατέρας ὡς Θεοὺς, πενθεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῶν θυγατέρων ὡς τεθνηκότας, ἑκατέρῳ τὸ οἰκεῖον ὁ νόμος ἀποδιδοὺς, ἐξ ἀμφοτέρων ἐποίησε τὸ ἁρμόττον, ἢ πένθους μὲν οἰκεῖον τὸ μὴ σύνηθες, συνηθέστερον δὲ τῶν μὲν γυναιξὶν, ἐγκεκαλυμμέναις, τοῖς δὲ ἀνδράσιν, ἀκαλύπτοις εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι, καὶ γὰρ παρ' Ἕλλησιν ὅταν δυστυχία τις γένηται, κείρονται μὲν αἱ γυναῖκες, κομῶσι δὲ οἱ ἄνδρες· ὅτι τοῖς μὲν τὸ κείρεσθαι, τοῖς δὲ τὸ κομᾶν σύνηθές ἐστιν. ἢ τοὺς

A afferenda causa, vide ne id modo quærendum sit, cur in veneratione deorum caput tegatur: alterum vero ejus sit consectarium. [1] Nam quod coram potentioribus hominibus caput nudant, non faciunt augendi honoris eorum gratia, sed ut eos invidia liberent potius, ostendantque eos non poscere sibi eosdem cum divinis honores, neque ferre aut gratum habere eodem se quo deos modo coli. Deos autem operto capite adoraverunt, vel quod ea re animi demissionem confiterentur; vel potius, quod verentes ne qua vox mali ominis foris accideret, usque ad aures vestem sursum attrahunt [2] hoc enim eos admodum vitare, ex eo liquet, quod ad oraculum consulendum accedentes, tinnitu æris circumsonantur. Aut, ut [3] Castor tradit, qui Romana instituta Pythagoricis accommodat, ut ostendant genium qui in nobis est deorum qui extra sunt ope indigere iisque supplicare; capite operiendo per ambages arguentes animum a corpore occultari atque tegi.

B

XI. Cur Saturno sacrificantes capita habent retecta? An quia velare caput institutum est Æneæ, Saturni autem sacrificium multo est vetustius? an quod capita operiunt coram cœlestibus diis? Saturnum autem inter inferos terrestresque deos numerant? An quod veritati nihil opertum est, nihil occultum? Nam veritatis patrem Romani

C Saturnum (qui Cronos Græcis dicitur) esse censent.

XII. Cur vero Cronum hunc veritatis patrem faciunt? Sive quod tempus est Cronus, ut nonnulli philosophorum interpretantur: veritatem autem eruit tempus: sive quod sæculum Saturni cum fabulæ ferant justissimum fuisse, probabile est plurimum fuisse usum veritate.

XIII. Cur Honori sacra faciunt aperto capite? An quod honor splendida est res, illustrisque & aperta: qua de causa etiam egregios honoratosque viros capite retegendo venerantur: ideo numini quoque ejusdem nominis hunc ritum exhibent?

D XIV. Cur parentes efferunt filii velatis capitibus, filiæ nudis capitibus passisque crinibus? An quia filiis venerandi sunt patres tanquam dii, filiabus autem lugendi ut mortui, lex utrique parti suum decoro conveniens assignavit officium? An quia luctui maxime congruit, quod est alienum a consuetudine? solent autem fere, mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi. Nam apud Græcos etiam si qua calamitas incidit, tondentur mulieres, viri comam alunt: cum alioquin hi tonderi, illæ crinem gestare soleant. Aut potius de filiis prior causa melius est allata. Nam super sepulcris parentum circumagunt se, ut Varro scribit, [4] ea tanquam deorum templa colentes:

---

1 *Nam quod coram potentioribus hominibus caput nudant, non faciunt augendi honoris eorum gratia.)* Hoc secundum, de quo hic agit Plutarchus. Cur autem caput aperire reverentiæ sit signum, quia accurate excussit Vincentius Turturetus in *Parallelis*, dissertat. XXIX. nos, brevitatis studiosi, latius non deducemus. *Boxh.*

2 *Hoc enim eos admodum vitare, ex eo liquet, quod oraculum accedentes tinnitu æris circumsonantur)* Inter cæteras caussas, ob quas velata in sacris capita dixit Plutarchus, hanc quoque ponit, quod circumvolutis capitibus non ita facile verba mali ominis, quæ sacra turbare credebantur, exaudiri potuerint. Probat autem id exemplo eorum, qui oracula consulebant. Tunc enim gravi tinnitu quodam omnia perstrepebant, ne oracula consulentes male auspicatis vocibus turbarentur. Ratio profecto non inepta. Quam tamen aut ignoravit, aut dissimulare voluit Arnobius lib. VII. *adversus Gentes*, ubi inquit: *Etiamne æris tinnitibus & quassationibus cymbalorum Dii afficiuntur? etiamne tympanis? etiamne symphoniis? quid efficiunt crepitus scabillorum: ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant? An nunquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis externentur auditis, eadem ratione & omnipotentia numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt? Idem.*

3 *Castor tradit, qui Romana instituta Pythagoricis accommodat)* Recte. Quippe constat Pythagoricæ disciplinæ addictum Numam Regem fuisse, qui primus auctor sacrorum apud Romanos. Testantur id Clemen Alexandrinus libro I. *Stromatum*, & ex eo Eusebius lib. VIII. *de Præparatione Evangelica. Idem.*

4 *Sepulchra parentum tanquam Deorum templa colentes)* Facit huc illud Ovid. lib. VIII.

*Ante sepulchrales infelix adstitit aras*

μὲν υἱοὺς ἐπικαλύπτεσθαι δι' ἣν εἰρήκαμεν αἰτίαν ἐνομίσθη; (καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων, ὥς φησι Βάῤῥων, περιστρέφονται, καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα, καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὅταν ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσι) ταῖς δὲ γυναιξὶν οὐδὲ ὅλως ἐξῆν ἐπικαλύπτεσθαι τὴν κεφαλήν. ἱστορεῖται γοῦν, ὅτι πρῶτος μὲν ἐξέβαλε γυναῖκα Σπόριος Καρβίλιος ἐπ' ἀτεκνίᾳ· δεύτερος δὲ Σουλπίκιος Γάλλος ἐφελκυσαμένην ἰδὼν κατὰ κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον· τρίτος δὲ Πόπλιος Σεμπρώνιος ἀγῶνα θεωρήσασαν ἐπιτάφιον.

Διὰ τί τὸν Τέρμινον, ᾧ τὰ Τερμινάλια ποιοῦσι, θεὸν νομίζοντες, οὐδὲν ἔθυον αὐτῷ ζῷον; ἢ Ῥωμύλος μὲν ὅρους οὐκ ἔθηκε τῆς χώρας, ὅπως ἐξῇ προϊέναι καὶ ἀποτέμνεσθαι καὶ νομίζειν πᾶσαν ἰδίαν, ὥσπερ ὁ Λάκων εἶπεν, ἧς ἂν τὸ δόρυ ἐφικνῆται. Νουμᾶς δὲ Πομπίλιος, ἀνὴρ δίκαιος καὶ πολιτικὸς ὢν, καὶ φιλόσοφος γενόμενος, τήν τε χώραν ὡρίσατο πρὸς τοὺς γειτνιῶντας, καὶ τοῖς ὅροις ἐπιφημίσας τὸν Τέρμινον, ὡς ἐπίσκοπον καὶ φύλακα φιλίας καὶ εἰρήνης, ᾤετο δεῖν αἵματος καὶ φόνου καθαρὸν καὶ ἀμίαντον διαφυλάττειν.

Διὰ τί δούλαις τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν ἄβατόν ἐστι; μίαν δὲ μόνην αἱ γυναῖκες εἰσάγουσαι, παίουσιν ἐπὶ κόῤῥης καὶ ῥαπίζουσιν; ἢ τὸ μὲν ταύτην ῥαπίζεσθαι, σύμβολόν ἐστι τοῦ μὴ ἐξεῖναι, κωλύουσι δὲ τὰς ἄλλας διὰ τὸν μῦθον; ἡ γὰρ Ἰνὼ ζηλοτυπήσασα δούλην ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ, λέγεται περὶ τὸν υἱὸν ἐκμανῆναι· τὴν δὲ δούλην Ἕλληνες Αἰτωλίδα γένει φασὶν εἶναι, καλεῖσθαι δὲ Ἀντιφέραν. διὸ καὶ παρ' ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ πρὸς τοῦ σηκοῦ τῆς Λευκοθέας ὁ νεωκόρος λαβὼν μάστιγα, κηρύττει, μὴ δοῦλον εἰσιέναι, μὴ δούλαν, μηδὲ Αἰτωλὸν, μηδὲ Αἰτωλάν.

Διὰ τί παρὰ τῇ θεῷ ταύτῃ τοῖς μὲν ἰδίοις τέκνοις οὐκ εὔχονται τἀγαθὰ, τοῖς δὲ τῶν ἀδελφῶν; πότερον ὅτι φιλάδελφος μέν τις ἡ Ἰνὼ καὶ τὸν ἐκ τῆς ἀδελφῆς ἐτιθηνήσατο, ἡ δὲ περὶ τοὺς ἑαυτῆς παῖδας ἐδυστύχησεν; ἢ καὶ ἄλλως ἠθικὸν καὶ καλὸν τὸ ἔθος, καὶ πολλὴν παρασκευάζον εὔνοιαν ταῖς οἰκειότησι.

Διὰ τί τῷ Ἡρακλεῖ πολλοὶ τῶν πλουσίων ἐδεκάτευον τὰς οὐσίας; πότερον ὅτι κἀκεῖνος ἐν Ῥώμῃ τῶν Γηρυόνου βοῶν ἀπέθυσε τὴν δεκάτην; ἢ ὅτι Ῥωμαίους ὑπὸ Τυῤῥηνῶν δεκατευομένους ἀπήλλαξεν; ἢ ταῦτα μὲν οὐκ εἶχε τὴν ἱστορίαν ἀξιόπιστον, ὡς δὲ ἀδδηφάγῳ τινὶ τῷ Ἡρακλεῖ καὶ εὐθοίνῳ δαψιλῶς καὶ ἀφθόνως ἀπέθυον; ἢ μᾶλλον ὡς ἐπαχθῆ ταῖς πολιτείαις τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον κολούοντες, καὶ καθάπερ εὐεξίας ἐπ' ἄκρων εὐσωματούσης ἀφαιροῦντες, ᾤοντο μάλιστα τιμᾶσθαι τὸν Ἡρακλέα, καὶ χαίρειν ταῖς τοιαύταις ἀποχρήσεσι καὶ συστολαῖς τῶν περιττῶν, εὐτελῆ καὶ αὐτάρκη καὶ ἀπέριττον τῷ βίῳ γενόμενον.

Διὰ τί τὸν Ἰανουάριον μῆνα νέου ἔτους ἀρχὴν λαμ-

A crematisque parentibus cum primum os reperiunt, mortuum divinam esse consecutum naturam dicunt. Mulieribus omnino non licebat caput obnubere. Etenim narrant historiæ, primum omnium [1] Sp. Carbilium uxori nuncium remisisse ob sterilitatem: secundum Sulpitium Gallum, quod suam vidisset veste attracta caput tegere: tertium P. Sempronium, quod sua uxor ludos funebres spectasset.

XV. Cur Termino, quem Deum censent, & B sacris Terminalibus honorant, nullum animal immolatur? An quia Romulus terminos agro populi [2] nullos posuit, ut liceret progredi, aliisque ademptum adjicere suo, & putare omnem ditionem ad se pertinere, quam (ut Laco ille dicebat) hasta assequi possent: Numa autem Pompilius, homo justus, civilis, ac philosophus, limitibus suum agrum a vicino distinxit, iisque Terminum nuncupans inspectorem atque custodem amicitiæ & pacis, existimavit sanguinis purum, nullaque inquinatum cæde debere servari.

XVI. Cur servæ aditu templi Matutæ (quæ Leucothea Græcis est) prohibentur: unam dunta- C xat matronæ introducunt, & colaphos genis ejus infligunt? An hæ ipsæ alapæ signum sunt interdicti: reliquas autem arcent fabulam secutæ? Fertur enim Ino ex æmulatione adversus maritum, quem ancillam amare suspicabatur, in insaniam prolapsa filium perdidisse. Nam ancillam Græci Ætolam domo, nomine Antipheram fuisse tradunt. Itaque apud nos Chæroneæ ædituus ante fanum Leucotheæ stans, accepto flagello edicit, Ne quis servus intret, ne qua serva, ne quis Ætolus, neve ulla Ætola.

XVII. Cur ab hac dea nulla suis, sed sororum liberis bona precantur? An quod Ino sororis studiosa fuit, ejusque filium enutriit: in propriis D autem liberis infelix fuit? aut alias etiam consuetudo hæc boni moris est, multumque necessitatibus conciliat benevolentiæ.

XVIII. Cur multi divitum Herculi decimam suorum bonorum consecrant? An quod is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem deposuit? Aut quod effecit, ne Romani porro decimas Etruscis penderent? Aut hæc quidem fide digna historia nulla confirmantur? [3] Herculi autem ut voraci & largiter cœnanti copiosius sacrificaverunt? Aut potius nimias divitias civibus invisas carpentes, iisque tanquam corpori nimio incremento turgenti aliquid detrahentes, maxime honorari ac de- E lectari hujusmodi contractione abundantiæ putaverunt Herculem, cujus vita fuit modicis contenta rebus & frugalis?

XIX. Cur a Januario novum annum auspicantur?

---

*Ex quo relliquias, divinique ossa parentis*
*Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.*

Nihil æque convenit cum verbis Plutarchi.

1 *Sp. Carbilium*) sive malis *Carvilium*, Καρβίλιος, non Καρβήλιος. Sic Latini & ipse Plutarchus in extremo Romuli ac Numæ, proxima Quæstione. *Xyland.*

2 *Nullos posuit.*) ὅρους οὐκ ἔθηκε. οὐκ codex noster non habebat, neque interpres, neque Aldinus liber: nam in scripto nostro hic liber desideratur: sed & sententia id flagitat, & confirmat historia. In Problemate XVI. ἄβατόν ἐστι scribo. in duodevigesimo ἀφθόνως & αὐτάρκη pro ἀφθόνων & αὐτάρκη repono: & in decimo nono, pro κατεκαθήσαν, κατεστάθησαν. in promptu causa est. *Idem.*

3 *Herculi autem ut voraci & largiter cœnanti.*) In explicatione hujus Problematis, a seipso dissentire auctor videtur. Primo enim Herculem tanquam voracem, & delitiosum, mox tanquam modicis contentum, & frugalitate insignem commendat. Cur autem decimas plerique divitum Herculi obtulerint, hæc mihi quidem potissima ratio videtur, quod præ cæteris Diis quam maxime & tueri, & mala averruncare posse Hercules crederetur. Unde in lapidum antiquorum inscriptionibus, *Comes*, *Custos*, *Conservator*, *Defensor*, *Magnus Custos*, & ita porro nominatur. Hinc natum proverbium, *amico Hercule*. Hinc inter vulgatas jurandi formulas, *Me Hercule*, & plura alia. *Boxh.*

A βάλλουσι; τὸ γὰρ παλαιὸν ὁ Μάρτιος ἠριθμεῖτο πρότερος, ὡς ἄλλοις τε πολλοῖς δῆλόν ἐστι τεκμηρίοις, καὶ μάλιστα τῷ τὸν πέμπτον ἀπὸ τοῦ Μαρτίου, πέμπτον. καὶ τὸν ἕκτον, ἕκτον ὀνομάζεσθαι, καὶ τοὺς ἄλλους ἐφεξῆς ἄχρι τοῦ τελευταίου, ὃν Δεκέμβριον καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ Μαρτίου δέκατον ἀριθμούμενον. ἐξ οὗ δὴ καὶ παρέστη τισὶν οἴεσθαι καὶ λέγειν ὡς οὐ δώδεκα μησὶν, ἀλλὰ δέκα συνεπλήρουν οἱ τότε Ῥωμαῖοι τὸν ἐνιαυτὸν, ἐνίοις τῶν μηνῶν ἡμέρας πλείονας τῶν τριάκοντα προστιθέντες. ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι τὸν μὲν Δεκέμβριον ἀπὸ τοῦ Μαρτίου δέκατον εἶναι, τὸν δὲ Ἰανουάριον ἑνδέκατον, τὸν δὲ Φεβρουάριον, δωδέκατον. B ἐν ᾧ καθαρμοῖς τε χρῶνται, καὶ τοῖς φθιμένοις ἐναγίζουσι τοῦ ἐνιαυτοῦ τελευτῶντος. μετατεθῆναι δὲ τούτους, καὶ γενέσθαι τὸν Ἰανουάριον πρῶτον, ὅτι τῇ νουμηνίᾳ τούτου τοῦ μηνὸς (ἣν ἡμέραν καλάνδας Ἰανουαρίας καλοῦσιν) οἱ πρῶτοι κατεστάθησαν ὕπατοι, τῶν βασιλέων ἐκπεσόντων. πιθανώτεροι δέ εἰσιν οἱ λέγοντες, ὅτι τὸν μὲν Μάρτιον ὁ Ῥωμύλος πολεμικὸς καὶ ἀρειμάνιος ὢν, καὶ δοκῶν ἐξ Ἄρεος γεγονέναι, προέταξε τῶν μηνῶν, ἐπώνυμον ὄντα τοῦ Ἄρεος. Νουμᾶς δὲ αὖθις εἰρηνικὸς γενόμενος καὶ πρὸς ἔργα τῆς γῆς φιλοτιμούμενος τρέψαι τὴν πόλιν, ἀποστῆσαι δὲ τῶν πολεμικῶν, τῷ Ἰανουαρίῳ τὴν ἡγεμονίαν ἔδωκε, καὶ τὸν Ἰανὸν εἰς τιμὰς προήγαγε μεγάλας ὡς πολιτικὸν καὶ γεωργικὸν C μᾶλλον ἢ πολεμικὸν γενόμενον. ὅρα δὲ μὴ μᾶλλον ὁ Νουμᾶς τῇ φύσει προσήκουσαν ἀρχὴν ἔλαβε τοῦ ἔτους ὡς πρὸς ἡμᾶς. καθόλου μὲν γὰρ οὐδέν ἐστι φύσει τῶν ἐν κύκλῳ περιφερομένων, οὔτε ἔσχατον, οὔτε πρῶτον, νόμῳ δὲ ἄλλην ἄλλοι τοῦ χρόνου λαμβάνουσιν ἀρχήν· ἄριστα δὲ οἱ τὴν μετὰ τροπὰς χειμερίας λαμβάνοντες, ὁπηνίκα τοῦ πρόσω βαδίζειν πεπαυμένος ὁ ἥλιος ἐπιστρέφει καὶ ἀνακάμπτει πάλιν πρὸς ἡμᾶς. γίνεται γὰρ αὐτοῖς τρόπον τινὰ καὶ φύσει, τὸν μὲν τοῦ φωτὸς αὔξουσα χρόνον ἡμῖν, μειοῦσα δὲ τὸν τοῦ σκότους, ἐγγυτέρω δὲ ποιοῦσα τὸν κύριον καὶ ἡγεμόνα τῆς ῥευστῆς οὐσίας ἁπάσης.

D Διὰ τί τῇ γυναικείᾳ Θεῷ, ἣν Ἀγαθὴν καλοῦσι, κοσμοῦσαι σηκὸν αἱ γυναῖκες, οἴκοι μυρσίνας οὐκ εἰσφέρουσι, καίτοι πᾶσι φιλιμούμεναι χρῆσθαι τοῖς βλαστάνουσι καὶ ἀνθοῦσι; πότερον (ὡς οἱ μυθολογοῦντες ἱστοροῦσι) Φαυλίου μὲν ἦν γυνὴ τοῦ μάντεως, οἴνῳ δὲ χρησαμένη κρύφα, καὶ μὴ λαθοῦσα, ῥάβδοις ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἐκολάσθη μυρσίνης. ὅθεν μυρσίνην μὲν οὐκ εἰσφέρουσιν, οἶνον δὲ αὐτῇ σπένδουσι, γάλα προσαγορεύουσαι. ἢ πολλῶν μὲν ἁγναὶ, μάλιστα δὲ ἀφροδισίων, τὴν ἱερουργίαν ἐκείνην ἐπιτελοῦσιν; οὐ γὰρ μόνον ἐξοικίζουσι τοὺς ἄνδρας, ἀλλὰ καὶ πᾶν ἄρρεν ἐξελαύνουσι τῆς οἰκίας, ὅταν τὰ νενομισμένα τῇ Θεῷ ποιῶσι. τὴν οὖν μυρσίνην ὡς ἱερὰν Ἀφροδίτῃ ἀφοσιοῦνται. καὶ γὰρ ἣν νῦν E μουρκίαν Ἀφροδίτην καλοῦσι, μυρτίαν τὸ παλαιὸν (ὡς ἔοικεν) ὠνόμαζον.

Antiquitus enim Martius primus fuit mensis numeratus: quod cum aliis multis manifestum fit indiciis, tum eo præcipue, quod quintus a Martio mensis Quintilis, sextus Sextilis, reliquique sic deinceps nominantur usque ad ultimum, qui December appellatur, numero decimus a Martio: quæ res nonnullos movit ut opinarentur atque affirmarent etiam antiquos Romanos non duodecim, sed decem mensibus annum complevisse, quorum nonnulli plures XXX. diebus haberent. Alii sic tradunt, Decembrem a Martio mensem esse decimum, Januarium undecimum, Februarium duodecimum, quo mense lustrationibus utuntur, & defunctis parentant anno finiente. mutato autem ordine Januarium primum factum, quod Kalendis Januarii consules primi ejectis regibus Romæ magistratum iniverunt. Probabilius est, quod alii dicunt, Martium a Romulo, homine bellicoso Martisque cupido, & qui Martis filius putaretur, cæteris mensibus præpositum esse, utpote Martis cognominem. Numam vero pacis studiosum, & qui cives a re bellica ad agriculturam transferre cuperet, Januario principem locum assignasse, Janoque magnos honores detulisse, ut qui civilis & terræ colendæ quam belli fuisset studiosior. Verum hoc considera, an non potius Numa anni principium sumserit nostræ naturæ magis accommodatum? In universum enim in his quæ circulo circumaguntur, natura nihil est primum aut ultimum: sed arbitrio hominum alius aliud temporis statuit initium. Optime vero, qui post solstitium hybernum anni exordium faciunt, quando Sol progrediendi fine facto convertitur, & ad nos cursum reflectit: [1] tunc enim in ipsa quoque natura conversio quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobisque propius admovet principem atque dominum universæ fluxæ naturæ.

XX. Cur matronæ domi suæ sacellum muliebris deæ, quam Bonam vocant, ornantes, myrtum non inferunt: quanquam omnibus germinantibus & florentibus studiose ad eam rem utantur? [2] An credendum est Fabulæ, quæ perhibet Fauni cujusdam aruspicis uxorem cum clam poto vino non posset latere, a marito virgis myrteis fuisse castigatam: ideoque mulieres myrtum non inferre, sed vinum ei sub lactis appellatione libare? An vero quod cum ab aliis rebus puræ, tum maxime rei Venereæ, sacra ista peragunt? non enim solum maritos, sed omnes in universum mares domo exterminant, cum deæ sacris operantur ritibus. Itaque myrtum ut Veneri sacram abominantur. Nam quæ hodie [3] Murcia Venus dicitur, ea scilicet olim Myrtia fuit dicta.

---

1 *Tunc enim in ipsa quoque natura.*) Sententiam puto me veram extulisse: nam in Græco hæc verba γίνεται γὰρ αὐτοῖς, &c. manca sunt. *Xyland.*

2 *An credendum est Fabulæ.*) Auctor hujus fabulæ est Sextus Clodius lib. VI. de Diis Græcorum. Indicat id Arnobius lib. V. *Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente feriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de Diis Græcorum, signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas, sicut suis scribit in causalibus putas.* Verba postrema corruptissima sunt. Sine dubio recte emendarunt Viri eruditi, qui legunt, *sicut suis in caussalibus Plutarchus.* Adeo ut ad hunc auctoris nostri locum respexerit Arnobius. *Boxhon.*

3 *Murcia Venus.*) Μουρκίαν Ἀφροδίτην. Plinius libro XV. cap. XXIX. *Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant.* Ita legitur in Frobeniana optima editione. Is locus facit, ut Μουρτίαν potius legendum suspicer: nam illud ὡς ἔοικεν Plutarchi, hoc loco videtur referendum ad mutationem υ Græcæ litteræ, in Latinam u, quæ in Sulla, murratum, & aliis nota est: & Plinius ita innuere videtur a myrto eam Venerem dici. Sed apud D. Augustinum profertur Dea Murcia, sic dicta, quod præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est, nimis delidiosum & inactuosum, lib. IV. *de Civit. Dei* cap. XVI. Apud Festum, ubi vox Murcidus exponitur, mox Murcia

A Διὰ τί τὸν δρυοκολάπτην οἱ Λατῖνοι σέβονται, καὶ ἀπέχονται πάντες ἰσχυρῶς τοῦ ὄρνιθος; πότερον ὅτι τὸν Πῖκον λέγουσιν ὑπὸ φαρμάκων τῆς γυναικὸς μεταβαλεῖν τὴν φύσιν, καὶ γενόμενον δρυοκολάπτην ἀποφθέγγεσθαι λόγια, καὶ χρησμῳδεῖν τοῖς ἐρωτῶσιν; ἢ τοῦτο μὲν ἄπιστόν ἐστιν ὅλως καὶ τερατῶδες, ἅτερος δὲ τῶν μύθων πιθανώτερος, ὡς ἄρα τοῖς περὶ Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον ἐκτεθεῖσιν, οὐ μόνον ἡ λύκαινα θηλὴν ἐπεῖχεν, ἀλλὰ καὶ δρυοκολάπτης τις ἐπιφοιτῶν ἐψώμιζεν; ἐπιεικῶς γὰρ ἔτι καὶ νῦν τοῖς ὑπωρείοις καὶ δρυμώδεσι τόποις, ὅπου φαίνεται δρυοκολάπτης, ἐκεῖ καὶ λύκος, ὡς Νιγίδιος ἱστορεῖ. ἢ μᾶλλον, ὡς ἄλλον ἄλλου Θεοῦ, καὶ τοῦτον Ἄρεος ἱερὸν νομίζουσι τὸν ὄρνιν; καὶ γὰρ εὐθαρσὴς B καὶ γαῦρός ἐστι καὶ τὸ ῥύγχος οὕτως ἔχει καρταιόν, ὥστε δρῦς ἀνατρέπειν ὅταν κόπτων πρὸς τὴν ἐντεριώνην ἐξίκηται.

Cur picum Latini venerantur, eoque universi magnopere abstinent? An quia Picum veneficio uxoris mutatum in picum avem fabula fert, & oracula pronunciasse, ac responsa interrogantibus dedisse? An hoc quidem omnino incredibile est & monstrosum? alia vero fabula probabilior, Romulo & Remo expositis non tantum ubera lupam præbuisse, sed & picum frequenter advolasse ac bucceas in ora inseruisse? Frequenter enim etiamnum in locis quæ sub montibus sita sunt ac silvestria, ubi picus, ibi etiam lupus visitur, ut narrat Nigidius. Aut potius sicut aliæ aves aliis diis sacræ, ita picus Marti sacer est? est enim audax & ferox avis, rostrumque habet ita robustum, ut quercus etiam exscindat, cum rostri ictibus usque ad medullam pervenerit.

Διὰ τί τὸν Ἰανὸν διπρόσωπον οἴονται γεγονέναι, καὶ γράφουσιν οὕτω καὶ πλάττουσι; πότερον ὅτι τῷ μὲν γένει Ἕλλην ἐκ Περραιβίας ἦν (ὡς ἱστοροῦσιν) διαβὰς δὲ εἰς Ἰταλίαν, καὶ συνοικήσας τοῖς αὐτόθι βαρβάροις, μετέβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν; ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτοὺς ἀγρίοις καὶ ἀνόμοις χρωμένους ἔθεσιν εἰς ἕτερον βίου σχῆμα, πείσας καὶ γεωργεῖν καὶ πολιτεύεσθαι μετέβαλε καὶ μετεκόσμησε.

XXII. [1] Cur Janum bifrontem fuisse credunt, talemque fingunt & pingunt? Num quia genere Græcus ex Perrhæbia fuit, ac profectus in Italiam, sedibus apud barbaros positis linguam vitæque rationem mutavit? hoc enim narratur. An vero, quod Italos feris utentes injustisque moribus suadendo ad aliud vitæ genus traduxerit, agriculturaque & civili institutione composuerit?

C Διὰ τί τὰ πρὸς τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῆς Λιβιτίνης; νομίζοντες Ἀφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην; πότερον καὶ τοῦτο τοῦ Νουμᾶ τοῦ βασιλέως φιλοσοφημάτων ἕν ἐστιν, ὅπως μανθάνωσι μὴ δυσχεραίνειν τὰ τοιαῦτα, μηδὲ φεύγειν ὡς μιασμόν. ἢ μᾶλλον ὑπόμνησίς ἐστι τὸ φθαρτὸν εἶναι τὸ γεννητόν; ὡς μιᾶς Θεοῦ τὰς γενέσεις καὶ τὰς τελευτὰς ἐπισκοπούσης. καὶ γὰρ ἐν Δελφοῖς Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας ἀγαλμάτιόν ἐστι, πρὸς ὃ τοὺς κατοιχομένους ἐπὶ τὰς χοὰς ἀνακαλοῦνται.

XXIII. Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendunt, quam eandem esse cum Venere censent? An hoc quoque unum est [2] de Numæ regis sapienter institutis, quod discerent ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere? Aut potius eo monebantur caducum esse, quod esset natum, una eademque Dea & ortibus & interitibus præsidente? Nam Delphis quoque Veneris Sepulcralis (Epitymbiam ipsi dicunt) est imaguncula, ad quam evocant eorum manes, quibus libant.

---

Dea subjicitur: quanquam in litteris erratum ibi esse possit: aliterque in Antonii Augustini nobilissima editione legatur. Apud Varronem libro IV. *de Lingua Latina* hæc sunt, quæ scripturam rursum faciunt ambiguam: *Intimus Circus ad Murcium vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos*. Alii esse dicunt a murteto declinatum, quod id ibi fuerit: cujus vestigium manet, quod ibi facellum etiam nunc Veneris Murciæ. Addam hoc loco quod videtur non tam solvere dubitationem, quam tollere. Apparet, inquam, veteres C & T litteras confudisse, quod nobis in pronunciando hodie est usitatum. Nam hoc nisi concedatur, quid faciemus Valerio Probo, qui Marcum (neque unquam inventus est, ac ne iri quidem inventum quenquam puto, qui non pro C vel K scribat) a Martio mense (cujus scriptura litteram C vel K non potest admittere) dictum ait? Id genus permulta sunt in controversiis orthographicis atque etymologicis. Sed in præsentia satis. Problemate sequenti Νιγίδιος restitui, qui a Plutarcho etiam alibi citatur: ne Latinos & Græcos alios testes appellem. *Xyland.*

1 *Cur Janum bifrontem fuisse credunt.*) Vulgares fabulas in hujus Problematis interpretatione adducit Plutarchus. Nobis sic videtur. Janus Latinorum nihil aliud est, quam Chaos Græcorum, ut bene Festus observavit. Chaos autem, ut loquitur Poeta, moles rudis est, & indigesta. Sic biceps Janus confusum aliquid & commixtum notat. Quemadmodum Chaos principium omnium rerum, ita principium & hominum & Deorum Janum credebant. Huc faciunt venustissimi versus antiqui Poetæ Septimii, qui extant apud Terentianum,

*Jane pater, Jane tuens, Dive biceps, biformis,*
*O cate rerum sator, o principium Deorum,*
*Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,*
*Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi,*
*Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.*

Hinc factum, ut in sacrificiis primo omnium Janum compellarent; ut Patris cognomentum ei tribueretur. Quidquid autem natum, in tempore natum, pars vero temporis anni, sic simul & temporis & anni præstes Janus habebatur. Proprie autem est Chaos, quemadmodum dixi. *Boxhorn.*

2 *De Numæ regis*) τοῦ Νουμᾶ legebatur perridicule τοῦνομα. quod etiam interpres sensit, & miror ab iis non animadversum, qui tot millia mendorum (ut ipsi ajunt) ejecerunt, item pro ἔνεστιν, legi ἕν ἐστιν: & ubi legi, ductus ipsa sensus perspicuitate, ἀγαλμάτιόν ἐστι, legebatur ἀγαλμάτιόν τε. cum in Aldino (si librarius notam infra agnovisset) recte esse postmodo deprehenderim. Idem error est supra probatus: in sequente Quæstione legebbatur, οἱ ταυτὸ διάστημα, quod etiam interpretem fefellit, cum sit perspicue falsum. Quis enim nescit a Kalendis ad Nonas, ab his ad Idus, inde ad finem mensis inæqualia esse spacia? Itaque non dubito οἱ in οὐ mutare. *Xyland.*

Διὰ τί τρεῖς τοῦ μηνὸς ἀρχὰς καὶ προθεσμίας ἔχουσιν οἱ ταὐτὸ διάστημα τῶν ἡμερῶν μεταξὺ λαμβάνοντες; πότερον ( ὡς οἱ περὶ τὸν Ἰόβαν ἱστοροῦσιν ) ὅτι ταῖς καλάνδαις ἐκάλουν τὸν δῆμον οἱ ἄρχοντες, καὶ κατήγγελλον εἰς πέμπτην τὰς νόννας, εἰδοὺς δὲ ἡμέραν ἱερὰν ἐνόμιζον; ἢ μᾶλλον ὅτι ταῖς τῆς σελήνης διαφοραῖς ὁρίζοντες τὸν χρόνον, ἑώρων ἐν τρισὶ γινομένην διαφοραῖς τὴν σελήνην κατὰ μῆνα ταῖς μεγίσταις; πρώτη μὲν, ὅτε κρύπτεται, σύνοδον ποιησαμένη πρὸς ἥλιον· δευτέρα δὲ, ὅταν ἐκφυγοῦσα τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου, καταφανὴς πρῶτον ἐπὶ δυσμῶν γένηται. τρίτη δὲ, B τῇ περὶ τὴν πλήρωσιν αὐτῆς πανσελήνου γενομένης· ὀνομάζουσι τὸν μὲν ἀφανισμὸν αὐτῆς καὶ τὴν κρύψιν, καλάνδας, ὅτι πᾶν τὸ κρύφα καὶ λάθρα κλὰμ, καὶ κηλᾶρε τὸ λανθάνειν. τὴν δὲ πρώτην φάσιν νόννας τῶν δικαιοτάτῳ τῶν ὀνομάτων, νουμηνίαν οὖσαν· καὶ γὰρ αὐτοὶ τὸν νέον καὶ καινὸν ὥσπερ ἡμεῖς προσαγορεύουσι· τὰς δὲ εἰδοὺς, ἢ διὰ τὸ κάλλος καὶ τὸ εἶδος, ὁλοκλήρου καθισταμένης τῆς σελήνης, ἢ τῷ Διῒ τὴν ἐπωνυμίαν ἐπιδιδόντες. οὐ δεῖ δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν ἀκριβέστατον ἀριθμὸν διώκειν, οὐδὲ τὸ παρ' ὀλίγον συκοφαντεῖν. ὅπου καὶ νῦν ἐπίδοσιν τοσαύτην ἀστρολογίας ἐχούσης, περιγίνεται τῆς ἐμπειρίας τῶν μαθηματικῶν ἡ τῆς κινήσεως ἀνωμαλία διαφεύγουσα τὸν λόγον. C

A XXIV. Cur tria principia mensis habeat, non eodem dierum numero distincta? An Jubæ fides habenda est? Is Kalendis dicit populum fuisse a magistratibus vocatum, & ei indictas in quintum alium diem Nonas: Idus autem diem sacram habitas. Aut potius cum tempus Lunæ varietatibus definirent, animadverterunt quovis mense tribus eam maximis variari differentis. quarum prima est, cum occultatur congressa cum sole: altera, cum radiis solaribus elapsa, primum in occidua plaga conspectui sese offert: tertia, cum Soli opposita pleno orbe fulget, itaque occultationem ejus vocant calendas, quia omne quod occulte & furtim fit, clam appellant, tracto inde verbo celare. Primum autem [1] Lunæ conspectum Nonas ajunt justissimo nomine vocari, cum sit novilunium. Eidus aut ob pulchritudinem dici creditur, quod tum integra Luna est lucida: aut cognomines esse Jovi. hunc Dia, speciem seu formam Græci eidos appellant. Neque vero oportet numerorum subtilissimam rationem consectari, aut si quid exiguum rationes offendat, calumniari. quando hodieque cœlestium motuum observatione artificiosa interim tanto aucta incremento, tamen inæqualitas motionum peritiam mathematicorum vincit, ratiocinationemque subterfugit.

Διὰ τί τὴν μετὰ καλάνδας ἡμέραν καὶ νόννας καὶ εἰδοὺς ἀνέξοδον καὶ ἀνεκδήμητον τίθενται; πότερον ( ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζουσι, καὶ Λίβιος ἱστορεῖ ) μετὰ τὰς Κυιντιλίας εἰδοὺς ( ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦσιν ) ἐξάγοντες οἱ χιλίαρχοι τὸ στράτευμα περὶ τὸν Ἀλλίαν ποταμὸν, ἐκρατήθησαν ὑπὸ Κελτῶν μάχῃ, καὶ τὴν πόλιν ἀπώλεσαν· νομισθείσης δὲ μετὰ τὰς εἰδοὺς ἀποφράδος, προσαγὲν, ὥσπερ φιλεῖ, πορρωτέρω τὸ ἔθος ἡ δεισιδαιμονία, καὶ κατέστησεν εἰς τὴν αὐτὴν εὐλάβειαν, τήν D τε μετὰ τὰς νόννας καὶ τὴν μετὰ καλάνδας; ἢ τοῦτο μὲν ἔχει πολλὰς ἀντιλογίας; ἄλλῃ τε γὰρ ἡμέρᾳ τὴν μάχην ἡττήθησαν, ἣν Ἀλλιάδα διὰ τὸν ποταμὸν καλοῦντες ἀφοσιοῦνται, καὶ πολλῶν ἀποφράδων οὐσῶν, οὐκ ἐν παντὶ μηνὶ τὰς ὁμωνύμους παραφυλάττουσιν, ἀλλὰ ἑκάστην, ἐν ᾧ συνέτυχε. τό, τε ταῖς μετὰ νόννας καὶ καλάνδας ἁπλῶς ἁπάσαις προστρίψασθαι τὴν δεισιδαιμονίαν ἀπιθανώτατον. ὅρα δὴ μὴ καθάπερ τῶν μηνῶν μὲν πρῶτον ὀλυμπίοις θεοῖς ἱέρωσαν, τὸν δὲ δεύτερον χθονίοις, ἐν ᾧ καὶ καθαρμούς τινας τελοῦσι, καὶ τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζουσιν, οὕτω τῶν ἡμερῶν τὰς μὲν

XXV. Cur diebus postridie Kalendarum, Nonarum, atque Eiduum exire urbe aut peregrinari non licet? An id fit ea de causa quam plerique putant, & Livius tradidit? Postridie Idus Quinctiles, quas nunc Julias vocant, tribuni militum legiones ad Aliam fluvium educentes, a Gallis pugna sunt victi, urbemque amiserunt. Is dies cum nefastus esset judicatus, superstitio ( ut solet ) [2] morem hunc amplificavit, eidemque religioni obnoxios fecit etiam dies postridie Kalendarum & Nonarum. Aut multa sunt, quæ contra hanc opinionem dicunt? nam & alia die clades ea accepta fuit, quam diem Aliensem a flumine dictam abominantur: & cum multi sint atri sive nefasti dies, non eosdem in omnibus observant mensibus, sed in unoquoque prout res tulit: & veri speciem nullam habet, unam Idibus proxime, posteriorem diem omnibus quæ Nonas atque Kalendas continenter insequuntur, hanc superstitionem conciliasse. Videndum igitur, numnam sicut ex mensibus primum diis cœlestibus consecrarunt, secundum diis manibus, quo mense & lustrationes quasdam peragunt, & defunctis parentant: ita etiam

---

1 *Lunæ conspectum.* ) τὴν δὲ πρώτην φασὶ. Post πρώτην, deesse ἐπιφάνειαν, aut aliquid tale opinatus sum pridem. Sed omnino nunc φασὶ in φάσιν muto, vocem in hac re mathematicis non ignotam. αἱ δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι. Quod de Kalendarum nomine affertur etymon, frigidius est, quam quod refutatione indigeat: quæ est enim tandem inter Calendas ( sic scribo, ne vim videar intentare ) clam & celare analogia? Marcellus ex Varrone: Kalendis calabantur, id est, vocabantur: & ab eo Calendæ appellatæ: quod est tractum a Græcis, qui καλεῖν vocare dixerunt. Quid ergo causæ est cur in Græca voce utentes littera Græca, originem testante ( quod musicis in suo γ ut citra invidiam licuit ) ad Kalendas Græcas relegemur cum tota antiquitate? quæ littera K etiam alibi usa est, ubi etymologia Græca nulla videatur esse, ut in K pro Kæsone seu Cæsone Fabiorum prænomine. Hoc addo, Jubæ sententiam hic non extare citatam, sicut fuisse puto, ab autore integram. Quæ Macrobius habet *Saturn.* I. xv. digna sunt cognitu: digniora, quæ Varro libro quinto, ut alios taceam. Hæc animi causa scripsi, cum mihi ista recognoscenti veniret in mentem, amicum quendam meum aliquando, nescio sane ubi istas edoctum argutias, mihi hunc nodum solvendum proposuisse: Græci non utuntur Kalendis; ergo non debent scribi Græca littera Kalendæ: quasi vero κ. qua in Romanis Kalendis exprimendis utuntur, non sit Græca ipsis assertoribus littera? aut K perinde atque Y non liceat retinere originis testandæ gratia? ne adjiciam, Eiduum quoque vocem a Græco repeti sermone. *Xyland.*

2 *Morem hunc amplificavit.* ) προσαγὲν, ὥσπερ φιλεῖ. mendum esse nemo non animadvertat, sensu interim evidente. fortassis προῆγεν. *Idem.*

οἷον ἀρχὰς καὶ κυρίας, ὥσπερ εἴρηται, τρεῖς οὔσας, ἑορτασίμους καὶ ἱερὰς ἔθεντο, τὰς δὲ ἐφεξῆς δαίμοσι καὶ φθιτοῖς ἐπιφημίσαντες, ἀποφράδας καὶ ἀπράκτους ἐνόμισαν. καὶ γὰρ Ἕλληνες ἐν τῇ νουμηνίᾳ τοὺς θεοὺς σεβόμενοι, τὴν δευτέραν ἥρωσι καὶ δαίμοσιν ἀποδεδώκασιν, καὶ τῶν κρατήρων ὁ δεύτερος ἥρωσιν ἐπικίρναται καὶ ἡρωΐσι. καὶ ὅλως ἀριθμός τις ὁ χρόνος· ἀριθμοῦ δὲ θεῖον ἡ ἀρχή· μονὰς γάρ ἐστιν. ἡ δὲ μετ' αὐτὴν δυὰς, ἀντίπαλον τῇ ἀρχῇ καὶ ἀρτίων πρώτη. τὸ δὲ ἄρτιον, ἐνδεὲς καὶ ἀτελὲς καὶ ἀόριστον, ὥσπερ αὖ τὸ περιττὸν ὥρισται καὶ περαίνει καὶ τέλειόν ἐστι. διὸ καὶ νόνται μὲν ἐπιβάλλουσι διὰ πέμπτης καλάνδαις, νόνναις δὲ εἰδοῖ διὰ ἐννάτης. ὁρίζουσι γὰρ οἱ περιττοὶ τὰς ἀρχάς· οἱ δὲ μετὰ τὰς ἀρχὰς ἄρτιοι ὄντες, οὐκ ἔχουσι τάξιν οὐδὲ δύναμιν, ὅθεν οὐκ ἄρχονται πράξεως οὐδὲ ἀποδημίας ἐν ταύταις· ἢ καὶ τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους ἔχει λόγον ἐρίσαι ποτὲ τὴν ὑστεραίαν πρὸς τὴν ἑορτὴν, ἐκείνης μὲν ἀσχολίαν καὶ κόπον ἐχούσης πολὺν, αὐτὴ δὲ παρέχουσα μετὰ σχολῆς καὶ ἡσυχίας ἀπολαῦσαι τῶν παρεσκευασμένων πρὸς τὴν ἑορτήν. ἀποκρίνασθαι δὲ πρὸς ταῦτα τὴν ἑορτὴν, Ἀληθῆ λέγεις, ἀλλ' ἐμοῦ μὴ γενομένης, οὐδ' ἂν σὺ ἦς. ταῦτα δὲ ὁ Θεμιστοκλῆς πρὸς τοὺς αὖθις ἔλεγε στρατηγοὺς τῶν Ἀθηναίων, ὡς οὐκ ἂν οὐδαμοῦ φανέντες, εἰ μὴ τὴν πόλιν αὐτὸς ἔσωσεν. ἐπεὶ τοίνυν πᾶσα μὲν ἀξία σπουδῆς ἀποδημία καὶ πρᾶξις οἰκονομίας δεῖται καὶ παρασκευῆς· Ῥωμαῖοι δὲ τοπαλαιὸν ἐν ταῖς ἑορταῖς οὐδὲν ᾠκονόμουν οὐδὲ ἐφρόντιζον, ἀλλ' ἢ περὶ τοὺς θεοὺς ἠσχολοῦντο; καὶ τοῦτο ἔπραττον, ὥσπερ ἔτι νῦν προκηρύττουσιν οἱ ἱερεῖς, ἐπὶ τὰς θυσίας βαδίζοντες, εἰκότως εὐθὺς οὐκ ἐξεδήμουν μετὰ τὰς ἑορτὰς οὐδὲ ἔπραττον, (ἀπαράσκευοι γὰρ ἦσαν) ἀλλὰ ἐκφροντίζοντες οἴκοι καὶ παρασκευαζόμενοι τὴν ἡμέραν διετέλουν. ἢ καθάπερ ἔτι νῦν προσευξάμενοι καὶ προσκυνήσαντες, ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιμένειν καὶ καθίζειν, εἰώθασιν, οὕτως οὐκ εὐθὺς ἐπέβαλλον ταῖς ἱεραῖς ἡμέραις τὰς ἐνεργοὺς, ἀλλ' ἐποίουν τι διάλειμμα καὶ διάστημα, πολλὰ τῶν πραγμάτων δυσχερῆ καὶ ἀβούλητα φερόντων.

Διὰ τί λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν αἱ γυναῖκες ἱμάτια, καὶ λευκοὺς κεκρυφάλους; πότερον ὡς τοὺς μάγους φασὶν πρὸς τὸν ᾅδην καὶ τὸ σκότος ἀντιταττομένους, τῷ δὲ φωτεινῷ καὶ λαμπρῷ συνεξομοιοῦντας ἑαυτοὺς, τοῦτο ποιεῖν, ἢ, καθάπερ τὸ σῶμα τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύουσι λευκοῖς, καὶ τοὺς προσήκοντας ἀξιοῦσι; τὸ δὲ σῶμα κοσμοῦσιν οὕτως, ἐπεὶ μὴ δύνανται τὴν ψυχήν. βούλονται δὲ ἐκείνην λαμπρὰν καὶ καθαρὰν προπέμπειν, ὡς ἀφειμένην ἤδη καὶ διηγωνισμένην μέγαν ἀγῶνα καὶ ποικίλον. ἢ, τὸ μὲν λιτὸν ἐν τούτοις μάλιστα καὶ τὸ ἁπλοῦν πρέπει· τῶν δὲ βαπτῶν τὰ μὲν καὶ πολυτέλειαν ἐμφαίνει, τὰ δὲ περιεργίαν. οὐ γὰρ ἧττόν ἐστι πρὸς τὸ μέλαν ἢ τὸ ἁλουργὸν εἰπεῖν, δολερὰ μὲν τὰ εἵματα, δολερὰ δὲ τὰ χρώματα. τὸ δὲ αὐτόχροον μέλαν, οὐχ ὑπὸ τέχνης ἀλλὰ φύσει βαπτόν ἐστι, καὶ μεμιγμένον τῷ

A dierum initia quaſi & principes ſtatuerint tres eos quos diximus cujuſque menſis, feſtoſque hos dies & ſacros eſſe voluerint: proximos autem ab his dæmonibus & vita defunctis deſtinaverint, nefaſtoſque & ad agendum ineptos eſſe juſſerint. Nam Græci etiam in novilunio diis rem ſacram facientes, proximum ab eo diem heroibus ac geniis addixerunt, craterumque ſecundus heroibus heroiniſque miſcetur. Omnino autem tempus quidam eſt numerus. numeri autem principium Unitas, ſacra habetur. binarius, qui eam excipit, principio opponitur, ut parium primus. Par autem numerus imperfectus eſt & mancus atque infinitus; [1] ſicut contra impar definitus, finiens, atque per-B fectus. Ideo Nonæ quinto die Kalendas, Idus nono dies Nonas ſubſequuntur. imparibus enim principia definiuntur. Qui vero principia inſequuntur dies, pari numero cum cenſeantur, ordinis eam dignitatem ac vim non habent: itaque his diebus actionem nullam aut peregrinationem ordiuntur. Quid ſi huc pertineat fabula Themiſtoclis? contendiſſe aliquando diem poſt feſtum diem proxime ſuccedentem cum feſto die, objeciſſeque, Hunc multum habere laboris ac moleſtiarum, ſe ocium præbere, & facultatem per quietem fruendi iis quæ ad feſtivitatem fuiſſent parata. reſpondiſſe fe-C ſtum diem: vera dicis, ſed ego niſi fuiſſem, nunquam tu eſſes. Hoc autem Themiſtocles dicterio duces Athenienſium, qui ipſi ſucceſſerant, refutavit, Nunquam eos fuiſſe exſtituros ſignificans, ſi ipſe urbem non conſervaſſet. Cum itaque omnis ſeria profectio & actio apparatum requirat & diſpoſitionem, Romani autem feſtis diebus nihil adornare conſueviſſent, neque ulli curæ extra cultum deorum intenti eſſent, adeoque quod etiamnum edicunt pontifices ad ſacrificia accedentes, Hoc agerent; haud abs re fuit, quod ſtatim a feriis iter ingredi aut actionem ſuſcipe-D re noluerunt. quippe imparati cum eſſent, domi diem a feriis proximum meditandis apparandiſque rebus conſumſerunt. An quemadmodum hodieque cum in templis deos adoraverunt, manere ſolent atque aſſidere: ita ſacris quoque diebus non ſtatim agendo dicatas ſubjecerunt, ſed intercapedinem quandam fecerunt, cum difficilia multa & præter voluntatem hominibus inter agendum eveniant.

XXVII. Cur in luctu mulieres albas gerunt veſtes albaſque vittas? An id faciunt exemplo magorum, qui [2] adverſus Plutonem & tenebras [3] lucido & illuſtri amictu ſe muniunt? Aut ſicut defuncti cadaver albo involvunt tegmine, ita etiam E amictos volunt eſſe neceſſarios? Corpus autem hoc modo ornant, quia animam non poſſunt, quam volunt puram illuſtremque proſequi, ut peracto difficili ac vario certamine jam dimiſſam. Sive luctum maxime decent vilia & ſimplicia? quæ autem colore infecta ſunt, partim luxum, partim ſupervacanearum rerum ſtudium arguunt. non enim minus de nigro, quam de cœruleo colore dici poteſt: doloſæ ſunt veſtes, doloſus color. jam nigra ex ſeſe quæ ſunt, non arte, ſed natura tincta ſunt, um-

---

1 *Sicut contra*) ἀόριστον ὥσπερ αὐτὸ. lego αὖ τὸ. Mox ἢ καὶ τὸ τοῦ θέμις.) Lego ἤ. quartam enim opinionem exponit, niſi fallor. *Xyland.*

2 *Adverſus Plutonem & tenebras lucido & illuſtri amictu utuntur.*) Recte ex ſententia veterum. Diem enim larvæ & manes odiſſe ac fugere credebantur. Quemadmodum jam ante in *Quæſtionibus* noſtris a nobis eſt obſervatum. *Boxh.*

3 *Lucido & illuſtri*) τῷ δὲ φωτεινῷ ego δὲ jure me omiſiſſe puto, non habens cur ſuſpicer aliquid detritum ante hæc verba eſſe. Poſt βαφῇ καὶ, lego καὶ βαφῇ. poteſt enim inquinari albedo. Sed tinctura lanam albam non facit, niſi eam intelligas, qua rudia lintea identidem madefacta, ſolis vi aquam, unaque ſordes exhalante, albedinem conſequuntur? *Xyland.*

σκιώδει κέκραται. μόνον οὖν τὸ λευκὸν, εἰλικρινὲς καὶ ἀμιγὲς καὶ ἀμίαντόν ἐστι βαφῇ καὶ ἀμίμητον. οἰκειότατον οὖν τοῖς θαπτομένοις. καὶ γὰρ ὁ τεθνηκὼς ἁπλοῦν τι γέγονε καὶ ἀμιγὲς καὶ καθαρὸν ἀτεχνῶς, οὐδὲν ἄλλ' ἢ φαρμάκου δευσοποιοῦ, τοῦ σώματος ἀπηλλαγμένος. ἐν δὲ Ἄργει λευκὰ φοροῦσιν ἐν τοῖς πένθεσιν, ὡς Σωκράτης φησὶν, ὑδατόκλυστα.

Διὰ τί πᾶν τεῖχος ἀβέβηλον καὶ ἱερὸν νομίζουσι, τὰς δὲ πύλας οὐ νομίζουσιν; ἢ (καθάπερ ἔγραψε Βάῤῥων) τὸ μὲν τεῖχος ἱερὸν δεῖ νομίζειν, ὅπως ὑπὲρ αὐτοῦ μάχωνται προθύμως καὶ ἀποθνήσκωσιν, οὕτω γὰρ δοκεῖ καὶ Ῥωμύλος ἀποκτεῖναι τὸν ἀδελφὸν, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον ἐπιχειροῦντα διαπηδᾷν, καὶ ποιεῖν ὑπέρβατον καὶ βέβηλον. τὰς δὲ πύλας οὐχ οἷόν τε ἦν ἀφιερῶσαι, δι' ὧν ἄλλα τε πολλὰ τῶν ἀναγκαίων καὶ τοὺς νεκροὺς ἐκκομίζουσιν. ὅθεν οἱ πόλιν ἀπ' ἀρχῆς κτίζοντες, ὅσον ἂν μέλλωσι τόπον ἀνοικοδομεῖν, ἐπίασιν ἀρότρῳ, βοῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν ὑποζεύξαντες. ὅταν δὲ τὰ τείχη περιορίζωσι, τὰς τῶν πυλῶν χώρας διαμετροῦντες, τὴν ὕνιν ὑφαιροῦσι, καὶ μεταφέρουσιν οὕτω τὸ ἄροτρον, ὡς τὴν ἀρηρμένην πᾶσαν ἱερὰν καὶ ἄσυλον ἐσομένην.

Διὰ τί τοὺς παῖδας, ὅταν ὀμνύωσι τὸν Ἡρακλέα, κωλύουσιν ὑπὸ στέγῃ τοῦτο ποιεῖν, καὶ κελεύουσιν εἰς ὕπαιθρον προϊέναι; πότερον (ὡς ἔνιοι λέγουσιν) οὐκ οἰκουρίᾳ τὸν Ἡρακλέα χαίρειν, ἀλλὰ ὑπαίθρῳ βίῳ καὶ θυραυλίαις νομίζοντες; ἢ μᾶλλον ὅτι τῶν Θεῶν οὐκ ἐπιχώριος οὗτος, ἀλλὰ πόῤῥωθεν ξένος; οὐδὲ γὰρ τὸν Διόνυσον ὀμνύουσιν ὑπὸ στέγῃ, ξένον ὄντα καὶ αὐτόν. εἴπερ ἐστὶ Διόνυσος. ἢ ταῦτα μὲν λέγεται καὶ παίζεται πρὸς τοὺς παῖδας, ἄλλως δὲ ἐπίσχεσίς ἐστι τῆς πρὸς τὸν ὅρκον εὐχερείας καὶ ταχύτητος τὸ γινόμενον, ὡς Φαβωρεῖνος ἔλεγε. τὸ γὰρ ὥσπερ ἐκ παρασκευῆς μέλλησιν ἐμποιεῖ, καὶ βουλεύσασθαι δίδωσι. συμβάλοιτο δ' ἄν τις τῷ Φαβωρείνῳ, πρὸς τὸ μὴ κοινὸν, ἀλλὰ ἴδιον εἶναι τοῦ Θεοῦ τοῦτο τὸ γινόμενον ἐκ τῶν περὶ Ἡρακλέους λεγομένων. ἱστορεῖται γὰρ οὕτως εὐλαβὴς γεγονέναι πρὸς ὅρκον, ὥστε ἅπαξ ὀμόσαι καὶ μόνῳ Φυλεῖ τῷ Αὐγέου. διὸ καὶ τὴν Πυθίαν προφέρειν τὰ ὅρκια ταῦτα Λακεδαιμονίοις,„ ὡς ἐμπεδοῦσι λῷον εἴη καὶ ἄμεινον.

Διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες; πότερον ὅτι τὰς πρώτας γυναῖκας ἁρπάσαντες, οὕτως εἰσήνεγκαν, αὐταὶ δὲ οὐκ εἰσῆλθον; ἢ βούλονται δοκεῖν εἰσιέναι βιαζομένας, οὐχ ἑκούσας, ὅπου μέλλουσι διαλύειν τὴν παρθενίαν; ἢ σύμβολόν ἐστι τοῦ μηδὲ ἐξιέναι δι' αὐτῆς, μηδὲ καταλιπεῖν τὴν οἰκίαν, εἰ μὴ βιασθείη, καθάπερ καὶ εἰσῆλθε βιασθεῖσα. καὶ γὰρ παρ' ἡμῖν ἐν Βοιωτίᾳ καίουσι πρὸς τὰς θύρας τὸν ἄξονα τῆς ἁμάξης, ἐμφαίνοντες δεῖν τὴν νύμφην ἐμβαίνειν ὡς ἀνῃρημένου τοῦ ἀπάξοντος.

Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες, λέγειν κελεύουσιν, Οπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα; πότερον, ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθὺς εἴσεισι τῷ κοινωνεῖν ἁπάντων καὶ συνάρχειν, καὶ τὸ μὲν δηλούμενόν ἐστιν, Οπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα· τοῖς δὲ ὀνόμασι τούτοις ἄλλως κέχρηνται κοινοῖς οὖσιν, ὥσπερ οἱ νομικοὶ· Γάϊον, Σήϊον, καὶ Λούκιον, Τίτιον, καὶ οἱ φιλόσοφοι Δίωνα καὶ Θέωνα παραλαμβάνουσιν; ἢ διὰ Γαΐαν Κεκιλίαν καλὴν καὶ

A broſoque colore permixta. Solum itaque album ſincerum eſt mixturæque expers, purum, & tinctura non imitabilem, ac proinde optime convenit iis qui ſepeliuntur. Mortuus enim ſimplex quippiam factus eſt & impermixtum ac purum: ſcilicet nihil aliud, quam a corpore tanquam ſucco colorem inducente liberatus. Socrates ſcribit, Argis in luctu albas geri veſtes aqua elutas.

XXVII. Cur omnem murum ſacrum intaminatumque habent, portas non item? An vera eſt Varronis ſententia? muros propterea ſacros exiſtimandos, ut pro iis propugnare alacrius cives, mortemque etiam oppetere ſuſtineant. (Et videtur B Romulus quoque fratrem propterea interfeciſſe, quod ſacrum locum & inacceſſum tranſilire aggreſſus, tranſcendendum profanumque reddidiſſet.) Portæ autem ſacræ eſſe non poterant, cum per eas & alia neceſſaria, & cadavera etiam efferrentur. Itaque urbem qui de novo condebant, aratro, cui bovem marem & feminam ſubjunxiſſent, locum quantum erat murus occupaturus deſignabant: portarumque dimenſi ſpacia, vomere exempto aratrum earum locis intactis transferebant. quod omnem terram aratam ſacram & inviolabilem cenſerent futuram.

XXVIII. Cur pueros Herculem juraturos non C ſinunt jurejurandum hoc intra domum facere, ſed exire ſub dium jubent? An ea eſt vera quorundam opinio, quia Hercules non ſit delectatus vita parietibus cincta, ſed ſub dio & peregre ſolitus degere? Aut quia deus iſte non indigena, ſed peregrinus & hoſpes fuit? Nam Bacchum quoque non jurant ſub tecto, hunc quoque peregrinum. An vero hæc joco tantummodo pueris dicuntur? alias vero hac ratione cohibere eos a levitate & jurandi temeritate voluerunt, ſicut Favorino placet. nam iſte quaſi apparatus cunctationem injicit, facultatemque deliberandi præbet. Hunc ritum non communem, ſed Herculi pecu- D liarem fuiſſe cum Favorino aliquis affirmaverit, iis quæ de eo narrantur conſideratis. adeo enim religioſum hac in re fuiſſe tradunt Herculem, ut ſemel duntaxat juraverit, ſoli nimirum Phyleo Augeæ F. Ideoque etiam Pythiam hæc ſacramenta Lacedæmoniis exprobraſſe, quod diceret melius utiliuſque fore, citra jurejurandum promiſſa implere.

XXIX. Cur nuptam non patiuntur ipſam tranſcendere limen domus, ſed ſublatam tranſportant pronubi? An quia in prima raptione mulieres non ultro intraverunt domos, ſed illatæ ſunt? aut quia videri volunt non volentes, ſed vi coa- E ctæ eo ingredi, ubi ſunt virginitatem amiſſuræ? aut hoc ſignum eſt, exire etiam eas, domumve relinquere non debere, niſi vi ejiciantur, ſicut vi introductæ ſunt? Nam etiam apud nos in Bœotia in nuptiis axem plauſtri ante fores cremant, innuentes ſponſæ manendum eſſe, ſublato avehendi inſtrumento.

XXX. Cur ſponſam introducentes dicere jubent, Ubi tu Cajus, ego Caja? An quia hac conditione pacta intrat, ut particeps omnium rerum & gubernandæ familiæ ſit? itaque hæc verba id ſignificant, Ubi tu dominus eris & paterfamilias, ego domina ero & materfamilias. Nomine autem Caii & Cajæ, ut communibus, [1] uſi ſunt peculiariter. quomodo F jureconſulti Caii, Seii, Lucii, Titii nomen ei de quo agitur imponunt. & philoſophi Dionis aut

---

1 *Uſi ſunt peculiariter.*) ἄλλως κέχρηνται. improprie, uſurpative, οὐκ ἰδίως. Cajus non omnium virorum prænomen eſt: neque Caja mulierum, neque Titius civium, neque Stichus ſervorum: quod autem cuivis adhibentur, fit uſurpatione quadam, ſicut Dialectici & Mathematici ſuos terminos vocant. α. β. γ. &c. Hoc ergo eſt ἄλλως χρῆσθαι. ἄλλοις legebatur: quod loci vim obſcurabat mendum. *Xyland.*

ἀγαθὴν γυναῖκα τῶν Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ σάγκτε ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἕστηκεν; ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια καὶ ἄτρακτοι, τὸ μὲν, οἰκουρίας αὐτῆς, τὸ δὲ, ἐνεργείας σύμβολον.

Διὰ τί ὁ πολυθρύλλητος ᾄδεται Ταλάσιος ἐν τοῖς γάμοις; πότερον ἀπὸ τῆς ταλασίας; καὶ γὰρ τὸν τάλαρον τάλασον ὀνομάζουσι· καὶ τὴν νύμφην εἰσάγοντες, νάκος ὑποστρωννύουσιν· αὐτὴ δὲ εἰσφέρει μὲν ἠλακάτην καὶ τὴν ἄτρακτον, ἐρίῳ δὲ τὴν θύραν περιστέφει τοῦ ἀνδρός. ἢ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἱστορικῶν, ἀληθές, ὅτι νεανίας ἦν τις λαμπρὸς ἐν τοῖς πολεμικοῖς καὶ τἆλλα χρηστὸς, ὄνομα Ταλάσιος· ἐπεὶ δὲ ἥρπαζον οἱ Ῥωμαῖοι τὰς τῶν Σαβίνων θυγατέρας ἐλθούσας ἐπὶ θέαν, ἐκομίζετο τῷ Ταλασίῳ παρθένος εὐπρεπὴς τὴν ὄψιν ὑπὸ δημοτικῶν τινῶν καὶ πελατῶν τοῦ Ταλασίου, βοώντων ὑπὲρ ἀσφαλείας, καὶ τοῦ μηδένα πελάζειν, μηδὲ ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς παιδὸς, ὡς Ταλασίῳ γυνὴ φέροιτο.

Theonis voces usurpant. Aut quia Caja Cæcilia honesta fuit ac proba matrona, uxor unius ex filiis Tarquinii? [1] cui Cajæ in Sancti templo statua priscis temporibus polita fuit [2] cum sandaliis & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæque sunt signa.

XXXI. Cur in nuptiis canitur iste omnium fermone notus Talasius? An a lanificio, quæ Græcis est talasia, talasum pro talaro dicentibus? nam sponsæ introductæ vellus substernunt, ipsaque secum colum & fusum importat, ac mariti januam lana coronat. An verum est quod historici tradiderunt? est autem tale. Quo tempore Romani Sabinarum filias Romam ad spectaculum profectas rapuerunt, Talasio (erat autem hic Talasius juvenis re bellica præclarus, & cætera probus) virginem insigni forma plebeii quidam & ejus clientes afferebant, utque id eo possent tutius, neque interciperentur aut virgo ipsis eriperetur, vociferabantur eam se Talasio adducere. Ita reliqui honorem Talasio haben-

1 *Cui Cajæ in Sancti templo.*) Ἐν τῷ τοῦ Σάγκτε ἱερῷ. Interpres: *In Sanctæ templo.* & citatur in margine nescio cujus opera, Plinius 8. 48. Ubi legatur M. Anci. Quod ego quidem si reperissem apud Plinium, non veritus fuissem mendi arguere, cum neque M. Ancus ullus sit nobilitatus, neque nomen Ancus, sed prænomen videatur: & Anco Marcio Romanorum regi divinos habitos honores nemo facile animum induxerit, ut credat. Verba Plinii libet adscribere, tum aliorum. *Lanam* (inquit Plinius) *cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem C. Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse, prodente se, autor est M. Varro*, &c. Augusti. lib. *de civit. Dei*, XVIII. cap. XIX. *Sabini*, ait, *regem suum primum Sangum, sive* (*ut aliqui appellant*) *Sanctum, retulerunt inter Deos.* Hic locus videtur cum Plutarchiano junctus, multorum bonorum scriptorum locis explicandis inservire. Est apud Sex. Pompejum: *Propter viam fit sacrificium quod est proficiscendi gratia, Herculi, aut Sanco qui idem est Deus.* Et annotavit quidam in margine, Janum quosdam pro Sanco legere: inepte hoc quiden. Cultum fuisse Sabinis sive Sancum, sive Sanctum, etiam Lactantius l. XV. docuit: & eadem esse vocabula admodum est probabile, ut & hoc, ritum Sabinum, a Sabinis, præsertim Numa, fuisse ad Romanos propagatum. Jam Sanctum & Fidium idem omnino valere & esse ejusdem Dei attributa, dubitari non arbitror. Qui Dionysium Halicarnasseum citant, Sabinum gentis Sabinæ auctorem ab eo ex Porcio Catone ajunt perhiberi filium Sanci vel Sangi (c. & g. litteras ejusdem prolationis permutari novum non est) dæmonis illorum locorum. In Græco male legi puto Σάμου pro Σάγγου. nisi forte Σάβου est legendum. Nam Sabum Sabinis gentilem ejus fuisse, qui Sanctus Latinis fuit, colligi e M. Catonis Originibus potest. Silius Italicus lib. VIII. rem videtur explicare:

*Ibant & læti pars Sanctum voce canebant,*
*Autorem gentis, pars laudes ore ferebant,*
*Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus.*
*Dixisti populo magna ditione Sabinos.*

Sed additur eundem a nonnullis vocari Δία πίστιον, quod est Jovem Fidium: at is fuit Hercules, ut ex Ovidio liquet VI. *Fastorum. Quærebam Nonas Sancto*, &c. Varro lib. IV. Ælius Gallus dium Fidium dicebat Dijovis F. Διόσκουρον Castorem, & putabat hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, & Herculem a Græca (Hinc adeo sciri potest, quid sit me Hercle, & jurare per Fidium.) Optimeque id cum eo congruit, quod Sabini sunt habiti Lacedæmoniorum (hi autem erant, ut sic dicam, Herculei) coloni. quod & apud Plutarchum in *Romulo* & *Numa* est, & apud Dionysium Halicarnasseum eadem pagina, nimirum libro secundo. Cætera omitto, contentus me docuisse, Sanctum cum hic tum alibi recte legi. Addo tamen, Propertium hanc lectionem non modo confirmare sed & rem explicare. Sic enim scribit libro 4. in elegia de Caco:

*Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,*
*Sic sanctum Tatiæ composuere Cures.*

Sangum alii dicunt: & Sanqualis porta, proxima ædi Sangi, apud Paulum ex Festo legi debere puto. Sangus etiam apud Livium legitur, cum Semonis cognomento lib. IIX. unde apud Ovidium dicto loco legendum, *An tibi Semo pater*, non Semipater, docte observavit *in Varronem* Scaliger. In XXXI. Quæstione quod legitur τὸν τάλαρον τάλαστον, &c. legebatur etiam in Aldino, τὸν τάλαρον τάλαντον ὀνομάζουσι, omnino perperam. Quis vero pro τάλαντον, cum calathum significare vox ea debeat, non malit τάλασον legi, ut ad Talasii vocem sit aditus accommodatus? Litteram ρ aliquando in σ mutatam non nesciunt eruditi, cum præsertim Papisii & Fusii iidem sint, qui Papirii & Furii, & honos pro honore, odos pro odore apud Plautum ponatur. & Lases pro Laribus dictum Varro lib. V. notaverit: cujus generis etiam sunt libesum pro liberum, quæsere pro quærere apud Festum. *Xyland.*

2 *Cum sandaliis & fuso: quæ domi actæ vitæ, industriæque sunt signa.*) Non satis accurate hæc verba reddidit Interpres. Hoc potius: *cum sandaliis & fuso, quorum illud domi actæ vitæ, hoc autem industriæ signum habebatur.* Sandaliis enim domi utebantur. Ut proprie fuerit id calceamenti genus, quod nos vulgo *muylen* nominamus. Plantas enim pedum modo tegebat. Vetus Glossarium Ms. quod est penes me: *Sandalia calceamenti genus, quod non habet desuper corium. Boxhorn.*

τιμῶντες οὖν οἱ λοιποὶ τὸν Ταλάσιον, καὶ συνευχόμενοι A καὶ συνευφημοῦντες, εἵποντο καὶ παρέπεμπον· ὅθεν εὐτυχοῦς γάμου γενομένου, καὶ τοῖς ἄλλοις εἰθίσθησαν ἐπιφωνεῖν τὸν Ταλάσιον, ὥσπερ Ἕλληνες τὸν Ὑμέναιον.

Διὰ τί τοῦ Μαΐου μηνὸς ἀπὸ τῆς ξυλίνης γεφύρας εἴδωλα ῥιπτοῦντες ἀνθρώπων εἰς τὸν ποταμὸν Ἀργείους τὰ ῥιπτούμενα καλοῦσιν; ἢ τὸ παλαιὸν οἱ περὶ τὸν τόπον οἰκοῦντες βάρβαροι τοὺς ἁλισκομένους Ἕλληνας οὕτως ἀπώλλυσαν. Ἡρακλῆς δὲ θαυμασθεὶς ὑπ' αὐτῶν, ἔπαυσε μὲν τὴν ξενοκτονίαν, ἐδίδαξε δὲ τὸ ἔθος καὶ τὴν δεισιδαιμονίαν ἀπομιμουμένους εἴδωλα ῥιπτεῖν; Ἀργείους δὲ τοὺς Ἕλληνας οἱ παλαιοὶ πάντας ὁμαλῶς προσηγόρευον. B εἰ μὴ νὴ Δία τῶν Ἀρκάδων πολεμίους καὶ τοὺς Ἀργείους διὰ τὴν γειτνίασιν ἡγουμένων, οἱ περὶ Εὔανδρον ἐκ τῆς Ἑλλάδος φυγόντες καὶ κατοικήσαντες αὐτόθι, τὴν μνησικακίαν καὶ τὴν ἔχθραν διεφύλαττον.

Διὰ τί τὸ παλαιὸν οὐκ ἐδείπνουν ἔξω χωρὶς τῶν υἱῶν, ἔτι τὴν παιδικὴν ἡλικίαν ἐχόντων; ἢ τοῦτο μὲν καὶ Λυκοῦργος εἴθισε, τοὺς παῖδας ἐπεισάγων τοῖς φιδιτίοις, ὅπως ἐθίζωνται μὴ θηριωδῶς, μηδὲ ἀτάκτως, ἀλλὰ μετ' εὐλαβείας ταῖς ἡδοναῖς προσφέρεσθαι, τοὺς πρεσβυτέρους οἷον ἐπισκόπους καὶ θεατὰς ἔχοντες; οὐκ ἔλαττον δὴ τοῦτο καὶ τοὺς πατέρας αὐτοὺς μᾶλλον αἰδεῖσθαι, καὶ σωφρονεῖν τῶν υἱῶν παρόντων. ὅπου γὰρ ἀναισχυντοῦσι C γέροντες (ὥς φησιν ὁ Πλάτων) ἐνταῦθα ἀνάγκη καὶ νέους ἀναισχυντοτάτους εἶναι.

Διὰ τί τῶν ἄλλων Ῥωμαίων ἐν τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ ποιουμένων χοὰς καὶ ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, Δέκιμος Βροῦτος (ὥς Κικέρων ἱστόρηκεν) ἐν τῷ Δεκεμβρίῳ τοῦτ' ἔπραττεν, (ἦν δὲ οὗτος ὁ Λυσιτανίαν ἐπελθὼν, καὶ πρῶτος ἐπέκεινα στρατῷ διαβὰς τὸν τῆς Λήθης ποταμὸν) πότερον; ὥσπερ ἡμέρας ληγούσης καὶ μηνὸς φθίνοντος εἰώθασιν ἐναγίζειν οἱ πολ-

tes, fauſtis acclamationibus & comprecationibus eos ſunt proſecuti ac comitati: cumque feliciter iſtud conjugium cecidiſſet, morem introduxerunt aliis quoque Talaſium accinendi, ut Hymenæum ſolent Græci.

XXXII. [1] Cur ſimulacra hominum, quæ Majo menſe de ponte ligneo in flumen abjiciuntur, Argeos vocant? An quod antiquitus barbari iſta loca incolentes hoc modo interficiebant ſi quos Græcorum cepiſſent: Hercules autem; cujus virtutem admirabantur, docuit eos more interficiendi peregrinos dimiſſo, ſimulacris eum repræſentare, iiſque jacundis religione ſe ſolvere? Argeos autem, ſive Argivos antiquitas ſimpliciter quoſvis Græcos nominavit. Niſi hoc potius ſentiendum eſt: Cum Arcadibus Argivi ob viciniam inimici haberentur, Evandrum e Græcia profugum, cum iſtis conſediſſet Italiæ locis, iſtam odii & inimicitiarum memoriam conſervaſſe?

XXXIII. Cur antiquitus foris non cœnabant abſque filiis pueritiam etiamnum agentibus? An hoc eſt quod etiam Lycurgus inſtituit, ut pueri in phiditia introducerentur, aſſueturi non belluino more aut incompoſite, ſed modeſte voluptates adire, cum haberent ſenes qui inſpicerent ac moderarentur? Immo vel magis hæc cauſa fuit, ut filiis præſentibus ipſi patres verecundius ac modeſtius ſeſe gererent? Ubi enim (inquit Plato) inverecunde agunt ſenes, ibi neceſſe eſt adoleſcentes fieri impudentiſſimos.

XXXIV. [2] Cur cum reliqui Romani Februario menſe mortuis parentent, D. Brutus, ut Cicero narrat, menſe Decembri hoc egit? (Is autem Brutus eſt qui Luſitaniam peragravit, primuſque cum exercitu [3] Oblivionem fluvium tranſiit.) An quemadmodum ſub menſis & diei finem ſolent vulgo mortuis juſta perſolvere, ita ra-

1 *Cur ſimulachra hominum, quæ Majo menſe de ponte ligneo in flumen abjiciuntur, Argeos vocant?)* Vide Feſtum in *Sexagenariis*, & ad eum *Animadverſiones* illuſtris Scaligeri. Vide etiam de toto hoc ritu elegantiſſimam diſſertationem Antonii Clari Sylvii in libro ſingulari ad leges Regias. Aliis enim accurate obſervata reponere ſupervacuum nobis videtur. *Boxhorn.*

2 *Cur cum reliqui Romani Februario menſe mortuis parentent, D. Brutus, ut Cicero narrat, menſe Decembri hoc egit?)* Locus Ciceronis exſtat lib. II. *de Legibus*; *Februario autem menſe, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut ſcriptum a Siſenna eſt, Decembri facere ſolebat. Cujus ego rei cauſam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcirco a more majorum diſceſſiſſe. Nam Siſennam video cauſſam, cur is vetus inſtitutum non ſervarit, ignorare: Brutum autem majorum inſtitutum temere neglexiſſe, mihi non fit veriſimile, doctum hominem ſane, cujus fuit Accius perfamiliaris, ſed menſem credo extremum anni ut veteres Februarium, ſic hic Decembrem ſequebatur.* Elegantiſſima ratio eſt; quam hic adducit Cicero, quam Plutarchus, cum legeret, percepiſſe non videtur. Alias enim meminiſſet. Mens autem Ciceronis eſt: Sub diei, menſis & anni finem juſta mortuis perſolvuntur. Februarius autem menſis reapſe poſtremus omnium viſum eſt cæteris Romanis; quia poſt cæteros adjectus fuit, cum antea Martius omnium eſſet primus. December vero poſtremus menſium erat, ſi uſum ſpectares. Proinde Brutus hoc ipſo ſacra defunctis fecit. Adeo ut Februarius numero ultimus cæteris Romanis, & December poſtremus uſu & conſuetudine Bruto habitus fuerit. Non dubito, quin adſequutus ſim mentem Ciceronis. Porro Brutus ille, de quo hic agitur, eſt Decius Junius Brutus, qui circa annum Urbis DCXVI. conſulatum geſſit, & in Hiſpaniam venit, illuſtremque Victoriam de Callaicis Bracaris reportavit, unde & Callaicus eſt nominatus. Quare in Tabulis Capitolinis hæc verba leguntur;

D. IVNIVS. M. F. M. N. BRVTVS. CALLAICVS.
ANNO. DCX. VII. PRO. COS. DE. LVSITANEIS.
ET. CALLAICEIS. EX. HISPANIA. VLTERIORE.

Fluvius oblivionis, cujus etiam hic meminit auctor, eſt ille quem alii Limæam, vel Limiam, nonnulli Belionem vocant, de quo videndus eſt Strabo: qui addit datum illi & oblivionis cognomentum ex eo, quod Celtici Luſitani, & veteres Turduli, ſeditiones inter ſe mutuo agitantes, eo ipſo in loco ſeditionis obliti, ad pacem redierint, & firmam animorum conjunctionem. Conſule Lucium Andream Reſendium lib. ſecundo *de Antiquitatibus Luſitaniæ*. *Boxhorn.*

3 *Oblivionem fluvium.)* τὸν λήθης ποταμόν. Interpres Lytham flumen, neſcio quid ſecutus. Certe lectio noſtra eſt genuina. Sic enim in Liviana epitoma LV. legitur. *D. Junius Luſitaniam urbium expugnationibus uſque ad Oceanum perdomuit: & cum fluvium Oblivionem tranſire nollent, raptum ſignifero ſignum ipſe tranſtulit, & ſic ut tranſgrederentur milites perſuaſit.* Idem nomen eſt apud Florum lib. II. cap. XVIII. & apud Livium Oblivionis mentio IV. XXII. Apud Strabonem lib. III. menda inſedit. Meminit hujus rei, & hanc opinionem D. Bruti refert Tullius lib. II. *de Legibus*. In fine Quæſtionis hujus τάφον pro τάρον manifeſtum eſt legi debere. *Xyland.*

λοὶ λόγον ἔχει, καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ καταστρέφοντος, ἐν τῷ τελευταίῳ μηνὶ τιμᾶν τοὺς τεθνηκότας; ἔστι δὲ τῶν μηνῶν τελευταῖος ὁ Δεκέμβριος. ἢ χθονίων μὲν αἱ τιμαὶ θεῶν, τιμᾶν δὲ τοὺς χθονίους ὡραῖόν ἐστι, τῶν καρπῶν ἁπάντων εἰληφότων συντέλειαν; ἤ, ὅτε κινοῦσι τὴν γῆν ἀρχόμενοι σπορᾶς, μεμνῆσθαι μάλιστα τῶν κάτω προσήκει; ἢ Κρόνῳ μὲν οὗτος ὁ μὴν ὑπὸ Ῥωμαίων καθιέρωται, Κρόνον δὲ τῶν κάτω θεῶν, οὐ τῶν ἄνω νομίζουσιν; ἢ μεγίστης αὐτοῖς ἑορτῆς τῶν Κρονίων καθεστώσης, καὶ συνουσίας τε πλείστας καὶ ἀπολαύσεις ἔχειν δοκούσης, ἔδοξε καὶ ταύτης ἀπονέμειν τινὰς ἀπαρχὰς τοῖς τεθνηκόσιν; ἢ τοῦτο, μόνον Βροῦτον ἐναγίσειν ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ, καθόλου ψεῦδός ἐστι; καὶ γὰρ τῇ Λαρεντίᾳ ποιοῦσι τὸν ἐναγισμόν, καὶ χοὰς ἐπιφέρουσιν ἐπὶ τὸν τάφον, τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. Διὰ τί δὲ τὴν Λαρεντίαν ἑταίραν γεγενημένην, οὕτω τιμῶσιν; ἄλλην γὰρ εἶναι Λαρεντίαν Ἄκκαν ἱστοροῦσι, τὴν Ῥωμύλου τροφόν, ἣν τῷ Ἀπριλλίῳ μηνὶ τιμῶσι. τῇ δὲ ἑτέρᾳ Λαρεντίᾳ Φαβόλαν ἐπίκλησιν εἶναι λέγουσιν. ἐγνωρίσθαι δὲ διὰ τοιαύτην αἰτίαν. ζάκορός τις Ἡρακλέους, ὡς ἔοικεν, ἀπολαύων σχολῆς, ἔθος εἶχεν ἐν πεττοῖς καὶ κύβοις τὰ πολλὰ διημερεύειν, καί ποτε τῶν εἰωθότων παίζειν σὺν αὐτῷ καὶ μετέχειν τῆς τοιαύτης διατριβῆς, κατὰ τύχην μηδενὸς παρόντος ἀδημονῶν, τὸν θεὸν προὐκαλεῖτο διαβαλέσθαι τοῖς κύβοις πρὸς αὐτόν, ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς· νικήσας μέν, εὑρέσθαι τι παρὰ τοῦ θεοῦ χρηστόν· ἂν δὲ λειφθῇ, δεῖπνον αὐτὸς τῷ θεῷ παρασχεῖν, καὶ μείρακα καλὴν συναναπαυσομένην. ἐκ τούτου δὲ τοὺς κύβους προθέμενος, τὴν μὲν ὑπὲρ ἑαυτοῦ, τὴν δὲ ὑπὲρ τοῦ θεοῦ βαλὼν ἐλείφθη. ταῖς οὖν προκλήσεσιν ἐμμένων, τράπεζάν τε λαμπροτέραν παρεσκεύασε τῷ θεῷ, καὶ τὴν Λαρεντίαν παραλαβὼν ἐμφανῶς ἑταιροῦσαν εἱστίασε, καὶ κατέκλινεν ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ τὰς θύρας ἀπιὼν ἔκλεισε. λέγεται δὲ νύκτωρ ἐντυχεῖν αὐτῇ τὸν θεὸν οὐκ ἀνθρωπίνως, καὶ κελεῦσαι βαδίζειν ἕωθεν εἰς ἀγοράν, ᾧ δ' ἂν ἐντύχῃ πρώτῳ, προσέχειν μάλιστα καὶ ποιεῖσθαι φίλον. ἀναστᾶσαν οὖν τὴν Λαρεντίαν βαδίζειν, καὶ συντυχεῖν τινι τῶν πλουσίων, ἀγάμων δὲ καὶ παρηκμακότων, ὄνομα Ταρρουτίῳ. γνωρισθεῖσαν δὲ τούτῳ, καὶ ζῶντος, ἄρχειν τοῦ οἴκου, καὶ κληρονομῆσαι, τελευτήσαντος· ὕστερον δὲ χρόνοις αὐτὴν τελευτῶσαν τῇ πόλει τὴν οὐσίαν ἀπολιπεῖν, διὸ τὰς τιμὰς ἔχειν ταύτας.

Διὰ τί πύλην μίαν θυρίδα καλοῦσι, (τὴν γὰρ φενέστραν τοῦτο σημαίνειν) καὶ παρ' αὐτὴν ὁ καλούμενος Τύχης θάλαμός ἐστι; πότερον ὅτι Σέρβιος ὁ βασιλεὺς εὐτυχέστατος γενόμενος, δόξαν ἔσχε τῇ Τύχῃ συνεῖναι φοιτώσῃ διὰ θυρίδος πρὸς αὐτόν; ἢ τοῦτο μὲν μῦθός ἐστιν; ἐπεὶ δὲ Ταρκυνίου Πρίσκου τοῦ βασιλέως ἀποθανόντος ἡ γυνὴ Τανακυλλὶς, ἔμφρων οὖσα καὶ βασιλική, διὰ θυρίδος προκύψασα τοῖς πολίταις ἐνέτυχε, καὶ συνέπεισεν ἀποδεῖξαι βασιλέα τὸν Σέρβιον, ἔσχε ταύτην ὁ τόπος τὴν ἐπωνυμίαν.

A tioni consentaneum est etiam ultimo mense & anno desinente id fieri? ultimus autem mensium est December. An quia diis manibus isti honores habentur, [1] quos venerari tempestivum est omnibus fructibus jam perfectis? Aut quia tunc potissimum mentio inferorum est facienda, cum appetente satione terra incipit moveri? Aut quia Saturno a Romanis est hic mensis consecratus, quem in Manibus, non superis diis censent. Aut cum Saturnalia sint instituta, festivitas facile maxima, & in qua conviviorum oblectationisque plurimum usurparetur, horum quoque primitias quasdam mortuis tribuere placuit? Quid si falsum omnino est, B solum Brutum isto mense parentasse? cum Larentiæ quoque mense Decembri parentetur, & ad sepulcrum ejus libationes offerantur. Quid vero causæ est, quod Larentiam tanto afficiunt honore, cum fuerit meretrix? [2] Aliam enim fuisse perhibent Accam Larentiam, Romuli nutricem, quam Aprili mense venerantur. Sed Larentia scortum, cujus cognomen Fabula editur, hac ratione innotui. Æditus quidam Herculis abundans, ut fit, ocio, solebat dies ludo talorum ac cuborum consumere: & quodam tempore, cum casu factum esset ut sociorum ludo nemo adesset, tædii impatiens ipsum deum ad cubo- C rum ludum provocavit, hoc pactus, ut si vicisset deum, aliquid ab eo beneficii consequeretur: sin victus ipse esset, se deo cœnam exhibiturum, & puellam elegantem, cum qua concumberet: tesseris deinde duabus, una pro deo, altera pro se propositis ac jactis, superatus stetit pactis, ac deo & cœnam adornavit splendidiorem, & Larentiam, quæ palam corpore quæstum faceret, ei cœnæ adhibuit, fanique foribus clausis intus eam reliquit: porro ajunt eam a deo cognitam non humano fuisse more, jussamque prima luce in forum prodire, & in quem primum incideret, eum observare amicitiamque ejus captare. Larentiam, ut surrexit & ivit, Taruntio cuidam D occurrisse, homini opulento, sed liberorum experti & jam ætate ad senium vergenti: qui postquam notitiam ipsius habuit, cum vivus familiæ præfecerit, tum moriens hæredem instituerit. Larentiam postea temporis sub mortem opum suarum hæreditatem P. R. nuncupasse: ideoque honores ei istos haberi.

XXXV. Cur Romæ portarum una appellatur Fenestra, juxta quam est Fortunæ qui vocatur thalamus? An quod Servius fortuna usus secundissima, cum Fortuna consuescere creditus est, per fenestram ad ipsum commeante? An hoc quidem fabulosum est? quoniam autem rege Tar- E quinio Prisco mortuo Tanaquil uxor Servii, mulier prudens & regia, capite per fenestram exserto cives allocuta permovit, ut Servio regnum deferrent, loco id cognominis fuit inditum?

---

1 *Manes venerari tempestivum est omnibus fructibus jam perfectis?*) Nimirum non alia de causa, quam quia subterraneum regnum Plutoni, manibusque adtributum. In eo autem posita est fæcunditas agrorum. *Boxborn.*

2 *Aliam enim fuisse perhibent Accam Larentiam, Romuli nutricem, quam Aprili mense venerantur.*) Igitur nutrix Romuli pro Dea habita atque culta fuit. Quemadmodum & Lupa, quam mammas Romulo Remoque expositis præbuisse fabulantur. Probat id vetus lapis, qui Epori legitur:

LVPAE ROMANAE
M. VALERIUS PHOEBUS
VI. VIR. AVGVST. &c.

Lactantius Firmianus, decus eloquentiæ Christianæ, Accam & Lupam eandem fuisse existimat, nutricem Romuli & infame scortum. *Idem.*

A Διὰ τί τῶν τοῖς θεοῖς ἀνατιθεμένων μόνα τὰ σκῦλα νενόμισται περιορᾶν ἀφανιζόμενα τῷ χρόνῳ, καὶ μήτε προσκυνεῖν, μήτε ἐπισκευάζειν; πότερον ἵνα τὴν δόξαν οἰόμενοι τοῖς πρώτοις συνεκλιπεῖν, ἀεί τι πρόσφατον ὑπόμνημα τῆς ἀρετῆς ζητῶσι κομίζειν; ἢ μᾶλλον ὅτι τοῦ χρόνου τὰ σημεῖα τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους διαφορᾶς ἀμαυροῦντος, αὐτοὺς ἀναλαμβάνειν καὶ καινοποιεῖν ἐπίφθονόν ἐστι καὶ φιλαπεχθῆμον. οὐδὲ γὰρ παρ' Ελλησιν οἱ πρῶτοι λίθινον καὶ χαλκοῦν στήσαντες τρόπαιον εὐδοκιμοῦσι.

XXXVI. [1] Cur inter ea, quæ diis consecrantur, lege permissum est, ut sola spolia sinantur tempore corrumpi atque aboleri, neque ea licet [2] reparare aut instaurare? An ut existimantes gloriam priorem simul cum spoliis intercidere, semper novum aliquod virtutis monimentum parare operam dent? Aut potius, quod cum tempus signa contentionum cum hostibus habitarum obscuret, odiosum est & nimii discordiarum studii ea reficere atque innovare? Nam apud Græcos etiam parum laudis adepti sunt, qui primi lapidea aut ærea statuerunt trophæa.

B Διὰ τί Κόϊντος Μέτελλος ἀρχιερεὺς γενόμενος, καὶ τἆλλα δοκῶν φρόνιμος εἶναι καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ, ἐκώλυσεν οἰωνίζεσθαι μετὰ τὸν Σεξτίλιον μῆνα, τὸν νῦν Αὔγουστον προσαγορευόμενον; πότερον ὅτι καθάπερ ἡμέρας ἀκμαζούσης ἢ ἀρχομένης πράττομεν τὰ τοιαῦτα, καὶ μηνὸς ἱσταμένου καὶ αὐξομένου, τὰς δὲ ἀποκλίτους ὡς ἀχρηματίστους φυλαττόμεθα· παραπλησίως τὸν μετὰ μῆνας ὀκτὼ χρόνον, ὥσπερ ἑσπέραν τινὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ δείλην ἀποκλίνοντος ἤδη καὶ φθίνοντος νομίζειν; ἢ καὶ τοῖς ὄρνισι χρηστέον ἀκμαίοις καὶ τελείοις; εἰσὶ δὲ πρὸ τοῦ θέρους τοιοῦτοι· περὶ δὲ τὸ φθινόπωρον οἱ μὲν ἀσθενεῖς καὶ νοσώδεις, οἱ δὲ νεοσσοὶ καὶ ἀτελεῖς, οἱ δὲ παντάπασι φροῦδοι διὰ τὴν ὥραν ἐκτοπίζοντες.

XXXVII. Cur Q. Metellus, vir prudens ac civilis creditus, cum esset factus summus Pontifex, auspiciis uti post Sextilem mensem, qui nunc est Augustus, prohibuit? An quoniam sicut die nascente aut adulta istas res agitamus, itemque initio & medio mensis: [3] cavemus autem a diei fine & mensis tanquam agendo inutilibus: ita ipse etiam tempus anni post finitos octo menses reliquum, pro vespera quadam anni jam ad exitum vergentis ac deficientis habuit? An vero avibus utendum est vigentibus & integris? tales autem sunt ante æstatem: [4] circa autumnum morbis & imbecillitate languent aliæ: aliæ pulli adhuc sunt & imperfectæ: aliæ omnino ob C anni tempestatem nusquam visuntur, in alias avectæ regiones.

Διὰ τί τοῖς μὴ στρατευομένοις μὲν, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἄλλως ἀναστρεφομένοις οὐκ ἐξῆν ἄνδρα βαλεῖν πολέμιον οὐδὲ τρῶσαι; (καὶ τοῦτο Κάτων ὁ πρεσβύτης ἐν ἐπιστολῇ τινι δεδήλωκε, γράφων πρὸς τὸν υἱὸν καὶ κελεύων, εἰ παρεθείη τῆς στρατείας ἀποπληρώσας τὸν χρόνον, ὑποστρέφειν· ἢ προσμένοντα, λαβεῖν παρὰ τοῦ στρατηγοῦ τὸ ἐξεῖναι τρῶσαι καὶ ἀνελεῖν πολέμιον) πότερον ὅτι τὴν ἀνάγκην μόνην ἐξουσίαν εἶναι δεῖ τοῦ ἀνελεῖν ἄνθρωπον· ὁ δὲ ἄνευ νόμου καὶ προστάγματος τοῦτο ποιῶν, ἀνδροφόνος ἐστί; διὸ καὶ Χρυσάνταν ἐπῄνεσεν ὁ Κῦρος, ὅτι μέλλων ἀναιρεῖν πολέμιον, καὶ τὴν κοπίδα διῃρμένος, ἀκούσας τὸ ἀνακλητικὸν, ἀφῆκε τὸν ἄνδρα, καὶ οὐκ ἔπαισεν, ὡς κεκωλυμένος. ἢ δεῖ τὸν συνιστάμενον πολεμίοις καὶ μαχόμενον, ἂν ἀποδειλιάσῃ, μὴ ἀνυπεύθυνον εἶναι μηδὲ ἀθῷον; οὐ γὰρ οὕτω βαλών τινα καὶ τρώσας ὠφέλησεν, ὡς φυγὼν καὶ ἀναχωρήσας ἔβλαψεν. ὁ μὲν οὖν ἀφειμένος στρα-

XXXVIII. Cur qui sacramento militari non tenebantur, etiamsi alias in castris & exercitu versarentur, non habebant jus interficiendi aut vulnerandi hostis? (Rem sic habere, Cato Major in epistola quadam ad filium demonstravit, qua jubet eum si tempore completo militiæ exauctoratus esset, domum redire: aut si manere vellet cum exercitu, ab imperatore potestatem cædendi necandique hostis impetrare.) An quod solam necessitatem oportet homini hominis necem permittere; qui autem nulla lege nullove mandato hominem occidit, is homicida D est? ideoque Chrysantam laudavit Cyrus, quod sublato jam gladio hostem interfecturus, ut receptui cani audivit, cæde sibi interdictum putans hominem intactum dimisit. Aut quod qui in prælio manum cum hoste est conserturus, si formidine victus pedem referat, non debet hoc impune ferre, aut exlex esse: non enim tantum utilitatis feriendo hostem adfert, quantum damni fugien-

---

1 *Cur inter ea, quæ Diis consecrantur, lege permissum est, ut sola spolia sinantur tempore corrumpi?*) Judicent æqui Lectores, sitne potior hæc ratio, præ illis Plutarchi, quam nunc exponam. Spolia Diis dedicata instauranda aut renovanda non putavere, quia id demum est spolium, quod a devictis hostibus est reportatum. Illud autem, progressu temporis consumptum, & iterum iterumque aut refectum aut innovatum, spolii nomine diutius non venit, quia tale non mansit, quale hostibus ablatum. Quis enim illud hostium fuisse dixerit, cui adsutum quod hostes non habuere? *Boxhon.*

2 *Reparare aut instaurare.*) καὶ μήτε προσκυνεῖν. Hoc verbum qui huc pertineat, non assequor, neque tale quicquam habet Interpres, qui *resarcire* vertit: an ex libro alio, & alia scriptura, an ex conjectura? Forte προσκαινοῦν aut tale aliquid fuit. In Quæstione quadragesima. *Xyland.*

3 *Cavemus autem a diei & mensis fine, tanquam agendo inutilibus.*) Quæ caussa est hujus superstitionis, qua tantopere veteres fuere occupati? An ideo finem diei atque item mensis inauspicatum atque improsperum rebus agendis existimarunt, quod crederent non absolvendum id, quod priusquam cœptum esset, in fine laboraret, & brevi finiendum, nec durabile futurum, quod in fine mensis vel diei agendum susciperetur? *Boxhorn.*

4 *Circa autumnum alia aves pulli adhuc sunt & imperfectæ; aliæ omnino ob anni tempestatem nusquam visuntur, in alias avectæ regiones.*) Problema est, cur post Augustum mensem Metellus Pontifex Maximus auspiciis noluerit vacari. Inter cæteras rationes, hanc quoque adfert Plutarchus, quod in autumno, aves multæ etiamnum pulli sint, atque plurimæ etiam, ob mutatam cæli tempestatem, in alias avectæ regiones. Quemadmodum in ciconiis, aliisque quotidie observamus. Sed, quod cum pace Plutarchi dictum velim, id locum hic non habet. Ante Augustum enim mensem, vigente Majo, plures adhuc sunt avium pulli. Quemadmodum etiam in autumno aves desiderantur, quæ paullo aut frequentes erant, ita quoque menses proxime præcedentes a nonnullis avibus destituuntur, quarum autumnali tempore magna copia spectatur. Adeo ut par hic sit ratio, & iisdem argumentis nullo negotio posset probari, etiam ante Augustum mensem commodum auspiciorum usum non fuisse. *Boxhorn.*

τείας, ἀπήλλακται τῶν στρατιωτικῶν νόμων· ὁ δὲ αἰτησάμενος τὸ πράττειν τὰ τῶν στρατευομένων, πάλιν ἑαυτὸν ὑπεύθυνον τῷ νόμῳ καὶ τῷ στρατηγῷ δέδωκεν.

Διὰ τί τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς οὐκ ἔξεστιν ἐν ὑπαίθρῳ ἀλείφεσθαι; πότερον ὅτι καὶ παῖδας γυμνοῦσθαι, πατρὸς ὁρῶντος, καὶ πενθεροῦ γαμβρὸν, οὐχ ὅσιον ἦν οὐδὲ καλόν· οὐδὲ συνελούοντο τοπαλαιὸν ἀλλήλλοις; πατὴρ δὲ ὁ Ζεὺς, καὶ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ μάλιστά πως εἶναι δοκεῖ τοῦ Διὸς ἐνώπιον; ἢ, καθάπερ ἐν ναῷ καὶ ἱερῷ γυμνοῦν ἑαυτὸν ἀθέμιτόν ἐστιν, οὕτω τὸν ὕπαιθρον ἀέρα καὶ τὸν ὑπουράνιον ὄντα, καὶ Θεῶν καὶ δαιμόνων μεστὸν ἐξευλαβοῦντο; διὸ καὶ τὰ πολλὰ τῶν ἀναγκαίων ὑπὸ στέγῃ δρῶμεν ἐπικρυπτόμενοι καὶ ἐπικαλυπτόμενοι ταῖς οἰκίαις, πρὸς τὸ θεῖον, τὰ μὲν μόνῳ τῷ ἱερεῖ, τὰ δὲ πᾶσιν ὑπὸ τοῦ νόμου προστέτακται διὰ τοῦ ἱερέως. διὸ καὶ παρ' ἡμῖν τὸ μὲν στεφανηφορεῖν καὶ κομᾷν καὶ σιδηροφορεῖν, μηδὲ τοῖς Φωκέων ὅροις ἐμβαίνειν, ἴδια λειτουργήματα τοῦ ἄρχοντός ἐστιν. τὸ δὲ ὀπώρας μὴ γεύεσθαι πρὸ ἰσημερίας μετοπωρινῆς, μηδὲ ἄμπελον τέμνειν πρὸ ἰσημερίας ἐαρινῆς, ὁμοῦ τι πᾶσι δηλοῦται διὰ τοῦ ἄρχοντος. ἑκατέρου γὰρ ὁ καιρὸς ἐκεῖνός ἐστι. τὸν αὐτὸν οὖν τρόπον, ὡς ἔοικε, καὶ τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις ἱερέως ἴδιόν ἐστι τὸ μήτε ἵππῳ χρῆσθαι, μήτε πλείονας νύκτας ἀποδημεῖν τριῶν, μήτε ἀποτίθεσθαι τὸν πῖλον, (ἀφ' οὗ καὶ φλάμεν κέκληται) πολλὰ δὲ ἄλλα δηλοῦται πᾶσι διὰ τοῦ ἱερέως· ὧν ἕν ἐστι καὶ τὸ ἐν ὑπαίθρῳ μὴ ἀλείφεσθαι. τὸ γὰρ ξηραλοιφεῖν ὑφεωρῶντο Ῥωμαῖοι σφόδρα, καὶ τοῖς Ελλησιν οἴονται μηδὲν οὕτως αἴτιον δουλείας γεγονέναι καὶ μαλακίας, ὡς τὰ γυμνάσια καὶ τὰς παλαίστρας πολλὴν ἄλυν καὶ σχολὴν ἐντεκούσας ταῖς πόλεσι καὶ κακοσχολίαν, καὶ τὸ παιδεραστεῖν, καὶ τὸ διαφθείρειν τὰ σώματα τῶν νέων ὕπνοις καὶ περιπάτοις καὶ κινήσεσιν εὐρύθμοις καὶ διαίταις ἀκριβέσιν, ὑφ' ὧν ἔλαθον ἐκρυέντες τῶν ὅπλων, καὶ ἀγαπήσαντες ἀνθ' ὁπλιτῶν καὶ ἱππέων ἀγαθῶν, εὐτράπελοι καὶ παλαιστρῖται καὶ καλοὶ λέγεσθαι. ταῦτα γοῦν ἔργον ἐστὶν ἀποφυγεῖν εἰς ὕπαιθρον ἀποδυομένους. οἱ δὲ κατ' οἰκίαν ἀλειφόμενοι καὶ θεραπεύοντες ἑαυτοὺς, οὐδὲν ἁμαρτάνουσι.

Διὰ τί τὸ παλαιὸν νόμισμα, πῆ μὲν εἶχεν Ιανοῦ διπρόσωπον εἰκόνα; πῆ δὲ πλοίου πρύμναν ἢ πρῶραν ἐγκεχαραγμένην; πότερον (ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν) ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ιταλίαν, ἢ τοῦτο μὲν ἐστιν ἐπὶ πολλῶν λέγειν; (καὶ γὰρ Ιανὸς καὶ Εὔανδρος καὶ Αἰνείας ἐκ θαλάττης προσεκομίσθησαν) ἐκεῖνο δὲ ἄν τις μᾶλλον εἰκάσειεν, ὅτι τὰ μὲν καλὰ ταῖς πόλεσίν ἐστι, τὰ δὲ ἀναγκαῖα· καὶ μέγιστον τῶν μὲν καλῶν, ἡ εὐνομία, τῶν δὲ ἀναγκαίων ἡ εὐπορία. ἐπεὶ τοίνυν εὐκοσμίαν μὲν Ιανὸς κατέστησεν αὐτοῖς, ἐξημερώσας τὸν βίον, ἀφθονίαν δὲ παρέχει τῶν ἀναγκαίων ὁ ποταμὸς πλώϊμος ὢν, καὶ τὰ μὲν ἐκ θαλάττης, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς χώρας κατακομίζων, σύμβολον ἔσχε τὸ νόμισμα, τοῦ μὲν νομοθέτου, τὸ δίμορφον,

A do. at qui exauctoratus eſt, legibus proinde militaribus non tenetur; is vero qui rogavit ut quæ militum ſunt ſibi liceat agere, rurſum ſe legibus jam & imperatoris judicio ſubmiſit?

XXXIX. Cur Jovis flamini non licet ſub dio inungi? An quia etiam filios in conſpectu patrum, aut generum vidente ſocero nudari, inhoneſtumque nefaſque putabatur, neque antiquitus una lavabant? Pater autem eſt Jupiter & ejus oculis maxime expoſitum videtur quod eſt ſub dio. An quemadmodum in templo aut fano nudare ſeſe nefas eſt, ita [1] aerem etiam ſub aperto cœlo & dio reve- B rebantur, ut diis geniiſque refertum? itaque ergo pleraſque res neceſſarias ſub tecto facimus, domi noſmet occultantes, & deorum ſubtrahentes conſpectui. [2] Aut alia quidem ſoli ſacerdoti, alia lex per ſacerdotem omnibus imperat? Hoc ſane modo apud nos coronatum eſſe, comam alere, ferro armatum Phocenſium fines non ingredi, propria ſunt ſacerdotis munia. pomum non guſtare ante æquinoctium autumnale, vitem non putare ante æquinoctium vernum, fere a magiſtratu univerſis imperatur: utrumque enim ut ſuo fiat tempore, edicitur. Eodem plane modo apparet apud Romanos proprium eſſe hoc pontificis, ut equo non vehatur, neque plures tribus noctes ab urbe ab- C ſit, neque pileum (apicem ipſi vocant) unde flaminis habet nomen, unquam deponat. Multa vero alia pontifici dicta, ad omnes alios pertinent. de quibus hoc etiam eſt, ſub dio non inungi. Iſta enim ſicci (ut verbum exprimamus) corporis inunctio valde male apud Romanos audit: & exiſtimant non ullam aliam rem magis in cauſa fuiſſe quod Græci ita emollirentur, & in ſervitutem redigerentur, atque fuere gymnaſia & palæſtræ: quæ res multum tædii, malique ocii urbibus inferrent, unde extiterint puerorum obſcœni amores, & corruptelæ corporum apud adoleſcentes ob ſomnos, ambulationes, motuſque ſuis omnia D legibus determinata, ac victus exquiſitiorem vulgari rationem. quibus rebus Græci paulatim, ac ne ſentientes quidem armorum uſu abdicato, gratum habuerunt loco bonorum gravis armaturæ militum & equitum, agiles, palæſtritæ, formoſique nominari. Hanc vero molliciem difficulter poſſunt effugere, qui ſub dio nudantur: qui vero domi inunguntur, & corpora ſua curant, ii nihil peccant.

XL. Cur antiquum nomiſma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera navis aut puppim aut proram inſculptam habet? An, quæ vulgata eſt opinio, in honorem hoc fit Saturni, navigio in Ita- E liam advecti? Aut hoc ei cum multis aliis eſt commune? nam Janus quoque, Evander, & Æneas mari in Italiam appulerunt. Id profecto probabilius eſt, cum urbibus alia bono ſint, alia neceſſitatibus inſerviant: ac bonorum maximum ſit bona legum conſtitutio, neceſſariarum autem rerum copia: quandoquidem Janus eis vitæ rationem tradidit ordinatam moribus ad manſuetudinem redactis, abundantiam autem rerum neceſſariarum præbet fluvius, eas partim a mari, partim ex agris convehens, ideo no-

1 *Aerem etiam ſub aperto cælo & dio reverebantur, ut Diis geniiſque refertum?)* Loquitur ex ſententia Platonicorum, quam Apulejus lib. *de Deo Socratis* ita exponit; *Non uſque adeo ſejunctos & alienatos a nobis Deos prædico, ut ne vota quidem noſtra ad illos arbitrer pervenire. Neque enim illos a curis rerum humanarum, ſed contrectatione ſolum movi. Ceterum ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates inter ſummum æthera & infimas terras, in iſto interſiti aeris ſpatio, per quas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant. hos Græco nomine δαίμονας nuncupant. Inter terricolas cælicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum, qui ultro citroque portant, hinc petitiones, inde ſuppetias, ceu quidam utriuſque interpretes & ſalutigeri. Per hos eoſdem, ut Plato in ſympoſio autumat, cuncta denunciata, & Magorum varia miracula, omneſque præſagiorum ſpecies reguntur.* Boxhorn.

2 *Aut alia quidem.)* τὸ θεῖον ἢ τὰ μὲν μόνῳ τῷ ἱερεῖ legendum omnino eſt. nam tertiam cauſam afferri nobis liquet. & ἢ particula omiſſa totum locum confundi neceſſe eſt. *Xyland.*

ὡς εἴρηται, διὰ τὴν μεταβολήν. τοῦ δὲ ποταμοῦ, πορθμεῖον. ἑτέρῳ δὲ ἐχρήσαντο νομίσματι βοῦν ἔχοντι ϗ πρόβατον καὶ ὗν παράσημον, εὐποροῦντες ἀπὸ τῶν θρεμμάτων μάλιστα, καὶ τὴν περιουσίαν ἀπὸ τούτων ἔχοντες. διὸ ϗ τῶν ὀνομάτων πολλὰ τοῖς παλαιοῖς, Συέλλιοι ϗ Βουβολκοὶ ϗ Πόρκιοι ἦσαν, ὡς Φαινεστέλλας εἴρηκεν.

Διὰ τί τῷ τοῦ Κρόνου ναῷ χρῶνται ταμείῳ τῶν δημοσίων χρημάτων, ἅμα δὲ ϗ φυλακτηρίῳ τῶν συμβολαίων; πότερον ὅτι δόξα κατεῖχε ϗ λόγος, οὐκ εἶναι πλεονεξίαν ἐν ἀνθρώποις οὐδὲ ἀδικίαν, Κρόνου βασιλεύοντος, ἀλλὰ πίστιν, ϗ δικαιοσύνην; ἢ ὅτι καρπῶν ἀρετῆς, ἢ γεωργίας ἡγεμὼν ὁ Θεός; ἡ γὰρ ἅρπη τοῦτο σημαίνει· ϗ οὐχ ὡς γέγραφεν Ἀντίμαχος Ἡσιόδῳ πειθόμενος,

Λέχριε δὲ δρεπάνῳ τέμνων ἀπὸ μήδεα πατρὸς
Οὐρανοῦ Ἀκμονίδεω λάσιος Κρόνος ἀντιτέτυκτο.

καρπῶν δὲ ἀφθονία ϗ διάθεσις, γένεσίς ἐστι νομίσματος· διὸ τὸν αἴτιον ϗ φύλακα ποιοῦνται τῆς εὐδαιμονίας. μαρτυρεῖ δὲ τούτῳ, τὸ τὰς ἀγομένας δι' ἐννέα ἡμερῶν ἐπ' ἀγορὰν συνόδους, νουνδίνας δὲ καλουμένας, ἱερὰς τοῦ Κρόνου νομίζεσθαι. πράσεως γὰρ ϗ ὠνῆς περιουσία καρπῶν ἀρχὴν παρέσχεν. ἢ ταῦτα μέν ἐστι παλαιά, πρῶτος δὲ ταμεῖον ἀπέδειξε τὸ κρόνιον τῶν βασιλέων καταλυθέντων, Οὐαλέριος Ποπλικόλας, πειθόμενος εὐερκῆ καὶ καταφανῆ ϗ δυσεπιβούλευτον εἶναι τὸν τόπον.

Διὰ τί δὲ οἱ πρεσβεύοντες εἰς Ῥώμην ὁποθενοῦν, ἐπὶ τὸν τοῦ Κρόνου ναὸν βαδίζοντες, ἀπογράφονται πρὸς τοὺς ἐπάρχους τοῦ ταμείου; πότερον ὡς ξένου τοῦ Κρόνου γενομένου, καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ξένοις χαίροντος; ἢ ϗ τοῦτο λύεται τῇ ἱστορίᾳ. τὸ γὰρ παλαιὸν (ὡς ἔοικεν) οἱ ταμίαι ξένια τοῖς πρεσβεύουσιν ἔπεμπον (ἐκαλεῖτο δὲ λαύτεια τὰ πεμπόμενα) ϗ νοσούντων ἐπεμέλοντο, ϗ τελευτήσαντας ἔθαπτον ἐκ δημοσίου. νῦν δὲ ὑπὸ πλήθους τῶν ἀφικνουμένων πρέσβεων ἐκλέλειπται τὸ τῆς δαπάνης, μένει δὲ ἔτι τὸ τοῖς ἐπάρχοις τοῦ ταμείου προσεντυγχάνειν διὰ τῆς ἀπογραφῆς.

Διὰ τί τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς οὐκ ἔξεστιν ὀμόσαι; πότερον ὅτι βάσανός τις ἐλευθέρων ὁ ὅρκος ἐστί, δεῖ δὲ ἀβασάνιστον εἶναι ϗ τὸ σῶμα ϗ τὴν ψυχὴν τοῦ ἱερέως; ἢ ὅτι περὶ μικρῶν ἀπιστεῖσθαι τὸν τὰ θεῖα ϗ μέγιστα πεπιστευμένον οὐκ εἰκός ἐστιν; ἢ ὅτι πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας, κατάρα δὲ δύσφημον ϗ σκυθρωπόν; ὅθεν οὐδὲ ἄλλοις ἐπαρᾶσθαι νομίζεται τοὺς ἱερεῖς. ἐπῃνέθη γοῦν Ἀθήνησιν ἡ ἱέρεια μὴ θελήσασα καταράσασθαι τῷ Ἀλκιβιάδῃ τοῦ δήμου κελεύοντος. ἔφη γὰρ εὐχῆς οὐ κατάρας ἱέρεια γεγονέναι. ἢ κοινὸς ὁ τῆς ἐπιορκίας κίνδυνος, ἂν ἀνὴρ ἀσεβὴς ϗ ἐπίορκος εὐχῶν κατάρχηται ϗ ἱερῶν ὑπὲρ τῆς πόλεως.

Διὰ τί τὴν Οὐενεραλίων τῇ ἑορτῇ πολὺν οἶνον ἐκχέουσιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀφροδίτης; πότερον (ὡς οἱ πλεῖ-

A misma monimentum legumlatoris quidem habuit caput bifrons ob mutationem, ut docuimus, factam, fluvii autem, navigium. Alio etiam usi sunt nomismate, cui bos erat insculptus, & ovis, & sus. quod re maxime pecuaria se alerent, indeque opes pararent. Hinc & nomina apud veteres multa sunt deducta, ut Suilliorum, ut Bubulcorum, ut Porciorum: autore Fenestella.

XLI. Cur Saturni templo utuntur loco ærarii, ibidemque contractuum monimenta adservant? An quia obtinuit opinio, regnante Saturno avaritiam apud homines injustitiamque locum non habuisse, B sed fidem & justitiam? Aut quia deus ille fructuum atque agriculturæ præesse creditur? Hoc enim falx designat: non id quod Hesiodum imitatus dixit Antimachus:

[1] *Hunc contra situs est hirtus, genitalia patris*
*Acmonidæ Cæli Saturnus falce revellens.*

Ex ubertate autem frugum & venditione pecuniæ nascitur copia. itaque Saturnum autorem custodemque ejus faciunt. Huic sententiæ testimonio esse id potest: quod coitus in forum, qui nono quoque die celebrantur, (Nundinas vocant) Saturno sunt consecrati. frugum quippe abundantia, venditioni & emtioni præbuit initium. Aut hæc quidem vetusta sunt? Primus autem ædem Saturni ærarium fecit C post exactos reges Valerius Poplicola, cum sentiret locum istum munitum esse & conspicuum atque ab insidiis tutum.

XLII. Cur legati, undecunque Romam missi, ad Saturni ædem accedunt, ibique nomina sua dant præfectis ærarii? An hoc fit eo, quod Saturnus cum fuerit peregrinus, hospitibus gaudeat? Aut historia potius quæstionem solvit? Antiquitus enim, ut apparet, quæstores legatis munera mittebant, [2] quæ lautia dicebantur, ægrotantium curam suscipiebant, mortuisque funus e publico faciebant. nunc autem ob multitudinem legatorum qui veniunt, sumtu omisso id tamen servatur, ut legati accedant D præfectos ærarii, qui eorum nomina in tabulas referunt.

XLIII. Cur flamini Diali non licet jurare? An quia tormentum liberorum est jusjurandum? sacerdotis autem & animum & corpus oportet torturæ esse expers? Aut quia non convenit de rebus parvis fidem non haberi ei, cui sacræ & maximæ sunt creditæ? [3] Aut quia omne jusjurandum in exsecrationem perjurii desinit? Est autem exsecratio tristis res & mali ominis: quæ causa est, ut dira imprecari aliis sacerdotes per leges non possint. Et sane laudatum est Athenis sacerdoti, quæ populo jubente Alcibiadem devovere noluit, votorum se, non E detestandi causa antistitam esse inquiens? Aut quia publicum est perjurii periculum, si homo impius ac perjurus pro civitate vota nuncupet ac sacris operetur?

XLIV. [4] Cur Veneralibus multum vini effunditur e templo Veneris? An verum est quod plurimi nar-

1 *Hunc contra situs est.*) λέχρις, id est, *oblique*, πλαγίως. Loqui videtur de alicujus Dei simulacro, cui Saturni imago opposita fuerit. λέχρει nihil significat, quod quidem recordari possim: & constructio non patitur hic verbum: neque enim cum ἀντιτέτυκτο cohæreret. Sub finem prioris Quæstionis Συέλλιοι malim Συίλλιοι. Scribuntur enim Suillii. Mox pro Νουνδίνας restitue Νουνδίνας. Non enim hanc vocem ignoravit Plutarchus. In Problemate quadragesimo tertio, pro ἀσεβὴς, quin sit legendum ἀσεβὴς, dubitari non debet: male enim pietas cum perjurio conjungitur. *Xyland.*

2 *Quæ lautia dicebantur.*) Festus lautia de magnificentia epularum interpretatur. Ipsum vide, & ad eum Scaligerum. *Boxhorn.*

3 *An quia omne jusjurandum in exsecrationem perjurii desinit?*) Nempe qui sollenne concipit juramentum, iram Deorum ipse in se provocat, si pejurium committat. Quemadmodum ex usitatis apud Romanos, aliosque formulis facile unicuique potest constare. *Boxhorn.*

4 *Cur Veneralibus multum vini effunditur e templo Veneris?*) Forsan quia sine Cerere & Baccho friget Venus. Observare autem licet in sacris paganorum, multa sacrificiis impensa, vel potius deperdita fuisse, quæ alias humanis usibus destinata. Quemadmodum carnes victimarum in ignem conjiciebantur. Factum vero illud, ut ostenderent sacrificantes, non sibi sed Diis sese sacrificare. Aliquando tamen satis erat, animal in gratiam Deorum mactari, carnes vero in humanos usus cedebant. Juvenalis Satyr. XI.

στοι λέγουσιν ) Μεζέντιος ὁ Τυῤῥηνῶν στρατηγὸς ἔπεμψε πρὸς Αἰνείαν σπενδόμενος ἐπὶ τῷ λαβεῖν τὸν ἐπέτειον οἶνον. ἀρνησαμένου δὲ ἐκείνου, τοῖς Τυῤῥηνοῖς ὑπέσχετο κρατήσας μάχῃ δώσειν τὸν οἶνον. Αἰνείας δὲ τὴν ὑπόσχεσιν αὐτοῦ πυθόμενος, τοῖς θεοῖς τὸν οἶνον καθιέρωσε, καὶ μετὰ τὸ νικῆσαι συναγαγὼν τὸ καρπωθὲν, ἐξέχεε πρὸ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀφροδίτης; ἢ καὶ τοῦτο σύμβολόν ἐστι τοῦ δεῖν ἡμᾶς νήφοντας ἑορτάζειν, ἀλλὰ μὴ μεθύοντας, ὡς τῶν Θεῶν μᾶλλον τοῖς ἐκχέουσι χαιρόντων τὸν πολὺν ἄκρατον, ἢ τοῖς πίνουσι.

Διὰ τί τὸν τῆς Ορτας ναὸν ἀνεῳγμένον εἶχον οἱ παλαιοὶ διαπαντός; πότερον, ὡς Ἀντίστιος Λαβεὼν ἱστόρηκε, τοῦ παρορμᾷν ὀρτάρε λεγομένου, τὴν οἷον ἐγκελευομένην πρὸς τὰ καλὰ καὶ παρορμῶσαν Θεὸν, Ορταν λεγομένην, ᾤοντο δεῖν ὡς ἐνεργὸν ἀεὶ μηδέποτε μέλλειν, μηδὲ ἀποκεκλεῖσθαι, μηδὲ κλεισνύειν; ἢ μᾶλλον ὡς νῦν ὀνομάζουσιν αὐτὴν Ὡραν μηκυνομένης τῆς προτέρας συλλαβῆς, ἐπιστρεφῆ τινα καὶ πολυωρητικὴν Θεὸν, ἣν διαφυλακτικὴν καὶ φροντιστικὴν οὖσαν, οὐδέποτε ῥάθυμον, οὐδὲ ὀλίγωρον εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων ἐνόμιζον; ἢ, καθάπερ ἄλλα πολλὰ, καὶ τοῦτο τῶν Ἑλληνικῶν ὀνομάτων ἐστι, καὶ δηλοῖ Θεὸν ἐπισκοποῦσαν καὶ ἐφορῶσαν; ὅθεν, ὡς ἀκοιμήτου καὶ ἀΰπνου, διαπαντὸς ἀνεῳγμένον ἦν τὸ ἱερὸν αὐτῆς. Εἰ μέντοι τὴν ὥραν ὀρθῶς ὁ Λαβεὼν ἀπὸ τοῦ παρορμᾷν ὠνομάσθαι δέδειχται, σκόπει μὴ τὸν ὠράτορα προτρεπτικόν τινα καὶ παρορμητικὸν ὄντα σύμβουλον ἢ δημαγωγὸν, οὕτως ὠνομάσθαι φατέον, οὐκ ἀπὸ τῆς ἀρᾶς καὶ εὐχῆς, ὡς ἔνιοι λέγουσι.

Διὰ τί τὸ τοῦ Ἡφαίστου ἱερὸν ἔξω πόλεως ὁ Ρωμύλος ἱδρύσατο; πότερον διὰ τὴν μυθολογουμένην πρὸς Ἄρη ζηλοτυπίαν τοῦ Ἡφαίστου δι' Ἀφροδίτην, υἱὸς εἶναι δοκῶν Ἄρεος, οὐκ ἐποιήσατο σύνοικον, οὐδὲ ὁμόπολιν αὐτόν; ἢ τοῦτο μὲν ἀβέλτερον, ᾠκοδομήθη δὲ ὁ ναὸς ἐξ ἀρχῆς, συνέδριον καὶ βουλευτήριον ἀπόῤῥητον αὐτῷ μετὰ Τατίου τοῦ συμβασιλεύσαντος, ὅπως συνιόντες ἐνταῦθα μετὰ τῶν γερόντων, ἄνευ τοῦ παρενοχλεῖσθαι καθ' ἡσυχίαν βουλεύοιντο περὶ τῶν πραγμάτων; ἢ, πρὸς ἐμπρησμὸν ἄνωθεν ἐπισφαλῶς τῆς Ρώμης ἐχούσης, ἔδοξε τιμᾷν μὲν, ἐξοικίσαι δὲ τῆς πόλεως τὸν Θεόν.

Διὰ τί τῇ τῶν Κωνσαλίων ἑορτῇ καὶ τοὺς ἵππους καὶ τοὺς ὄνους στεφανοῦσι, καὶ σχολάζειν ἐῶσι; πότερον ὅτι Ποσειδῶνι μὲν ἄγουσιν ἱππείῳ τὴν ἑορτὴν, ὁ δὲ ὄνος τῷ ἵππῳ συναπολαύει καὶ συμμετέχει τῆς ἀδείας; ἢ ὅτι ναυτιλίας φανείσης καὶ κομιδῆς κατὰ θάλατταν, ὑπῆρξέ τις ἀμωσγέπως ῥᾳστώνη καὶ ἀνάπαυσις τοῖς ὑποζυγίοις.

Διὰ τί τοὺς παραγγέλλοντας ἄρχειν, ἔθος ἦν ἐν ἱματίῳ τοῦτο ποιεῖν ἀχίτωνας, ὡς Κάτων ἱστόρηκε; πότερον ἵνα μὴ δεκάζωσιν, ἀργύριον ἐν τῷ κόλπῳ κομίζοντες; ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς ἀξίους ἄρχειν, οὐ γένεσιν

A rant, Mezentium Etruſcorum imperatorem Æneæ per internuncios pacem ea conditione obtuliſſe, ut ſibi is annuum vinum daret: & abnuente Ænea, ſuis id vinum promiſiſſe ſi prælio victor diſceſſiſſet: Æneam cognita ejus pollicitatione, diis vinum id conſecraſſe, partaque victoria vinum e congeſtis uvis factum ante fanum Veneris effudiſſe. An hoc ſigno monebat feſtos dies ſobrie, non per ebrietatem debere agitari? quod dii magis delectentur nimium merum effundentibus, quam bibentibus.

XLV. Cur [1] Hortæ templum antiquitus ſemper manſit apertum? An quia, ut Antiſtius Labeo tra-
B dit, ab hortando dictam deam, quæ ad honeſtas actiones exhortaretur & incitaret, exiſtimaverunt ut induſtriam ſemperque occupatam nunquam cunctari debere, nunquam incluſam impeditamve teneri? Aut potius ea eſt, quam nunc Horam dicunt, agilis dea & multis intenta negotiis, quæ cum obſervet omnia & ſolicita ſit, nunquam ab ea res humanas negligi voluerunt indicare? Aut potius id quoque nomen, ut multa alia, Græcum eſt, ſignificatque deam inſpicientem res; ( horan Græcis eſt videre ) ideoque ejus ut pervigilis ſemper apertum eſt templum? Quod ſi Horam ab hortando recte deducit Labeo, videndum an non potius
C indidem dicatur orator, qui conſulendo ſuadendoque exhortetur & incitet, quam ab orando ſeu precando, ut nonnulli volunt.

XLVI. [2] Cur Vulcani fanum Romulus extra urbem poſuit? An quod filius Martis cum exiſtimaretur, propter fabuloſam illam Vulcani adverſus Martem Veneris cauſa ſimultatem, Vulcanum in eadem urbe eodemque cum Marte domicilio eſſe noluit? Aut hoc quidem ineptum eſt? ſed illud templum jam inde ab initio ædificatum a Romulo fuit, ut ibi una cum collega ſuo Tatio curiam haberet, in qua de rebus arcanis cum ſenatu abſque interventoribus quiete poſſent conſultare? Aut cum
D Romæ ab incendiis ſtatim a primis temporibus multum eſſet periculi, colendum quidem deum igni præfectum, ſed extra urbem locum ei aſſignandum ſtatuerunt.

XLVII. Cur Conſalibus feriis equos aſinoſque coronant, & otiari ſinunt? an quia feriæ iſtæ Conſo, qui equeſter Neptunus eſt, aguntur, aſinus tum equo conſors eſt, juxtaque fruitur vacatione laboris? Aut quia tum commoda navigandi maris tempeſtas exhibita, jumentis qualemcunque quietem præbet.

XLVIII. [3] Cur qui magiſtratum petebant, mos erat ut hoc abſque togis in induſio facerent? Sic
E enim Cato tradit. an ne argentum in ſinu geſtantes ſuffragia redimerent? aut potius quod magiſtratu dignos non generis nobilitate, opibus, aut fama, ſed vulneribus & cicatricibus cum judicarent, ut con-

*Et natalitium cognatis ponere lardum,*
*Accedente nova, ſi quam dabat hoſtia, carne.*

Sic ut ſacrificia fuerint duum generum. In quibuſdam omnia, in nonnullis quædam modo Diis devota atque relicta. *Boxborn.*

1 *Hortæ templum.* ) ὅρτας aſpirate ſcribendum, cum ab hortando dicatur. Sed Antiſtium Labeonem, nobilem rerum Romanarum ſcriptorem, in Antiſtichum Laconem librarius nimis rudis mutarat. vel ex Gellio potuit eſſe notus: vocem κλεισνύειν non novi, ſed plane ſuſpicor eam pro ἐλλινύειν obrepſiſſe. Quæ autem de Hora ab hortando dicta referuntur, Græcanica ſunt, neque linguæ Latinæ conſentanea: quod bona cum venia Plutarchi dictum velim. *Xyland.*

2 *Cur Vulcani fanum Romulus extra urbem poſuit?* ) Certe ex aruſpicum diſciplina non Vulcani tantum, ſed & Veneris, & Martis templa extra urbem poſita; Veneris, ne in urbe aut adoleſcentes aut virgines Venereæ libidini nimium aſſueſcerent; Vulcani, boni ominis cauſſa, ad tollendum incendii metum; Martis, ad indicandum in ipſa urbe bella civilia non debere excitari. Quanquam Martem duplici nomine cultum Quirini & Gradivi tradiderint veteres. Quirinus Mars pacatus dicebatur. Huic in urbe templum conſtitutum. Gradivus Mars bellator putabatur. Hic templum extra urbis mœnia habebat. *Boxborn.*

3 *Cur qui magiſtratum petebant, mos erat ut hoc abſque togis in induſio facerent?* ) Nempe togam exuebant, & veſtibus candidis induebantur. Unde dicti candidati. Quod nemo neſcit. *Boxborn.*

οὐδὲ χρήμασιν οὐδὲ δόξαις, ἀλλὰ τραύμασι καὶ ὠτειλαῖς ἐκεῖνον; ὅπως οὖν ταῦτα καθορῷτο τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ἀχίτωνες ἐπὶ τὰς ἐπαγγελίας κατῄεσαν; ἢ καθάπερ τῷ δεξιοῦσθαι καὶ παρακαλεῖν καὶ ὑποπίπτειν, οὕτω τῇ γυμνότητι ταπεινοῦντες ἑαυτοὺς ἐδημαγώγουν.

Διὰ τί ὁ ἱερεὺς τοῦ Διός, ἀποθανούσης αὐτῷ τῆς γυναικός, ἀπετίθετο τὴν ἀρχήν, ὡς Τήϊος ἱστόρηκε; πότερον ὅτι τοῦ μὴ λαβόντος ὁ λαβών, εἶτα ἀποβαλὼν γυναῖκα γαμετὴν ἀτυχέστερος; ὁ μὲν γὰρ τοῦ γεγαμηκότος οἶκος, τέλειος, ὁ δὲ τοῦ γήμαντος, εἶτα ἀποβαλόντος, οὐκ ἀτελὴς μόνον, ἀλλὰ καὶ πεπηρωμένος; ἢ συνιερᾶται μὲν ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρὶ (ὡς καὶ πολλὰ τῶν ἱερῶν οὐκ ἔστι δρᾶσαι μὴ γαμετῆς συμπαρούσης) τὸ δὲ γαμεῖν εὐθὺς ἑτέραν, ἀποβαλόντα τὴν προτέραν, οὔτε ἴσως δυνατόν, οὔτ᾽ ἄλλως ἐπιεικές; ὅθεν οὐδὲ ἀποπέμψασθαι πρότερον ἐξῆν, οὐδὲ νῦν, ὡς ἔοικεν, ἔξεστιν, ἀλλὰ ἐφ᾽ ἡμῶν ἐπέτρεψεν ἐντευχθεὶς Δομετιανός· οἱ δὲ ἱερεῖς παρεγένοντο τῇ τοῦ γάμου διαλύσει, πολλὰ φρικώδη καὶ ἀλλόκοτα καὶ σκυθρωπὰ δρῶντες. ἧττον δ᾽ ἄν τις τοῦτο θαυμάσειε προσιστορήσας, ὅτι καὶ τῶν τιμητῶν θατέρου τελευτήσαντος, ἔδει καὶ τὸν ἕτερον πεπαῦσθαι τῆς ἀρχῆς· ἀποθανόντος δὲ τιμητοῦ Λιβίου Δρούσου, Σκαῦρος Αἰμίλιος συνάρχων οὐκ ἐβούλετο τὴν ἀρχὴν ἀπείπασθαι. μέχρις οὗ τῶν δημάρχων τινὲς αὐτὸν ἐκέλευον εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγεσθαι.

Διὰ τί τῶν Λαρητῶν οὓς ἰδίως πραιστίτας καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ πραιστίτες μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας, οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις, (ὥσπερ ὁ κύων ἐστὶν) ἠπίους δὲ καὶ πρᾴους τοῖς συνοικοῦσιν; ἢ μᾶλλον, ὃ λέγουσιν ἔνιοι Ῥωμαίων, ἀληθές ἐστι; καί, καθάπερ οἱ περὶ Χρύσιππον οἴονται φιλόσοφοι φαῦλα δαιμόνια περινοστεῖν, οἷς οἱ θεοὶ δημίοις κολασταῖς ἐπὶ τοὺς ἀνοσίους καὶ ἀδίκους ἀνθρώπους. οὕτως οἱ Λάρητες ἐριννυώδεις τινές εἰσι καὶ ποίνιμοι δαίμονες, ἐπίσκοποι βίων καὶ οἴκων· διὸ καὶ κυνῶν δέρμασιν ἀμπέχονται, καὶ κύων πάρεδρός ἐστιν, ὡς δεινοῖς οὖσιν ἐξιχνεῦσαι καὶ μετελθεῖν τοὺς πονηρούς.

Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν; ἢ ὅτι δαίμων ἐστὶν ἡ Γενείτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν; ῥύσιν γάρ τινα σημαίνει τοὔνομα καὶ γένεσιν, ἢ ῥέουσαν γένεσιν. ὥσπερ οὖν οἱ Ἕλληνες τῇ Ἑκάτῃ, καὶ τῇ Γενείτῃ κύνα Ῥωμαῖοι θύουσιν ὑπὲρ τῶν οἰκογενῶν. Ἀργείους δὲ Σωκράτης φησὶ τῇ Εἰλιονίᾳ κύνα θύειν διὰ τὴν ῥᾳστώνην τῆς λοχείας. τὸ δὲ τῆς εὐχῆς πότερον οὐκ ἐπ᾽ ἀνθρώπων, ἀλλὰ ἐπὶ κυνῶν ἐστιν οἰκογενῶν, μηδένα χρηστὸν γενέσθαι; χαλεποὺς γὰρ εἶναι δεῖ καὶ φοβεροὺς τοὺς κύ-

A spicua hæc essent, absque toga comitia obibant? aut quemadmodum prensando, orando, & sese submittendo, ita nuditate quoque corporis humiliter gratiam populi captabant.

XLIX. Cur flamen Dialis uxore mortua Flaminio decedit? [1] sic enim Atejus tradidit. An quia cœlibe miserior est qui uxorem amittit? qui enim uxorem duxit, ejus domus perfecta est: qui ductam amisit, ejus non imperfecta modo, sed & mutilata est familia? Aut quia in plerisque sacris rebus obeundis uxor ei adest, neque ea absente peragi eas fas est? Cæterum uxore mortua confestim aliam ducere neque factu fortassis facile, B neque ut sit humanum, videtur. Itaque etiam antiquitus uxorem repudiare non licuit, ac ne nunc quidem licet: nisi quod hoc permisit ejus rei gratia interpellatus nostra ætate Domitianus: aderant autem dissidio matrimonii sacerdotes, terribilia multa & inusitata atque tristia agentes. Minus autem hunc morem Flaminis Dialis mirabitur, qui observabit etiam censorum altero vita defuncto, alterum abdicare se censura opus habuisse. Mortuo quidem Livio Druso censore, collega ejus Æmilius Scaurus abdicare non ante voluit, quam eum tribunorum plebis quidam duci in carcerem C jusserunt.

L. [2] Cur Laribus, quos Præstites proprie vocant, canis præficitur, ipsi autem caninis pellibus amiciuntur? an præstites sunt qui præsunt, ideoque custodiam domus ejus curæ, alienisque eos terrori esse par est, domesticis mansuetos? qualis est canum natura: aut id verius est, quod nonnulli Romanorum dicunt? sicut qui Chrysippum sectantur philosophi dicunt oberrare quosdam malos genios, quibus loco carnificum dii utantur in puniendis flagitiosis & impiis hominibus: ita Lares genios quosdam esse diros ac furiarum naturæ affines ad puniendum factos, qui in vi- D tas & familias hominum inspiciant. itaque canum exuviis vestiri, & canem eis adsidere, ut callidis scrutari atque ulcisci malorum facinora.

LI. Cur Manæ Genetæ canem immolant, votoque petunt ne quis domi natorum bonus fiat? An quod hæc dea ortui ac partui præest interitui obnoxiorum ac fluxorum corporum? (fluxum enim quendam & generationem, seu generationem fluxam vox a manando ducta indicat) ut igitur Græci Hecatæ, sic Romani Genetæ canem immolant pro domi nascentibus. Argivos etiam, Socrates ait, cane Lucinæ rem sacram facere, ob facilitatem pariendi. Votum autem quid si non ad homines pertinet domi nascentes, sed ad canes? ut hos optent non bonos aut placidos, sed iracundos fieri & terribiles? [3] Aut

1 *Ut Atejus.*) Legi enim ὡς Ἀτήϊος. Scribebatur Τήϊος. ego Tejum scriptorem nullum novi rerum Romanarum: nam nomen est Tejus, non gentile (scripsisset enim ὁ τήϊος) ut Anacreontis. Itaque Ἀτήϊος reposui: nam Atejus Capito, ut rerum Romanarum scriptor a Gellio (sive is Agellius est) citatur in non admodum absimili argumento, l. XII. qui hoc ipsum ex Fabio Pictore refert 10. 15. 472. 31. Quæstione quadragesima septima Consalia scripsi, non ut apud Varronem lib. v. & alios legitur Consualia, Græcum secutus & analogiam. Sponsalia enim dicuntur, Vinalia, Vulcanalia, non Sponsualia, Vinualia, Vulcanualia: id obiter monere libuit. Quæstione proxima: *Ad puniendum factos.*) ποίνιμοι δαίμονες lego, non πόνιμοι, quod nihil significat; aut certe si significet, ad rem nihil facit. statim, *Canum exuviis.*) διὸ καὶ νῦν. καὶ νῦν credo ex κυνῶν esse factum. *Xyland.*

2 *Cur Laribus canis offertur, ipsique caninis pellibus amiciuntur?*) Id factum disertim notat vetus Scholiastes ad illud Persii Satyr. v. *Bullaque succinctis Laribus donata pependit.* *Quia*, inquit, *Gabino habitu Cynomia* (alii, *cinctuque*) *id est, pelle canina Dii penates formabantur. Boxb.*

3 *Aut quia venuste boni.*) ἢ διὰ τὸ χρηστοὺς κομψῶς. Hic locus totus est depravatus. adscribam quomodo emendem, ἢ διὰ τὸ χρηστοὺς κομψῶς λέγεσθαι τοὺς τελευτῶντας, αἰνιττόμενοι διὰ τῆς εὐχῆς αἰτοῦνται, &c. item γεγράφθαι φησὶ μηδένα χρηστὸν ποιεῖν, &c. Me autem recte emendare, nihilque temere mutare, cum ipsa loci sententia, tum quintum de rebus Græcis Problema Plutarchi abunde demonstrant. κομψῶς autem, id est, *venuste*, ait lenia nomina rebus duris & abominandis imponi. quod genus ὑποκορισμοῦ etiam in Solone exposuit, & nos mortuos, miserosve aut leprosos simili figura appellamus *gutt.* Itemque apoplexiam. Hæc si considerasset Inter-

pres,

νας. ἢ διὰ τὸ χρηστοὺς καὶ κομψοὺς λέγεσθαι τοὺς τελευτῶντας, αἰνιττόμενοι διὰ τῆς ἀρχῆς, αἰτοῦνται μηδένα τῶν συνοίκων ἀποθανεῖν; οὐ δεῖ δὲ τοῦτο θαυμάζειν. καὶ γὰρ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Ἀρκάδων πρὸς Λακεδαιμονίους συνθήκαις γεγράφθαι φησὶ, μηδὲν ἄχρηστον ποιεῖν βοηθείας χάριν τοῖς λακωνίζουσι τῶν Τεγεατῶν, ὅπερ εἶναι, μηδένα ἀποκτιννύναι.

Διὰ τί τοῖς Καπιτωλίοις θέας ἄγοντες ἔτι νῦν κηρύττουσι Σαρδιανοὺς ὠνίους, καὶ γέρων τις ἐπὶ χλευασμῷ προάγεται, παιδικὸν ἐναψάμενος περιδέραιον, ὃ καλοῦσι βοῦλλαν; ἢ ὅτι Ῥωμύλῳ πολὺν χρόνον ἐπολέμησαν οἱ λεγόμενοι Οὐήιοι Τυῤῥηνῶν, καὶ ταύτην πόλιν ἐσχάτην εἷλε, καὶ πολλοὺς αἰχμαλώτους ἀπεκήρυξε μετὰ τοῦ βασιλέως, ἐπισκώπτων αὐτοῦ τὴν ἠλιθιότητα καὶ τὴν ἀβελτηρίαν; ἐπεὶ δὲ Λυδοὶ μὲν ἦσαν οἱ Τυῤῥηνοὶ ἐξ ἀρχῆς, Λυδῶν δὲ μητρόπολις Σάρδεις, οὕτω τοὺς Οὐηίους ἀπεκήρυττον. καὶ μέχρι νῦν ἐν παιδιᾷ τὸ ἔθος διαφυλάττουσι.

Διὰ τί τὰ κρεωπώλια μάκελλα καὶ μακέλλας καλοῦσι; πότερον ἀπὸ τῶν μαγείρων τοὔνομα διαφθαρὲν, ὥσπερ ἄλλα πολλὰ, τῇ συνηθείᾳ κεκράτηκε; καὶ γὰρ τὸ κ πρὸς τὸ γ συγγένειαν ἔχει παρ' αὐτοῖς. ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο τῷ γάμμα, Καρβιλίου Σπορίου προσεξευρόντος· καὶ τὸ λ πάλιν τοῖς ἀπολισθαίνουσιν τοῦ ρ, διὰ ἀμβλύτητα τῆς γλώττης, ὑπόκειται τραυλιζόμενον. ἢ καὶ τοῦτο λυτέον τῇ ἱστορίᾳ; λέγεται γὰρ ἐν Ῥώμῃ βίαιον ἄνδρα καὶ λῃστρικὸν γενόμενον, καὶ περικόψαντα πολλοὺς, μόγις ἁλῶναι, καὶ κολασθῆναι, τοὔνομα Μάκελλον. ἐκ δὲ τῶν χρημάτων αὐτοῦ δημόσιον οἰκοδομηθῆναι κρεωπώλιον ἀπ' ἐκείνου κτησάμενον τὴν προσηγορίαν.

A quoniam venuste [1] boni dicuntur, qui mortem cum vita commutaverunt, hoc voto oblique precantur ne quis domesticorum moriatur? Atque hoc alienum putare nemo debet. nam in fœdere Arcadum cum Spartanis facto scriptum esse Aristoteles testatur, neminem Tegeatarum debere bonum redigi, (id est interfici) si auxilii causa rebus Lacedæmoniorum studeat.

LII. [2] Cur [3] ludis Capitolinis etiamnum præconis voce proclamant Sardianos vænales, & [4] senex quidam ludibrii gratia producitur bullam collo appensam gerens puerilem? An quia Vejentes Etruscorum populus per longum tempus Romulo B bello restiterunt, hancque is ultimam urbem cepit, multosque captivos sub hasta vendidit una cum ipsorum rege, futilitatem ejus & stultitiam deridens? nam Etrusci a Lydis, originem trahunt, Lydorum primaria urbs Sardes. ideo Vejentes Sardianorum nomine proclamant, & in hunc usque diem ludicri gratia morem istum conservant.

LIII. Cur locus ubi carnes publice venduntur, macellum dicitur? An consuetudo, ut multa alia, ita hoc quoque vocabulum a mageiris (qui Græca lingua sunt coci) depravatum retinuit? sunt enim C & G cognatæ litteræ, & G littera sero uti ceperunt a [5] Sp. Carbilio adjecta reliquis: & qui blæ C si sunt, lingua ob hebetudinem aberrante a R littera ad L delabuntur. [6] Aut historia rem explicabit? Ferunt enim Romæ latronem truculentum fuisse, nomine Macellum, qui multis deverberatis vix tandem captus, supplicioque affectus, & ex pecunia ejus locus carnibus publice vendendis ædificatus fuerit, nomen ab ipso habens.

---

pres, rectius expressisset sententiam. Idem pro *μάνη* legit ut apparet *μόνη*, quod minime probo. Videtur autem ea esse, quæ apud Varronem libro octavo, & Macrobium I. VII. Saturnalium Larum mater dicitur, & a manando diserte Plutarchus deducit. atque hoc in sequenti Problemate. *Xyland.*

1 *Boni dicuntur, qui mortem cum vita commutaverunt.*) Acutissima explicatio. Faciant huc inscriptiones quædam antiquæ, quarum unam elegantiæ caussa apponam. Romæ in marmore confracto:

CRESCO. PERCREPAS
GAVDEO. PERPLORAS
INVIDE. MORERE.

Imo ipsi Manes a *manus* vel *manuus*, quod bonum antiquitus designabat, nomen acceperunt. Festus: *Manuos in carminibus Saliaribus Ælius Stilo significare ait bonos. Et inferi Dii manes pro bonis dicuntur.* Frustra enim a *manare* paullo ante Etymologiam deducit idem Festus. Quemadmodum & displicet similis originatio nominis Manæ, quam in hoc Problemate exhibet Plutarchus. Petebant igitur Romani a Mana Geneta, ne quis bonus domi nasceretur. Caussas voti varias adducit auctor noster. Injuriam ipsi non fecero, si hic eam, quæ mihi in mentem nunc venit, exponam. Nolebant bonos nasci. Non quod in liberis suis odissent bonam mentem & cultum virtutis, sed bonus hic significat hominem altæ cujusdam & ignavæ simplicitatis, cui nihil salis agnatum. Sic Galli de tali, *il est un bon homme*. Nec aliter veteres, *Bone Rex*, *Bone vir*, & sexcenta talia. Horatius lib. II. Satyr.

*O bone, ne te frustrere.*

Et Persius Satyr. VI. *O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus. O bone*, o ineptum, o funginum caput: Sed forsan hæc conjectura nostra acutior, quam verior. *Boxhorn.*

2 *Cur ludis Capitolinis etiamnum proclamant Sardos vænales.*) Sardi *vænales*; proverbium elegantissimum. Idem est ac si diceres cum Persio, *Nugæ bullatæ*. Causam exclamationis & proverbii meo judicio verissimam hanc tradit Simius Capito apud Festum; *Ait Simius Capito Tib. Graccum Consulem, collegam P. Valerii Faltonis Sardiniam, Corsicamque subegisse, nec prædæ quidquam aliud, quam mancipia captum, quorum vilissima multitudo fuerit.* Idem.

3 *Ludis Capitolinis.*) τῆς Καπιτωλίοις, lectio est incongrua. Legendum τοῖς Καπιτωλίνοις, aut sacra intelligas triumphalia, quibus pompa in Capitolium ducitur. Vide Plutar. *Romulo*, & Festum, aliosque. *Xyland.*

4 *Senex bullam collo appensam gerens.*) Huc respicit Juvenalis Satyr. XIII. *Dic senior bulla dignissime.* Boxhorn.

5 *Sp. Carbilio.*) Grammatico infra Quæstione LVIII. Quod autem Problemate LIV. traditur aliquanto aliter est apud Livium lib. IX. *Xyland.*

6 *Aut Historia rem explicabit?*) Historiam hanc paullo accuratius explicat Varro in libris rerum humanarum apud Donatum in Eunuchum Terentianum: *Numerius Equilius Cupes & A. Manius Macellus singulari latrocinio multa habuerant loca infesta. His in exilium actis publicata sunt bona, & ædes, ubi habitabant, dirutæ, deque ea pecunia scalæ Deum Penatium ædificatæ, & locus, ubi venirent, quæ vescendi caussa in urbem erant allata. Itaque ab altero macellum, ab altero forum cupedinis appellatum est.* Aliter tamen mihi videtur. Macellum a mactando dictum, ut sacellum a sacrando, forum cupedinis sive cupediarum a cupiendo. quod per se quivis videt. *Boxhorn.*

Διὰ τί ταῖς Ἰανουαρίαις εἰδοῖς περιϊέναι δέδοται τοῖς αὐληταῖς τὴν πόλιν ἐσθῆτας γυναικείας φοροῦντας; ἢ διὰ τὴν λεγομένην αἰτίαν; μεγάλας γὰρ (ὡς ἔοικε) τιμὰς ἐκαρποῦντο, τοῦ βασιλέως Νουμᾶ δόντος αὐτοῖς, διὰ τὴν πρὸς τὸ θεῖον ὁσιότητα. ταύτας δὲ ὕστερον ἀφαιρεθέντες ὑπὸ τῆς ἀνθυπατικῆς δεκαδαρχίας, ἀπεχώρησαν ἐκ τῆς πόλεως. ἦν οὖν ἐπιζήτησις αὐτῶν, καί τις ἥπτετο δεισιδαιμονία τῶν ἱερέων ἄναυλα θυόντων. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐπείθοντο μεταπεμπομένοις, ἀλλ' ἐν τῇ Τιβουρίδι διέτριβον, ἀνὴρ ἀπελεύθερος κρύφα τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγείλατο κατάξειν αὐτούς. καὶ παρασκευάσας θοίνην ἄφθονον, ὡς τεθυκὼς θεοῖς, ἐκάλεσε τοὺς αὐλητάς· καὶ γύναια παρῆν ἅμα τῷ πότῳ, καὶ παννυχὶς συνεκροτεῖτο παιζόντων καὶ χορευόντων. εἶτα ἐξαίφνης ὁ ἄνθρωπος ἐμβαλὼν λόγον ὡς τοῦ πάτρωνος ἐπιόντος αὐτῷ, καὶ ταραττόμενος, συνέπεισε τοὺς αὐλητὰς ἀναβάντας ἐφ' ἁμάξας δέρρεσι κύκλῳ περικαλυπτομένας, εἰς τὸ Τίβουρ κομίζεσθαι. τοῦτο δὲ ἦν ἀπάτη· περιαγαγὼν γὰρ τὰς ἁμάξας οὐ συνορῶντας αὐτοὺς διὰ τὸν οἶνον καὶ τὸ σκότος, ἔλαθεν εἰς Ῥώμην καταγαγὼν ἅπαντας ἕωθεν. ἐτύγχανον δὲ οἱ πολλοὶ διὰ τὴν παννυχίδα καὶ τὸν πότον ἐν ἐσθῆσιν ἀνθιναῖς καὶ γυναικείαις ὄντες. ὡς οὖν ἐπείσθησαν ὑπὸ τῶν ἀρχόντων καὶ διηλλάγησαν, ἐνομίσθη τὴν ἡμέραν ἐκείνην οὕτως ἀμπεχομένους, σοβεῖν διὰ τῆς πόλεως.

Διὰ τί τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἐξ ἀρχῆς δοκοῦσιν αἱ μητέρες ἱδρύσασθαι, καὶ νῦν μάλιστα σέβονται; λέγεται γάρ τις λόγος ὡς ἐκωλύθησαν ὑπὸ τῆς βουλῆς αἱ γυναῖκες ὀχήμασι χρῆσθαι ζευκτοῖς, συνέθεντο ἀλλήλαις μὴ κυΐσκεσθαι, μηδὲ τίκτειν, ἀμυνόμεναι τοὺς ἄνδρας, ἄχρις οὗ μετέγνωσαν καὶ συνεχώρησαν αὐταῖς. γενομένων δὲ παίδων εὐτεκνοῦσαι καὶ πολυτεκνοῦσαι τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἱδρύσαντο. τὴν δὲ Καρμένταν οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα λέγουσιν οὖσαν ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ὀνομαζομένην Θέμιν· ὡς δ' ἔνιοι, Νικοστράτην. ἐμμέτρους δὲ χρησμοὺς ᾄδουσαν, ὑπὸ τῶν Λατίνων Καρμένταν ὀνομάζεσθαι. τὰ γὰρ ἔπη, κάρμινα καλοῦσιν. οἱ δὲ μοῖραν ἡγοῦνται τὴν Καρμένταν εἶναι. καὶ διὰ τοῦτο θύειν αὐτῇ τὰς μητέρας. ἔστι δὲ τοῦ ὀνόματος τὸ ἔτυμον, ἐστερημένη νοῦ, διὰ τὰς θεοφορήσεις. ὅθεν οὐ τὰ κάρμινα τῇ Καρμέντῃ τοὔνομα παρέσχεν, ἀλλὰ μᾶλλον ἀπ' ἐκείνης ἐκλήθη, διὰ τὸ τοὺς χρησμοὺς ἐν ἔπεσι καὶ μέτροις ἐνθουσιῶσαν ᾄδειν.

Διὰ τί τῇ Ῥουμίνᾳ θύουσαι, γάλα κατασπένδουσι τῶν ἱερῶν, οἶνον δὲ οὐ προσφέρουσιν; ἢ ῥοῦμαν Λατῖνοι τὴν θηλὴν καλοῦσι, καὶ Ῥουμάναλιν ὀνομασθῆναι λέγουσιν; παρόσον ἡ λύκαινα τῷ Ῥωμύλῳ τὴν θηλὴν παρέσχεν; ὥσπερ οὖν ἡμεῖς τὰς τρεφούσας τὰ παιδία γάλακτι, θηλονὰς ἀπὸ τῆς θηλῆς καλοῦμεν, οὕτως ἡ Ῥουμίνα θηλωτὶς οὖσα καὶ τιθήνη καὶ κουροτρόφος, οὐ προσίεται τὸν ἄκρατον, ὡς βλαβερὸν ὄντα τοῖς νηπίοις.

LIV. Cur Idibus Januarii tibicinibus permiſſum eſt per urbem circuire, veſtem indutis muliebrem? An hoc fit propter cauſam quæ ſubjicietur? Magnos illis honores Numa rex religionis cauſa contulerat. quibus cum poſtea tribunis militum conſulari poteſtate remp. adminiſtrantibus privarentur, univerſi Roma Tibur ſeceſſerunt. deſiderati inde, quod religio animos tenebat Romanorum, nemine ſacrificiis præcinente, accitique cum non obtemperarent, ſed Tibure manerent, libertus quidam magiſtratibus promiſit occulte, ſe eos Romam reducturum. Inſtructo proinde polluctu, tanquam ſi diis rem ſacram feciſſet, invitat tibicines, adhibitis etiam convivio mulieribus, & per totam noctem compotatio, joci, choreæque protrahuntur. tum ſubito ficta trepidatione, improviſo patroni ſuperventu ſe perturbatum ait, perſuadetque tibicinibus ut vehicula circumquaque pellibus obtecta conſcendant, Tibur ſe eos revecturum doloſe promittens. ibi circumactis vehiculis eos, qui per temulentiam & tenebras animadvertere ubi locorum eſſent nequibant, univerſos Romam prima luce perfert. Erant autem plerique veſtibus floridis & muliebribus amicti ob nocturnam comeſſationem & convivium. Exinde cum magiſtratu tibicines in gratiam redierunt, decretumque eſt ut tali habitu iſtum diem eis per urbem vagari liceret.

LV. Quamobrem Carmentæ templum matronæ & antiquitus dedicaverunt, & hodie in primis colunt? Memoria proditum eſt matres, cum uſu vehiculorum quibus jumenta trahendis jungerentur, ſenatus ipſis interdixiſſet, inter ſe conſpiraſſe, neque uterum gerere ſe, neque parere velle, ac viros hac ratione ulciſci. idque fecerunt, donec mutata ſententia uſus vehiculorum conceſſus fuit. Exinde cum parerent, fœcundæ & liberorum copia claræ templum Carmentæ poſuerunt. Ea Carmenta nimirum Evandri mater fuit, nomine ſuo Themis, aut, ut alii volunt, Nicoſtrata. quæ cum in Italiam veniſſet, [1] oraculaque verſibus illigata caneret, a Latinis Carmenta dicta eſt, voce a carmine deducta. Sunt qui Carmentam putent eſſe Parcam, ideoque ei matronas ſacrificare, ratio autem nominis hæc eſt: Carens mente, ob inſtinctus videlicet divinos, quibus ad fatiloqua fundenda carmina impellebatur.

LVI. Cur Ruminæ ſacrificantes mulieres, lac victimæ invergunt, vinum non adhibent? An quia Ruma Latinis mammam ſignificat: & [2] ruminalem ficum eam appellant, ad quam lupa mammam Romulo præbuit: ergo Rumina, id eſt, lactentibus ac nutricibus & alendis pueris præfecta, merum non admittit, quod eſt infantibus perniciosum?

---

1 *Oraculaque verſibus illigata caneret.*) Horum tamen accurata adeo in oraculis ratio non habebatur. Pulchre id obſervat Juſtinus Martyr, & ſimul cauſſam addidit ubi de oraculis præſertim Sibyllinis agit, Cohortatione ad Græcos. *Iis enim* (nempe Sibyllis) *haud quaquam, ſicuti poetis, etiam poſtquam poemata ſcripſere, facultas fuit corrigendi atque expoliendi reſponſa ſua, juxta exquiſitiorem numerum & dimenſionum carminis rationem: ſed in ipſo afflatus tempore ſortes illæ ſuas explebant: & evaneſcente inſtinctu ipſo, ſimul quoque dictorum memoria evanuit. Atque hæc ipſa cauſa eſt, quamobrem non omnes carminis numeros Sibyllæ ſervent oracula. Quin ipſi quoque, cum in urbe ea eſſemus, indicibus, qui hoſpites ad ea quæ viſenda ſunt ducere ſolent oſtendentibus, qui nobis loca etiam, in quibus eſt illa vaticinata, commonſtrarunt, vidimus loculum quendam ex ære elaboratum, ubi reliquias ejus ſervari dicebant. Inſuper inter alia omnia quæ indices iſti expoſuerunt, illud quoque fuit, a majoribus ſe audiviſſe, quod qui reſponſa ab oraculo excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuiſſent, toties in accuratiore numerorum obſervatione erraverint: & proinde iſtam illi carminum quorundam inconcinnitatis attulerunt cauſam, quod cum vates ipſa, mentis emotione & afflatu libera, dictorum ſuorum memoriam non retinuerit, tum, qui oracula ſcripto mandabant, propter imperitiam numerorum obſervandorum, accurata ratione exciderint. Quapropter Platonem in Sibyllæ oracula intuentem, de vatibus hæc dixiſſe conſtat ita ſcribentem: Cum multas magnaſque res recte & vere dicunt, nihil eorum quæ loquuntur intelligentes.* Boxhorn.

2 *Ruminalem*) poſt ῥουμανάλιν deeſt συκῆν aut aliquid tale. hiſtoria eſt nota. *Xyland.*

A Διὰ τί τῶν συγκλητικῶν τοὺς μὲν, πατέρας συγγεγραμμένους, τοὺς δὲ, ἁπλῶς πατέρας προσηγόρευον; τοὺς μὲν ἐξ ἀρχῆς καταινεμηθέντας ὑπὸ τοῦ Ῥωμύλου, πατέρας ἐκάλουν καὶ πατρικίους, οἷον εὐπατρίδας ὄντας, πατέρας αὑτῶν ἔχοντας ἀποδεῖξαι· τοὺς δὲ ὕστερον ἐπιγραφέντας ἐκ τῶν δημοτικῶν συγγεγραμμένους πατέρας ὠνόμασαν.

Διὰ τί κοινὸς ἦν βωμὸς Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν; ἢ ὅτι γράμματα τοὺς περὶ Εὔανδρον ἐδίδαξεν Ἡρακλῆς, ὡς Ἰόβας ἱστόρηκε· καὶ τὸ πρᾶγμα σεμνὸν ἐνομίζετο, φίλους καὶ συγγενεῖς διδασκόντων. ὀψὲ δὲ ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν· καὶ πρῶτος ἀνέῳξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπόριος Καρβίλιος ἀπελεύθερος, Καρβιλίου τοῦ πρώτου B γαμετὴν ἐκβαλόντος.

Διὰ τί δυεῖν βωμῶν Ἡρακλέους ὄντων, οὐ μεταλαμβάνουσι γυναῖκες οὐδὲ γεύονται τῶν ἐπὶ τοῦ μείζονος θυομένων; πότερον ὅτι τῶν ἱερῶν αἱ περὶ τὴν Καρμένταν ὑστέρησαν, ὑστέρησε δὲ καὶ τὸ Πιναρίων γένος; ὅθεν εἰργόμενοι τῆς θοίνης ἑστιωμένων τῶν ἄλλων, Πινάριοι προσηγορεύθησαν, ἢ διὰ τὰ μυθολογούμενα περὶ τοῦ χιτῶνος καὶ τῆς Δηιανείρας.

Διὰ τί τὸν Θεὸν ἐκεῖνον, ᾧ μάλιστα τὴν Ῥώμην σώζειν προσήκει καὶ φυλάττειν, εἴτε ἐστὶν ἄρρην εἴτε θήλεια, καὶ λέγειν ἀπείρηται καὶ ζητεῖν καὶ ὀνομάζειν; ταύτην δὲ τὴν ἀπόρρησιν ἐξάπτουσι δεισιδαιμονίας, ἱστοροῦντες Οὐαλέριον Σωρανὸν ἀπολέσθαι κακῶς διὰ τὸ ἐξειπεῖν. C πότερον, ὡς τῶν Ῥωμαϊκῶν τινὲς ἱστορήκασιν, ἐκκλήσεις εἰσὶ καὶ γοητεῖαι Θεῶν; αἷς νομίζοντες καὶ αὐτοὶ Θεούς τινας ἐκκεκλῆσθαι παρὰ τῶν πολεμίων, καὶ μετῳκηκέναι πρὸς αὐτοὺς, ἐφοβοῦντο τὸ αὐτὸ παθεῖν ὑφ᾽ ἑτέρων; ὥσπερ οὖν Τύριοι δεσμοὺς ἀγάλμασι λέγονται περιβαλεῖν, ἕτεροι δὲ αἰτεῖν ἐγγυητὰς ἐπὶ λουτρὸν ἢ καθαρμόν τινα προπέμποντες, οὕτως ᾤοντο Ῥωμαῖοι τὸ ἄρρητον καὶ τὸ ἄγνωστον ἀσφαλεστάτην εἶναι Θεοῦ καὶ βεβαιοτάτην φρουράν· ἢ, καθάπερ Ὁμήρῳ πεποίηται,

LVII. Cur senatorum alios patres conscriptos, alios simpliciter, patres vocant? An patres & patricii vocantur qui initio a Romulo sunt lecti, qui possent suos patres ciere: qui vero postmodo e plebeiis adscripti sunt, patres conscripti dicuntur?

LVIII. [1] Cur communis fuit ara Herculis & Musarum? An quia Evandrum litteras docuit Hercules, ut Juba narrat: resque ea videtur perhonesta, cum litteras prisci amicis ac cognatis traderent. Sero cœptum est mercede doceri, primusque ludum litterarium aperuit Sp. Carbilius, Carbilii libertus, ejus qui primus uxorem dimisit.

LIX. Quare cum duæ sint aræ Herculis, mulieres nihil sumunt neque gustant de iis quæ in earum altera immolantur? An quia post sacrificium jam peractum supervenit Carmenta? Hoc idem familiæ Pinariorum accidit, qui inde nomen habent. nam exclusi ab epulis, aliis edentibus esuriunt, quod Græce est peinan; aut propter fabulam quæ de tunica & Deianira fertur.

LX. [2] Cur tutelarem Romæ deum, masne sit an femina, dicere aut quærere, ejusque nomen efferre nefas est? quod quidam interdictum a superstitione repetunt, narrantes Valerium Soranum male periisse, quod nomen illud edidisset. An quia, ut nonnulli rerum Romanarum scriptores tradunt, carmina quædam sunt & præstigiæ quibus dii eliciuntur: quibus usi Romani cum putarent se quosdam hostium deos ad se traduxisse, cavere voluerunt ne idem sibi ab aliis eveniret? Itaque sicut Tyrii vincula injicere simulacris dicuntur, alii autem cum ea ad lavacrum aut lustrationem aliquam deducunt, fidejussores pro reditu exigunt: ita Romani tutissime ac constantissime adservari deum crediderunt, qui neque de nomine notus aliis esset. An quemadmodum Homerus scripsit:

---

1 *Cur communis fuit ara Herculis & Musarum?* ) Notus est Hercules Musagethes. Romæ via Appia:

HERCULI. MUSARUM. PYTHUS.

Præter rationem, quam adducit Plutarchus, non prætermittenda est, quam proponit Eumenius Rhetor, sive alius sit, in oratione de instaurandis scholis; *Ædem*, inquit, *Herculis Musarum in Circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit, non id modo sequutus, quod ipse litteris & summa poetæ amicitia duceretur; sed Musas sub tutela fortissimi numinis consecravit, ut res quæ a mutuis operibus & præmiis juvari ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum*. Sententia eo redit: conjuncta ara Herculis & Musarum, ut ostenderetur Musas, earumque cultores a principibus foveri oportere, & simul etiam magnas, communemque hominum sortem supergressas virtutes Musarum beneficio æternitati famæ debere consecrari. Verum enim est tritum illud Claudiani.

*Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.*

Imo etiam alia est ratio, cur conjuncta fuerit & Herculis & Musarum ara. In Mythologia veterum per Herculem constat Solem denotari. Ut hac parte idem sit, qui Apollo. Apollo autem præses Musarum. De Sole per Herculem designato vide elegantissimam dissertationem Aleandri in *explicatione Tabulæ veteris Heliacæ*, sive solaris. *Boxh.*

2 *Cur tutelarem Romæ Deum dicere, aut quærere, ejusque nomen efferre nefas est?* ) Cum numinum varietate delectarentur pagani, rebus singulis, etiam vilissimis, suum adscripsere. Rebus publicis autem potissimum id deberi videbatur. Proinde constituti earum Dii tutelares. *Dii Tutelæ* nominantur in inscriptionibus antiquis. Tarraconæ:

TVTELÆ. TARRACON. & alibi in Hispania:

DEO. TVTEL.

GENIO. LOCI.

Ratio autem, cur Dei tutelaris nomen clam haberi voluerint Romani, hæc adducitur a Plutarcho, ne ab hostibus nomine compellatus posset evocari. Evocatione autem preces ardentissimæ ad Deum instituebantur, ut desereret locum, cujus tutelæ hactenus invigilaverat. Formula ejus, qua in obsidione Carthaginis usi Romani, hæc exstat apud veteres: *Si Deus, si Dea est cui populus, civitasque Carthaginiensis est in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus populique tutelam recepisti, precor veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum, civitatem Carthaginiensium deseratis, loca, templa, sacra urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique populo, civitati, metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditi Romam ad me, meosque veniatis, nostræque urbis loca, templa, sacra, urbs acceptior, probatiorque sit, mihique populoque Romano, militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis voveo vobis templa, ludosque facturum*. Nimirum facile secedere Deos existimabant. Quare nonnullos eorum vinctos catenisque arctissime constrictos coluere, ne abirent. Cujus rei non unum exemplum exstat apud antiquos. Evocatione autem opus existimabant Romani, ne Deos læderent, si eam non adhiberent. Communes enim Deos pagani omnes habuere. De quo Quæstione I. satis superque dictum a nobis fuit. *Boxhorn.*

τὸ Γαῖα δ᾽ ἐστὶ ξυνὴ πάντων, ὅπως οἱ ἄνθρωποι τοὺς A Θεοὺς πάντας σέβωνται, καὶ τιμῶσι τὴν γῆν κοινῶς ἔχοντες, οὕτως ἀπεκρύψαντο τὸν κύριον τῆς σωτηρίας οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι, βουλόμενοι μὴ μόνον τοῦτον, ἀλλὰ πάντας ὑπὸ τῶν πολιτῶν τοὺς Θεοὺς τιμᾶσθαι.

Διὰ τί τῶν λεγομένων φιτιαλίων (Ἕλλησι δὲ οἷον εἰρηνοποιῶν) σπονδοφόρων, ὁ καλούμενος πάτερ πατρᾶτυς ἐνομίζετο μέγιστος; ἔστι δὲ οὗτος ᾧ πατὴρ ζῇ καὶ παῖδές εἰσιν· ἔχει δὲ καὶ νῦν προνομίαν τινὰ καὶ πίστιν· οἱ γὰρ στρατηγοὶ τὰ δι᾽ εὐμορφίαν καὶ ὥραν ἐπιμελοῦς δεόμενα καὶ σώφρονος φυλακῆς σώματα, τούτοις παρακατατίθενται. πότερον ὅτι τὸ αἰδεῖσθαι τοὺς παῖδας αὐτοῖς καὶ B τὸ φοβεῖσθαι τοὺς πατέρας πρόσεστιν; ἢ τοὔνομα τὴν αἰτίαν ὑπαγορεύει; βούλεται γὰρ εἶναι τὸ πατρᾶτον, οἱονεὶ συμπεπερασμένον καὶ πεπερατωμένον, ὡς τελειοτέρου τῶν ἄλλων ὄντος, ᾧ συμβέβηκε πατέρα κεκτημένῳ πατρὶ γενέσθαι. ἢ δεῖ τὸν ὅρκων καὶ εἰρήνης προϊστάμενον, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω καθ᾽ Ὅμηρον ὁρᾶν; εἴη δ᾽ ἂν μάλιστα τοιοῦτος ᾧ παῖς ἐστιν ὑπὲρ οὗ βουλεύεται, καὶ πατὴρ μεθ᾽ οὗ βουλεύεται.

Διὰ τί τῷ καλουμένῳ ῥῆγι σακρώρουμ (οὗτος δ᾽ ἐστὶ βασιλεὺς ἱερῶν) ἀπείρηται καὶ ἄρχειν καὶ δημηγορεῖν. ἢ τὸ παλαιὸν οἱ βασιλεῖς τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα τῶν ἱερῶν ἔδρων, καὶ τὰς θυσίας ἔθυον αὐτοὶ μετὰ τῶν ἱερέων; ἐπεὶ δ᾽ οὐκ ἐμετρίαζον, ἀλλ᾽ ἦσαν ὑπερήφανοι καὶ βαρεῖς, C τῶν μὲν Ἑλλήνων οἱ πλεῖστοι τὴν ἐξουσίαν αὐτῶν περιελόμενοι, μόνον τὸ θύειν τοῖς θεοῖς ἀπέλιπον. Ῥωμαῖοι δὲ παντάπασι τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλόντες, ἄλλον ἐπὶ τὰς θυσίας ἔταξαν, οὔτε ἄρχειν ἐάσαντες, οὔτε δημαγωγεῖν, ὅπως μόνον ἐν τοῖς ἱεροῖς βουλεύεσθαι δοκῶσι, καὶ βασιλείαν διὰ τοὺς Θεοὺς ὑπομένειν. ἔστι γοῦν τις ἐν ἀγορᾷ θυσία πρὸς τῷ λεγομένῳ Κομητίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεύς, κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς.

Διὰ τί τὴν τράπεζαν οὐκ εἴων ἀναιρεῖσθαι κενήν, ἀλλὰ πάντως τινὸς ἐπόντος; πότερον αἰνιττόμενοι τὸ D δεῖν ἀεί τι τοῦ παρόντος εἰς τὸ μέλλον ὑπολιπεῖν, καὶ τῆς αὔριον ἐν τῇ σήμερον μνημονεύειν; ἢ νομίζοντες ἀστεῖον εἶναι τὸ συστέλλειν καὶ ἀνέχειν τὴν ὄρεξιν, ἔτι παρούσης τῆς ἀπολαύσεως; ἧττον γὰρ ἐπιθυμοῦσι τῶν ἀπόντων, ἐθισθέντες ἀπέχεσθαι τῶν παρόντων· ἢ καὶ πρὸς οἰκέτας φιλάνθρωπον τὸ ἔθος; οὐ γὰρ οὕτω λαμβάνοντες ὡς μεταλαμβάνοντες ἀγαπῶσι, κοινωνεῖν τρόπον τινὰ τραπέζης ἡγούμενοι τοῖς δεσπόταις. ἢ τῶν ἱερῶν οὐδέποτε δεῖ κενὸν οὐδὲν περιορᾶν; ἱερὸν δὲ ἡ τράπεζα.

A *Terra est communis cunctis cœlestibus una*, ut homines universos deos colerent æquo jure terram tenentes: ita prisci Romani salutis publicæ autorem occultaverunt, quod vellent non istum duntaxat, sed omnes etiam alios deos a civibus suis coli.

LXI. Cur inter [1] Feciales maximus est is, quem patrem patratum appellant? is autem est qui liberos habet vivo adhuc patre suo: atque etiamnum privilegium autoritatemque aliquam retinet: prætores enim corpora quæ ob formam & florem ætatis custodia opus habebant pudica, eorum fidei commendant. An quia & liberos reverentur suos, & B timent genitores? an ipsum nomen rem explicat? est enim patratum quasi perfectum & absolutum, & perfectior aliis putabatur, qui vivo patre pater esset factus. Aut jurejurandi & pacis præsidem oportet simul (ut ait Homerus) prorsum & retrorsum videre? id vero maxime præstare possit, qui & filium habet de quo consultet, & patrem qui cum deliberet.

LXII. [2] Cur regi sacrorum magistratum gerere aut orationem ad populum habere non licet? An quod antiquitus reges pleraque & potissima sacra peragebant, inque immolandis hostiis sacerdotibus aderant: cum vero modum non servarent, sed superbe iniqueque dominarentur, Græci plerique iis C omnem ademerunt potentiam, id tantum relinquentes ut diis sacra facerent. Romani autem regibus omnino ejectis, sacrificiis alium præfecerunt, neque magistratum gerere eum, neque cum populo agere sinentes: ut nunquam [3] nisi in sacris servire, & in gratiam deorum sustinere regnum viderentur? Sane a majoribus tradito ritu ante Comitium rex sacrorum postquam rem divinam fecit, fuga sese inde e foro proripit.

LXIII. [4] Cur mensa cum tolleretur, semper omnino aliquid super ea volebant relinqui? An hac ambage significabant semper ex partis aliquid in fu- D turum reservandum, & in præsenti die subsecuturæ aliquam habendam rationem? Aut scitum putabant appetitum cohibere, eumque reprimere dum adhuc aliquid ad fruendum in promptu est? minus enim appetunt absentia, qui præsentibus abstinere didicerunt? Aut erga famulos aliquid habet humanitatis mos iste, qui sic quodam modo videntur a dominis ad societatem mensæ admitti? non enim tantum delectantur accipiendo, quantum participando. Aut rerum sacrarum nulla unquam debet inanis relinqui? est autem mensa sacra.

---

1 *Feciales)* φυτιαλίων scriptum puto ut & alibi sexagesima tertia. *Xyland.*

2 *Cur Regi sacrorum magistratum gerere, aut orationem habere ad populum non licet?)* Rex Sacrorum erat, qui ea omnia sacrificia peragebat, quæ Reges antea fuerant exsequuti. Post reges enim regiorum sacrorum caussa institutus est, & ideo Rex sacrorum nominatur, non quia princeps aut primus erat omnium sacerdotum. Pontifici enim Maximo subjectus fuit. Regis & Reginæ sacrorum meminit vetus lapis, qui exstat Romæ in basi fracta:

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
C. VA. . . . . . . . . . . . . . . .
REX. SACRORVM. AVGVR. CVM.
MANLIA. L. F. FADILIA
REGINA. SACRORVM
PATRI. KARISSIMO.

Caussa autem, cur Regi sacrorum magistratum gerere, vel orationem ad populum habere non licuerit, haud dubie illa fuit, quod prudenter metuerent, ne sic simul & sacris & imperii negotiis se immisceret, ne specie relligionis a cæteris in se favorem populi avocaret, atque sic tandem Regiam potestatem Rex sacrorum occuparet. *Boxh.*

3 *Nisi in sacris servire.)* βουλεύεσθαι δοκῶσι: omnino legendum est δουλεύεσθαι. *Xyland.*

4 *Cur mensa cum tolleretur, semper omnino aliquid super ea volebant relinqui?)* Haud dubie id boni ominis caussa usitatum, & probandæ abundantiæ. Aliqui deesse videtur, ubi ita omnia absumuntur, ut nihil omnino relinquatur. *Idem.*

A Διὰ τί τῇ νύμφῃ τὸ πρῶτον οὐκ ἐντυγχάνει μετὰ φωτὸς ὁ ἀνὴρ, ἀλλὰ διὰ σκότους; πότερον ὅτι αἰδεῖται πρινὴ συνελθεῖν ἀλλοτρίαν νομίζων, ἢ καὶ πρὸς ἰδίαν προσιέναι μετὰ αἰδοῦς ἐθιζόμενος; ἤ, καθάπερ ὁ Σόλων ἔγραψε, μῆλον κυδώνιον τὴν νύμφην ἐντραγοῦσαν εἰς τὸν θάλαμον βαδίζειν, ὅπως τὸ πρῶτον ἄσπασμα μὴ δυσχερὲς γένηται μηδὲ ἀχάριστον. οὕτω Ῥωμαῖος νομοθέτης, εἰ δή τι προσῆν ἄτοπον τῷ σώματι καὶ δυσχερὲς, ἔκρυψεν; ἢ διαβολή τις ἐστὶν ἀφροδισίων παρανόμων τὸ γινόμενον, ὡς καὶ τοῖς νόμοις αἰσχύνης τινὸς προσούσης.

Διὰ τί τῶν ἱπποδρόμων εἷς Φλαμίνιος καλεῖται; ἢ ὅτι Φλαμινίου τινὸς τῶν παλαιῶν τῇ πόλει χώραν ἐπιδόντος, ἐχρῶντο ταῖς προσόδοις εἰς τοὺς ἱππικοὺς ἀγῶνας; ἔτι δὲ περιόντων χρημάτων, κατεσκεύασαν ὁδὸν ἣν καὶ αὐτὴν Φλαμινίαν προσηγόρευσαν.

B Διὰ τί λικτώρεις τοὺς ῥαβδούχους ὀνομάζουσι; πότερον ὅτι καὶ συνέδειν τοὺς ἀκολασταίνοντας οὗτοι, καὶ τῷ Ῥωμύλῳ παρηκολούθουν ἱμάντας ἐν τοῖς κόλποις κομίζοντες; τὸ δὲ δεσμεύειν ἀλλιγάρε λέγουσιν οἱ πολλοὶ Ῥωμαίων· οἱ δὲ καθαρεύοντες ἐν τῷ διαλέγεσθαι, λιγᾶρε. ἢ νῦν μὲν παρέγκειται τὸ K. πρότερον δὲ λιτώρεις ἐκαλοῦντο, λειτουργοί τινες ὄντες περὶ τὸ δημόσιον; ὅτι γὰρ λῆτον ἄχρι νῦν τὸ δημόσιον ἐν πολλοῖς τῶν Ἑλλήνων νόμων γέγραπται, οὐδένα, ὡς ἔπος εἰπεῖν, λέληθε.

Διὰ τί κύνα θύουσιν οἱ Λούπερκοι; (Λούπερκοι δέ εἰσιν οἱ τοῖς Λουπερκαλίοις γυμνοὶ διαθέοντες ἐν περιζώμασι, καὶ καθικνούμενοι σκύτει τῶν ἀπαντώντων) πότερον ὅτι καθαρμός ἐστι τῆς πόλεως, τὰ δρώμενα, καὶ τὸν μῆνα Φεβρουάριον καλοῦσι, καὶ νὴ Δία τὴν ἡμέραν ἐκείνην φεβράτην, καὶ φεβράριον τὸ τῶν σκυτῶν ἤθει καθικνεῖσθαι, τοῦ ῥήματος τὸ καθαίρειν σημαίνοντος, τῷ δὲ κυνὶ πάντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, Ἕλληνες ἐχρῶντο καὶ χρῶνταί γε μέχρι νῦν ἔνιοι σφαγίῳ πρὸς C τοὺς καθαρμούς. καὶ τῇ Ἑκάτῃ σκυλάκια μετὰ τῶν ἄλλων καθαρσίων ἐκφέρουσι, καὶ περιμάττουσι σκυλακίοις τοὺς ἁγνισμοῦ δεομένους, περισκυλακισμὸν τὸ τοιοῦτον γένος τοῦ καθαρμοῦ καλοῦντες. ἢ λύκος μὲν ὁ λοῦπός ἐστι, καὶ λύκαια τὰ λουπερκάλια· λύκῳ δὲ κύων πολέμιος, καὶ διὰ τοῦτο θύεται τοῖς λυκαίοις; ἢ ὅτι τοὺς Λουπέρκους ὑλακτοῦσι καὶ παραλυποῦσιν οἱ κύνες ἐν τῇ πόλει διαθέοντας; ἢ Πανὶ μὲν ἡ θυσία γίνεται, Πανὶ δὲ κύων προσφιλὲς διὰ τὰ αἰπόλια.

Διὰ τί τῷ καλουμένῳ σεπτομουντίῳ παρεφύλαττον ὀχήμασι ζευκτοῖς μὴ χρῆσθαι, καὶ μέχρι νῦν οἱ τῶν παλαιῶν μὴ καταφρονοῦντες παραφυλάττουσι; τὸ δὲ σεπτομόντιον ἄγουσιν ἐπὶ τῷ τὸν ἕβδομον λόφον τῇ πόλει προσκατανεμηθῆναι, καὶ τὴν Ῥώμην ἑπτάλοφον γενέσθαι; πότερον (ὡς ἔνιοι τῶν Ῥωμαϊκῶν ἐπινοοῦσι) διὰ τὸ μήπω συνεζεῦχθαι τοῖς μέρεσι παντελῶς τῇ πόλει;

LXIV. Cur vir primo cum sponsa non congreditur luce, sed in tenebris? An præ verecundia, quod ante coitum alienam existimat? An etiam cum propria verecunde coire doctus? Aut quemadmodum Solon mandavit ut sponsa manducato malo Cydonio in thalamum veniat, ut prima salutatio non injucunda sit aut ingrata: sic Romanus legislator occultari voluit si quod esset corporis sponsæ vitium? Aut eo more illiciti coitus damnantur, [1] ubi etiam legitimis pudor adhibetur?

LXV. Cur Circorum uni nomen est Flaminio? An quod cum de priscis Romanis quidam Flaminius urbem agro donasset, ejus reditibus usi sunt ad equestria certamina, cumque adhuc superessent pecuniæ, viam ex ea straverunt, quam ipsam quoque Flaminiam appellaverunt.

LXVI. Cur qui fasces gerunt lictores dicuntur? An quia Romulum sequebantur lora in sinubus gerentes, quibus vincirent sontes? vulgus enim Romanum, alligare, qui purius loquuntur, ligare usurpant pro vincire. An hodie littera C vocabulo intercalata usurpatur: antiquitus autem litores, quasi liturgi, id est, qui publica ministeria exequerentur, dicti sunt? Nemo enim fere nescit, etiamnum in multis Græcorum legibus, leton legi pro publico.

LXVII. [2] Cur Luperci (hi sunt qui Lupercalibus nudi, solisque præcincti subligaculis discurrunt & scutica obvios feriunt) canem immolant? An quia Lupercalia urbis sunt lustratio, & fiunt mense Februario, cui ab expiando nomen est; ipsorumque dies februatus dicitur, cum februatio purgamentum significet? Jam cane in piaculis fere omnes usi sunt Græci, utunturque in hunc usque diem eo pro piaculari hostia nonnulli: Hecatæque inter alia purgamenta etiam catuli offeruntur, expiandosque catulis tangunt, quam februationem sua lingua periscylascismum vocant. Aut lycus lupus est, Lycæa Lupercalia? canis ergo animal lupo inimicum Lycæis immolatur. Aut quia Lupercos per urbem discurrentes allatrant & vexant canes? Aut quia Pani ista fiunt sacra, cui canis gratus est ob caprarum custodiam.

LXVIII. [3] Cur festo die, qui Septimontium dicitur, usu vehiculorum, quæ jumentis traherentur, antiquitus abstinuerunt, idque etiamnum observant antiquitatis studiosi? Feriæ autem istæ institutæ sunt propter adjectum septimum Romæ collem, quo facta est septicollis. An, ut quidam Romanarum rerum scriptores putant, quia urbis partes non sunt omnino inter se conjunctæ?

---

1 *Ubi etiam legitimis*) Legendum pro νόμοις haud dubie νομίμοις. In LXVI. pro λῆτον credo scribendum λιτὸν, quod publicum, vulgare, ideoque etiam μεταλήψει tenue, exile, non magni precii significet. Alioqui λειτουργοὺς scribi notum est & de voce λήϊτος seu λεῖτος (*leuth*) Plutarchus alibi. abundat autem hic alterum ἐν πολλοῖς. *Xyland.*

2 *Cur Luperci canem immolant?*) Forsan ad indicandam & obtinendam partus facilitatem, in gratiam matronarum, quæ aut steriles erant, aut cum summa difficultate fœtum edebant. Quibus malis Luperci mederi posse credebantur. Facillime autem pariunt canes. Quod & supra dixit auctor. Nisi ea etiam de caussa canes immolati, quod Lupercus Deus, qui Pan esse existimatur, arcendis lupis custodiendisque agris sit præfectus. Canes autem admodum infesti sunt lupis, & proinde etiam Luperco accepti. Quæ autem Diis gratissima iis solent immolari. Quanquam subinde quam maxime ingrata, ut cum caprarum victimæ Baccho offeruntur, quia vitibus nocent. Et, ut hoc obiter addam, Luperci Dei nomen non inepte quis deductum existimaverit a lupis arcendis. *Boxhorn.*

3 *Cur festo die, qui Septimontium dicitur, usu vehiculorum, quæ jumentis traherentur, antiquitus abstinuerunt?*) Sufficit simplex hæc, &, nisi fallor, vera nostra ratio. Durante Septimontii festo ab usu vehiculorum abstineri voluerunt, propter multitudinem populi, qui ex universa Italia tunc temporis in urbem confluebat. Adeo ut tunc vix esse potuerit aliquis vehiculorum usus. Metuebant etiam ne in tam conferta undique accedentium copia impulsu vehiculorum quidam prosternerentur. Hæc simplex, ut dixi, ratio. Nimis anxie hic, ut & alibi, sollicitus est Plutarchus. *Boxhorn.*

ἢ τοῦτο μὲν ἄλλως οὐ πρὸς Διόνυσόν ἐστιν· ἔργου δὲ A μεγάλου τοῦ πρὸς τὸν συνοικισμὸν ἐκτελεσθέντος, οἰόμενοι τὴν πόλιν ἤδη πεπαῦσθαι προϊοῦσαν εἰς τὸ πρόσθεν, ἔπαυσαν μὲν αὐτούς. ἀνέπαυσαν δὲ τῶν ὑποζυγίων τὰ συμποιήσαντα, καὶ παρέσχον ἀπολαῦσαι τῇ σχολῇ τῆς κοινῆς ἑορτῆς; ἢ πᾶσαν μὲν ἐβούλοντο κοσμεῖν ἀεὶ καὶ τιμᾶν ἑορτὴν τοὺς πολίτας παρόντας, μάλιστα δὲ τὴν ἐπὶ τῷ συνοικισμῷ τῆς πόλεως ἀγομένην, ἵνα τὴν πόλιν ἧς ἐστιν ἡ ἑορτὴ μὴ ἀπολείπωσιν, οὐκ ἐφεῖτο χρῆσθαι ζεύγεσιν ἐκείνην τὴν ἡμέραν.

Διὰ τί τοὺς ἀπεγνωσμένους ἐπὶ κλοπαῖς, ἢ δουλικοῖς τισιν ἄλλοις ἁμαρτήμασι, φουρκιφέρας καλοῦσιν; ἢ καὶ τοῦτο τῆς τῶν παλαιῶν ἐπιμελείας τεκμήριόν ἐστι; B ὁ γὰρ οἰκότριβος ἰδίου καταγνοὺς τινα μοχθηρίαν, ἐκέλευε διπλοῦν ξύλον, ὃ ταῖς ἁμάξαις ὑφιστᾶσιν, ἀράμενον, διὰ τῆς συνοικίας ἢ τῆς γειτνιάσεως διεξελθεῖν ὑπὸ πάντων ὁρώμενον, ὅπως ἀπιστοῖεν αὐτῷ καὶ φυλάττοιντο πρὸς τὸ λοιπόν· τὸ δὲ ξύλον ἡμεῖς μὲν στήριγμα, Ῥωμαῖοι δὲ φοῦρκαν ὀνομάζουσι· διὸ καὶ φουρκιφὲρ ὁ τοῦτο περιενεγκὼν καλεῖται.

Διὰ τί τῶν κυριττόντων βοῶν, ὑπὲρ τοῦ φυλάττεσθαι τὸν ἐντυγχάνοντα, χόρτον τῷ κέρατι προσδέουσιν; ἢ διὰ κόρον καὶ πλησμονὴν ἐξυβρίζουσι καὶ βόες καὶ ἵπποι καὶ ὄνοι καὶ ἄνθρωποι; ὥς που καὶ Σοφοκλῆς πε- C ποίηκε,

Σὺ δὲ σφαδάζεις πῶλος ὡς εὐφορβίᾳ,
Γαστήρ τε γάρ σου καὶ γνάθος πλήρης.

διὸ καὶ Μάρκον Κράσσον οἱ Ῥωμαῖοι χόρτον ἔχειν ἔφασαν. ἐφυλάττοντο γὰρ αὐτὸν οἱ τοὺς ἄλλους ἐν τῇ πολιτείᾳ σπαράττοντες, ὡς ἀμυντικὸν καὶ δυσεπιχείρητον. οὐ μὴν ἀλλ' ὕστερον ἐλέχθη πάλιν ὅτι Κράσσου Καῖσαρ ἀφῃρήκει τὸν χόρτον. ἀντέστη γὰρ αὐτὸς πρῶτος ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ κατεφρόνησε.

Διὰ τί τῶν ἐπ' οἰωνοῖς ἱερέων (οὓς αὔσπικας πρότερον, αὔγουρας δὲ νῦν καλοῦσιν) ᾤοντο δεῖν ἀεὶ τοὺς λαμπτῆρας ἀνεῳγμένους εἶναι, καὶ τὸ πῶμα μὴ ἐπικεῖσθαι; ἢ καθάπερ οἱ Πυθαγορικοὶ μικρὰ μεγάλων ἐποιοῦντο σύμβολα, κωλύοντες ἐπὶ χοίνικος καθῆσθαι,

Aut hoc quidem nihil ad rem facit? Sed cum urbe condenda magnum opus peregissent, jamque ulterius incrementum urbis nullum animo conciperent, quietem cum sibi tum jumentis quorum opera fuissent usi, per istas ferias paraverunt? Aut cum vellent omnes festivitates civium præsentia ornari, eam vero in primis quæ ob contractas in unam multas urbis partes instituta erat, civibus usu vehiculorum jumentariorum ista die interdixerunt, ne urbe, cui dies agebatur festus, exirent.

LXIX. [1] Cur furti, aut alius servilis delicti damnatos furciferos dicunt? Nonne hoc quoque vetustæ accurationis argumentum est? Qui enim servi sui nequam factum comperisset, coegit eum duplex lignum, quod curribus subjici solet, ([2] furcam Romani appellant) per viciniam circumgestare in conspectu hominum, ut ab eo sibi porro cavendum esse scirent. Itaque a furcæ gestatione dicebatur furcifer.

LXX. Cur ad cornua boum cornipetarum fœnum alligabant, quo obvii monebantur ut sibi caverent. An quia ob satietatem luxuriantes petulantesque sunt boves, equi, asini, & homines? sicut alicubi ait Sophocles:

*At tu ferocis pullus ut pastus nimis,*
*Buccis & ventre plenis.*

Ideoque M. Crassum fœnum in cornu habere dicebant Romani: & qui alios in Repub. solebat exagitare, ab illo sibi cavebant, & præteribant hominem paratum ad ulciscendum & oppugnandum difficilem. quanquam postmodum dictum fuit Cæsarem Crasso fœnum ademisse, cum is primus in Rep. eum contemsisset, seque ei opposuisset.

LXXI. [3] Cur augurum, quos antea haruspices nominabant, laternas semper esse apertas voluerunt, neque operculo unquam tegi? [4] An parvas res magnarum voluerunt esse tesseras, more Pythagoricorum? Ut enim hi chœnici insidere,

---

1 *Cur furti aut alius servilis delicti damnatos furciferos dicunt?* ) Breviter rem omnem explicat Donatus, vetus Terentii interpres, *ad Andr.* Act. III. Scen. V. *Furciferi*, inquit, *dicebantur, qui ob leve delictum cogebantur a dominis, ignominiæ magis, quam supplicii caussa circa vicinos furcam in collo ferre, subligatis ad eam manibus, & prædicare peccatum suum, simulque summonere cæteros, ne quid simile admittant. Itaque & Cicero de servo*, Quid inde furcifer? quo progreditur? *Boxborn.*

2 *Furcam* ) στήριγμα lege, non στήειπα, quæ vox idem est quod βλῖτυει. Ego meæ emendationis autorem habeo Julium Pollucem, libro *Onomastici* decimo, cap. XXXIV. Cum quo faciunt, quæ in *Coriolano* noster hac ipsa de re habet. *Xyland.*

3 *Cur augurum, quos antea haruspices nominabant, laternas semper esse apertas voluere?* ) Laternas augures circumferre debuerunt, quoniam auspicandi tempus erat initium diei artificialis. Incidit autem illud in mediam noctem. Macrob. I. *Satur.* cap. III. *Silentio surgere dicitur, qui post mediam noctem auspicandi caussa ex lectulo suo silentio surrexit.* Cur autem mediam noctem captandis auguriis commodissimam putavere? Nimirum quia aves tunc minus, quam de die in motu suo naturali atque volatu solent turbari. De die enim strepitus laborantium, clamoresque multi excitantur, quibus perculsæ aves violento potius, ut ita dicam, quam suo motu feruntur. Hic autem in auguriis requirebatur. Ad naturalem enim & proprium avium instinctum adtendebatur. Quamobrem & laternæ augurum patebant, ut ex flammæ agitatione tanto facilius atque accuratius observarent, num tranquillum cælum, an vero ventorum flatibus moveretur. Ubi enim ventus spirat non tam instinctum suum aves, quam venti impulsum sequuntur. Illo autem opus erat, ut jam dixi. Unde periti aeris & ventorum augures appellantur. Sic Mæon apud Statium lib. II. *Thebaidos* laudatur:

*—— Ille hæc præviderat omnia, doctus*
*Aeris, & nulla deceptus ab alite Mæon.*

Doctus aeris est, qui novit qua cæli tempestate auguria debebant captari.

4 *An parvas res magnarum voluerunt esse tesseras, more Pythagoricorum?* ) Recte σύμβολα, tesseras vocat. Tota enim Pythagoricorum philosophia symbolica fuit. Litteram, numeros, symbola Pythagoræ nemo nescit. Ad symbola haud dubie hic respicit Plutarchus, in quibus aliud loquitur Pythagoras, aliud sentit, & per id quod dicit, id quod tacet vult denotari. Et talis tota fere veterum Philosophorum docendi ratio fuit. Aquam initium rerum, Solem ferrum candens esse, aliaque talia ridicula nobis videntur. Sed haud dubie aliud sapientes illi voluere, quam quod verba sonant. De quo argumento alibi latius differemus. Non placet autem hoc loco allegorica hujus ritus interpretatio Plutarchi; dum per laternam corpus, per lumen animum, per laternam patentem, exsertam vim animi vult designari. Si hoc vel

καὶ πῦρ μαχαίρᾳ σκαλεύειν, οὕτως οἱ παλαιοὶ πολ- A λοῖς αἰνίγμασιν ἐχρῶντο, καὶ μάλιστα πρὸς τοὺς ἱερεῖς. οἷόν ἐστι καὶ τὸ τοῦ λαμπτῆρος. ἔοικε γὰρ ὁ λαμπτὴρ τῷ περιέχοντι τὴν ψυχὴν σώματι. φῶς γάρ ἐστιν ἡ ἐντὸς ψυχὴ, καὶ δεῖ τὸ συνετὸν καὶ φρόνιμον, ἀεὶ ἀναπεπταμένον αὐτῆς εἶναι καὶ δεδορκὸς, καὶ μηδέποτε συγκεκλεῖσθαι μηδὲ ἀποπνεόμενον. πνευμάτων δὲ ὄντων, οὐκ εὐσταθοῦσιν οἱ ὄρνιθες, οὐδὲ βέβαια σημεῖα παρέχουσι, διὰ τὴν πλάνην καὶ τὴν ἀνωμαλίαν. διδάσκουσιν οὖν τῷ ἔθει, μὴ πνευμάτων ὄντων, ἀλλὰ νηνεμίας καὶ καταστάσεως, ἐπὶ ταῦτα προϊέναι τοὺς οἰωνοπόλους, ὅτε δύνανται τοῖς λαμπτῆρσιν ἀνεῳγμένοις χρῆσθαι. B

Διὰ τί δὲ ἀπείρητο τοῖς ἕλκος ἔχουσιν ἱερεῦσιν ἐπ' οἰωνῶν καθίζεσθαι; πότερον καὶ τοῦτο σύμβολόν ἐστι τοῦ μηδὲν δακνομένους, μηδὲ οἷον ἕλκος ἴδιον καὶ πάθος ἔχοντας ἐν τῇ ψυχῇ, τὰ θεῖα χρηματίζειν, ἀλλὰ ἀλύπους καὶ ἀκεραίους καὶ ἀπερισπάστους ὄντας; ἢ κατὰ λόγον ἐστὶν, εἰ μήτε ἱερείῳ χρήσαιτο ἄν τις ἕλκος ἔχοντι πρὸς θυσίαν, μήτε ὄρνισι πρὸς οἰωνισμὸν, ἔτι μᾶλλον ἐφ' ἑαυτῶν φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτα, καὶ καθαροὺς γενομένους καὶ ἀσινεῖς καὶ ὁλοκλήρους, ἐπὶ τὰ παρὰ τῶν Θεῶν σημαινόμενα βαδίζειν; τὸ γὰρ ἕλκος ἔοικε πώρωσίς τις εἶναι καὶ μιασμὸς τοῦ σώ- C ματος.

Διὰ τί μικρᾶς Τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο Σερούιος Τύλλιος ὁ βασιλεὺς, ἣν βρέβεμ καλοῦσι; πότερον ὅτι μικρὸς ὢν ἐν ἀρχῇ καὶ ταπεινὰ πράττων, καὶ γεγονὼς ἐκ μητρὸς αἰχμαλώτου, διὰ τὴν Τύχην ἐβασίλευσε τῆς Ῥώμης; ἢ αὐτὴ μὲν ἡ μεταβολὴ μέγεθος ἐμφαίνει τύχης μᾶλλον ἢ μικρότητα; πάντων δὲ μάλιστα Σερούιος ἔοικε τῆς Τύχης ἐκθειάσας δύναμιν ἐπιφημίσαι πράξεσιν ἁπάσαις. οὐ γὰρ μόνον Τύχης εὐέλπιδος καὶ ἀποτροπαίου καὶ μειλιχίας καὶ πρωτογενείας καὶ ἄῤῥενος ἱερὰ κατεσκεύασεν: ἀλλ' ἐστὶν ἰδίας τύ-

A ac ignem gladio agitare vetabant: ita prisci multis usi sunt obscuris significationibus, maxime rerum sacrarum. de quibus etiam lucernæ hoc institutum est. Nam lucerna respondet corpori animum continenti, qui lumen est, semperque debet intellectus esse apertus ac perspicax, nunquam includi aut flatu extingui. Jam cum venti spirant, aves non constanter manent, neque firma auguria exhibent, quia tum vagantur & inæqualibus aguntur volatibus. ista igitur consuetudine docent captanda auguria, non cum venti flant, sed cum est tranquillitas, & apertis licet uti lucernis. B

LXXII. Cur interdictum erat auguri, si ulcus haberet, aves observare? An id quoque argumento est, animo ab omnibus molestiis ac quasi ulceribus & morsibus vacuo, sinceroque & ocioso debere sacras res tractari? An rationi consentaneum est, [1] cum neque victimam aut avem ulcerosam usurparet quisquam rei sacræ faciundæ gratia, capiendive augurii: multo magis ipsos augures curare, ut puri sincerique & integri ad divina indicia observanda se conferant? Ulcus enim videtur quædam esse mutilatio & pollutio C corporis.

LXXIII. [2] Cur parvæ Fortunæ, quam Brevem vocant, fanum Servius Tullius dedicavit? An quod initio humilis & obscurus, matre natus captiva, Fortunæ beneficio ad regnum Romæ evectus fuit? Aut magnitudinem potius mutatio ista, quam exiguitatem Fortunæ indicat? Omnium vero maxime videtur Servius Fortunæ vim divinam extulisse, omnibusque eam inscripsisse actionibus. Non enim Fortunæ duntaxat bonæ spei, averruncæ, blandæ, primigeniæ, & [3] virilis templa condidit: [4] sed & pro-

---

simili modo omnia explicanda concedamus, quis finis futurus est interpretationum, vel potius ineptiarum? Hoc enim est non tam rem ipsam, quam ingenium suum sequi, quod incredibile dictu est, quam hic possit esse fœcundum. Quemadmodum in Mythologia veterum fabularum observare est, ubi eandem alii atque alii pro captu suo aliter atque aliter ἀλληγορικῶς sunt interpretati. Et quomodo huc facit animi cultus, ubi ratio quæritur superstitionis? In hoc autem allegoricarum interpretationum genere nulli liberaliores sunt, nulli putidiores, quam qui postremis temporibus Platonem sunt sequuti. A quibus haud dubie idem morbus, fatali quadam ingeniorum contagione, in veteres nonnullos scriptores Christianos est derivatus, qui in sacrarum litterarum explicatione eodem modo sunt versati. *Boxborn.*

1 *Cum neque victimam*) εἰ μήτε ἱερείῳ, omnino scribi vult constructio, non μήτις: & pro πώρωσις, lego πήρωσις. Quæstione proxima, ἀποτροπαίου καὶ μειλίας lego μειλιχίας, quod est blandæ. Sic & Interpres. Sed quod εὐέλπιδος bis legitur, mendo non vacet. Quæst. LXXIV. pro ἐπερίωρων usum linguæ & regulas secutus scribo περιεωρων, & genitivum ζώου in dativum ζώῳ muto. Quæstione LXXVII. pro ἀφεῖναι malim ἐφεῖναι. *Xyland.*

2 *Cur parvæ Fortunæ, quam Brevem vocant, fanum Servius Tullus dedicavit?*) *Brevis Fortunæ*, quod quidem sciam, alibi mentio vix exstat. Scio tamen brevium Deorum mentionem esse apud Fulgentium in interpretatione antiquorum vocabulorum ad Chalcidium Grammaticum, *Tutulos*, inquit, *Varro in Pontificalibus ait sacerdotes dici brevium Deorum*. Viri eruditi breves Deos, patelarios illos & minorum gentium interpretantur. Sed locus sine dubio est corruptus. MS. Coloniensis, quem inspexit Casper Barthius & laudat in *Animadversionibus ad lib.* 1. *Claudiani in Ruffinum*, disertim habet *brevium pileorum*. Quam ipsam lectionem codex noster MS. etiam præfert. Et de ejus veritate neutiquam est dubitandum. *Fortuna* tamen *Brevis* appellata fuit. Quod hic auctoris nostri locus satis probat. Interea non possum adsentiri Plutarcho, qui *Brevem Fortunam* μικρὰν τύχην interpretatur. Aliud est parvam Fortunam dicere, aliud brevem. Parva fuerit, per quam ex maximis angustiis ad maxima quævis eluctamur. Sicut Plutarchus hic explicavit. Per brevem autem instabilitas Fortunæ & facilis ejus mutatio denotatur. Nisi etiam per brevem Fortunam Servius Tullus voluerit significare, non nimis late exserendam, sed intra justos limites, qui commode regi possunt, constringendam esse imperii Fortunam. Quod agendum esse Scythæ Alexandrum Magnum apud Curtium monuere. *Boxborn.*

3 *Virilis Fortunæ templa condidit.*) Sic & barbatæ Fortunæ veteres meminerunt. Pro varietate enim rerum & sexuum varia quoque Fortuna accepit cognomenta. *Idem.*

4 *Sed & propriæ Fortunæ ædes est.*) ἰδίας τύχης ἱερόν. Privatam Fortunam interpretatur Lilius Gyraldus in Historia Deorum, Syntagmate XVI. Fortunæ publicæ meminit vetus lapis Albæ Juliæ:

FORTVNÆ
PVBLICÆ
VITALIS
V. S. L. M.

χης ἱερὸν, ἕτερον δὲ ἐπιστρεφομένης, ἄλλο δὲ εὐέλπιδος, ἄλλο παρθένου. καὶ τί ἄν τις ἐπεξίοι τὰς ἄλλας

A priæ Fortunæ ædes eſt, & [1] convertentis, & bene ſperantis, & [2] virginis. & quid reliqua perſequar

---

Sic etiam appellatur in fragmento veteris calendarii, quod legitur pag. cxxxv. n. 1. Auguſti operis Inſcriptionum Romanarum. Publica igitur quæ imperii & omnium, privata, ſive propria quæ res ſingulorum curabat. Sic Fortuna Flavia in lapide antiquo, quæ propria Flaviorum. Sic Fortuna Auguſti, conſervatrix Horreorum Galbianorum, Bona domeſtica dicitur in monumentis Romanis. Suam enim unicuique Fortunam adſcribebant. Rutilius in *Itinerario*:

*At mea dilectis Fortuna revellitur oris.*

Lucanus de Cæſare lib. v.

*—— Pariter tot regna, tot urbes*
*Fortunamque ſuam tacta tellure recepit.*

Atque hæc illa eſt, quam ἰδίαν hic vocat noſter. Hæc unicuique nato ſtatim adſignabatur, & proprio nomine Primigenia dicebatur; ex ſententia Mathematicorum, qui ex geneſi eam colligebant. Quare Venus & Fortuna Primigenia conjunguntur in hoc lapide, qui legitur Præneſte in Latio:

VENERI ET
FORTVN. PRIM.
SACR.
L. CALVIVS L. F. PAL.
VARIVS
AR. ET CVPIDINES. II.
D. D.
L. D. D. D.

Haud dubie igitur Fortuna Primigenia eſt, quæ hic propria a Plutarcho nominatur. Quod præterea etiam illa ſatis probant, quæ in *Quæſtionibus* noſtris *de Fortuna Primigenia Jovis pueri* jam diximus. Porro non Fortuna tantum propria, ſed proprii etiam Dii alii apud Paganos habebantur. Teſtatur id inſcriptio hæc, quæ apud Iſaram fluvium ſpectatur, ubi Mars conſervator corporis Mercurialis Auguſti dicitur:

MARTI. AVG.
CONSERVATORI
CORPORIS. SVI.
MERCVRIALIS. AVG.
N. V. EX IVSSV
NVMINIS. IPSIVS
SIGILLVM. MARMOREVM.
POSVIT.

Ex qua inſcriptione id præterea licet obſervare Diis propriis indita cognomina ab iis, qui eos ſibi peculiari modo favere perſuadebant. Quemadmodum Mars Auguſti a Mercuriali Auguſto, viro nobiliſſimo, hic nominatur. Sic Junones Juliæ & Sextiliæ in marmore Romano vocantur. Dii igitur iidem & communes ſive publici, & proprii. Communes quatenus omnibus eodem modo, proprii quatenus his aut illis majore quam cæteris cura favebant. Sicut etiam apud Chriſtianos hæ formulæ πάτηρ ἡμῶν, & πάτηρ ſive Θεός μȣ in precibus uſurpantur. *Boxhorn.*

1 *Templum eſt Fortunæ convertentis.*) Επιστρεφομένης. Malim reddere *revertentis*. Ut ſit illa, quæ *Redux* & *Reſpiciens* dicitur in marmoribus Romanis. *Boxhorn.*

2 *Fortunæ Virginis.*) Hujus meminit Varro apud Nonium in verbo, *Undulatum*. *Et a quibuſdam dicitur eſſe Virginis Fortunæ, ab eo quod duabus undulatis togis eſt opertum*. Et Arnobius lib. II. *Puellarum togulas Fortunam defertis ad Virginalem*. Ex quo loco obſervandus eſt ritus, puellarum ornamenta in templo Virginis Fortunæ fuiſſe ſuſpenſa, cum marito jungerentur. Adeo ut Fortuna virgo fuerit, quæ Virginibus favere credebatur. Quemadmodum propriæ ſenum & puerorum Fortunæ alibi Manilius mentionem facit. Porro non Fortunam tantum Virginem, ſed alios præterea Deos Deaſque virgines appellarunt. Deorum Virginum mentionem injicit fragmentum inſcriptionum fratrum Arvalium Pag. CXXI. Auguſti operis Gruteriani. His opponuntur Dii patres, Deæ matres. Luxenburgi in ara quadrata:

MATRI. ET. PATRIBVS.

Deæ matres paſſim occurrunt in lapidibus antiquis. Diana dicitur & Virgo & Mater. Virgo quidem in hoc monumento apud Gruterum pag. XL. n. XII.

VIR. DIANAE SACR.
PRO. SALVTE
IMP. CAESARIS L. SEPTIMI
SEVERI. PERTINACIS.

Matris cognomento ornatur in columna ærea, quæ Cliniæ in Hiſpania exſtat:

TEMPLVM. DIANAE.
MATRI. D. D. APV
LEIVS. ARCHITEC
TVS. SVBTRVXIT.

Nimirum Diana Mater eſt, quatenus Lucina, & parturientium dicitur opitulatrix. Virgo eſt, quatenus virgines ipſi ante nuptias ſacratæ, quod de Diana Munichia & Brauronia Harpocration teſtatur. Dii autem Deæque virgines appellatæ, qui quæque vel matrimonium in cælo non contraxerant, vel virginalis ætatis curam habebant. Quemadmodum matres & patres vocabantur, quæ quique vel primi Deorum Dearumque parentes,

ἐπωνυμίας, ὅπυ τύχης ἰξευτηρίας ἱερόν ἐστιν, ἣν βισκάταν ὀνομάζουσιν, ὡς πόῤῥωθεν, ἡμῶν ἁλισκομένων ὑπ' αὐτῆς καὶ προσισχομένων τοῖς πράγμασιν. ὅρα δὴ μὴ καταμαθὼν τὸ παρὰ μικρὸν ἀεὶ τῆς τύχης μέγα δυνάμενον, καὶ ὅτι τὸ γενέσθαι τί μικρὸν, ἢ μὴ γενέσθαι τὶ πολλάκις ὑπῆρξεν ἐνίοις τυχεῖν, ἢ διαμαρτεῖν τῶν μεγίστων, μικρᾶς τύχης ἱερὸν ἱδρύσατο, προσέχειν διδάσκων τοῖς πράγμασι, καὶ μὴ καταφρονεῖν διὰ μικρότητα, τῶν ἐντυγχανόντων.

Διὰ τί λύχνον οὐκ ἐσβέννυσαν, ἀλλὰ αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ περιεώρων μαραινόμενον; πότερον ὡς συγγενὲς καὶ ἀδελφικὸν σεβόμενοι τοῦ ἀσβέστου καὶ ἀθανάτου πυρός; ἢ καὶ τοῦτο συμβόλαιόν ἐστι τοῦ μὴ δεῖν τὸ ἔμψυχον, ἂν μὴ βλάπτῃ, διαφθείρειν μηδὲ ἀναιρεῖν, ὡς ζώου τοῦ πυρὸς ἐοικότος; καὶ γὰρ τροφῆς δεῖται, καὶ αὐτοκίνητόν ἐστιν, καὶ σβεννύμενον φωνὴν ἀφίησιν, ὥσπερ φονευόμενον. ἢ διδάσκει τὸ ἔθος ἡμᾶς, ὅτι δεῖ μήτε πῦρ, μήτε ὕδωρ, μήτε ἄλλό τι τῶν ἀναγκαίων αὐτοὺς ἄδην ἔχοντας διαφθείρειν, ἀλλὰ ἐᾷν χρῆσθαι τοὺς δεομένους, καὶ ἀπολείπειν ἑτέροις ὅταν αὐτοὶ μηκέτι χρείαν ἔχωμεν.

Διὰ τί τὰς ἐν τοῖς ὑποδήμασι σεληνίδας οἱ

A cognomina? [1] cum viſcatæ etiam Fortunæ templum ſit quaſi eminus non capientis & rebus adhibentis. Quin hoc vide, an non deprehenſo Fortunam minimis momentis plurimum poſſe, multiſque uſu veniſſe ut exiguis plane rebus aut evenientibus aut non contingentibus maxima conſequerentur vel perderent, parvæ Fortunæ templum dedicarit: docens animum rebus eſſe advertendum, nihilque eorum quæ offeruntur ob parvitatem eſſe negligendum.

LXXIV. Cur lucernam non exſtinguebant, ſed ultro conſumi atque extingui ſinebant? An venerabantur eam ut cognatam & germanam ignis perennis & inexſtinguibilis? [2] An eo ſignificabant, animata niſi noceant, interficienda non eſſe? animalis autem ſimilis eſt lucerna, quod & alimento habet opus, & a ſeipſa motum habet, & [3] cum exſtinguitur, vocem edit quaſi necata. Aut hic mos docet, neque ignem, neque aquam, neque ullam rem neceſſariam, cujus copia nobis ſuppeditet, perdere nos debere, ſed aliis relinquenda eſſe quibus uſus eſt iis, ubi nos non amplius indigemus?

B

LXXV. [4] Cur qui nobilitate generis aliis præſta-

---

parentes, vel nuptias cum aliis numinibus inierant, vel patres matreſque familiarum peculiari ope & favore tueri, atque ſuſtentare credebantur. *Boxborn.*

1 *Cum viſcatæ etiam Fortunæ templum ſit.*) Fortuna viſcata dicta videtur, quæ conſtans, & perpetua, nec facile mutatur. Vetus Gloſſarium, *Viſcoſus, viſco plenus, tenax.* Idem.

2 *An eo ſignificabant animata, niſi noceant, interficienda non eſſe?*) Sic Claudius Neapolitanus, qui adverſus Apochen librum edidit, apud Porphyrium lib. II. de non necandis ad epulandum animantibus; *Serpentem*, inquit, *& ſcorpionem occidimus, etſi in nos non inſurgant, ne quis ab eis quidquam patiatur detrimenti, communi hominum bono, & generi providentes. Aggrediuntur enim vel homines, vel animantes hominibus familiaritate conjunctas, vel frugibus terræ nocent. Quomodo igitur tam pernitioſas peſtes non juſte occidimus?* Loquitur de mactandis animantibus, quæ aut generi, aut rebus humanis nocent. *Idem.*

3 *Lucerna, cum exſtinguitur, vocem emittit, quaſi necata.*) Poetica obſervatio & loquendi ratio. Attius Meleagro apud Nonium in *Torris*:

*cum vitæ ſuæ*
*Finem, ac fato internecionem fore,*
*Ubi torris eſſet interfectus flammeus.*

Statius alibi:

*Moritur prope conſcius ignis.*

Adeo ut obſervatio hæc Plutarchi merito ridicula poſſit videri. *Idem.*

4 *Cur qui nobilitate generis aliis præſtare videbantur, lunulas in calceis geſtabant?*) Dicendum hic nonnihil de lunatis Romanorum calceis, quorum rationem atque modum non ſatis expediviſſe videntur eruditi. Et primo quidem nonnulla veterum auctorum loca apponam. Ex quibus deinde quædam eliciam, quæ ejuſmodi calceorum formam concernunt. Juvenalis Satyr. VII. ubi de nobili & ambitioſo Romano agit:

*Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus,*
*Adpoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.*

Ad quæ verba ita vetus Scholiaſtes a Pithœo editur; *Patritius ſenator eſt. Lunula nam adſuta calceis diſcernuntur.* Gloſſæ veteres Mss. optimæ notæ codicis, quem a viro eruditiſſimo, Gerardo Johanne Voſſio habuimus, ſic habent; *Aluta vocatur pellis capræ a luteo colore. Ut autem diſcernerentur nobiles ab ignobilibus, patricii a novitiis, ſubſuebatur pellis capræ in calce calceamenti, in modum lunæ, per quod nobilis deſignabatur.* Alia Scholia MS. quæ exſtant in Bibliothecæ noſtræ Leidenſis veteri codice, quem beneficio illuſtris Heinſii inſpeximus: *Adpoſitam, depictam lunam in calceis.* Statius in *Sylvis ad Criſpinum*:

*Primaque patritia clauſit veſtigia luna.*

Martialis lib. II.

*Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.*

Lunæ imaginem in calceis pictam fuiſſe, veroſimile non videtur. Lunam enim ſubtexi dixit Juvenalis. Subtexi autem vel depingi longe diſtant. Et fallitur quoque Iſaacus Grangæus commentario ad Satyr. VII. Juvenalis. Verba ejus ſunt: *Calceorum Romanis genus duplex, lunatum, & purum. Lunati calcei dicti, quibus fibula in malleolo pedis eburnea, ſpecie lunæ, quam fibulam hic Juvenalis lunam appellat.* Non poſſum ſatis mirari hominis ſtuporem: quem ut juxta mecum capiant Lectores, de fibulis nonnulla breviter exponam. Fibulam dicebant, qua aliquid connectebatur. Sic Cæſar lib. 14. *de Bello Gallico*, ubi pontem in Rheno exſtructum deſcribit, meminit fibularum, quæ utrimque quantum tignorum junctura diſtabat, ab extrema parte diſtinebant. Verba Cæſaris ſic habent: *Hæc*, nempe *tigna bina, bipedalibus trabibus immiſſis, quantum eorum tignorum junctura diſtabat, binis utrimque fibulis, ab extrema parte, diſtinebantur, quibus diſcluſis, atque in contrariam partem revinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo major vis aquæ ſe incitaviſſet, hoc arctius illigata tenerentur.* Nec aliter fibulæ veſtiariæ ſe habebant, quæ eundem antiquis uſum præſtabant, qualem nobis vincula in palliis, calceis, ac cæteris, & nodi in thorace.

Nuper tres tales, inter rudera ſupellectilis Romanæ in agro Clivenſi Santæ, ubi multa vetuſtatis monumenta, repertas, videre mihi contigit. Quarum imaginem hic proponam in gratiam eorum, qui antiquitatis ſunt ſtudioſi. Duæ priores ſimilis fere formæ ſunt. Tertia non parum diſtat; harum autem hæc eſt forma.




A. Nodus eſt, quo acus moveri & inflecti poterat.

B. Acus eſt, quæ unco impoſita, id quod transfixerat, arctiſſime conſtringebat. Quare mordere dicebatur. Abbo lib. II.

*Aurea ſublimem mordet tibi fibula veſtem,*
*Efficit & calidam carnem Tyria pretioſa.*

C. Uncus eſt, qui fibulam continebat.

Profecto duas iſtas fibulas lunæ formam referre non video. Tertia tamen non omnino abludit, ut hic videre eſt.

1. Umbo quaſi teſſellatus, partim flavi, partim rubri coloris, cui fibula affixa ornamenti cauſſa.
2. Nodus fibulæ.
3. Acus ipſa.
4. Uncus, qui fibulam, ſeu acum potius continebat.

Non poſſum, quin hac occaſione nonnihil dicam de Chirurgica infibulatione vulnerum, quæ per acum fiebat, cujus meminit Celſus. De qua acriter nuper certatum eſt inter eruditos. Locus Celſi exſtat lib. V. cap. XXVI. *In his vero quæ glutinantur, duplex curatio eſt. Nam ſi plaga in molli parte eſt,* SUI *debet: maximeque ſi diſciſſa auris ima eſt, vel imus naſus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter. Si vero in carne vulnus eſt, hiatque, neque in unum oræ facile attrahuntur,* SUTURA *quidem aliena eſt; imponendæ vero* FIBULÆ *ſunt (* ἀγκτῆρας *Græci nominant) quæ oras (paulum tamen) contrahunt, quo minus lata poſtea cicatrix ſit. Ex his autem colligi poteſt, utrum id quoque quod alia parte dependet, alia inhæret (ſi* ALIENATUM *adhuc non eſt)* SUTURAM *an* FIBULAM *poſtulet. Ex quibus neutra ante debet imponi, quam ante vulnus purgatum eſt, ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur: id enim & in pus vertitur, & inflammationem movet, & glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſa inditum eſt, inibi relinquendum eſt; nam id quoque inflammat. Comprehendi vero* SUTURA *vel* FIBULA *non cutem tantum, ſed aliquid etiam ex carne, cum ſuberit hæc, oportebit, quo valentius hæreat, neque cutem abrumpat.* UTRAQUE OPTIMA EST EX ACIA MOLLI, NON NIMIS TORTA, *quo mitius corpori inſidat,* UTRAQUE *neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda eſt: ſi nimis rara eſt, non continet: ſi nimis crebra eſt, vehementer afficit; quia quo ſæpius* ACUS *corpus* TRANSUIT, *quoque plura loca* INJECTUM VINCULUM MORDET, *eo majores inflammationes oriuntur, magiſque æſtate.* NEUTRA *vero vim ullam deſiderat, ſed eatenus utilis eſt, quia cutis ducentem quaſi ſua ſponte ſubſequitur. Fere tamen* FIBULÆ *latius vulnus eſſe patiuntur.* SUTURA *oras jungit, quæ ne ipſæ quidem inter ſe contingere ex toto debent; ut ſi quid humoris intus concreverit, ſit qua emanet.* Nimirum duplex ratio conjungendorum hiantium vulnerum apud medicos antiquos, Sutura & Infibulatio. Sutura duo extrema vulnerum labia propius conglutinabantur. Infibulatione autem in illis vulneribus utebantur, quæ tanti erant hiatus, ut non ſtatim coire poſſent, ſed ſenſim. Utraque & ſutura & infibulatio *optima eſt*, verba ſunt Celſi, *ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori inſidat*. Quid hic ACIA ſit multis diſputatur. Omnes in eo conveniunt aciam Celſo dici filum illud, quod ſive ſutura, ſive infibulatione cuticulæ, quæ coire debebat, indebatur. Sed in materia fili iſtius diſſentiunt, dum alii ex lino ſive ſerico, alii ex metallo fuiſſe opinantur. Sed, mea quidem ſententia, iſti egregie falluntur. Neque enim in fibulis filum ex lino eſſe poteſt; ſed tantum acus. Acum in fibula appello id quod mordebat, ut auctores loquuntur. Acus illius cuſpis per id, quod conjungendum erat & retinendum, immittebatur, & ne reſiliret, extremæ fibulæ parti, quæ ea de cauſſa paulum erat excavata, inſerebatur. Quemadmodum id jam expreſſimus. Sic ut nemo non videat linum in fibulis locum habere non potuiſſe. Qui enim filum tenuiſſimum certe flexile potuiſſet mordere? qui excavata iſta fibulæ parte contineri potuiſſet, ſic ut non flecteretur, aut elaberetur? Quicquid ſit, acia eſt fibulæ acus, quemadmodum jam dixi. Et optime hæc mea interpretatio convenit cum verbis Celſi. Acia mollis eſſe debet, hoc eſt, tenuis, quantum

διαφέρειν δοκοῦντες εὐγενείᾳ φοροῦσιν; πότερον (ὡς Κάστωρ φησὶ) σύμβολόν ἐστι τοῦτο τῆς λεγομένης οἰκήσεως ἐπὶ τῆς σελήνης, καὶ ὅτι μετὰ τὴν τελευτὴν αὖθις αἱ ψυχαὶ τὴν σελήνην ὑπὸ πόδας ἕξουσιν; ἢ τοῖς παλαιοτάτοις τοῦτο ὑπῆρχεν ἐξαίρετον; οὗτοι δὲ ἦσαν Ἀρκάδες τῶν ἀπὸ Εὐάνδρου προσελήνων λεγομένων. ἢ, καθάπερ ἄλλα πολλά, καὶ τοῦτο τοὺς ἐπαιρομένους καὶ μέγα φρονοῦντας ὑπομιμνήσκει τῆς ἐπ' ἀμφότερον τῶν ἀνθρωπίνων μεταβολῆς; παράδειγμα ποιουμένους τὴν σελήνην· Ὡς ἐξ ἀδήλου πρῶτον ἔρχεται νέα, Πρόσωπα καλλύνουσα καὶ πληρουμένη. Χ' ὅταν περ αὖθις εὐγενεστάτη φανῇ· Πάλιν διαρρεῖ κἀπὶ μηδὲν ἔρχεται.

A re videbantur, lunulas in calceis gestabant? An, ut Castor ait, signum hoc est habitationis supra Lunam quæ fertur, & quod post mortem rursus animæ Lunam sub pedibus habebunt? An hoc prisci habuerunt eximium, qui erant [1] Arcades cum Evandro, & ante Lunam nati dicebantur? [2] Aut, ut multa alia, hoc quoque institutum erat, ut rebus secundis elati ac superbientes, mutationi Fortunæ in alteram partem admonerentur: Exemplo videlicet Lunæ, quæ

*Primum recens existit e caligine:*
*Fulgore dehinc subinde faciem splendido*
*Augescit illustrans: & cum pulcherrima*

---

fieri potest. Molle enim hic idem est, quod nos Belgæ *fijn* appellamus. Acia nimis torta esse, id est ne noceat, penitius inseri in cuticulam non debet. Nam hoc proprie hic est torquere. Et hæc quidem per otium aliquando notaveram ad calcem dissertationis, quam de Acia pro Alphonso Nunnesio nuperrime edidit vir solidæ eruditionis, & antiquitatis Romanæ nostro sæculo magnus vindex Johannes Jacobus Chifletius. Accidit autem ut, dum in ea excutienda eram, me pro solita humanitate sua inviseret nostrum & Musarum delicium Petrus Scriverius, qui Francisci de Rioia, viri, ut de eo loquitur Chifletius, inter eruditos ingeniosissimi, opinionem amplecti se profitebatur, nimirum per aciam apud Celsum nihil aliud significari quam filum lineum vel sericum: quod Lectori discutiendum relinquo. Satis mihi jam est id quod sentio exposuisse. Interea tamen imprimis placebat ejusdem Scriverii nostri sententia, aliam Chirurgicam, aliam vestiariam fibulandi rationem fuisse apud antiquos: quam utramque inter se confundere videntur eruditi, cum tamen dubitari non debeat, quin fuerit diversa. Sed de hac controversia alibi forsan commodior erit dicendi locus. Nunc ad Plutarchum revertamur. Fallitur Grangæus qui lunam apud Juvenalem fibulam interpretatur. Utut enim id largiar in lunæ modum formam fibularum fuisse, an non etiam cæterorum, qui ignobiles erant, calcei fuere fibulati? Quomodo igitur ab iis patritiorum calcei distinguebantur? Nullus dubito, quin luna, vel ex pellibus, vel ex metallo, aliave materia adsuta fuerit calceis patritiorum Romanorum. Subtextam dicit Juvenalis, adsutam vetus Glossator. Luna autem erat dimidiata. Nam C. litteræ figuram expressisse dicit Plutarchus. Adeo ut numerum centenarium, & patritios a centum patribus, qui a Romulo instituti, oriundos denotaverit, si credimus eidem Plutarcho. Quemadmodum igitur calcei uncinati dicti, qui in parte anteriore uncum habebant, forma f. litteræ, sicut fere se habent crepidæ nostræ ferreæ, quibus in glacie vulgus utitur, & *Schaetsen* appellat, ita lunam dimidiatam eodem in loco habebant calcei patritiorum. Et sic quidem nobis hactenus videtur. Dubitandi omnem rationem facile tollent illi, quibus tales patritiorum calceos licebit videre. Porro non prætermittendum hoc loco, ornamenta quædam mulierum antiquitus fuisse, quæ Lunulæ dicebantur. Papias in Glossis: *Lunulæ sunt ornamenta mulierum, in similitudinem lunæ dependentes, bullæ*. Boxhorn.

1 *Arcades ante lunam nati dicebantur.*) Res nota. Cur autem ante lunam natos Arcades tradidere? Haud dubie hac loquendi ratione nihil aliud denotatur, quam adeo antiquam atque obsoletam esse Arcadum originem, ut nemo in eam possit penetrare. Quidquid ante lunam esse dicitur, chaos est, & densissimis tenebris involutum. Porro quam ob rem per lunatos calceos nobilitatem designare voluerint Romani, variæ rationes a Plutarcho hic adducuntur. Ego sic existimo. Homines obscuræ originis, &, ut ille loquitur, sine nomine, sine tribu, terræ filii dicebantur. Unde Juvenalis, Satyr. IV. ubi nobilitatem & ignobilitatem inter se contendit;

*Prodigio par est cum nobilitate senectus;*
*Unde fit, ut malim fraterculus esse Gygantum.*

Nihil dici posset elegantius. Fraterculus Gigantum est homo obscurus. Nam Gigantes ex terra natos poetæ fabulantur, quod nemo nescit. His opponuntur cælo & Diis nati. Permistos divis Virgilius appellat. De heroibus loquitur, qui partim ex Diis, partim ex hominibus nati, & semidei dicebantur. De quibus forsan accipiendum breve illud dictum Heracliti apud Clementem Alexandrinum lib. III. *Pædagogi*, *Homines Dii*, *Dii homines*. Nobiles igitur ad Heroes originem referebant, Heroes, ad Deos & cælum. Luna autem in calceis cælum, & gestantem cæli, non terræ traducem designabat. *Idem*.

2 *Aut hoc quoque institutum, ut mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur, exemplo videlicet lunæ?*) Lunæ igitur signum nobiles commonefecerit instabilitatis Fortunæ, & vicissitudinis rerum humanarum. Certe ratio est non inepta. Quid si tamen e contra lunæ imago indicium fuerit æternitatis? In nummis aliquot Faustinæ, & Severi Alexandri Augusti videre est Lunæ novæ simulachrum cum inscriptione ÆTERNITAS. PERPETVITATI AVG. Lapides aliquot exstant, in quibus Luna æternæ elogio ornatur. Romæ in grandi ara:

SOLI. INVICTO. ET. LVNÆ
ÆTERNÆ.
C. METRI. GERMANI. LIB. DVO.
PARATVS. ET. HERMES. DEDERVNT.

Et alibi:

LVNÆ. ÆTER. SACR.
PRO. SALVTE
IMP. CÆS. L. SEPTIMI. SEV. &c.

Instabilis Luna, quia continuo mutari; æterna, quia continuo renasci nobis videtur. Nec aliter nobiles familiæ sese habent. In his veluti exstinguuntur, in aliis denuo renascuntur. *Idem*.

ἢ πειθαρχίας τὸ μάθημα βουλομένων μὴ δυσχεραίνειν· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἡ σελήνη προσέχειν ἐθέλει τῷ κρείττονι, καὶ δευτερεύειν, ἀεὶ παπταίνουσα πρὸς αὐγὰς ἠελίοιο, κατὰ τὸν Παρμενίδην· οὕτω τὴν δευτέραν τάξιν ἀγαπᾷν χρωμένους τῷ ἡγεμόνι, καὶ τῆς ἀπ᾽ ἐκείνου δυνάμεως καὶ τιμῆς ἀπολαύοντας.

Διὰ τί τὸν μὲν ἐνιαυτὸν τοῦ Διὸς νομίζουσι, τοὺς δὲ μῆνας τῆς Ἥρας; ἢ ὅτι τῶν μὲν ἀοράτων Θεῶν καὶ νοητῶν βασιλεύουσι Ζεὺς καὶ Ἥρα, τῶν δὲ ὁρατῶν, ἥλιος καὶ σελήνη; ποιεῖ δὲ ὁ μὲν ἥλιος τὸν ἐνιαυτὸν, ἡ δὲ σελήνη τοὺς μῆνας. δεῖ δὲ μὴ νομίζειν ἁπλῶς εἰκόνας ἐκείνων τούτους, ἀλλ᾽ αὐτὸν ἐν ὕλῃ Δία, τὸν ἥλιον, καὶ

*Renidet orbe pleno, rursus exuit*
*Lumen suum paulatim, & ad nihilum redit.*

Aut obedientiæ sic adsuescere discebant, Lunæ exemplo præstantiori parere non recusantes? & quemadmodum illa secundas obit partes,

*Phœbei semper radiis intenta nitoris,*

ut canit Parmenides: ita ipsi quoque contenti esse secundo loco magistratibusque obtemperare, ab iisque potentiæ & honorum fructu aliquo impertiri.

LXXVI. [1] Cur annum Jovi, menses Junoni consecrant? An quod in deos invisibiles & soli intelli-

1 *Cur annum Jovi, menses Junoni consecrant?)* Jovi forsan annus sacer, tanquam principio rerum. Notum est illud; *A Jove principium*. Imo Jovi annus sacer dici posset, tanquam Saturni filio. Saturnus tempus est, quod nemo nescit: tempus autem per annos potissimum numeramus. Porro annum ex Jove esse, etiam dixit Homerus lib. 11. *Iliados*:

Ἐννέα δὴ βεβάασι Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοί.
*Novem anni prodierant ex magno Jove.*

Ubi notat vetus Homeri Interpres Eustathius, male Jovem pro Sole accipi. Per Jovem tamen Solem denotari hic disertim tradit Plutarchus. Et profecto Juppiter tanquam hominum & Deorum parens, omnia esse, omnia complecti, omnibus præesse credebatur. Testatur Orpheus, cujus versiculos Latine ab Apulejo redditos apponam, ex libro *de mundo*:

*Primus cunctorum est, & Jupiter ultimus idem,*
*Jupiter, & caput, & medium est. Sunt ex Jove cuncta,*
*Jupiter est stellæ basis, & stellantis Olympi*
*Jupiter & mas est, estque idem Nympha perennis,*
*Spiritus est cunctis validusque est Jupiter ignis,*
*Jupiter est pelagi radix, est lunaque solque,*
*Cunctorum rex est, princepsque & originis autor:*
*Namque sinu occultans, dulces in luminis auras*
*Cuncta tulit, sacro versans sub pectore curas.*

Jupiter igitur, cum omnium caussa & principium esset, omnia continebat. Sic Jovem pro Sole habitum vel hæc etiam inscriptio testari potest, quæ legitur Dentini:

IOVI. SOLI
INVICTO. SARAPIDI.
T. ÆLIVS. ANTIPATER.
PROC. AVGG. CVM. VMBRICIA
BASSA. CONIVGE. GRATIAS.
AGENTES. POSVERVNT.

Jupiter igitur Sol est, ut hic loquitur Plutarchus. Solis autem motus annum constituit. Annus proinde merito Jovi consecratus. Junonis autem menses sunt. Unde primus mensium ejus tutelæ dedicatus. Apparet id ex Tutela mensium, quam ex veteri Calendario, quod exstat inter monumenta Inscriptionum Romanarum, depromptam, hic exhibere est animus:

## TVTELA MENSIVM.

IANVARI. IVNO.
FEBRVARI. NEPTVNVS.
MARTII. MINERVA.
APRILIS. VENVS.
MAI. APOLLO.
IVNI. MERCVRIVS.
IVLI. IVPITER.
AVGVSTI. CERES.
SEPTEMBRIS. VOLCANVS.
OCTOBRIS. MARS.
NOVEMBRIS. DIANA.
DECEMBRIS. VESTA.

Menses igitur omnes uni Junoni, singuli singulis Diis Deabusve sunt sacri. Per Junonem Luna intelligitur, ut hic tradit auctor: Ex Lunæ autem motu menses numeramus. Junonis Lunæ reginæ meminit antiquus hic lapis, quem videre est Veronæ:

IVN. LVN
REG. SACR.
P. VITVLLIVS
PHILOLOGVS
VI. VIR. AVG.
INFERIO.

Quanquam & Sol mensium dominus habitus fuerit. Unde Attis, per quem Solem designabant, *Menotyrannus* vocabatur. Idem est ac si diceres Μηνῶς Τύραννος. Rex mensium, & anni moderator. Nomen autem illud in nonnullis inscriptionibus, vitio statuariorum, in *Minotaurus* est mutatum. Quemadmodum

αὐτὴν τὴν Ἥραν ἐν ὕλῃ, τὴν σελήνην. διὸ καὶ Ἰοῦνον ἐπονομάζουσι τὴν Ἥραν, τὸ νέον ἢ τὸ νεώτερον ἐμφαίνοντος τοῦ ὀνόματος ἀπὸ τῆς σελήνης. καὶ Λουκίαν, Ἥραν καλοῦσιν, οἷον φαεινὴν ἢ φωτίζουσαν. καὶ νομίζουσιν ἐν ταῖς λοχείαις καὶ ὠδῖσι βοηθεῖν. ὥσπερ καὶ τὴν σελήνην, διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων, διά τε ὠκυτόκοιο σελάνας. εὐτοκεῖν γὰρ ἐν ταῖς πανσελήνοις μάλιστα δοκοῦσι.

Διὰ τί τῶν οἰωνῶν ὁ καλούμενος ἀριστερὸς, αἴσιος; πότερον οὐκ ἔστι τοῦτο ἀληθὲς, ἀλλὰ παρακρούεται πολλοὺς ἡ διάλεκτος; τὸ γὰρ ἀριστερὸν, σίνιστρον ὀνομάζουσι, τὸ δὲ ἀφεῖναι σίνερε, καὶ σίνε λέγουσιν, ὅταν ἀφεῖναι παρακαλῶσι. τὸν οὖν ἐφιέντα τὴν πρᾶξιν οἰωνὸν, σινιστέριον ὄντα, σίνιστρον οὐκ ὀρθῶς ὑπολαμβάνουσιν οἱ πολλοὶ καὶ ὀνομάζουσιν. ἢ, καθάπερ Διονύσιός φησιν, Ἀσκανίῳ τῷ Αἰνείου παρατατομένῳ πρὸς Μεζέντιον, ἀστραπῆς ἐν ἀριστερᾷ νικηφόρου γενομένης, οἰωνισάμενοι, καὶ πρὸς τὸ λοιπὸν οὕτω παραφυλάττουσιν; ἢ (ὡς ἄλλοι τινὲς) Αἰνείᾳ τούτου συμπεσόντος; καὶ γὰρ Θηβαῖοι τῷ ἀριστερῷ κέρατι τρεψάμενοι τοὺς πολεμίους καὶ κρατήσαντες ἐν Λεύκτροις, διετέλεσαν ἐν πάσαις ταῖς μάχαις τῷ ἀριστερῷ τὴν ἡγεμονίαν ἀποδιδόντες. ἢ μᾶλλον (ὡς Ἰόβας φησὶ) τοῖς πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἀποβλέπουσιν, ἐν ἀριστερᾷ γίνεται τὸ βόρειον; ὃ δὴ τοῦ κόσμου δεξιὸν ἔνιοι τίθενται καὶ καθυπέρτερον. ὅρα δὲ μὴ φύσει τοῖς εὐωνύμοις ἀσθενεστέροις οὖσιν οἱ παριστάμενοι τῶν οἰωνῶν οἷον ἀναῤῥωννύουσι καὶ ὑπερείδουσι τὸ ἐλλειπὲς τῆς δυνάμεως ἐπανισοῦντες. ἢ τὰ ἐπίγεια καὶ θνητὰ τοῖς οὐρανίοις καὶ θείοις ἀντικεῖσθαι νομίζοντες, ᾤοντο τὰ πρὸς ἡμᾶς ἀριστερὰ, τοὺς θεοὺς ἀπὸ τῶν δεξιῶν προπέμπειν.

A gentiæ notos regnum obtinent Jupiter & Juno: in eos qui conspectui patent, Sol & Luna? Efficit autem Sol annum, Luna menses. Neque simpliciter censendum est, hos istorum esse imagines, sed ipsum in materia Jovem esse Solem, ipsamque in materia Junonem esse Lunam. ideoque Junoni nomen est a juvenescendo: & Junonem vocant Lucinam, quasi Lucidam diceres: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & Lunam, unde illud:

*Per cœruleum astrorum polum,*
*Partus celerantemque Lunam.*

facillime enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti.

B LXXVII. [1] Cur aves sinistræ quæ dicuntur, in auspicio habentur pro addicentibus? An verum hoc non est, multosque decepit? An sinistrum (si quis probabilibus argumentis velit uti) a sinendo dictum est? ideoque avem quæ actionem suscipi permittit, sinistram pro sinisteria vulgus male dicit. An res ita habet? cum Ascanio Æneæ F. signa cum Mezentio collaturo fulgur a læva victoriam portendisset, rem in omen tractam in posterum quoque fuisse observatam. Alii tamen Æneæ hoc usu venisse dicunt. Et quidem Thebani, quod lævo cornu in pugna Leuctrica fudissent hostem atque vicissent, deinceps omnibus in præliis prin- C cipem locum sinistræ aciei attribuerunt. Aut potius versus ortum Solis intuentibus ad lævam est septentrionalis mundi plaga, quam nonnulli dextram & superiorem mundi partem appellant? hæc est Jubæ opinio. [2] Quid si sinistris natura imbecillioribus augures quasi vim quandam addere, & defectum exsarcire ista ratione voluerunt? aut terrestria cœlestibus opposita censentes, quæ nobis læva videntur, arbitrati sunt deos a dextra mittere?

---

ad *Historiæ Augustæ Scriptores* ingeniose vir magnus Claudius Salmasius observavit. Menotyrannus disertim legitur in hoc lapide:

M. D. M. I.
ET. ATTIDI SANCTO
MENOTYRANNO
Q. CLODIVS. FLAVIANVS.

Inscriptionem hanc superioribus annis Romæ erutam a Felice Osio viro doctissimo, accepisse se dicit diligentissimus Romanæ antiquitatis indagator Laurentius Pignorius, in Dissertatione de Magnæ Deum matris Ideis, & Attidis initiis.

1 *Cur aves sinistræ quæ dicuntur, in auspicio habentur pro addicentibus?)* Sinistrum avium volatum boni ominis, aut addicentem fuisse satis probant verba Plinii in divino Panegyrico ad Trajanum, ubi de ominibus futuri principatus agit: *Cæteros*, inquit, *Principes aut largus cruor hostiarum, aut sinister volatus avium, consulentibus nunciavit. Tibi adscendenti de more Capitolium, quanquam non id agentium civium clamor, ut jam principi occurrit.* Non tamen omnium avium sinister volatus agendum addicebat. De cornice exstant verba Ciceronis lib. 1. *De Divinatione*: *Quid habet Augur cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?* Nota etiam sunt illa Virgiliana *Egloga* IX.

*Quod nisi me quacunque novas incidere lites*
*Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix.*

Aliarum sinistrarum avium, quæ tamen inauspicatæ, exempla exstant apud alios. Porro variæ hujus superstitionis caussæ a Plutarcho producuntur. Primam ex Etymologia petit, dum sinistrum a sinendo, hoc est, permittendo dictum putat. Idem Festo quoque in mentem venit, ubi de Sinistris avibus agit. Metuo tamen ne ingeniosior hæc ratio sit, quam verior. Non dubito quin certissima sit, quam adducit Varro lib. v. Epistolicarum quæstionum. Nimirum augures Romani in auspicando meridiem intuebantur. Meridionalem autem cæli plagam intuentibus a sinistra parte ortus est, a dextra occasus. Jam vero ortus boni ominis, occasus autem inauspicatus. Ex ortu enim sol prodit, & lucem splendoremque gratissimum circumquaque diffundit. Si igitur meridiem aspicias a læva est ortus. Ortus autem auspicatus. Proinde addicentes aves creditæ, quæ versus ortum, hoc est, sinistræ videbantur. Facit huc quod narrat Callisthenes libro *de vita Alexandri*, Gymnosophistas ab Alexandro rogatos, quæ mundi partes meliores essent, sinistræ, an destræ, respondisse sinistras. Addideruntque rationes, quod sol ipse exsurgens a sinistris orbem suum conficiat, & mulieres primum lactent infantes mamma sinistra. *Boxhorn.*

2 *Quid si sinistris natura imbecillioribus augures quasi vim quandam addere voluerint?)* Vellem hanc rationem non adduxisset Plutarchus: Nec enim sinistri, sed omina captantium caussa, auguria sunt instituta. Forsan melior hæc nostra conjectura. Sinister avium volatus in auguriis placuit, quia respectu dextri sinistrum est bonum. Dextra enim etiam mala patramus, sinistra non item. Quare & bonam hanc Galli vulgo vocant. Sed non intercedo quo minus hoc cum illo Plutarchi in spongiam incumbat. *Idem.*

Διὰ τί τοῦ θριαμβεύσαντος, εἶτα ἀποθανόντος καὶ καέντος, ἐξὸν ὀστέον λαβόντας εἰς τὴν πόλιν εἰσφέρειν καὶ κατατίθεσθαι, ὡς Πύῤῥων ὁ Λιπαραῖος ἱστόρηκεν; ἢ τιμῆς ἕνεκα τοῦ τεθνηκότος; καὶ γὰρ ἄλλοις ἀριστεῦσι καὶ στρατηγοῖς ἔδωκαν οὐκ αὐτοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀπ' αὐτῶν ἐνθάπτεσθαι τῇ ἀγορᾷ, καθάπερ Οὐαλερίῳ καὶ Φαβρικίῳ. καί φασι τούτων ἀπογόνοις ἀποθανοῦσι καὶ κομισθεῖσιν εἰς ἀγορὰν, ὑφίεσθαι δᾷδα καιομένην, εἶτα εὐθὺς αἴρεσθαι. χρωμένων ἀνεπιφθόνως τῇ τιμῇ, καὶ τὸ ἐξεῖναι μόνον ἐκβεβαιουμένων.

Διὰ τί τοὺς θριαμβεύσαντας ἑστιῶντες ἐν δημοσίῳ, παρῃτοῦντο τοὺς ὑπάτους, καὶ πέμποντες παρεκάλουν μηδὲ ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ δεῖπνον; ἢ καὶ τόπον ἔδει τῷ θριαμβεύσαντι καὶ σίασον ἐντιμότατον ἀποδίδοσθαι, καὶ προπέμπειν μετὰ τὸ δεῖπνον; ταῦτα δὲ οὐκ ἔξεστιν ἑτέρῳ γίνεσθαι τῶν ὑπάτων παρόντων, ἀλλὰ ἐκείνοις.

Διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ, τῶν ἄλλων ἀρχόντων φορούντων; ἢ τὸ παράπαν οὐδέ ἐστιν ἄρχων; οὐδὲ γὰρ ῥαβδούχους ἔχουσι, οὐδὲ ἐπὶ δίφρου καθήμενοι χρηματίζουσιν, οὐδὲ ἔτους ἀρχῇ, καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες, ἄρχοντές εἰσιν, οὐδὲ παύονται δικτάτορος αἱρεθέντος, ἀλλὰ πᾶσαν ἀρχὴν ἐκείνου μετατιθέντος εἰς ἑαυτὸν, αὐτοὶ μόνοι διαμένουσιν, ὥσπερ οὐκ ὄντες ἄρχοντες, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ τάξιν ἔχοντες. ὡς δὲ τῶν ῥητόρων ἔνιοι τὴν παραγραφὴν οὐ βούλονται δίκην εἶναι, τοὐναντίον τῇ δίκῃ δρῶσαν. (ἡ μὲν γὰρ εἰσάγει καὶ ποιεῖ κρίσιν, ἡ δὲ ἀναιρεῖ καὶ λύει) τὸν αὐτὸν τρόπον οἴονται τὴν δημαρχίαν κώλυσιν ἀρχῆς μᾶλλον εἶναι, καὶ πρὸς ἀρχὴν ἀντίταξιν ἢ ἀρχήν. τὸ γὰρ ἐνστῆναι πρὸς δύναμιν ἄρχοντος, καὶ τὴν ἄγαν ἐξουσίαν ἀφελεῖν, ἐξουσία καὶ δύναμίς ἐστιν αὐτῆς. ἢ ταῦτα μὲν ἄν τις εἴποι καὶ τὰ τοιαῦτα, χρώμενος εὑρεσιλογίᾳ. τῆς δὲ δημαρχίας τὴν γένεσιν ἐκ τοῦ δήμου λαμβανούσης, τὸ δημοτικὸν ἰσχυρόν ἐστι, καὶ μέγα τὸ μὴ μεῖζον φρονεῖν τῶν λοιπῶν, ἀλλ' ὁμοιοῦσθαι μὲν σχήματι καὶ στολῇ καὶ διαίτῃ τοῖς ἐπιτυγχάνουσι τῶν πολιτῶν. ὁ γὰρ ὄγκος ὑπάτῳ προσήκει καὶ στρατηγῷ. τὸν δὲ δήμαρχον (ὡς Γάϊος Κουρίων ἔλεγε) καταπατεῖσθαι δεῖ, καὶ μὴ σεμνὸν εἶναι τῇ ὄψει, μηδὲ δυσπρόσοδον, μηδὲ τοῖς πολλοῖς χαλεπὸν, ἀλλ' ὑπὲρ τῶν ἄλλων, τοῖς δὲ πολλοῖς εὐμεταχείριστον. ὅθεν οὐδὲ οἰκίας αὐτοῦ κλείεσθαι νενόμισται θύραν, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ ἀνέῳγε καὶ μεθ' ἡμέραν, ὥσπερ λιμὴν καὶ καταφυγὴ τοῖς δεομένοις. ὅσῳ δὲ μᾶλλον ἐκταπεινοῦται τῷ σώματι, τοσούτῳ μᾶλλον αὔξεται τῇ δυνάμει. κοινὸν γὰρ αὐτὸν ἀξιοῦσι τῇ χρείᾳ, καὶ πᾶσιν ἐφικτὸν, ὥσπερ βωμὸν, εἶναι, τῇ δὲ τιμῇ ποιοῦσιν ἱερὸν καὶ ἅγιον καὶ ἄσυλον. ὅπου κἂν βαδίζων ἐν δημοσίῳ, πᾶσι νόμος ἐστὶ καθαίρεσθαι καὶ ἁγνίζεσθαι τὸ σῶμα καθάπερ μεμιασμένον.

Διὰ τί τῶν στρατηγῶν αἱ ῥάβδοι συνδεδεμέναι προσηρτημένων τῶν πελέκεων φέρονται; πότερον ὅτι σύμβολόν ἐστι τοῦ μὴ δεῖν πρόχειρον εἶναι καὶ λελυμένην τὴν ὀργὴν τοῦ ἄρχοντος; ἢ, διατριβὴν καὶ μέλλησιν ἐμποιοῦν τῇ ὀργῇ τὸ λύειν ἀτρέμα τὰς ῥάβδους, πολλάκις ἐποίησε μεταγνῶναι περὶ τῆς κολάσεως; ἐπεὶ δὲ τῆς κακίας τὸ μὲν ἰάσιμόν ἐστι, τὸ δὲ ἀνήκεστον, αἱ μὲν ῥάβδοι νουθετοῦσι τὸ μεταθέσθαι δυνάμενον, αἱ δὲ πελέκεις ἀποκόπτουσι τὸ ἀνουθέτητον.

LXXVIII. Cur ejus qui triumphum egiſſet, ac deinde mortuus crematuſque eſſet, licebat os ſumtum in urbem inferre ac deponere? hoc enim Pyrrhon Liparæus tradidit. An hoc fit in mortui honorem? Nam iis qui res præclare geſſiſſent, atque imperatoribus hoc dederunt Romani, ut in foro ſepelirentur: ut Valerio & Fabricio. quorum tamen poſteros ajunt ita invidiam honoris iſtius declinare ſolitos, ut funeri in forum allato fax ardens ſubjiceretur, ſtatimque auferretur: facultate duntaxat ſepulturæ in foro ſic confirmata.

LXXIX. Cur cum publico epulo exciperent eum qui triumphum duxiſſent, a conſulibus miſſis internunciis petebant, ne ad cœnam venirent? an quod [1] locum aſſignari honoratiſſimum triumphatori oportebat, tractarique eum magnificentiſſime, & domum deduci peracta cœna: quæ omnia conſulibus, ſi intereſſent, nulli alii licebat deferri?

LXXX. Cur purpura prætextam veſtem tribunus plebis non geſtat, aliis magiſtratibus gerentibus? An quia omnino magiſtratus non eſt? nam neque lictores habet tribunus plebis, neque pro tribunali ſedens reſponſa dat, neque initio anni (quod alii ſolent) magiſtratus init, neque dictatore creato abdicat, ſed omni magiſtratuum jure in hunc tranſlato, ipſe ſolus officium retinet ſuum: utpote non magiſtratum gerens, ſed diverſæ functionis ordiniſque perſona. Atque ut oratores nonnulli exceptionem negant eſſe judicii genus, cum contrarium ejus quod judicii eſt præſtet: (judicio enim ſententia fertur, exceptione infringitur & aboletur) eodem modo cenſent tribunatum plebis impedimentum potius magiſtratus eſſe, aliquidque huic adverſum, quam magiſtratum. Obviam enim ire potentiæ magiſtratus, nimiamque ejus licentiam retundere, munus eſt & poteſtas tribunatus plebis. An vero hæc & horum ſimilia afferunt, qui cauſas comminiſcuntur? Sed cum tribunatus plebis populi voluntate extiterit, popularis etiam ratio vim in eo obtinet, magnumque habetur non ſupra plebem ſe in tribunatu efferre, ſed intervenientibus civibus habitu, amictu, victuſque ratione eſſe ſimilem. Faſtus enim conſulem prætoremque decet. tribunum plebis (ut dicebat C. Curio) conculcandum ſe præbere convenit, neque majeſtatem in vultu præ ſe ferre, aut aditus ad ſe difficiles facere, vel moleſtum multitudini, ſed propter hanc aliis odioſum, popularibus autem tractabilem promptumque eſſe. Eam ob rem id quoque receptum fuit, ut tribunorum januæ nunquam clauderentur, ſed noctes dieſque apertæ eſſent, tanquam portus & perfugium ope indigentibus. Quanto autem ſubmiſſius ſe pro ſua perſona gerit, tanto magis augetur potentia tribunus. publicus enim exiſtimatur, quod ad uſum attinet, omnibuſque acceſſus veluti ara: eſtque honoris gratia ſacroſanctus & inviolabilis. quando etiam incedens in publico. * * omnibus lege piacularis luſtratio mandatur, tanquam pollutis.

LXXXI. Cur Prætorum faſces colligati feruntur, appenſis ſecuribus? An id ſigno eſt, iram magiſtratus non debere eſſe in proclivi & ſolutam; an ſolutio faſcium, quæ paulatum fit, moram aliquam iræ injicit & cunctationem, & nonnunquam fecit ut ſententia de ſupplicio exigendo mutaretur? Jam cum vitiorum alia ſint ſanabilia, alia inſanabilia: virgis corrigebantur qui emendari poterant, ſecuribus amputabantur immedicabiles.

---

1 *Locum adſignari*) καὶ σιασόν. ne ſuſpicari quidem poſſum in cujus vocis locum hoc monſtrum ſurrepſerit. Interpres omiſit. Meminit moris hujus Valerius Maximus lib. II. cap. III. invitari prius, & poſt ne venirent orari conſules ſcribens. Cæterum Quæſtio LXXX. ſub finem plane mutila eſt. Quæſtione LXXXII. ἔδοξεν ἀναιρεῖσθαι. Forte ἀνερεῖσθαι. Res a Livio poſt Cannenſem cladem exponitur lib. XXII. ſed aliquanto aliter. Interpres pro Betuſio Vetuſium dedit, neſcio quid ſecutus *Xyland.*

Διὰ τί τοὺς καλουμένους Βλετονησίους βαρβάρους ὄντας, ἄνθρωπον τεθυκέναι θεοῖς πυθόμενοι, μετεπέμψαντο τοὺς ἄρχοντας αὐτῶν ὡς κολάσοντες; ἐπεὶ δὲ νόμῳ τινὶ τοῦτο ἐφαίνοντο πεποιηκότες, ἐκείνους μὲν ἀπέλυσαν, ἐκώλυσαν δὲ πρὸς τὸ λοιπόν, αὐτοὶ δὲ οὐ πολλοῖς ἔτεσιν ἔμπροσθεν, δύο μὲν ἄνδρας, δύο δὲ γυναῖκας ἐν τῇ βοῶν ἀγορᾷ λεγομένῃ, τοὺς μὲν Ἕλληνας, τοὺς δὲ Γαλάτας, ζῶντες κατώρυξαν; φαίνεται γὰρ ἄτοπον, ταῦτα μὲν ποιεῖν αὐτοὺς, ἐπιτιμᾶν δὲ βαρβάροις ὡς οὐχ ὅσια ποιοῦσι. πότερον τὸ μὲν θεοῖς θύειν ἀνθρώπους, ἀνόσιον ἡγοῦντο. τὸ δὲ δαίμοσιν, ἀναγκαῖον; ἢ τοὺς μὲν ἔθει καὶ νόμῳ τούτῳ πράττοντας ἁμαρτάνειν ἐνόμιζον, αὐτοὶ δὲ προσταχθέντες ἐκ τῶν Σιβυλλείων ἔπραξαν; λέγεται γὰρ Ἐλβίαν τινὰ παρθένον ὀχουμένην ἐφ' ἵππου βληθῆναι κεραυνῷ, καὶ γυμνὸν μὲν εὑρεθῆναι κείμενον τὸν ἵππον, γυμνὴν δὲ αὐτὴν, ὡς ἐπίτηδες, ἀνηγμένου τοῦ χιτῶνος ἀπὸ τῶν ἀπορρήτων, ὑποδημάτων δὲ καὶ δακτυλίων καὶ κεκρυφάλου διερριμμένων χωρὶς ἄλλων ἀλλαχόθι, τοῦ δὲ στόματος ἔξω προβεβληκότος τὴν γλῶσσαν. ἀποφηναμένων δὲ τῶν μάντεων, δεινὴν μὲν αἰσχύνην ταῖς ἱεραῖς παρθένοις εἶναι, καὶ γενήσεσθαι περιβόητον, ἅψεσθαι δέ τινα καὶ ἱππέων ὕβριν, ἐμήνυσε βαρβάρου τινὸς ἱππικοῦ θεράπων τρεῖς παρθένους τῶν ἑστιάδων, Αἰμυλίαν καὶ Λικινίαν καὶ Μαρτίαν ὑπὸ τὸ αὐτὸ διεφθαρμένας, καὶ συνούσας πολὺν χρόνον ἀνδράσιν, ὧν εἷς ἦν Βουτέτιος βάρβαρος τοῦ μηνυτοῦ δεσπότης. ἐκεῖναι μὲν οὖν ἐκολάσθησαν ἐξελεγχθεῖσαι. τῆς δὲ πράξεως δεινῆς φανείσης, ἔδοξεν ἀναζητεῖσθαι τὰ Σιβύλλεια τοὺς ἱερεῖς. εὑρεθῆναι δέ φασι χρησμοὺς ταῦτά τε προδηλοῦντας ὡς ἐπὶ κακῷ γενησόμενα, καὶ προστάττοντας ἀλλοκότοις τισὶ δαίμοσι καὶ ξένοις, ἀποτροπῆς ἕνεκα τοῦ ἐπιόντος, προέσθαι δύο μὲν Ἕλληνας, δύο δὲ Γαλάτας ζῶντας αὐτόθι κατορυγέντας.

Διὰ τί τὴν τῆς ἡμέρας ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι; πότερον ὅτι ἡ πολιτεία στρατιωτικὴν ἐν ἀρχῇ σύνταξιν εἶχε. τὰ δὲ πολλὰ νύκτωρ ἐν ταῖς στρατείαις προλαμβάνεται τῶν χρησίμων; ἢ πράξεως μὲν ἐποιοῦντο τὴν ἀνατολὴν, παρασκευῆς δὲ τὴν νύκτα; δεῖ γὰρ παρασκευασαμένους πράττειν, ἀλλὰ μὴ παρασκευάζεσθαι πράττοντας. ὡς Μύσων πρὸς Χίλωνα τὸν σοφὸν εἰπεῖν λέγεται, ἐν χειμῶνι θρίνακα τεκταινόμενος. ἢ καθάπερ ἡ μεσημβρία πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τοῦ τὰ δημόσια καὶ σπουδαῖα πράττειν, οὕτως ἀρχὴν ἔδοξε ποιεῖσθαι τὸ μεσονύκτιον; τεκμήριον δὲ τοῦτο μέγα, τὸ μὴ ποιεῖσθαι Ῥωμαίων ἄρχοντα συνθήκας μηδὲ ὁμολογίας μετὰ μέσον ἡμέρας. ἢ δύσει μὲν καὶ ἀνατολῇ λαμβάνειν ἀρχὴν ἡμέρας καὶ τελευτὴν δυνατόν ἐστιν. ὡς μὲν γὰρ οἱ πολλοὶ τῇ αἰσθήσει διορίζουσιν ἡμέρας μὲν ἀρχὴν τὴν πρώτην ἀνάσχεσιν τοῦ ἡλίου, νυκτὸς δὲ, τελευταίαν ἀπόκρυψιν λαμβάνοντες, οὐχ ἕξομεν ἰσημερίαν, ἀλλ' ἣν μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ νύκτα παρισοῦσθαι δοκοῦμεν, αὕτη τῆς ἡμέρας ἐλάττων φανεῖται τῷ τοῦ ἡλίου μεγέθει. ὃ δὲ αὖ πάλιν οἱ μαθηματικοὶ, ταύτην ἰώμενοι τὴν ἀτοπίαν, τίθενται τὸ τοῦ ἡλίου κέντρον ὅταν ἅψηται τοῦ ὁρίζοντος, ἡμέρας διορισμὸν εἶναι καὶ νυκτὸς, ἀναίρεσίς ἐστιν τῆς ἐναργείας. συμβήσεται γὰρ, ἔτι πολλοῦ φωτὸς ὑπὲρ γῆν ὄντος, καὶ τοῦ ἡλίου καταλάμποντος ἡμᾶς, μηδέπω ἡμέραν ὁμολογεῖν, ἀλλὰ ἔτι νύκτα εἶναι. ἐπεὶ τοίνυν ἐν ταῖς ἀνατολαῖς καὶ δύσεσι τοῦ ἡλίου, δυσληπτός ἐστιν ἡ ἀρχὴ διὰ τὰς εἰρημένας ἀλογίας, ἀπολείπεται τὸ μεσουρανοῦν ἢ τὸ ἀντιμεσουρανοῦν αὐτοῦ

LXXXII. Cur Romani cum inaudivissent a Bletonesiis, qui est populus barbarus, immolatum diis hominem esse, eorum magistratum acciverunt, ut pœnas de iis sumerent: cum autem appareret legis cujusdam jussu id factum, missos eos fecerunt, sed isto sacrificio in posterum interdixerunt: ipsi autem non multis ante annis, duos viros totidemque mulieres in foro boario, alteros Græcos, alteras Gallas, vivos defoderunt? videtur enim absurdum ista facere, & barbaris tanquam nefaria exprobrare eadem. An diis immolare homines nefas putabant: geniis autem, necessitatem cogere? Aut qui consuetudine ac lege ista sacrificia recepissent, eos peccare existimantes, ipsi Sibyllinis libris mandantibus istud fecerunt? Narrant enim Elbiam quandam virginem equo vehentem fulmine ictam, repertumque fuisse equum nudum jacentem, nudam quoque virginem ipsam, tanquam dedita opera vestibus a genitali membro reductis, calceis, anulis, capitiique redimiculo hinc inde dispersis, lingua extra os exserta. Tum vates respondisse, ingens opprobrium sacris virginibus oblatum, foreque ut publice id innotesceret, sed & equitum conjunctum fore quoddam dedecus. Ibi barbari cujusdam equitis servum indicium detulisse de tribus Vestalibus virginibus Æmilia, Licinia, & Martia, sub idem tempus vitiatis, & quæ jam diu cum viris incestam consuetudinem habuissent, de quibus viris esset etiam Butetius indicis dominus. Et Vestales quidem criminis convictas, pœnas dedisse. Cæterum ut atroci in re placuisse, ut a sacerdotibus Sibyllini libri consulerentur: ibi inventa fuisse oracula, quæ eventura isthæc & malum publicum allatura prædicerent: cujus avertendi causa peregrinis quibusdam & alienis geniis duos Græcos, totidem Gallos homines vivos eo in loco defossos Romani jubebantur dedere.

LXXXIII. Cur a media nocte diei sumunt initium? An quia reipublicæ constitutio principio fuit militaris? nam in re bellica pleraque noctu ante capiuntur utilia consilia: aut actionem ordiri sub ortum solis volentes, apparatui noctem destinaverunt? Prius enim paratos ad agendum par est accedere, non inter agendum se parare: quod Myso Chiloni sapienti respondit, hyeme ventilabrum fabricans. Aut quia meridies plerisque finis est publicas & serias res agendi, mediam noctem placuit pro exordio sumi? cujus rei magnum argumentum est, quod nullus Romanus magistratus post meridiem fœdus aut pactum icit. Aut quia ortu occasuque Solis principium & finis diei [1] definiri non possunt? Quo enim modo plerique sensus arbitrio diei principium dijudicant primum solis ortum, noctis autem plenam ejusdem occultationem: nullum habebimus æquinoctium, sed ob magnitudinem Solis nox etiam illa, quam maxime æqualem diei credimus, die erit brevior. Quod autem mathematici absurdo huic medentes diei ac noctis discrimen in appulsu centri solis ad horizontem seu finitorem circulum constituunt, id experientiam evertit. fit enim ista ratione, ut diem esse negare, & noctem etiamnum durare cogamur fateri, cum adhuc infra terram multa luce manente Sol nostram plagam illustrat. Quando igitur ortu & occasu solis principium diei & noctis ob dictas difficultates non potest percipi, restat ut pro principio diei sumamus

1 *Definiri non possunt*) ἀδύνατόν ἐστιν lego. Causa, inquit, cur a media nocte diem inchoent Romani, hæc est, quod ab ortu & occasu solis commode id nequit fieri: quod quale sit, deinde explicat. ἀδύνατον ergo recte legitur pro δυνατόν, quod Interpres retinens, sententiam Plutarchi vitiavit. *Xyland.*

λαμβάνειν ἀρχήν. βέλτιον δὲ τὸ δεύτερον. φέρεται γὰρ ἐκ μεσημβρίας ἐπὶ τὰς δύσεις ἀπὸ ἡμῶν, ἐκ δὲ μεσονυκτίου πρὸς ἡμᾶς ἐπὶ τὰς ἀνατολάς.

Διὰ τί τὰς γυναῖκας οὔτε ἀλεῖν εἴων, οὔτε ὀψοποιεῖν τοπαλαιόν; ἢ, τὰς συνθήκας διαμνημονεύοντες ἃς ἐποιήσαντο πρὸς τοὺς Σαβίνους; ἐπεὶ γὰρ ἥρπασαν τὰς θυγατέρας αὐτῶν, εἶτα πολεμήσαντες διηλλάγησαν, ἐν ταῖς ἄλλαις ὁμολογίαις καὶ τοῦτο ἐγράφη, μήτε ἀλεῖν ἀνδρὶ Ῥωμαίῳ γυναῖκα, μήτε μαγειρεύειν.

Διὰ τί τοῦ Μαΐου μηνὸς οὐκ ἄγονται γυναῖκας; πότερον ὅτι μέσος ἐστὶ τοῦ Ἀπριλλίου καὶ τοῦ Ἰουνίου μηνός, ὧν τὸν μὲν Ἀφροδίτης, τὸν δὲ Ἥρας, γαμηλίων Θεῶν, ἱερὸν νομίζοντες, προλαμβάνουσι μικρὸν ἢ περιμένουσιν; ἢ, ὅτι τῷ μηνὶ τούτῳ τὸν μέγιστον ποιοῦνται τῶν καθαρμῶν, νῦν μὲν εἴδωλα ῥιπτοῦντες ἀπὸ τῆς γεφύρας εἰς τὸν ποταμόν, πάλαι δὲ ἀνθρώπους; διὸ καὶ τὴν Φλαμινίκαν ἱερὰν τῆς Ἥρας εἶναι δοκοῦσαν, νενόμισται σκυθρωπάζειν, μήτε λουομένην τηνικαῦτα, μήτε κοσμουμένην. ἢ, ὅτι πολλοὶ Λατίνων ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ

A illum articulum temporis, quo Sol vel in medio cœli eſt, vel in oppoſito ejus puncto. hoc autem poſterius melius congruit. Sol enim a meridie verſus occaſum a nobis fertur: a mediæ noctis puncto verſus ortum ad nos.

LXXXIV. [1] Cur antiquitus mulieres neque molere ſinebant, neque coquere? An memoria pactorum cum Sabinis initorum? Poſt raptum enim Sabinarum, & bellum pace mutatum, id quoque in pactis ſcriptum fuit, Mulierem viro Romano nuptam neque molere debere, neque coquere.

LXXXV. Cur menſe Majo mulieres non ducuntur? An quia is medio loco [2] inter Aprilem eſt B & Junium, quorum ille Veneri, hic Junoni ſacer eſt, numinibus matrimoniorum tutelaribus, vel antevertunt Majum, vel Junium præſtolantur? Aut quia menſe iſto maximam expiationem peragunt, ſimulacra nunc de ponte in fluvium, antiquitus homines jacientes? ideoque etiam [3] Flaminicam, quæ Junonis habetur antiſtita, leges tunc jubent eſſe tetricam, lavacroque & ornatu abſtinere. Aut quia multi Latinorum iſto menſe pa-

---

1 *Cur antiquitus mulieres neque molere ſinebant, neque coquere?* ) Fecit locus hic Plutarchi, ut nonnulli crederent, coquam Latine dici non poſſe. Adverſatur tamen iis Johannes Pincierus Medicus cap. XII. libri tertii *Otii Marpurgenſis*: *Licet enim concedatur, Romanas mulieres a coquendi labore fuiſſe ex pacto immunes, fuerunt tamen Græcæ, ad quas pactum hoc non pertinuit. Eas igitur ſi quando Romani ab hoc munere nominare voluerunt, ſine dubio coquas genere ſexui conveniente appellarunt. Neve quis me nuda conjectura inductum ita ſtatuere arbitretur, ecce tibi Plautum utriuſque teſtem, qui in* Pœnulo, *Act.* I. *Scen.* II. *Milphionem ſervum ad Agoraſtoclem de Anteraſtilide meretrice hæc verba proferentem introduxit*:

Coqua eſt hæc quidem, Agoraſtocles, ut ego opinor;
Scit muriatica ut macerent.

*Hoc eſt, ſcit, quomodo ſalſamenta, quæ muria condi ſolent, macerari ante cocturam oporteat. Coqua autem illa Plauti Græca fuit. Namque ut ipſe in* Prologo Menæchmos *monet*,

Hoc Poetæ faciunt in Comœdiis
Omnes res geſtas eſſe Athenis autumant.

*Quam civitatem Græciæ fuiſſe notum eſt. Quid quod Plutarcho Plinius adverſatur, qui lib.* XVIII. *cap.* XI. *affirmat, Romanarum mulierum opus fuiſſe, panem lautioribus coquere ultra* 580. *annos ab urbe condita, ſub cujus initium regnante Romulo raptus Sabinarum contigit? Verba Plinii hæc ſunt*: Piſtores Romæ non fuerunt ad Perſicum uſque bellum, annis ab urbe condita ſuper D. L. X. X. X. Ipſi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, ſicut etiam in primis gentium. Artoptam Plautus appellat in fabula, quam *Aulularium* ſcripſit: magna ob id concertatione eruditorum, an is verſus ſit poetæ illius: certumque ſit, Attei Capitonis ſententia, toſtum panem lautioribus coquere ſolitos, piſtoreſque tantum eos, qui far pinſebant, appellatos. *Quid? quod uxor Catonis pinſendi, hoc eſt, panes ſaltem lautiores coquendi laborem a ſua dignitate non putavit alienum, ut de ea re refert Plutarchus. Quocirca veroſimile eſt, pactum hoc, cum Sabinis initum, non diu fuiſſe ſervatum, quod ex eo quoque colligere licet, quod Plutarchus innuit antiquitus id in more fuiſſe, non ſua ætate; nec interfuit Sabinorum, id ratum haberi, poſtquam ſua in civitatem Romanam commigratione Romani facti eſſent, Sabini eſſe deſiiſſent.* Et ſic quidem Pincierus. Cibaria paſtoribus expedire mulierum fuiſſe non obſcure colligo ex Varrone lib. II. cap. X. *de re Ruſtica.* Verba ejus ſunt iſta: *Qui autem ſunt in ſaltibus, & ſylveſtribus locis paſcunt, & non villa ſed caſis repentinos imbres vitant: his mulieres adjungere, quæ ſequantur greges, ac cibaria paſtoribus expediant, eoſque adſidujores faciant, utile arbitrati ſunt multi.* Tempora igitur diſtinguenda. Primo urbis conditæ initio forſan obtinuerit, ut mulieres cibum non coquerent, poſtea tamen factum fuerit. Quanquam, ut quod res eſt dicam, pene credam in proponendo hoc Problemate erraſſe Plutarchum. Incidit forſan in ſcriptorem Romanum, qui de priſcorum Sabinorum frugalitate agebat, nimirum eos a luxu & delitiis ciborum alienos, atque arti coquinariæ, ſive, ut ille loquitur, medicinæ adulatrici deditos non fuiſſe. Primæ autem matres Romanæ fuerunt Sabinæ; in ſpectaculo, ad quod vocatæ erant, raptæ. Quod nemo neſcit. Hæc credibile eſt legiſſe Plutarchum, & proinde in litteras miſiſſe primas Romanorum uxores coquinariam non exercuiſſe. De frugalitate autem & parcimonia veterum Sabinorum infinita teſtimonia exſtant. Non ignoro tamen, magnum illum Fabricium inventum fuiſſe rapa ad focum torrentem, cum Samnitium legati aurum ipſi offerrent. Sed & quis forte me culpaverit, quod fidem Plutarchi tam audacter hic cœperim elevare. *Boxhorn.*

2 *Inter Aprilem & Junium, quorum ille Veneri, hic Junoni ſacer eſt?* ) Recte Aprilem dicit Veneri ſacrum. Veneri autem ſacer eſt, quia eo menſe omnia quaſi renaſci videntur: Sed fallitur, dum Junium Junoni adſcribit, niſi nos fallat Tutela menſium in veteri Calendario, quam nunc ante exhibuimus. In ea Mercurius tutelaris Junii Deus diſertim dicitur. Vicinitas nominum Junii & Junonis decepiſſe Plutarchum videtur. Proinde hæc ratio locum hic non habet. *Boxborn.*

3 *Flaminicam* ) Vide A. Gellium, libro decimo, cap. decimoquinto. *Xyland.*

1 *Atque*

τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζουσι; καὶ διὰ τοῦτο ἴσως Ἑρμῆν ἐν αὐτῷ σέβονται, καὶ Μαίας ἐπώνυμός ἐστιν. A ἢ (καθάπερ ἔνιοι λέγουσιν) ὁ μὲν Μάϊος ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρας, ὁ δὲ Ἰουνίος, ἀπὸ τῆς νεωτέρας ἡλικίας ὠνόμασται; γάμῳ δὲ ἁρμοδιώτερον τὸ νέον, ὡς καὶ Εὐριπίδης φησὶν,

Ἀλλ' ἢ τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ,
Ἥ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται.

οὐ γαμοῦσιν οὖν ἐν τῷ Μαΐῳ, περιμένοντες τὸν Ἰουνίον; ὃς εὐθύς ἐστι μετὰ τὸν Μάϊον.

Διὰ τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου τὴν κόμην διακρίνουσιν; ἆρα σύμβολόν ἐστι τοῦτο τοῦ βίᾳ καὶ μετὰ πολέμου γαμηθῆναι τὰς πρώτας; ἢ μανθάνουσιν, ἀνδράσι συνοικοῦσαι μαχίμοις καὶ πολεμικοῖς, ἄθρυπτον καὶ ἄθηλον καὶ ἀφελῆ προσίεσθαι καλλωπισμόν; ὥσπερ ὁ B Λυκοῦργος ἀπὸ πρίονος καὶ πελέκεως κελεύσας τὰ θυρώματα οἰκίαις ποιεῖν καὶ τὰς ὀροφὰς, ἄλλῳ δὲ μὴ χρῆσθαι τὸ παράπαν ἐργαλείῳ, πᾶσαν ἐξέβαλε περιεργίαν καὶ πολυτέλειαν; ἢ τὴν διάστασιν αἰνίττεται τὸ γινόμενον, ὡς μόνῳ σιδήρῳ τοῦ γάμου διακριθησομένου. ἢ τὰ μὲν πλεῖστα τῶν γαμικῶν εἰς τὴν Ἥραν ἀνῆπτον, Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισται, καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ Θεὸς ἐπωνόμασται. τὸ γὰρ δόρυ, κυρὶν ἐκάλουν οἱ παλαιοί· διὸ καί φασι Κυρῖνον ὀνομασθῆναι Ἐνυάλιον.

Διὰ τί τὸ τελούμενον εἰς Θέας, λούκαρ καλοῦσιν; ἢ,

rentant mortuis? [1] atque ideo fortassis Mercurius eo mense colitur, a Maja nomen ducente. Aut verius est quod alii dicunt? Majum a seniorum, qui sunt majores, Junium a minorum ætate nomen habere, qui sunt juniores: magis autem convenit nuptiis juventus, ut & Euripides monet:

*Etenim senectus Cypridem missam facit:*
*Annisque onustos Venus aversatur viros.*

itaque Majo non contrahunt matrimonium, sed in Junium continuo sequentem differunt.

LXXXVI. [2] Cur nuptarum comam discriminant hastæ cuspide? An id signum est primas vi & bello fuisse ductas? [3] Aut monentur nuptæ, quia bellicosis junguntur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici & a luxu ac mollicie alieno? quemadmodum Lycurgus fores & fastigia ædium jubens serra & securi, nullo alio adhibito instrumento fabricari, omnem luxum supervacaneamque operam præcidit. Aut per ambages innuitur, solo ferro conjugium discissum iri? Aut quia pleræque ad nuptias pertinentia ad Junonem referuntur? Junoni autem sacra habetur hasta, & pleraque ejus statuæ hasta nituntur, [4] ipsaque dicitur Dea Quiritis. hasta enim antiquis Quiritis nominabatur. inde Mars Quirinus usurpabatur.

LXXXVII. [5] Cur pecunia quæ [6] spectaculis im-

---

1 *Atque ideo fortassis Mercurius Majo mense colitur?* ) Hic dicit, Majo mense cultum Mercurium fuisse. Mirum est in brevi hac unius Problematis explicatione sibi non constitisse Plutarchum. *Boxhorn.*

2 *Cur nuptarum comam discriminant hastæ cuspide?* ) Hastam hanc *cœlibarem* vocatam docent Arnobius & Festus. Arnobii verba lib. II. sunt: *Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis? nubentium crinem cœlibari hasta mulcetis?* Ovidius lib. II. *Fastorum*, *hastam recurvam* dixit:

*Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,*
*Comat virgineas hasta recurva comas.*

*Cœlibaris* haud dubie appellata, quia tollit cœlibatum. Porro præter rationes hujus ritus, quas exponit Plutarchus, etiam aliæ esse potuerunt. Hasta caput nubentium comebatur, vel boni ominis caussa, futurum ut ex isto matrimonio fortes, & militiæ artibus dediti viri nascerentur, vel etiam hoc ritu indicatum viri imperio subesse fœminam. *Hasta enim*, ut loquitur Festus, *summa imperii est. Quam ob caussam viri fortes ea donantur, & captivi sub eadem veneunt.* Ex quibus verbis præterea etiam colligere licet, cur sub hasta venditi fuerint captivi. Neque per hastam denotabat venditor, summam se potestatem in eum habere, quem vendebat. *Idem.*

3 *Aut monentur nuptæ, quia bellicosis junguntur maritis, debere ipsas ornatu uti simplici, & a luxu ac mollicie alieno?* ) Idem de Germanis testatur Tacitus libello *de ipsorum moribus*: *Munera*, inquit, *dant sponsi, non ad delitias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves, & frænatum equum & scutum cum framea, gladioque. In hæc munera uxor accipitur. Ne se mulier extra virtutum* ( forte *virorum* ) *cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis ineuntis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.* Idem.

4 *Juno dicitur Dea Quiritis?* ) In veteri inscriptione *Quiris* appellatur. In civitate Castellana, oppido Faliscorum, legitur:

MAMMIÆ. C. F. IVSTÆ
Q. TVLLIVS. Q. F. HORAT
CINCIVS. PRISCVS. PONTIFEX
SACRARIVS. IVNONIS. QVIRITIS
PATRONVS. MVNICIPI. TESTA
MENTO. PONI. IVSSIT.

Quiritis tamen nominativi casus esse mihi non videtur, ut placuit eruditis. Gignendi casus est a *Quiris*. Ut sit *Juno hastæ*, hoc est, hastata. Quemadmodum & alii scriptores subinde sic loquuntur. Et magis hoc convenit cum analogia linguæ Romanæ. *Idem.*

5 *Cur pecunia, quæ spectaculis impenditur, Lucar dicitur?* ) Omnes in eo conveniunt a Luco nominari, quod conquisitum ex lucis pretium ludis Theatralibus impenderetur. Papias in Glossario: *Lucar vectigal vel æs, quod ex lucis extrahitur.* Et paullo post: *Lucar erogatio, quæ solebat in lucis fieri.* Haud dubie legendum est, *in ludis*. Elocatas autem sylvas fuisse constare potest ex Satyr. III. Juvenalis, in cujus initio statim inquit:

*Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur*
*Judæis, quorum cophinus, fænumque supellex.*

Lucar igitur a luco dicitur, ut Bustar a Busto, aliaque infinita. *Idem.*

6 *Spectaculis.* ) θέας, *Spectacula*, ut & Interpres habet, & rationi est consentaneum, non θεάς. Cæte-

ὅτι πολλά ἐςιν ἄλλα περὶ τὴν πόλιν ἀνειμένα Θεοῖς, A ἃ καλοῦσι λούκους, καὶ τὴν ἀπὸ τούτων πρόσοδον εἰς τὰς θέας ἀνήλισκον.

Διὰ τί τὰ Κυρινάλια, μωρῶν ἑορτὴν ὀνομάζουσιν; ἢ, ὅτι τὴν ἡμέραν ταύτην ἀπεδεδώκεσαν (ὡς Ιοβας φησὶ) τοῖς τὰς αὑτῶν φατρίας ἀγνοοῦσιν, ἢ τοῖς μὴ θύσασιν, ὥσπερ οἱ λοιποὶ, κατὰ φυλὰς ἐν τοῖς φουρνικαλίοις, δι' ἀσχολίαν ἢ ἀποδημίαν ἢ ἄγνοιαν, ἐδόθη τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ τὴν ἑορτὴν ἐκείνην ἀπολαβεῖν.

Διὰ τί τῷ Ηρακλεῖ γινομένης θυσίας, ἄλλον οὐδένα Θεῶν ὀνομάζουσιν, οὐδὲ φαίνεται κύων ἐντὸς τῶν περιβόλων, ὡς Βάῤῥων ἱςόρηκεν; ἤ, Θεὸν μὲν ἄλλον οὐκ B ὀνομάζουσιν, διὰ τὸ τοῦτον ἡμίθεον νομίζειν; ὡς δὲ φασιν ἔνιοι, καὶ μετὰ τῶν ἀνθρώπων ὄντος ἔτι βωμὸν ἱδρύσασθαι τὸν Εὔανδρον αὐτοῦ, καὶ θυσίαν προσαγαγεῖν. κυνὶ δὲ πάντων μάλιςα τῶν ζώων ἐπολέμησε· καὶ γὰρ οὗτος αὐτῷ ἀεὶ πολλὰ πράγματα παρέσχε, καὶ ὁ Κέρβερος· καὶ ἐπὶ πᾶσι, τοῦ Λικυμνίου παιδὸς Οἰωνοῦ διὰ κύνα φονευθέντος ὑπὸ τῶν Ιπποκοωντιδῶν, ἀναγκασθεὶς μάχην συνάψαι, τῶν τε ἄλλων φίλων πολλοὺς ἀπέβαλε, καὶ τὸν ἀδελφὸν Ιφικλέα.

Διὰ τί τοῖς πατρικίοις οὐκ ἐξῆν περὶ τὸ Καπετώλιον κατοικεῖν; πότερον ὅτι Μάρκος Μάλιος αὐτόθι κατοικῶν ἐπεχείρησε τυραννίδι; ὃν ἀπώμοτόν φασιν εἶ- C ναι τῷ οἴκῳ, μηδενὶ Μαλίῳ ὄνομα Μάρκου γενέσθαι; ἢ παλαιὸς ἦν φόβος οὗτος; Ποπλικόλαν γοῦν ἄνδρα δημοτικώτατον οὐκ ἐπαύσαντο διαβάλλοντες μὲν οἱ δυνατοὶ, δεδιότες δὲ οἱ πολλοὶ, μέχρις οὗ τὴν οἰκίαν αὐτὸς κατέσκαψεν, ἐπικεῖσθαι τῇ ἀγορᾷ δοκοῦσαν.

Διὰ τί τῷ σώσαντι πολίτην ἐν πολέμῳ, δρύινον διδόασι ςέφανον; πότερον ὅτι πανταχοῦ καὶ ῥᾳδίως ἐςὶν εὐπορῆσαι δρυὸς ἐπὶ ςρατείας; ἢ ὅτι Διὸς καὶ Ηρας ἱερὸς ὁ ςέφανός ἐςιν, οὓς πολιούχους νομίζουσιν; ἢ παλαιὸν ἀπ' Αρκάδων τὸ ἔθος, οἷς ἔςι τις συγγένεια πρὸς τὴν δρῦν; πρῶτοι γὰρ ἀνθρώπων γεγονέναι δοκοῦσιν ἐκ γῆς, ὥσπερ ἡ δρῦς τῶν φυτῶν.

penditur, Lucar dicitur? An quia multi circa urbem sunt luci Diis consecrati, quorum reditus in spectacula insumebant?

LXXXVIII. [1] Cur Quirinalia festum stultorum appellant? An quod dies iste his erat destinatus, ut Juba scribit, qua suam curiam ignorabant? Aut quod qui Fornacalibus feriis ob occupationes, peregrinationem, vel ignorationem non sacrificassent in sua tribu, iis permissæ fuerint istæ feriæ harum loco obeundæ?

LXXXIX. Cur in sacrificio Herculis nullus alius Deus nominatur, neque intra sepimenta canis conspicitur? sic enim tradit Varro. An ideo alium Deum non nominant, quia semideus censetur Hercules? Aut quia adhuc inter homines degenti Evander aram posuit, & victimam obtulit? id enim nonnulli tradunt. Omnium autem animalium nullum infestius habuit Hercules cane, hic enim ei plurimum negocii identidem exhibuit. & Cerberus canis fuit. ac præter omnia cum Licymnii filium Oeonum canis caussa interfecissent Hippocoontidæ, coactus pugnam committere, cum alios sociorum multos, tum Iphiclum amisit.

XC. Cur patriciis non licebat prope Capitolium habitare? An quia M. Manlius ibi habitans tyrannidem affectavit? propter quem illa familia jurejurando sese obstrinxit, nemini se ex ea Marci prænomen facturam. Aut antiquus tenebat metus? Etenim Poplicolam hominem magis quam quisquam fuerit alius popularem non destiterunt calumniis impetere potentiores, metuere vero plebs, antequam domum suam ipse diruit, quod ea imminere foro videretur.

XCI. [2] Cur eum qui civem servasset, corona donabant querna? An quod ubique copia in expeditionibus est quercus, & quidem nullo negotio? Aut quia Jovi & Junoni sacra est ista corona, quibus Diis urbium tutelam adsignant? Aut prisca est hæc Arcadum consuetudo, quibus aliqua est cum quercu cognatio? Primi enim hominum e terra enati creduntur, sicut quercus inter stirpes prima.

---

rum sponsione certare ausim legendum esse πολλά ἐςιν ἄλση. pro qua voce ἄλλα nullo sensu est submissa. Sex. Pompejus lib. x. *Lucar*, inquit, *appellatur æs, quod ex lucis captatur*. Et ibidem de Lucaribus festis. In priore κούριν puto legi pro κύρεις. nihil enim huc Cures, a quibus dictos Quirites aliqui putarunt. Quiritis Juno apud Stephanum in κύρις legitur κυρητία: male, ni fallor. In proximo Problemate, φρατρίας scripsi pro φατρίας. & puto legendum φορνακαλίοις, ex Varronis lib. v. Fortasse qui suam curiam ignoraret, saltem fornacem suam nosse putabatur, quæ laus in prudentem non cadit. Fornacalia Festus quoque, aut ex eo Paulus habet, ut & stultorum ferias. Quæst. xc. μάνλιος repone. historia est notissima. & τυραννίδι, δι' ὃν, erat δι omissum a librario παρέχησιν non animadvertente. & δε inter δεδιότες οἱ redde. Historia de filio Licymnii est apud Apollodorum libro *Bibliothecæ* II. & Pindarum *Olympiis*. Minuta alia prætereo, &c. Quæstione tamen XCVII. pro προσηκόντων mihi ex sensu loci persuasi legendum προσῆκον ὂν: quam formulam fortasse non intellexit librarius, ideoque corrupit. Quæst. XCIX. βούλης unico λ. legendum. Sed quid Empedoclis citetur, non intelligo, nisi ὑποκείμενον materiam Lunæ significet. *Xyland.*

1 *Cur Quirinalia festum stultorum appellant?* ) Vide Festum, & ad eum animadversiones magni Scaligeri. *Boxhorn.*

2 *Cur eum qui civem servasset, corona donabant querna?* ) Et simplices & prudentes in donandis præmiis antiqui fuere. Levia quidem erant, & per quæ ærarium non laborabat, magna tamen videbantur. Enimvero non promiscue, sed tantum optime meritis dabantur. Et sic splendor suus ipsis constabat. Præmium enim publicum tanti est, quanti illi, quibus offertur. Adeo ut illud a dignis acceptum, magnique hactenus factum, tunc longe minus videatur, cum id etiam indigni accepere. Frondes ex lauro, quercu, hedera, quantilli ponderis? Quanti tamen factæ, dum nemo pretium, omnes judicium ejus, qui dabat, & meritum accipientis æstimabant? Sic quod nihili erat, magnum credebant, & splendor magnis virtutibus ex quisquiliis accedebat. Sic maximi operis erat parva mereri, & parva sibi sufficere maxima meritus existimabat. Quisquis excitati animi, quæ prima habebat in rebus humanis, vitam & fortunas, ultimo discrimini pro Republ. exponebat, ut minus, imo paullo majus nihilo ab ea reportaret, Quod a se habebat, per virtutem a Repub. exspectabat. Ex quercu coronam quivis sibi nectere poterat, sed si publica judicia donandam censerent, instar omnium habebatur. Qui igitur civem servaverat, corona quernea donabatur? Cur quernea? An id stabilis & duraturæ gloriæ indicium erat? Firma enim & annosa est quercus. Num vero denotabat quasi redivivam integritatem priorum hominum, qui, cum, ut ille loquitur, *Virguncula Juno Esset, & Idæis privatus Jupiter antris*, glandibus vescebantur? Tunc se invicem mutuo juvare, tueri, primæ & magnæ artes erant. Dein corrupti posteri, belluarum ritu,

A Διὰ τί γυψὶ χρῶνται μάλιστα πρὸς τοὺς οἰωνισμούς; πότερον ὅτι καὶ Ῥωμύλῳ δώδεκα γύπες ἐφάνησαν ἐπὶ τῇ κτίσει τῆς Ῥώμης, ἢ ὅτι τῶν ὀρνίθων ἥκιστα συνεχὴς καὶ συνήθης οὗτος; οὐδὲ γὰρ νεοττιᾷ γυπὸς ἐντυχεῖν ῥᾳδίως ἐστὶν, ἀλλὰ πόῤῥωθεν ποθὲν ἐξαπίνης καταίρουσι; διὸ καὶ σημειώδης ἡ ὄψις αὐτῶν ἐστιν. ἢ καὶ τοῦτο παρ' Ἡρακλέους ἔμαθον; εἰ λέγει ἀληθῶς Ἡρόδωρος ὅτι πάντων μάλιστα γυψὶν ἐπὶ πράξεως ἀρχῇ φανεῖσιν ἔχαιρεν Ἡρακλῆς, ἡγούμενος δικαιότατον εἶναι τὸν γῦπα τῶν σαρκοφάγων ἁπάντων· πρῶτον μὲν γὰρ οὐδενὸς ἅπτεται ζῶντος, οὐδὲ ἀποκτίννυσιν ἔμψυχον οὐθὲν, ὡς ἀετοὶ καὶ ἱέρακες καὶ τὰ νυκτινόμα· χρῆται δὲ τοῖς ἄλλοις ἀποθανοῦσιν. ἔπειτα καὶ τούτων τὰ ὁμόφυλα παρίησι. πετεινοῦ γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε γῦπα γευόμενον; ὡς ἀετοὶ καὶ ἱέρακες μάλιστα τὰ συγγενῆ διώκουσι καὶ κόπτουσιν. καί τοι κατ' Αἰσχύλον,

Ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών;

ἀνθρώποις δὲ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀβλαβέστατός ἐστιν, οὔτε καρπὸν ἀφανίζων οὔτε ζῶον κακουργῶν. εἰ δὲ, (ὡς Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσι) θῆλυ πᾶν τὸ γένος ἐστὶ, καὶ κυΐσκονται δεχόμενοι καταπνέοντα τὸν ἀπηλιώτην, ὥσπερ τὰ δένδρα τὸν ζέφυρον, καὶ παντάπασιν ἀπλανῆ B τὰ σημεῖα καὶ βέβαια γίνεσθαι πιθανόν ἐστιν ἀπ' αὐτῶν· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις αἱ περὶ τὰς ὀχείας σοβήσεις, ἔτι δὲ ἁρπαγαὶ καὶ φυγαὶ καὶ διώξεις πολὺ τὸ θορυβῶδες καὶ ἀκατάστατον ἔχουσι.

C Διὰ τί τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἱερὸν ἔξω πόλεώς ἐστι; πότερον ὅτι τὰς ἔξω διατριβὰς ὑγιεινοτέρας ἐνόμιζον εἶναι τῶν ἐν τῷ ἄστει; καὶ γὰρ Ἕλληνες ἐν τόποις καθαροῖς καὶ ὑψηλοῖς ἐπιεικῶς ἱδρυμένα τὰ Ἀσκληπιεῖα ἔχουσιν· ἢ, ὅτι τὸν Θεὸν ἐξ Ἐπιδαύρου μετάπεμπτον ἥκειν νομίζουσιν, Ἐπιδαυρίοις δὲ οὐ κατὰ πόλιν, ἀλλὰ πόῤῥω τὸ Ἀσκληπιεῖόν ἐστιν; ἢ, ὅτι τοῦ δράκοντος ἐκ τῆς τριήρους

XCII. Cur ad auſpicia maxime uſi ſunt vulturibus? An quod Romulus Romam condens duodecim vultures obſervavit? [1] An quia avium omnium minime iſta frequenter conſpici ſolet? non enim facile in pullos vulturis incideris; ſed ex remotis locis alicunde ſubito advolant, unde ſequitur, eorum conſpectu aliquid portendi. An hoc quoque ab Hercule didicerunt? Si tamen verum eſt quod Herodorus ſcripſit, Herculem in auſpicio capiendo maxime delectatum fuiſſe vulturibus oblatis, quod hanc omnium volucrium carnivorarum juſtiſſimam cenſeret. Primum, quia nihil animatum tangit aut necat: idque aquilæ faciunt, accipitres, & quæ noctu volant aves: ſed ſolis veſcitur cadaveribus. Deinde quod ſuæ quoque naturæ & generis cadavera prætereit. nemo enim unquam vidit a vulture avem guſtari: cum aquilæ & accipitres maxime inſectentur & occidant aves. at vero ut eſt apud Æſchylum,

*Inceſta avis ſit oportet, ſi volucrem voret.*

præterea hæc avis minime omnium aliarum homini nocet, cum neque fruges perdat, neque plantas, neque ullum manſuetum animal lædat. Denique ſi verum eſt quod Ægyptii perhibent, totum vulturum genus eſſe femininum, & [2] concipere ſubſolani flatu excepto, ſicut arbores Favonii admiſſo ſpiritu: omnino probabile eſt præſagia ab iis ducta, firma eſſe & erroris vacua: cum in aliis agitatio circa coitum, tum rapinæ, fugæ, inſectationeſque multum tumultuationis & incertitudinis exhibeant.

XCIII. [3] Cur Æſculapii fanum extra urbem eſt? An quia ſalubrius extra quam intra urbem degi putant? nam Græci quoque fere locis puris & ſublimibus poſita Æſculapii habent ſacraria. An quod deum illum Epidauro accerſitum veniſſe Romam exiſtimant? Epidaurii autem non in urbe, ſed procul inde templum Æſculapii habent. Aut quo angue apud inſulam e trireme egreſſo & e conſpectu

cædibus in ſe invicem graſſari cœperunt. Sed forſan nimis ingenio meo hic indulgeo. Videantur rationes Plutarchi. *Boxhorn.*

1 *An quia avium omnium minime iſta freguenter conſpici ſolet?* ) Quemadmodum tota auſpiciorum ratio inſana fuit, ſicut etiam viſum ſapientiſſimis inter paganos, ita quod hic dicitur longe eſt ineptiſſimum. Vultures raro videntur. Ergo eorum conſpectus aliquid portendit. Imo vultures raro conſpiciuntur, quia non multi ſunt. Et proinde vulturum conſpectus non tam futurum aliquid indicat, quam multos non eſſe. *Idem.*

2 *Vultures concipere ſubſolani flatu excepto.* ) Idem fere tradit alibi Juſtinus. Equas eſſe in Luſitania, quæ ex vento concipiunt. Nimirum fabula hæc nata ex equorum, qui ibi naſcuntur, inſigni pernicitate. Quemadmodum magna pars fabularum ſive poeticarum, ſive hiſtoricarum apud antiquos nata eſt partim ex comparata, partim ex hyperbolica loquendi ratione. Quod facile credet, quiſquis in iis excutiendis ſerio attendet. *Idem.*

3 *Cur Æſculapii fanum extra urbem eſt?* ) Templum Æſculapii in inſula Tiberina fuit. In hanc rem operæ pretium eſt audire Feſtum: *In inſula*, inquit, *Æſculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime ſanentur. Ejuſdem eſt tutelæ draco, quod vigilantiſſimum ſit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta eſt. Canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis ſit nutritus.* (imo potius credibile eſt ideo hoc inſtitutum, quod lingua canum ad ulcera ſananda plurimum ſoleat conferre) *Bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurium ſit remediorum. Huic Gallinæ immolabantur.* Per baculum nodoſum haud dubie intelligit, ſerpentibus obvolutum. Dracones autem & ſerpentes in Æſculapii tutela, quia in remediis morborum non exiguum uſum habent. Unde Philo apud Euſebium lib. VIII. *Præparat. Evangel.* a medicis quibuſdam commemorari ſolitum dicit, in pluribus venenatos ſerpentes uſum maximum conferre, ac peritis hujus artis, ſi ita, quemadmodum par eſt, utantur, vim præſentium amuletorum non contemnendam ſuppeditare. Atque hinc etiam nata fabula de ſerpente apud inſulam Tiberinam e triremi egreſſo, quaſi per eum Æſculapius locum templi ſui voluerit deſignare. Cujus hic meminit Plutarchus. Porro non gallinæ tantum Æſculapio immolatæ, ſed & capræ. Cujus rei rationem docet Servius Danielis ad illa Virgilii lib. II. *Georg.*

*Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur.*

*Victimæ*, inquit, *numinibus, aut per ſimilitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per ſimilitudinem, ut nigrum pecus Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quæ obeſt frugibus, Cereri, & caper, qui obeſt vitibus, Libero, item capra Æſculapio, qui eſt Deus ſalutis, quum capra nunquam ſine febre ſit.* Nil Diis immolari poterat, niſi quod ipſis gratum. Quod autem, dum viveret, iis adverſum fuerat, mactatum quam maxime placere credebatur. Quemadmodum beneficium amico præſtamus, quotiens in manus tradimus non tantum quod amat, ſed etiam quod odit. *Idem.*

κατὰ τὴν νῆσον ἀποβάντος καὶ ἀφανισθέντος, αὐτὸν ᾤοντο τὴν A ἵδρυσιν ὑφηγεῖσθαι τὸν Θεόν.

Διὰ τί νενόμισται τοὺς ἁγνεύοντας, ὀσπρίων ἀπέχεσθαι; πότερον, ὡς οἱ Πυθαγορικοὶ τοὺς μὲν κυάμους ἀφωσιοῦντο διὰ τὰς λεγομένας αἰτίας, τὸν δὲ λάθυρον καὶ τὸν ἐρέβινθον ὡς παρωνύμους τοῦ ἐρέβους καὶ τῆς λήθης; ἢ ὅτι πρὸς τὰ περίδειπνα καὶ τὰς προκλήσεις τῶν νεκρῶν μάλιστα χρῶνται τοῖς ὀσπρίοις; ἢ μᾶλλον, ὅτι δεῖ πρὸς τὰς ἁγνείας καὶ ἁγιστείας καθαρὰ καὶ λιτὰ τὰ σώματα ἔχειν; ἔστι δὲ τὰ ὄσπρια πνευματώδη, καὶ περίσσωμα ποιεῖ πολλῆς καθάρσεως δεόμενον. ἢ ὅτι καὶ πρὸς συνουσίαν παρορμᾷ διὰ τὸ φυσῶδες καὶ B πνευματικόν.

Διὰ τί τῶν παναγῶν παρθένων τὰς διαφθαρείσας, ἄλλως οὐ κολάζουσιν, ἀλλὰ ζώσας κατορύττουσι, πότερον ὅτι καίουσι τοὺς ἀποθανόντας, θάπτειν δὲ πυρὶ τὴν τὸ πῦρ τὸ θεῖον ὁσίως μὴ φυλάξασαν, οὐκ ἦν δίκαιον; ἢ σῶμα ταῖς μεγίσταις καθωσιωμένον ἁγιστείαις ἀναιρεῖν, καὶ προσφέρειν ἱερᾷ γυναικὶ χεῖρας, οὐ θεμιτὸν ἐνόμιζον; αὐτὴν οὖν ἀποθανεῖν μηχανώμενοι, δι' αὐτῆς κατεβίβαζον ὑπὸ γῆν εἰς οἴκημα πεποιημένον, ὅπου καὶ λύχνος ἔκειτο καιόμενος, καὶ ἄρτος καὶ γάλακτός τι καὶ ὕδατος. εἶτα γῇ τὸ οἴκημα κατέκρυπτον ἄνωθεν. καὶ οὐδὲ τοῦτον τὸν τρόπον ἀφοσιωσάμενοι τὴν δεισιδαιμονίαν ἐκπεφεύγασιν, ἀλλὰ C μέχρι νῦν ἐναγίζουσιν οἱ ἱερεῖς ἐκεῖ βαδίζοντες ἐπὶ τὸν τόπον.

Διὰ τί ταῖς Δεκεμβρίαις εἰδοῖς ἱπποδρομίας γενομένης, ὁ νικήσας δεξιὸς ἱερὸς Ἄρει θύεται, καὶ τὴν μὲν οὐρὰν ἀποκόψας τις ἐπὶ τὴν Ῥήγιναν καλουμένην κομίζει, καὶ τὸν βωμὸν αἱμάσσει, περὶ δὲ τῆς κεφαλῆς, οἱ μὲν ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ λεγομένης, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Σιβούρης καταβάντες διαμάχονται; πότερον (ὥς τινες λέγουσιν) ἵππῳ τὴν Τροίαν ἡλωκέναι νομίζοντες, ἵππον κολάζουσιν, ἅτε δὴ καὶ γεγονότες D Τρώων ἀγλαὰ τέκνα μεμιγμένα παισὶ Λατίνων; ἤ, ὅτι θυμοειδὲς καὶ πολεμικὸν καὶ ἄρειον ὁ ἵππος ἐστί, τὰ δὲ προσφιλῆ μάλιστα καὶ πρόσφορα θύουσι τοῖς θεοῖς. ὁ δὲ νικήσας θύεται διὰ τὸ νίκης καὶ κράτους οἰκεῖον εἶναι τὸν Θεόν. ἢ μᾶλλον ὅτι τοῦ Θεοῦ στά-

hominum sublato, ipsum deum arbitrantur locum sui templi indicasse.

XCIV. Cur castimoniam servantibus usu leguminum est interdictum? [1] An fabas ob easdem, quas Pythagorici, causas abominati sunt? [2] lathyrum autem & erebinthum (hoc est pisum, puto, & cicerem) quæ lathæ & erebo, id est, letho & orco nomina horum sunt affinia? Aut quia ad circumpotationes funebres & mortuorum evocationes maxime utuntur leguminibus? Aut potius quia ad castimoniam afferre oportet corpora pura & genuina? legumina autem flatus generant & superfluitatem gignunt multa opus habentem expurgatione. Aut quia etiam ad rem veneream instigant, ob flatuum & spirituum generationem?

XCV. [3] Cur Vestales vergines, si pudicitiam prodiderunt, non alio afficiunt supplicio, quam quod vivas defodiunt? An quia mortuos cremant: cremare autem eam, quæ ignem sacrum non custodiverit pie, injustum esset? Aut quia corpus summis consecratum cæremoniis interficere, & manus adferre sacræ mulieri, nefas censent, ipsam ultro mori volentes infra terram demiserunt, in extructum ad hoc domicilium, ubi & lucerna ponebatur ardens, & panis, atque lactis & aquæ nonnihil, deinde terra superne ingesta occultabatur locus? Ac ne hoc quidem modo defunctos se religione putabant, sed hodieque mos obtinet, ut ad illum locum sacerdotes accedentes parentent.

XCVI. Cur Idibus Decembribus equestribus ludis, [4] dexter equus victor Marti immolabatur, & caudam aliquis amputatam fert ad locum, cui Regia nomen, aramque cruentat, de capite alii a sacra via, alii a Suburra descendentes depugnant? An, quæ est quorundam opinio, equo Trojam captam putantes, equum plectunt? utpote qui sint

*Troum splendida proles natis mixta Latinum.*

Aut quia animosa est bestia, & bello atpta atque Martialis equus? Diis vero ea potissimum immolant, quæ iis accepta sunt & convenientia? victor autem equus mactatur, quia Deo victoria est accepta ferenda. Aut rectius hoc dicetur, opus illius Dei statariam esse pugnam; victoriamque stan-

---

1 *An fabas ob easdem, quas Pythagorici, caussas abominati sunt?)* Varias Pythagorici hujus instituti caussas veteres prodidere. Plerique existimant interdictum Pythagoræis, ne faba vescerentur, quia inflationes magnas concitare, tranquillitatem mentis turbare sensusque hebetare credebatur. Unde forsan natæ apud Belgas nostros proverbiales illæ loquendi rationes, *Hy it in de boonen, De boonen bloeyen*: quibus utimur cum homines insipidos, & turbatæ rationis denotamus. At vero Aristotenes apud Gellium lib. IV. cap. XI. disertim testatur, nullo legumine sæpius usum Pythagoram, quam fabis. Quamobrem facile crediderim non tam abstinentiam ab esu fabarum, quam aliud quid, symbolica loquendi ratione, eum voluisse denotare. *Boxhorn.*

2 *Lathyrum & erebinthum abominatus est, quia Lathæ & Erebo, hoc est, letho & orco eorum nomina affinia sunt.)* Admodum superstitiosi in nominibus erant antiqui. Vocabula quæ res infaustas & ingratas designabant, aut non efferebant, aut si efferre cogerentur, averruncandi formulam adhibebant, aut vitandæ δυσφημίας ἕνεκα aliis lenioribus verbis utebantur. Ut *abire* pro *mori*, *abitionem* pro *morte* dixerunt. Superstitio tamen hæc in nominibus propriis quam maxime viguit. Ornati nominibus, quæ fausti quid significabant, primo loco habiti, ut eorum omen in cæteros derivarent; quemadmodum in delectu militum, & censu publico ante omnes *Valerius*, *Salvius*, *Statorius* nominabantur. Ut docet Festus in *Lacus Lucrinus*. Pro infaustis habebantur, quæ aut mali quid denotabant, ut *Curtius*, *Egesta*, *Epidamnus*, aliaque infinita, aut quæ fuerant eorum, qui maximis adversus Rempub. sceleribus illigati miserandum vitæ & fortunarum exitum acceperat. Cujus rei varia exempla sunt in historia Romana. *Idem.*

3 *Cur Vestales virgines, si pudicitiam perdiderunt, non alio afficiunt supplicio, quam quod vivas defodiunt?)* Haud dubie vivæ sepultæ sunt, ne quis cæde summis relligionibus consecrati corporis pollueret suas manus: defossæ sunt, quia alias earum cadavera debuissent cremari. Nefas autem videbatur igne abuti ad comburendum ejus corpus, quæ perpetuo igni custodiendo fuerat admota. *Idem.*

4 *Dexter equus victor Marti immolabatur.)* Equus hic October dictus. De quo & toto hoc ritu plura qui volet, Festum consulat. Credibile autem est hic falli Plutarchum, dum Idibus Decembribus non Octobribus immolari solitum equum illum tradit. *Idem.*

σιμον τὸ ἔργον ἐςὶ, καὶ νικῶσιν οἱ μένοντες ἐν τάξει τοὺς μὴ μένοντας ἀλλὰ φεύγοντας, καὶ κολάζεται τὸ τάχος ὡς δειλίας ἐφόδιον. καὶ μανθάνουσι συμβολικῶς ὅτι σωτήριον οὐκ ἔςι τοῖς φεύγουσι.

Διὰ τί οἱ τιμηταὶ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντες, οὐδὲν ἄλλο πράττουσι πρῶτον, ἢ τὴν τροφὴν ἀπομισθοῦσι τῶν ἱερῶν χηνῶν, καὶ τὴν γάνωσιν τοῦ ἀγάλματος; πότερον ἀπὸ τῶν εὐτελεςάτων ἀρχόμενοι, καὶ μὴ πολλῆς δεομένων δαπάνης μηδὲ πραγματείας; ἤ, παλαιά τις αὕτη χάρις ἀπομνημονεύεται τοῖς ζώοις ἀπὸ τῶν Κελτικῶν, ὅτι τοὺς βαρβάρους ὑπερβαίνοντας ἤδη τὸ περιτείχισμα τοῦ Καπετωλίου νύκτωρ οἱ χῆνες ᾔσθοντο, τῶν κυνῶν καθευδόντων, καὶ βοῇ τοὺς φύλακας ἐπήγειραν; ἢ φύλακες ὄντες οἱ τιμηταὶ τῶν μεγίςων καὶ προσηκόντων, ἐπισκοπεῖν καὶ πολυπραγμονεῖν αὐτοῖς ἱερὰ καὶ δημόσια καὶ βίους καὶ ἤθη καὶ διαίτας, τὸ φυλακτικώτατον ζῶον εὐθὺς ἐν λόγῳ τίθενται, καὶ ἅμα τῇ τούτων ἐπιμελείᾳ προτρέπονται τοὺς πολίτας μὴ ἀμελεῖν, μηδὲ ῥαθυμεῖν τῶν ἱερῶν; ἡ δὲ γάνωσις τοῦ ἀγάλματος ἀναγκαία· ταχὺ γὰρ ἐξανθεῖ τὸ μίλτινον, ᾧ τὰ παλαιὰ τῶν ἀγαλμάτων ἔχρωζον. Διὰ τί τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν καταδικασθέντα καὶ φυγόντα παύοντες, ἕτερον αἱροῦνται, τοῦ δὲ αὔγουρος, ἕως ζῇ, κἂν ἐπὶ τοῖς μεγίςοις ἀδικήματι καταγνῶσιν, οὐκ ἀφαιροῦνται τὴν ἱερωσύνην; (αὔγουρας δὲ τοὺς ἐπὶ τῶν οἰωνῶν καλοῦσι) πότερον, ὡς ἔνιοι λέγουσι, βούλονται μηδένα τὰ τῶν ἱερῶν ἀπόρρητα γινώσκειν, ὃς οὐκ ἔςιν ἱερεύς; ἢ κατειλημμένον ὅρκοις τὸν αὔγουρα μηδενὶ φράσειν τὰ τῶν ἱερῶν, ἀπολῦσαι τῶν ὅρκων οὐ θέλουσιν ἰδιώτην γινόμενον, ἢ τιμῆς οὐκ ἔςιν, οὐδὲ ἀρχῆς, ἀλλὰ ἐπιςήμης ὄνομα καὶ τέχνης, ὁ αὔγουρ; ὅμοιον οὖν τῷ τὸν μουσικὸν ἀποψηφίσασθαι μουσικὸν μὴ εἶναι. καὶ τὸν ἰατρὸν, ἰατρὸν, τὸ κωλύειν μάντιν εἶναι τὸν μάντιν, ἀφελέσθαι μὴ δυναμένους τὴν δύναμιν αὐτοῦ, κἂν ἀφέλωνται τὴν προσηγορίαν. ἄλλον δὲ οὐ καθιςᾶσιν, εἰκότως τὸν ἐξ ἀρχῆς ἀριθμὸν τῶν αὐγούρων φυλάττοντες.

Διὰ τί ταῖς Αὐγούςαις εἰδοῖς, Σεξτιλίαις δὲ πρότερον λεγομέναις, ἑορτάζουσιν αἵ τε δοῦλαι καὶ οἱ δοῦλοι πάντες. αἱ δὲ γυναῖκες μάλιςα ῥύπτεσθαι τὰς κεφαλὰς καὶ καθαίρειν ἐπιτηδεύουσιν; ἢ διὰ τὸν Σερούιον τὸν βασιλέα κατὰ ταύτην τὴν ἡμέραν ἐξ αἰχμαλώτου γενέσθαι θεραπαινίδος, ἄδειαν ἔργων ἔχουσιν οἱ θεράποντες; τὸ δὲ πλύνειν τὰς κεφαλὰς; ἀρξάμενον ἀπὸ τῶν θεραπαινίδων διὰ τὴν ἑορτὴν, ἄχρι τῶν ἐλευθέρων προῆλθεν.

Διὰ τί κοσμοῦσι τοὺς παῖδας τοῖς περιδεραίοις ἃ βούλλας καλοῦσι; πότερον ἐπὶ τιμῇ τῶν ἡρπασμένων γυναικῶν, ὥσπερ ἄλλα πολλὰ, καὶ τοῦτο ἐψηφίσαντο τοῖς ἐξ αὐτῶν γενομένοις ὑπάρχειν; ἢ τὴν Ταρκυνίου τιμῶντες ἀνδραγαθίαν; λέγεται γὰρ ἔτι παῖς ὢν ἐν τῇ μάχῃ τῇ πρὸς Λατίνους ἅμα καὶ Τυῤῥηνοὺς, ἐμβαλεῖν εἰς τοὺς πολεμίους, ἀποῤῥυεὶς δὲ τοῦ ἵππου, καὶ τοὺς ἐπιφερομένους ἰταμῶς ὑποςὰς, ἐπιῤῥῶσαι τοὺς Ῥωμαίους. γενομένης δὲ λαμπρᾶς τροπῆς τῶν πολεμίων, καὶ μυρίων ἑξακισχιλίων ἀναιρεθέντων, τοῦτο λαβεῖν ἀριςεῖον παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ βασιλέως. ἢ τοῖς παλαιοῖς οἰκετῶν μὲν ἐρᾶν ὥραν ἐχόντων, οὐκ ἦν ἄδοξον οὐδὲ αἰσχρὸν, (ὡς ἔτι νῦν αἱ κωμῳδίαι μαρτυ-

A do suos ordines qui servant de fugientibus reportare: itaque puniri celeritatem ut fugæ commeatum, monerique isto argumento cives, fugientibus nullam esse salutis fiduciam?

XCVII. Cur censores ubi magistratum acceperunt, nihil prius habent locatione alimentorum pro sacris anseribus, & simulacri exornatione? An quia volunt ab iis ordiri, quæ sumptuum & occupationis minimum desiderant? Aut pro veteri beneficio animalibus hæc refertur gratia, quod Gallos Roma capta jam muros Capitolii superantes canibus dormientibus senserunt anseres, vigilesque suo clangore excitaverunt? Aut censores, cum rerum maximarum custodia ipsis demandata, officiique ipsorum esset accurate observare & inspicere
B in sacra, res publicas, vitas, mores, rationemque victus: initio statim vigilantissimum animal procurant, eaque industria cives hortantur, ut sacrorum curam diligentem gerant? Simulacri autem illustratio necessaria est. minium enim, quo antiqua simulachra inducebant, colorem habet facile evanescentem. Quid causæ est, quod cum alios sacerdotes in locum damnatorum atque solum vertere jussorum sacerdotioque privatorum sacerdotum sufficiant: soli auguri, etiamsi summorum flagitiorum compertus habeatur, non abrogant sacerdotium, quamdiu vivit? [1] An quod sacrorum arcana a quoquam qui sacerdos non sit cognosci nolunt? Aut quia jurisjurandi, quo sanxit se ne-
C mini disciplinam istam traditurum, eum abrogata dignitate factum privatum solvere nolunt religione? Aut non magistratus vel dignitatis, sed scientiæ artisque nomen est augur? ut qui vatem ne vates sit prohibere conetur, perinde agat, ac si musico ne musicus, aut medico ne medicus sit, velit edicere: cum ut maxime titulum deroget, scientiam tamen adimere non possit. Alium porro non creant, quod numerum augurum ab initio constitutum retinere volunt.

XCVIII. Cur Idibus Sextil. qui nunc Augustus dicitur, feriæ sunt utriusque sexus servis, malieres autem tum maxime lavare & purgare capita stu-
D dent? An hoc servis datum, quod ea die Servius rex natus e captiva fuit ancilla? lotio autem capitis ab ancillis feriarum causa cœpta, etiam ad liberas pervasit?

XCIX. Quare pueros bullis ornant? An in honorem raptarum id quoque, ut multa alia, decretum earum natis est? Aut Tarquinii virtutem hoc modo venerantur? Is enim etiamnum puer in pugna adversus Lationos simul Etruscosque commissa, fertur in hostes impetum dedisse, delapsusque de equo irruentes audacter substitisse, Romanorumque animos auxisse: fusisque magno prælio hostibus, quorum interfecti sunt sedecim millia, a rege patre suo virtutis ac rei optime gestæ illud præmium accepisse. An quia antiquis formosos servos amare inhonestum non erat, (quod etiamnum comœdiæ testatum faciunt) ab ingenuis autem maxi-

---

1 *An quod sacrorum arcana a quoquam, qui sacerdos non sit, cognosci nolint?)* Recte arcana vocat. Talia enim reapse fuerunt. Arcana dico imperii, quæ simulachra rerum appellavit Tacitus. Quotiens augures, aruspices aliique sacerdotes de publicis negotiis consulti, non alia de caussa id factum, quam ut auctoritate relligionis occupatus populus tanto facilius jussa Magistratuum amplecteretur. Interfuit igitur Reipublicæ sacerdotium auguri, quamdiu viveret, non abrogari. Arcana enim diutius non sunt postquam illis innotuere, quorum caussa sunt instituta. Metuebatur vero ne exauctoratus augur præ indignatione animi populo ea propalaret. Nunquam injuria illi inferri debet, qui majorem nobis potest intentare. Et semper credendum est illi, cui semel credidisti, quod propalari non debet. *Boxborn.*

ρουσιν) ἐλευθέρων δὲ παίδων ἰσχυρῶς ἀπείχοντο, καὶ ὅπως μηδὲ γυμνοῖς ἐντυχόντες ἀμφιγνοήσειαν, ἐφόρουν οἱ παῖδες τὸ παράσημον, ἢ καὶ πρὸς εὐταξίαν ἐστὶ φυλακτήριον τοῦτο, καὶ τρόπον τινὰ τοῦ ἀκολάστου χαλινὸς, αἰσχυνομένων ἀνδροῦσθαι πρὶν ἢ τὸ παιδικὸν ἀποθέσθαι παράσημον; ὃ μὲν γὰρ οἱ περὶ Βάῤῥωνα λέγουσιν, οὐ πιθανόν ἐστι, τῆς βουλῆς ὑπὸ Αἰολέων βόλλας προσαγορευομένης, τοῦτο σύμβολον εὐβουλίας περιτίθεσθαι τοὺς παῖδας. ἀλλὰ ὅρα μὴ καὶ τοῦτο διὰ τὴν σελήνην φοροῦσι. τὸ γὰρ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης ὅταν ᾖ διχόμηνος, οὐ σφαιροειδὲς, ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές. ὡς δὲ Ἐμπεδοκλῆς οἴεται, καὶ τὸ ὑποκείμενον.

Διὰ τί τῶν μὲν παίδων τοῖς μὲν ἄῤῥεσιν ἐνναταίοις, τοῖς δὲ θήλεσιν ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται; ἢ τὸ μὲν προτέροις τοῖς θήλεσιν, αἰτίαν ἔχει τὴν φύσιν; καὶ γὰρ αὔξεται τὸ θῆλυ, καὶ ἀκμάζει καὶ τελειοῦται πρότερον τοῦ ἄῤῥενος. τῶν δὲ ἡμερῶν τὰς μετὰ τὴν ἑβδόμην λαμβάνουσιν. ἡ γὰρ ἑβδόμη, σφαλερὰ τοῖς νεογνοῖς πρός τε τὰ ἄλλα καὶ τὸν ὀμφαλόν. ἑβδομαῖος γὰρ ἀπολύεται τοῖς πλείστοις. ἕως δὲ ἀπολυθῇ, φυτῷ μᾶλλον ἢ ζώῳ προσέοικε τὸ νήπιον. ἢ, καθάπερ οἱ Πυθαγορικοὶ τοῦ ἀριθμοῦ τὸ μὲν ἄρτιον, θῆλυν, ἄῤῥενα δὲ τὸν περιττὸν ἐνόμιζον; γόνιμος γάρ ἐστι καὶ κρατεῖ τοῦ ἀρτίου συντιθέμενος. καὶ διαιρουμένων εἰς τὰς μονάδας, ὁ μὲν ἄρτιος καθάπερ τὸ θῆλυ, χώραν μεταξὺ κενὴν ἐνδίδωσι. τοῦ δὲ περιττοῦ μόριον ἀεί τι πλῆρες ὑπολείπεται, διὸ τὸν μὲν ἄῤῥενι, τὸν δὲ θήλει πρόσφορον νομίζουσιν. ἢ ὅτι τῶν ἀριθμῶν ἁπάντων, τὰ μὲν ἐννέα, πρῶτός ἐστι τετράγωνος, ἀπὸ περιττοῦ καὶ τελείου τῆς τριάδος. τὰ δὲ ὀκτὼ, πρῶτος κύβος ἀπὸ ἀρτίου τῆς δυάδος; δεῖ δὲ τὸν μὲν, τετράγωνον εἶναι καὶ περιττὸν καὶ τέλειον, τὴν δὲ γυναῖκα, καθάπερ τὸν κύβον, ἑδραῖον καὶ οἰκουρὸν καὶ δυσμετακίνητον. τοῦτο δὲ προσληπτέον, ὅτι τὰ μὲν ὀκτὼ κύβος ἐστὶν ἀπὸ δυάδος, τὰ δὲ ἐννέα, τετράγωνος ἀπὸ τριάδος. χρῶνται δὲ δυσὶ μὲν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄῤῥενες.

A mopere abstinebant: ideoque ut ne nudis quidem incidentes errarent, id insigne liberi gestabant? An ad ordinis hoc quoque signum rationem commodam pertinebat, tanquam frænum immodestiæ injectum, cum puderet in viros evadere priusquam pueritiæ signum deposuissent? Probabile enim non est quod Varro tradit, quia consilium (Græcis hoc bule est) Æolice bolla dicatur, hoc pueris signum probi consilii fuisse additum. Sed vide an non bullam quoque propter Lunam gestent? Lunæ enim figura, cum dimidiato fulget orbe, non est globi similis, sed lentis aut disci formam præ se fert. utque B opinatur Empedocles, etiam subjecta ei materia.

C. [1] Cur pueris nono, puellis octavo die nomen imponitur? An causa est naturalis, quod prius puellis? femina enim citius augetur, ad vigorem pervenit atque absolvitur quam mas. Dies porro post septimam sumunt. Septima enim periculosa est infantibus, cum alias, tum quod ea die umbilicus decidit plerisque quod antequam fit, plantæ quam animali similior est infans. Aut maribus & feminis hunc dierum numerum censuerunt congruere, Pythagoricos secuti? Hi enim marem imparem numerum vocant, parem feminam. Impar enim fœcundus est, & in compositione C præstai pari: divisisque in unitates ambobus, par instat feminæ vacuum in medio relinquit spacium, impar semper medium habet plenum. [2] Aut quia omnium numerorum novenarius primus est quadratus, natus ex ternario qui est impar & perfectus: octo autem primus est cubus natus e binario pari? oportet autem marem quadratum esse, & agilem, & perfectum: feminam cubi instar stabilem, domi affixam, & non facile mobilem. Hoc addendum. Sicut novem quadratus est ternarii, octo cubus binarii: ita mares tribus, femina duobus uti nominibus.

---

1 *Cur pueris nono, puellis octavo die nomen imponitur?*) Dies hi lustrici *Nominalia*, Ονομαστήρια dicebantur, de quorum ritibus & sollennitatibus multa erudite observavit magnum harum litterarum decus Isaacus Casaubonus, *commentario ad Satyram* II. *Persii*. Ubi simul ex beato Chrysostomo notat, moris fuisse apud nonnullos, qui pro Christianis haberi volebant, ut infanti nomen imposituri, lumina multa accenderent, suum quique nomen assignantes: puta uni lumini Zosimi appellationem indebant, alteri Stephani, tertio Procopii, & ita in cæteris; atque ejus demum, quod cæteris exstinctis supervixerat, nomen amplectebantur, & puero imponebant; quæ superstitio ex ominum ratione originem haud dubie accepit. *Boxhorn.*

2 *Aut quia omnium numerorum novenarius primus est quadratus, octonarius autem primus est cubus.*) Id facile cuivis subjecta schemata persuadebunt. In novenario quadratura est, quia ex tribus ternariis constituitur, hoc modo:

1 2 3
4 5 6
7 8 9

Octonarius cubi formam repræsentat, quia ex quatuor binariis consistit, hoc modo:

1 2
3 4
5 6
7 8

Ridicula autem ratio est, quam ex numeris hic sibi fingit Plutarchus, dum inquit nono die pueris nomen imponi, quia quadratum, hoc est, perfectum esse marem oportet, octavo autem die puellis, quia fœminæ cubi instar stabiles & affixæ domui esse debent. Quippe in octonario duplex est quadratura, si sic constituas:

1 2
3 4
———
5 6
7 8

Cur igitur non denotatur duplo perfectiorem viro fœminam esse oportere? Incredibile dictu est, ad quantas ineptias in observatione numerorum posteriores Pythagoræi sint delapsi. *Idem.*

Διὰ τί τοὺς ἀπάτορας, σποερίους υἱοὺς καλοῦσιν; οὐ γὰρ, ὡς Ἕλληνες νομίζουσι, καὶ λέγουσιν οἱ ῥήτορες ἐν ταῖς δίκαις, συμφορητοῦ τινος καὶ κοινοῦ σπέρματος γεγόνασιν, ἀλλὰ ἐστὶν ὁ Σπόεριος τῶν πρώτων ὀνομάτων, ὡς ὁ Σέξστος καὶ ὁ Δέκιμος καὶ ὁ Γάϊος. τὰ δὲ πρῶτα τῶν ὀνομάτων οὐχ ὁλογραφοῦσιν, ἀλλ' ἢ δι' ἑνὸς γράμματος, ὡς τὸν Τῖτον καὶ τὸν Λούκιον καὶ τὸν Μάρκον. ἢ διὰ δυοῖν, ὡς τὸν Τιβέριον καὶ τὸν Κνέον. ἢ διὰ τριῶν, ὡς τὸν Σέξστον καὶ τὸν Σερούιον. ἔστιν οὖν καὶ ὁ Σπόεριος τῶν διὰ δυοῖν γραφομένων. τοῦ Σ καὶ τοῦ Π. γράφουσι δὲ διὰ τούτων καὶ τοὺς ἀπάτορας, σίνε πάτρις οἷον ἄνευ πατρός. τῷ μὲν σίγμα τὸ σίνε, τῷ δὲ Π τὸ πάτρις σημαίνοντες. τοῦτο οὖν τὴν πλάνην ἐποίησε, τὸ διὰ τῶν αὐτῶν γραμμάτων τὸ Σίνε πάτρις καὶ τὸν Σπόεριον γράφεσθαι. λεκτέον δὲ καὶ τὸν ἕτερον λόγον. ἔστι δὲ ἀτοπώτερος. τοὺς γὰρ Σαβίνους φασὶ τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ὀνομάζειν σπόριον. εἶτα οἷον ἐφυβρίζοντας οὕτω προσαγορεύειν τὸν ἐκ γυναικὸς ἀγάμου καὶ ἀνεγγύου γεγεννημένον.

Διὰ τί τὸν Διόνυσον Λίβερουμ πάτρεμ καλοῦσι, πότερον ὡς ἐλευθερίας πατέρα τοῖς πιοῦσι γενόμενον; γίνονται γὰρ οἱ πολλοὶ θρασεῖς καὶ παρρησίας ὑποπιμπλῶνται περὶ τὰς μέθας, ἢ ὅτι τὴν λοιβὴν παρέσχεν; ἢ (ὡς Ἀλέξανδρός φησιν) ἀπὸ τῶν περὶ Ἐλευθέρας τῆς Βοιωτίας, Ἐλευθερέως Διονύσου προσαγορευομένου.

Διὰ τίνα αἰτίαν ἐν ταῖς δημοσίαις ἑορταῖς ἔθος οὐκ ἔστι γαμεῖσθαι παρθένους, αἱ δὲ χῆραι γαμοῦνται; πότερον (ὡς ὁ Βάρρων εἴρηκεν) ὅτι λυπούμεναι μὲν αἱ παρθένοι γαμοῦνται, χαίρουσαι δὲ αἱ γυναῖκες. ἑορτῇ δὲ μηδὲν λυπουμένους ποιεῖν, μηδὲ πρὸς ἀνάγκην; ἢ μᾶλλον ὅτι ταῖς μὲν παρθένοις, καλὸν μὴ ὀλίγων, ταῖς δὲ χήραις αἰσχρὸν πολλῶν ὄντων γαμεῖσθαι; ζηλωτὸς γὰρ ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος ἀπευκταῖος. αἰσχύνονται γὰρ ἂν ζώντων τῶν προτέρων ἑτέρους λαμβάνωσιν, ὀδύρονται δὲ ἂν ἀποθανόντων. ὅθεν ἡσυχίᾳ χαίρουσι μᾶλλον ἢ θορύβοις καὶ προπομπαῖς. αἱ δὲ ἑορταὶ περισπῶσι τοὺς πολλούς, ὥστε τοῖς τοιούτοις μὴ σχολάζειν. ἢ, ὅτι καὶ τὰς Σαβίνων θυγατέρας ἁρπάσαντες ἐν ἑορτῇ παρθένους οὔσας, εἰς πόλεμον κατέστησαν, ἐξοιωνίσαντο γαμεῖν παρθένους ἐν ἱεραῖς ἡμέραις.

Διὰ τί Ῥωμαῖοι τύχην σέβονται πριμιγένειαν, ἣν ἄν τις εἴποι πρωτογένειαν; ἆρα ὅτι Σερβίῳ κατὰ τύχην (ὥς φασιν) ἐκ θεραπαινίδος γενομένῳ, βασιλεῦσαι τῆς Ῥώμης ἐπιφανῶς ὑπῆρξεν; οὕτω γὰρ οἱ πολλοὶ Ῥωμαῖοι ὑπειλήφασιν. ἢ μᾶλλον ὅτι τῆς Ῥώμης ἡ τύχη παρέσχε τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν γένεσιν; ἢ φυσικώτερον ἔχει λόγον τὸ πρᾶγμα καὶ φιλοσοφώτερον, ὡς τὴν τύχην πάντων οὖσαν ἀρχὴν, καὶ τὴν φύσιν ἐκ τοῦ κατὰ τύχην συνισταμένην, ὅταν τισὶν ὡς ἔτυχεν ὑποκειμένοις τάξις ἐγγένηται;

Διὰ τί τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας, ἱστρίωνας Ῥωμαῖοι καλοῦσιν; ἢ δι' ἣν αἰτίαν Κλούβιος Ῥοῦφος ἱστόρηκεν; φησὶ γὰρ ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς χρόνοις Γαΐου τε Σουλπικίου καὶ Λικινίου Στόλωνος ὑπατευόντων, λοιμώδη νόσον ἐν Ῥώμῃ γενομένην, πάντας ὁμαλῶς διαφθεῖραι τοὺς ἐπὶ σκηνὴν προερχομένους. δεηθεῖσιν οὖν αὐτοῖς ἐκ Τυρρηνίας ἐλθεῖν πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς τεχνίτας, ὧν τὸν πρωτεύοντα δόξῃ καὶ χρόνῳ πλεῖστον ἐνευημεροῦντα τοῖς θεάτροις, Ἵστρον ὀνομάζεσθαι. καὶ διὰ τοῦτο πάντας, ἱστρίωνας ἀπ' ἐκείνου προσαγορεύεσθαι.

Διὰ τί δὲ τὰς ἐγγὺς γένους οὐ γαμοῦσιν; πότερον αὔξειν τοῖς γάμοις βουλόμενοι τὰς οἰκειότητας, καὶ συγ-

A CI. Cur eos, qui patrem certum non habent, spurios appellant? Est quidem Græcis sporos semen. sed tamen verum non est quod iidem putant, & rhetores in orandis causis afferunt, sic dictos quod promiscuo semine sint nati. Sed Spurius prænomen est, ut Sextus, Decimus, Cajus. Porro non integra scribunt Romani prænomina, sed aut unica littera notant, ut Titum, Lucium, Marcum, sic, T. L. M. aut duabus, [1] ut Tiberium, Cneum, sic, Ti. Cn. aut tribus, ut Sextum, Servium, sic, Sex. Ser. Spurius quoque duabus litteris indicatur, Sp. Iisdem litteris etiam nothos significant S. P. nimirum sine Patre. quæ res errori ansam præbuit, cum Spurius & incerto patre natus iisdem elemen-
B tis notarentur, ut hi quoque spurii usurparentur. Est & alia, verum absurdior ratio. Ajunt a Sabinis pudenda mulieris spurium nominari: itaque sic ignominiose appellari qui ex non nupta muliere natus esset.

CII. Cur Baccho Liberi Patris nomen imposuerunt? An quod bibentibus libertatem ingenerat? Plerique enim per ebrietatem feroces, liberique nimium sunt. Aut quia liba exhibuit? Aut, ut Alexander tradit, ab eo, quod Bacchus apud Eleutheras Bœotiæ urbem Eleutherius, id est, liber, dictus fuit?

CIII. Cur publicis feriis mos non est nubere virgines, nubunt tamen viduæ? An causa est, quam adfert Varro? Virgines nubere invitas &
C tristes, mulieres autem cum lætitia: festo autem die nihil cum molestia, omnia lubenti animo sunt agenda. Aut quia decori est virginibus nuptias earum multis præsentibus peragi, idemque viduis dedecori? primæ enim nuptiæ optandæ sunt & in precio: secundæ votis recusandæ, quod vel cum turpitudine nubunt vivente priore marito, vel cum luctu, si is sit mortuus. itaque viduæ ad suas nuptias quiete magis gaudent quam frequentia hominum & tumultu. festivitates porro multitudinem ad se trahunt, neque nuptiis vacare patiuntur. Aut quia festo die raptis Sabinis virginibus bellum est exortum, religio ipsis inde fuit virginum nuptias festis diebus celebra-
D re?

CIV. Cur Fortunam Primigeniam Romani venerantur? An, quæ multorum est Romanorum opinio, Ser. Tullo ex ancilla, ut fertur, nato Romæ regnum Fortunæ beneficio obtigit? Aut potius quod ipsi Romæ sui ortus initia suggessit Fortuna? Aut causam res habet magis ad naturalium rerum contemplationem referenda? nimirum omnium rerum principium esse fortunam, & naturam ex eventis fortuitis constitui, quando fortuita eventa ordinem inter se sortiuntur.

CV. Cur scenici artifices Baccho sacri, histriones dicuntur? An veram causam Cluvius Rufus profert? Is narrat priscis temporibus C. Sulpicio & Licinio Stolone Coss. pestem Romæ grassatam omnes ad unum scenæ administros extinxisse. itaque alios requirentibus advenisse ex Etruria multos bonosque ejus rei artifices: inter quos gloria & usu artificii longissimo præstantem reliquis fuisse Histrum nomine: ab eo cæteris quoque histrionum nomen factum.

CVI. Cur cognatas non ducunt uxores? An ut conjugiis augeant necessitudines, multosque sibi parent cognatos aliis dando, ab aliis accipiendo mu-

1 *Ut Tiberium.*) ὡς τὸν Βέῤῥιον. atqui nemo, puto, prænomen Verrii unquam legit: neque si esset, duabus litteris scriberetur, opinor. Interpres totum omisit. Ego pro Βέῤῥιον, reponerem Τιβέριον. hoc enim prænomen ne cum Titio confunderetur, duabus litteris TI. scribi observatum est. Quæstione proxima, περὶ Ἐλευθέρας τῆς Βοιωτίας. Interpres monstrose, quod pro Bœotiæ libertate pugnavit. Vide Strabonem lib. nono, ubi Platæas describit: & Stephanum περὶ πόλεων. Vide & Quæstione Græca XXXIX. Quæstione CXI. *Xyland.*

γενεῖς πολλοὺς ἐπικτᾶσθαι, διδόντες ἑτέροις καὶ λαμβάνοντες παρ' ἑτέρων γυναῖκας; ἢ φοβούμενοι τὰς ἐν τοῖς γάμοις τῶν συγγενῶν διαφορὰς, ὡς τὰ φύσει δίκαια προσαπολλυούσας; ἢ πολλῶν βοηθῶν τὰς γυναῖκας ὁρῶντες δι' ἀσθένειαν δεομένας, οὐκ ἐβούλοντο τὰς ἐγγὺς γένους συνοικίζειν, ὅπως ἂν οἱ ἄνδρες ἀδικῶσιν αὐτὰς, οἱ συγγενεῖς βοηθῶσιν.

Διὰ τί τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς, ὃν φλάμινα Διάλιν καλοῦσιν, οὐκ ἐξῆν ἀλεύρου θίγειν οὐδὲ ζύμης; ἢ τὸ μὲν ἄλευρον ἀτελὴς τροφὴ καὶ ἄπεπτός ἐστι; οὔτε γὰρ ὃ ἦν μεμένηκεν ὁ πυρὸς, οὔτε ὃ δεῖ γενέσθαι γέγονεν ὁ ἄρτος, ἀλλὰ καὶ τὴν σπέρματος δύναμιν ἀπολώλεκεν ἅμα, καὶ τὴν σιτίου χρείαν οὐκ ἔσχηκε. διὸ καὶ μυληφάτον ὁ ποιητὴς ἄλφιτον ἐκ μεταφορᾶς ὠνόμακεν ὥσπερ B φονευόμενον ἐν τῷ ἀλέτῳ καὶ φθειρόμενον· ἡ δὲ ζύμη καὶ γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὴ, καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη. γίνεται γὰρ ἄτονον καὶ ἀδρανὲς, καὶ ὅλως ἔοικε σῆψις ἡ ζύμωσις εἶναι. πλεονάσασα γοῦν ἀποξύνει παντάπασι καὶ φθείρει τὸ ἄλευρον.

Διὰ τί καὶ σαρκὸς ὠμῆς ἀπείρηται τῷ ἱερεῖ ψαύειν; πότερο. ὠμοφαγίας πάνυ πόῤῥωθεν ἀποτρέπει τὸ ἔθος; ἢ, δι' ἣν τὸ ἄλευρον αἰτίαν ἀφοσιοῦται, καὶ τὸ κρέας; οὔτε γὰρ ἐστὶ ζῶον, οὔτε ὄψον ἤδη γέγονεν. ἡ γὰρ ἕψησις καὶ ὄπτησις, ἀλλοίωσις οὖσα καὶ μετακόσμησις, ἐξίστησι τὴν μορφήν. τὸ δὲ πρόσφατον καὶ ὠμὸν, οὐδὲ τὴν ὄψιν ἔχει καθαρὰν καὶ ἀμίαντον, ἀλλὰ εἰδεχθῆ καὶ ἑλκώδη.

Διὰ τί δὲ κυνὸς καὶ αἰγὸς ἐκέλευον ἀπέχεσθαι τὸν C ἱερέα, μήτε ἁπτόμενον μήτε ὀνομάζοντα; πότερον τῆς μὲν αἰγὸς βδελυττόμενοι τὸ ἀκόλαστον καὶ δυσῶδες, ἢ φοβούμενοι τὸ νοσηματικόν; δοκεῖ γὰρ ἐπιληψίᾳ καταλαμβάνεσθαι μάλιστα τῶν ζώων, καὶ προσαναχρώννυσθαι τοῖς φαγοῦσιν, ἢ θίγουσιν ὑπὸ τοῦ πάθους ἐχομένης. αἰτίαν δὲ λέγουσι τὴν στενότητα τῶν πνευματικῶν πόρων πολλάκις ἐπιλαμβανομένην, τεκμαιρόμενοι τῇ λεπτότητι τῆς φωνῆς. καὶ γὰρ ἀνθρώπων ὅσοις ἐπιληπτίζουσι συμβαίνει φθέγγεσθαι, μηκασμῷ παραπλησίαν φωνὴν ἀφιᾶσι. τῷ δὲ κυνὶ τοῦ μὲν ἀκολάστου καὶ δυσώδους ἧττον ἴσως μέτεστι. καίτοι φασὶν ἔνιοι, μήτε τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλεως ἐπιβαίνειν κύνα, μήτε τῆς Δηλίων νήσου, διὰ τὴν ἐμφανῆ μίξιν, ὥσπερ βοῶν καὶ συῶν καὶ ἵππων ἐν θαλάμοις, ἀλλ' οὐκ ἐμφα- D νῶς καὶ ἀνέδην ὀχευόντων. τὴν γὰρ ἀληθινὴν αἰτίαν ἀγνοοῦσιν, ὅτι μάχιμον ὄντα τὸν κύνα, τῶν ἀσύλων καὶ ἁγίων ἐξείργουσιν ἱερῶν, ἀσφαλῆ καταφυγὴν τοῖς ἱκέταις διδόντες. εἰκὸς μὲν οὖν ἐστι καὶ τὸν ἱερέα τοῦ Διὸς, ὥσπερ ἔμψυχον καὶ ἱερὸν καὶ ἄγαλμα καταφύξιμον ἀνεῖσθαι τοῖς δεομένοις καὶ ἱκετεύουσι, μηδενὸς ἀπείργοντος μηδὲ ἐκφοβοῦντος. διὸ κλινίδιον μὲν ἦν αὐτοῦ κείμενον ἐν τῷ θυρῶνι τῆς οἰκίας. ὁ δὲ προσπεσὼν τοῖς γόνασι τὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἄδειαν εἶχε πληγῶν καὶ κολάσεως· εἰ δὲ δεσμώτης φθαίη προσελθὼν, ἐλύετο. τοὺς δὲ δεσμοὺς ἐκτὸς οὐ κατὰ θύρας, ἀλλὰ ὑπὸ τοῦ στέγους ἀπεῤῥίπτουν. οὐδὲν οὖν ὄφελος ἦν οὕτως αὐτὸν ἥμερον παρέχειν καὶ φιλάνθρωπον, εἰ κύων προσειστήκει, δεδιττόμενος καὶ ἀπερύκων

res? Aut metuentes sibi a discordiis conjugalibus, quæ exortæ inter cognatos, præter conjugum debitum amorem etiam naturæ jura essent abolituræ? Aut videntes mulieribus ob imbecillitatem opus esse multis defensoribus, noluerunt cognatas ducere, ut ipsis auxilio esse possent si a maritis injuria afficerentur?

CVII. Quamobrem flamini Diali non licebat farinam aut fermentum tangere? An quia farina alimentum est imperfectum & crudum? nam neque mansit triticum id quod erat, neque factum est quod fieri debet, nimirum panis: sed simul & seminis vim amisit, & usum cibi non est assecutum. Itaque poeta farinam mylephaton translatione usus dixit, quasi interfectum & perditum molendo frumentum. Fermentum cum ipsum natum est ex corruptione, tum farinam cui admiscetur, corrumpit, ut languidior fiat & inefficax, omninoque fermentatio putrefactionis speciem gerit; quæ si modum excedat, plane acidam reddit & perdit farinam.

CVIII. Quare eidem interdictum est contactu carnis crudæ? An is mos qui longissime a crudorum esu abducit? Aut eadem quam de farina attulimus causa subest? Caro enim neque animal est, neque cibus adhuc est reddita: assatio & elixatio qualitatibus ejus mutandis formam demum aliam inducunt. recens autem & cruda caro neque adspectum quidem habet purum & labis expertem, sed deformem visuique adversum, & ulcerosum.

CIX. Cur eundem lex jubebat canis & capræ cum tactu, tum nominatione omnino abstinere? An capræ abominabantur lasciviam, fœtoremque? an quod morbo comitiali animal istud obnoxium est, contagionem mali metuebant ad eos perventuram, qui tum vescerentur capra, aut eam tangerent, [1] cum in morbo est? Causam morbi tradunt esse angustiam meatuum per quos spiritus fertur, ob quam is sæpe intercipitur: pro argumento usurpant vocis tenuitatem. nam & homines morbo Herculeo correpti exilem vocem emittunt, balatui adsimilem. Cani fortassis minus adest fœtoris & lasciviæ. quanquam sunt qui canem & arce Athiensi & Delo insula ajunt arceri propter coitum in propatulo: quasi vero boves, sues, & equi non promiscue & palam, sed intra thalamos proli dent operam? Isti veram causam ignorant. Quia canis animal est pugnax, ideo asylis & sacrosanctis prohibetur sacrificiis, in quibus omnis periculi exsors perfugium supplicibus conceditur. Veri ergo simile est Jovis quoque sacerdotem, utpote vivum sacrumque perfugii simulacrum, ad se libere admittere quosvis supplices & deprecantes, nemine arcente aut terrente. Itaque lectulus ei positus erat ad ipsum domus vestibulum: & qui ad genua ejus accidisset, is ea die a verberibus & supplicio immunis erat: ac si vinctus accessisset, solvebatur. Vincula autem foras non per januam, sed [2] de tecto in publicum projiciebantur. Nihil vero supplicibus profuturum erat, si ita benigno & humano se præbente flamine, canis adsistens hanc veniam petitu-

1 *Cum in morbo est?* ) ἐχομένης legendum pro ἐχομένοις sententia docet. *Xyland.*

2 *De tecto* ) ἀπὸ τοῦ στέγους, non ὑπό. quod satis ex Pictoris apud Gellium verbis constat: vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti. Quæstione ex. ἀναδενδρὰς haud dubie significat vitem maritatam vel arboribus, vel etiam tabulatis, quo modo etiam Græci nonnulli interpretantur Grammatici. In *noctibus Atticis* error est loco jam ante citato. *Propagines e vitibus altius subtentis non succidet.* legendum e Plutarcho. *succedet*, neque insolens, præsertim in Fabio tam vetere scriptore, debet videri constructio verbi succedo cum accusativo: cum eam Grammatici doceant a præpositione, quæ hic est sub, proficisci. quemadmodum villam prætereo, non villam eo dicimus: & tecta supervolitare, non volitare. Sic Livius de pugna ad Trebiam: *Simul latebras eorum improvida præterlata est acies.* & Salustius: *Dextra Atherbalem adsedit*, &c. Mox Σάρον μὴ ὑπερβαίνειν. quod ipsum ita planissime legitur VIII. VII. *Symposiacorum* in lib. *de puerorum educatione* est ζυγόν. Sed apparet diversa esse symbola. vox scopas, κόρημα significare fere Grammaticis dicitur. de allegoria hic non disputo. certe Diogenes non habet, & inter ea ipsa omisit, inter quæ Plutarchus loco *Symp.* citato memorat. *Idem.*

1 *Baccha-*

τοὺς προσφυγεῖν δεομένους. οὐ μὴν οὐδὲ καθαρεύειν ᾤοντο παντάπασιν οἱ παλαιοὶ τὸ ζῶον· καὶ ὀλυμπίων μὲν γὰρ οὐδενὶ Θεῶν καθιέρωται, χθονίᾳ δὲ δεῖπνον Εκάτῃ πεμπόμενος εἰς τριόδους, ἀποτροπαίων καὶ καθαρσίων ἐπέχει μοῖραν. ἐν δὲ Λακεδαίμονι τῷ φονικωτάτῳ Θεῶν Ενυαλίῳ σκύλακας ἐντέμνουσι. Βοιωτοῖς δὲ δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι, κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν. αὐτοὶ δὲ Ρωμαῖοι τοῖς Λυκαίοις, (ἃ Λουπερκάλια καλοῦσιν) ἐν τῷ καθαρσίῳ μηνὶ κύνα θύουσιν. ὅθεν οὐκ ἀπὸ τρόπου τοῖς τὸν ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον εἰληφόσι θεραπεύειν Θεὸν ἀπειρῆσθαι κύνα ποιεῖσθαι συνήθη καὶ σύνοικον.

Διὰ τίνα δὲ αἰτίαν οὐδὲ κιττοῦ θίγειν ἐφίετο τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς, οὐδὲ ὁδὸν διελθεῖν ἀναδενδράδος ἄνωθεν διαπεπταμένης; ἢ τοῦτο μὲν ὅμοιόν ἐστι τῷ μὴ ἐσθίειν ἀπὸ δίφρου, μηδὲ ἐπὶ χοίνικος καθῆσθαι, μηδὲ σάρον ὑπερβαίνειν; οὐ ταῦτα τῶν Πυθαγορικῶν δεδιότων καὶ φυλαττομένων, ἀλλὰ ἕτερα τούτοις ἀπαγορευόντων; καὶ γὰρ τὸ ὑπὸ ἄμπελον ὑποπορεύεσθαι, τὴν ἀναφορὰν ἐπὶ τὸν οἶνον εἶχεν, ὡς οὐ θεμιτὸν τῷ ἱερεῖ μεθύσκεσθαι. τῶν γὰρ μεθυσκομένων ὑπὲρ κεφαλῆς ὁ οἶνός ἐστι, καὶ πιέζουνται καὶ ταπεινοῦνται, δέον ὑπερτέρους εἶναι καὶ κρατεῖν ἀεὶ τῆς ἡδονῆς ταύτης, ἀλλὰ μὴ κρατεῖσθαι. τὸν δὲ κιττὸν πότερον ὡς ἄκαρπον καὶ ἄχρηστον ἀνθρώποις, ἀδρανῆ δὲ καὶ δι' ἀσθένειαν, ἑτέρων ὀχούντων δεόμενον, σκιᾷ δὲ καὶ χλωρότητος ὄψει γοητεύοντα τοὺς πολλοὺς, οὐκ ᾤοντο δεῖν ἀσύμβολον ἐν ταῖς οἰκίαις μάτην ἐντρέφεσθαι καὶ περιπλέκεσθαι, βλαβερὸν ὄντα τοῖς προσδεχομένοις φυτοῖς, τῆς γῆς ἐχόμενον. διὸ τῶν μὲν ὀλυμπίων ἱερῶν εἴργεται, καὶ οὔτε ἐν Ηρας Αθήνησιν, οὔτε Θήβησιν ἐν Αφροδίτης, ἴδοι τις ἂν κιττὸν ἄγριον, ἴοις δὲ καὶ νυκτελίοις, ὧν τὰ πολλὰ διὰ σκότους δρᾶται, πάρεστιν. ἢ καὶ τοῦτο συμβολικὴ θιάσων καὶ βακχευμάτων ἀπαγόρευσις ἦν; αἱ γὰρ ἔνοχοι τοῖς βακχικοῖς πάθεσι γυναῖκες, εὐθὺς ἐπὶ τὸν κιττὸν φέρονται, καὶ σπαράττουσι δραττόμεναι ταῖς χερσὶ, καὶ διέσθουσαι τοῖς στόμασιν. ὥστε μὴ παντελῶς ἀπιθάνους εἶναι τοὺς λέγοντας ὅτι καὶ πνεῦμα μανίας ἔχων ἐγερτικὸν καὶ παρακινητικὸν, ἐξίστησι καὶ σπαράττει, καὶ ὅλως ἄοινον ἐπάγει μέθην καὶ χάειν τοῖς ἐπισφαλῶς πρὸς ἐνθουσιασμὸν ἔχουσι.

Διὰ τί τοῖς ἱερεῦσι τούτοις ἀρχὴν οὐκ ἐφεῖτο λαβεῖν οὐδὲ μετελθεῖν, ἀλλὰ ῥαβδούχῳ τε χρῶνται, καὶ δίφρον ἡγεμονικὸν ἐπὶ τιμῇ καὶ παραμυθίᾳ τοῦ μὴ ἄρχειν ἔχουσι; πότερον, ὡς ἐνιαχοῦ τῆς Ελλάδος ἀντίῤῥοπον ἦν τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα πρὸς τὸ τῆς βασιλείας, μὴ τυχόντας ἱερεῖς ἀπεδείκνυσαν; ἢ μᾶλλον ὅτι τῶν μὲν ἱερῶν ὡρισμένας πράξεις ἐχόντων ἀτάκτους καὶ ἀορίστους, οὐκ ἦν δυνατὸν εἰς ἓν ἅμα τῶν καιρῶν συμπεσόντων ἑκατέρῳ παρεῖναι τὸν αὐτὸν, ἀλλὰ ἔδει θάτερα πολλάκις ἀμφοτέρων ἐπειγόντων ἀπολείποντα, νῦν μὲν ἀσεβεῖν τοὺς Θεοὺς, νῦν δὲ βλάπτειν τοὺς πολίτας, οἱ ταῖς ἀνθρωπίναις ἐνορῶντες ἀρχαῖς οὐκ ἐλάττονα τῆς ἐξουσίας τὴν ἀνάγκην προσοῦ-

A ros terruisset atque arcuisset. Enimvero canem antiqui non usquequaque mundum esse judicabant: nam & nulli cœlitum is immolabatur: & Hecatæ terrestri in trivio cœnæ loco missus, piacularis sacri, avertendi mala expandique gratia facti partes obibat. Lacedæmone porro Marti, Deo cædibus deditissimo, catulos insecabant: apud Bœotos publicum est sacrificium, quo cane in duas discisso partes, per earum medium transibant: ipsi Romani Lupercalibus mense Februario cane litant. Itaque abs re non est, quod sacerdotem supremi ac purissimi numinis familiarem & domesticum canem habere nefas statuerint.

B CX. Cur eidem non licet hederam tangere, neque per viam transire, ubi vitium propagines in sublimi sunt prætentæ? An hæc horum sunt similia, Non edere in curru, neque insidere chœnici, neque scopas transcendere? non ista metuentibus aut caveri volentibus Pythagoricis, sed aliis rebus per has ambages interdicere: ad vinum enim refertur, quod subire viti prohibetur sacerdos: scilicet nefas esse eum inebriari: qui enim ebrii sunt, eorum superius capitibus est vinum, atque ea degravat & premit: cum par sit voluptate ista superiores esse, & non vinci a vino, sed ei moderari. Hederam autem an ut sterilem &
C inutilem hominibus imbecillamque & ea de causa aliis quibus innitatur opus habentem, umbraque & virore suo multis quasi præstigiando imponentem, non voluerunt absque emolumento & frustra in domibus ali, & circumplicare se aliis stirpibus, quibus ea re nocet, solumque occupat? Hanc quidem ob rem hedera & Olympiis sacris arcetur: & neque Athenis in Junonis, neque Thebis in Veneris sacris rebus ullus hederæ sylvestri locus est. [1] Bacchanalibus, aliisque id genus sacris, quorum major pars peragitur in tenebris, adhibetur. An hoc ipso etiam signo orgia Bacchi volebant esse vetita? Bacchicis enim furoribus dedi-
D tæ mulieres, recta ad hederam feruntur, eamque discerpunt manibus arripientes, & vorantes: ita ut non plane fide careat quod nonnulli dicunt, inesse spiritum hederæ, qui de statu rationis deturbet, mentemque abalienet, exagitetque, & prorsus ebrietatem a nullo ortam vino inducat, ac permolestam: si quis alioquin hominum ad concitationes animi furiosas, instinctusque divinos sit proclivis.

CXI. Cur iisdem flaminibus Dialibus permissum non est ut magistratum suscipiant aut ambiant? cum tamen & lictorem habeant, & sellam curulem, honoris gratia, utque ferant æquiore animo magi-
E stratuum gerundorum facultatem sibi ademptam? An quia in Græcia etiam aliquibus in locis sacerdotium dignitate regno cum æquale esset, repulsam passos sacerdotio dignati sunt? Aut potius, quod cum certæ & ordine definitæ essent sacerdotum actiones, regum vero ordine carentes & infinitæ, fieri non poterat ut qui rex simul sacerdosve esset, diversi generis in eundem temporis articulum incidentibus negociis, utrumque procuraret: sed necesse erat futurum ut utroque urgente alterum omitteret, itaque interdum deos rite non coleret, interdum civibus esset damno? aut quod in magistratus humanos intuentes, cum non minus necessitate eos, quam potestate administrari observarent: populique

---

1 *Bacchanalibus, aliisque.)* ἴοις δὲ καὶ νυκτελίοις. Interpres, *nocturnis sacris & Bacchanalibus*. fieri potest ut eadem usus lectione ita tamen ex conjectura verterit. Νυκτέλιον esse Bacchum, ne longius deducam, vel e Virgiliano potest dici Culice: *Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave.*
Et inter nomina Bacchi Νυκτέλιος est in libello de εἰ Delphicho. ἴοις cauda videtur esse alicujus vocis, de qua conjecturam ferre possem, sed infirmam. Viderint alii, & quid sit illud καὶ χάειν? *Hilares*, Interpres. quid si legas ἄχαειν. Ebriis, qui pleni sunt vino facilius ignoscimus, quam garrulitate aut furiosa obturbatione importunitatem temulentorum vincentibus. Ubi est οἱ ταῖς ἀνθρωπίναις, omnino ᾗ est legendum: alia enim causa redditur, quod Interpretem fefellit. Porro νυκτέλια ἱερὰ Quæst. Græc. XXXVII. memorantur. *Xyland.*

σαν, καὶ τὸν ἄρχοντα δήμου ( καθάπερ Ἱπποκράτης ἔφη A τὸν ἰατρὸν ) δεινὰ μὲν ὁρῶντα, δεινῶν δὲ ἁπτόμενον, ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις δὲ κακοῖς ἰδίας λύπας καρπούμενον, οὐχ᾽ ὅσιον ἡγοῦντο θύειν θεοῖς, καὶ ἱερῶν κατάρχεσθαι, γενόμενον ἐκ καταδίκαις καὶ θανατώσεσι πολιτῶν· πολλάκις δὲ καὶ συγγενῶν καὶ οἰκείων, οἷα καὶ Βρούτῳ συνέτυχε.

principem ( quod de medico Hippocrates pronunciavit ) multa horrenda adſpectu videre, multa tangere, & ex alienis miſeriis pro fructu ſuas capere moleſtias: impium rati ſunt iſtum diis ſacrificare, & auſpicem eſſe divini cultus, qui damnationibus & capitalibus, lethoque finitis ſuppliciis civium ( non raro etiam cognatorum & domeſticorum, ut Bruto uſu venit ) interfuiſſet.



# RERUM ET VERBORUM INDEX.

## A.

D

E.

## I.

K







L

M.

# INDEX

P

## Q



## R

T

*FINIS.*




SPECIAL
OVERSIZE
N
5610
G871
V.5
82-B
1305
GETTY CENTER LIBRARY

